Utrecht University Library
Partner in Science
Universiteit Utrecht

En damus tibi christianissime lector, Commentaria Bibliorum et illa brevia quidem ac catholica, eruditissimi simul ac pijssimi uiri Chuonradi Pellicani Rubeaquensis, qui & Vulgatam commentarijs inseruit aeditionem, sed ad Hebraicam lectionem accurate emendatam. Habes autem in hoc opere quicquid syncerae theologiae est. Ideoque si sapis ex ipso potius Sacrorum fonte, quàm riuulis Religionem ueram imbibe.

https://hdl.handle.net/1874/398502

TOMVS QVARTVS.

IN QVO CONTINENTVR SCRIPTA RELIQVA, QVAE VOCANT HAGIOGRAPHA, Libri uidelicet quinque, Iob, Psalterium, Parabolæ, Ecclesiastes, & Cantica Salomonis, Comment. Chuon. Pel. ministri ecclesiæ Tigurinæ illustrati.

CHRISTOPHORVS FROSCHOVERVS EXCVDEBAT TIGVRI, MENSE AVGVSTO, AN.

M. D. XL.

TOMVS QVARTVS

IN QVO CONTINENTVR SCRIPTA
RELIQVA, QVAE VOCANT HAGIOGRAPHA, id est
Iob, Psalterium, Parabolæ, Ecclesiastes, & Cantica Salomonis, Commentarii.
Chuon. Rel. ministri ecclesiæ Tigurinæ
hæc illustrati.

CHRISTOPHORVS FROSCHOVERVS EXCVDEBAT TIGVRI, MENSE AVGVSTO, ANNO

M D XL

CHVONRADVS PELLICANVS
PIO LECTORI S. D.

E LECTIONE AC INTERPRETATIONE TRACTATVque ſacrarum literarum, cum mihi quædam præſcribenda iniungerentur, ad inſtitutionem ſimpliciorum, quæ ultimo huic Tomo præmitterem, malui hic quoq; aliorũ bene ſcripta protrahere, & ædenda curare, quàm tanto opere fatigatus, ſubito & multis impeditus, propria meditatione diſtringi. Quum igitur inquiro quid dicendũ, Libellum incido, dudum ſcriptum, ſed nondũ æditũ, Heinrychi Bullingeri, Eccleſiæ noſtræ Tigurinæ antiſtitis & doctoris piiſſimi, quem in gratiam communis amici noſtri, & exactoris operarum noſtrarum ſolicitiſſimi piiſſimiq; uiri VVernheri Steiner Tugini, olim iunior parauerat illiq; dicarat, nominatim inſcripſerat De Ratione ſtudiorum. Is poſt multa ſapienter & eruditiſſime præcepta de prophanis literis diſcendis, philoſophorum ſcilicet, oratorũ & poëtarum, hiſtoricorum quoque, & quomodo omnia hæc adhibenda ſint & conducant ad ſacras literas interpretandas: poſtq; inſtitutiones ad capeſſendas Græcas & Hebraicas literas, ſic conſequenter pergit deſcribere lectionis uſum in Canonicis ſcripturis ſacroſanctis.

Heinrychus Bulling.

VVernherus Steiner.

Qui, inquit, oratoriam tradunt, ab oratore ſuo exigunt, ut ſit uir bonus: quod indignum ſit artem uſque adeò honeſtam, reſidere in turpi & inhoneſto pectore. Quanto iuſtius nos à candidatis diuinæ ſcripturæ exigimus, animum deo deuotum, mentem expurgatam ab omnibus inquinamentis, & mores ab omni impuritate alienos. Nã ſcriptura ſacra, ſpiritus ſancti inſpiratio eſt, teſtimonium dei optimi maximi, eiuſdem uoluntatis æternæ & inculpatæ expreſſio, in qua uidemus quid pium ſit, quid impium. Itaq; cum à tãto profecta ſit authore, à deo uiuo, uero & æterno, ueritatis ſit teſtimonium, ſermo de ſummo illo omnium conditore deo, & doctrina omnis æquitatis, honeſti, pietatis & iuſtitiæ, haud uerifimile eſt impuras mentes quicquam in hac profecturas, cum etiam propheta dicat, In animam maleuolam non introibit ſpiritus ſapientiæ. In primis ergo deo ſupplicandum, ut is amorem æqui & recti inſerat, deinde iniquitatem expellat: clamandum cum apoſtolis, Adauge nobis fidem domine, diſſipa errorũ tenebras, immitte pietatis affectum, ut te uere intelligam, in te recte credam, te unũ rite colam, & pie reuerear, utq; aliis magnalia tua edicere queam, &c. Huiuſmodi uota & preces, Lector pie, ſubinde inter legendũ ingeminabis, ut lectio ſacra, nõ tam lectio ſit, quàm ad deum pia oratio. Deinde hoc quoq; neceſſarium, ut ad ſacra iſta accedas animo ſyncero, pacifico, & fitienti, minime gladiatorio, qui rixandi petat materiam, aut conceptæ opinionis peruerſæ fulcra quærat, denique gloriam humanam ambiat, uictoriam & theatricos applauſus. Niſi enim ducaris æterni dei ſolius gloria, pietatis, ueræ eruditionis & amoris honeſti deſyderio, in maximum tuiipſius malũ ſacratiſſima dei uerba leges. Siquidem ea quæ diuinis literis prodita ſunt, in hoc conſcripta ſunt, ut dominũ deum noſtrum recte agnoſcamus, agnitum unice colamus, & digne glorificemus, ut meliores quoque reddamur, & ad omne opus bonum inſtructi. Animalis illa philoſophia, & ſupercilioſi philoſophi, ſua quærunt, & ſeſe adorari uolunt. Chriſtianus omnem gloriam uni deo tribuit. Debetur etiam ſacris noſtris peculiaris quædam & diuina reuerentia, nam loquitur nobiſcum per iſta deus. Si uero homo quiſpiam, paulò maiore dignitate præditus, & te excellentior, colluquutionem familiarem tecum inſtitueret, deus bone, quanta eum reuerentia conuenires, quanta diligentia animaduerteres, quanta denique animi ſynceritate illius uerba adorares? Iam uerò in ſacris deus tecũ colloqui ſtatuit, & is deus, qui unus, uerus & æternus, omnium, etiam tuus conditor, qui omnipotens eſt, & uera ſapientia: cernis quoque quanta reuerentia ſit opus, quanta ſynceritate. Iſtis ſi animus tuus imbutus ſit, nẽpe ſi iugiter oraueris, hoc eſt, unice affectus tuos deo dedicaueris, ſi expurgata ſis mente, ſi cupias corrigi uitioſa animæ tuæ, & pie uiuere deo, ſi ſolius dei gloriam quæras, ſi reuerentiam deo & ſacris ſuis habeas: breuiter, ſi totum tete illi ſubijcias, & templum ſpiritus ſancti efficiaris, non dubitauerim quin maxima fruge ſacra ſis lecturus. Quod ſi alio acceſſeris animo, deterior redibis. Quemadmodum uero in omnibus artibus ac diſciplinis ſuppoſititia quædam ſunt, aut certe non uſque adeò exacta & recepta, ſic in ſacris quoq; nõnulli libri ſunt, qui tantę authoritatis non ſunt, quantæ reliqui pars q; maior. Ideo q; principio ſciri refert, qui ge-

De lectione ſcripturarũ canonicarũ

Orandum pro fide.

Finis lectionis.

Reuerentia ad ſacra.

Librorum diſcrimen in ſacris.

nuini & uere canonici libri sint in sacris. Iosephus in primo aduersus Appionem libro, Origenes apud Eusebium, Melito in epistola ad Onesimum, duo & uiginti libros enumerarunt ueteris testamenti, quinq; Moseos, Prophetarum octo, Hagiographorũ nouem. Quanquã nonnulli Ruth & Cinoth inter Hagiographa quoq; scriptitent, & hos libros in suo putent numero supputandos, ac per hoc esse priscæ legis libros uigintiquatuor, ut est apud Hieronymum in prologo Galeato, quem uulgus theologorum sequitur, & Hebræorũ quoq; traditio & exemplaria attestãtur. De noui testamenti libris reliqua legãtur in prologo iam nominato. Quic quid igitur extra hos est, inter apocrypha ponẽdum, etiam si in Bibliis scribatur. Quæ tamen sancti patres legi quidem uoluerunt in ecclesijs, non tamen proferri ad authoritatem ex his fidei confirmandam. Verum nemo putet ea ratione hos libros legi in ecclesia, hos negligi debere, quia patrum priscorũ tanta authoritate recepti sint: sed sunt patres isti Dionisius, Origenes, Cyprianus, Hieronymus, Egesippus, Iosephus, Ireneus, Lactantius, & cæteri uetustissimi testes, ex quibus intelligamus istos canonicos libros esse tantum genuinos. Neq; enim uetusti illi susceperunt quod uoluerunt, neq; successoribus obtruserunt quod illis bonum uidebatur, sed quod ceu per manus acceperant, ab ipsis rerum primis scriptoribus susceperunt, ijsdẽq; tu lere testimonia, ut etiã nos agnosceremus, quę genuina forent, quę suppositicia. Sed & libri canonici ante uetustiorum tempora fuere, neq; hi primum sententiam tulere de canonicis & apocryphis, sed iudicium iam ante multa sæcula latum, communi omnium consensu, imò ipsa primorum scribentium ratione & modo, posteriores refricarunt.

Libri ecclesiastici non Canonici.

Habes quibus libris operam locare debeas. Nunc uerò quomodo legas audi (ubi cum multa de lingua Hebraica & Græca quomodo discendæ præscripsisset, scripturæ certum scopũ qui bus rationibus attingendum docet.) Sunt, inquit, qui nostris temporibus omnia referant ad legem & ad Euangelium, quod ut in præsentiarum non culpo, sic neq; laudibus uehere uolo. Hoc certum est, omnes sacræ scripturæ libros, communem quendam habere scopum, qui qualis sit uideamus. Deus cœli, deus ille omnipotens, pepigit cum humano genere testamentum, pactum seu fœdus sempiternũ, sic enim dixit ad Abraham: Ego sum deus ille omnisufficiens, penes quem omnia bona, ambula ante faciem meam, & esto integer. Hoc pactũ meum statuam inter me & inter te, & inter semen tuum post te, in generationibus suis, fœdere sempiterno, ut sim deus tuus, & seminis tui post te. Daboq; tibi & semini tuo post te terram peregrinationis tuæ, omnem terram Chanaan in possessionem, eroq; deus eorum. Et tu pactum meum custodies, tu & semen tuum post te. Sed & in semine tuo benedicentur omnes gentes terræ, Genesis 17. & 22. Duo autem sunt quæ in hoc fœdere continentur, Primum astringit se nobis deus, pollicetur & indicat quis & qualis nobis esse uelit. Deinde præscribit quid à nobis exigat, & principio quidem declarat, quis sit deus ille omnipotens uerus & æternus, bonorum aceruus, copiæ cornu, apud quem unum omnia ea inueniantur, quæ ab humano desyderantur pectore, quia ipsius est cœlum & terra, & omnia quæ in eis sunt. Pollicetur autem se deum nostrum fore & seminis nostri: hoc est, promittit se omnem bonitatis suæ thesaurum in nos largissime profusurum, idq; gratis, dicit enim: Ero deus tuus & seminis tui post te, hoc est, omnisufficientia, bonorum cumulus, omniaq;, imò me totum, tibi impendã. Quod quo certius credere possis, En dabo tibi terram Chanaan, lacte & melle manantem, Dabo tibi semen, & ero deus eorum, hoc est propugnaculum, fortitudo, dux, & imperator, uindex & ultor, &c. Cæterum hic animaduertendum duplicem esse hanc pollicitationem, Spiritualem & Carnalem. Spirituali Christus dominus promittitur, Galat. 3. Carnali terra Chanaan. Spirituali, curatur anima, corporali corpus. Vult itaq; dominus esse deus noster, siue animam respicias siue corpus. Hactenus de parte una. Iam uerò quod nos attinet, debemus omnino nos pactum hoc custodire, integre illi fidem seruare, unico hærere, innocentiæ studere, ad nutum & uoluntatem dei uiuere. Nam qui secus egerint, eos ceu fœdifragos, auxilio nudatos, inimicis & malis omnibus exponit. Estq; hæc pars secunda. Huc uerò refertur omne, adeoq; totũ hoc quod diuinis literis proditum est. Quid enim aliud diuinæ historiæ, quid prophetæ, quid Euangelistæ, quid apostoli aliud docuerunt, quàm huius dei bonitatem, magnificentiam, omnisufficientiã, & quomodo deus fuerit omnium credẽtium: ediuerso neglectui habuerit omnes perfidos. An non subinde refricant alij pollicitationem de benedicto semine, alij uerò præstitam testantur? An non ubiq; fidem docent & integritatem seu innocentiam, puritatem ac synceritatem mentis atq; uitæ totius? Ideoq; unicus ille communis tamen omnibus sacrę scripturę libris scopus est TESTAMENTVM DOMINI. Vnde ego à uetustis hoc nominis omnibus sacræ scripturæ libris inditum crediderim, Vetus & Nouum testamentum, Non quod libri testamentum sint,

Quomodo legendi libri sacræ scripturæ.

Fœderis duo articuli

Veteres & noui

sint, sed quod testamenti rationem explicent. Quemadmodum solemus literas seu instrumenta de testamentis uocare Testamenta per metonymiam. Neq; credendum est, dominum aliud fœdus iniisse cum humano genere, sed idem est apud omnes, quia idem deus, idem Christus, eadem fides, eadem innocentia apud omnes cum ueteris tum noui testamenti sanctos. Nouũ ergo dicitur ob innouationem, ob nouum populum, ob antiquatas umbras, Gal. tertio, Heb. octauo.

Diximus de communi scripturarum scopo, dicemus & de communibus scripturas tractandi rationibus. Primus ergo modus tractandi scripturas sit obseruatio contextus, cum diligentissime quid unumquodq; uerbum & possit & trahat, cuicq; hæreat perquiritur. Huius rei pulcherrimum exemplum est in 22. Lucæ. Locus inquam ille de quo plurimi nimis hostiliter dimicant gladiari malunt quàm aperte loqui ut intelligantur, Hoc est corpus meum. Hic si ipsum contextum obserues, præcedentia, consequentia & singulorum uerborum uim, quid luculentius? Principio enim typicum agnum eduntad uesperam paschæ, typum nimirũ dudum mactati agni, cuius sanguine postes fidelium Hebræorum perunctifuerunt, quo & uiso exterminator Aegyptiorum prẽteribat, & à cẽde liberabat: typus quoq; erat in futurum, Christi sanguinem significans effundendum in cruce pro fidelium salute. Eum igitur discipuli agnum edunt. Deinde uero panem Christus saluator accipiens frangit, suisq; dispartit. Nimirum quia agnus, typicum atq; sanguinolentum erat symbolum, ipse uerò Christus, ad cuius aduentũ typi cessant legales, & sanguis sistitur, iam præsens nouũ pascha inchoaturus, nõ sine analogia aptissima, panem accipit, scilicet quod erat sine sanguine, & tamen symbolicũ, attamen talis typus minime qualis agnus, qui figurabat Iesum Christum esse passurũ. Nam hic addit, Hoc est corpus meum, quod pro uobis tradetur, docens panem esse signum ac symbolum corporis crucifigendi & à patre pro nobis traditi, quippe quod nobis istum manducantibus, in memoriã reduceret Christum in prophetis promissum, esse iam olim pro nobis traditũ. Quare mox sequitur, Hoc facite in mei cõmemorationem, &c. sicut usq; modo paschalẽ quotannis agnũ immolastis & comedistis secundũ legẽ in commemorationẽ sanguinis agni immolati in paschate omniũ primo, sic nunc & posthac edite meũ corpus sacramentotenus, animæ uestræ cibum uiuificum, & redemptionis uestræ pignus certissimũ. Præterea si dictiunculas, edere, corpus, est, memoria, &c. expenderis, quantũ quæso lucis attulisti contextui? Tria itaq; hic quoq; obseruãda obiter incidunt, Analogia, Varius eiusdẽ uerbi usus, & Tropus. Analogia proportio est & rerum quædã similitudo. Locum aũt habet non ubiuis, sed in his tantum, quæ probari possunt certis indicijs, iuste & uere esse ab illis deducta, quemadmodũ de agno probare possumus exloco Pauli 1. Cor. 5. & Ioan. 19. Valet potissimũ in libris noui testamenti. Deinde usq; adeò uarius est in diuinis libris eiusdẽ uerbi significatus, ut nisi probe obserues, bonã uenustatis sed & sani intellectus partẽ obnubiles. Nam si per petram ubiq; intelligas firmitatẽ ipsam, erraſti. Vtũtur Latini quoq; plerunq; in transferẽdo hac uoce, petra, magis aũt Hebræi pro saxo, firmitate, rupe, profugio. Sic quoq; cornu, nonnunquam satietatẽ significat ac copiam, aliquando superbiam, aliquando robur & fortitudinem, belli quoque signum notat, utebantur enim in bellis antiqui cornibus, armaturã quoq; & protectionem. Hæc uariatio frequens est in dictionibus, fides, charitas, spes. Nã Rom. 10. legimus, Perfectio legis Christus. 1. Timot. 1. Plenitudo legis charitas. Ephe. 2. Gratia salui facti estis per fidem. Rom. 8. Spe salui facti estis. Sed qua ratione diuersitatem istam deprehendere possum? primo ex linguarum collatione: secundo per multijugam eruditionem, & uariam lectionem authorũ: tertio ex natura rei, quam uox designat: quarto per circunstantias & loci sensum siue contextum. Res est alioqui facilis exercitato, at de singulis exempla ponere nimis prolixum & molestum foret.

Obseruatio contextus.

Claues scripturæ.

Porrò Tropus quem Proclus uerborum figuram appellauit, est sermo à naturali loco in alium ornatus causa translatus. Hi sunt duplices, Orationum & dictionum. Orationis tropus est Allegoria, utpote perpetua quædam metaphora. Huic adnumerãt Aenigma, Parœmiam, Ironiam, Sarcasmon, Antiphrasin, Hyperbolen, cui addunt Hyperbaton, & Icon, &c. de quibus Grammatici & Rhetores, in primis Fabius in octauo. Dictionum tropi sunt, Metaphora, Synekdoche, Metonymia, Antonomasia, Onomatopeia, Catachresis, Metalepsis. De quibus diligentissime Erasmus in secundo Copiæ, & Quintilianus in octauo, à quibus facile ista disci possint & certius. Est autem uera troporum cognitio igne & aqua magis in sacris necessaria, id quod in sacris exercitati norunt. Inexercitati quidlibet ex re qualibet confingunt, atque toties errant quoties legere incipiunt. Huc pertinent etiam Græcismi & Hebraismi. Verum ista in transcursu monuisse sufficiat.

Troporum cognitio.

Circunſtantiæ. De circunſtantijs autem quæ ſecundum locum occupabunt, breuibus quoq; dicendum. Ea autem quæ non ſunt propria & cognata rei, ſed circunſtant atque ambiunt ipſam accidentia, partim in rebus ſitæ ſunt, partim in perſonis. Quemadmodum Eraſmus in ſecundo Copiæ, Fabium ſequutus pulcherrime ſuboſtendit. Rerum porrò circunſtantiæ ſunt, cauſa, locus, occaſio, tempus, inſtrumentum, modus, & cæt. Perſonarum ſunt, natio, patria, ſexus, ætas, educatio, diſciplina, & cæt. Igitur locum aliquem exploraturus diſpicies quo loco quid dictum ſit, quo tempore, quo modo, quid factum ſit, quo conſilio, qua occaſione, à quibus perſonis, & cæt. Et ſanè uix credi poteſt, quàm nobilis hęc ratio ſit, quàm expedita in intricatiſſimis compluribus locis.

Locorum allegatio. Tertius modus tractandi ſcripturas, ſit per locorum collationem. Verum ut hic modus omnium certiſſimus dignitatiſq; plenus eſt, ſic non poteſt niſi magno labore & exercitatione uaria acquiri. Proinde ſcripturas cum fruge lecturus aut tractaturus, curabis ut quàm plurimos in procinctu habeas locos, quibus te in breuioribus & implicatioribus expedias. Vt uerò locorum aceruos habeas, in primis iuuabit accurata diligentia, qua fiat, ut non cures quàm multum, ſed quàm bene legas, & quàm fideliter memoriæ infigas: item ut quàm ſæpiſſime legas, relegas, teras ac digeras, ut nunquam ceſſes. Iam uerò hæc collatio, aut ut ſimile aut ut diſſimile adhibetur, exempla authores ſuppeditabunt. Hæc uerò ratio duntaxat locum habet ibi, ubi magis oportet tergiuerſantibus obluctari, quàm fidelibus ſatisfacere.

Status rei tractandæ. Multum quoq; retulerit in omni tractationis negotio ſtatum inueniſſe. Volumus itaq; ut in his ſcripturis ſacris quę à conſtitutione quapiam dependent, ſtatus non negligatur. Vocamus uerò ſtatum ſummam, caput, cõſtitutionem, in quo potiſſimum rei cardo uertitur, de quo potiſſimum diſſeritur, & unde omnia argumenta dependent. In hoc ſcripti genere uerſantur prophetæ, uerſantur etiam apoſtolorum epiſtolæ. Verum non eſt unicus illis ſtatus, ſed iuxta rerũ qualitates, uarij. In iſtis ergo primo & ante omnia inquirendũ, quid conetur author, quid doceat, quid probet, quid refutet, quem in finẽ, & in quem uſum ſcribat, quibus argumẽtis agat. Quod certe fieri non poteſt, niſi diligenter omnia excutias, legas & relegas, omnia ſigillatim ſecernas, argumenta diuidas, priuatim ſcopo adhibeas, cõfertim producas, ſed & probe ſcias quid tribuendum ſit affectibus, quid ornatui, quid eloquutioni. Hæc ſi ignorantur, certum eſt te Pſalmorum myſteria, Iſaiæ prophetiam, & in primis Pauli epiſtolas non poſſe aduequi. Neceſſe eſt ergo, ut omnia ſchematum ſeu figurarum genera probe cognoſcas. De quibus omnibus Fabius in nono, Aphtonius in Præexercitamentis, Melanchthon in Inſtitutionibus Rhetoricis, & Eraſmus in ſecundo Copiæ.

Moralia ſcripturæ. Hucuſque oſtendimus in genere, quomodo queant omnes ſacræ ſcripturæ libri tractari per generaliores quoſdam canones. Age uerò perſtringamus nunc ſingulos ueteris huius inſtrumenti libros, ut uel ſic compleamus quod reſtare uidetur. Et primũ quidem dicamus de libris primis. Iſti libri Moſis aliâs legem habent uitæq; & morum inſtitutionem continent, aliâs hiſtorias. Et de hiſtorijs quidem dicemus poſterius, nunc uerò de lege. Et qui de lege diſſerunt, ñ rectiſſime eam in tria membra ſcindunt. Dicunt enim aliam eſſe moralem, aliam iudicialem, aliam ceremoniarum. Ea ergo quæ uitam noſtram ſiue mores inſtituunt, ſynceritatem, puritatem & uitæ innocentiam tradunt, talem qualem in teſtamento & fœdere exquiſiuit deus, inter moralia recenſentur. Qualia ſunt unum & ſolum deum eſſe credendum, adorandum, colendum, audiendum, huic ſoli eſſe fidendum & adhærendum. Proximo non eſſe iniuriam irrogandam. Non eſſe occidendum, adulterandũ, &c. Quæ eiuſmodi ſunt, ea perpetua ſunt & uniuerſalia & à nobis perpetuo & diligenter pleneq; præſtanda. Neq; hoc negligendum, plurima eſſe quæ ſubceremonialia referri ab aliquo poterãt, quæ tamen moralia ſunt. Huiuſmodi ſunt quæ traduntur de ueſtium commutatione, de animalibus proximi reducendis, de non ſerendo agro diuerſo ſemine, de conſeruandis pullis auium, &c. Nam quemadmodum poëtæ maxima myſteria dicuntur fabulis contexuiſſe, ſic maximas res in minutiſſima iſta abſcondit Moſes. Breuiter, quicquid deum decet, fidem, pietatem, religionem, puritatem, innocentiam, & charitatem, poteſt ſub moralem referri legem.

Scripturæ iudicialia. Iudicialia, ciuiles leges ſunt, de regibus, principibus, iudicibus, quales eſſe debeant, de bello gerendo, de plectendis ſontibus, de homicidio, adulterio, ſacrilegio, ſeditione, inobedientia & rebellione puniendis, de cõmuni pace conſeruanda, de tributis, decimis, deq; rebus ſimilibus in præceptis dei moralibus fundatis. Quas res non minus ſed magis quoq; quàm ius ciuile gere debemus, & ſummam dei diligentiam agnoſcere, qui non modo animas ſuorum legibus inſtituebat, ſed etiam externa quæq; curabat. In his non eſt ut allegorias comminiſcamur.

Cere

Ceremonialia sunt quæ agunt de sacerdotio, sacrificiorum generibus, tabernaculo, sacerdotum officijs, festis diebus, de munditia & immunditia, de uestibus, de consecrationibus, de abstinentia & ciborum delectu, de expiationibus, de uotis & rebus similibus. Dedit autem hos ceremoniarum aceruos, ne quid superstitiosus populus desyderaret. Nam deus istis non delectabatur, quemadmodum sæpe per prophetas attestatus est, uerum sic illos uoluit ab excessis retrahere. Quod & Tertullianus scriptor eruditissimus sensisse uidetur, qui in secundo aduersus Marcionem, Sacrificiorum quoq; onera (inquit) & operationum & oblationum nego tiosas scrupulositates nemo reprehendat, quasi deus sibi talia proprie desyderauerit, qui tam manifeste exclamat, Quo mihi multitudinem sacrificiorum uestrorum? & quis requisiuit ista de manibus uestris? sed illam dei industriam sentiat, qua populum pronum in idololatriã & transgressionem, eiusmodi officijs religioni suæ uoluit astringere, quibus superstitio sæculi agebatur ut ab ea auocaret illos, sibi iubens fieri, quasi desyderanti, ne simulachris faciendo deesset uasculorum, omnifariam distinxit, ut istis legalibus disciplinis occurrentibus ubique: ne ullo momento uacarent à dei respectu. Hactenus ille. Rursus quandoquidẽ semen benedictũ nondum poterant habere, contigit tamen hic eius exemplar, siquidem Paulus ista sic tradit in Hebræis, Itaq; cum ceremonialia legis, cogitabis uni deo esse adhærendum, quemadmodum testamento pepigit: deinde ista omnia esse allegorica, allegorijs ergo esse exponenda.

Ritus.

Tertullian.

Allegoriam autem uocamus, perpetuam & non interruptam metaphoram, qua aliud sensu prætendimus, quàm uerbis significauerimus, ut cum Christi uocem, Faciam uos piscatores hominum, sic expono, Ordinabo uos ut homines uerbo & prædicatione adducatis, &c. Caueendũ hic in primis, ne ex qualibet re fingamus quiduis, & omnibus scripturæ locis allegorisemus, quia nulla alia scripta allegoriam certius admittere possunt, nisi in hoc dicta factáue, ut aliarum rerum umbræ ac typi forent. Cuius generis est totum Leuiticum sacrificium, agnus paschalis, &c. sicut supra retulimus in ceremonijs: in historijs, allegoria difficilior est. Et tamen negari non potest, allegorias in historias ueteris testamenti incidere. Nam allegorica est historia ænei serpentis, Hagar ancillæ, petræ percussæ, ideoq; si omnino allegoriã quærere uelis, nolisq; simplicis historiæ sensu esse contentus, hæc obserua. Curabis ante omnia, ut allegoria tua cum alijs scripturæ locis componi queat. Deinde uidebis, an res siue personæ comparatæ concordent an dissideant: postremo an ne fidei conformis sit, ac deũ doceat. Conducit præterea plurimum, si citationes noui testamenti accurate obserues, ita ut earũ aliquando uetus excutiens, probe memineris, nempe quò nam ista retulerit Christus, quomodo hoc usus sit Apostolus, in quem item sensum ista adduxerit Petrus, & cæt. Monet item Augustinus, allegoriam nihil posse probare, nisi eam noui testamenti comprobet authoritas. Neq; putandum est, allegoriam tollere simplicem sensum. Nam etiam si per dipsades aut præteres intelligamus allegorice uenenatam ac inflammatam peccatis conscientiam, quam sustulerit Christus erectus in cruce, Ioannis tertio cap. attamẽ simplex historiæ sensus, qui semper potior est, manet. Hoc est docere historiam, quantum malum sit perfidia, murmur, & tentatio domini, 1. ad Cor. decimo cap. In summa, allegoriæ non possunt feliciter tractari, nisi ab his qui in diuinis rebus exercitatissimi sunt. Vtantur ergo scripturarum candidati simplicissimo scripturæ sensu, qui & ecclesiam docere ubique potest, bene intellectus fidem & spem in deum erigens, donec uaria exercitatione, fide perfecta, acriq; iudicio consolidati, ad grauissimas res ualidissimos admoueant humeros.

Allegoria in sacris.

D. August.

Historia est facti cuiuspiam aut rei expressa imago, authore Cicerone. Tractantur autem hæ aut per allegoriam aut simplicissime. De allegoria diximus obiter, uideamus nunc simplicitatem. Hic perpenduntur duo, occasio historiarum, ac circunstantiæ. Occasionem autem uoco causam cur deus historias scribi ac fieri uoluerit. Porrò eius rei duplex causa est, prior quidem ut ex ipsis dictis ac factis personarũ, ex actis quoq; dei omnipotentis uideretur, quomodo pactum ac testamentum illud, de quo paulò ante diximus seruatum sit, quomodo neglectum, & quomodo transgressores puniti. Posterior uero, ut uidentes euentum casumq; illorum, timeremus deum, huic uni hæreremus & crederemus. Docuit hæc diuus Apostolus, in Corinth. cap. 10. Asaph quoq; in psalmis, dicens, Statuit dominus testimoniũ in Iacob, & legem posuit in Israel, qui præcepit patribus, ut nota facerent filijs eorum, cognoscatq; generatio posterior, filij qui nascentur surgent, & narrabunt filijs suis, ut ponant in deo spem suam, & non obliuiscantur studiorum dei, & mandata eius custodiant, neq; sint sicut patres eorum generatio rebellis, &c. Psal. 77. Iam uero circũstantię adhibẽtur aliquando dũtaxat oblectandi, aliquando

Simplex scripturæ sensus.

reficiendi, aliquando uerò energiæ causa. Cęterũ hæc apud oratores & Origenem. Prophetæ Hebræis dicuntur uidentes, nimirum ab officio, quãdo hoc officij apud ueteres habuerũt, quod apud nos episcopi, qui & ipsi dicuntur prophetæ. Hi sunt ceu interpretes Mosis, quia legis omnia clarius exponũt, siue spectes diuinam naturam, benedictum semen, testamentum, uitæ innocentiam: siue deniq; ipsa ceremonialia. Nam de Christi incarnatione, prædicatione, morte, resurrectione & regno, tam aperte disseruerunt, ut putes ipsos historiam uerius describere. bus gestis, quàm uaticiniũ de futuris scribere. In qua re regnat in primis Isaias, deinde Daniel, & singuli iuxta suæ ætatis rationem testamentum probe exprimunt, docentes dei bonitatem, misericordiam, iustitiam, omnipotentiam, ultionem, omnisufficientiã. Cuius cultus ueraq; religio sit fides, iudicium, iustitia, misericordia, æquitas, neq; uero illum placari pecudũ sanguine. Hinc acerrime obiurgant transgressiones, uindictam ob oculos ponunt, adeoq; omnibus eloquutionis ornamento pingunt. Lecturus ergo prophetas, isthæc omnia observa, prophetias de Christo, obiurgationem criminũ, ultionis picturas, ac hypotyposes, hortationes, consolationes, laudes dei & misericordiã. Vides ipsorum scripta quomodo referantur ad fœdus, ceu unicum scopum, ut ex historiarum libris ueluti ex commentarijs certius & clarius intelligantur. De lectione quoq; Psalmorum, Prouerbiorum & cæteris huius Tomi libris, & de lectione Euangeliorum & apostolicarum epistolarum prosequitur in eodem libello suo complurima Bullingerus noster, ex quibus hoc loco succinctius dicta suffecerint. Argumenta horum quinque librorum potes capere ex initijs Commentariorum nostrorum in eosdem, quæ nunquam ne per somnium quidem scribere ueniſſet in mentẽ, si ut aliàs quoq; dixi, hi nobis duo uiri Heinrychus & Theodorus ante operis nostri uel institutum uel completionẽ contigissent, quorum eruditione & studio pietatis, diuina pietas oblinire dignata est recens calamitatis nostræ uulnus, quod pro peccatis nostris inflixerat ex clade pijssimorum uirorum ecclesiæ nostræ Tigurinæ. Cuius fidei æstimatio & iudicium capiatur ex illorum lucubrationibus, & nostris, quas catholicas esse & solidas, pius & eruditus Lector intelliget, cõformes ecclesiasticis dogmatibus priscorum sanctissimorũ uirorum & martyrum, puras & minime conspurcatas priscorum hæreticorum uel nouorum erroribus. De quo tamen omnium ecclesiarũ expectamus iudicium, & si quid alicubi per fragilitatem sensus aberratum deprehendetur, non detrectabimus catholicam palinodiam, parati audire & discere, magis quàm docere. Vtcunq; has nostras operas passi sumus ad fratrum preces & impulsum prodire & ædi pro simplicium subsidio territorij nostri, qui assiduis prælectionibus nostris interesse non possunt, & linguarum peritia carere coguntur per officiorum suorum occupationes, & exactas ætates suas, quas in longe diuersis studijs à puero infelicius pro temporis ratione exigere cõpulsi sunt. Istis nostra qualiacunq; scripta, ut speramus proficient, quibus & potissimum scripsimus, quibus & dicata uolumus, & prodesse in gloriam dei, in ecclesiarũ profectum, deuoto humiliq; affectu optamus. In quibus si quid imperfectum & languidũ inuenietur, tenuitati intellectus mei tribuatur, & negligentiæ duriori & stilo, quem antea nunquam exercere studui, nihil enim unquam tale obiturum me opus, alicui credidissem prophetæ. Si quid dignum lectione, & uerbo dei consonum, aptum, utile & sacrosanctum elucubratum est, sanctorum patrũ studijs & pietati acceptum referri debet, unde nostra, ubi licuit, electa desumpsimus: neotericorum quoq; scribentium eruditissimas enarrationes, quas consequi datum est, minime contempsimus, sed ex omnibus probatiora nobis uisa cũ nullius, ut speramus, iniuria, sed bona gratia elegimus passim, ut breuius potuimus. Soli autẽ deo omnipotenti, sapientissimo & optimo, pro hoc toto nostro opere, honor sit & gloria, quæ & deferatur ei ab omnibus ubiq; & semper, à quo omne bonum, qui dedit per stupendam certe mihi gratiam suam, & inæstimabilem prouidentiæ suæ dispensationem, hoc opus feliciter inchoari & perfici, ad gloriam sui nominis & electorum consolationẽ. Cui sit gratiarumactio & sacrosancta maiestas per sæcula sæculorũ, Amen.

Prophetæ sunt Mosis interpretes

Tigurinorum fides.

Authoris excusatio.

Quibus scripta.

COMMENTARIA CHVONRADI PELLICANI IN LIBRVM IOB.

CAPVT PRIMVM.

1 VIR erat in terra Hus nomine Iob, & erat uir ille simplex & rectus ac timens deum, & recedens à malo.

Iob quis fuerit.

Quem sacræ literæ hunc uirum fuisse describũt, hunc simpliciter suscipiamus: magis tamen quid hic liber ecclesiam fidelium doceat perscrutemur: prouidentia scilicet diuina omnia sapiẽter et clemẽter infallibiliterq; sic geri in toto mundo, quem ex æquo creator omnium sic administrat, ut tamen operum ac iudiciorũ suorũ causæ hominibus sint ut ignotæ sic quoque imperscrutabiles. Citra quam discutiendã, quotquot sapientũ huius mundi sine fide & reuerentia, sola temeraria inuestigatione inquirunt, etiã si multa assequi de illa posse se credant, reuera tamen hallucinãtur, & intellectu suo dei iudicia assequi nõ possunt, mouenturq; tandem uel ipsa operis difficultate domino deo omnipotẽti simpliciter obedire & subdi, magisq; ipsum humili deuotione per fidem & uitæ innocentia colere, quàm curiosa imperscrutabiliũ iudiciorũ suorum inquisitione euanescere, ut patebit.

Iudæi ludunt.

Hunc libri scopũ Iudæi ignorãtes, superuacanea diligentia inquirunt de progenie, loco & gestis Iob, cõtendentes eum suæ gentis sobolẽ esse ex Abraam natum, Iobab aliás dictũ filium Saræ de Bozra, qui habitauerit in Armenia, in prouintia Troiæ Cõstantinia urbe, quam opinor intelligunt Constantinopolim: nam propria rerũ nomina ferè cuncta corrumpunt, unde & hoc loco planè stulta cõmiscuntur, omniũ bonarum literarũ imperiti Iudæi, dissidentes quoq; nõ parum, quia quæ ad rem non spectãt, obmisso scopo stultè persequũtur. Ex nominibus hic positis & alibi Iudæi arguum historiã esse factam, quasi fictum argumentũ exhiberi nõ posit, affixis personarum nominibus. Stilus Hebraicus nõ respicit talem uetustatẽ, ut à Mose scriptus liber necessariò sit existimandus, quamlibet id Iudæi testentur, sed non probãt. Quod autẽ uir quispiã integer & rectus, Iob nomine, fuerit in terra Austitide uel Traconitide, cõtra Iudæos militat, ut non se solos credere debeãt domino deo uero curæ esse uel charos, sed in omni gente electos agnoscat, & dignos sui nominis & maiestatis cultores, etiã sine Mosaicis ceremonijs deo gratos: nedum in ea uicinia, sed toto orbe terrarũ dominum nosse quos elegerit. Iob autẽ dissyllabum nomen esse, & eiulantẽ significare, Hebræis notũ est. Fortassis à murmuratione uel eiulatu dictus, quem non ex impatientia ædidit, sed zelo uindicandi disputationis gratia, prouidentiã diuinam atque iustitiam, contra errores hypocritarum, & de sanctis suis operibus præsumentium. Simplex dicitur & rectus, non stupidus & imprudens, sed innocens & uitæ integritate perfectus, moribus incorruptus, & per omnia syncerus, domini quoque dei uerus cultor: quod in scripturis est timere deum, non esse idololatrã, agnoscere mũdi creatorem & gubernatorem. Qui autẽ talis est, absq; dubio abstinet pro omni uirili sua à malo, & quicquid deo placere nouit, & prodesse hominibus, instanter operatur: qui enim deum timet nihil negligit.

Iudæi nõ sola literæ curãt.

Simplex & rectus.

2 Natiq; sunt ei septem filij & tres filiæ.

Cordis diuitias ueras author primo exposuit, nunc opes corporis, quarum optimæ sunt liberi & hæredes. Septem autẽ filios habuisse paternarũ opum hæredes, administratores, rectores & possessores, pertinet ad clariorem felicitatẽ: filiæ autem tres ad iucunditatẽ cognationis, & affinitatis gratiã conciliare poterant.

Diuitiæ gratæ.

3 Et fuit possessio eius septẽ millia ouium, & tria millia camelorum, quingenta quoque iuga boum, & quingentæ asinæ, ac familia multa nimis: erat q; uir ille maior inter omnes orientales.

Peculio amplo fruebatur, animaliũ eorũ quæ ad uictũ & amictum oportuna sunt, & ad labores perficiendos necessaria, ad agriculturã, ad onera gestãda. Nihil hic de equis dicitur & equitibus, deq; militaribus copijs prorsus nihil, quia deũ timebat et ꝓximos diligebat. Vbi autẽ multæ diuitiæ sunt, necesse est adesse multos qui absumant, illisq; utãtur: ideo multa familia adfuit pro curandis tot animalibus omnis generis, quam ut Abraam religiose instituebat in fide & moribus, curã omniũ gestans & operas decernẽs & præmia. Pollebat quoq; inclyta et gloriosa fama, nedũ inter suos, sed etiã in externis gentibus magnus habebatur, felix & bonus. Est aũt præstantior honesta fama quantiscunq; diuitijs auri atq; argẽti.

Peculium amplum.

4 Et ibant filij eius, & faciebant conuiuia per domos unusquisq; in die suo. Et mittentes uocabant tres sorores suas, ut comederent & biberent cum eis.

Concordia & iucũdus fratrũ cõuictus, qui & sorores minimè auersabãtur, sed amãter aduocãt modestas, non se ingerentes, sed alioqui domi mansuras, ad felicitatẽ facit, cum alioqui rara sit gratia fratrũ, & substantia maior non raro discordiã inter fratres generare solet, sed patris institutione melius sentiebant. Erant autẽ horum cõuiuia honestißima quidẽ & plausibilia ualde. Periculum autẽ comessationis perpendẽs uir bonus & sapiẽs, iudiciorumq; dei neglectũ inter pocula timẽs, quanquã etiam ciuilis amicitia talibus nutriatur cõuiuijs, ideoq; nullius hic fratris domus negligitur, nullius officiũ contemnitur, etiã sorores non permittuntur abesse.

Fratrũ concordia.

5 Cumq; in orbem transissent dies conui
uij, mittebat (ad eos) Iob, & sanctificabat il-
los: consurgens q; diluculo, offerebat ho-
locausta per singulos. Dicebat enim Iob:
Ne forte peccauerint filij mei, & benedixe
rint deo in cordibus suis. Sic faciebat Iob
cunctis diebus.

Septima dies.

Patet etiam apud ethnicos septimũ diem religioni & sacrificijs deputatum fuisse, dum hic septimo die, post expleta septem dierũ septem cõuiuia, pius pater sacrifi cio uero & unico deo delato expiare studet apud deum si quid filij in septẽ diebus piaculi uel negligentiarũ ad= misissent, qd̃ sciret in multis multos semper offendere. Sic patres solicitã curam gerant pro filijs in timore Dei nutriendis, & in bonorũ temporalium abundantia non obluiscantur dei, à quo bona omnia suscipere se sciunt. Si itaq; recte instituãtur liberi, corporalis educatio faci lè consequetur. Nõ enim uidi iustũ derelictũ, nec semen eius quærens panem. Quanquã autem pro filijs sacrifi= cauerit pater, non tamen iudiciũ domini eis impendens amouere potuit. Parum enim pro te faciet aliena solici= tudo, nisi tu quoq; pro te resipiscas. Quia etiã si Noë Daniel et Iob pro filijs intercesserint impijs, nõ illos po terunt eripere ab intentato malo. Benedicere hoc loco pro maledicere sumitur, nõ absono modo loquendi alijs quoq; linguis, sicut et benedixit Naboth deũ & regem.

Aliena solicitudo.

6 ¶ Quadam autem die, cum uenissent filij dei, & assisterent coram domino, affuit in-
ter eos etiam satan.

Filios dei hoc loco accipimus nõ tantum ministros an gelos per quos administrat mundi cursum & opera, sed etiam pios & electos suos quorũ agit curam perpetuã, qui sese semper astare oculis dei non dubitent, nõ tantũ decima die ante diem propitiationis, ut fabulãtur impij Iudæi, quorum scrutatur renes et corda, quos denq; qui tangit, pupillã oculi offendit diuini. Inter quos et Satan apparet, cuius omne opus à diuina pendet prouidẽtia, ut non plus nocere posit q̃ dñs uelit. Nec aliũ nobis præ stituere deũ debemus, quàm ut semper nõ solũ cogitatus nostros inspiciat, sed etiã dijudicet, et corã angelis discu tiat in iudiciũ ueluti protractos, et impunitos nõ sinat.

Satan in filijs dei.

7 Cui dixit dominus: Vnde uenis? Et re-
spondit satan ad dominũ & ait, Circumi-
ui terram, & perambulaui eam.

Colloquutio mutua dei & satanæ scripturarũ more, & phrasi humana describitur. Alioqui deus angelis lo= quitur, cum suam uoluntatem inspirat: angeli de o, dum admirantur & scire deũ cupiunt quæ gesserunt, qui ea antequam facerem præsciuit semper. Circuit aũt diabo lus ad exercitiũ sanctorũ, & quærit quẽ deuoret, cui iu bemur fortes in fide resistere. A calumniando autem & impediendo retrahendoq; à bono & accusando nomen habet, ut satan dicatur, & aduersator calumniatorq; bo norũ. Regnũ enim dei in hoc mundo deus æstimari uult, quasi sit regia quædam, in qua calumniatores bonorum multos reperias, et uicissim honestos ac p̃ publico bono zelosos dñoq; charissimos, ubi semper æmulatio locum

Loqui angelorum.

habet, dum impij persequũtur bonos palàm & subdole.

8 Dixitq; dominus ad satan: Nũquid con
sideraſti (posuisti cor tuum super) seruum meum
Iob, quòd non sit ei similis in terra, homo
simplex & rectus, timens deum, & rece-
dens à malo?

Anthropopathos omnia accipienda sunt, & ad morẽ conficti argumenti, etiam si uere ut historia capiatur, ad hoc, ut qualis sit in hoc mundo piorum institutis doce atur, ut nemo de ea superbiat, nemo se perfectũ credat uel tutũ, omniaq; quæ gerũtur pendere à uoluntate pro uidentiaq; diuina. Quandoquidem & deus utitur im= probitate prauorum ad suã gloriam, et electorũ suorum exercet uirtutes, quas donat: reproborum quoque ma= litiam prodit, confundit & iudicat, manifesto & non reprobãdo iudicio. Inuidiam enim propriam satan pro= dere cogitur, et inde promouere ad alterorũ sanctũ, unde eum odio pietatis deijcere cupiebat: sic enim abutitur malitia malorũ deus ad profectũ piorum. Declaratur is esse rectus & integer coram deo, qui deũ semper habet ob oculis, uerctur omnia sua opera, & recedit à malo, hoc est abhorret ab omni improbitate, etiam si omne malum cauere nequeat, saltem odiat peccatũ quod com mittit, et resipiscere semper conetur: ad hoc enim sancti cadunt ut surgant fortiores.

Nisi nobis gloriam.

9 Respondens autem satan domino, ait,
Nunquid Iob frustra timet deum?

Satanæ improbũ desideriũ est, etiam sanctos non sui Satanæ ob= ceere sed tantũ ficte & hypocritice deum timere & co lere, nõ quia bonus & pater noster (abominatur enim maxime omne perfectũ opus) sed ut deum pro accepris tantum beneficijs diligant: hoc est, ut antur propter bo num utile deum amando, qualem et Iob esse crimin atur per calumniam, non potens ferre dignam laudem dei de sancto uiro, quẽ maxime odiebat, more filiorum suorũ, qui uruntur pietate fidelium, & uellent omnes impios esse, ut sunt ipsi. Satis aperte se semper prodit iniquitas & à sanctis facile dijudicatur, dum sui semper similes sunt in malo, & araneorũ more uenena diffundunt ac repudiato melle assumunt.

10 Nónne tu uallasti eum, ac domum eius,
uniuersamq; substantiã eius per circumi-
tum? operibus manuum eius benedixisti,
& possessio eius creuit in terra?

Inuitus uerum dicit, pergitq; reprehendere dei gratiã Odium & odire, quam electis dominus impartitur: dum reuera satanas sanctos in circuitu protegit, et nõ dormit custos Israẽlis, demaneq; consurgẽs prospicit omnibus necessitatibus fi liorum suorum, atriumq; piorum ut fortis armatus custo dit, proq; unius fide et iustitia, tota familia salua manet, imò ciuitas & regnũ, ubi obsequi illos cõtigerit sanctis maioribus & patribus familias. Quia itaq; in primis re gnũ dei Iob quærebat, omnia alia adijciebantur illi. Nec quispiam nocere poterat rebus personisq; familiæ illius, cuius paterfamilias tantopere à dño amabatur, quẽ me ioris faciebat omnibus & totius orbis habitatoribus.

11 Sed extende (paululum) manũ tuã, & ta-
ge

ge cuncta quæ possidet, nisi in faciem bene dixerit tibi.

Conatus satanæ. Sic dæmon & sui filij optare solent exitium pijs: et ut posßime maximè obesse, non uno & alteri, sed omnibus, qui nihil magis cupiunt q̃ ut pij peßime habeant. Vult autem ut omnia bona auferantur, ut tandem dominum deum blasphemet & maledicat sine cunctatione & ex furia, si quo modo tandem prorumpat in impatientiam, & seruire dño uanũ pronuntiet, & à timore dei suo exemplo multos abstrahat, id satan postulat, id molitur: sed frustra iacitur rete ante oculos pennatorũ: frustra aduersa sancto imprecatur, à quibus iuuantur & promouentur magis ac magis. Non est enim consilium contra dominum. Artibus satanæ illudere deus nouit.

12 Dixit ergo dominus ad satan, Ecce, uniuersa quæ habet, in manu tua (sunt) tantum in eum ne extendas manum tuam. Egressusq; est satan à facie domini.

Potestas satanæ. Non potest satan uel capitis capillum mouere citra domini uoluntatẽ, nec etiam porcos præcipitare nisi permissus. Sinit aũt dñs tentari suos, ut probentur, satan tentat ut perdantur. Sed & modus ponitur & limes fluctibus tentationũ. Non enim patitur suos deus nimiũ tentari, quin prouentũ facit, &c. Orandus ergo dñs ne inducat in tẽtationes, ne deserat militãtes cũ satana, ne permittat illum sæuire, & ut boni consulat fragilitates nostras pater clemẽs, & sua non destituat gratia, quicquid interim detrimenti in tẽporalibus perferendũ sit. Egressus aũt satanæ à facie domini, aliud non est q̃ obsequi suo malo, iudicio dei iusto, etiã dæmoni occulto, illusoremq; impium à clementissimo patre illudi, permittiq; suæ malitiæ, intra tamen mensuram bonitatis diuinæ immensurabilis, laxariq; desyderijs prauis implendis.

13 ¶ Cum aũtẽ quadam die filij & filiæ eius comederent, & biberent uinum in domo fratris sui primogeniti,

Securitas. imminente iudicio dei hominibus, solent præter solitum securißimè uiuere. Obruere solet Deus subito quos uult malis afficere. Sic accidit in diebus Noe & Lot. Et xerimus pax & securitas, repẽtinus interitus imminet. dies dñi noctu uenit, ut semper uigilemus. Cum enim dicimus Non hic necesse est credere peccasse filios, cum non hoc obuenerit illis, sed ad parentis tentationẽ, et ad salutem animarũ suarũ. Esset aũt malũ si anima immortalis non esset, et si deo quicquã esse malũ posset, cui oĩa uiuunt.

14 nuntius uenit ad Iob, qui diceret, Boues arabant, & asinæ pascebantur iuxta eos,

15 & irruerunt Sabæi, tuleruntq; omnia, & pueros percusserunt gladio, et euasi ego solus, ut nuntiarem tibi.

Calamitas non sola. Isti nuntij uera nuntiabant, & quod res erat, quamlibet scriptura non dicat: is enim mos est frequens, quæ intelligi plane possunt non explicare singillatim. Nulla calamitas sola, quæ si semel grassari cœperit, non desinit donec à spe omni excidamus. Perditis bobus et asinabus, spes erat in ouibus, quibus ablatis etiam supererat aliquod solatium in camelis: his quoque abactis liberi exactabant: sed nec parcitur illis, quin omnibus bonis suis carnalibus priuatur Iob, ut discat solo deo datore niti. Patet nõ Armenos, Thraces, sed Sabæos et Arabes habuisse uicinos. Nuntiantur mala multa et subita, ut super uulnus uulnere irrogato impatienter ferat. Callidus hostis non tam iactura rerum, quàm ordine nuntiorum perturbando tentat. Prius parua nuntiat, post maiora, tandẽ mortem filiorum, ut gradatim deteriora audiens in eius corde omne uulnus proprium doloris sensum & locum inueniat. Euadit tantum unus, ut miseriarum infelix & calamitosus superfit nuntius. Nuntij ordo.

16 Cũq; adhuc ille loqueretur, uenit alter, & dixit, Ignis dei cecidit è cœlo, et tactas oues pueros q; consumpsit, & effugi ego solus, ut nuntiarem tibi.

17 (Sed &) adhuc illo loquente uenit alius, & dixit, Chaldæi fecerũt tres turmas, & inuaserunt camelos, & tulerunt eos (nec non) & pueros percusserunt gladio, & ego fugi solus, ut nuntiarem tibi.

Non solũ rebus perditis, sed uerbis quoq; nuntiorum tanta calliditate instigat satan ut credat ob irati dei iudicium de cœlis illũ & sua omnia peti, ut frustra credat se tot semper sacrificijs placasse dñm, illiq; per uitæ sanctimoniam seruisse inaniter. Iudicãte igitur dño nulla creatura consistit, fluit quicquid uspiam est rerum á facie domini, quasi cera à facie ignis, et quasi fumus à uento dissipatur. Proinde si reliquiæ supersint, in exemplum à domino ordinantur, & ut adnuntietur iustitia dei. Satanę tentatio.

18 Adhuc loquebatur ille, & (ecce) alius intrauit, & dixit, Filijs tuis & filiabus uescentibus & bibẽtibus uinum in domo fratris sui primogeniti,

19 & ecce uentus uehemens irruit à regione deserti, & concussit quatuor angulos domus, quę corruens oppressit liberos tuos, & mortui sunt, & effugi ego solus, ut nuntiarem tibi.

Post ablatam totam possessionem armentorum & pecorum, liberos charissimos aggreditur, atrocissimus humani generis hostis & piorum persecutor, idq; permissione, imò iudicio diuino, etiã si filij sancti uiri in timore domini religiose instituti non peccassent: quos dominus in exercitium sancti, & in exemplum orbi, & ad doctrinam patiẽtiæ omnibus sæculis dire occidi uoluit per maligníssimum satanã, qui quod sancte deus ordinat circa electos praua exequitur uoluntate, iamdudũ iuste damnatus propter inuidiam & odium in deum & homines. Liberi sanctorum.

20 Tunc surrexit Iob, et scidit uestimẽta sua, & tonso capite corruẽs in terrã, adorauit.

Surrexit ad tot horribiles nouitates uir pius, humanum aliquod sine dubio passus, quod etiam Christus pro passione sua ostendit sine peccato ferri in sanctis posse. Primi enim naturæ motus quamlibet inordinati à domino non imputantur, ideo peccatũ non sunt. Scisso uerò uestimentorum de more gentis, & temporis animi con- Humanum pati.

turbationem sequens, non est magnifaciendā, maxime quæ cum med.ocritate erumpit. Sicut & capillorum rasura tristitiæ et mortis liberorum & charorum signum habebatur. Quod autem procidit in terram & adorauit, sine dubio dominum, propẽssimam in deum fidem, & resignatam in dominũ uolũtatem comprobat, quod flagellantis dei iudicium moderato dolore pertulit, & ex necessitate, quod dicitur, uirtutem formauit: ad id nõ libertatis puro arbitrio, sed dei gratia adiutus, ad exemplum omnium sæculorum satanæq; deceptionem, quem male habuit uirtus tanta in humano pectore à Domino commendata.

21 & dixit, Nudus egressus sum de utero matris meę, et nudus reuertar illuc. Dominus dedit, Dominus abstulit (sicut domino placuit, ita factum est) sit nomen dñi benedictum.

Fides cum humilitate.

Credidit uir sanctus, non sine causa omnia hæc facta, domino iubente. Quem & confitetur autorem uitæ & mortis: à quo solo largiẽte habeat uiuere, sentire & esse omnis homo, cui acceptum refert initium uitæ & mortis. Nudum se fatetur exijsse iuxta fragilitatẽ conditionis humanæ de miserrimo ergastulo materni uteris: qua miseria quid in omni creatura potest uideri miserius, & idem mirabilius in omnibus dei operibus? Et magnam omnium animalium & hominum amantissimam matrem A retiam terram ipsam, se sponte, domino iubente denuo ingressurum promittit. Omnium bonorum largitorem agnoscit & collaudat, qui sponte & sine meritis collata beneficia repetere ut sua possit, dum uelit, cuius maie statem & sacrosanctum nomen cupiat à se & ab omnibus benedictum esse, qui omnia benefaciens, offendere in nullo possit uel errare.

22 In omnibus his non peccauit Iob, neque dedit stultum (quid) cõtra deum (locutus est.)

Cum itaque ad satanæ instantiam tanta passus esset, tot calamitatibus tentatus, non uirtutem & robur spiritus pij amisit, domino largiente, et spiritu scripturæ attestante, à quo omne bonum: et non solum facto, sed nec

Verbum stultum.

ore quidem contra deum quippiam locutus est. Non uerbum aliquod insulsum, prauum & inconditũ stultumq; contra deum elapsum est. Sanctus enim erat, & donec domino sustentante stetit in patientia & fide prouidentiæ dei, non imputata illi fuit humana quæcunq; fragilitas, nec in opere, nec in sermone.

¶CAPVT II.

1 FActum est autem, cum quadam die uenissent filij dei, & starent coram domino, uenisset quoq; satan inter eos, & staret in conspectu eius,

Vnico domini dei aspectu cognoscuntur omnia, & solo nutui obediunt uniuersa: utitur tamen ad suum ministerium

Angelicum ministerium

angelis spiritualibus sine numero creaturis, ad opera gubernationis, ut hic, in Daniele, in Christi uerbis & factis discitur. Et nostro quoq; loquẽdi modo scriptura loquitur, quia angelorum uoces & colloquia consequi nos homines (quamuis de hoc etiã scholastici multa disputent & acute) non ualemus. Astant deo ministri sui, potentissimo regi satellites. Inter quos pro dispensatione dei consistunt etiam illi, qui calamitates & pœnas domino iubente inferunt. Cui etiam dæmones subiecti sunt, ut sine prouidentia speciali Dei omnipotentis nihil possint, etiam si deprauati uoluntate, pessima homuni uelint, domino tamen parere coguntur.

2 & dixit dominus ad satan, Vnde uenis? Qui respondens domino, ait: Circumiui terram, & perambulaui eam.

Etiam satan operum suorum rationem dare iubetur. Ratio quanto magis homo rationem redditurus est Domino, pauusq; ad uerbum otiosum? Non ignorabat deus quid egisset, sed humano more loquendi humana conscribuntur, ut intelligantur ab hominibus etiam diuina iudicia. Non fatigatur aduersator, neque dormit tentator, ut uigilia opus sit pijs, & fide in dominum, qui & ipse non dormit nec dormitat custos Ierusalem, apud quem est copiosa redemptio, qui adiutor est in tribulationibus. Iterum autem deus omnium gentium pater et iudex ostenditur, non solum Iudæorũ, & eius terræ quam nominat suam hæreditatem, Israeliticæ scilicet. Terram enim circuisse totam intelligitur, minister dei, & ubiq; inuenisse quid ageret ad mandatum omnipotentis.

3 Et dixit dñs ad satan, Nunquid (consideraasti) posuisti cor tuum super seruũ meũ Iob, quod non sit ei similis in terra, uir simplex & rectus, timens deum, & recedẽs à malo, & adhuc retinens innocentiam suam? Tu autem cõmouisti me aduersus eum, ut afligerem (deuorarem) eum frustra.

Scrutator cordium & renum deus à seruo spiritu quæ rit, ut respondeat, non ut sciat. Iam autem de satana triumphum egerat Iob, & insigni deuotione in deum suum ceperat correptionẽ, et in uirtute perstiterat, nõ humanis uiribus, sed gratia dei, quamuis nostro modo loquendi ipsum ex sua propria persuerãtia et fortitudine commendare uideatur dominus, quia sibi placet quod illi deberat, ut sanctus esset, ea probitatis & integritatis mensura, quam dominus præstitisset: ne quis suis uiribus Probitas quasi sibi uindicet. bũ perseuerasse suspicaretur in patientia & longanimitate, & Domino seruiuisse de proprio, & præ cunctis mortalibus iustitiam conseruasse. Hæc enim domini dona sunt, & nõ merita proprie loquendo, bene tamen à bonitate dei data et suscepta tanquam digna præmio: cum non sint condignæ passiones huius sæculi ad futurã gloriam. Nec humanarum uirium est timere deum, recedere à malo, rectum esse & integrum, perseuerare in integritate. Quod autem addit, Prouocasti me tu contra Iobum frustra, humana locutione dicitur: quasi dicatur, Tu conatus es res illius affligere, & de statu perfectionis præcipitare, & totum quasi deuorare te me permittente, sed nihil effeci sti, adhuc enim quod acceperat, innocentiæ munus seruauit.

4 Cui respondens satan, ait: Pellem pro pelle, & cuncta quę habet homo, dabit pro anima sua:

alioquin

5 alioquin mitte manum tuam, & tange os eius & carnem (*& tunc uidebis quòd*) si non in faciem benedicat tibi.

Transitio corporis & mentis.

Malitia satanæ domino seruit ad gloriam, & electis hominibus ad profectum uirtutis. Quid dæmon uoluerit intelligi per pellem pro pelle danda, statim explicat. Omnes diuitias scilicet leui iactura perdi, & quicquid homo familiare possidet rerum externarũ facile amitti posse, & leuiter ferri damna rerum, quamlibet chararum, modo salua sit cutis, modo corpus sanum & incolume perseueret. Tentationes in externis facile uincuntur, nõ sic in corpore & uita. Sic inquit satan, magnum non est Iobum æquanimiter tulisse damna filiorum, dum saluus ipse perseuerare permittitur, sed tange carnem & ossa eius, compages quoque neruorum eius. Hoc sit iudicium patientiæ eius, ut oßium tormenta absq; murmuratione sufferat, ut corporis proprij dolores absque reprehensione iudiciorum tuorũ sustineat, & sine blasphemia tui nominis patiatur. Sic semper dæmõ cum sua posteritate & familia, pios diuexare satagit, ut im blasphemiam dei præcipitentur, & deum negent, & digno honore fraudent creatorem, ingratitudinis & superbiæ uenena alant in pectore hominum, & diuino honori detrahatur, augeanturq; peccata reproborum, & piorum transgressio. Discimus non nos tutos esse si unã & alteram dæmonis tentationẽ uicerimus, illico aggreditur & tentat fortius domino permittente ad exercitium piorum, ut semper uigilare discant & studeant.

6 Dixit ergo dominus ad satan, Ecce ipse, in manu tua est, ueruntamen animam illius serua.

Permißio uidebatur, sed erat ordinatio dei, cui etiam satan subiectus à domino regitur, ut non quantum uelit nocere posßit, sed inde promouet unde opressum cupiebat sanctum. Eodem opere deus exercet pium & illudit impio. Cedit potestatem in corporis sanitatem, sed uitam et spiritum, rationem et iudicium intellectus illibata uult, & non impedita.

7 Egressus igitur satan à facie domini, percussit Iob ulcere pessimo, à planta pedis sui usque ad uerticem eius,

Egreditur deus.

A facie domini egreditur, qui male agere aggreditur. Et satan quidem bonum agit, & obsequitur domino, sed peruersa uoluntate, cupiens nocere uehementer peccat, & iustæ damnationis conscientia grauatur. Sic malis abutitur ad bonum dominus: & qui seipsum non lædi potest. Sic impij homines quoq; male agendo, domini uoluntatem implent suo malo. Grauißimo ulcere percutit Iobum, & late sparsum per unuersum corpus inurit multo perpetuoq; dolore, ut in toto corpore sanitas non adesset alicui membrorum. Quale id ulcus fuerit & quod infirmitatis genus, & si pustulæ fuerint, quales nostro uidimus tempore incepisse nostris terris, superuacaneum fuerit inuestigare. Iobum autem pro hoc perpesso malo, tutelarem deum contra huiusmodi languorem statuere, sacrilegum est, & deo abominabile, ne quis putet cuicunq; uiro sancto talia grata fore, multò minus beatißimæ uirgini quo sanctior est sanctis cæteris.

Vlcus Iob.

8 qui accepta testa saniem radebat, sedens in medio pulueris.

Exprimitur ingens miseria tam felicis olim & magnifici uiri, qui filijs et famulis destitutus, ac opportunitate medelarum omnium, uir tam sapiens & doctus, saniem horribilem ipse sibi scalpendo abstergere cogebatur, & hoc non molliculo absterßorio, sed rigida testa, quæ ad manũ erat sedẽti in loco squalido et stercoribus commaculato, ut totus sibi mundus aduersari uideretur, & absque omni solatio sanctum destitui. Pauperiem extremam id significare potest, & austeritatem, ut ubi caput reclinaret & molliter uulnerata membra componeret non haberet, humi sedens & in pulueribus, uel luto.

Infelicitas & paupertas.

9 Dixit autem illi uxor sua, Adhuc tu permanes in simplicitate tua? benedic deo, & morere.

Reseruauerat diabolus mulierem, ut saltem per eam uinceret, qui per uxorem uicerat primũ hominem. Qui enim per uniuersa supplicia atq; commenta cogere ad blasphemiam non potuit, muliebri persuasione à patientia deijcere aggressus est. Quandiu autem hæc patientia durarit, quandiu tantis plagis affectus fuerit, nõ quidem scribitur, sed ex ueriſimili cõiectura diu passum talia, etiam antiqua litera habuit, plurimo autem tempore interposito. Cum scilicet Iob perseueraret & non immutaretur fide, pietate, patientia, gratiarum quoque actione, dixit illi uxor, diabolo prouocata, suapteq; natura ad irritandum idonea suppellex, et impatientiæ faces applicare alioqui cõmotis aptißima, doletq; illi integritas uiri & constantia infracti animi, simplicitatemq; laudabilem, & probitatem uirilem interpretatur stolidi tatem & stuporẽ animi: ut solent mundi amatores pietatem sanctorũ existimare insaniã. Benedic, ait, deo & morere. Maledic domino, & committe in eum blasphemiam, pro qua deus te statim occidens tantis eximat intolerabilibus malis. Moses Gerũdensis exponit: Gratias age domino de perpeßis malis, & cupias post hac magis mori quàm mortem differri.

Tentatio ab uxore.

10 Qui ait ad illam: Quasi una de stultis locuta es, si bona suscepimus de manu dei, mala quare nõ sustineamus? In omnibus his non peccauit Iob labijs suis.

Vir sanctus quamuis proprias hactenus afflictiones æquanimiter tulisset, iniuriã tamẽ dei absq; iusta reprehensione sustinere non debuit. Quia aũt sensus nõ sexus in uitio est, nõ ait, Sicut una de mulieribus, sed de stultis mulieribus loquuta es. Quæ inter Origenis opera, super librũ Iob cõmentaria circũferuntur, nemo credat esse tanti doctoris tam fœmineæ loquacitatis ineptias. Copiose quidem scribit, sed longe maturius. Sunt aũt simiæ cuiusdã stultæ æmulationis opificis neniæ, quæ è Græcis interpretibus occasio loquacitatis arrepta est, qui hic plurima addidisse uidentur. Hoc autẽ uerbũ Iob magnæ patientiæ & prudentiæ index fuit: quasi diceret, Non

Origenes in Iob.

tibi imputo hæc tua uerba, ô mulier, non tu sola es tam insipiens & leui iudicio, sed ex multis similibus tibi te esse insipientem cognosco, quæ dei prouidentiam circa me iudicare & increpare præsumis, & alioqui corpore fatigatum, etiam animum conaris ut cadat impellere. Expedit magis ô uxor, ut in tempore aduersitatis memores simus bonorum, quæ suscepimus de manu domini, quæ quanta tunc fuerint nunc melius sentimus.

Flagella dei ferre.

Cumq; nulla sint nostra apud deum merita, sed in peccatis iugiter uersamur oēs, æquanimiter ferre Dei flagella nos conuenit, qui nouit optime, quid quo tempore & qualia nobis immittere debeat bona uel mala. Humana aūt consuetudine, bona hic appellat diuitias, gaudium, sanitates & gloriam: uicißim omnium harum rerum iacturam malum appellat, cum quicquid deus in orbe faciat, bonum sit, quia ipse bonus. Sicut itaque illa libenter suscepimus, sic ista cum gratiarumactione, et in illius uoluntatem resignati supportemus. In omnibus autē his dictis, non peccauit Iob labijs suis, sed perstitit in sua

Innocentia Iob.

ad deum fidutia, & ad tot grauißimas tentationes inconcussus perseuerans: quomodo fieri potest, ut temporis tantum lapsu nihil subinde grauius passus mentē mutauerit, & ad impatientiam prolapsus postea fuerit? Sed quæ cum amicis uerba conseruit quomodo sint capienda patebit. Interim indubia adhibenda fides est præsentibus uerbis, ut patientiam non amiserit, & tamen in uerbis disputationis suæ contra amicos falsa pleraq; dixisse agnoscit, & fatetur ingenue, dño redarguente & propitiante.

11 ¶ Igitur audientes tres amici Iob omne malum istud quod accidisset ei, uenerunt singuli de loco suo, Eliphaz Themanites, & Baldad Suhites, & Sophar Naamathites. Condixerant enim ut pariter uenientes uisitarent eum, & consolarentur.

Amici Iob quales.

Vera amicitia aduersitatis tempore comprobatur. Nihil quidem reprehenditur nunc in amicis Iob. Specimen enim candidi pectoris etiam in aduersitatibus personis suis non per seruulos exhibent, cōdicunt & se mutuum adhortantur ad officium pietatis, afflictum uisitant, compatiuntur, complorant, uestes disrumpunt, spargunt puluerem in caput, humi considunt, pro uiribus consolantur. Audientes autem impatientiæ uerba instruere conantur, sed more eruditionis sæcularis, prouidentiæ diuinæ infallibiles regulas humana sapientia non integre capientes.

12 Cumq; eleuassent procul oculos suos, nō cognouerunt eum. Et exclamātes plorauerunt, scissisq; uestibus sparserunt puluerem super caput suum in cœlum.

13 Et sederunt cum eo in terra, septem diebus & septem noctibus, & nemo loquebatur ei uerbum. Videbant enim dolorem esse uehementem.

Ex distantia adhuc remoti, qua nosci poterat, nō eum

agnoscebant, quia eo in statu ipsum nunquam uiderant. Probe autem homine uiso et agnito condoluerunt, & tantopere adflictum importuna illum loquacitate molestare cessarunt, quòd consolator loquax nouus esse morbus ægroto soleat. Qualescunq; autē fuisse scribantur, eruditio insignis & illius temporis religiosa in illorum uerbis apparuit, si impijs hominum opinionibus, & ipsis quoq; Iudæorum doctis et sciolis componantur. Qui tamē et ipsi tentatione satanæ permoti sunt, ut ex grauißimo dei iudicio contra ipsum arguerent, eū peßimum in conscientia & opere coram deo fuisse & hypocritam, cuius nunc malignitatis iustas pœnas luere cogeretur, ut patet ex uerbis ipsorum. Accessit quoq; loquendi modus quo Iob utebatur non sine consilio dei, à quo omnia ordinantur.

Eruditio illius temporis.

CAPVT III.

1 POst hæc aperuit Iob os suum, & maledixit diei suo.

2 Et respondit Iob, ac dixit,

3 Pereat dies in qua natus sum, & nox in qua dictum est, Conceptus est homo.

Instruit Iob colloquium & disputationem cum amicis suis, & ausum causamq; loquendi inducit, huius mortalis uitæ & status miseriā describens, & poetico more tractans, more eorū loquens, & personā gerens grauissima patientiū mala, & iudicia dei accusantium circa eos, cui cum iusti sint, et uirtutū studiosi, humano more, qui scilicet sine querela inter homines uiuunt, omnibus bene uolunt ac bene faciunt, infortunijs tamē multis inuoluuntur, & casibus sæpe nimium duris: quod & sibi contigisse plangit: cū conscientia sua teste, innocēter et recte uixerit, et nulli nocuerit, deū timuerit semper, adorauerit solum, filios quoque ad dei timorem nutriuerit, crimen nullū cōmiserit, et à nemine poßit improbitatis accusari. Non quidem sine omni peccato se uixisse testatus, sed tantam iudicio hominum prudentum calamitatem nullis criminibus meruisse, ut non immerito cum multis sanctis, etiam prophetico spiritu claris, Dauide et Habacuc, uehementer obstupescere cogatur ad iudicia dei, optimos adfligentis non raro in hoc mundo, & peßimos extollētis per fortunæ effectus multos & magnos. Quasi dicere uelit Iob, audientibus amicis: Quis unquā mihi uisus & inuentus est infelicior? Quis uitā uixit ærumnosiorem? Quis non odiat illud tempus, ea fata, quibus urgentibus natus sum ego, tam miser, & omnium hominū calamitosißimus, qui tantis aduersis implicor, unde explicari nequeam? Hoc autem agit modo loquendi Iudaico, quem & apud Ieremiā legimus, quo ueluti per excessum impatiētißimi animi effutiuit, quæ & nunquam ante cogitauerat, & impoßibilia esse non dubitat. Sic tamē loquitur per excessum, nihil aliud intendens, quàm explicare magnitudinem aduersitatis quam patiatur, & iudicia dei reuocare in dubium, si sic se tendant ad inferiora hæc gubernanda. Id quoque Rhetorico & poëtico more describitur, quo sanē usi non

Qualis in patientia.

Liber is quando scriptus

non sunt inter colloquendum, sed author libri Iob, post restitutam fortunam complacito sibi stilo disceptationem istam eruditissimam certe, & elegãtem, omnia pietatis & moralium dogmatũ conscripsit, exornauit, & locupletauit, spiritu diuino imbutus, & forma loquendi usus, qua solent amici eruditi disputare, ac uerbis nonnunquam adfluere, & se mutuũ capere non potentes, uel dissimulantes, ex uerissimis assumptionibus, & subsumptionibus, neglecta forma syllogistica, et elenchis suppositis, discrepare uerbis & argumentis, cum reuera non dissentiant multum sententijs, de quibus suo loco aptius. Hic impatientiũ more maledicit diei, in quo natus sit tam infelici sidere: nocti intempestæ, qua saluũ se euasisse ex matris utero contigerit, quem præstaret nec conceptum fuisse, nec natum.

4 Dies illa uertatur in tenebras, non requirat eum deus desuper, & non illustretur lumine.

5 Obscurent (polluant) eum tenebræ & umbra mortis, occupet eum caligo, & inuoluatur amaritudinibus diei.

Natalis dies.

Vtinam dies natalis mei non illuxcesceret unquam, uel illuxisset nunquam: utinam è numero dierum illam deus eradat, & nunquam redire sinat, nec boni aliquid deus unquam agat eo die, nesciatur à deo, & splendor illustrissimi solis eum diẽ non irradiet: sit ista dies inter pollutissimas, abominabiles & nebulosas ac horribiles anni dies, quam abominentur & reformident omnes homines, & uelut umbra mortis habeatur, in qua multi & optimi uiri auferuntur de medio atque desyderatissimi: caligine horribili tota laboret, ut nemo ambigat inter nephastos & creticos illum diem censendum semper et ab omnibus: timeant & reformident eam diem omnes homines, ueluti diem amaritudinum, infortunatissimũ, & perditionum, diem pestilentissimum.

6 Noctem illam tenebrosus turbo possideat (arripiat) non computetur in diebus anni, nec numeretur in mensibus.

7 Sit ecce nox illa solitaria, nec laude (exultatione) digna:

Dum incertum sit interdiu natus sim an nocte, opto, ut nox quoque ista, caligine horrida occupetur, ne stellæ ei nec luna luceant, nemo lætã ducere possit, uel quietam: non supputetur cum reliquis temporibus anni, uel mensium: ignominiosa sit & horrore omnibus tædiosa, ut nemo quicquã iucunditatis in ea sentiat. Poetica sunt omnia, et phrasis carminum Hebraicorum, ubi non tam syllabarum numerus, & cadentia, quantitasq; attenditur, auriumq; tinnitus, quàm sensuum pondus, maiestas sententiarum, amplificatio erudita, & excessus plausibilis, & amœnissimus cothurnus cum sententijs magnificis, qualis certe uix apud poëtas utriusq; linguæ inuenitur.

Poetica Hebræorum.

8 maledicant ei qui maledicunt diei, qui parati sunt (in futurum) suscitare Leuiathan.

9 Obtenebrentur stellæ crepusculi illius:

expectet lucem, & (non) sit, & non uideat ortum surgentis (palpebras) auroræ.

In prouerbium abeat omnibus, qui tempus infaustissimum maledicere cupiunt, uel assueti sunt, ut ueluti tempestas omniũ infortunatissima blasphemetur, & qui calamitates prædicunt & luctuosa tantum, quos Leuiathan turbatos reddit et pernitiosius ac adflat, illam præ omnibus noctẽ detestentur, in qua semper infortunium aliquod accidat hominibus, ut diabolus ipse et satan, noctis illius dominus & gubernator uideri possit. Nullum illi asit stellarum solatium, caligo eius densissimæ tenebræ sint, & horror diuturnus occupet illam, ut de subsequuturo diluculo homines ueluti desperare cogantur. Eam noctem non subsequatur dies, non aspiciant gradum orientis astri qui horoscopum calculant eo die, non aperiat unquã hic dies oculos suos, sed palpebras claudat ut diu eius perseuerent tenebræ.

Leuiathan.

10 Quia non conclusit ostia uentris mei, nec abstulit molestiam ab oculis meis.

11 Quare nõ ex uulua mortuus sum? egressus ex utero (non) statim perij?

12 Quare exceptus sum genibus? cur lactatus uberibus?

Causam maledicendæ noctis ac diei & temporis explicat, quia non impediuit tam infortunatæ natiuitatis fœtum, quo minus procederet in lucem, tantis angustijs implẽdum: quia melius fuisset omnino non nasci, uel natum illico mori quàm uitam agere tam ærumnosam, & scatentem tantis molestijs. Cur non protinus ut de matrice ueni mortuus sum? Cur cum de uentre prodijssem genitricis, non statim occidi? Cur exceperunt infelicem partum genua parturientis, et intra claustra non potius enecatus sum? Et ad quid mammam suxi?

Ortus miserabilis.

13 Nunc enim dormiens silerem, & somno meo requiescerem,

14 Cum regibus & cõsulibus terræ, qui ædificant sibi solitudines:

Id si factum esset, nunc in terræ sepulchro iacerem quietus, tantam ignorarem huius mundi molestiam, dormirem absque angustia, quiescerem cum sorte reliquarum animarum, non essem deterioris conditionis quàm sunt reges potentissimi olim mortui, & gubernatores orbis, qui pro nomine celebrando ad posteros ædificarunt excelsa palatia, ab alijs deserta & uastata restaurarunt, nihilominus tamen æquè cum pauperibus mortui sunt, & cum abortiuis perierunt de hac uita: quid nunc patiantur illi post fata non iam cogito uel curo, multo melius haberem nunc, quàm tam horrendis nunc subiectus calamitatibus.

Quies sepulchri.

15 Aut cum principibus qui possident aurum, & replent domos suas argento:

16 Aut sicut abortiuum absconditum non subsisterem (uel sicut paruuli) qui cõcepti non uiderunt lucem.

Similis essem & non infelicior dominis rerum in hoc

ſæculo, qui aurum poſſederunt infinita copia, quorum domus refertiſſimæ erant quondam omnigenis diuitijs argenti & pecuniarũ. Vbi uanitatem ſubinde taxat obiter diuitum huius mundi, qui eiuſdem penè ſortis ſunt, & ferè infelicioris, quàm abortiuorũ, quæ cælantur ab obſtetricibus, ne cernantur ab hominibus, & ipſam lucem ſentiant, ſed ab utero feſtinatur ad tumulum.

Diuitum uanitas.

17 Ibi impij ceſſauerunt à tumultu, & ibi requieuerunt feſſi robore.

18 Vincti pariter (qui) ſine moleſtia ſunt, nõ audierunt uocem exactoris.

19 Paruus & magnus ibi ſunt, & ſeruus liber à domino ſuo.

In eo ſæculo animarum eſſem, ubi tyrannorum & uiolentorum hominum ceſſat tumultus, ubi quieſcunt ires fatigatorum, ubi tyrannorum olim ſubditi nunc redempti ſunt & erepti, mercenariorum opera caſſauerunt, ſeruorum infelicitas deſijt, uincti & fatigati olim nunc feliciter quieſcunt, & uel morte liberati ſunt ab afflictionibus, & ab oppreßione improba exactorum, ibi quoq; nullus eſt perſonarum reſpectus, ſeruus æque ac dominus ſorte ſua contentus eſt, qui licet inæqualiter uixerint, ſimiliter tamen mortui iacent ſecundũ ſua corpora quicquid de animabus ſentiant impij. Quibus uerbis docetur miſerrima conditio huius uitæ, ſuperborum & impiorum uanitas, iuſtumq; iudicium domini. Oppreſſos autem liberari per mortem non aliter accipiendum, quàm pro more ſæculariter loquentium, ut ratio humana iudicare ſolet, cum reuera mors impiorum infelicitatis ſit extremæ exordium. Non autem hic docetur impio murmure, & mortis impotenti uoto iudicium domini repellendum, ſed uitam præſentem ſpernere, & futuræ quietis ſortem non timere.

Miſeria humana.

20 Quare miſero data eſt lux, & uita his qui in amaritudine animæ ſunt?

21 Qui expectant mortem, & nõ uenit: quaſi effodientes ipſam ex theſauris.

22 Gaudentq; uehementi gaudio, qui gaudent cum inuenerint ſepulchrum.

Ad quid naſcuntur in hoc ſæculum, hi qui tam miſerrime ſunt uicturi? Quæ talis nouerca naturæ humanæ ut fœtus ſuos profundat ad tam ærumnoſos labores, et cum toties mori cogantur, qui infeliciſſime uiuunt, cur non liberantur per mortem calamitoſi, qui tantopere mortem cupiunt, & aſſequi non datur? quin iſti optatiſſimam mortem requirentes uiuere coguntur: & ego mori cupiens uiuere cogor, & qui ueluti gratiſſimum theſaurum ex abſcõditis terræ uenis eruere mortẽ, & conſequi uellem, infeliciter reſeruor ad pœnas, et cruciatus ſine intermiſſione ſuſtinere compellor.

Nouerca natura.

23 Viro cuius abſcondita eſt uia, & circumdedit eum deus tenebris.

Talia cogitat, loquitur & patitur animo, qui ſui obliti conditionisq; ſuæ rationem non cogitat, & ſe creatori ſuo non per omnia ſubijcit, cui abſcondita ſunt iudicia Dei circa humanum genus, qui dei prouidentiã non clare intelligit, & huius mundi aduerſitates non reijcit

Verba ſine ratione.

in gloriam dei ex eis promouendam, uel in exercitiũ pio rum, ut religioſius proficiant, uel ad exemplum patientiæ, et timoris dei, ad inſtantiam priuatarum etiam orationum, uel ad glorificationem amicorum dei: quos hoc pacto ſpectaculum proponere ſolet dominus, & ſpecu lum uiuax uirtutum, quod æmulentur electi. Talibus quoq; cancellis deus cohibet homines pios, ne peccent, Cancelli ſed erudiantur ad bonum, & per aduerſitates corporis deus cohibet à transgreßionibus mẽtis. Non raro enim deus ſtimulum adhibet ſuis, ne recalcitrent, & ut uirtus in infirmitate perficiatur.

24 Antequam comedã, ſuſpiro, & quaſi inundantes aquæ, ſic rugitus meus:

25 Quia timor quem timebam euenit mihi, & quod uerebar accidit.

Nunc autem non comedo cibum meum abſq; gemitu, licet enim mihi conſcius non ſim de crimine, quo deum uehementer offenderim, timeo tamen ne ſecus atq; ego de me iudicet: proinde plango infelicitatem meam, et hilaris eſſe non poſſum. Stillantq; uelut aquis oculi mei, dũ rugio & clamo ad deum, in tantis conſtitutus miſerijs, quod omnibus meis ſtudijs & ſacrificijs præuenire non potui, tantum malum perpeſſum in filijs & mea perſona, quod ego ſemper reuerebar, quin offenſam dei rigorem q; iudiciorum eius & incidere in manum omnipotentis uehementer ſemper timui: et ecce quod timui incidi, quod uerebar nunc ſentio. Timor hominum.

26 Nónne diſſimulaui? nónne ſiluí? nónne quieui? & uenit (ſuper me) indignatio.

An non feliciter uiuebam inter homines, & imigilabam ſtudioſe, ne deum offenderem? & quoad potui ſedulios meos docui, ne in deum peccarent & maledicerent. Iudicij dei Quietus fui, et tam graue dei iudicium contra me nunquam timui, teſtimonium mihi præbente mea conſcientia, quod domino fidere ex animo, nihilq; antiquius amarem q deo placere, & de illius bonitate cõfidere quàm maxime. Sed fefellit me mea expectatio, aliter deo uiſum eſt, pauor & timor inexpectatus me corripuit, & indignatio dei præter commerita mea me inuaſit. Poſſet etiã legi per affirmationem, ut dicere putetur: Nunquam ſelicem me credidi, nec unquam quietem ambiui nec expectaui, nihilominus tam grauiſſima ſentire cogor tormenta. Huiuſmodi autem uerbis ſuis Tragicis teſtatur doloris ſui magnitudinem, ut mortem malit quàm uitam eligere, quibus & ſubſequenti diſputationi occaſionẽ præſtat amicis ſuis. Summa huius capitis. Miſerrima eſt conditio huius uitæ, præſtare non eſſe genitũ, uel ſtatim ab utero mori, alio ſæculo excipi, ubi omnia non tam diſſimiliter obueniunt: hic nemo euadit miſerias quamlibet bonus & prudens.

¶ CAPVT IIII.

1 RESpondẽs autem Eliphaz Themanites, dixit:

Admirabantur abſq; dubio amici Iob, ui dẽtes innumeris plagis adflictũ, unde tãta illi calamitas incidiſſet, quẽ nouerant non ſolũ optimum extitiſſe

extitisse uirum, sed etiam prudentissimum. Videntes aũt grauissimam dei manũ super eum, aliud cogitare secundum hominẽ non poterãt, quàm grauiter eum peccasse contra deum & commeruisse pœnam quam ferret, saltem pro peccatis quibusdã occultis. Persuasi enim erant iustum deum non punire nisi impios, bonis fautorẽ esse & propitium. Fallebantur autẽ in eo, quod pœnam arbitrabantur, & mulctam, quod erat tentatio & exercitium, exemplum & doctrina piorum. Ideo primus eorũ Eliphas taxat eum ut ex uerbis blasphemum, et minime deo gratum, sed puniri tantopere ut tandem resipiscens oret deum pro uenia.

2 Si cœperimus loqui tibi, forsitan molesté accipies, sed conceptum sermonem tenere quis poterit?

Sic reddi potest: Num si tentauerimus loqui uerbum ad te molestè feres? Si tentauerimus, inquit, tibi quæ sentimus loqui, molestè feres uerba nostra. Cogimur enim sententiæ tuæ aduersari, & non loqui placentia, quamtumlibet te consolaturi aduenerimus. Maior est aũt nobiscũ ueritatis amor, quàm æstimatio amicitiæ & fauoris. Nõ igitur cohibere sermonẽ ueritatis possumus, quẽmente concepimus, ne te duplo miserum relinquamus, corpore flagellatũ, & cæcum iudicio uel errantem.

3 Ecce, docuisti multos, & manus lassas roborasti.

4 Vacillãtes confirmauerũt sermones tui, & genua trementia confortasti.

Hactenus probe alijs consulere consueuisti, & recte ægrotis dum ualebas cõsilium dabas: si quos cernebas intẽtatione pusillanimes, pro insigni dexteritate corroborabas fideliter. Exaggeratio beneficij & probitatis repetitione conficitur, poëtico & sacro more.

5 Nunc autem uenit super te (plaga) & defecisti: tetigit te, & conturbatus es.

Cum eadem, quæ alijs mala incidebant uerbis sapienti bus alleuiabas, tibi occurrant, nunc delicatus martyr impatienter ferre uideris & fri ide. Attonitus factus ad primum contactũ tuũ, qui quod alijs prædicabas exhibere debueras, nisi non syncero pectore, sed hypocritico locutus esses, iam nunc te te medicus sanare deberes, & amplecti medicinam quam alijs porrigebas, non tam subito expauescere, uir sapiẽs, ut diceres, Nõ id futurũ spe rassem, sed in diebus felicibus timere debueras infelicia.

6 Vbi est timor tuus, fiducia tua, patientia tua, & perfectio uiarum tuarum?

Nónne pro tuo tantum commodo Domino seruiuisti? et timuisti insynceriter, tantũ ut saluas tibi seruaret possessiones tuas? Est ne talis tua religio in deum? magnanimitas in rebus arduis? constantia in aduersis? & uitæ integritas, tam facile interrumpenda ad primũ occursum? Quantum enim uerba tua sonant, uideris parũ credere deum esse æquum iudicem bonorum ac malorum.

7 Recordare obsecro (te) quis (unquam) innocens periit? aut quando recti deleti sunt?

Status disputationis hic producitur. Perijsti ergo non ut tu existimas innocẽs. Deleta est felicitas tua, ergo euanuit prius emẽtita æquitas tua. Iustior enim deus est, quã ut tam horrenda calamitate opprimat pium, citra meritum et impietatis causam. Falsa ergo ratione colligit eũ esse impiũ, qui male afficitur, quia nõ omnis impius maledicitur. Alioqui non raro contingit, ut quæ lex dei pijs decernit, impijs eueniant bona, ut prosperitas in terræ nascentibus, promptuaria enim eorum plena: et quæ impijs aduersa prædicuntur, sæpe pijs quoque accidant, ut Christo & apostolis, & oĩbus qui pie uiuere conantur.

8 Quin potius uidi eos, qui operantur iniquitatẽ, & seminãt dolores (&) metũt eos,

9 Flante deo perisse, & spiritu iræ eius esse consumptos.

Arare iniquitatem.

Qui arant iniquitatem, & seminant impietatem, id est, qui intenti & propensi sunt ad flagitia, sine timore Dei, quid aliud hi meterent quàm quod ararunt & seminarunt laborem, scilicet & dolorem? Oportet enim fructum ipsum, seminis referre uirtutem & genus. Impiorum autem iudicium est, ut pereant à facie dei, & sicut cera à facie ignis dispereant peccatores: etiamsi ad tempus, ut cedrus Libani, in excelsum erigãtur, sed nihil coram deo illis fragilius, qui leuioris Dei flatu unico nutu et iussu subuertũtur & dispereunt. Non sic aũt pijs usui uenire uidemus, sed tyrannis in orbe.

10 Rugitus leonis & uox leænæ, & dẽtes catulorum leonum contriti (euulsi) sunt.

11 Tigris (Leo maior) periit, eo quod nõ haberet prædam, & catuli leonis dissipati sunt.

Tam rugiens leo quàm uociferans leæna, omniaq; reliqua seuera animalia à domino dispergũtur, quanto magis impij & tyranni populorum? & ut dentes catulorum quantumlibet fortes, eradicãtur & confringuntur, sic subito tyrannis perditio superuenit, & extinguuntur. Arguit ergo Iobum impietatis & tyrannidis, quia iudicio & supplicio impiorum obrutus sit, quandoquidem pœnæ huiusmodi fructus sint peccatorum.

12 Porrò ad me dictum est uerbum absconditum, & (quasi furtiue) suscepit auris mea (parum aliquid ex eo) uenas susurij eius.

13 In horroribus uisionis nocturnæ, quando solet sopor occupare homines,

14 Pauor tenuit me, et tremor, et omnia ossa mea perterrita sunt.

15 Et cum spiritus me præsente transiret, inhorruerunt pili carnis meæ.

16 Stetit (quidam) cuius non agnoscebam uultum, imago coram oculis, & uocẽ quasi auræ lenis (silentium & uocem) audiui.

Verbũ dei furtiuum.

Magnifica sententiæ cuiusdam descriptio est, quam sit gloriose prolaturus, quasi per reuelationẽ à deo sibi significatam, quod scilicet iusti non pereãt in hoc mundo tam grauiter, ut hic Iob cecidisse uidetur, sed impij. Semper enim aliqua causa pereunt atroces & crudeles, etiã si leones fuerint uel tigrides. Verbum autem domini furtiue dicitur peruenire ad aures prophetarũ, dum secreto ueritas à deo pijs uel etiam impijs hominibus reuelatur. Multis autẽ uerbis & poetico stilo iactat reuelatio

nem falsi dogmatis, ut mentitus fuisse putetur, quia falsum à deo reuelari nõ potest. Verũ non spiritũ sanctum iactat, sed somnium horribile, & pauorẽ usq; ad horripilationem. Spectrum autem quod territus coram se stans uiderit nõ explicat. Docemur interim non omni uisioni credendum, probandos spiritus si ex deo sint, & quàm magnifica sibi fingere norint superbi & hypocritæ.

17 Nunquid homo, dei comparatione iustificabitur, aut factore suo purior erit uir?

18 Ecce qui seruiunt ei, non sunt stabiles, & in angelis suis reperit prauitatem.

Num fieri potest, ut homo iustior sit q̃ deus? Quod aũt tunc fuerit, si innocentem deus & immeritũ graui multa plecteret, si pios homines perderet, si opprimeret pupillos, & miserabiles personas, si iustitiæ cultores exosos haberet. Num purior erit homo quispiam in opere suo quàm deus? Certe hæc non faciet unquam nec probabit homo sapiens, pius & iustus, quanto minus ergo de deo id opinari licebit? ut cum innocens fueris tantis te molestijs & tanta pœna affecerit, ut maior uix ulla uisa sit in homine, quãlibet impio et crudeli. Sed et hic sensus esse potest. Nũ potest homo innocens iudicari à deo? Num ab operibus suis purus erit quispiam? ut sequatur sentẽtia alia, Ecce inter seruos suos perfidiam expertus est, & non inuenit solidam per omnia fidem, & in angelis suis posuit fallatiã, ut multo minus homo aliquis se de innocentia iactare possit. Prior tamen sententia non male quadrat, et sequens uersus hunc potest subinde sensum complecti, ut per interrogationem dicat: Num deus non fidem habere debet uel potest in seruis suis? Num nuntios suos iubet esse fallaces? ut scilicet illis reuelet ea quæ falsa sint, & omnia secreta sua: non sunt enim sine defectu etiam angeli, sed si quid perfectionis nacti sunt, diuino munere susceperunt, id quod apparet ex lapsu multorum, de suis donis superbientium.

Dei ad hominem comparatio.

19 Quanto magis hi, qui habitãt domos luteas, qui terrenum habent fundamentum consumentur uelut à tinea?

Argumentum à maiori. Si in conspectu Dei angelica natura non est innocens, quanto minus homines formati ex luto terræ puluere? Quod enim ex carne, est caro: & quod ex luto, cœnosum est, ne quid de suis iustitijs homines glorientur, & tam corporalibus quàm spiritualibus bonis non eleuẽtur, uel cristas erigant, in puluerem conuertendi, & esca futuri uermium & tinearũ. Quin homo passim fumus dicitur, umbra et somnio simillimus, ueluti si ad plenum indignitas & fragilitas hominis corporei explicari non possit.

Caro lutũ.

20 De mane usq; ad uesperam succidentur, & quia nullus intelligit, inæternum peribunt.

Breuissima est uita humana, & luci comparatur, quæ uix durat à mane ad uesperã, frequẽter meridie finitur, & dum minime speratur occidit. Sic autem perit, ut nescias si fuerit: etiam qui inter eos præstãtissimus est non perdurat. Vsqueadeo fragilis est hominum conditio, ut leuiter finiatur, & filij subsequantur parentes, donec

Vita breuis

omnes expirarint. Denique incauti plerunque opprimuntur & mortem minime expectantes tolluntur è medio. Perire autem dicuntur secundum carnem & iuxta iudicium carnis, absente fide in Christi resurrectionem ex mortuis.

21 Quod autem reliquũ fuerit, auferetur ex eis: morientur, & non in sapientia.

Placet magis uetus translatio in hunc modum accepta quàm quod alij retulerunt. Nónne translata est dignitas eorum quæ erat in eis? morientur & non in sapientia. Vt clarus sit sensus: Si quid de substantia & diuitijs reliquum illis fuerit, transferetur ad alios, in quos impru dentes spem suam collocauerant. Siue enim diuitiæ siue honor aut scientia, nihil à morte redimet quamlibet magnos ac potentes. Summa. Difficile est rectum loqui, sed necesse. Pium non decet iniuriosa oratio. Calamitas tibi incidit propter peccata tua. Tyrannos Deus hoc modo punit. Tremendum est neminem haberi innocentem. Sue currere nemo potest stulto & impio. Non sine causa peruertunt pereuntes, impatiẽtes duplo miseri. Deus sic uult ideo ferendum, omnia benefacit.

Summa capitis.

CAPVT V.

1 Voca ergo si est qui tibi respondeat, et ad aliquem sanctorũ conuertere.

Sicut priori capite Eliphas ostendere conatur Deum nullum innocentem adfligere, sed tyrannos & impios: sic idem nunc probare nititur, ex impunitate sanctorum, ex quorum numero nullus inuenitur tanta innocẽtia præditus, qui succurrere peccatoribus possit. Omnes enim æque indigent gratia dei, de eadẽ massa perditionis desumpti & confecti. Etiam si angelum uel sanctum quemcunque uocaueris, nullus tibi dignabitur respondere, nemo dicit, Quid uis? quomodo tibi est? Sed si loqui daretur tibi nihil aliud responderẽt quàm, In domino peccasti, is solus tibi indulgere poterit, et de cæcamalitate quam inflixit tibi, solus te poterit liberare. De hoc loco Hieronymum consulant & beatũ Gregorium qui nobis credere non dignantur, & peruertere scripturas malunt quàm negligere quæstum.

Sanctorum oratio.

2 Verè stultum interficiet iracundia, & paruulum occidit inuidia.

Tu tibijpsi maximus hostis esse uideris, qui impotenti furore tuo debaccharis in deum, et illius manum tam impatienter fers, ac indigne te percussum quereris, hac parte infelicior es, quàm propter plagas inflictas. Eneruas enim te iracundia tua, & insipientia tua atque zelus contra iudicia Dei circa te interficient te. Merebaris enim atrociora mala, qui ista à Domino inflicta tam impatienter fers.

3 Ego uidi stultũ firma radice, & maledixi (habitaculo) pulchritudini eius statim.

4 Longe fient filij eius à salute, & cõterentur in porta, & non erit qui eruet.

Mordet tacite Iobum, euenisse scilicet ei quod accidere solet impijs, ut dum initio florent opibus & potentia, propter peccata sua omnibus priuentur, secundum illud

illud Psalmi, Vidi impium superexaltatum sicut cedrus Libani, & transiui & ecce non erat, &c. Habitaculum autem impiorum dicitur eorũ quies, securitas, abundantia & thesauri, quæ & pulchritudo illius dici possunt. Nec solum stultus, hoc est impius maledicitur, sed & filij eius, longe à salute fient, liberatorem nullũ assequentur. Visitat enim iniquitates deus in filios. Fructus terræ illius & omnes labores comedet alius populus, & erit semper calumniã sustinens. Et impiorũ filij impie agent, & iudicio publico statuentur, & damnabuntur non ob parentũ iniquitates, sed quia cœptam à parentibus impietatem sectati sunt, & sic hæreditatem percipient maledictionis, quam à parentibus didicerunt: si uero resipiscant, parentum peccata non portabũt. Portarũ nomen pro iudicibus & iudicijs capitur publicis & foro.

5 Cuius messem famelicus comedet, & ipsum rapiet (ex armis) armatus (&) bibent sitientes diuitias eorum.

Omnes congregatas diuitias ab impijs parentibus alieni possidebũt. Famelici qui non laborauerant pro eis, fruentur impiorũ laboribus. Violenter eripientur illorum possessiones de manibus eorum per armatos uel milites, & improbos alios, uel etiam iustos, quibus eas deus fauerit, & auari homines uel egentes, quibus non parauerat eas, diuitias illius diripient & possidebũt, ueluti ereptas ex spinis & uepribus, quales Christus dominus auaros nominauit. צרם uero arma & spinas signat Hebræis. Cum igitur id quoq; tibi cõtigerit, ut diripuerint Sabæi diuitias tuas, & filij tui tam misere perierint, igne cœli tuis delapso, satis liquet te impium esse, & innocentiam adhuc impie iactare, quasi iniuriam tibi deus irrogarit.

6 Nihil in terra fine causa fit (quia non egreditur de puluere uanitas) & de humo non egreditur dolor.

Omnis aduersitas quam in hoc mundo homines patiuntur, nõ à fortuna uel externis rebus accidit, sed à deo, qui nihil male operatur, summe cum sit bonus, ipse noluit causas iustas iudiciorum suorum, nulli facit iniuriam. Ideo in dei iustã uoluntatẽ omnia referenda quæ hic patiuntur, nõ ex terra, non ex natura, sed malitia propriæ conscientiæ, quam iustitia dei digne punit. Ideo sic clarius ex Hebræo redditur hic uersus: Nõ egreditur ex humo uanitas aut res inutilis, sed ex hominum malitia & peccato. Non ergo afflictiones aliunde prouenũt quàm domino uolente, & uindicante impietates.

7 Homo enim nascitur ad laborem, & auis ad uolatum (& filij tedæ, id est flammæ, exaltabunt uolatum.)

Multis ærumnis exponitur humana uita, et cuncta hominum fata laborem adducunt, sicut auibus necessaria uitæ acquiruntur uolatu, & assidua occupatione & periculis: sic homo in multis offendẽs, multa pati cogitur. Nec meliora meretur pronitas humanæ naturæ ad omne malum, & ex propria malitia, quàm ut multis subijciatur angustijs, quæ dulce amicitiæ & charitatis iugum, ac mandatum domini seruare non studet, sed abominatur: ideo conscisçit sibi iugiter infinita mala. Hinc ergo sunt tam duri labores hominum, tot calamitatum miseriæ, quod Hebræus uult dum dicit, Vt scintillæ flammarum excussæ in altum euolare cernantur.

8 Quam ob rem ego deprecabor deum, & deum ponam eloquium meum.

9 Qui facit magna, & inscrutabilia, mirabilia absque numero.

Non ergo calamitates immittuntur hominibus aliunde quàm à domino & pro peccatis nostris, qui ideo oratione & cõfessione adeundus est, & reconciliandus, qui ut solus immittit impijs, sic solus remittit conuersis. Ego itaq; si calamitas ingruat, non dominũ accusabo, sed potius eius clementiam requirã supplex & deuota illũ oratione cõueniam. Certus omnes tam prosperitates quàm aduersitates non fato & stellis imputandas, sed à domino non sine iusta causa accidere. Cuius sunt inuestigabiles uiæ, & iudicia irreprehensibilia, nobis ut plurimum ignota. Solus est enim patrator omnium mirabilium magnorum, qui tam humilia moderatur quàm excelsa, à quo solo pendent quæcunque inopinata subitanea, tam bona quàm mala, quorum rationẽ non inquirere multo minus accusare homo debet. Calamitates à deo.

10 Qui dat pluuiam super faciem terræ, & irrigat aquis uniuersa.

Expatiatur prophetico more de omnipotentia & bonitate dei disserẽs, cuius beneficia semper & ubiq; mundus sentit, & necessaria habet: qui ut nunquam negat subsidia bonis & ipsum timentibus, sic impios non sinit inultos. Non aliunde tam necessariam nobis pluuiam terra suscipit quàm à deo, teste Helia & Mose, qui impijs cœlum æneũ promittit, & sine cuius nutu passeres non cadunt super terram, nec folium ab arbore, nec capillus perit de capite, irrigationes quoq; fluminum & fontium quibus fœcundantur planities & agri non sine dei ordine & gratia dispensantur, multo minus tot tua incommoda sine dei uoluntate facta putes. Beneficia dei.

11 Qui ponit humiles in sublime, et mœrentes erigit sospitate.

Dominus est, qui suscitat de stercore egenum, & præcipitat potẽtes de sede, superbos humiliat, qui nouit exuere auaros ac improbos diuites, & transmutare fortunas, qui fortunæ rotam moderatur non sine iusto suo iudicio, cuius sacrosancta uoluntas est, ut iniquũ uelle non possit, et pios persequi odiat, non sinat inultã quãcunq; iniuriam, multo minus ipse cuiquam facit uel imponit: tristes quoq; & mœstos erigit, & reponit in salutem. Ideo si euadere tot uelis incommoda, non murmurando, sed deprecando instabis, ut restituaris in pristina. Iustitia diuina.

12 Qui dissipat cogitationes malignorum, ne possint implere manus eorũ quod cœperant (subsistere queat.)

Huius sententiæ exempla semper mũdus habet & habuit, quotquot contra ueritatem & pietatem unquam quicquam conati sunt, inani labore sudauerũt, Pharao, Chananæi, Babylonij, Antiochus, Romani, & fidelium oppressores Antichristiani, nunquam non confundantur. Semper instituto suo fraudantur, rem solidã & per- Impiorum dissipatio.

seuerantem non assequuntur. In uanum laborant qui dei consilijs obstrepunt, qui ueritatẽ calcare conantur, qui pietatem opprimunt uel persequuntur. Dissipat enim semper dominus cogitationes uersipelliũ, quo minus admireris, si tuas quoq; cogitationes malas quamtumlibet secretas deprehenderit & protraxerit. Denique tuam improbitatem latere passus non est.

13 Qui apprehendit sapientes in astutia eorum, & consilium prauorum uelociter dissipat.

Capiuntur astuti.

Idem ferè cum superiore, quomodo deus est qui capit astutos & sapientes in sua astutia, qui simplicitatem & simplices odiunt, persequuntur & subuertere annituntur peruersis consilijs suis, sed illos præcipitat & confundit, subito disperdit omnes operarios iniquitatis. Sic dum semper tuam existimasti cælandam uafriciem, suo te tempore detexit, ut nunc dominum & illius creaturas maledicere non uereatis, & iudicia dei iustissima reprehendere.

14 Per diem incurrent tenebras, & quasi in nocte, sic palpabunt in meridie.

Caligo impiorum.

Interdiu quum sibi sine errore agere quæ uolunt putantur, subito obruuntur caligine, & scientia omnis uertitur in errorem, felicitas in confusionem, ut cogantur non secus atque qui in tenebris palpitant pererrare, & in manifesta ueritate falsum sequi & defendere. Percutit impios dominus cæcitate, ut in meridie palpitent & occæcentur ex malitia uoluntatis, & spiritu uertiginis circumagantur in præcipitium.

15 Porrò saluũ faciet (*egenum*) à gladio oris eorum, & de manu uiolenti pauperem,

16 Et erit egeno spes, iniquitas autem contrahet os suum.

Clementia dei.

Dominus eripit de tyrannorum improbitate egenos & pauperes, expectatio unica adflicti, pater orphanorum & iudex uiduarum. Cuius tu quoque manum non sensisses, si talis fuisses qualẽ te prædicas, & in hac tua calamitate propitium senties, si humiliter & tua peccata ac illius iustitiam fueris confessus. Non enim tanta est miseria tua, quin facile euadas, si clementia te sua respexerit, & manu apprehenderit, sustulerit q; collapsum: ut erubescant detrahentes bonitati ac iustitiæ suæ, qua saluat in se sperantes pauperes & egenos, superbos audaces q; deprimit & confundit, ut os suum aperire non audeant, & à flagitio calumniandi iudicia dei cessare cogantur.

17 Ecce beatus homo qui corripitur à deo: increpationem ergo domini ne reprobes.

18 Quia ipse uulnerat, & medetur: percutit, & manus eius sanabunt.

Nemo patitur iniuste.

Noli conqueri te passum iniuste. Ad hoc te corripit deus ut corrigaris, ostendit te sibi curæ esse, nõ excidisse te ab illius prouidentia, superesse spem salutis, reconciliationi locum dari, si tamen disciplinam ab omnipotente adhibitã tibi nõ fueris auersatus. Certè post tot ærumnas cum emendato redibit in gratiam. Sic enim pro sua bonitate consueuit, nedum dolorem inferre & incutere

ac uulnerare, sed ilico sanare & medelam utilem supponere ueluti propria sua manu curator chirurgicus. Non enim negligit miseros, si emendare se cupiant: imò non percussisset pios, nisi sanctiores ex aduersitate producere cogitasset. Si enim non uult mortem impiorum, sed ut conuertantur & uiuant, multo minus iustos adfligit ad mortem, sed ut exerceantur, & deleant quod imperfectionis admittunt.

19 In sex tribulationibus liberabit te, & in septima non tanget te malum.

Aduersitates uitæ.

Enumerat aduersitates huius uitæ, & adiutorium dei, suos non deserentis. Eadem sententia quæ & Pauli, proposita more prophetico, quasi dicat: Fidelis est deus, qui non te sinet tentari supra id quod potes, imò faciet una cum tentatione euentũ, quo possis sufferre. Multis quidem te calamitatibus aggressus est, sed dũ septima aduenerit, dũ sibi uidebitur sufficiẽter punita transgressio, et quieueris ab impatientia tua, tunc tamen a salute cõplecte tur te denuo, ut uitã tuam felicissimè deinde sis acturus.

20 In fame eruet te de morte: & in bello, de manu gladij.

Amplificatio.

Eleganter enumerat, sacra q; poesi & Rhetorica, per amplificationẽ, septem, id est, plurimas earum nas, à quibus dominus pios uindicat & eripit. Multa enim incommoda huius uitæ sunt: fames scilicet non leuis, sed quæ mortem minetur, & exitium: gladius in bello, & quid tormentorum est in exitiali prælio, quæ probolor quottidie innumera excogitantur, ut omnem omnium ferarum ferocitatẽ homines infelicissime induisse uideantur, præter perfidiam, dolum & mendacia, ut formidandum sit propediem his omnibus usuros cos, qui sunt omnium impijssimi atrocissimi q; tyranni, nõ in aliud quàm in oppressionem fidelium & piorum: nisi solatium unicum is nobis locus relinqueret, deum scilicet minime cos deserturum, quos fideles inuenerit uel elegerit.

21 A flagello linguæ absconderis, & non timebis calamitatem, cum uenerit.

Lingua uenenata.

Pernitiosius flagellum non est, quàm lingua uenenata, quæ nec uiuis parcit, nec mortuis, uicinis uel absentibus, pijs ac impijs, paruis at q; magnis. Ab ea tum se iuste dño protegẽte potest abscondere. Non timebunt elect uastitatem quãcunq;, maxima sua bona eripere nequeant, inuiolabilia sunt bona sanctorum, nihil enim mo potest, inuiolabilia sunt bona sanctorum, nihil enim admirantur & cupiunt, nisi æterna, & diuitias cælo reponunt, ubi fures non furantur, nec tineæ corrumpunt: non timebunt ergo sibi à quacunq; iniuria uel fortuna.

22 In uastitate, & fame ridebis, & bestias terræ non formidabis.

Bestiæ non nocent.

Ad quamlibet uastitatem & famem ridebis: quicquid piorum aduersitatum ingruerit, si pius es, non magnopere dolebis sed gaudebis potius non esse condignus huius temporis passiones ad futuram gloriam, &c. & à ferocitate bestiarum & ferocissimorũ hominum, à feris nihil differentium, à tyrannorum crudelitate neutiquam formidabis. Fidelis enim securissimus sufferet omnes calamitates, perstat fortiter in aduersis, adeoq; etiamsi cælum ruat, & fractus illabatur orbis, impauidũ ferient ruinæ.

Sed

23 Sed cum lapidibus regionũ pactum tuũ: & bestiæ terræ pacificæ erunt tibi.

Omnia fauebunt tibi, si omnium conditorem amicum tenueris: etiam si currere te contingat atq; cogaris, nõ lædent te lapides, nobiliũ quoq; arces passim contra pau peres extructæ, non tibi formidabiles erunt: super aspi dem & basilicum ambulabis, conculcabis leonẽ & dra conem: non offendes ad lapidẽ pedem tuum, angelis dei custoditus. In summa, nõ accedet ad te malum, & flagel lum nõ appropinquabit tabernaculo tuo, quia dominus spes tua, & altissimum posuisti refugium tuum, & in protectione dei cœli cõmoraberis. Deniq; habitabit te cum lupus cum agno, & delectabitur infans super fora mine aspidis: nõ nocebunt quæcunq; bestiæ uel feræ, & non occident in monte sancto dei.

24 Et scies quòd pacem habeat tabernaculũ tuũ: & uisitans speciem tuam, nõ peccabis.

Non solum omni malo carebis, si deum timueris & coluer is, sed etiam in tuto erit omne tabernaculum tuũ, saluum semper et incolume. Et numerabis infinitã multitudinem pecorũ & diuitiarũ, familiã amplam nimis. Cũ quibus & inter quos innocẽtius deinde uiues quam prius. Nõ fines peccare filios et familiares tuos, per quã cunq; lasciuiam, luxũ, otium, gaudiũ ineptum, ut antea: & oĩa possidebis sine auaritia & tenacitate, sine an gore & inquietudine, sine peccato in deũ et proximũ.

25 Et scies quoniã multiplex erit semen tuũ, & progenies tua quasi herba terræ.

Multiplicaberis iterũ in semine, ac post te relinques copiosam ac felicem posteritatem, atq; ut gramen regio nis innumerabilem. Potens est deus, si ad ipsum conuer taris, centuplum restituere eorum quæ peccando amisi sperares, non tibi per impatientiam elabaris.

26 Ingredieris in abundantia sepulchrũ, sicut infertur aceruus tritici in tempore suo.

Non causeris ætatem lapsam, & annos exactos, plu ribus adhuc annis durabis, donec satur fias uitæ, ut in se necta bona ad sepulchrum feraris. Sicut inferuntur acer ui maturissimi fructus in horrea autumnali tempore, & folia de arboribus sponte sua & sine lachrymis & dolo re decidentes in tempore: impij uerò etiam si sexcentis annis uiuent, non dimidiant dies suos, quia fiducia tota feruntur ad hunc mundũ, ut fruantur perpetuo libidine. Pij autem saturi dierũ fiunt, quia ex præscripto domini pendent, parati in horam renũtiare uitæ præsenti, cum dominus iusserit.

27 Ecce, hoc ut inuestigauimꝰ, ita est: quod auditum tu quoq; mente pertracta.

Satis arroganter concludit, sed rhetorum more, credi uerbis suis postulat, quandoquidẽ cõscius sibi sit nihil se mentitũ, sed prout res habet eloqui uoluisse quæ noscet: et Iobũ reducere uoluisse ad meliorẽ mentẽ, ne se à iusto deo iniuste punitũ arbitretur, et ne se sine peccato fuisse iactet, quandoquidem innocentes deus nõ tam dure tra ctare sit assuetus: utq; emendatus opinione & uita, feli ciora sit propediem experturus. Ex quo satis liquet Le

ctoribus sensatis multa uera & sancta dicta esse ab Eli phas, sed male applicata, & ad conclusionem falsam, qua uoluit Iobum ostendere percussum propter pecca ta, dum non uult admittere sanctos in hoc mundo ad uersis probari, sed calamitatibus oppressos à deo repu diatos probare, quod falsum erat: sed & fastuosiori elo quio usus est, & contemptu in amicum ipsum, pro ne cessaria consolatione magis blasphemando. Summa. Pa tienter ferenda manus domini: corrigit ut pater: pro sunt dei flagella electis: omnia tibi lætiora succedent: re stituentur ablata: feliciter uitam absolues.

Consequentia inepta.

Summa.

¶ CAPVT VI.

1 Respondens autem Iob, dixit,

2 Vtinam appendendo appẽderẽtur peccata mea, quibus iram merui: et calamitas (*mea quã patior*) in statera eleuaretur pariter.

3 Quasi arena maris, nunc grauior apparet: unde & uerba mea dolore sunt plena (*absorpta sunt.*)

Dixerat Eliphas inter alia Iobo, oportere cum correctionem domini non auersari, id est, non impatienter ferre, quandoquidẽ pro peccatis hominum deus hoc pacto homines nõ iniuste adfligere cõsueuerit. Cui oratio ni nunc Iob respondet, nõ se impatientẽ negans, sed cau sas qualiscunq; suæ impatientiæ maiores esse, quàm ut ferre posit patienter, uel peccatis suis meruerit, dicens: Vtinam, ait, indignatio mea uel impatiẽtia appendatur exacte cũ calamitatibus quibus opprimor, profecto ap parebit longe maioris impatientiæ me causas habere. Si cut arena maris numero excedit peccata, sic & pœna peccati mei, quam patior, superat demeritum meum, ut uerbis consequi non possim omnes miserias meas, cum nihil huiusmodi peccatis meis debeatur, qui coram do mino in summa hominibus possibili innocentia fuerim conuersatus. Est autem communis scripturæ tropus, ut arena maris res innumerabiles significentur.

Impatiẽtiæ causæ.

4 Quia sagittæ domini in me sunt: quarũ indignatio (*uirus*) ebibit spiritum meum, & terrores domini militant contra me.

Omnipotentis dei sagittæ, sunt iudicij diuini grauitas, & ira dei. Sicut enim sagittæ eiaculatæ ex arcu, pene tralia corporis penetrant: ita iudiciũ dei, & grauis hor ror eius, quicquid in me eximiũ et uitale erat exhaurit, uires frangit, ut ne hiscere quidẽ uoce possim & loqui. Sentio enim mihi iratũ dominũ, & uenenata & insana bilia iacula plagarum suarũ confodiunt corpus & spi ritum meum, & terrores iræ suæ adoriuntur me pugna inuincibili, ut etiam si uelim æquanimiter ferre non pos sim, post quas nihil consolationis expecto, & mors ipsa misera toties inuocata non succurrit.

Sagittæ dei

5 Nunquid rugiet onager, cũ habuerit herbam? aut mugiet bos, cum ante præsepe plenum steterit?

6 Aut poterit comedi insulsum, quod non est sale conditũ? aut potest aliquis gustare quod gustatũ affert mortẽ (*albugmem uitelli?*)

De patientia disputatio.

Facile uobis est de patientia disputare, saluis, qui nihil graue sentitis. Ego quoq; non tantopore ingemiscerem, indignarer, et clamarem tam acerbe, si mihi ex sententia cuncta succederent, non magis quàm onager, qui minime rudit cum famem non patitur, sed gramen ad copiam assecutus est, & bos non mugit cum stat ad farraginem suam, & ad commixtum migma suum. Nulla uos nunc obruit calamitas, licet uobis nunc securis consilia dare perturbatis. Si uerò eodem quo ego iudicio grauaremini, insulsis ac insipidis cibis uesci uos contingeret, & pati quod nolletis, æquè ut ego impatientes uel magis essetis. Verba deniq; uestra insulsa sunt, & absq; discretione, qui cum eadem carne uiuatis, similem debetis ærumnam expectare indies, & cõpati male affectis, & non tam prompti ad hominũ cõdemnationẽ, tam onerosi consolatores & insipidi esse, non minus quàm oui uitellum sine salis condimento, non reficiens sed nauseam prouocãs: quod priscus translator exponere uoluit, dicens: Quod gustatũ affert mortẽ, tantũ abest ut reficiat.

7 Quæ prius nolebat tangere anima mea, nunc præ anguſtia cibi mei sunt.

Vicissitudo rerum.

Aliter: Quæ renuit contingere anima mea, ipsa nunc sunt ut ægritudines cibi mei uel carnis meæ: ut sit sensus, An non est ingens calamitas tanta ferre hominem minime asuetum, ut abominabilis simul et necessarius cibus nunc sint mihi, quæ olim sanus nec digito contingere dignabar. Sic enim delicatis usu uenit, ut quod incolumes gustare renuissent, infirmi uel ieiuni deuorare cogantur. Quis ergo tanta passum solari posſit? Discimus ex hoc, ut uidentes homines grauia pati, cogitemus nos quoque carnem similem gestantes, eadem passuros, si uelit dominus, ut mutuo officio succurramus ægrotis, carne & spiritu.

8 Quis det, ut ueniat petitio mea: & quod expecto, tribuat (mihi) deus:

9 Et qui cœpit deus, ipse me conterat? soluat manum suam, & succidat me?

10 Et hæc mihi superſit consolatio, ut affligens me dolore, non parcat: nec contradicam sermonibus sancti?

1. Sermo afflicti.

Sermo est adflicti, secundum carnis affectum, quo nec sancti carent, optantis accelerari mortem, quam arbitrantur finem malorum omnium: quam tamen nõ sibi consciscere meditatur, sed à deo dari desiderat, ut cuadat uel ea uia cruciatus, & dira tormenta, inferno & morte grauiora. Cupit ergo si domino placeat conteri & consumari, postquam sic uulneratus à domino est, ut nulla spes reliqua sit conualescentiæ, humano more statim mori & deficere in totum cupiens, quàm diutius exeruciari. Consolatio unica mihi erit, pro qua & gratias habiturus sum domino, si eatenus non parcat, ut citius absoluat dolores, & sine dilatione & tædio morti tradat, quo finiatur calamitas mihi intolerabilis. Non enim contradicam sermonibus sancti, quod de me flagellando decreuit dominus, dum aliter non licet sponte suscipiam, & patiar, ut oportet, tantum ut quod mecum cœpit, statim finiat, & mortis adferat tot malis remedium. Varia opinantibus circa hunc locum Iudeis et nostris, ego prisco interpreti malui credere, non abhorrenti ab Hebræo.

11 Quæ est enim fortitudo mea, ut sustineã? aut quis finis meus, ut patienter agam?

12 Nec fortitudo lapidũ fortitudo mea, nec caro mea ænea est.

Impatientia.

Pro humana fragilitate meliora sperare non udeo, et tantos dolores pati æquanimiter uirtus naturæ non sinit, sed finem potius dolorum sensus meus præstolatur & cupit maxime. Quis enim patiens fuerit, nisi spe meliorum, & cessaturæ angustiæ prope tempus? Verè igitur & secundũ carnis impatientiã confitetur Iob, quod tam diras afflictiones patienter ferre nulla uirtus sufficiat, etiam si lapidea fuerit, uel ænea. Cum igitur audieris nulla uirtute iram dei posse sustineri, discas timere deum, & eius te clementiæ submittere, ut liberẽris.

13 Ecce, non est auxlium mihi in me, & (ut res sustinendi) necessariꝝ quoque mei recesserunt à me.

14 Qui tollit ab amico suo misericordiam, & timorem domini derelinquit.

15 Fratres mei præterierunt me, sicut torrẽs qui raptim transit in conuallibus.

Hypocrita cum inuocat.

Nónne auxilium aliquod sperare possum ex meipso, ex filijs uel cognatis? uel subsistentia adest fiduciæ uestræ ac uires sustinendi hæc omnia sapienter & longanimiter? quæ uniuersa ablata sunt, & discussa à me, sic ut etiam sapientia & magnanimitas aufugerit, & me uirtus destituerit totum. Et fratres quoque mei, & amici proximiores, quale nunc solatium adferam experior infelix. Spernunt enim me ut impium, & iustã patientem pro iniustitijs definiunt. Destituꝝ; ab illis misericordia et beneficentia, quia timor omnipotentis derelinquit omnem cum qui non miseretur proximo suo, qui falsò eum condemnat reum mortis, de quo nullum flagitium probare potest. Reuera enim dei timore destituitur, qui proximum suum sine causa impietatis redarguit: eadem ergo mensura qua nunc mihi metiuntur, remetietur eis. Nam quemadmodũ impetuosus torrens, multo fragore & fremitu præterlabendo uastat uicinia: sic impij hypocritæ dum salui sunt, dum uiuorens, multo fragore & fremitu præterlabendo uastat uicinia: sic impij hypocritæ dum salui sunt, dum uiuorijs exaltantur & horaria fama, pios quos ducunt prose miseros, temere naso suspendunt, & adflictos exagitant, & exprobrando insultant ueluti in impietate deprehensos, cum ipsi longe sint iniquiores, cum errante diuite & felice colludentes, postea autem iudicio dei adfluctum condemnantes & insultantes.

16 Qui (horrent propter glaciem) timent pruinã, irruet super eos nix.

17 Tempore quo fuerint dissipati, peribũt: & ut incaluerint, soluentur de loco suo.

Prouerbialis sermo est, quasi diceret: Qui paucis parcit quibus fratrem posset iuuare, multis pruinabitur: obstruens aurem à clamore pauperum, clamabit ipse uicissim, & non exaudietur. Atqui uos ô amici, insultantis nũc mihi, & bonis operibus uestris et iustitia præcinire

tire uos creditis aduersitates huius mundi, cum reuera grauius quàm ego peccetis, temere iudicantes, & inoxium damnantes, grauiora propediem incommoda pas-
Alterum mala. suri. Id enim omnibus euenit, aliorum festucam eximere præsumentes, cum trabem ipsi suam non uideant. Suo tempore domino ordinante suum sentient iudicium, & præangore mentis tabescent, & resoluentur adinter itum & exterminabuntur, ij qui alios tam seuere iudicant quibus potius compati oportebat. Cumq; ex proprio illorum feruore damnare me conantur, propediem & ipsi quoq; exurendi sunt similibus tentationibus, & de suo loco quo nunc gloriantur ejciendi. Sic enim usui uenire solet acribus aliorum censoribus, ut dum in alijs leuia coarguunt, ipsi grauiora pati cogantur.

18 Inuolutæ sunt semitæ gressuum eorum, ambulabunt in uacuum, & peribunt.

Perplexi sunt gressus itineris eorum, errabundi & inconstanti iudicio uagantur impij, nullo satis loco tuti, ideo euanescunt & consumuntur, ut pereant, sicut perijt Pharao, Sennherib & Antiochus: sic tam iniquiter amici illi dãnant Iobum incertis rationibus, ut ipsi quoque iudicio dei comprehendantur & pereant. Iustus autem in conspectu dei fide subsistit, & uacuus non appa-
ret portans manipulos suos.

19 Consyderate semitas Thema, itinera Sa-
20 ba (&) expectate paulisper.

Confusi sunt, quia sperauit: uenerunt quoq; usq; ad ea, & pudore cooperti sunt.
Propitiencia dei. Consyderate semitas quæ ducunt ad Thema, & itinera Saba attendite ea, ut redeatis ad uestra, ô amici, unde ad me consolandum uenistis, ut non adaugeatis calamitatem meam uestris sermonibus, à quibus speraueram recreationem & subsidium, & ecce subsannatis et damnatis me. Confunditur enim omnis, qui in uos uel uestram sapientiam aut probitatẽ posuerit fiditiam. Ignoratis enim mysteria prouidentiæ Dei, & magnificatis merita operum uestrorum, quum dominus nemini quicquam debeat, & sanctis etiam superinducat importabilia mala. Venerunt enim isti amici mei ad consolandum, & spem felicioris status persuadendum, cum ipsi potius obruunt me, & foueam desperationis meæ quantum fiat à parte eorum ampliarunt, ut pariter mecum
21 inuoluantur.

Quia nunc fuistis cum eo, & uidẽtes pla-
22 gam (fracturam) meam timetis.

Nũquid dixi, Afferte mihi, & de substantia uestra donate mihi?
23 Vel liberate me de manu hostis, & de manu robustorum eruite me?

Nunc quidem adestis mihi, ut consilio & opibus amicum inuetis. Cum autem uidetis pauorem, hoc est monstrosam calamitatẽ meam, timere cœpistis, & ut iustam me arguitis, & præoccupatis me iudicio uestro, quasi damnatus à domino humano quoque subleuamine sim indignus. Desinite quæso timere, non est ut opem uestram implorem. An unquam auxilium uestrum ut af-

ferretis rogaui? Vtq; me robore diuitiarum uestrarum fulciretis unquam precatus sum, uel medicinæ beneficium implorauí? Num uos rogaui, ut de manu hostis me eripiatis? & de uiolentia tyrannorum redimeretis me? latrones propellendo uel subsidijs succurrendo.

24 Docete me & ego tacebo: & si quid (fortè) ignoraui instruite me.

25 Quare detraxistis sermonibus ueritatis, (quàm fortia erunt uerba rectitudinis) cum è uobis nullus sit, qui possit arguẽdo arguere me?

Nihil tale exigo à uobis, sed ut errantem, & diligenter auscultantem doceatis, & si qua in re erraui erudite me, & desperationi, ut putatis, proximũ consolemini. Non conuitijs sed argumentis utamini, & causam uestram tueamini. Cur uestris tantum cauillis subuertere conamini uerba recta & solida? Et in quo me quisquam uestrum iure reprehendere poterit? quod est enim uerbum à me dictum, quod reprobare posßitis?

26 Ad increpandum tantum eloquia concinnatis, & in uentũ uerba desperationis.

Tantum ad redarguendum aliorum benedicta ingenio si estis, quum meliora proferre non posßitis, in uentum uerba profunditis, & assumitis ꝓpositiones falsas atque sophisticas, quibus nemo sapientum fidem astruere possit: dum interim appareat sermo uester syncerus & sobrius, dum tamen falsis nitatur fundamentis. Non enim contenditis in hoc mundo aduersa pati quàm impium, qui id à deo malefactis demeruerit. Ingenioß cõtra alios.

27 Etiam super pupillum irruitis, & subuertere nitimini amicum uestrum.

Nunc autem in destitutum uiribus & auxiliarijs & à deo derelictum, imò à domino deiectum uos irruitis, & pupilli miseriam glorioßi milites exaggeratis: & foueã foditis amico uestro, quem extrahere totis uiribus debebatis. Quid ab hostibus expecto, talia passus à proximis? Quomodo non duplo offenderet iniuria à fratre illata, non merito, & ea ipsa denique tanta calliditate, ut ueriſimilia putẽtur, & ueluti per cuniculos subdole præstructa decipula? Glorioß milites.

28 Veruntamen quod cœpistis, explete: præbete faciem uestram, si mentiar.

29 Respondete obsecro absque cõtentione: & conuertimini, adhuc iustitia mea in ea:

30 Et non inuenietis in lingua mea iniquitatem, nec in faucibus meis stultitia personabit.

Incipite tandem, & faciem cum animo aduertite ad causam meam, & expendite uerba uestra cum meis, ac discutite, si quo in sermone mentitus inueniar. Testimonium prohibete maledictis. Redite quæso ad uosipsos, & animaduertite diligenter utrinque dicta, & non sitis iniqui iudices, plus æquo uestris placitis fauẽtes, sed sepositis affectibus, redite ad contemplandum innocentiam meam, & in responsis meis ueritatem percipite, certóque inuenietis iniquitatem nullam fuisse in uerbis meis, nec friuolum quidpiam in faucibus meis. Summa. Non propter peccata deus me punit: maior pœna quàm Summa capitis.

peccatorum demerita: potentia dei premor: pro ſua me uoluntate tractat. Non ſine magna cauſa ſum querulus. Quis ferat tot inſueta mala? Malo mori quàm tam miſerè uiuere. Si ſic deo placet finiat me, gaudebo in ſua uoluntate moriturus. Defecit propria uirtus & ſolatium amicorum, deſpero effugere mala præſentia, ſi unum abeat alterum ſuccedit. Nulla contra Deum hominibus uis eſt. Vana hominum ſpes eſt in homines. Dure & ſine cauſa inuaditis uerba & uitam. Attẽdite æque uoſ ipſos ut me, & ſic à reprehenſione ceſſabitis.

CAPVT VII.

1 NOnne militia eſt (uita) hominis ſuper terram: & ſicut dies mercennarij, dies eius?

Militia hominis.

Pro militia Iudæi exponunt determinatum & breue tẽpus, quo homines in terra uiuũt, æque tamen militiam ſonare poteſt, quam pij homines in hoc mundo ſine ceſſatione decertant, ut nullum ſit in tempore momentum, quo non ab hoſtibus uarijs exerceantur: & finis temporis noſtri tamq; miſeri ſæculi, & laboris, non aliter deſyderatur quàm mercennarius laborum finem & mercedis refrigerium expectat. Qui enim militat, omnibus obijcitur incommodis, ſola ſpe uincendi hoſtem & potiendæ pacis: & mercennarius totos dies eſurit, ſitit, friget, alget, ſudat ac fatigatur, & omnes moleſtias ſuffert, tãtum ut mercedem diurnum aſſequatur, cuius deſyderio tota die fatigatur.

2 Sicut ſeruus deſyderat umbram, & ſicut mercennarius pręſtolatur (finẽ) operis ſui.

Finis uitæ humanæ.

Seruus conductitius uel etiam emptitius toto laboris tempore quietem ſperat, & in labore & ſolis caloribus umbram anxie expectat, aut manumiſſionem: ſic uita humana undiq; periculis & tentationibus expoſita eſt, morte tantum finiendis. Non igitur mirum ſi pauci firma fide conſiſtant, & ad finem perdurent, hoc magis mirum, ſi non omnes pereant, tanta tentationis procella obruti. Sic iam tot menſes inanes duxi, & dies uitæ meæ perdidiſſe uidcor, qui pro omnibus bonis operibus meis expectare cogor, nõ aliud, q̃ uindictas & pœnas.

3 Sic & ego habui menſes uacuos, & noctes laborioſas enumeraui mihi.

Nihil aliud pro hæreditate mea poſſedi, aliud præmiũ aſſequutus non ſum, niſi fata ſemper deteriora, dum ſubinde grauior mihi fortuna ferenda eſt, & temporis aſperitas, & prolixæ noctes, plenæ anguſtijs & perturbationibus, ut ab omni expectatione felicitatis excludar cum confuſione, quum ſemper poſterior calamitas excedit præcedentem. Tale in hoc mundo certamen ſubeunt omnes ſancti.

4 Si dormiero, dicam, quãdo conſurgam? (rurſum) expectabo ueſperã, & replebor doloribus uſq; ad tenebras.

Deſperatio

Deſcriptio uidetur eſſe deſperationis, quæ legitimum perfidiæ & impietatis ſupplicium eſt, et in lege ſæpe repetitum. Erit uita tua quaſi pendens ante te, timebis nocte & die, nec credes uitæ tuæ, mane dices: Quis mihi dabit ueſperam? &c. Hanc ego fortunæ inconſtantiam uerebar ſemper, etiam ſanus, nunquam tutus in uita mea. Semper enim futurum timebam, quod nunc præſens patior. Dixi ueſperi, Num fieri poteſt ut diluculo ſanus & incolumis reſurgas? Mane quoque metiebar horas uſque ad ueſperam præ tædij moleſtia tota die, & præ faſtidio quietis nunc uerſabar in lectulo à dextris in ſiniſtram, nunc contra, donec crepuſculum noctis appeteret.

5 Induta eſt caro mea putredine, & ſordibus pulueris: cutis mea aruit, & contracta eſt.

Caro ſine colume.

Non eſt in toto corpore uel minimum membrum incolume. Caro uermibus ſcatet à putrefactis humoribus ſcaturientibus, & præ ſordium ſitu & ſqualore fœtet, cutis arida uix ſiccis oſſibus cohæret. Adeóque omnia membra mea ab ira Dei, ueluti gleba humi, uermiculis ſcatent, & cutis ipſa marcet & proſcinditur, putredineq; diffluit & contabeſcit. Exterior enim pars corporis, dum non trahit humorem de interioribus areſcit, contrahitur & rugatur.

9 Dies mei uelocius tranſierunt, quàm (ſtamen textoris) à texente tela ſuccidítur, & conſumpti ſunt abſque ulla ſpe.

Vita humana uitæ.

Priores uitæ meæ dies, uix umbram reputo, uidentúrque uelociores tranſiſſe quàm inſtrumentum texto rum, quod ſine intermiſſione nunc ad ſiniſtram proijcitur, nunc ad dextram. Subitoq; dum tela perfecta eſt præſcinduntur fila, abſque omni ſpe denuo coniungendi præſciſa in hoc mundo corporeo. Sic uita humana à deo præſcinditur, nunquam iterum continuanda, ut fiat mortalis. Et tela quidem filis proficit, ſed quo magis creſcit, tanto proximior ſit præſciſioni: ſic continuo morti uita coniungitur, & electi finem ſemper concupiſcunt.

7 Memento quia uentus eſt uita mea, & nõ reuertetur oculus meus ut uideat bona.

Vita mea.

Vita noſtra uapor eſt, qui ad exiguum tempus appꝛet, deinde euaneſcit. Vt enim uentus non conſtat, ſed uelociter abit, & uelut leuiſſima aura diſſipatur: ita homínis uita in iudicio Dei nulla ratione conſiſtit. Nullus iterum in hoc mundo oculus me reſpiciet. Non eſt ut magnus Platonis annus poſt triginta millia annorũ redeat, & uita noſtra cum tempore, ut denuo alicuius mortalis hominis ut nunc oculus ſit me uiſurus.

8 Nec aſpiciet me uiſus hominis: oculi tui in me, & non ſubſiſtam.

Nullus oculus uidentis hominis poſthac me reſpiciet. Irreparabilis eſt ſemel in hoc mundo corporis humani conditio. Nemo reuertitur eorum qui hinc abſcedunt. Si tu aliquando oculos tuos in me fixeris, & iudicio tuo corripueris, nihil ſum. Totus enim ex te pendeo, in te unico uiuimus, mouemur et ſumus, te manum præbente ſubſiſtimus, deſerente toti concidimus. Vita noſtra continua mors eſt, ſpeſq; meliorum nulla hic eſt.

9 (Sicut) conſumitur nubes, & pertranſit: ſic qui deſcenderit ad inferos non aſcendet.

Nec

10 Nec reuertetur ultra in domum ſuam, neque cognoſcet eum amplius locus eius.

Vita ut nubes.

Vt nubes tranſiens non reuertitur, ſed ſenſim euanescit: ſic ab inferis nemo regreditur, & ad ſuperas auras reſtituitur nullus. Non redibit iterum moriens in domum ſuam ſemel ſepulchro deſtinatus. Nec agnoſcetur unquam in loco ſuo, ubi uiuens fuerat conuerſatus. Id autem dicitur contra philoſophos, qui uel tranſanimationes comminiſcuntur, uel poſt annorum multa curricula per uiam naturæ homines reſuſcitandos uel renaſcituros falſò docent. Supernaturalem aũt reſurrectionem generalem ad diem iudicij, & ad uitam immortalem non negat, ſed in poſterioribus aſſeuerat. Nomine autẽ inferni hoc loco ſepulchrum uel mortem corporis intelligit. Sed & inferni ignes aliquando dicuntur electorum probationes, quibus tentantur ad dei gloriam, et hominum uanitas declaratur, ut hoc loco uideri poteſt.

11 Quapropter & ego non parcã ori meo, loquar in tribulatione ſpiritus mei: confabulabor cum amaritudine animæ meæ.

Cum igitur nulla alia conſolationis uia detur, querelis ſaltem & murmure me refocillabo, & uindicabo. Dumq; nulla uſpiã redemptio ſperanda ſit mihi, loquar pro animi mei libidine, anguſtiamq; mentis meæ & amaritudines animi mecum deplorabo, & domino miſeror conquerar calamitates meas, qui ut ſolus infert hæc omnia, ſic ſolus adimere ualet, quod ſi noluerit, ego quid præter querimoniam tentem contra eum nihil habeo.

12 Nunquid mare ego ſum, aut cetus, quia circumdediſti me carcere?

Carnis exſpoliatio.

Expoſtulatio turbatæ carnis cum domino. An times ô domine, ne effugiam tuam manum, & turbam aliquã excitem contra te, quod me tam diligenter obſeruas, & ueluti mare undiq; uectibus ne quo effugiam cõcludas? Relicto enim à domino, uidetur undiq; ſe obſeruari, quum nulla pateat uia elabendi: quocunq; enim ſe receperit, dominum inuenit, qui adfligat, cum potius ſuſtinenda ſit æquanimiter manus domini, donec ceſſet flagellare, inq; ſilentio & expectatione fortitudo conſiſtere debet fidelium.

13 Si dixero, Cõſolabitur me lectulus meus
14 & releuabor loquens mecũ in ſtratu meo:
Terrebis me per ſomnia, & per uiſiones horrore concuties me.
15 (Quam ob rem) elegit ſuſpendium anima mea, & mortem oſſa mea.

Conſolatio nulla.

Somnus quidem mortalibus quies eſt, & à laboribus recreatio, ſentienti uerò iudicium dei, nulla quies, recreatio nulla, nec in ſomno quidem aut lectulo relinquitur: omnia etiam quietiſſima turbida ſunt, ut fere nunquam plus exterreantur miſeri quàm in ſomno. Horribilia enim ſomnia & terribiles uiſiones uſqueadeo me turbant, ait Iob, ut nõnunquam incidat cogitatus, laqueo uitam abſoluere, quando nuſquam quicquam ſpei & ſalutis affulgeat. Miſeri enim homines & infelices nimium, exiſtimant ſe uel morte euaſuros iudicium domini, quod tantum abeſt, ut potius mors quam ſibi conſciſcunt æterni iudicij & mortis ianua ſit.

16 Deſperaui, nequaquam ultrà iam uiuam: parce mihi, uanitas enim ſunt dies mei.

Abominor uitam meam, nollem perpetuò me uiuere. Abſit à me ſeueritas diuini iudicij, non mihi uicem reddat pro peccatis, ſed deſiſtat per bonitatem ſuam. Tota enim uita mea quid aliud eſt quàm uanitas? indignum ergo eſt tantam maieſtam tuam exerere ſuam manum contra tam tenuem creaturam, et nihili hominem. Dum igitur parci ſibi petit, oſtendit ac probat ſe non deſperaſſe à domino.

Iudicium domini.

17 Quid eſt homo, quia magnificas eum? aut quid apponis erga eum cor tuum?
18 Viſitas eum diluculo, & ſubito probas illum?

Deploratio eſt miſeriæ humanæ. Quàm calamitoſa, inquit, res eſt homo? tollitur in altum, ſed ut altius cadat: magni fit à domino, ſed mox deijcitur: omnibus ut officiat beneficijs, mox uerò nõ expectata ueſpera ſuccidit, ſupprimit ac cõculcat, ut luſus tragœdiæ uideatur uita hominis. Qua diuerſa humanarum rerum ſorte, docet dominus & fidem & timorem.

Humanæ miſeria.

19 uſquequo non parcis mihi, nec dimittis me ut glutiam ſaliuam meam?

Quandiu non uertis à me horribilem uultum iudicij tui, plagis iuſtitiæ tuæ me percutiens? Cur tandiu me adfligis, ut nec uel ſaliuam citra horrorem & anxietatem liceat deglutire? Quid feci? quid commerui? quod meum tantũ nefas, ut nec paululũ quidem à me affligendo interquieſcas? Cupio, ſi liceat, uel paruum interſtitium quietis, ne abſq; ceſſatione ulla concutiar tã acerbe.

20 Peccaui, quid faciam tibi ô cuſtos hominum? quare me poſuiſti contrarium tibi, & factus ſum mihimetipſi grauis?

Non quidem fateri poßum ſine peccato me eſſe. Quis eſt enim homo qui uiuat, & non peccet? Quod ſi iniquitates obſerues, quis ſuſtinebit? Et quomodo tibi ſatis facere poterimus pro peccatis? Et quis nos à peccato cuſtodire poterit, niſi tu ſolus? Quomodo naturã in qua nati ſumus euincere poterimus, niſi tu cuſtodieris? Non eſt in ciuitate malum quod non tu feceris: & ſine tua gratia peccatum nullum obmittitur. Quare permiſiſti, imò cõmiſiſti, ut aduerſari tibi potuerim, auſus fuerim, & uoluerim? Quare non tua gratia præueniſti me, ut nullo peccato te offenderem? Et quare ſinis me tandiu ferre & circumferre corpuſculũ mortis huius? Quare toties me caro adigit, ut faciã quod nolo? Ad quid fomite peccandi corpus humanum aggrauaſti? quis eſt qui nos fecit? certe nõ ipſi nos. Et quæ uirtus noſtra ut peccata uitemus? Quo conſilio nos tibi peccatores ſtatui permiſiſti? & quare non potius liberaſti nos à periculis tot tranſgreßionum ex bonitate tua?

Confeſſio peccati.

21 Cur non tollis peccatum meum, & quare non aufers iniquitatẽ meam? ecce, nũc in puluere dormiam: & ſi mane me quæſieris, non ſubſiſtam.

Quare non clementer pro tua conſuetudine ad alios,

remittis mihi peccatum meum? si tantopere peccasse me conuincis, quare nõ fragilitatis humanæ delicta suffers, cum sine peccato esse homo non possit? Si tantarum calamitatũ mearũ causam reijcis in peccata tibi nota, quare non quod solus potes peccata remittis? quomodo ego peccatis liberabor nisi tua gratia emendatus & emundatus? Non est enim hominis peccata auferre, uel etiam liberi arbitrij cauere, multo minus satisfacere pro peccato. Donec enim uixero, mundus à peccato esse non possum. Citius in puluere dormiam, inq; puluerem resoluar secundũ corpus, quàm ut illudipsum immune seruem à peccatis omnibus. Si autẽ remittere nunc & in hac uita peccata mea distuleris uel nolueris, cras mortuũ saluare bearecq; non ualebis. Summa huius capitis. Certandũ omnibus in hoc mundo. Molestijs plena est hæc uita, mdies aduersa grauiora succedũt. Mors finit dolores, imò uita hominum cõtinua mors est. Spes hic nulla meliorũ. Tempus & locus querelas exigunt. A domino hæc omnia inferuntur. Qui ubi hostis fuerit, quis solabitur? Melius non esse quàm illius in odio uiuere. Peccata donabit quæ uitare non potui: puluis sum & nullarum uirium.

Summa.

¶ CAPVT VIII.

1 REspondens autem Baldad Suhites, dixit:

2 Vsq; quo loqueris talia, & spiritus multiplex sermonis oris tui?

3 Nunquid deus supplantat iudicium? aut omnipotens subuertit quod iustum est?

Arguere deum.

Secundus amicus Iobi consentit quidem primo Iobum pro peccatis suis tam atroci plaga puniri à domino, & ea nonnihil exaggerat: interim tamen eidem melior quòd ad pœnitentiã adhortatur, & spem promittit salutis & indulgẽtiæ, si confiteatur domino peccata sua, & resipiscat. Quomodo, inquit, audes iniustitiæ arguere dñm, ponere os in cœlum, et contra deũ loqui tam dura, incondita ac uehemẽtia? per desperationem criminando iudicia dei, putans te iniuste adfligi à dño, qui punire nõ potest nisi peccantem, quia reddit ut iustus iudex unicuiq; iuxta opera sua, pijs gloriam, impijs pœnam. Nam legis & iustitiæ ratio exigit nullum malum impunitum relinqui, & nullum bonum sine mercede manere.

4 Etiam si filij tui peccauerunt ei, & dimisit eos in manu iniquitatis suæ:

5 Tu tamẽ si diluculo cõsurrexeris ad deũ, & omnipotentem fueris deprecatus:

Si mundus & rectus incesseris, statim eui gilabit ad te, & pacatum reddet habitaculum iustitiæ tuæ.

7 Intantum ut priora tua fuerint parua, & nouissima tua multiplicentur nimis.

Resipiscentiæ locus.

Fortasis ob grande aliquod scelus filij tui iudicio Dei puniti sunt, & nulla eis spes uitæ relicta est: tibi uero conceditur resipiscentiæ locus, & filiorum iniquitatem pater nõ portabit. Si deum requisieris, afflictiones tuas iustas agnoueris, ac omnipotentẽ fueris deprecatus, & sine dilatione mature deum inuocaueris, pro tuis quoq; illũ peccatis fueris deprecatus, ignoscet tibi. Si pure & recte uixeris, ac resipueris à pristinis peccatis, pro quibus punitus es, protinus aurem tibi præbebit, & splendorem iustitiæ reddet tibi, tui curam denuo suscipiet, euigilabit ad orationes tuas, & miseros eiulatus: misericordiamq; ostendet super te, & splendorem pulchritudinemq; iustitiæ tuæ abundanter tibi restituet, tabernaculaquoque restaurabit in pristinum statum & decorem, ut cõparatione posterioris fortunæ & felicitatis, prior parua putabitur fuisse, quod & in lege promittit dominus. Si audieris uocem domini dei tui benedictus eris in ciuitate, &c. Vxor tua sicut uitis abundans, & benedictio domini super caput iusti.

8 Interroga enim generationẽ pristinam, & diligẽter inuestiga patrum memoriam.

9 (Hesterni quippe sumus, & ignoramus: quoniam sicut umbra dies nostri sunt super terram.)

Testimonium ueterum.

Sordent fortasis iuniorum testimonia, quære igitur maiores, interroga patres, qui multo usu & experientia sapientiam obtinuerunt, ecce ij docebunt me uera loqui, & afflictiones hominibus deo irato contingere. Pulchre autem breuitatem uitæ nostræ per diem hesternum & umbram delineat, nam nihil nobis propinquius ex præteritis hesterna die: ita ortus noster quamumlibet uetustus tamen hesternus dicitur. Quid uero citius trãsit umbra? Sic uita nostra ut ortũ habet nuperrimum, sic finem habet celerrimũ. A deoq; probe dicitur, Homo bulla, quæ subito orta in superficie aquæ mox interit.

Authoritas ueterum.

10 Et ipsi docebunt te: loquentur tibi, & de corde suo proferent eloquia.

Quum breuis sit uita nostra, discenda nobis est rerum prudentia è senioribus, quorum sancta debet esse authoritas in his quæ iuxta uerbum dei didicerunt ac docent, quorum sequamur uestigia ut ipsi Christi & apostolorũ ac prophetarum, non aliter. Coram cano capite surgendum, & honoranda persona senis. In maioribus est sapientia, & ex corde eorum proferent scientiam salutarem & eloquia erudita. Veruntamen senectus uenerabilis non computanda est ex annorum numero, sed ætas senectutis uita est immaculata: & ipsi quoque senes ab hac tione sua docebunt nos esse hesternos.

11 Nunquid uirere potest scirpus absq; humore? aut crescere carectum sine aqua?

12 Cum adhuc sit in flore, nec carpatur manu, ante omnes herbas arescit:

13 Sic uiæ omnium, qui obliuiscuntur deũ, & spes hypocritæ peribit.

Spes hypocritæ.

Quemadmodum scirpus extra paludem nõ adolescit, nec augescit carectum sine aqua, sed priusquam oritur, tollitur, ac citius quàm ulla herba arescit: sic pereunt qui dei obliuiscuntur, sic perit spes hypocritæ. Quemadmodum autem profectus pietatis frugiferis comparatur arboribus, iuxta aquam plantatis, qui fructum dant suis temporibus: sic impietas et hypocrisis iuncis & floribus, arido inhumectatoq; solo enatis. Sic nulla spes uel fiducia cõstat nisi in dominum, caditq; omne humanum consilium

consilium, uerbum autem Domini permanet inæternum. Adinuentiones humanæ & nugæ, quibus hypocrita fidit, abominationes sunt coram domino: ideo nõ possunt consolari credentes, nec in se confidentem iudicij tempore liberare.

14 Non ei placebit uecordia sua, & sicut tela aranearum fiducia eius.

15 Innitetur super domum suam, & non stabit: fulciet eam, & non consurget.

Spes vana. Araneus uenationi muscarum studiosus, mirabili artificio rete suum in aëra extendit, non tam sibi in domum, quàm uenationẽ muscarum leuiũ: sic tu quoq; confisus humano auxilio, & adinuentione propria sustineberis tantisper, dum leuis fueris: at cum ingrauescet horrendum iudicium, liberari non potes. Quamlibet fortis sit domus impij cui innititur, omnes diuitiæ, fortitudo, cognatio, hypocritã non poterunt liberare: peribit totum illud in quo habebat fiduciam. Sola fides in uerbum domini liberat. Non perdurat quicquid supra arenam ædificauerit homo, sed quod supra firmam petram.

16 Humectus uidetur ante solem, & in ortu suo germen eius egredietur.

17 Super aceruum (petrarum) radices eius densabuntur, & inter lapides commorabitur.

18 Si absorbuerit eum de loco suo, negabit eum, (& dicet) Non noui te.

19 Hæc est enim lætitia uiæ eius & rursum de terra alia germinabunt.

Hypocritæ ultimus interitus. Perstat in scirpi metaphora, hypocritarum describens interitum, qui nascitur plerunq; in petris, uirescitq; & in horto, ob humorem luxuriat, ut uideatur diutißimè duraturus: at cum sol incaluerit, lãguescit ex aspectu radiorum, ut tonæ cucurbita, & ueluti si nunquam enatus fuisset perit. Hæc est igitur lætitia uiæ eius, hæc iuncorum cõditio, ut propemodũ uideantur subito nasci, sed incalescente sole subito emarcescunt, ac rursum alij de puluere germinãt, si denuo locus humore irrigetur. Sic omnia impiorum studia & opera benedicta uidentur, ut & prophetæ mirentur hac parte profundum iudicium dei, sed non durat diutius, momentaneum est ut uigeant, nunc deijciuntur, nunc surgunt de puluere, ut iunci. Varieq; tractãtur à domino impij, dum nunc elcuantur, mox quoq; pereunt.

20 Deus non proiiciet simplicem, nec porriget manum malignis,

21 Donec impleatur risu os tuum, & labia tua iubilo.

22 Qui oderunt te induentur confusione: & tabernaculum impiorum non subsistet.

Sophista. Concludit sophistice Baldad, Deus innocentem & iustum nõ fastidit uel abominatur, neq; malignis & impijs hominibus fert opem. Ideo sicut Iobum propter iniquitates suas affluxit, & non iniuria, sic non recõciliabitur nisi conuerso ad pœnitentiã: quod si resipueris, & pecata agnoueris, impleberis rursum gaudio, & lætaberis pro reditura tibi felicitate. Adhæc quicũq; te oderint, pudore perfundentur, & aduersantium tibi impiorum

habitacula corruent: sic aduersitates iustorum sæpe cedunt in maius bonum, sicut plantæ uno loco eradicatæ, alio insertæ lætius crescunt & florent. Summa huius capitis. Per desperationem loqueris contra iudicia dei, qui præterquàm propter peccata tua non perdet te. Oratione & pœnitentia conuertere ad deum & saluaberis. Emendatum restituet pristinæ felicitati. Nemo subsistit nisi propitio deo, à quo pendet profectus & robur. Post pœnam patienter latam reddit salubria. Deum odientes dire iudicabuntur. Summa.

¶ CAPVT IX.

1 ET respondens Iob, ait,

2 Vere scio quod ita sit, & quod non iustificetur homo compositus deo.

3 Si uoluerit contendere cum eo, non poterit ei respondere unum pro mille.

Nemo innocens. Nullus quidem homo quantumlibet iustus iudicium domini ferre, et innocens haberi potest coram deo. Verum tamen nõ secundũ hominũ merita agit deus cum hominibus, sed pro uoluntate sua, & pro ratione occultißimorum iudiciorum Dei. Nullus quidem iustificatur homo in conspectu dei, neque ullus est qui possit unam excusationem ad mille accusationes obtẽdere deo. Non enim iustificatur in conspectu tuo, ait Dauid, omnis uiuens. Non interim tamen cõsequitur, omnem afflictionem impietatis esse supplicium: probe enim conuenire possunt, nullum coram Deo iustum esse, & omnem fidelem iustum haberi apud deum. Qui enim pro otioso sermone coram deo rei constituimur, quomodo de omni opere et uerbo domino rationem reddemus? Iustificantur autem pij non comparati iudicio Dei aut propriæ iustitiæ, sed misericordiæ Dei per Christum alienam iustitiam fide possidentes.

4 Sapiens corde est, & fortis robore: quis restitit ei, & pacem habuit?

Sapientia dei. Viribus & sapientia deus non uincitur, sed humiliatione & oratione, cum fiducia bonitatis in eum, dum fidelis iudicia dei circa se omnia æqua credit & sancta, persuasum habens deum sibi patrem esse, & eum indulgentißimum, qui odire nequeat quos creauit, & qui quos diligit castigare dignatur, cuius iudicium effugere nemo possit, & qui clementiam nulli humiliato neget, sed longe procliuior sit ad miserandũ quàm ad damnandum.

5 Qui transtulit montes, & nescierunt hi, quos subuertit in furore suo.

Potentia dei. Tanta potentia præditus est, ut uno momento & pro nutu suo montes dimouere & transferre possit: id factũ uirtute dei nõ raro legitur, etiã apud sæculares scriptores. Et terræmotus dñi uirtute fiunt: quin & potentißimos tyrannos, & sublimia terræ regna trãsfert et opprimit. Nõ est enim apud deũ impossibile omne uerbũ. Hãc trãsferendi mõtes potentiã dat et Christus credentibus, in nomine et uirtute dei. Trãstulerunt et prophetæ mõtes, hoc est regna deuastarũt, nõ quidẽ gladio, sed uerbo dei.

6 Qui commouet terram de loco suo, & columnæ eius concutiuntur.

Non quidem uanum est secundum phisicos fieri terræ motus, ab inclusis sæpe terræ spiritibus erũpere gestientibus, opus tamen dei est, qui aëris eruptione potentiam suam ostendit, unde & noua & magna operaturus terræmotus excitat, & aërem Cometis illustrat. Columnas autem terræ tremere, non est humeros Atlantis terram gestantis commoueri, sed firmitatem eius & stabilitatem manu & potentia dei concuti, & ostentari ut ab impijs timeatur.

7 Qui præcipit soli, & non oritur: & stellas claudit quasi sub signaculo.

Aliud potentiæ dei miraculum. Cœlum obduci nubibus, ut nõ sol uideatur, & nocte stellas obsignari. Quem uero inter homines etiã potentissimos reges in his operibus secundum habet? Sed & Solis & Lunæ cursum in sua retinet potestate, ut dum illi placet lumẽ auferat, retrocedere cogat & sistere pro uoto suo.

8 Qui extendit cœlos solus, & graditur super fluctus maris.

Cœlorum opificium. Cœlorum quoq; extensio dei potentiam prædicat, secundum id quod in Genesi legitur: Fiat firmamentum et extensio firmissima in medio aquarum: &, Qui extendit cœlum sicut pellem: tanta latitudine dilatando, ut eius rationem homines inuestigare non possint. Solus omnia creauit, & omnia cõseruat deus omnipotens, commotiones fluctuum ipse moderatur, qui sunt excelsa maris, super quæ deus ingreditur, & uoluntate sua cuncta soloq; iussu gubernat.

9 Qui facit Arcturum, & Oriona, & Hyadas: & interiora austri.

10 Qui facit magna & incomprehensibilia, & mirabilia quorum non est numerus.

Stellarum nomina. Arcturus constellatio est uel dicitur ursæ maioris & minoris cum draconis implexione, quæ iuxta polum arcticum uoluuntur stellæ, iuxta astrologorum & poëtarum imaginationes, ut Higinus scribit. Oriona insignis constellatio uidetur in signo Cancri lucidissimis stellis, Hebræi Hesperum uolunt esse. Hyadas uel Succulos in Tauri fronte nominãt stellas. Et ad interiora austri stellæ dicuntur non nisi inter tropicos habitantibus uisibiles, ut Canopus & similes. Complectitur autem Iob his nominibus uniuersum ornatum cœlestem, & stellas omnes, quarum deus solus uires & nomina nouit, & moderatur influentias. Magnus enim dominus noster, & magna uirtus eius, &c. Qui numerat multitudinẽ stellarum, &c. Ipse facit magna & imperscrutabilia, & innumerabilia portenta. Nihil potentius uirtute eius, & nihil sanctius: quis ergo iustificaretur coram eo, aut constaret in iudicio eius?

11 Si uenerit ad me, non uidebo eum: si abierit, non intelligam.

Inuisibilis deus. Omnibus quidem locis & creaturis adest Dominus deus, omnia implet & conseruat præsentia & uirtute sua, à nullo tamen intellectu uel homine sentitur uel uidetur, omnia reguntur prouidentia sua, nulla tamen forma uel specie patitur se uideri. Deum enim nemo uidit unquam. Et si locum mutare uelit, nemo percipiet, humano modo loquendi: locum enim mutare non potest qui nusquam abest. Occulta quoq; iudicia dei sunt, quæ prima quidem facie iniusta uidentur aut stulta in oculis hominum: in nouissimo autem intelligitur consiliũ eius, & posteriora non anteriora dei uidentur.

12 Si repẽte interroget, quis respondebit ei? (uel si repente abripiat, quis eripiet illud uel restituet?) uel quis dicere ei potest, Cur ita facis?

13 Deus cuius iræ nemo resistere potest, & sub quo curuantur qui portant orbẽ (auxiliarij fortes)

14 Quantus ergo sum ego, ut respondeã ei, & loquar uerbis meis cum eo?

15 Qui etiam si habuero quippiã iustum, non respondebo, sed meum iudicem deprecabor.

Iudicia Dei irretractabilia sunt, si manus extenderit Iudicium. nemo retrahet. Nulla creatura nec omnes pariter decretum dei infringere possunt, aut illius iræ resistere: sola fide & humiliatione iram dei euincimus. Sub ipso curuantur potentissimi quiq; in cœlo & in terra. Quod semel à domino decretum est, à nullis quantumuis arrogantibus, superbis & arctissime confœderatis impediri potest. Vtcunq; reges terræ adstiterint aduersus dominum & Christum eius, tamen qui habitat in cœlis irridebit eos. Quid ego, ait Iob, conferrem pedẽ meum cum ipso? Quid possem ego respondere? aut quomodo liceret mihi cum ipso contendere? Quo pacto illi responderem, aut uerba mea coram ipso adornarem? Qui & si iustus essem, non contenderem tamen respondendo, sed supplex iudicem deprecarer: etiam si me perculiat non est quod dicam ei, sed gratiam eius implorare potius debo. Quum enim iustus uix saluetur, nisi quis ueniam & misericordiam consequi laboret fide & precibus, nil restat nisi ut pereat.

16 Et cum inuocantem exaudierit me, non credo quod audierit uocem meam.

Etiam si in angoribus constitutus Dominum orauero, Timor fi. & ille respondeat orationi meæ, incertus tamen sum si clemens exaudiat, uel iratus, quandoquidem non semper ad profectũ exaudit, etiam si aliquando ad uotum. Non enim semper quomodo orare debeamus certò scimus. Non omnia semper prosunt quæ petimus, & non raro renuisse postulata pietatis ipsius est & gratiæ. Sæpe quæ carnis sunt caro desyderat, cum spiritui ex diametro aduersentur.

17 In turbine eñ cõteret (obtenebrabit) me, & multiplicabit uulnera mea etiã sine causa.

18 Non cõcedit requiescere spiritũ meum, & implet me amaritudinibus.

Vsqueadeo me premit deus miseria, rotatq; turbine furoris sui, proq; sua me uoluntate immeritum proculcat, Oratio. exaudiat. ut nec respirare me sinat, implendo me subinde magis atq; magis amaris doloribus. Habet hanc deus consuetudinem, ut ex fide fusas dignas preces continue quidem exaudiat, non tamen cõtinuo se exaudisse reuelet, ut interim probemur num è uera fide orauerimus. Si

19 Si fortitudo (quæritur,) robustissimus est: si æquitas iudicij, nemo audet pro me testimonium dicere.

20 Si iustificare me uoluero, os meum condemnabit me: si innocentem ostendere, prauum me comprobabit.

21 Etiam si simplex fuero, hoc ipsum ignorabit anima mea, (&) tędebit me uitæ meę.

Non est ut instituam contentionem contra dominum: potētior est enim quàm ut cuincere possim, etiam si per iniuriam, quod hominibus uidetur, me diuexare constituisset, nemo illius manū euadere potest, nulla mihi creatura patrocinabitur, sed simul cū suo creatore in meam pernitiem uniuersa conspirabunt, & aduersum me stabuntur. Si ad iustitiam meam respexero, non habebo coram diuino iudicio quo uel glorier uel adiuuer. Si me prorsus innocentem quis dixerit, uel ego excusare me coner, mendacij redarguet me conscientia mea. Si perfectum me dixero & integrum, comprobabit me suo iudicio falsa dixisse, et prauū ostendet. Delicta enim quis intelligit? & quis innocentiam iactabit inter homines? Sæpe enim quæ syncere incepimus bona opera, prauo fine concludimus, & nostro iudicio ut plurimum cæcutimus, nostroq; consilio rectū pronunciamus quod prauum inuenitur. Si enim reuera conscientiam operum nostrorum expenderimus, perfectionem nullam arrogare illis poterimus. Semper enim defectus aliquis & amoris priuati ægritudo in quantumcunq; bono opere inuenietur, ut merito me reprehendat anima mea, hoc est, conscientia, ut propensio tanta ad malum in fastidiū me inducat huius tam impuræ uitæ meæ.

22 Vnum est propter quod locutus sum, & innocentem & impium ipse consumit.

Quo fit ut omnibus consideratis quæ prædixi, hanc tandem indubitatam credam & prænunciare sententiā cogar, dominum deum pro sua uoluntate malis afficere corporeis, non solum impium, sed etiam probum & integrum. Quis enim nō uidit impios quosdam multa possos, & piorum sæpe tota uita miseria est & plena ærumnis, quod & Iacob & patres sancti ferè omnes testantur, & ipse Dauid, ut Christum taceamus, apostolos, et martyres, & multos quotidie sanctos ac pios.

23 Si flagellat, occidat semel, & (non) de pœnis innocentum ridebit.

Tantum abest ut solos impios dominus in hoc mundo flagellet, ut etiam frequentius pijssimos homines subito occidat, nec aliter tractare fideles cernitur, quàm si ad ipsorū neces & plagas rideat: quandoquidem quic quid facit, hoc illi quàm maxime placet, & eo ipso bonum declaratur. Et quis nescit omnes pie uiuere uolentes in hoc mundo, persecutiones multas & plerumque maximas ferre oportere? Nec aliud discipulis Christus promisit, quàm persecutiones & crucem usq; ad mortem: dum interim non raro impij feliciter uiuunt, etiam usq; ad mortem. Non ergo propter impietatē deus pios persequitur, ut uos uultis.

24 Terra data est in manus impij, uultū iudicum eius operit: quod si non ille est, quis ergo est?

Non raro impijs datur ingens potestas persequendi sanctos. Quin & frequenter qui perfidi sunt, & deum nihil timentes, mundum regunt, ut Pharao, Sennherib, Nabuchodnezer, & tot Romanorum principes, & Antichristiani prælati, terramq; conculcat deus tyrannide impiorum, non secus atq; si talia domino placerent, ut sane placent: etiam si impietatē non probet, fert tamen & ordinat ad laudem bonorum, & ad suam gloriā, iudicio suo semper iusto, etiā si multis occulto. Agit enim omnia ipse deus pro suo arbitrio, sic ut etiam facies iudicum qui sunt in terra operiat, ne semper uideant quid liquido sit in causis, et per ignorantiam quoq; mala multa admittuntur, quæ dominus solus impedire posset, sed non facit, sic enim illi libitum est, sic cuncta dispensat ad uoluntatem suam. Si hæc mea dicta uera non sunt, quis est, & ubi qui aliud probet, uel hoc ipsum improbare posit? Vbi enim hæc omnia nō uidentur sic geri? Quis aliud persuadere potest in hoc mūdo? Et quis hominum est, qui hæc non uera esse probabit?

Impij felices uidētur

25 Dies mei uelociores fuerunt cursore: fugerunt, (&) non uiderunt bonum.

26 Pertransierūt quasi naues poma portantes (pro uoto festinantes) sicut aquila uolans ad escam.

Pergit describere aduersitates et ærumnas huius mundi, quem ideo dominus tam calamitosum uult esse, ut illum pij non nimium deament, & ad futurum sæculum aspirare cogantur, & gloria dei in sanctis & electis illustrior appareat, & impiorum perfidia minus excusationis inueniat, dum non timent iudicium suum, cum uideant sanctis quoq; non parci in hoc sæculo. Dies, inquit, mei, hoc est, tempus uitæ, citissime prætereunt, & festinant ad periodum suam, interuallis suis horæ, dies & anni subinde labuntur. Tempus nunc est serenum, nunc nubilum: uita hominum nunc prospera est, nunc ærumnosa: quod etiam Iacob patriarcha pijssimus sibi accidisse querebatur. Comparatur autem uelocitas huius uitæ rebus tribus, cursori, nauibus uelocibus, et aquilæ uolanti ad escam, quæ ut cupidissime, ita uelocissime uolat.

Mundi ærumnæ.

27 Cum dixero, Nequaquam ita loquar (ob liuiscar eloquij mei) commuto faciem meam (de relinquam iram meam) & dolore torqueor (consolidabor.)

28 Verebar omnia opera mea (omnes ærumnas meas) sciens quod nō parceres delinquenti.

Etiam si conatus fuero ut obliuiscar querelæ meæ, & uultum meum toruum & austerum ponam, et frontem exporrigam, frustraneus tamen erit omnis conatus meus. Non enim hoc sinunt ærumnæ meæ tantæ & calamitates, quas grauissimas patior, nec permittit iudicium meum quo uelim nolim tanquam malefactor in manu iudicis mei condemnor.

29 Si autem & sic impius sum, quare frustra laboraui?

Si impium me iudicat Dominus, ut tu Baldad arguis, & pro peccatis meis me adfligit, age festinet, & morti tradat uelociter, et mox finiat tot dolores quibus succũbo. Non enim eum pro indulgentia deprecabor. Cupio enim magis mori, quàm in indignatione illius tot malis obrui diutius: & si me damnare statuit, frustra precibus iudicium suum auertere & amoliri conabor. Stat enim firma illius sententia, & ut dixisti irretractabilis est.

30 **Si lotus fuero quasi aquis niuis, & fulserint uelut mundissimæ manus meæ.**

31 **Tamen sordibus intinges me, & abominabuntur me uestimenta mea.**

Nemo mundus coram deo.

Etiam si à peccatis purus fuero, in conspectu tamen dei nunquã mundus apparebo. Nulla enim iustitia quantumlibet egregia, potest in iudicio dei constare. Si laueris te nitro, ait Ieremias, & multiplicaueris tibi herbam borith, maculata es tamen in iniquitate tua coram me, dicit dominus. Manus aũt & uestimenta hoc loco, quæ iudicio domini sordidantur, sunt bona opera nostra, uirtutes & id genus. Si itaq; iustitia operum aliquid posset in homine, nimirũ producta hoc loco fuissent à Iob: non quod remisse agenda sint opera bona, & à deo præcepta, sed ut cum studiose illa egerimus semper, in eis tamen iustitiæ laudem & meritum non ponamus, sed in Christo Iesu, cui fide adhærendum, inq; ipsius iustitia præsumendum est.

32 **Neq; enim uiro qui similis mei est, respõdebo: nec qui mecum in iudicio ex æquo possit audiri.**

Deo nemo cõparãdus.

Si mihi cum homine quopiam eiusdem mecum sortis & conditionis causa esset, de uictoria non timerẽ, Nihil enim mihi conscius sum, ut ab humano die iudicer, & hominum æquam censuram subterfugere cogar: sed non in hoc iustificatus sum. Deus est enim qui probat renes & cor, qui solus iustissimus est & potẽtissimus, nulloq; iudici subiectus, sed iudex omnium. Non potest ergo fieri quin succumbam: quæ enim cõuentio abiecti hominis cum omnipotente deo atq; mundissimo?

33 **Non est qui utrũq; ualeat arguere, & ponere manum suam in ambobus.**

Cum deo non contendum.

Non est arbiter inter nos, qui correptis ambobus authoritatem suam interponeret. Non licet mihi deum in ius uocare, eo quod non habeam mediatorẽ qui nos ambos reconciliet & arguat: aut me, si importunior fuero: aut Deum, si immitius & præter demeritum uideatur mecum egisse. Quis enim deum posit aut audeat arguere? Hic autem affectus carnis est, & carnalis cogitatio, alioqui mediator & arbiter nõ deest nobis. Verum hic de temporali incommodo potius omnia intelligenda uidentur, quàm de damnatione æterna: quandoquidẽ nos non liberat Christus à cruce, sed iubet suscipi, ut illum sequamur: liberat autem à peccatis.

34 **Auferat à me uirgam suam, & pauor eius non me terreat.**

35 **Loquar, & non timebo eũ: nec enim possum metuens respondere.**

Nunc quidem facile opprimor, iudicio Dei mihi impendente, & uirga indignationis suæ me affligente, & apprehensum fortitudine sua me flagellante. Sed age, aut iudicijs deferat à me indignationem suam, & per clementiam & misericordiam agat pro more suo & hominum necessitate, & iniquitates meas non obseruet rigore iustitiæ suæ, & pauor legis & iustitiæ suæ non me exagitet, sed fiduciam concedat in bonitatem suam. Iam citra omnem metũ satisfaciam sibi de querela mihi intentata, & de iudicio tam duro à me ablegando: alioqui mecum ipse constare non potero. In tantis enim doloribus constitutus qui possem uel recta loqui, uel excusare iniqua? Summa orationis Iob contra Baldad. Omnes homines dei iudicio adhibiti, peccatores inueniuntur. Viribus deus non uincitur, sed humilitate. Omnipotenti & præsidenti omnibus nemo resistet. Non potest reprehendi deus, non errat, eius sunt timẽda iudicia, occidit impium & innocentẽ æquo iure. Dominus est omnium, uolũtas eius regula iustitiæ, omnia agit ad bonum respiciẽs, qui optimus est. Interim mundus in maligno positus est, iusti in mundo exosi & infelices, etiam coram deo iniusti secundũ opera, omnes errorum conuincuntur, tremẽdus dominus etiam iustis, sed tamen amandus, omnibusq; bonus.

Summa.

¶CAPVT X.

1 **TAedet animam meam uitæ meæ, dimittã aduersum me eloquium meum, loquar in amaritudine animæ meæ.**

Animi afflicta.

Adducor tot angustijs & ærumnis meis toto corpore, sine intermissione atroces dolores & irrequietos actus artuum sentiens, ut tædio uitæ affectus, nõ dubitem præstabilius esse mori, quàm tam miserrime uiuere. Vel secundum alios. Excisa est anima mea, id est, examinis sectus sum, & mortuo similis: & qui omnium nuper orientalium felicissimus, ditissimus & honoratissimus erã, nunc fastidire uitam cogor, & abominari omnia studia mea. Relinquam & renunciabo ergo meditationes infelicitatis meæ, & inquietudines cordis contra Deiudicia remurmurantis, & loquar per amaritudines animæ meæ, id est, ex animi dolore conquerar domino miseriarum meas, qui ut solus intulit, sic auferre potest aduersa, qui omnia moderatur & regit, à quo pendet salus & perditio hominum.

2 **Dicam deo, Noli me condemnare: indica mihi cur me ita iudices?**

Solloquium cum deo.

Orabo ergo dominum & soliloquium arripiam cum deo, ut non me ueluti impium cõdemnet, non me puniat cum ærumnis impiorum, sed clementer indicet causam, quam me qui criminum & flagitiorum pro quibus impij damnantur, conscius mihi non sim, & illius timorem numquam abiecerim, quin & solicite curarim, ut ne filij quidem Deum offenderent, qua ratione tam duro mecum iudicio consligatur, cur tam importabili pœna me affecerit: ut ignoranti tantæ seueritatis causas reuelet, si quo modo consolari possim, uel uitæ emandandæ uias arripere, cum aliter posthac quàm antea uiuere nesciam, & in quo tanto opere deum offenderim ignorem: ut causam tam re-

tam repentini iudicij contra me intelligam.

3 Nunquid bonũ tibi uidetur, si calumnieris (me) & opprimas (me) opus manuũ tuarum, & consilium impiorum adiuues?

Num tibi, ô deus, bonum uidetur? num honestum, quod hominem tui amantem, & te timentẽ, habentemq; præ oculis, sine causa calũnieris? & ut iniquissimum quenq; tractare consueueris? intentare uim tuam, & sine causa sufficiente tam dire aggredi? Num me miserum, factu ram tamẽ manuum tuarum abominaberis? et eum quem diligis ac fecisti, sic odire & abijcere uelebis? & consilium impijssimorum hominum, qui tuam prouidentiam circa homines audent criminari, astrues & comprobabis? dicentium male esse pijs & bonis, bene autem & prospere cedere cuncta impijs, & diuinæ prouidentiæ negatoribus. Num factiones impiorum & opiniones sacrilegas tua accessione confirmabis & illustrabis? ut illos sereniore uultu aspicias, & benignius tractes, quàm innocentes.

4 Nũquid oculi carnei tibi (sunt?) aut sicut uidet homo & tu uidebis?

Nonne more carnalium hominum pro personarum acceptione unius uitam & timorem & opera bona suscipis, approbas, aliorum autem odis, calumniaris, & affectio odij uel amoris, ut ad gratiam iudices, & nulla supplici oratione flectaris, & eò spectes quò homines carnales spectare solent, ut semel odio correpti reconciliari non sustineant? Non more carnis.

5 Nunquid sicut dies hominis dies tui? & anni tui sicut humana sunt tempora,

Num dies tui similes sunt humanis temporibus, ut mutabilis sis secundum tempus, ut homines mutari solent, nunc amici, deinde hostes: nunc ignorantes, postea docendi: nunc benigni, nunc austeri, ut annorum tuorum tempore muteris ut homines, & non potius idem semper permaneas, clemens timentibus, colentibus nomen tuum, & complacere tibi cupientibus? Quomodo ergo mihi repente mutatus es in infidelem & hostem, cuius beneficia tam affatim multa suscepi, nunc autem tantis obruor calamitatibus, sine meo, quod nouerim quocunq; crimine. Mutatus est deus.

6 Vt quæras iniquitatem meam, & peccatum meum scruteris?

7 Et scias quia nihil impium fecerim cum sit nemo qui de manu tua possit eruere.

Quæ tibi nunc causa occurrit, ut præter morem occidem dudum, sine quibus homines non uiuunt, ea tam scelerata tua, qui scrutari soles corda filiorũ hominũ, non ignores, sed certo scias, quod impius non fuerim, sed tui obseruantissimus, cognoscens à nemine petendum mihi auxilium, nisi à te, & quod solus uitæ & necis Dominus sis, de cuius potentia subterfugere nemo potest. Peccata non diu perquirit, sed punit.

8 Manus tuæ fecerunt me, & plasmauerũt me totum in circũitu: & sic repente præcipitas me?

Voluntate & prouidentia tua euenit mihi ærumna ista tam miserabilis, omnia enim tu nosti, & tu solus denuo saluare me potes. Tu enim conditor meus es, tu corpus finxisti meum, & in eam quam habet formã ac imaginem tu formasti, & omnium creaturarum tuarum officio me uallasti, ut homini seruiret reliqua creatura omnis, cœlum & terra, & ipsorum tota plenitudo. Qua re ergo tam nobilem & tibi dilectam creaturam finis deuorari, & deglutiri à feris, & tantis obrui calamitatibus, quasi nihil apud te pensi habeat, quasi homines etiam tibi deuotos detesteris? Omnia à Deo.

9 Memento quæso, quod sicut lutum feceris me, & in puluere m reduces me.

Cum tantis beneficijs me affeceris antequam essem, tam nobilem me tibi creaturam fingens, ut propriis tuis manibus ex luto & terra me confeceris, & in utero materno mei curam habueris, omnibus necessitatibus prouideris, gratiamq; multiplicem in corpore, anima & rebus ostenderis: qui fit ut nunc conuersus omnia ademeris, & præter miseram animam omnem substantiã subito abstuleris, & ad terræ puluerem reducere me decreueris immatura morte, & inexpectata miseria?

10 Nónne sicut lac mulsisti me, & sicut caseum me coagulasti?

11 Pelle & carnibus uestisti me, ossibus & neruis compegisti me.

Descriptio carnalis generationis in utero est. Semen enim hominum crassum & album sicut lac conditur à deo, præterea in utero matris mirabiliter in membra corporis humani constituitur, transformatur cum tempore, & quasi coagulo condensatur & coalescit. Fit enim corpus humanum à tali coagulo, ueluti à figulo uas conficitur, et formatur à limo. Carne & pelle induitur, ossibus & neruis solidatur, & in constitutionem corporis humani figuratur. Carnalis generatio.

12 Vitam & misericordiam tribuisti mihi, & uisitatio tua custodiuit spiritum meum.

Omnis uita & salus mea ex te pendet, in te omnes uiuimus & mouemur, beneficio tuo rebus necessarijs abundamus, quicquid possederam diuitiarũ et filiorum, non aliunde quàm à te suscepi, agnosco beneficia tua, quia supra merita mea locupletasti me, gratiam tuam ostendisti mihi: prouidentia, cura & uisitatio tua astitit rebus meis, ut te mihi semper præsentem senserim, & in te dominum curam meam semper proiecerim, quia uitam quam præstitisti etiam conseruasti. Ex deo omnia.

13 Licet hæc cæles in corde tuo, tamen scio quia uniuersorum memineris.

Hæc tot & tanta beneficia creationis, formationis, et prouidentiæ nunc quasi cælare uideris, quasi totus mei oblitus. Noui tamen q, omnia cures & administres. Licet enim ad tẽpus derelinquas, nõ tamen discedis, nec curam abijcis fidelium tuorũ, sed assurgis ad orationes piorum, & uigilantiã tuã auxilio manifesto declaras. Noui

enim & certus sum, te mei minime oblitum, semper ne-
cessitates meas aduertis, & non sine causa tot me ærum
nis uallasti.

14 Si peccaui & (ad horã) pepercisti mihi, (cur)
ab iniquitate mea mundum me esse non
pateris?

15 Et si impius fuero uæ mihi est: & si iustus
non leuabo caput meũ, saturatus afflictio-
ne & uidens miseriam.

Discussio cordis. Si dudum peccaueram tibi, quare non protinus puni-
uisti, sed custodiuisti me clementia tua, quasi non pecca-
uerim, benefaciendo mihi multipliciter, & feliciter fa-
uendo. Et nunc quare me non innocentem habes ab ini-
quitate mea? quare tam seuerè nũc iudicas peccata mea?
Et cum non sim factus deterior nunc quàm prius, quare
grauius me nunc tractas & seuerius quàm antea? Et si
nunc pecco coram te, & impium quid desigo, statim
me doloribus maceras, humilias sensum & cogitatum
meum, ut nec caput quidem meum leuare audeam, iudi-
cio tuo premor, siue sanctè uixero, siue impie. Sic enim
nunc repletus sum ignominia, ut uel impijssimo homini
comparari possim. Quis enim uel improbissimus homo
maioribus in hoc mũdo miserijs puniri possit quàm ego,
qui criminum nouorum nihil mihi conscius sum?

16 Et superbiendo quasi leœnam capies me,
reuersusq; mirabiliter me crucias.

Iudicium dei in pios. Quum tot impios homines passim mundus contineat,
qui te nec timent neque colunt, qui fit ut obmissis tot
millibus in me solum debaccheris, & uelut leœna irruas
ad me corripiendum subito, & uenando sine clementia
& ratione, sed leonino terrore, & aperto marte con-
grederis mihi, totus in me cõuersus, mirabiliter me tra
ctas & retractas, uersas & reuersas, ut nulla sit reliqua
spes cuiuscunq; effugij.

17 Instauras testes tuos contra me, & multi
plicas iram tuam aduersum me, & pœnæ
uicissitudines militant in me.

Ira dei. Renouas contra me testes tuos, iugiter nouas mihi su-
perinducendo molestias, ut non tot dolores sufficiant, ni
si testes malitiæ meæ & infelicitatis de longinquo attra
xisses hos amicos meos, quorum & animos sic mutasti
& opinionem, ut cum me cõsolaturi aduenerint, tu eos
mihi uertisti in hostes, ut testimonium adferre molian-
tur contra me, ut tanto infelicior sim, quanto magis ob
crimina me hæc pati testantur, etiam amici et fautores,
ut condolendum mihi minus arbitrentur. An nõ hoc est
iram tuam in me exacuere & augere, & ueluti per ui-
ces mecum decertare, dum tot mihi lictores superindu-
cis, & exercitum malorum in me uastandum immittis,
dum semper nouæ afflictiones sibi succedunt, ne contin-
gat aliqua respiratio?

18 Quare de uulua eduxisti me? qui utinam
consumptus essem (defecissem) ne oculus me
uideret.

19 Fuissem quasi non essem de utero transla-
tus ad tumulum.

Si talibus me angustijs diu persequi uoluerís, & uitam
non mihi feliciorem largiri, quis nescíat me feliciorem
cum esse, qui mox de matris utero egressus obijt mor-
tem, qui huius mundi miserias non est expertus, qui à ne
mine uisus statim rediit ad terram unde desumptus fue-
rat? Tunc enim si mortuus fuissem, tot miseriarum ex-
pers iamdudum fuissem, & non tanto tempore infelicis-
simè laborarem, si uel non natus, uel statim mortuus ex-
titissem.

20 Nunquid nõ paucitas dierum meorum
finietur breui? dimitte ergo me, ut plangã
(corroborer) paululum (dolorem meum.)

21 Antequã uadã, & non reuertar, ad terrã
tenebrosam & opertam mortis caligine,

22 Terram miserię & tenebrarũ, ubi umbra
mortis & nullus ordo, sed sempiternus
horror inhabitat, (& cuius lux sicut caligo.)

Vita hominis. Nihil in hoc mundo & statu dulcius erit & gratius,
quàm ut paucissimis diebus in uita superstes sim, & ho-
ra mortis uelociter festinet: uel si id non conceditur, sal-
tem remittat uel modicũ de angoribus quibus premor,
& respirare uel modicum donet, uiresq; resumere pau-
lulum, si in totum redimi à tot malis non dabitur, saltem
modica animi refecillatio pauco tempore duratura con
tingat, antequam extrema dies uitæ meæ appetat, qua
ad sæculum animarum transmigrẽ, & non amplius mihi
cura sit redeundi in has tantas miserias, corpus quoque
meum redeat ad terram omnium mortaliũ matrem, ubi
tenebræ sunt & umbra mortis, qua nihil quidem in hoc
mundo horribilius, ubi tenebræ, caligo & ignorantia
bonorum omniũ, regio obscura & obsita umbra morta
li, ubi nulla temporis & rerum uicissitudo locum habet,
ubi lux nulla uel splendor, nihil ibi inuenitur prater ca
liginem, ut etiam si quid penes corporum curam uel ca
uerum decoris & splendoris adhibitum fuerit, nihil
tamen nisi caligo & obscuritas est, & horror omnium
uiuentiũ. Summa huius sermonis. Humiliter deus est in-
uocandus atq; orandus. Homo ex conditione peccator,
ex se non bonus. Iusta sunt dei iudicia ad suas creaturas,
qui & innumerabilis est & æternus: mortalia non igno
rat, sed iudicat: uoluntati eius nemo resistit. Toti à domi
ni uoluntate pendemus. Vt ab eo conditi sumus, sic eius
gratia indigemus. Iustitia nostra non saluamur, sed gra-
tia. Vita nostra peccatis plena, digna pœnis. Nativitas
hominis & natura oppressa peccatis est. Vita misera si
nitur miseria maiore: futura uita sine deo perditio est.

Summa mon.

¶ CAPVT XI.

1 RESpondens autem Sophar Naa
mathites, dixit,

2 Nunquid qui multa loquitur,
non exaudietur? aut uir uerbo-
sus iustificabitur?

Num credis uerborum tuorum superfluitate & lo-
quacitate tua auditores aliquando sic obtundẽdos, ut ex
eis nemo sit, qui pro dignitate negotij aliquid respon-
dere audeat, tu quoque solus loqui uelis, & non audire
quid respõdeatur? An uir loquax, q̃ Hebræis dicitur Vir
labiorũ, multiloquio suo iustificabitur? Cum uulgo uere
dicatur

dicatur, multiloquio non deesse peccatum: & non qui multa, sed qui apposita dicit, bene dicit, et cultus iustitiæ silentium dicitur. Quum tamen pro causæ magnitudine non excesserit Iob loquacitate, sed sciolorum mos est, recte dictis non consentire, qui nihil recte dictum putant, nisi quod senserint ipsi.

3 Tibi soli (mendacijs tuis) tacebunt homines? & cũ cæteros irriseris, à nullo cõfutaberis?

Tibine soli tacebunt homines cæteri, ut quæ tam insulse mendaciterq; fingendo loqueris & impie, nemo improbare sinatur? Num te per superbiã & impatientiam alios subsannante & irridente, nemo aderit uel admonetur qui digne te uicißim redarguat, cõfundat, & ignominia te non indigna aspergat?

4 Dixisti enim, Purus est sermo meus, & mundus sum in conspectu tuo.

Supra sexto capite Iob dixerat, Et non inuenietis in lingua mea iniquitatem. Infamat hoc uerbũ Sophar, quasi dixerit se in nullo peccasse unquam, nec lingua offendisse, & in oculis dei omnino esse innocentẽ & purum, cum non alia ratione se impium neget, quàm ut pro impietate sua tantas in hoc mundo angustias non demeruerit, quim multi longe peiores, etiam coram deo, non tantis calamitatibus unquam sint flagellati à deo, quẽ ipse tamen semper religiose timuerit & coluerit.

5 Atq; utinam deus loqueretur (tecum,) & aperiret labia sua tibi,

6 Vt ostenderet tibi secreta sapientiæ, & quod multiplex esset lex eius, & intelligeres quod multo minora exigaris à deo, q̃ meretur iniquitas tua.

Præparat se Sophar ad probandum, Iobum iuste afflictionem iudicio Dei, oratq; ut Deus aperiat thesaurum sapientiæ suæ & manifestet occulta cordium, ostendatq; magnitudinem præuaricationum humanarum & iustitiæ Dei, & iudicet longe maiora esse peccata tam Iob quàm aliorum contra deum, quàm ut afflictionibus humanæ uitæ ad sufficientiam dilui possint, quod quidem uerum est. Si enim iniquitates obseruaueris dñe, quis potuit sustinere? Verum hoc Iob non negauerat, sed aliorum comparatione se supra meritum flagellari querebatur, sciens se nihil criminum admisisse, & deum clementißimum non solitum tam atrociter inuadere pios, nisi ratione occulta, quam ipse cuperet, sed non posset intelligere. Sophar aũt audacter inuadit, duplo illum maiora commisisse in legem dei, & exigi posse pœnã duplo grauiorem quàm perferat, utq; sciat superesse nõ pauca de peccatis suis, quæ longe acerbiora mala mereantur suo tempore infligenda: ideoq; nulla iustitia iactanda sit, sed se diuino iudicio committendum.

Afflictio ex iudicio dei.

7 Forsitan uestigia dei comprehendes, & usq; ad perfectum omnipotentẽ reperies.

Num consilium dei circa homines pro peccatis suis puniendis uel iustitijs remunerandis inquiri potest, uel dijudicari ab aliquo? Quis omnipotentis dei uoluntatem & iustitiam expendere præsumet ad liquidũ? Multo minus id fieri poterit, quàm mensuratio altitudinum

Consilium dei.

cœli. Quis sufficiẽter admirabitur mirabilia dei in cœlestibus uel inferis? Altior est cœlo sapiẽtia dei, et profundior inferno, ut temeritatis sit diuinarum rerum perscrutatio. Proinde noli te coram deo innocentem affirmare, etiamsi nescias te impie egisse, neque fueris tibi criminis alicuius conscius, agnoscit tamen deus cordiũ perscrutator quid sit in homine.

8 Excelsior cœlo est, & quid facies? profundior inferno, (&) unde cognosces?

9 Longior terra mẽsura eius, et latior mari.

10 Si subuerterit (omnia) uel in unum coarctauerit, quis contradicet ei? (uel quis dicere ei potest, Cur ita facis?)

Prouidentia & sapiẽtia dei præ sui magnitudine mensurari non potest, etiam si totius terræ longitudine & maris latitudine dimetiatur, hoc est, ab homine imperscrutabilis est, & magnitudine carens sine numero & mensura. Is ergo omnipotens dominus, si fortunas quascunque inuerterit & rerum uicem immutauerit pro uoto, si in carcerem incluserit siue pium siue impium: et si in unum collegerit omnes prædones orbis, & plagas omnes totius orbis & calamitates uni imposuerit, quis illum impediet? quis auertet? quisue prohibebit?

Sapientia Dei.

11 Ipse enim nouit hominum uanitatem, & uidens iniquitatem nónne consyderat?

Tanta deus præditus est sapientia, ut internam hominis uanitatem hominibus ignotam peruideat: non iuxta externam laruam, sed intimam impietatem iudicet. Aliter enim uidet homo, aliter deus. Homo uidet quæ apparent, Dominus autem intuetur cor, & probat renes: ideoq; etiam si externe purus habearis, dominus tamen intima tua scrutatur & iudicat.

12 Vir uanus in superbiam erigitur, & tanquam pullũ onagri se liberum natũ putat.

Vani & tumidi hominis est, deo insultare, cristas aduersus eius iudicium erigere, ut enim indomitus onagri pullus temere fertur in quæuis obuia, nec potest à licentia sua cohiberi: ita nihil minus corde humano domabile est, fertur enim temere in quæuis mala, inflatur, turgescit, spirat ingentia, superbit etiam aduersus deũ, ideoq; lex illi data est, pædagogus, ut pullum hunc onagri ferocientem coerceat.

Insultare Deo.

13 Tu autem firmasti cor tuum, & expandisti ad eum manus tuas.

14 Si iniquitatem quę est in manu tua abstuleris (à te) & non manserit in tabernaculo tuo iniustitia.

15 Tunc leuare poteris faciem tuam absque macula, & eris stabilis, & non timebis.

16 Miserię quoq; obliuiscēris, et quasi aquarum quæ præterierunt recordaberis.

Tu uero ô Iob, si redeas ad bonam mentem, & humilius de teipso senseris, deiq; clementiam imploraueris, & ad cœlum expanderis manus tuas supplicíter dominum inuocando, si scelera quæ admisisti longißime abs te proijcias, si flagitium nullum in domo tua habitare permiseris, tunc melius de dei iustitia circa te sperare inci-

pies & poteris, & sine confusione digna pro peccatis faciem suam deprecari tentabis. Et firmus eris, ut de tantis calamitatibus nihil metuas, omnium miseriarum obliuiscēris, omnia tibi bona denuo affluent. Quod si in impietate permanseris, peribis ut impij, qui spe sua pu-
Pietas. defiūt. Discimus hic ad pietatē exigi, cor primo ad dominum dirigi per fidem, manus quoq; per orationem extendi, nō tam fictè quàm impulsu anxietatis è corde procedentis, uitam emendare in melius, iniquitatem excutere, & tota fide domino adhærere, ei bona cuncta concredere, & ab illo sperare, cum fiducia leuare oculos in cœlum, unde certus sit sibi descensurum auxilium.

17 Et quasi meridianus fulgor consurget tibi ad (æuum) uesperam: & cum te consumptum putaueris, orieris ut lucifer.

Tota tua ætas & uita florida semper erit uelut meridies, & robur operandi sancta ac fortia tibi sicut stella matutina et lucifer orietur. Orietur enim in tenebris lux tua, & tenebræ tuæ erunt uelut meridies, erumpet quasi mane lumen tuū, et sanitas tua citius orietur, Isaiæ 58. hoc est, felicissima te uita comitabitur, senectus tua iucūda erit ac felix.

18 Et habebis fiduciam propositā tibi spe, & defossus securus dormies.

19 Requiescēs, & non erit qui te exterreat: & deprecabuntur faciem tuam plurimi.

Fiducia in deum. In dominum deum tuum, si fiduciam habueris, certus eris de aduēturis tuis bonis quàm maximis, non timebis aduersarias potestates, feliciter laborabis in omnibus. sō dies tibi domos & cellaria, & tuis usibus opportuna omnia poßidebis, cum requie diuitys felicibus incūbes, & illis cum tranquillitate frueris, in illis commorabēris, et dormies absq; formidine. Nemo te terrebit accumbentem domi in pace & gaudio. Faciem tuam multi suspicient & reuerebuntur ut Dominū & patrem suum. Est enim uir pius & constans omnibus reuerendus, etiā satanæ formidabilis. Nec ab alijs quippiam rogare coges, sed abs te alij & quidem multi sibi necessaria cum timore & reuerentia precabuntur.

20 Oculi autem impiorum deficient, & effugium peribit ab eis, & spes illorum abominatio (laqueus) animæ.

Antithesis est. Pij in omnibus benedicuntur, impij uero maledicūtur, nec constant dum iudicauerit eos dominus, spes eorum perit & erit uana, ut spiraculum hominis frustrabitur eorum desyderium, dum incūbent ad uersa non habebunt quò cū fiducia profugiāt, sed graui timore & conscientia damnationis certa fugient dominum, sed non effugient. Et quidem non impie Sophar loquitur, sed fidei mysterium non plene assequitur, & in
Error Sophar. summa errat, Iobum non alia ratione quàm quia impius esset & malefactor insignis, ideo insigniter punitū esse, restituendum autem si cōuerteretur ad dominum, & gratiam imploraret. Summa sermonis Sophar. Loquacitatis arguit Iobum & reprehensione dignū. In conspectu & iudicio dei nemo sine peccato est. Difficile committitur ex omni parte rectum. Propter peccata contin-
Summa.

gunt hominibus aduersitates. Mūdus totus subiectus est dei iudicio. Deus solus nouit mortalium omnia scelera. Pro peccatis percussus sanabitur per resipiscentiā. Sancti non nimium dolent in calamitatibus, &c.

¶ CAPVT XII.

1 Respondens autem Iob, dixit:

2 Ergo uos estis (populus) soli homines, & uobiscum morietur sapientia?

Ad Sophar & cæteros amicos sequens producitur oratio Iob, qua iactantiam illorum traducit, & ignorantiam ueræ sapientiæ: quia secundum sua opera diuinam iustitiam metiebantur, quasi ex hominum factis uel obmissionibus prouidentia Dei penderet, & non ex uoluntatis suæ infallibili regula, quam homines intelligere non possunt, nisi domino reuelante. Vtcunq; autem uera & recta multa dixerant, non tamen bene ordinabāt ad colligendum uere & apte. Num, ait, reuera sic est, ut eatenus sapientes uos soli sitis, & promptuli ad docendum eum, qui hæc dudum omnia didicit, nec solū ego sed & uulgus hominum, quæ uos profertis tamdiū nouerunt. Ex quo apparet non tantam fuisse ueritatis ignorantiam in mundo tēporibus Iob, atq; à multis putatur, quandoquidem eruditio religiosa cōmunior fuit, quàm ut penes Israelitas solos remanserit. Hi enim tres admodum eruditi uiri populares fuisse, & generaliter pars uulgi dicuntur, non soli præ omnibus alijs sapientes. Vnde dicit Iob, scilicet uos soli sic sapientiam deosculatis uniuersam, ut unà uobiscum sit moritura. Deridet autem non quidem homines & fratres, sed arrogantiā illorum & præsumptionem cum fastu.

3 Et mihi est cor sicut et uobis, nec inferior uestri sum: quis enim hæc quæ nostis ignorat?

Non minus capax ueritatis sum, nec in illa inuestiganda negligentior, nec in dei amore cupio esse tepidior uobis: æque nolo dei bonitatē & prouidentiam blasphemari ut uos: gloriam & ueritatem dei æque saluam cupio ut uos: & quæ uera docetis, ista non improbo: nolo aliquatenus haberi segnior in asserēdis eis quæ ad diuinam pertinent perfectionē. inq; illius cultu & reuerentia, non se superiorē iactat illis, sed discrete se humiliat, subindicās qd illi de semetipsis et de Iobo sentire debēāt.

4 Qui deridetur ab amico suo sicut ego, invocabit deum, & exaudiet eum: deridetur enim iusti simplicitas.

Quem in tot malis uidetis nunc cōstitutum, consolari debebatis. Nunc autem uobis factus sum derisui, qui tamen si dominum inuocauero, exaudiet me. Nec nouum Ridetur Pij. est risum fieri hominibus iustum & simplicem, contra uero prædones & impios laudari & prosperari. Sapientia enim dei stultitia est coram hominibus, pioru operā & iudicium rationi humanæ stulta uidentur. Eum autem facit humana derisio deo proximum, quem ab humanis prauitatibus uitæ innocentia seruat alienum.

5 Lāpas contēpta apud cogitationes diuitū, parata (nutantibus pedē) ad tēpus statutū.

Pies

Pios homines in conſpectu dei lucentes, & gratos, diuites & ſuperbi præ ſe contemnunt, & pro ſua libidine abutuntur & deſpiciunt. Ea autē lampas parata eſt ad offendiculum impijs, alioquin nutantibus, & ad caſum procliuibus: uel hæc res, hoc eſt, probitas contempta, & iuſtorum hominum uita irriſa, ſcandalum eſſe cō ſueuit ſimplicibus, & prouocare ad lapſum ignaros iudiciorū dei, ideoq; non facile propter aduerſitates huius temporis contemnendi ſunt homines. Non enim ſoli pij feliciter in hoc mundo uiuunt, ſed etiā impij: et contrà, non raro ſancti inuoluūtur infortunijs magnis, qui tamē non ſine uindicta dei irridentur ab impijs & faſtuoſis.

Confirmat ſuperius dictum.

6 Abundant tabernacula prædonū, & audacter prouocant deum, quum ipſe dederit (omnia) in manus eorum.

Sicut ſolem ſuum deus oriri facit ſuper bonos & malos, ſic non raro ſinit multa proſperitate perfrui improbos, & tabernacula prædonum abundare bonis temporalibus: illos quoque qui prouocant tota conuerſatione ſua deum ad iracundiam, & iuſtitiam contemnunt ſine timore, totaq; fiducia & audacter, hi ſæpe uidentur in ea ſua colunt, & opus manuum ſuarum uenerantur, ſæpe feliciores cernuntur, quàm cultores unius et ueri dei. Non ergo ſtat ratio ueſtra, ideo me impium habendum, quia infortunijs obruor, & feliciter habiturum, ſi innocens fuero. Quantumlibet uerum ſit, deum omnia ſuppeditare manu ſua, tam impijs quàm fidelibus. Cuius operum rationes ſtultum eſt hominem perſcutari uelle, qui quum ſummum bonum ab omnibus credatur, à quo omne bonum, nihil ſine ratione ſancta & iuſto iudicio agit, licet hominibus occulto.

Improbi ſæpe ſunt ſine cruciatu.

7 Nimirum interroga iumentum, & docebitte: & uolatile cœli, & indicabit tibi.

8 Vel loquere (frutici) terræ, & reſpondebit tibi, & narrabunt piſces maris.

Diſſeruiſtis, ô amici, pleraq; de ſapientia & potentia Dei, quod omnia creet, conſeruet ac regat, quaſi uero hæc mihi incognita eſſent. Nam uobis etiamnum tacenti docent hæc mihi incognita eſſent. Nam uobis etiamnum tacenti creatu bus, docent me illud creaturæ, loquuntur enim omnes creatorem, & clamant operibus & uirtute. Ipſe fecit nos, aiunt, & non ipſi nos: inuiſibilia quoq; dei cognoſcuntur ex uiſibilibus. Si quis igitur contempletur beſtiarum, auium, & animalium naturam, creatoris facile ſapientiam inueniet. Et terræ quoq; admirabiles effectus, quis ad ſufficientiam contempletur, à deo illi inſerta fœcunditate cum uarietate mirabili tantarum rerum? & omnipotentiam dei oſtendent, omnia uiuificātis & moderantis: piſcium etiam naturas & monſtra nemo unquam ad ſufficientiam explicare potuit, de quibus multi multa ſcripſerunt.

9 Quis ignorat quod omnia hæc manus domini fecerit?

Omnes ſapientes ſemper confeßi ſunt deum eſſe primam omniū creaturarū cauſam, in cuius manu ſunt oīa, cuius imperio ſubſunt uniuerſa, qui ut omnia operatus eſt, ſic ad uotum illius omnia obſequuntur. Ex quorum

Cauſa omnium deus.

omnium admiratione aſſurgere homo debet in contemplationem maieſtatis diuinæ, ad hoc enim rationem & intellectum ſuſcepit homo, ut deum ex creaturis agnitum diligat ac colat.

10 In cuius manu anima omnis uiuentis, et ſpiritus uniuerſæ carnis hominis.

Non ſolum corporalia moderatur deus, ſed & animas, nedum hominum, ſine exceptione bonorum & malorum, ſed etiam beſtiarum. Omnia enim ſeruiunt uoluntati diuinæ, ordinantur ad illius prouidentiæ opus, ad ſalutem fidelium & obſequium dei. Nihil enim otioſum, quamlibet modicum & contēptibile, habet enim quod libet ſuum commodum ac decorem in rerum uniuerſitate: omnia autem ad piorum miniſterium, quibus etiam impij famulari, uelint nolint ſuo modo coguntur. Quia ergo omnia creauit & regit, ideo de omnibus agere poteſt quod uult & libet. Nulla meriti ratio locum habet ubi omnia obnoxia ſunt, & ſeruituti meræ ſubiecta, ut nulla in luto ratio eſt uel dignitas ad opus quodcunque figuli formandū uel frangendū in hunc uel alium uſum.

Moderator omniū deus

11 Nónne auris uerba diiudicat: & fauces comedentis ſaporem?

Quid mirabilius inuenitur operationibus aurium & oculorū, palati & tactus, circa ſua peculiaria obiecta à domino ordinata? omnia tamen pēdent ex arbitrio dei, qui facit ut aures non audiant, & uiſus hebeteſcat, fauces quoq; ſuū quodq; dulce uel amarū attingāt, ut quod uni ſenſui gratū ſit, ab altero non curetur: ſic uos quoq; pro humana prudētia non omnia ad ſenſum diſcernere debetis, ſed ad dei prouidentiam, qui pro ſuo nutu, non pro uoto ueſtro oīa moderatur ab initio creaturæ ſuæ.

Auris miraculum.

12 In antiquis eſt ſapientia, & in multo tempore prudentia.

13 Apud ipſum eſt ſapientia & fortitudo, & ipſe habet conſilium & intelligentiam.

Si in antiquis ſapientia eſt, & multarum rerum certa experientia, & ſecundū longitudinem temporū intelligentia humana creſcit indies, quomodo non eſſet deus creator omniū, æternus & ſine principio, omniū ſapientiſſimus & intelligens uniuerſa? nec ſolum ſumma apud eum ſapientia eſt, ſed etiā fortitudo & potentia, conſilium & ordo rerum omnium certus & optimus, de quibus nephas ſit dubitare, quæ & improbare nemo poſſit uel debeat, qui errare, fallere & falli non poteſt.

Sapientia dei.

14 Si deſtruxerit, nemo eſt qui ædificet: ſi incluſerit hominem, nullus eſt qui aperiat:

Apud ſolum deum perfectam fortitudinem eſſe probatur, quia quæ ipſe deſtruit, nullis creatis uiribus reædificari poſſunt, illius conſilio decretū nemo hominum poterit retractare, regna, uictoriæ, gloria & ſalus, omnia de manu dei pendent: nihil in mundo contingit domino non uolente, quanto minus hominum proſperitas ſanitas et miſeria? ut dubitare nō poßim, quin inde mihi profecta ſit hæc mea calamitas, unde prius felicitas uenerat, nempe à ſola diuina uoluntate & prouidentia.

Fortitudo dei.

15 Si cōtinuerit aquas, (omnia) ſiccabuntur: ſi emiſerit eas, ſubuertent terram.

Magna quidem & inuincibilis aquarum uiolentia est, sed dño uolente continetur atq; concluditur, ipso mandante euanescit, & siccitate terra turbatur, sicut irrigatione floreſcit', & alluuione sua cuncta uastat, non sua uoluntate sed ductu diuino, cui omnia seruiunt, & quibus omnibus utitur ad piorũ salutẽ, impiorũ excidium.

16 Apud ipsum est fortitudo & (subsistentia) sapientia: (ipse nouit) & decipientem, & eũ qui decipitur.

Omnipotentia dei. Omnipotens est, & sine eo nihil subsistit: ipse fundamentũ est omnis essentiæ, qui ut in seipso subsistit, sic omnia ab ipso esse habent: ab ipso est quicquid passim erratur & proficitur: ipse tenebras creauit & lucem, sapientem & stultũ ipse format: multo magis, nõ est in ciuitate malum, quod dominus non faciat, quin consilia iniqua ordinat in bonum electorum, eius iussu spiritus mendax egreditur, prophetæ falsi à domino decipiũtur: ipse operationem mendacij immittit impiorum cordibus: iustum sed horrendum ipsius iudicium est, quum homines credunt mendacio.

17 Adducit consiliarios in (prædam) stultum finem, & iudices (faciet ululare) in stuporem.

Impiorum stultitia. Deus quoq; impiorum consilia uertit in ipsorum exitium, & spoliare sinit, ut ipsi tandem spoliẽtur, & cum diuitias per iniuriã multas collegerint, duci iubet in captiuitatem, & substantiam corrasam per iniurias in rapinas prostituit: iudices quoq; insipientes reddit, ut spiritu uertiginis corripiantur: disperdit sapientiam sapientum, ut iudicando fallantur ac corrumpantur. Ea enim ratione sæpe dominus exercitat bonos, & impios perducit ad destinatum illis iudicium, ut impleant mensuram criminum, & exemplum reddatur electis.

18 Baltheum regum dissoluit, & præcingit funes renes eorum:

Tyrannis. Tyrannidem potentium regum subuertit, & castigationem qua subditis ingerunt indigna grauamina resoluit, in illorũ capita congerit, ac hostibus uinciendos eos tradit, qui abusi sunt à domino sibi tradita potestate, populumq; oppressum de ipsorum liberat tyrannide. Sic ergo clare uidetur, tam pios quàm impios pro diuina iustitia aduersa pati ad suum usq; tempus.

19 ducit sacerdotes (in prædam) inglorios, & optimates supplantat.

Sacerdotes Dominos quoscunq; & principes populorum, qui hic sacerdotes dicuntur, primores et magistratus sæpe in captiuitatem ducit, & tradit hostibus pro spolio, proq; arbitrio opprimendos, ut seruos emptitios: et qui suis plurimum uiribus confidebant, habebanturq; inuincibiles ut gigantes olim & monarchæ, leui opera dũ uolet subuertit & supplantat, ne in uiribus quisq; suis contra deũ superbiat. Notiora harum rerum exempla sunt, quàm ut pluribus recitentur.

20 Commutãs (aufert) labium ueracium, & doctrinam senum auferens.

Rhetorica à deo. Non est in rhetorum potestate semper uerisimilia loqui, & persuadere ad uotum. Dominus est qui dat os et sapientiam, & emollit auditorum corda, ut credant & assentiant, non pendet ex loquentis arbitrio, qui non semper loqui potest ut uellet. Sed & non raro aufert à corrupto populo prædicatores ueritatis, ne sapiãt quod res est, sed in erroribus suis detineãtur, & obsordescant in suis flagitijs, dum timorem domini abiecerunt, & totos se criminibus dedicarunt. Nec ab alicuius hominis authoritate pendendum est, sed à solo uerbo dei: Lucem sapientiæ & gustũ ueritatis nonnunquam etiam à senioribus aufert. Omnia iusto iudicio suo deus agit, ut ipsum tam pij quàm impij timere discant, & dñm agnoscant.

21 Effundit despectionem super principes: & (elationem undarum attenuat) eos qui oppressi fuerant, releuat.

Principes caute agant. Claros aliquando principes ac reges (maximi enim & optimi uidentur sua potestate abuti) dum sibi uidentur, contemptui exponit populorum, & de sedibus deponit, ut suam agnoscant fragilitatem, & discant pro officio suo humiliter sapere, & Deum deorum timere, non tam dominos orbis cõstitui, quàm pastores solicitos & fidos patres, atq; secundum nomen suum beneficos. Et consilio dei sæpe fœdera & pacta dissoluuntur, ut gentes discant quis sit dominus dominorum, & principes sciant honorem suum nõ esse ius hæreditarium, sed dei omnipotentis donum, imò officium serui, de quo ridemgidam sint suo domino rationem reddituri. Fortitudinem robustorum remittit, Hebræi dicunt, ne quis tyrannus fidat uiribus, & sine timore opprimat innocentes. Non enim sustinet id diu egenorum patronus & dominus dominorum. Elationem undarum dicit procellas oppreſsionũ, quas subditi patiuntur, & deus per gratiam moderatur ut ualeant sustineri à pijs.

22 Qui reuelat profunda de tenebris, & producit in lucem umbram mortis.

Post noctem dies educitur, & lux tenebras sequitur: sic in omnibus rebus nihil est occultum quod non reuelabitur. Nulla est iniquitas tam profunda, nullum scelus tam tectum quod non manifestabitur, nisi cordis præsentia & dei gratia expietur.

23 Qui multiplicat gentes, & perdit eas, & subuersas in integrum restituit.

Magnificatus initio mundus erat, sed diluuio rursus perijt. Israel mirabiliter auctus numero, non raro ad multam redactus est paucitatẽ. Populosissima quõdam terra Iudaica, nunc solitudo est horribilis. Et de uicissitudine regnorum quid attinet multa dici, quæ semper uidetur in orbe.

24 Qui immutat cor principum populi terræ, & decipit eos, ut frustra incedant per inuium.

Dominus puniturus impium populum, subijcit eum populo stultis principibus, pueris & tyrannis. Propter impietatem enim suã & populi excæcantur, ut palpent in meridie, ut in manifestis etiam causis ignorent quid facto opus. Discimus ergo è solo deo fortitudinem, sapiẽtiam & consilium petenda, qui ea sibi soli retinet, & distribuit unicuiq; ut uult. Proinde nũc senioribus aufert prudentiam, & largitur iunioribus: nunc iunioribus adi-

mit

mit fortitudinem, & dat senioribus: nunc glorificat principes, nũc subuertit principatus. Summa huius capitis. Qui uane sibi sapientes uidentur, protrahuntur clare ut confundantur. Impij uanum habent inuocare deũ atq; timere. Diuites contemnunt pios & damnant facile, primas in hoc mundo tenent. Deus autem omnia moderatur & uiuificat, sapientißimus & æternus, omnia noscens & ordinans, omnibus dominatur potentibus & sapientibus, solus nouit occulta omnia. Gentes subinde humiliat, & exaltat, & in manu habet corda regũ quorum mentem subuertit uel dirigit, quia dicitur:

25 Palpabunt quasi in tenebris, & nõ in luce, & errare eos faciet quasi ebrios.

¶ CAPVT XIII.

1 Ecce oĩa (hæc) uidit oculus meus, & audiuit auris mea, & intellexi singula.

2 Secundum scientiam uestram & ego nouit: nec inferior uestri sum.

Non minus mihi quàm uobis cognita est sapientia & fortitudo dei. Prædicta omnia uidet clare oculus iudicij mei, auris mea hæc dudum audiuit, & credidit, percepit & intellexit. Non est ut de his multis me commonefacia tis, non sum tam impius, ut deum negem, uel ipsum iniustum deprædicem uel iniquum. Non sum ea parte uobis indoctior, nec à causa mea tamen decidam, ut iuste me falsitatis damnare possitis.

3 Sed tamen ad omnipotentem loquar, & disputare cum deo cupio:

4 Prius uos oſtẽdens fabricatores mendacij, & (medici uanitatis omnes uos) cultores peruersorum dogmatum.

Licebit mihi quoq; loqui ad omnipotentem, & disputare cum deo cupio: uel si durius accipiatur, sonare potest etiam, Arguere cupio deum, & quasi iniquitatis redarguere, cur scilicet tanta disparitate utatur, & dissimili iudicio ad pios & impios. Et is fortaßis locus est, pro quo ultimo correctus & increpatus est Iob. Et uos quoq; arguere uolo, causam dei defendere indigne cupientes, cum sitis concinnatores et fabricatores falsitatis, assumptionibus falsis arguẽtes, & seducere me uultis à ueritate quam noui. Et uani medici omnes uos estis, frivolis rebus curam adhibendo, ueluti si quis idolum excolat, & quod reuera falsum est sophisticis mediis persuadere conetur. Non quidem omnia falsa dicitis, sed male ex ueris falsa colligitis.

5 Atq; utinam (tacendo) taceretis, ut putaremini esse sapiẽtes (& esset uobis ad sapientiam.)

Sapientes iudicari possetis, si modo stultitiam uestram sermone non proderetis. Stultus enim si tacuerit, sapiẽs reputatur. Videns eos uelle apparere quod non erant, admonuit tacere ne proderent uerbis quod erant. Sapientia humana inanis est. Sapientum est tacere ad tempus, non semper.

6 Audite ergo correptiones meas, & iudicia labiorum meorum attendite.

7 Nunquid deus indiget uestro mẽdacio, ut pro illo loquamini dolos?

Disciplinam qua uos erudiam audiatis aliquando, con certationes ac argumenta labiorum meorum aduertite, statum nostræ causæ audite. Non arguo quod dominum iustum & sapientem prædicatis: quis enim ista insanus argueret, aut non commendaret? hoc autem reprehendo, quod carnalem & mundanam quandam iustitiã deo affingitis, defendere ac excusare deum præsumitis contra uestram conscientiam, mẽdacijs, dolo & fraude contendentes, quasi impius futurus deus sit, si me innocentem affligat, & ideo mihi cõtra uestram conscientiam, quam non probare potestis impietatem impingitis, qua si & deus uestris egeat mendacijs, ut iustus maneat, & ego falso coarguendus sim, si uerè deus iustus pbabitur. Iustitia carnalis.

8 Nũquid faciem eius accipitis, & pro deo iudicare nitimini?

Vehementiam arguunt interrogationes Hebraicæ. Faciem dei respiciunt & suscipiunt, quotquot carnaliter, & ut hypocritæ solent, mendaciter deũ excusant, cum lege præcipiatur, ut in iudicio nõ respiciamus personas, hoc est, ut personam propositam iudicio iudicemus non iuxta potentiam, eloquentiam, prudentiam, diuitias, amicitiam, inimicitiã, benefacta, sed iuxta causam. Vultum autem recipere, est ad gratiam quomodocũq; iudicare, uel excusare contra conscientiam, quod non excusandum intelligit uel probandum. Faciem dei respiciere.

9 Aut placebit ei quem celare nihil potest? (num bonum si inquiret de uobis) aut decipietur, ut homo uestris fraudulentijs?

Num creditis Deo placere dicta uestra, pro eo quod causam suam agitis falsis argumentis, tunc quando conscientiam uestram scrutabitur, & de uerbo doloso fallaci & scienter emẽtito uos iudicabit, si ad gratiam illius dixeritis, quod reuera non credidistis, & astutia humana uideri uolueritis seruire deo, nõ syncero iudicio, sed fallaci eloquio, ut uel religiosi, uel diuinam docti rem uideamini? Num creditis decipiẽdum à uobis deum, ut uos mutuum decipere uerba dando soletis? Deus non decipitur.

10 Ipse arguendo uos arguet, quoniã in abscondito faciem eius accipitis.

Synceritatis & ueritatis deus est dominus, nulla falsitate uel hypocrisi coli sustinet, quin potius acriter obiurgabit iudicio suo falsa dogmata uestra, quamumlibet ad illius honorem & iustitiam uindicandũ, falsa dixisse uelut uerisimilia uideamini. Producet enim suo tempore deus iustus in publicum conscientiæ uestræ dolum, cum in sinu uestro, hoc est, in secreto conscientiæ uestræ pro deo loquimini, quod non creditis, uel credere uos fingitis, neminem scilicet deum punire nisi impium, cum sæpe uideritis optimos quosque pessima sustinuisse non sine prouidentia dei, quam sine dubio negabitis, etiam uel in uiti, si pios tantum in hoc mundo felices dixeritis, quum toties contrarium uideatis. Hypocrisim non sustinet deus.

11 Statim ut se cõmouerit, turbabit uos: & terror eius irruet super uos.

Nónne elevatio, sublimitas & altitudo eius uos terret, & expauescitis de eo propter omnipotentiam eius

ut de eo loquamini quæ non sentitis, uel comprobare non potestis, aperte falsa docendo, ne illum offendatis? hoc autem personam accipere, & uultum in iudicio intueri quis non uideat? Licet enim reuereri & coli dominus debeat, non tamen falsitas ad illius honorem docenda, quia mendaciorum nostrorum non indiget, & ab innocentia nostra uel impietate non pendet illius ueritas & iustitia.

Falsa non docenda pro deo.

12 Memoria uestra comparabitur cineri, & redigentur in lutum ceruices uestræ.

Minimi uos pretij estis, & uilis cõditionis apud deũ, ut uestra laude nihil illi accedat, nec depereat illi quicquam uestra calumnia. Puluueris instar est memoria uestra, comparatione æternitatis & bonitatis diuinæ: altitudo quoq; uestra luto platearum similis est. Nolite ergo in cœlum ponere os uestrum, & de diuinis rebus loqui imprudenter & false. Conditionis uestræ potius memineritis, & altiora uobis non tentetis.

Memoria puluis.

13 Tacete pauliſper, ut loquar quodcũque mihi mens ſuggeſſerit.

Vos interim cessate à me consolãdo uestris talibus uerbis. Sinite me loqui uobis quod mentem subijt. Vera enim & probabiliora dicam, & ad Dei gloriam sic spectantia ut uerißima sint, & nota fidelibus omnibus atq; pijs, quorum non sit ingens difficultas, sed planus et obuius intellectus omnibus sensatis.

14 Quare lacero carnes meas dẽtibus meis, & animã meam porto in manibus meis?

Quod est peccatum meum tam immane & impium, pro quo tanta pati oporteat, ut toto meo corpore doleam, & proximus sim morti, non tamen mori ualeam? Ad tantam maciem redactus sum, ut uix caro supersit in ore cui dentes insistant, & omnibus momentis spiritum exhalare uidear ac præstolari mortem, periclitari de uita, & iudicium domini expectare & illico experiri.

15 Etiam ſi occiderit me, in ipſo ſperabo: uerumtamen uias meas in conſpectu eius arguam.

Etiamsi me dominus deus occidere uelit, adhuc tamen in ipsum sperabo: certißimus enim sum quod nõ me propter peccata tantopere punit, sed alia aliqua causa iusta & sancta, quæ nihil saluti meæ & gratiæ suæ incommodet, ut non propterea impius, & à facie sua abiectus existimari debeam à uobis quia tãta patiar, & tot me ærumnis inuoluerit. Testis mihi est conscientia mea non hypocritica, nunquam de fide in deum excidisse me, ideo tanta mala non patiar ad mortem, & ex indignatione diuina in me, utcunq; grauia uideantur contra me iudicia illius. In uita enim mea consistere possum coram eo, ut non sim ut uos hypocrita. Etiam si peccator sim, non tamen tantis me pro peccato flagellis punit.

Mala pati unde sit.

16 Et ipſe erit ſaluator meus: nõ enim ueniet in conſpectu eius (omnis) hypocrita.

Saltem hac parte salutem spero adfuturam mihi, sicut & reliquis sanctis omnibus, qui grauia pati semper coguntur, nõ ob scelera sua, sed alijs ex causis: quia certus sum me non esse impiũ, & quos in primis odit deus, hypocritã, qui iudicium domini ferre non possunt, nec ueritatis splendorem oculis intueri, nec æquißimo iudici probari uel abscondi. Certus sum enim damnari non posse eum, qui ingenue fateatur se peccatorem, hypocrisim non prætendat, sed sese redarguat propter peccata, siue quibus uita humana non transigitur.

17 Audiendo audite ſermonem meum, & ænigmata mea (percipite) auribus uestris.

Diligenter igitur & attente audite sermonem meum, & quæ uobis narraturus sum auribus uestris percipite, & intelligite quid uelim, ut ænigmata mea probe capiatis, & non ansam solam quæratis calũniandi me ex uerbis meis, in quibus nondum plane intellexistis quid uelim tãdem. Non enim sibijpsis placentibus, & sensu suo nimium abundantibus, cum aliorum præ se contemptu, subito & clare reuelanda est ueritas: sed stulto nonnumquam iuxta suam stultitiam respondendum est.

18 Si fuero iudicatus (Ecce nunc ordinaui iudicũ) ſcio quod iuſtus inueniar.

19 Quis eſt qui iudicetur mecũ? (ueniat) quare nunc tacens conſumor?

Sic contra uestra argumenta causam meam instruxi & communiui, ut de ea nihil addubitem, certus quod in conspectu domini uelut iustus absoluar, & non pro iniquitatibus meis me punitum inueniar iudicio deiideoq; nec uos nec alios hac in re timeo, etiam si nunc finiendus sim & morte plectendus. Irreprehensibiliter enim uixi coram deo ac mundo, ut nemo de impietate grauia me arguere posit, propter quam tam grauia patiar, ut proximus morti statim uidear periturus.

20 Duo tantum ne facias mihi, (&) tunc à facie tua non abſcondar.

Deprecatur duo, præ quibus nemo coram deo consistere possit, grauitatem afflictionis, & iram dei: quæ & Dauid orat à se longe fieri. Dñe, inquit, in furore tuo ne arguas me, neq; in ira tua corripias me. Tũc enim ab illius uultu & iudicio non me abscondam, si clementer mecum egeris, & pro bonitate tua, non humana iustitia, quis enim omnium hominũ sustineret? Omnes enim peccatores sumus, & iudicium iustitiæ suæ ferre nemo potest. Et dolores hi tanti carnis patientiam superant, ut mors quamlibet amara expetibilior sit, quàm diutinus ille dolor membrorum omnium.

21 Manum tuam longe fac à me, & formido tua non me terreat.

22 Voca (me) & ego reſpondebo (tibi) aut certe loquar, & (tu) reſponde mihi.

Grauißimam hanc pœnam & membrorum omnium torturam amoue pauliſper à me, donec declaretur iudicium causæ meæ, & timorem tuum aufer à me, ut liceat mihi loqui ad necessitatem, & ne in ira tua me arguas, ac cõsternas animo, sicut corpus affligis, sed pro tua clementia agas mecum. Tunc enim si me in ius uocaueris, respondebo tibi, & defendam innocentiam meã, ut torrem. Quod si tu tacueris, ego fidutialiter loquar, & tu respondere dignaberis mihi iusta & pia.

Quantas

23 Quantas habeo iniquitates & peccata, scelera mea & delicta mea ostende mihi.

Iniquitatis notio.

Nónne tantas ego iniquitates admisi, & tam impius in deum & homines fui, ut tam crudeles dolores, et inusitata infortunia demeruerim? Cupio, ut tu dñe deus eas producas in iudicium, non quidem communia omnibus hominibus delicta, sed flagitia, quibus tantopere adfligor præ cunctis mortalibus, cum omnium hominum flagitiosiorem me fuisse non recorder.

24 Cur faciem tuam abscondis, & arbitraris me inimicum tuum?

Cum igitur tanta contra me flagitia non producas, ô dñe, quare tam alienũ te facis à me, quasi mihi sis inimicissimus? & adoriris uelut hostem tormentis insolitis et atrocissimis? faciséq; ut cæteri homines pronuntient me pessimum fuisse omnium, & tibi odiosissimum, quia tantis me plagis afficeris, sic ut pij quoque homines scandalizentur de iudicio iustitiæ nimium austero cõtra non impium hominem.

25 Contra folium quod uento rapitur, ostendis potentiam tuam, & stipulã siccam persequeris.

26 Scribis enim cõtra me amaritudines, & cõsumere me uis peccatis adolescentiæ meæ.

Videris enim tam alijs quàm mihi atrociter opprimere me nihili hominem. Veluti enim foliũ foras proiectum & ab hominibus conculcatum, ac quasi stramen aridum nũc factus sum à te: quid tanta potentia, tantis machinis me persequeris? quia decernis quasi in scriptis cõtra me tantarum amaritudinũ plagã tam grauẽ, ut extermines & uastes me pro peccatis adolescẽtiæ meæ, & ueteres quod dicitur iniurias, uindicare deliberasti, contra tuũ morem, qui conuersorum ad te peccata uetera minime reminiscens, multo minus tam seuere uindicas.

27 Posuisti in neruo pedem meum, & obseruasti omnes semitas meas (super radices) & uestigia pedum meorum consyderasti.

28 Qui quasi putredo (uetera scet) consumendus sum (&) quasi uestimentũ quod comeditur à tinea.

Vtrũ incõstãtia.

Cum nihil sim nisi putredo, uermis, & non homo, & consumar ueluti uestimẽtum à tinea, miror cur ponas in neruum pedem meum, talos uel tibias, tantis miserijs me obiectans, ut nusquam pateat effugiendi uia: sic omnes semitas meas obseruare uideris, & explorare uestigia mea, quasi pro secretissimis peccatis meis nunc me statueris condemnare, & singula mea facta per tormenta perquirere. Iudicio quidem diuino nihil non est peruiũ, omnia scrutantur, otiosa etiam uerba, quanto minus facta impia negliguntur? Radices pedum bene transtulit uestigia pro tibijs, quæ pedibus sustentantur in itinere, quod à dño definitur & certo discutitur. Summa quoq; huius capitis. Sapientiam perfectam nemo sibi arroget. Est enim imanis hominum peritia. Sapientum est tacere ad tempus. Non indiget deus hominum mendacio. Acceptio personarum inuisa est deo, sicut hypocrisim detestatur, & falso honore coli dedignatur. Nihil diuinæ glo-

Summa.

riæ addere possumus. Agnoscenda dei potentia ex nostra fragilitate. Humiles deus subleuat, saluat rectos, potentiam & iustitiam dei ferre non possumus. Voluntas & potestas dei sacrosancta est. Subterfugere dei iudiciũ nemo potest. In dei iudicio nemo innocens reperitur. Iustitia Dei & ueritas homini est intolerabilis. Hypocrisis nihil prodest, omnia intuenti deo nota.

CAPVT XIIII.

1 HOmo natus de muliere breui uiuens tempore, repletur (perturbatione) multis miserijs.

Iudicij Dei grauitas.

Pergit Iob admirari grauitatem iudicij diuini, ex humanæ imbecillitatis miseria, quam Heuæ maledictione consequimur. Mulier enim non solũ conceptu ærumnosa, et partu calamitosa, sed etiã calamitates & miserias suas reijcit in infantẽ. Vt enim ex carne non nascitur nisi caro: ita quid aliud de ærũnosis progreditur, quàm ærumnosum? Porrò quibus homo repleatur miserijs, pluribus explicare necesse non est. Neque enim est uspiam ulla hominũ conditio aut status, qui grauibus nõ sit circũseptus ærũnis. Omnia enim plena sunt calamitatibus. Felicior est, q dñi se uolũtati submittit, & aduersitates suscipit patiẽter, ut munera à deo patre trãsmissa.

2 (Qui) quasi flos egreditur & (succidetur) cõteritur, & fugit uelut umbra, & nunquam (in eodem statu) permanet.

Homo flos.

Hominis miseria floris comparatione describitur, neq; enim carnalis hominum gloria accommodatius alicui rei comparari posset quàm flori & umbræ. Flos enim mane speciosus, odoriferus & iucundus est, uespere flaccidus et fœnum: sic homo leui morbo correptus marcescit. Dies autem hominum umbræ comparari in scriptura frequentissimum est.

3 Et dignum ducis super huiusce modi aperire oculos tuos? & adducere eum (me) tecũ in iudicium?

4 Quis potest facere mundum de immundo (non unus) conceptum semine? nónne tu qui solus es?

Cur calamitosum dignaris tanta maiestatis potentia adoriri, potius tibi tam misera creatura contẽptui quàm curæ esse deberet. An ne ideo tam exacte & diligenter hominem iudicas, ut iustitiam perfectam in ipso inuenias? Et quis posset in hoc mundo mundus esse, de immundo conceptus semine? inter impuros omnes purũmne inuenies? Oẽs enim propter originis nostri in Adam maculã, peccatores sumus, et in peccatis cõcipimur & nascimur, & ex omni parte sanctus nemo inuenitur. Quis enim dicere potest, Mundum est cor meum? Et quomodo tam exacta diligentia iudicium domini, hominem miserum & fragilem exploret?

Nemo mundus.

5 Num breues dies (hominis) sunt? numerus mensium eius apud te est: cõstituisti terminos eius qui præteriri non poterunt.

Apud deum uitæ nostræ anni, dies, horæ & momenta certa sunt & definita: proinde non accidit homini mors casu aut fortuna, sed certo & iam ante decreto consilio

Mors unde

dei. Sunt enim constituti termini, qui nec anticipari, nec præteriri possunt. Gladius autem, casus, paralysis, & morborũ huiusmodi genera, definita sunt à deo, quibus exequitur termini illius consilium, qui nobis tegitur, ut semper dominum timere discamus, & solicite cum domino ambulare conemur.

6 Recede (paululũ) ab eo ut quiescat, donec optata ueniat (&) sicut mercenarij dies eius.

Noli tam grauiter me calamitosum adfligere. Nónne satis antea miseriarũ habeo, quod homo natus sum. Cessa obsecro à iudicio, ut uel parũ interquiescam & refociller, donec transegero infelices dies meos, & status mihi terminus ueniat, quem ueluti mercennarius expecto, qui initio matutini laboris mox spirat ad uesperam, ut è laboris molestia liberetur.

7 Lignũ enim habet spem: si præcisum fuerit, rursum uiresci t, & rami eius pullulant.

8 Si senuerit in terra radix eius, & in pulue re emortuus fuerit truncus illius.

9 Ad odorem aquę germinabit, & faciet co mam quasi cum plantatum est.

10 Homo uerò cum mortuus fuerit, & nudatus atq; consumptus, ubi quæso est?

De arbore, inquit, spes est, etiam si amputetur, quotanis tamen germinare potest, quod radix eius si senuerit in terra, & reiuuenescere ordine & uolũtate diuina potest ab irrigatione aquarũ. Nulla autem est hominũ re-
Reuiuiscentia hominis uiuiscentia talis, nec ulla est naturalis ars uel scientia quæ ex demortuis hominibus reddat uiuos. Semel autem abscisus, mortuus iuxta naturã perseuerat. Caducũ ergo se animal cogitet homo, uita quoq; corporis semel perdita irreparabilis est. Quanquam & iuxta Pauli sententiam diuina uirtute corpus ut lignum ac semen fructificans rediuiuum prodibit, sed supra non cõtra naturam.

11 Quo modo si recedant aquæ de mari, & fluuius uacuefactus arescat.

12 Sic homo cum dormierit nõ resurget, donec atteratur cœlũ non euigilabit, nec consurget de somno suo.

Similitudine alia idem explicat. Quemadmodum, ait, è lacu, fonte aut flumine aqua deriuatur, donec effluat tota, & lacus exiccetur, ac arescat: ita & homo, mox ut
Homo mortalis. natus est, effluit in mortem, neq; aliud mortis initiũ est quàm uitæ exordiũ. Itaq; quo propinquior uitæ fuerit, eo propinquior morti est, & cum occubuerit non resurgit, donec cœlũ & terra transierint, quod suo modo fiet ad futuram resurrectionem hominum in fine mundi, & mors aliud non habetur quàm somnus, unde aliquando resuscitandi sint mortui.

13 Quis mihi hoc tribuat, ut in inferno protegas me, & abscondas me, donec pertranseat furor tuus, & constituas mihi tempus, in quo recorderis mei?

Iam nunc mihi uideor, ô Deus, sustinere inferni tormenta, utinã igitur defenderes & abscõderes me, donec iste tuus in me furor pertransiret, &, ô utinã, certũ mihi terminum constitueres, quo mei uelles recordari, hoc

est liberare de tantis angustijs quibus premor.

14 Putásne mortuus homo rursum uiuet? cunctis diebus, quibus nunc milito, expecto donec ueniat immutatio mea.

15 Vocabis me, & ego respondebo tibi: operi mauum tuarum porriges dexteram.

Cum nihil uideat Iob nisi mortem, dubitat nonnihil se Iudicij expectatione
cundum carnis cogitationẽ, num possibile sit hominem reuiuiscere. Qui uero secundum uerbum in spiritu iudicant, certi sunt Christum resurrexisse ex mortuis, primitiæ eorum qui obdormierunt, & cum sit per hominem mors, etiam per hominẽ resurrectio futura sit mortuorum. Et cum nihil auxiliorum præsentium habeam, hoc solum relinquitur infelici, ut expectem donec ueniat auxiliũ, donec è tenebris mortis me euoces, ut nonas in auxiliũ, donec è tenebris mortis me euoces, ut non penitus abijciatur opus manuum tuarum. Quum enim ignoremus quid agere debeamus, hoc solum relictum nobis est, ut oculos nostros ad dominum dirigamus, & fidebis expectemus salutare domini. Omni ergo momento exspecto, quando me totum sis exterminaturus, usqueadeo adfligor: dum uero me uocaueris, præsens adero, ut rursum me, qui sum opus manuum tuarum, in pristinum statum facillime & solo iussu subito restituturus.

16 Tu (nunc) quidem gressus meos dinumerasti, sed parce peccatis meis.

17 Signasti quasi in sacculo delicta mea, sed curasti iniquitatem meam.

Omnino mihi expectandum est nunc beneficium gratiæ, nihil enim uideo nisi iram, & iudicium tuum, quia dinumerasti omnia opera mea & scelera mea, ueluti quodam fasciculo colligasti & obsignasti, non tamen in finem respicies peccata, sed misericordiæ recordaberis & clementia finies miseriã meam, & spem donabis remissionis omnium peccatorum, ne semper timere cogar iudicium tuum. Signat autem dominus & curat peccata nostra, dũ nec inulta dimittit, nec in iudicio uindicat.

18 Mons certe cadens defluit, & saxũ transfertur de loco suo.

19 Lapides excauãt aquę (&) alluuione pauimentum terra consumitur, & homines ergo similiter perdes.

Temporum successu etiam montes desidunt, & defluunt alluuione aquarum, ut cadentibus rupibus saxum se celsius Mortis ad
ratur ad alium locum: & aquis lapides excauantur continuo incidentibus: & terræ congeries alluuione dissoluitur. Breuiter omnis creatura abit & mutatur, sola mors & calamitas huius sæculi non finitur, & mortis sola necessitas durat semper, & supplicium impiorum, ut nulla spes unquam supersit in hac uita, sed sempiterna desperationis infelicitas.

20 Roborasti eum (paululũ) ut in perpetuum transiret: immutabis faciem eius, & emittes eum.

21 Siue nobiles fuerint filij eius, siue ignobiles, non intelliget.

Fortiter illi homini scilicet, sicut & mihi imminet sempiterna mors, ut euadere omnino nõ possit mortẽ, per ordo iudicij tui, ut euadere omnino nõ possit mortẽ, sed de

sed deformata successiue facie, expirando paulatim pal-
lescit. Nec relinquitur ei post mortē ulla suorū cura aut
solicitudo. Siue enim splendide se gerant sui filij, siue con
temptibiliter, nec sentit, nec meminit, nec conqueritur.

22 Attamen caro eius super eū (dū uiuet) dole-
bit, & anima illius super semetipso lugebit.

Vsq; adeo miser est homo, ut quandiu in hac uita car-
nem & animā possideat, nihil ei expectandum sit quàm
dolor et afflictio, incertitudo mortis, et luctus cōtinuus,
nūc pro suis nūc pro aliorū calamitatibus, ut nesciat ho
mo si dei odio uel gratia dignus habeatur: id unum certò
sciens, à peccatis se immunē non esse, et mortis certissi-
mæ incertā horam expectare semper. Sed post mortē nō
sic erit, sed in manu dñi omnia disponētur, sine solicitu-
dine nostra, in gloriā suam & bonū nostrū, si nos totos
illi crediderimus et pro uirili colamus. Summa huius ca
pitis, Fragilitas est totus homo, ipsius nēpe ortus, uita et
obitus. Humilibus gratificatur deus, nō præsumptuosis.
Nemo mūdus à peccato. Caducū se animal homo recogi
tet. Vita corporis perdita in hoc mūdo irreparabilis est.
Ante finē mundi non est resurrectio mortuorum. Iudicio
dei assistendum post hanc uitā. Semper mors expectan
da & sponte obeunda dum euocat deus. Omniū homi-
num deus uitā & mores nouit. Reddenda ratio coram
deo. Omnia in hoc mundo prætereūt præter quàm ue-
ra uirtus. Futurorum euentus dño commendandi sunt.

¶ CAPVT XV.

1 Respondēs autem Eliphaz The-
2 manites, dixit:

Nunquid sapiens respōdebit
quasi in uentum loquens, & im
plebit ardore stomachum suum?

Secunda instruitur disputatio, in qua iterum Eliphas
prior loqui incipit. Dixerat Iob se tot afflictiones pati
non merito peccati, quia non grauatus esset criminibus
grauibus supra alios hoīes, quibus tot incōmoda nō eue
nissent, ideóq; expectare se futurā liberationē, utcunq;
præsens afflictio maior sit, q̄ ut sine querela ferri posit
ab homine mortali etiā pio. Eliphas hæc audiēs, pro car
nis prudentia calūniatur tanquā uētosa, inutilia & bla
sphema uerba, partim quod audeat Iob se iustū p̄fiteri,
partim q̄ inter blasphemias, suo iudicio, salutē sperare
audeat, dicens: An ne decet sapientē, qualē te fingis, sic
uentosa, inania & futilia loqui? Est enim huiusmodi lo-
quentiæ, uentrē repleri ardoribus uel uēto, cogita-
tiōibus tracūdis et uanis feruere, erūpere in blasphemiā.

3 Arguis uerbis eū qui non est æqualis tibi,
& loqueris quod tibi non expedit.

Tanta est sapientia omnipotentis, & sic eminet illius
iustitia, ut contradicere illius ordinationi & iudicia ca
lumniari, impiū sit & stultū, ac inutile murmuranti, cū
non possit euadere, sed uelit nolit cogatur, si dominus uo
luerit, sustinere. Satius est hominē ærumnosum se totum
contēnere, peccata sua agnoscere, nullā iustitiā iactare,
orationibus et humilitate causam agere, non murmure,
& impatiētia, quæ ad nihilū utilia sunt, sed & dominū
offendunt, & nihil adferunt consolationis.

4 Quantum in te est, euacuasti timorem, et
abstulisti preces coram deo.

Confidēs de tuis meritis, audes dcū iniustitiæ arguere,
et dei iudiciū blasphemare: eo ipso significans te carere
pietate uera, & dñm non timere, quia ausus fuisti nō hu
mili prece dñm implorare, sed indignis querimonijs illi-
us iustitiam accusare, cū dominus mala hominibus etiam
pijs irroget, ut ad ipsum tanto ardentius currere cōpel-
lat. Non ergo miseri homines desperent orare ad dñm,
sed tanto feruentius orent, quanto acrius puniuntur.

Cōfidentia.

5 Docuit enim iniquitas tua os tuū, & imi-
taris linguam blasphemantium.

Quòd tam impia ore crepas, & in dñm culpam iniu-
stitiæ reijcis, satis indicat te esse iniquitate plenum, &
ex uerbis oris tui impius iudicaberis. Ex abūdantia enim
cordis os loquitur: et ex iniquitate cordis procedit bla-
sphemia oris. Eligis quoq; magis linguam sectari callido
rum & impiorū quàm dñm omni tēpore collaudantiū.

6 Condemnabit te os tuum, & non ego: &
labia tua respondebunt tibi.

Impium te prodit blasphemia tua in deū, qui ut tibi in
nocentiam arroges, domino deo tuo iustitiā derogare nō
times. Vnde non ego te reū ago, sed tua te uerba cōdem
nant, & labia tua te impiū contestantur, qui cum deo di
sputare præsumas, & ex æquo cū illius iustitia litigare,
quasi immerito et indigne te tractet, cū si aliud peccatū
non commisisses, sufficeret ad iustitiā dei ostendendam
uel hæc tua tam superba blasphemia, qua te obrutū que-
reris à deo, præter culpam & supra modum.

Blasphemiæ in deum.

7 Nunquid primus homo tu natus es, &
ante colles formatus?

8 Nunquid consiliū dei audisti, & inferior
te erit (eius) sapientia?

Gloriaris de senectute tua, & nos iuniores floccifa-
cis. Nónne tu primus homo natus es, & ante omnes col
les tu genitus? túne es ille senex & antiquus dierum, qui
omnem sapientiam cognoueris, & præ te reliqui omnes
nihil norunt? Quis unquam te uel consilium uel sapien-
tiam dei docuisset, quando sis uel posterioribus sæculis
post patres genitus uel propemodum adolescens, & he-
sterni sunt dies tui? Nónne deum ipsum tua pernosti sa-
pientia, ut sapientior fieres omnibus in toto orbe homi-
nibus, ut deum quoq; ipsum reprehendere in suis consi-
lijs digne ualeas?

Gloriatio senum.

9 Quid nosti quod ignoremus? Quid in-
telligis quod nesciamus?

10 Et senes & antiqui sunt in nobis multo
uetustiores, quàm patres tui.

Nos sumus illi præclari uiri, qui scimus & intelligimus
dei consilium ac prudentiam, utcunq; tu teipsum iactes:
inter nos quoq; presbyteri sunt, & cani sensu, qui pru-
dentiam ætate conquisierunt. Suspitio est, quod Eliphas
fuerit senior quàm Iob, & reliqui amici iuniores. Cuius
nā rei peritus es, cuius nos simus ignari? Quid intelligis
à quo nos alieni simus, ut tātopere tuā iactare, et nostrā
audeas sapientiam damnare? Sunt enim inter nos quoq;
senes & grandæui, imò natu tuis parentibus maiores.

11 Num parũ eſt, ut conſoletur te deus? ſed uerba (*tua praua*) hoc prohibent.

12 Quid te eleuat cor tuũ, & (*innuunt oculi tui*) quaſi magna cogitans, attonitos habes oculos?

13 Quid tumet cõtra deum ſpiritus tuus, ut proferas de ore tuo (*huiuſcemodi*) ſermones?

Num parũ eſt, quòd dei ſolatia, quæ per nos tibi deus uoluit adferri, cuius nutu congregati ad te uenimus, ſic contemnis, ut unde cõſolari, et in ſpiritu recreari debueras noſtro miniſterio & dei ordinatione, inde teipſum inuoluas peccatis maioribus, tot iaculando in dei iuſtitiã blaſphemias, loquendo cõtumaciter & arroganter, quæ & non conueniant, & dominũ iratum tibi magis offendant? Forte latet in te adhuc abſcõdita res aliqua aut iuſtitia, quam nõ profers. Quò rapuit nunc te cor tuũ? & quid intuiti ſunt oculi tui, ut neſcio quã malignitatẽ & ſocordiã prætendere & prodere tui oculi aſpicientibus uideantur? ut indignas res exiſtimes, quicquid circa te dñs operatur, & ſtultitiam iudices quicquid tibi etiam ab amicis & ſapientibus proponitur ad conſolationem tuam & inſtructionem, quia ipſos non uereris appellare medicos uanitatis: ſtomacharis quoq; contra deũ, & ſic uerba iniurioſa producis contra deum & homines.

Solatia repellere.

14 Quid eſt homo, ut immaculatus ſit, & ut iuſtus appareat natus de muliere?

15 Ecce inter ſanctos eius nemo immutabilis, & cœli non ſunt mũdi in cõſpectu eius:

16 Quanto magis abominabilis & inutilis homo, qui bibit quaſi aquas iniquitatem?

Tũne iuſtum coram deo aſſeuerare te audes, quãdo nec ſancti dei irreprehenſibiles ſint? Nec cœli ipſi, & angelici ſpiritus, in conſpectu eius mũdi ſunt, quanto minus homo, abominatio & fœtor, qualis tu es? Vera quidem hæc ſunt, quæ nec Iob unquã negauit. Nihil enim omnino habet homo ex natura ſua, quod de muliere contraxerit, cuius gratia poſſit innocens credi. Iuſtitia enim fidei per Chriſtũ, nõ eſt ex carnis & ſanguinis uiribus & natura, ſed per gratiã donũ dei per ſpiritum Chriſti: in deo enim per fidẽ omnis munditia, puritas & iuſtificatio poſſidetur. Mundi eſtis, inquit Chriſtus, per ſermonem quẽ dixi uobis, &c. Si ergo inter ſanctos ſuos perfidiam expertus eſt, & cœli in oculis eius mundi nõ ſunt, quanto magis abiectus & uilis homo? qui imbibit nequitiam pleno hauſtu ut aquã hydropicus: id eſt, plenus eſt malignitate, ab infantia & natiuitate propenſus ad mala. De hoc ferè idem dicitur ſupra capite quarto.

Iuſtus nemo coram deo.

17 Oſtendam tibi, audi me: quod uidi narrabo (*tibi.*)

18 Sapientes confitẽtur, & non abſcondũt patres ſuos.

Solent arrogantes ubi uel parum aliquid eruditionis uel iuſtitiæ aſſecuti fuerint ſeſe attollere, & reuerentiã à doctoribus & famã uelle aucupari. Promittit ergo magnifica, & eruditionẽ non uulgarẽ iactat, poſtulatq; audiri præter decorũ. Velit enim cũ authoritate maiorũ loqui, quorũ eruditionẽ nefas ſit contemnere, uel negare ſcientiam antiquorum, qui & illi ipſa didicerint à ſuis maioribus.

Iactatio ſapientiæ.

19 Quibus ſolis data eſt terra, & non tranſiuit alienus per eos.

Cognitio rerum naturaliũ & operũ huius mundi antiquis in pretio fuit heroibus, propter quã & ſimplicio rum regimen tenebant olim, & apud orientales in præſidibus doctis mis. Id enim felici regimini conuenit, ut præſides ſint, præ alijs ſapiẽtes. Quæ ergo huiuſmodi ueteres memoriæ prodiderunt, homines eruditi & ſancti, talia ego proponam tibi, taliũ ore & ſententia reſpondebo tibi, quorũ opinionibus nemo niſi indoctus contradicet, & ut falſa improbabit. Hic Eliphas ne uideatur nugas agere, patres ſanctos, ſapientes & à domino benedictione, ſiue ſtat. Quæ aũt ſequũtur de impiorum maledictione, ſiue patres docuerint ſiue filij, uera quidẽ ſunt, ſed nõ ſyncere riter applicantur: ex ueris enim falſa concludi poſſunt paralogiſtice non legitime. Quamuis enim Iob impiorũ iudicia ſuſtineat, non tamen ut impius fuerit iudicẽdus.

Prædicatores docti.

20 Cũctis diebus ſuis impius (*parturit*) ſuperbit, & numerus annorum incertus eſt tyrannidis (*eius.*)

Impius omnibus uitæ ſuæ diebus, cũ alijs quoq; ob honores, diuitias uel uoluptates felix uidetur, angũſtias tamen graues patitur, et inquietã conſcientiã, cũ periculis fortunæ, quæ ſemper timet, & euadere ſe nõ poſſe formidat. Languet ergo, & de deo & iuſtitia male ſentit, ſine conſolatione uirtutis ſolidæ ad homines, & fidei in deũ. Tyrannorũ quoq; & improborum hominũ anni uel annorũ numeri incerti ſunt, ut ſit neceſſe timere multos eũ q à plurimis timetur. Tacite aũt perſtringere uult hoc bum, q olim tyrannum egerit, dũ proſperitate fruebatur.

Langues impius.

21 Sonitus terroris (*ſemper*) in auribus illius: & cũ pax ſit, ille inſidias (*uaſtatorẽ*) ſuſpicat.

22 Non credit quod reuerti poſſit de tenebris, circunſpectans (*undiq;*) gladium.

Terret impios ſonitus folij uolantis, eſt illorum mira ſemper pendẽs & ſuſpẽſa, ut timeant die et nocte. Tanto terrore corripiuntur, Domino iudicante, ut in pace etiamnũ prædatorem timeant: nec unquam adduci poſſunt, ut proſperiora ſuperuentura credant: gladiũ ſentiunt, per imaginantur obuerſari oculis, capiti impendere, repeti uitã. Vaſtator illi imminet dormienti, & uigilanti, deſperat ſe meliora uiſurũ, lucem poſt tenebras, & dum ſe undiq; feriri credit inſidijs, ſalute deſperata ſemper ad nequitiam proficit.

Terror impiorum.

23 Cũ ſe mouerit ad quærendũ panẽ, nouit ꝙd paratus ſit in manu eius tenebrarũ dies

24 Terrebit eũ tribulatio, & anguſtia uallabit eũ ſicut rex qui præparatur ad prælium.

Graſſatur crudeliter uelut uultur pro eſca, quaqua uerſum uagatur, depauperatus rebus uel animo, ut cibũ inueniat, etiam quæ aſſequutus eſt non poſſidens bona. Nõ credit ſua negotia à domino benedici, proq; deſperatorũ more oĩa benedicta maledicta exiſtimat. Adhæc tanta tribulatio & anguſtia impium corripiunt, perinde ac ſi truculẽtiſſimus & fortis rex aliquis hoſtis, cũ ingenti exercitu

exercitu persequatur, & iamiam immineat capiti.

25 Tetendit enim aduersus deum manum suam, & cõtra oĩpotentem roboratus est.

26 Cucurrit aduersus eum erecto collo, & pingui ceruice armatus est.

Ideo obruit impios iudicium dei, quia aduersum deum extendunt manus suas. Quia enim potens est dominus, & à decretis suis diuellitur minime, ideo impotenti potentia & in ualida manu domino occurrẽtes, quid aliud faciunt quàm suas ipsorum uires frangere, & contra durum ferrum & acutum calcitrare? Est enim conatus impiorũ, exertis uribus, erecto collo, ualido impetu, domini uoluntatem impugnare, & horribiliter frangi.

27 Operuit faciem eius crassitudo, & (fecit rugas super lumbos) de lateribus eius aruina dependet.

Impius tumet, inflatur, superbit aduersus deum, et pertinaciter resistit, modo suis cõsulat cupiditatibus, quam interim uideatur suis operibus obsequium præstare deo, & facie exporrecta tutus & insolens incrassetur & lumborum pinguedine distendatur: hoc est, fastũ interim suum curat & libidinẽ, felicitate sua utitur, in contemptum dei, & amorem sui.

28 Habitauit in ciuitatib⁹ desolatis, & in domib⁹ desertis, quæ in tumulos sũt redactæ.

Pergit Eliphas in recensendo maledictionũ impiorum catalogo. Impius, inquit, habitabit urbes deletas: hoc est, maledictus erit, nusq; inhabitabit tutum locum, etiam si munitissima quæq; occupauerit. Dño enim recedẽte ab impijs, nihil munitionis relinquitur. Erat Hierosolyma Titi tẽporibus, hoste teste, inexpugnabilis, sed ubi dominus deseruerat urbẽ, & murorum fortitudo simul euanuit. Dño enim iudicãte, fortunas suas tueri nõ possunt, quin & unde se defendere tentant, inde offendũtur: hoc est domos ædificare in tumulos, & sepeliri in cellarijs.

29 Non ditabitur, nec perseuerabit substantia eius, nec mittet in terra radicem suam.

Prosperatur quidem ad suum tempus aliquandiu uita impiorum, & à domino etiam plantari dicuntur, & radicem figere, donec peccata ad mensuram proficiant, & iustorum exercitium durat ac crescit, propter quod impij in hoc mundo uiuunt, sed iudicij diuini tẽpore, qui extrinsecus benedicti habebantur ab hominibus, maximo ipsorum malo, subito prolabuntur & præcipitantur in miserias, tanto amariores, quanto minus fuerant expectatæ. Non enim impiorum diuitiæ durabiles sunt, secum adferunt hæredibus, si non pernitiosam, saltem incertam fortunam. Non enim augebitur nec descendet in terrã perfectio eorum, non est stabilis fructus, utilitas & honor diuitiarum per impietatem collectarum.

30 Non recedet de tenebris: ramos eius arefaciet flamma: & auferetur spiritu oris sui.

Tenebræ calamitates sunt, quas nunquam effugiet impius. Semper enim & omnia timet impius, nec quisquã citius eis obruitur. Quod enim impius timet, id accidit ei. Vsq; adeo uerũ est, pios et uere Christianos homines, nec satanam timere nec infernũ. Dominus enim solus timendus est, qui solus liberat à calamitatibus. Germen autem impij tanquam à flamma arefiet, benedictiones eius uertuntur in maledictiones, iudicio domini & spiritu oris eius pereunt. Vellicat maligne uel temerè ferè omnibus istis sermonibus beatũ Iob, cuius diuitiæ, domus, filij, benedictiones pariter conciderãt, unde ipsum impiũ fuisse falso arguebat: nõ sunt enim assumptiones istæ generaliter ueræ, sed sophistice falsum colligitur ex eis.

31 Nõ credet frustra errore deceptus: quod aliquo pretio redimendus sit.

32 Antequã dies eius impleantur, peribit: & (ramus eius non uirescet) manus eius arescet.

Impius quia uanitati innititur, non permanet, nihil in fide agit uel patitur, perpetuo se felicem existimat, falsa credit uerissima, omnia putat geri secus atq; fiunt, & mors intempestiua manet eũ pro uita longissima. In non suo tempore impletur uita ipsius, præmatura morte succiditur, & rami eius non florent, hoc est, eius posteritas & filij euanescunt, ut ipsi Iob cõtigit, pro opinione amicorum & falsa. Non raro quidem propter impium parentem maledicuntur filij, non insontes, sed paternæ impietatis hæredes.

33 Lædetur quasi uinea (in primo flore) botrus eius, & quasi oliua proiiciens florẽ suum.

Marcescet ac peribit immaturus fructus eius, sicut flos uitis: ante tempus enim & priusquam aliquid tale in suspicionem perueniat, perit. Omnes autem pij ad maturitatem perueniunt, hoc est, moriuntur parati. Hæc quid habeant ueritatis satis patet.

34 Congregatio enim hypocritæ sterilis, & ignis deuorabit tabernacula eorũ qui munera libenter accipiunt.

Impij quidem hoc libro, ut & aliàs sæpe, hypocritæ dicuntur, quod summa impietas illis coniuncta sit, dum pij uideri uolunt, qui impij sunt, & religiosiores, qui sine fide & ueritate uiuunt ac docẽt. Horũ congregationes non durant, orbi filijs & solitarij fiunt, qui sine synceritate conuersati sunt, & discipulos sibi similes uel filios instituerunt. Viderint hic ordinũ institutores, quomodo hunc locũ improbent, & tot reformationes morum per hypocrisim, sine uera fide, & præter uerbũ dei instituere conati sint. Dona accipiens hoc loco significat omnem corruptũ iudicẽ uel consiliariũ, doctorẽ uel prælatum, illius tabernacula familiæ & progenies igne calamitatum conflagrabunt. Impij dicuntur hypocritæ.

35 Concepit dolorem, & peperit iniquitatẽ, & uterus eius præparat dolos.

Eadem leguntur Psalmo septimo. Impiorum conatus & institutum dolor est, & proximorum incommoda: opus eorum iniquitas est, & iniuria: cogitatio eorum dolus & hypocrisis, quæ in caput illorum dei iudicio decidunt. His omnibus Eliphas Iobum mordet, & temere iudicat ex pœna culpam. Errat autem manifeste, cum malis etiam plerunq; bona eueniant: & bonis aduersa, donec dñs uniuersa componat. Summa autem sermonis. Sapiens non toto corde irascitur. Multiloquus periclitatur, non inuatur. Impius loquitur contra deum. Versu Conatus impiorum. Summa.

tia ex lingua damnatur Iobus arrogantiæ, superbiæ, & temeritatis. Effert se Eliphas super Iobū. Irretiūtur propriis locutionibus multiloqui. Nemo corā deo innocens. Sapiētibus regitur orbis. Sceleratus semper incertus de uita. Terretur cui hostis deus, cui resistentes succūbunt.

¶CAPVT XVI.

1 RESpondens autem Iob, dixit:
2 Audiui frequenter talia: consolatores onerosi omnes uos estis.
3 Nunquid habebunt finē uerba uentosa? aut aliquid tibi molestum est si loquaris?

Iudicij dei grauitas.

His duobus capitibus Iob idem agit quod semper. Recenset enim grauitatem iudicij dei in se, & suam interim innocentiam testatur, aduersus falsas amicorum calumnias ipsos ad misericordiā inuitans, & doctrinas falsas refellens, maxime quod iustorum felicitatem in hoc mundo assererent. Non est, ait, harum rerum quæ toties inculcatis apud me ignorantia, dudum ista audiui & didici. Molesti cōsolatores mei estis, & ad desperationem me citius adigentes quàm ad fidutiam, si tam horribiles pœnas domino irato propter flagitia sustinerem, & non potius propter exercitium, non ut impius, sed ut satanas confunderetur, & spectata fieret probitas sancti uiri, quod tamen consiliū domini interim uir dei ignorabat.

Verba uentosa.

Erant autem amicorum uerba uentosa, plus mordacitatis quàm consolationis habentia, quæ tandem finienda optabat, adijciens ad amicum, Quis te impellit aut prouocat ut respōdeas tot uerbis subuentaneis? Quis adigit te ut mihi tam dura & extranea respondeas uerba? quæ sunt uelut ouа semine carentia, pulchra quidem, sed ad causam excludendi pullos inepta.

4 Poteram & ego similia uestri loqui: atq; utinam esset anima uestra pro anima mea.
5 Cōsolarer & ego uos sermonibus, et mouerem caput meum super uos.

Possem & ego multa ac præclara de dei sapientia & iustitia loqui, iactare & coaceruare: sed quid ea prodessent, si interim à uero causæ scopo, uestri similis aberrarem? Vtinam istic loci essetis ubi ego sum. Parum afficit uos quòd tantos sustineam cruciatus, at si eodem quo ego dolore affecti essetis, non deessent mihi quoq; sermones arte compositi, quibus uos non irrisorie, sed ex animo fideliterq; ut iustos decet ceu amicos cōsolarer, quando in ea palæstra nō parum exercitatus sim, Eliphas testante, Vacillantes cōfirmauerunt sermones tui: si enim pateremini quod ego, essetq; mihi animus uanus & hypocriticus sicut uobis, posse nō difficile uos ludere, et caput meū mouere, dolores uestros subsannare et irridere.

Si tu hic esses.

6 Roborarem uos ore meo: & mouerem labia mea, quasi parcens uobis.

Scirem & ego uos simili iudicio comprehensos, ad patientiam, sed syncerius quàm uos adhortari, & consolatorijs uerbis dolorem mitigare. Motu quidē labiorum facile amicis gratificari licet, facile est uerba dare: sed quicquid dicitis, nihil apud me consolationis efficiunt, manet semper eadem afflictio, idem dolor, iudicij diuini terror, qui nullis possit uerbis expelli humanis.

7 (Sed quid agā?) Si locutus fuero, nō quiescet dolor meus: & si tacuero, nō recedet à me.

Hæc est diuini iudicij ratio circa me, ut quocunq; diuertero inter homines, siue loquar siue taceam, decreto dei & factione satanæ semper præsens est dolor & molestia. Non enim uerbis sed re ipsa & factis uera consolatio comparatur. Facile est aures mulcere dulcibus sermonibus, sed uirtutem præstare longanimitatis, & abigere sensum doloris, non ita facile.

8 Nunc autē oppressit me dolor meus, & (uastasti omnem cœtum meum) in nihilum redacti sunt omnes artus mei.

Dolori deus.

Languere me facit deus dolore grauiore quàm ut uerbis comprehendi aut effari possit. Iudicium enim domini donum quouis gladio ancipiti penetrabilius est, & ueluti ignis ac malleus cōterens petras, et uastasti uel uastitates sunt nunc mihi, totus cœtus uirium, artuum ac membrorum, necessariorum uel familiarium meorum, destitutus sum omni consolatione & fidutia intus ac foris, ut nihil speciosius rare in hac uita possim morte felicius.

9 Rugæ meæ testimoniū dicunt cōtra me, & suscitatur falsiloquus aduersus faciem meam, contradicens mihi.

Vel rugæ meæ, aut canicies subitanea & intempestiua capillorum, testimonia sunt quòd grauissime affligor tam corpore quàm animo. O deus, rugis me & macie infecisti testes miseriæ meæ. Insurgit insuper ac consistit contra me falsiloquus amicus meus suo mendacio, ut in faciem resistat & confundat indigne contradicendo.

10 Collegit furorem suum in me, & commi nans mihi infremuit cōtra me dētibus: hostis meus terribilibus oculis me intuit? est.

Aduersus tuos.

Aduersarium suum uocat Iob, non solum amicos, sed omnem creaturam quæ resistit domino resistente, & accusat domino accusante. Et ipse dominus aduersarius excusat domino accusante. Et ipse dominus aduersarius excusat ius intelligitur, cuius oculi ardent in Iob, dētibus stridet, & furore corripitur uelut hostis, & uelut exedit & deuorat miserum. Sic enim uidebatur ipsi Iob deus aduersarius, & instar crudelis bestiæ commotus. Quid enim crudelius urso aut leone frementi, dilanianti, & torquē aspicienti? ita nihil ira domini intolerabilius, quæ si exæstuet, omnes humanas uires exhauriat.

11 Aperuerūt super me ora sua, exprobrantes percusserunt maxillam meam, satiati sunt pœnis meis.
12 Conclusit me deus apud iniquum, & manibus impiorum me tradidit.

Non solum deus, nec solum amici mei, sed tota rerum machina mihi aduersatur, me ludit, me subsannat, & uelicat probrosè genas meas, ac de malis meis simul gratulatur, adeoq; pessimè hostilibus oculis intuetur, et extrema minutat pericula dominus, tradens me in potestatem iniquorum, quibus fauere uidetur, & à parte eorū stare contra miserum, consilia conatusq; ipsorum contra me prosperando. Neque quisquam est qui possit in hac tentatione perdurare, nisi uerbo domini probe munitus.

Ego

15 Ego ille quondã opulentus repente contritus sum: tenuit ceruicem meam, confregit me & posuit me sibi quasi in signum.

Felix olim fueram, nunc omnibus malis obruor: ceruix mea, uirtus & potentia mea, nunc mihi fracta sunt: erectus sum & prostitutus in scopũ, in quem collimant & intendunt balistarij, omnibus scilicet periculis, calumnijs, opprobrijs expositus. Sic enim usui uenit etiam pijs hominibus, imò omnibus electis, longe secus atq; amici Iob credebant, uel mendaciter loquebantur.

14 Circundedit me lanceis suis, conuulnerauit lumbos meos, & non pepercit (&) effudit in terra uiscera mea.

Plagã plagæ addit, subinde grauius atq; grauius affligens, adeoq; ualido ictu omnia cõcutit, ut nõ hominis, sed gigantis aut tyranni impetum sustinere se credat, tot lanceis ac sagittis circũseptus, ut etiã interiora membra afficiantur crudeliter. Eneruat enim omnia hostis, renes dissecans, fel, uiscera, uel coleram disijciens, ueluti si quis aquam in terram dispergat. Vt enim clementia sua deus oĩa mẽbra etiã capillos custodit, ita ira sua oĩa cõturbat.

15 Conscidit me uulnere super uulnus, irruit in me quasi gigas.

Vulnerauit non leuiter & paucis, sed totum corpus meum proscidit, ut non sit integrum membrum, uulnus inflixit uulneri, more iratissimi tyranni, ut totus nihil aliud sim quàm consciso. Inuasit me crudeliter & conuulnerauit in spiritu, corpore, filijs, diuitijs, domibus, et amicis, nulla prorsus consolatione permissa.

16 Saccum consui super cutem meam, & operui cinere cornu meum.

Dum sentitur iudiciũ dei immutatur omnis ornatus noster, sordidantur omnia pretiosa uestimẽta, usq; adeò, ut saccus optetur & cinis, ut habitu ipso horror iudicij declaretur, nec locus gloriæ relinquatur & honori, quæ per cornua signantur. Omnia enim quæ quondam magnifica aderant, uersa sunt in dedecus & abominationem. Omnia hæc in persona piorum dici possunt ac intelligi, & ipsius Christi domini nostri, qui nostros dolores portauit, & pro nobis adflictus est & mortuus, etiã à patre, p humanitate relictus pasionibus et angoribus.

17 Facies mea intumuit à fletu, & palpebræ meæ caligauerunt.

Præ assiduitate fletus intumuit facies, dum per singulas noctes lauat lachrymis lectum suum, & plangit miserias, caret consolatoribus & à domino non iuuatur, sed ueluti ab inimico negligitur: quid mirum si uultu alienetur, et non aspectus pristinus ei remancat, lumenq; oculorum suorum euanescat? Cui unicum remedium in uotis sit, ut quàm uelociter moriatur, iamq; caligine mortis adumbrari palpebræ cernantur, & obfundi tenebris aspectum oculorum.

18 Hæc passus sum absq; iniquitate manus meæ, cum haberem (mundas ad deum) preces.

Hæc omnia, inquit, innocens patior & iustus: si uerò commeruissem, nõ conquererer, sciens stipendiũ peccati mortem esse. Ideo mortis horrore perinde ac reus mul-

torum criminum obruor, cum interim munda ad deũ sit oratio mea, quia proficiscitur ex fiducia clementiæ dei, quam non abesse diffido, sciens non ex odio, sed alia aliqua ratione tot malis obiecisse me, meliora propediem successura nõ desperans, certus uiolentia carere & iniurijs proximorum manus meas: nõ omnino sine peccato me asserens, sed sine tantis criminibus pro quibus tanta patienda essent secundum consuetum ordinem dei.

19 Terra ne operias sanguinem meũ, neq; inueniat in te locum latendi clamor meus.

Si peccatis & flagitijs cõmerui tot tormenta, oro ut omnibus patefiant, & nulla ratione occultentur, nec mihi parcatur aliquatenus, nec etiã apud deum locus relinquatur orationi meæ. Non orantem exaudiat, si pro peccatis meis digne taliter me flagellari decreuit. Sed ut crimina mea nolo prodi, & orationem sperni nõ cupio: sic, domino teste, aliunde mihi quàm ob commissa proueniunt, & non ob crimina quæcunq; ut amici mei fabulantur falso & imprudenter. Orantem non audiat.

20 Ecce enim in cœlo testis meus, & conscius meus in excelsis.

Deũ testor, me innocentẽ & integrũ quidem esse, cõparatione pœnarũ quas sustineo. Sic enim sibi conscius erat uir bonus, & testimonium illud habebat nõ solũ in conscientia, sed et acceperat iam bina uice à domino. Vera enim fiducia in dominũ, & anteactæ uitæ innocentia, se solari non indigne potest, sicut & Dauid, ut peccator fuerit non leuis, testatur tamen nõ se cõmisisse quod accusabatur. Si, inquit, est iniquitas in manibus meis, &c.

21 Verbosi amici mei, ad deum stillat oculus meus.

Nihil hac in re pro se habent amici cõtra me, nisi uerbositatem & impia argumenta proferunt contra me ex pœnis meis arguendo, à posteriore non necessaria consequentia, sed fallaci. Qui cum mihi consolationi esse deberent, rident me, & damnant coram deo & hoĩbus, aggrauantes magis miseriam, ut desertũ ego me sentiens ab hominibus, dominũ deum meum inuocare cogar, ad quẽ solũ stillabit eloquiũ meũ, et aspicient oculi mei, qui ut percussit solus, sic sanare solus poterit, et dignabitur. Verbositas

22 Atq; utinã sic iudicaret uir cũ deo, quomodo iudicat filius hoĩs cum collega suo.

Non me tantus horror inuasisset, si mihi liceret deũ in ius uocare, quemadmodũ solent homines inter se controuersias agere. Sic enim non timerem causæ meæ, qui me ea ex parte innocentiorem noui, quàm ut tot aduersis me pro suo more uoluerit iratus obruere. At cum deo mihi negotium est, qui solus est potens, cuius potentiæ & maiestati omnes creaturæ cedunt. Non ergo mihi iudicio contendendum est cum eo, sed à me est potius ut pater & dominus exorandus. Deum uocare in ius.

23 Ecce enim breues anni transeunt: & semitam per quam non reuertar, ambulo.

Nulla fuga liberabor, sed ut uideo numerus annorum uitæ meæ breui & modico definitus est, & tempus constitutum aduenisse nunc mihi uidetur. Terminum enim posuit, quẽ præteriri non licet. Omnino mihi moriendũ

est, si domino placet, & ea semita eundũ qua redire non licet ad hanc uitã. Summa uerborũ Iob in hoc capitulo. Facile est cõsolari miseros, non sic ferre quoq; et iuuare. Dolor uerbis nõ minuitur. Facile dolores patiens uerbis acerbius irritatur. Qui sine cõmiseratione reprehendit et cũ fastu, dolorẽ auget. Iudiciũ dei infallibile ostẽditur. Non ob peccata punitũ se queritur, sed quia sic deo placuit. Innocenter semper uixerat Iob etiã testimonio dei.

Summa.

CAPVT XVII.

1 SPiritus meus attenuabitur, dies mei breuiabuntur, & solũ mihi supereſt sepulchrum.

Vitæ miseria.

Vitæ præsentis miseria et breuitas describitur, quæ & duplo futura sit molestior, si adsit insipientia. De futuro nihil certi nobis ꝓmittere poßumus. Rationem reddit Iob, quare de uita desperauerit. Quia, inquit, uideo omnes uires meas defecisse, spiritus qui est anhelitus corporis et halitus humanus, quo uita corporis constat, corruptus est. Dies uitæ meæ finiti sunt, proinde nulla nisi sepulchri spes remanet. Quid ergo aliud est homo natus de muliere, quàm calamitatis mancipiũ, et blasphemiarũ lerna? et ut maxime per Christũ renatus sit, circũfert tamen semp carnẽ peccatis multis obnoxiã.

2 Non peccaui (certe illusores mecum) & in amaritudinibus moratur oculus meus.

Si non essent mecum tot irritatores & illusores, non cogitassem de disceptatione instituenda cum domino, et non tantis immorarer amaritudinibus totis noctibus omnibusq; momentis cõtra te deum meum. Oneroſi illi consolatores prouocant magis impatientiam, quàm ut adimant, & qui amicitiæ gratia aduenerant, hostium atrocitate me infestant.

3 (Libera me, &) pone fideiussorem meum iuxta te, & cuiusuis manus pugnet (stipuletur) contra me.

Fideiussor Christus.

Vt maxime mihi à te concessum fuerit fideiussorem, & causæ patronum substituere, neminem tamen inuenio ex oĩbus hominibus, qui in suos humeros recipere poßit causam meam, ut pro me fideiubeat. Nemo enim ex omnibus est, qui non æquè ut ego obligatus est, & æquali mecum iudicio implexus, ut suæ uix causæ sufficiat, præter unum mediatorem Christum, qui solus sine peccato intercedere pro peccatoribus potest.

4 Cor enim eorum longe fecisti à disciplina, propterea non exaltabuntur.

Ordo sermonis.

Sine ordine sermonis exacto, more adflictorum amicos perstringit querelis suis Iob, dicens: O domine, tu abscondisti cor eorum à sapientia, destituisti & elongasti eos uera eruditione, ut uidẽtes seueritatem pœnarũ, impium continuo me pronuntient, & ad te merito adfligi, cum ego neminem unquam circumuenerim, et impius in deũ quoq; non fuerim, sed solicitus semper ne uel ego uel mei filij dominũ offenderent: propterea nõ exaltabis eos. Confunditur enim carnalis sapientia in conspectu dei. Perdam, inquit, sapientiam sapientum, &c.

5 Prædam pollicetur socijs, & oculi filiorum eius deficient.

Impius pollicetur magnificam aliquam partẽ de substantia sua amicis suis, ueluti prædam suo marte paratã, sed iusto iudicio dei, dum incumbit necessitas, nihil exhibere permittitur, sed filij eorum proprij & hæredes in egestate & imprudentia uitam transigent: non ergo magnæ felicitatis uel etiam iustitiæ signum est relinquere post se uel diuitias, uel prolem, ut amici mei disputant.

6 Posuit me quasi in prouerbium uulgi, & exemplum tympanum sum coram eis.

Nec propterea impius sum, quia me nũc dominus de felicitate & gloria præcipitatum posuit in fabulam & prouerbium populorũ, & in portentum uel derisionem aut gaudiũ tympani corã hostibus meis, uel ad abominationem extremã. Potens est enim dominus restituere me in integrũ, & quod hodie mihi, eras ipsis quoq; expectandum est: sumus enim in manu domini.

7 Caligauit ab indignatione oculus meus, & mẽbra mea quasi in nihilũ redacta sunt.

Mœstus est propter impatientiam & iram sensuum meorum oculus meus, ut præ dolore & oculi caligarint, & uniuersa membra facta sint ut umbra, & inania. Quis enim iuxta carnis conditionẽ absq; impatientia ferat tantam fortunæ mutationem, ut qui nunc hominum in oriente felicißimus esset, nunc omnium habeatur per omnia despectißimus & ærumnoſißimus?

8 Stupebunt iusti super hoc, & innocens contra hypocritam suscitabitur.

Quia dominus tam seuere iustos tractat, ut me, nõ iudicent dominũ, sed quod inscrutabilia iudicia eius admirentur, & adorent. Quo magis autem impij calumnientur iustos, tanto fortius in uirtutis ueritate confirmantur, & innocentes zelo probitatis & iustitiæ contra impios et hypocritas expergefiunt et extimulantur.

Calumnia iustorum.

9 Et tenebit iustus uiam suam, et mundus manibus addet fortitudinem.

Nunquam pius moribus cedit impijs insultantibus uel persequentibus, sed tutus semper progreditur in uia sua, quam certò nouit bonam, dominoq; placentem. Et continuo scipso constantior redditur in operibus uerè pijs & fiducia in deum, mordicus tenendo uiam domini, quam à uerbo dei didicit, promptiorq; stabilitur in bono, quàm ut aliquatenus retrocedere uelit.

Pius uiæ per uerbum.

10 Igitur omnes uos cõuertimini, et uenite, & non inueniã in uobis (ullum) sapientem.

Non timeo quot, quanti et quàm sapiẽtes uideamini, qui mihi resistitis, & propter flagitia damnatiũ pronuntiatis, à uero enim captu prouidentiæ diuinæ & iudicio rum dei longißime abestis. Non enim sapientia carnis penetrat mysteria operum diuinorum. Agite ergo & uenite, quotquot estis, nullus tamen inter uos tam sapiens, qui ab hac me mea sententia diuellere poßit.

11 Dies mei transierunt, cogitationes meæ dissipatæ sunt torquentes cor meum.

12 Noctem uerterunt in diem, & rursum post tenebras spero lucem.

Qui mortis horrore correptus est, & ingruere ultimum

meum uitæ diem cogitat, dissoluitur cogitationibus, & quoquò se uertat ignorat, nec in noctis quiete quiescit, nec in opere diei satagit, sed in nocte diem, in die noctem desyderat. Conturbato enim corde omnia cõturbantur.

13 Si sustinuero, infernus domus mea (est) in tenebris straui lectulum meum.

Infernus propositus.

Quid prodest, inquit, expectatio meliorum iuxta uestræ promissa? cum ob oculos uideam positum infernum, siue mortem intelligas siue iudicium domini contra peccatores. Etiam si diu expectauero, in tenebris tamen infernj, in mortis horribili fato, meum cubile stratum est: hoc est, perij quocunq; me uertero, & uanam expectationem meam intueor: solo enim mortis iudicio proposito, quis uitam uidere potest? ablato cœlo, quis aliud præter infernum expectaret? extincto lumine procul dubio meræ tenebræ succedent.

14 Putredini dixi, Pater meus es: Mater mea, & soror mea uermibus.

Blasphemia humana.

Nihil homini familiarius & certius adest & conuenit, quàm mortalitas & corruptio, ut nihil agnatius parentibus et fratribus. Multi gloriantur de generis nobilitate, & longæua prosapia sua, numerant proauos & cognatos, cũ nostri parẽtes sint reuera ipsissima puluis, putredo & corruptio, & sorores nostræ aliæ non sint q̃ uermes, quo minus qui sapiũt glorientur. Eam ego sortẽ ut euadere non possum, sic efferri super alios non debeo.

15 Vbi est ergo nunc præstolatio mea, & patientiam meam quis consyderat?

16 In profundũ inferni descendent (oĩa mea) putásne simul in puluere erit requies (mihi?)

Expectatio hominum.

Quò igitur euadunt & portendunt spes meæ? quid tandem mihi expectandum? aut quò diriget me quispiã, ubi tutus sim à calamitatibus? Si enim præsentẽ euasero ærumnam, mox sequitur mortis corruptio, et loculus sepulchri horribilis ac tenebrosi. Talis est autem nedum mea requies & expectatio, sed omnium hominum iuxta carnem sentientium. Inuisibilia autem sunt quæ à dominatione expectanda docemur. Visibilia enim omnia corruptioni obnoxia sunt, & ad inferos descendunt omnes homines, quamlibet sancti uel felices. Nemo est enim qui non morti obnoxius sit, ac iudicium domini laturus. In ipso enim puluere quiescunt, omnes qui sunt formati ex puluere. Mortis ergo calamitas et miseria nõ raro cogitanda est, ut hominum fastus deprimatur & insolentia, ne quis mortalis æquè mortalem contemnat. Summa capitis est. Vita hominum annexam habet miseriam & breuitatem, duplo molestior si adsit insipientia. De futuro nihil nobis certi promittere possumus. Innocens & non præuaricator uel impius corrigat peccantem. Mortis calamitas non raro cogitanda.

Summa.

1 ¶ CAPVT XVIII.

2 RESpondens autem Baldad Suhites, dixit,

Vsq; ad quem finem uerba iactabitis? intelligite prius, & sic loquamur.

Arguit hic Baldad socios imprudentiæ, & Iobum furoris & impatientiæ. Admonet autem Iobum ad partius loquendum, utq; prius se secum recolligat quid dicendũ, ne aberret à uero lingua impræmeditata. Ideo enim linguam natura longe à corde seposuit, præterea osseo eam muro conclusit, ut primo interuallum inter linguam & cor intercederet, deinde lingua dentibus ueluti excubijs intercluſa, ne mox erumperet in uocem, nisi antea edocta à corde.

3 Quare reputati sumus ut iumenta, & sordimus coram uobis?

Supra eos onerosos consolatores dixerat, & uentosa ipsorum uerba, & inter eos nullũ sapientem inuenisse, hoc peßime habet uiros suo sensu abundantes & hypocritas. Queruntur q; superbi & arrogantes ac sibi non nihil placentes se haberi bestiarum loco, hoc est, stolidos & insensatos, quasi ipse hic Baldad sit omnium sapientior, probior ac probatior, quos ueluti obscuros homines spernat ac despiciat. Facile enim irritantur homines fastuosi, nec æquanimiter ferunt sua dicta non probari omnibus.

4 Quid perdis animã tuam in furore tuo? nunquid propter te derelinquetur terra, & transferentur montes de loco suo?

Personę mutatio.

Contemptim tertia persona utitur pro secunda. Dilanians, inquit, animam suam, in ira sua & proscindens. Quasi dicat: Insanisne? quid ita furis? dilaniabisne teipsum more furiosorum? Id etiam si commitas, non tamen propter te unum derelinquetur & euacuabitur terra, & transferetur saxum de loco suo. Certe propter te deus non mutabit communem & fixum operationis suæ ordinem. Solet enim deus impios affligere: id tibi quoq; contingit, qui impius es.

5 Nónne lux impij extinguetur, nec splendebit flamma ignis eius?

Impiorum iudicia.

Enumerat impiorum iudicia Baldad, quæ cum Iob pertulisse uideatur, necessariò impius comprobetur. In primis lux ipsorum extinguetur, & scintilla ignis eius non splendebit. Dominus & uerbum uera lux sunt fidelium & splendor cõscientiarum serenarum. Dominus, ait, illuminatio mea, & lucerna pedibus meis uerbum tuum: utroq; enim carent impij, timore dei, & scientia uerbi illius. Dicunt enim in corde suo, Non est deus: uel, Quis dominus est ut eum audiamus? Et si quid fiduciæ & eruditionis sacræ habere sibi uidentur, tempore tentationis extinguitur, ut in desperationem prolabantur, & eo tunc incipiant carere dum maxime indigeant.

6 Lux obtenebrescet in tabernaculo illius: & lucerna quæ super eum est, extinguetur.

In tabernaculis impiorum pro lumine, mundanæ uanitatis, & uitæ carnalis sensus et tenebræ habitant, pro uerbo dei prudẽtia humana, pro lege domini traditiones hominum friuolæ: quando scilicet percutiet dominus rebelles amentia, cæcitate & furore mentis, ut palpent in meridie, sicut solet cæcus in tenebris: & lucerna fauoris diuini, qua deus electos illustrat & dirigit, illa super uel iuxta impios extinguetur, ut ambulent in lumine ratiõis, & aberrẽt à fide, tandẽq; excidant à beatitudinis luce.

7 Arctabuntur greſſus uirtutis eius: & præcipitabit eum conſilium ſuum.

Greſſus contrahi.

In arctum contrahentur greſſus & proceſſus uirtutis eius: hoc eſt, infeliciter ſuccedent quæ cõſtituerit agere impius, & non proſperabuntur eius cõſilia, quia contra dominum ſunt, & ad proximorum iniuriam: diuitias quæ collegit non durabunt, nec augebuntur, maledicit enim ei dominus. Nam cum ſolus dominus director piorum ſit, & uerbum eius uerus conſiliarius, quid reſtat aliud, quàm ut in anguſtijs incedant impij ueritatis & uirtutis contemptores, nulla ſpiritus libertate diriganter, & conſilijs ſuis diſpereant, uerbo dñi non conſulto.

8 Immiſit enim in rete pedes ſuos, & in (*intricatione*) maculis (*eius*) ambulabit.

9 Tenebitur planta illius laqueo, & exardeſcet contra eum ſitis.

10 Abſcondita eſt in terra pedica eius, & decipula illius ſuper ſemitam.

Dei ordinatione & iudicio fit quòd impius ſtudijs ſe ſuis illaqueat, & captur compedibus infortuniorum, unde ſe eripere nõ poſſit: periculis ſe grauibus exponit, unde dei fauore exutus euadere nequeat. Dominus autem eſt uera libertas, in quo pij fiducialiter agunt, impij autem & tyranni, qui alienis opibus uelut lupi rapaces inhiant, & ſitiunt bona pauperum, freno capiuntur iudicij dei. Auibus abſconduntur in terra decipulæ & laquei, ineſcanturq; per inſidias, ut ſe imprudenter conijciant in laqueos: ſic impij diuitijs ineſcati, dum minime cogitant, decipiuntur, non enim auaritiæ ſuæ & libidini modum ponere norunt, timore dei non cuſtodiuntur: facile igitur in præceps ruunt, qui ad ardua inconſulti contendunt.

Libertas uera.

11 Vndique terrebunt eum formidines, & (*diſperdent*) inuoluent pedes eius.

Impius non tutus.

Nuſquam tutus eſt impius. Semper præſumit ſæua, perturbata conſcientia. Circa multa ualde incerti uagantur, qui unicam uirtutis ſemitam derelinquũt. Solus dominus fortitudo eſt & confidentia, ſolum dei uerbum eſt uia certa. Relicto itaq; domino et uerbo, nihil ſupereſt niſi turbatio & error.

12 Attenuetur fame robur eius, et inedia inuadat coſtas illius.

Sufficientia ſolus deus.

Dominus ſolus ſufficientia eſt, & felicitas, quo contempto nihil relinquitur niſi fames & calamitas. Impij quoque diuites, tam habitis indigent quàm deſyderatis: cum non intelligunt unde illis obuenerint opes, non raro contingit, ut uerſa fortunæ rota, ad ultimam paupertatem redigantur. Verum non omnia hæc infallibiliter intelligenda ſunt, quia ad falſam collectionem adſumuntur. Interitum autem coſtis aut lateri aduenire, eſt, dum non ſperatur, periclitari de uita & rebus, idq; maxime à familiaribus & propinquis.

13 Deuoret pulchritudinem (*fortitudinem*) cutis eius, conſumat brachia (*robur*) illius primogenita mors.

Non ſemel contigit diuino iudicio, ut ad tantam infelicitatem etiam in hoc mundo impij prolapſi ſint, ut pro-

priam membrorum ſuorum exedere & deuorare carnẽ: coacti ſint, & crudeli morte occidi (quam hic nominat propriæ deuoratæ. primogenitam mortem, id eſt horribiliter grauem: fortitudo uel fulcimentum cutis eſt, quicquid cutim ſuſtentat, ſuccus carniũ & oſſium fulcra) ut eſſent exemplum infelicitatis & mortis turpiſſimæ, qua nulla ferè calamitoſior cogitari poſſit. Quid enim crudelius & miſerabilius, quàm carnis propriæ deuoratione breuem etiam uitam redimere?

14 Auellat de tabernaculo ſuo fiducia eius, & (*deducet eum ad regem formidinum*) calcet ſuper eum quaſi rex interitus.

Contingit impio, ut in propria domo familia & poſſeſſione ſine omni fiducia & cum perpetua animi perturbatione uiuere cogatur, ut de nullo familiari confidere audeat, tandemq; cum maximo pauore producatur ad formidabile regis tribunal, capitis reus, & de uita ſolenda iudicandus, hoc eſt, ſemper deſperare de ſalute, ſemper periclitari ad mortem, tandem iudici ſiſti: quid huiuſmodi homine talia ſemper timenti miſerius?

15 Habitent in tabernaculo illius (*non ſui*) ſocij eius qui non eſt, aſpergatur in tabernaculo eius ſulphur.

Impiorum infelicitas.

Alia infelix conditio eſt impiorum, ut tandem poſſeſſione licitatem eò perueniatur, ut in tabernaculo proprio non raro illos habitare uideant inuiti, qui ad ſe nihil omnino pertinent, et ſulphure aſperſi in proprio habitaculo ſuo ipſos conflagrari contingat: hoc eſt, in ſua poſſeſſione ab extraneis & hoſtibus acerbe finiri, aut corpus proprium ardoribus peſtilentialibus ceu horrendo ſulphure cremari.

16 Deorſum radices eius ficcentur, ſurſum autem atteratur meſſis eius.

Alia impiorũ infelicitas, ut aruæ illius in agro, partim radicitus areſcant & pereant domino, partim uerò iam in ſegetem profecta, ubi maturuerint ab hoſtibus demetantur, & omnis expectatio uſus neceſſarij caſſetur: ſic dominus aliquando impios punire uiſus eſt.

17 Memoria illius pereat de terra, & non celebretur nomen eius in platéis.

Non parua impij infelicitas eſt alia, ſi ipſius memoria prorſus delcatur de terra, non aliter quàm ſi nunquam fuiſſet, & nihil nominis ſui relinquatur apud poſteros ſuos, et foris patriam ſuam à nemine ſciatur uel reputetur, ſic ut non ſecus habeatur, quàm ſi fuiſſet nunquam, nemini unquam utilis uel dilectus.

18 Expellet eũ de luce in tenebras, et de orbe (*fugabit*) transferet eum.

Impij quoq; infelicitas alia, quod repente de luce felicitatis & gaudij eijcitur ad tenebras intolerabilium arumnarum, triſtitiæ et contemptus, ut relegetur tandem in exteras terras incognitus & exul quoad uiuat, aut mortui cadauer abijciatur ad locum abominabilem.

19 Non erit ſemen eius, neq; progenies in populo ſuo, nec ullæ reliquiæ in regionibus eius.

Maledictio impiorum aliquando

Alia quoque impiorum maledictio eſt, quod uiuum

aliquando & moriuntur sine filijs et nepotibus, nihil ho
noris, gloriæ, nominis uel officij conferẽdo genti suæ uel
populo, sic ut hæreditas, & studiorum suorũ prouentus
omnis redeat ad extraneos, uacua aũt remaneat habita-
tio eorũ, ne scilicet de sua gente eã quisquam inhabitet.

20 In die eius stupebũt nouissimi, & primos
inuadet horror.

Non parua maledictio impiorũ est, ut exemplũ fiant
infelicitatis et calamitatis posteris temporibus, et sæculi
futuri hominibus, qui illorum fatis terrebuntur, & in
prouerbium abeunt infelicitatis, unde maiores quoque
formidare sibi cogantur miserias, quod Babylonijs con-
tigit & Iudæis, Romanis & Medis.

21 Hæc sunt ergo tabernacula iniqui, & iste
locus eius qui ignorat deum.

Hi sunt fructus impietatis, & maledictiones quæ im-
pios manẽt etiam in hoc sæculo, quibus dominus iudicat
iusto iudicio suo homines sceleratos. Talia fata manent
eos, qui non timent dominum, & qui absq; pietate in
deum & charitate in proximos uiuunt, quasi non sit
deus iudex æqui & iniqui, qui prouidentiam dei nõ re-
uereretur uel nõ credunt. Cum ergo talia acciderint ipsi
Iob, & eorum non pauca, iudicio Baldad & amicorum
eius, uerè sibi uidentur conclusisse amici ex imitatione
& uerbis Baldad, Iobum esse impium, & pro iniquitate
punitũ, quod erat disputationis institutum. Summarium
intentionis. Impius in deum sentiet aduersa multa. Hic
et in futuro miseri sunt & infelices iniqui, omnium uerò
infelicissimi qui deum non reuerentur uel agnoscunt.

CAPVT XIX.

1 Respondens autem Iob, dixit:
2 Vsq; quo affligitis animã meã,
3 & atteritis me sermonibus?
En decies confunditis me, &
non erubescitis opprimentes me.

Vnam cantilenam semper canunt amici Iob, conten-
dentes eum impie uixisse, & hostem dei fuisse, & domi-
no displicuisse uitã & mores eius, ideo tam austere eum
esse à domino punitum: id omnino ferendum sancto non
erat. Pestilentissima enim doctrina erat, et quæ subuer-
teret omnem pietatem, si secundum uitæ præsentis com
moda appenderetur religio ac probitas, ut qui multa pa
tiretur, necessariò improbus decerneretur. Quis enim
legitur grauiora in hoc mundo rerũ incommoda pertu-
lisse, quàm hi qui omnium deo gratissimi extitisse pari-
ter leguntur, Abel, Noë, Abraam, Iacob, Moses, Dauid,
Iosias, Christus, & omnes apostoli? Sanctè igitur Iob in-
uehit in amicos, tam perniciosæ doctrinæ doctores, &
de prouidentia dei tam impie sentientes, quos periculum
erat habituros multos discipulos, non pietatis ueræ, sed
temporalium bonorum admiratores, quibus hic mundus
semper scatere cernitur. Post impiam ergo disputationẽ,
et prolixam, ipsius Baldad, digne respondet uir sanctus,
superbamq; ac perniciosam contumaciam solida pruden
tia & uirtute infringit, cõquestus se tam impio dogmate
plurimũ adfligi, & tam falsis sermonibus amicorum om
nium, iam decies, id est nimium multis uicibus, in suam

& dei ueritatisq; contumeliam adfligi, & penè loqua-
citate obrui, sub specie ueritatis & pietatis eos falsa in-
ducere dogmata, & quantũ in ipsis erat, uirum fidelem
& sanctum penè ad desperationem pertrahere. Pote-
rat quidem illis donari ignorantia, nisi peruicatia iuncta
fuisset & authoritas, quam tanto sibi fastu arripiebant,
& periculosa ueritas commixta perfidiæ & falsitati
intolerabilis erat.

4 Nempe & si ignoraui, mecum erit igno-
rantia mea.

5 At uos contra me erigimini, & arguitis
me opprobrijs meis.

6 Saltem nunc intelligite quia deus non æ-
quo iudicio afflixerit me, & flagellis (uena-
tione) suis me cinxerit.

Improbe eum semper impietatis & erroris argue-
bant, & pro consolatione quam pollicebantur, ad despe
rationem ipsum adigebãt paralogismis suis. Quibus re-
spondet: Si, ut semper cõtenditis, erro, quid ad uos? mihi
errauero citra uestrum dispendium, nemini præterquàm
mihi error meus oberit, uester aũt pernicios est omni-
bus pijs. Si enim uerè contra me disputatis et superatis,
ut dignus habear & sim opprobrio, & factis meis, uita,
et moribus, quibus uixi hactenus tantam à domino affli-
ctionem promeruerim, sciendũ uobis est pro uestra sen-
tentia deum improbe mecum egisse, & ad oppositũ pro
me militare argumentũ uestrum. Vos dicitis, deum tan-
tum impios flagellare: ego me impiũ esse nego. Vos er-
go admittetis deum uel non esse deum, uel aliunde mihi
flagella immissa, uel si ipse immisit, impium esse.

7 Ecce, clamabo uim patiens, et nemo exau
diet: uociferabor, & non est qui iudicet.

Præterea obligauit se deus affuturũ precibus, ipsum in
tribulatione inuocantium, me uerò toties clamantem
non exaudit, cum nullo flagitio ipsum offenderim, etiam
ipsomet teste, si illius secreta consilia hominibus nota
essent: quid ergo aliud consequitur, quàm nõ esse uera-
cem deum, & præter iudicium suum agere, quod est ini
quum, si uestris argumentis abuti uoluero?

8 Semitam meam circunsepsit, & transire
nõ possum, et in calle meo tenebras posuit.

Non solum me dominus non exaudit, sed potius dele-
ctari malis meis uidetur. Gratulaturq; si quando amicis
suis aduersa contingunt. Non enim aliunde quàm ipso
uolente proficiscuntur, ipse est solus qui omnem mihi
uiam euadendi præclusit, & hominem, non impium, can
cellis suis sic obsepsit, ut aufugere nequeam, & iuxta
semitam qua mihi ambulandum erat, tenebras posuit.
Omnia aduersantur mihi suo iussu, Si ad cœlum respe-
xero, sol & luna retrahunt lumen suum: si ad terram,
sepulchrum minatur: si ad homines, contemnunt, rident
& infelicitatem mihi opprobrant. Omnia autem inno-
centi contingunt, & non ab alio quàm à deo, suos etiam
amicos flagellante, quicquid uos dixeritis.

9 Spoliauit me gloria mea, & abstulit coro
nam de capite meo.

Sine meis meritis, me gloria & honore ornauit. Nunc

sine flagitio & crimine tantopere me adfligit, ut me spo liauerit omni amplitudine mea, omnibus huius uitæ ornamentis destituens, nescio quo impio satana instigante. Non enim calamitatem meam alteri acceptam refero, quàm impio alicui accusatori fratrum, & leoni circumfrementi ad deuorandum pios.

10 Destruxit me undique, & pereo, & quasi euulsæ arbori abstulit spem meam.

Totam domum meam sic demolitus est dominus, & longe pepulit à me omnes amicos meos, ut nullam spei fiduciam reliquerit denuo succrescendi, uelut si quis radicitus arborem disperdat, & quasi putridum lignum abijciat, domum, pecora, filios, amicos & famam probitatis pariter auferens.

11 Iratus est contra me furor eius, & sic me habuit quasi hostem suum.

Et post hæc omnia mala, furorem suum mihi minatur, conducendo contra me lictores, qui atrotiora mihi minentur. Vos qui infernum & inferno grauiorẽ mihi dei iram, & impietatem quam ignorauerat conscientia mea minitamini, & fiduciam omnem clementiæ suæ, & conualescentiam ex morbis negantes obtruditis summam illius indignationem, ut alium æstimare deum mihi non debeam ex facti natura, quàm hostem seuerissimum & irreconciliabilem.

12 Simul uenerunt latrones eius, & fecerũt sibi uiam per me, & obsederunt in gyro tabernaculum meum.

Subito irruerunt mihi latrunculorum suorum manipuli, non permittentes respirationẽ aliquam, sed subinde calamitatum nuntij me feralibus spiculis transfoderunt: & extructo aggere malorum omnium contra me, omnẽ euadendi semitam præcluserunt, & uelut forti exercitu uallauerunt tabernaculum meum, ne qua parte pateret effugium.

13 Fratres meos longe fecit à me, & noti mei quasi alieni recesserunt à me.

14 Dereliquerunt me propinqui mei: & qui me nouerant, obliti sunt mei.

15 Inquilini domus meæ, & ancillæ meæ sicut alienum habuerunt me, & quasi peregrinus fui in oculis eorum.

16 Seruum meum uocaui, & nõ respondit, ore proprio deprecabar illum.

17 Halitum meum exhorruit uxor mea, & orabam filios uteri mei.

Qui omniũ maxime mei misereri debuerant, & pro carnis necessitudine consolari et condolere, hi sese elongauerunt peregre & aufugerunt. Noti mei, affines, & uicini recesserunt, & abominantur uicem meam, obliti sunt amicitiarum, & in media me calamitate omni solatio & auxilio destituerunt. Fortassis & hoc tolerabile esset, si domus meæ inquilini & ancillæ despicabiles me obseruarent, & adessent suo officio, ac me ut dominum suum agnoscerent: sed & isti uelut alienũ me reputant, & in oculis ancillarum ut peregrinus existimor. Seruus meus seu uocauero eum, seu rogauero, non mihi respondet, sed potius contemnit. Omnia hæc fortassis boni consulerem, si in uxore aliquid solatij superesset: sed et ipsa quoq; usque adeò me abominatur, ut halitum meum abominetur & exhorrescat. Quid de liberis dicam, si qui relicti sunt annis iunioribus illis qui sunt igne cœlesti absumpti? Hi enim qui supersunt, non iam paternæ authoritati obsequuntur, nec quidpiam illis mandare audeo, sed obsecrare cogor, si quid impetrare uoluero. In summa: Omnia aduersantur & abominantur me.

Amicorum perfidia.

18 Stulti quoq; despiciebant me: & cum abeis recessissem, detrahebant mihi.

19 Abominati sunt me quondam consiliarij mei: & quem (*maxime*) diligebam, auersatus est me.

Stulti, uiles, inglorij, me nunc rident, quos etiam si honorifice tractauero conuitiantur tamen mihi, & præ se tanquam melioribus me uelut abiectissimum spernunt. Præterea, qui quondam mihi à secretis erant, quibus cũ omnia consilia communicabam, hi usque adeò me non agnoscunt, ut pœnituerit eos familiaritatis quam mecũ habuerant. Quorsum hæc enumerantur? ut discamus solicite cum deo ambulare, & nihilominus semper iudicia dei timere & uenerari, utq; amici Iob discerent, nedum impios male pati, de quibus dixerat Baldad, sed etiam non impijs, imò amicissimis dei filijs æquè grauia nonnunquã incidere iusto iudicio dei, sed occulto. Quis enim scire potuit prouidentiæ dei rationem, qua satan à domino tam clemente, tantam debacchandi facultatem susceperat in amicum dei? Et tunc quidem illa suberat calamitatis causa sapientibus illis incognita uiris. Nostrum est, ubi similia fieri uiderimus, similes apud deum causas non deesse sciamus, & firmissime speremus, quo simus animæquiores.

20 Pelli meæ et (*consumptis*) carnibus adhæsit os meũ, & derelicta (*est cutis*) sunt tantummodo labia circa dentes meos.

Pergit à miseria una ad aliam, à bonis externis ad interna, & ad ipsum corpus & cutem, dicens: in cute & carne mea pendent egerrime ossa mea, consumptis omnibus uiribus corporis, usque adeò, ut ferè per cutem uiscera spectari possint, & dentes mei tantum pendeant ex oßibus nudis, ut lumbi mei impleantur illusionibus, et non sit sanitas in tota carne.

21 Miseremini mei, miseremini mei (*saltem*) uos amici mei, quia manus dñi tetigit me.

Iste clamor ad uiuos pertinet, non ad mortuos, ut discant in nullum hominem quantumcunq; amicũ confidere in angustijs tutò, sed in solum deũ. Aliud autem est confidere in hominem, aliud de homine bona sperare. Alterum prohibet fides, alterum docet charitas. Domino autem recedente, recedunt non solum amici, sed omnes creaturæ. Vnde clamat Iob ad amicos, ut uel ipsi misereantur: quasi dicat, Videat totus mundus nusquam esse tutam uitam, uel fidem, non dico apud inimicos, uerumetiam apud amicos: nam & ipsi me persequuntur sicut deus nos persequitur. Et experior sanè re ipsa, domino persequente, omnia quantumcunque amicissima inimica

Ad amicos clamat & ueniam.

mimica fieri: sicut et Dauid inquit, Qui iuxta me erant de longe steterunt.

22 Quare persequimini me sicut deus, & carnibus meis (non) saturamini?

Vestrum fuerat me consolari, & dolorem uerbis benuolis mitigare, & nequaquam meis carnibus saturari, sed aliquando cessare à contumelijs, sed ut uideo colluditis omnes. Et quandoquidem deum uidetis me affligere, quod iuste potest si uelit, existimatis idem quoq; nunc licere uobis mihi aduersari, quod deus prohibuit. Nam hoc mundi ingenium est, ut afflicto afflictionẽ adaugeat. Sibiq; licere credit impius quod iusto domino & clementi patri licet, qui nouit quid sit in homine, & nihil corũ odit quæ condidit. Carne autẽ alicuius saturari, est clanculum mordere uel publice calumniari & detrahere. Calumnia enim ac detractio absentis, perinde est ac carnis dilaceratio humanæ, qui alienæ uitæ detractione pascuntur, alienis carnibus saturantur.

In proximum humil.

23 Quis mihi tribuat ut scribãtur sermones mei? quis mihi det ut exarentur in libro

24 Stylo ferreo, & plumbi lamina (in perpetuum) sculpantur in silice?

Optat Iob sermones suos quos sit dicturus, immortales fieri, & durare illorum memoriam in æuum longißimũ. Hoc enim est stylo ferreo insculpi, et exarari plumbo, ut est in Ieremia. Peccatũ Iudæ stylo ferreo scriptum est, ut posteri omnes & fideles discant, in medijs etiam flamis persecutionum, in futuram carnis nostræ resurrectionem respicere, & liberationem ab omni malo sperare. Vtinam aliquo scribatur sermo meus, utinam in libro rum conferantur uerba mea, utinã stylo ferreo in plumbum aut in petram excindantur.

25 Scio enim quod redemptor meus uiuit, & in nouissimo die de terra (suscitabit) surrecturus sum.

26 Et rursum circundabor pelle mea, & in carne mea uidebo deum.

27 Quem uisurus sum egoipse, & oculi mei conspecturi sunt, & non alius: reposita est hæc spes mea in sinu meo.

Non dubito, sed per fidei certitudinem scio, quod iudex meus uiuit semper, quia est immortalis, & immortalitatis largitor, qui et animã creauit immortalem in corpore humano mortali, utcunq; autẽ corpus moriturum sit, & quacunq; ratione in puluere resoluendum, aliquando tamen è puluere surrecturus sum: & hæc mea membra quæ nunc dei dono circunfero in illius obsequium, hac mea pelle iterum per dei omnipotentiã circundabuntur. Hoc enim paradoxũ, & certißimũ fidei hunc articulum à creatione mundi semper omnes homines pij crediderunt & confessi sunt, & sine dubio confitebuntur omnes electi à domino: impij autẽ qui dicunt in corde suo, Non est deus: non mirum si & hunc fidei articulum irrident in suum malum. Et subiungit etiam alium uniuersalis fidei articulum æque creditũ ab omnibus generibus, nimirum ab hominũ primordio spiritu sancto edoctis, ut in eadem carne in qua resurrecturi sint, in

Resurrectio mortuorum creditu fem per.

fine mundi etiam apparituri sint conspectui iudicis supremi, qui uiuos & mortuos iudicaturus est, & uita æterna donaturus benedictos patris sui Christus: supplicio autẽ æterno destinaturus eos, qui fide in deũ & charitate in proximũ exortes fuerunt & uacui. De quibus articulis nemo unquã piorum dubitauit, ideoq; rarius q̃ multi alij fidei articuli tractantur in scripturis. Quem iudicem uniuersalem omniũ hominũ, ego his meis oculis inspiciam, haud dubie in benedicta Christi humanitate. Deum enim nemo uidit unquam. Egoipse, inquit, inspiciam, & oculis non alijs quo ad substantiam, clarioribus autem & felicioribus, & subinde immortalibus oculis istis meis clarificandis in perpetuũ. Addit autem, Perfecta est fidutia uel spes mea in sinu meo: quasi dicat, Licet nunc omnia mihi uideantur aduersa, & periclitari uideatur spes mea ob amicorum uerba, & dñi dei mei uerbera, salua tñ semper manst et perfecta fides immortalitatis animæ, & suo tẽpore etiã corporis resuscitandi.

28 Quare ergo nunc dicitis, Persequamur eum, & radicem uerbi inueniamus contra eum?

29 Fugite ergo à facie gladij, quoniam ultor iniquitatum gladius est, & scitote esse iudicium.

Cum dicitis ut persequamini me, & causam contra me inuenisse putatis ex ærumnis meis, quæ testantur iudicio uestro impietatẽ anteactæ uitæ meæ, uidete ne uobis quoq; similia occurrentibus, non enim dei manũ euadere potestis, simile quoq; de uobis iudicium sit habendum: ut gladium iræ & feruoris diuini sitis incursuri, quem utcunq; fugiatis, non poteritis effugere. Indigne enim sentitis de iudicijs dei, & de amico uestro male etiam meremini. Proinde iudicium domini uos quoq; experturi estis, & agnoscetis quo super omnes homines iudicabit, & portaturi sententiam quam de me pronunciastis. Hoc est, Cauete ne in iudicium dei graue incidatis, quod peccatores manet et omnes hypocritas, qui fraternæ charitatis opera irridetis, & non ostenditis amico uestro uel proximo. Summa. Errorem uenia dignum deus ducit, non sic malitiam. Hominum iudicio deus uidetur cum hominibus agere uiolenter. Non semper clamantes exaudit: non semper respondet uotis piorum. Pij sæpius tentantur grauiter ut exerceantur. Cum fortuna mutatur inter homines reuerentia & authoritas. Dum fuerint nebulæ, solus eris. Nulla calamitas sola. Sunt amici mensæ & felicitatum. Afflicto non addenda afflictio. Resurrectio hominum mortuorum in corpore. Aduersitas mea hodie, cras tua erit.

Iudicium domini.

Summa.

¶ CAPVT XX.

1 Respondens autem Sophar Naamathites, dixit,

2 Idcirco cogitationes meæ uariæ succedunt sibi, & mens in diuersa rapitur.

3 Doctrinam qua me arguis audiam, & spiritus intelligentiæ meæ respondebit mihi.

Contendit iterum Sophar impijs mala accidere, &

perditionem non effugere. Quando, inquit, tanto fastu gloriaris de innocentia tua, continere non possum quin respondeã: adeóq; me huc cogit animus meus qui erumpere gestit, me etiam nolente, proinde festinatione quadam interrumpo sermonem tuum, dum uaria cogito, & loquuturo mihi incidunt multa. Quanquam enim inciuile sit alterius sermonem interrumpere, facile tamen à prudentibus ueniam impetrauero, si considerent iniquitatem gloriationum tuarum molestiorem esse, q̃ ut ferri possit. Porrò de his quæ loquuturus sum audiam animo non ingrato, si quis aliter me docere possit, loquar autẽ ex spiritu intelligentiæ aut ueritatis, quæ sua statim simplicitate contenta se defendit, & pro se respondet.

Sermonem interrumpere.

4 Hoc scio à principio (Nónne hoc nosti ab olim) ex quo positus est homo super terram,

5 quod laus impiorum breuis sit, & gaudium hypocritæ ad instar puncti.

Quid superbis Iob contra deum de innocentia tua? An nescis à condito orbe hanc fuisse impiorum fortunam, ut gloriatio eorum uana fuerit, & lætitia hypocritæ uix ad momentum duraverit, comparatione cõfusionis quæ eum subsequitur perpetuo? Quod uero tu impius sis, uel hinc conijci potest, quia affligeris iudicio impiorum, & interim teipsum iustificas, aliosq; condemnas, quod proprium est hypocritarũ gloria, liberi quoq; eorum infelices erunt.

6 Si ascẽderit usq; ad cœlum superbia eius, & caput eius nubes tetigerit:

7 Quasi sterquilinium in fine perdetur: & qui eum uiderant, dicent, Vbi est?

8 Velut somnium auolans nõ inuenietur, transiet sicut uisio nocturna.

9 Oculus qui eum uiderat, nõ uidebit: nec ultra intuebitur eum locus suus.

Rota fortunarum.

Si impius usq; ad cœlos euehatur fortunis huius mundi inter homines, & caput eius usq; ad nubes pertingat, ut nihil in orbe præstantius uideatur, ut Nabuchodonosor & principes Tyri ac Pharao cum similibus, Alexandro & Iulio, protinus ut rotatur rota iudicij diuini funditus perit, ita ut qui ipsum iam antea uiderant gloriosissimum, nunc de euanescente subito dicant, Vbi nam est? nónne instar somnij sic auolat, ut nusquam inueniatur? Et cessat protinus sicut uisio nocturna, quæ cum uidetur apparet aliquid esse, sed euigilante somniatore nihil remanet, nullam sui memoriam honestam relinquet ciuibus loci sui, sed ignominiam manifestam, dudum dum uideret tectam per hypocrisim.

10 Filij eius atterentur egestate (placabunt pauperes) & manus illius reddent (ei) dolorem suum (diuitias suas.)

Mendicitas unde.

Mendicitas & opulentia liberorum aliunde non prouenit, quàm ex pietate uel impietate parentum. Iunior fui, ait Dauid, & senui, &c. Interim tamen nõ sine causa aliquando legimus famis tempore pios & piorũ filios afflictos. Sic autẽ continuo argutantur amici Iob ex contingentibus, & ex spiritu carnis, non ex sapientia spiritus, filios scilicet impiorũ egenos circũerrare, & manus

impiorum infelicia machinari, filios eorum pœnitentes reddere rapinas ereptas pauperibus ut se reconcilient: quod licet aliquando usu ueniat, non tamen semper, sed sanctos persecutiones pati frequentius est.

11 Ossa eius implebuntur (uitijs) adolescentiæ eius, & cum eo in puluere dormiet.

Impiorum ossa rapinis replentur ab adolescentia sua. Vel, impij ossa peccatis adolescentiæ plena sunt, & una cum ipso in puluere dormiunt, hoc est, perseuerat etiam in senio in criminibus, quibus inoleuit à iuuentute sua. Ingenij sui malitiam in qua natus est impius, seruat usq; ad mortem.

12 Cum enim dulce fuerit in ore eius malũ, abscondet illud sub lingua sua.

13 Parcet illi, & non derelinquet illud, & celabit in gutture suo.

Impius qui lætatur in rebus pessimis, qui delectatur in sua malitia uelut gluto, qui cibi dulcedinem diu in ore & sub lingua retinere uult ut diutius delectetur, sic studio se cauet ne deprehendatur, & quoad potest diu cupit frui sua libidine: non facile respicit, difficile assuetarelinquit: trahitur à sua cupiditate donec prodatur & irretiatur inextricabilibus malis, tunc sero uane illi medicina paratur. Non enim conuertitur ad meliora dum potest, ideo dum uolet non poterit: ubi enim descenderit in stomachũ desinit uoluptas, sequitur nausea uel morbus, aut euomitio. Tandem tamen uelit nolit cum confusione & damno infeliciter desistet & prodetur.

14 Panis eius in utero illius uertetur in fel aspidum intrinsecus.

Quæ alijs sunt panis, nutrimentũ, & sanitas, impijs sunt uenenum & perditio. Potentia, diuitiæ, honor, & sanitas, pijs sunt pietatis occasio & recte uiuendi instrumenta & adiumenta, impijs uero mors & peccatum, qui dum hæc dona male administrant, grauius quoque punientur.

15 Diuitias quas deuorauit euomet (&) de uentre illius extrahet eas deus.

Impius diuitias quas immodice deuorauit, & illicitis studijs assecutus est, suo illas tempore euomet, & in diuersa spendium illi ac turpitudinem cedent: male partum male dilabitur. Nec hoc ulla poterit unquam cautela dolóue impediri. Deus est enim qui iniurias uindicat pauperũ, & rapinas diuitum diuidit, ipse etiam de illorum uentre iniustas eripit diuitias.

Diuitis & pœnitentis.

16 Caput aspidum suget, occidet eum lingua uiperæ.

Impius dum auide anhelat diuitias uel libidinem, dum sibi consulere nititur, perniciem parat, & ueluti fel aspidum dum sugens perit, & lingua uiperæ occiditur. Venenum enim est & infectum, quicquid impius molitur & deuorat. De malo enim cordis thesauro semper profert mala, delectatur tantum in perniciosis, nunquam salutaribus, æmulatur, ideo nõ sine periculo cõsortiũ illius suscipitur.

17 Non uideat riuos fluminis, torrẽtes mellis & butyri.

18 Luet quæ fecit (omnia) nec tamen consumetur:

metur: iuxtà multitudinem adinuentionũ suarum, sic & sustinebit (lætabitur.)

Impius non uidebit riuulos, flumina et torrentes melle ac lacte fluentes: hoc est, non benedicetur, nullũ in rebus temporalibus syncerũ oblectamentũ illi placet nec susci- pit, amara tantũ et nociua uelut aranea sectatur: tota illi uita labor est & anxietas, subinde magis ac magis labo- rat, nunquam tamen fructu laboris digno perfruitur. Vi- neam, ait Moses, plantabis, & uinum non bibes. Omni sua uirili laborabit, per fas & nefas multa perquiret, nõ tamen inde uel lætabitur, uel bonis perfruetur.

Impius non lætatur.

19 Quoniã confringẽs nudauit (destituit) pau peres: domũ rapuit, & nõ ædificauit eam.

Hæc impio mala aduenient, quia confregit, concussit, & necessarijs rebus destituit pauperes, rapina pauperũ in domo eius, deq; spolijs uiduarũ & orphanorũ ditatus est, cum potius illos sustentare debuerit: id certe quod impunitũ etiam in hoc mundo dominus nõ dimittit. Si- cut qui largitur pauperi non egebit, sic qui per iniuriam rapiunt aliena, diuino iudicio amittunt propria.

20 Nec est satiatus uẽter eius: & cum habue- rit quæ concupierat, possidere nõ poterit, (non euadet.)

Non satiatur impius.

Impius nunquam satiatur opibus, sicut nec aqua hy- dropicus: sed quo plus bibit, eo magis sitit. Non satura- tur animus diuitijs, honore, potẽtia, sed solo deo, qui the saurus est bonorũ. Proinde recto dñi iudicio fit, ut sicut auaro tam deest quod habet, q̃ quod nõ habet: ita impio nihil sufficit, quantumcunq; bonorum possideat.

21 Non remansit de cibo eius, & propterea nihil permanebit de bonis eius.

Impio non sufficiet omnis cibus illius, semper esuriet & egebit, quia de suis bonis nihil egẽtibus est largitus, ideoq; substantia illius nõ augebitur: carebit his quæ cu pit & quibus pascitur, nihil illi prosperũ erit uel bonũ.

22 Cum satiatus fuerit, artabitur, æstuabit, & omnis dolor irruet super eum.

Cum fuerit impius plenus diuitijs, augebitur tamen, & simul arctabitur cupidine plura corripiendi. Omni ex loco aduenient illi molestia. Non est pax impijs. Cum sibi requiem parare, molestiam acquisiuit.

23 Vtinam impleatur uenter eius, & emittat in eum iram furoris sui, & pluat super illũ bellum suum.

Impius etiam si contingat impleri escis uentrem suum, & diuitijs domos suas, non inde superbiat uel lætetur. Imminet enim illi sine dubio ira domini, & de cœlo de- rendis afflictionibus, & morbis grauibus corporis.

24 Fugiet arma ferrea, et irruet in arcũ æreũ.

Impius in exitu.

Impius quidem ferrũ si fugiat & arma, perforabit ta- men eum arcus æneus. Dum temporalia mala stulte præ cauet, incidet in æterna. Iudiciũ dñi effugere non potest impius. Quomodo enim cõstabit à quo discessit dñs? Vbi aũt dñs possidetur, frustra timetur gladius, q gladij aciem obtũdere potest. Absente aũt dño, et impijs non conuer sis, foliũ arboris terrori erit, multo minus gladiũ euadet.

25 Eduxit & egreditur de uagina sua, & ful- gur de amaritudine sua (uadent, &) uenient super eum horribiles.

Contra impiũ dominus extracto de uagina gladio pro- greditur, & fulmine suo terret, replet amaritudinibus & multa formidine concutit. Non ergo dubitent impij unde illis aduersa contingant, dominũ habent aduersa- rium illos impugnantẽ exerto gladio, & de dorso illius uel uagina sagitta egreditur, & plena iracundia impe- titur quem dominus uoluerit deterrere.

Gladius dei in im- pios.

26 Omnes tenebræ absconditæ sunt in ocul tis eius: deuorabit eũ ignis, qui nõ succen- ditur: affliget relictus in tabernaculo suo.

Impius quaquauersum se uertat, tenebras effugere nõ potest, neq; ullæ sunt cauernæ uel latibula, quæ eum ab ira dei abscõdere possunt. Nusquã tutus est à iudicio do mini, deuorat eum ignis, sicut filijs Iob contigit: & illo uniuersorũ domino succendente flammas angustiarum, nemo extinguere poterit. Etiam domestici & posteritas illius affligentur in tabernaculo impij: quod si unã effu- gerint calamitatem, incident continuo in maiorem.

In tenebris impius.

27 Reuelabunt cœli iniquitatem eius, & ter- ra consurget aduersus eum.

Totus mundus spectabit impietatem impiorum, & cœlum cum terra consentient ad afflictionem ipsorum. Omnes enim creaturæ proditores sunt scelerũ hostium dei, quæ coram ipsis impij designarũt. Pugnabit pro eo orbis terrarum contra insensatos, & omnis creatura armabitur in ultionem creatoris.

28 Apertum erit germen domus illius, de- trahetur in die furoris dei.

Reuelabitur in domo impij germen domus eius, prædæ & rapinæ quas coacerauauerat, & quibus impleuerat domum suam, omnibus manifestæ erunt, prodetur toti mundo iniquitas impij. Defluent & peribunt in die fu- roris domini. Omnis fructus in horreum impij congre- gatus dissipabitur & maledicetur.

Germen im piorum.

29 Hæc est pars hominis impij à deo, & hæ- reditas uerborum eius à domino.

Non est alia pars uel hæreditas impiorum, quàm tot maledictiones enumeratæ, quales & in Leuitico et Deu teronomio recitantur, quarũ maledictionũ quasdam & non paucas Sophar propter Iobum enumerat, unde pro- bet impiũ reuera fuisse & deo abominabilem, quem tot ærumnis deus uoluit toto orbi spectabilẽ reddere, ut alij impij timerent à similibus. Colligere enim uult impie- tatem ex iudicio impiorum, ab effectu, quod dicitur, ad causam: ignorans interim & bonos & malos corripi iudicio dei eodem, quod ad speciẽ spectat, sed hos perdi, illos uero probari corã domino. Summariũ. Impiorũ in hoc mundo felicitas incerta est & nõ durat. Somniũ est hypocritarũ gloria. Liberi impiorũ infelices erunt. Ma litia impios comitatur ad pulueres. Impij intus appa- rent sibi, & foris fidelibus. Iudicium impios crudele ma net. Impius nusquam tutus, semper miser. Quid impius à domino debeat expectare in præsenti & futura uita.

Hæreditas impiorum.

Summa.

¶CAPVT XXI.

1 RESpondens autem Iob, dixit,

2 Audiendo audite quæso sermones meos, & agite pœnitentiam (*Et sit hoc pro consolationibus uestris.*)

3 Sustinete me, ut ego loquar: & post mea (*si uidebitur*) uerba ridete.

Docet re ipsa Iob, falsa assumpsisse de impijs ipsum Sophar, uniuersaliter asserentem, impios à dño puniri omnes & semper: unde sequebatur, Iobũ punitũ à dño esse impiũ. Ostendit ergo contrariũ ipse Iob, impios sæpe iucunde & feliciter uiuere omnibus diebus uitæ suæ usq; ad subitaneã mortem. Hortatur ergo Iob amicos ut resipiscant, & non damnent quæ non audierunt, nec intellexerũt, hoc non mediocris consolationis loco sit habiturus, nõ scilicet damnare quod nõ intelligant: proinde loquar primũ, deinde si uidebitur, aut dãnate aut ridete.

4 Nunquid contra hoiem disputatio mea est, ut merito non debeam contristari?

Nõnne omnis meditatio et colluctatio mea ad hominẽ est, & humano more ego loquor ac rationabiliter? uos aũt quasi sensum hominis exuisse uidemini, qui experientiæ et rationi resistitis, & loquimini quæ probare nõ potestis, impijs scilicet hominibus oĩa male succedere, et maledictionibus pessimis illos affici. Et qui fieri potest, ut tam falsi sermones uestri non affligerent spiritũ meũ? qui quæ inter homines fiunt non consideratis ad gloriã dei, cuius prouidẽtiæ rationẽ capere non uultis, qua nõ semper impijs mala inferuntur, nec semper pijs hominibus & ab iniquitate abhorrentibus bona contingunt.

5 Attendite me & obstupescite, & superponite digitum ori uestro.

Considerate paulisper & audite quæ dicam uera ac comperta, & admirabimini penes uos, qui quæ dicturus sum non consideraſtis: quod si cogitaſtis aliquando, qua ratione ausi fuistis loqui ea quæ dixistis? Cõpescite aliquantisper digito labia uestra, & attẽdite dicẽda, cũ stupore uel admiratione audietis, et impbare nõ poteritis.

6 Et ego quando recordatus fuero, pertimesco, & concutit carnem meam tremor.

7 Quare ergo impij uiuunt, subleuati sunt, (*consenuerunt*) confortatiq; diuitijs?

Querela cõtra iustitiã dei.

Iudicia dei circa impios ego quoq; uehementer admiror, exhorresco & tremore concutitur corpus meum, cum ipsa mecũ perpẽdo & recogito, quæ toties uidi in uita mea. Vnde non parũ pij homines perturbantur, & querelas instituunt contra dei iusta iudicia & sanctam prouidentiã, cum uident impios homines sospites, feliciter uiuere, & grandæuos fieri, non rarò & opibus crescere, cum interim pijssimos quosq; & deo amicissimos uident multis ærumnis obnoxios, aduersa multa pati ac grauia, unã calamitatẽ subsequi aliam, etiã usq; ad tẽpus mortis, quæ nonnunquã ipsis etiã præmatura contingit.

8 Semen eorũ permanet corã eis, propinquorũ turba, & nepotũ in conspectu eorũ.

Si omnino ex afflictione impietatem colligitis, quid est quod posteritas filiorũ eius cum uxoribus & sobole feliciter uiuit? Vxor sicut uitis abundans, & filij sicut uellæ plantationes iuuentutis: Et filiæ earũ cõpositæ, circumornatæ & omnibus delicijs et delicijs abundantes. Cum impijs uiuunt eorũ filij, ut de illis gaudeãt semper, & germen ipsorũ in oculis eorũ est, horrea eorum & promptuaria plena sunt, eructantia ex hoc in illud.

9 Domus eorum securæ sunt à pauore, & non est uirga dei super illos.

Domus impiorũ uideo non raro securas ab omni metu, plenas omnibus bonis, familias etiam diuites, honoratas & felices, ab omnibus dilectas, proficientes honoribus & gaudio. Nam uirga uindictæ dei non percutit eos, sed parcit & fauere uidetur, cũ interim pios cernimus paupertate infelices, ære alieno grauatos, exosos multis & male audientes ab amatoribus huius mundi.

10 Bos eorum concepit, & non abortiuit: uacca peperit, & non est priuata fœtu suo.

Prosperi

Prosperitas impiorum etiam ad iumenta producitur, quorũ tauri feliciter & ad gratissimã fœcunditatem suo tẽpore & loco inscendũt uaccas, & augẽtur omnia iumentorũ genera. Quin & uaccæ fœcũdæ sunt, et nõ pericliantur in partu, nec steriles inueniũtur. Tantũ abest ut soli pij felices uiuant & diuites, ut id de raro contingat gentibus inueniatur, iuxta prouerbiũ uetustum et uerũ, Omnis diues impius, uel hæres est impij: quanto minus me propter infelicitatẽ meã impiũ decernere poteritis?

11 Egrediuntur quasi greges paruuli eorũ, & infantes eorum exultant lusibus.

Tanta liberorũ illorum copia est, & cum gaudio felicitas, ut paruuli eorũ uelut greges copiosæ emittãtur de domibus in plateas & forũ, nepotes eorũ choros ducant cum iocunditate saltantes, & lusibus exultantes. Quid enim iucundius in hac uita cõtingere potest, quàm cum diuitijs læta proles & sana.

12 Tenent tympanum & citharam, & gaudent ad sonitum organi.

Erigunt filij sani & alacres animum suum ad tympanum & citharam, & gaudent ad musicam sine cura rei familiaris & infirmitatum, sine debitorũ exactionibus, sine aliquo defectu bonorũ huius sæculi. Cũ contra pios sæpe uideamus pauperes, sine filijs, imbecilles et anxios, cibo etiam carentes, & sine gaudio sæculari.

13 Ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt.

Quando omnia affluunt impijs, rident, gaudent, lusidunt, exultant, conuiuantur & choræas ducunt, & sic quando moriendũ fuerit non diuturno morbo uexantur, sed momentanea morte occũbunt, quẽ impij ut felicissimum optare consueuerunt, cum interim pij cogantur mille calamitates & mille mortes ferre.

14 Qui dixerũt deo, Recede à nobis, & scientiam uiarum tuarum nolumus.

Impij

Impij non curant nec requirunt deum, imò potius reijciunt, dicentes tam ore quàm corde domino, Recede à nobis, fauorem & auxilium tuum non curamus, uerbum tuum & prophetarum tuorum oracula, scientiam uiarum

mærum tuarum nolumus. Non desideramus scire uoluntatem tuam, imò agnitam perficere non uolumus. Non placet nobis uia tua, quæ crux est & iustitia, ueritas & uirtus. Hæc omnia contraria sunt uotis impiorum, interim tamen feliciter uiuunt in hoc sæculo.

15 **Quis est omnipotens, ut seruiamus ei? Et quid nobis prodest si orauerimus illū?**

Nihil impij curant deum, imò non credunt deū esse, de uoluntate dei nihil sunt soliciti, illi seruire recusant, tanquam illius gratia non egentes, uolunt cupiditatibus proprijs inseruire, sentientes in cordibus suis pietatem & uirtutem parum suis delicijs fauentem uel iuuantem. Non enim deū, sed exteriora bona corporalia quærunt. Cumq; eadem deo deuotis & seruientibus deesse conspiciunt, domino deo seruire contemnunt. Commoditates huius uitæ etiam si desiderent, nō tamen à deo uero, sed à suis idolis quærunt, quæ sibi prostituerunt, nec de sursum credunt sibi bona largiri, sed sua prudentia & fortuna cōsequi, ut nihil prodesse credant deo supplicare, multo minus adorare.

Deum non credunt iuuare.

16 **Verūtamen quia nō sunt in manu eorū bona sua, consiliū impiorū longe sit à me.**

Breuiter dicendo nihil boni est apud eos, toti mali sunt & impij, ut institutum talium hominum quamlibet iuxta sæculum felicissimorū longissime sit à me. Consilium enim eorum est, terrenam gloriam quærere, delicijs uacare, æterna bona negligere. Nō tamen constabit eorum felicitas, ideo nō stabo unquam à parte illorū, propterea quod uideam durissimum futurū eorū iudicium.

Cōsilia impiorum.

17 **Quotiens lucerna impiorum extinguetur, & superueniet eis inundatio, & dolores diuidet furoris sui.**

Breui extinguetur lumē, id est, felicitas eorū, et ueniet super eos inopinatus interitus. Vsu ueniet illis ærumna sua ac pœnicies, dño illis copiose dispartiēte iræ suæ iustæ uindictas, & nouissima eorū aggrauante duro æternæ damnationis iudicio. Hæc enim impiorū sors est, ut uermis eorū non moriatur, & ut perpetuò conturbentur per iram dñi, cuius ueritatem et iustitiā contempserunt.

Pœna impio rum.

18 **Erūt sicut paleæ ante faciē uenti, & sicut fauilla quam turbo dispergit (suffuratur.)**

Quemadmodū palea aut quisquilia à uento dispergitur, ita impij à tēpestate iræ dñi proijciētur. Frequenter scriptura comparat impiorū interitum paleis, quas proijcit uentus, et quæ rapiūtur à facie uēti in montibus & à turbine, propter uelocem impiorum interitum, & progressum de uno peccato semper in aliud & grauius, donec impleant mensuram peccatorum & iudicij.

19 **Deus seruabit filijs illius dolorem ei (patris) & cum reddiderit ei, tunc sciet.**

Parentum scelera puniuntur in filijs in tertiam & quartam generationem, eorū qui consortes fuerint sceleru m. Si enim mala in parentibus cœpta complētur in filijs, incipit & in parentibus supplicium, postea complendū in filijs, qui uidere potuerunt malitiam parētum quam sequerentur. Vt autem in bello cōmunia sunt mala ob uicinitatem, post bellum fontes secernuntur ab infontibus: ita in hoc mundo cōmunes sunt ærumnæ parentū et filiorū, in iudicio tñ dei secernitur triticū à palea.

Parentum pœna.

20 **Videbūt oculi eius interfectionem suā, & de furore omnipotentis bibet.**

Manifesto iudicio peribit impius, ut agnoscat dñi iudiciū esse suū suppliciū, cum de calice furoris dñi bibet, & inebriabitur de aureo calice Babylonis, de quo bibēt omnes peccatores terræ, cū dñs pro pijs militans pugnat cōtra impios, uelut in mari Rubro. Tarde enim dominus uindicat, sed tarditatem acerbitatis pondere compensat.

Calix dominī.

21 **Quid enim (placet ei) ad eum pertinet de domo sua post se? & (si) numerus mensiū eius dimidietur?**

Impius enim non cogitat nisi de præsentibus cōmodis, & de uita hac tēporali, & quomodo familia sua tractetur à dño æque non curat, totus immersus corporeis rebus, de uita animæ post fata nihil solicitus. Et numerus mensium eius præsciditur. Dum uiuere maxime cupiūt, uita eis eripitur inuitis, & uelociter currit perditio illorum, ut excindantur à consortio piorū. Semper enim impius importune moritur, nunquā cōplet uitam suā. Oia impiorum fata etiam post mortem maledicta erunt.

Mors impiorum importuna.

22 **Nunquid deum docebit (quispiam) scientiam, qui excelsos iudicat?**

Hic respōdere ad rem uidetur, et omnē soluere quæstionem, dicēs, incōprehensibilia sunt iudicia dei, & uiæ eius imperuestigabiles: quod scilicet impiorū bona dñs benedicat, pios uero affligat, rationi humanæ incōprehēsibile est. Hoc igitur dñi consiliū potius adorari q̄ inuestigari debet. Neq; enim quisquā hominū consiliarius dei esse potest, quando solus ipse summos quosq; iudicet, à nemine iudicandus. Quis ergo præsumet docere deum scientiā gubernandi mundū, qui iudex est monarcharū?

Responsio ad quæstionem.

23 **Iste moritur robustus & sanus, diues & felix.**

24 **Viscera eius plena sunt adipe, & medullis ossa illius irrigantur.**

25 **Alius uero moritur in amaritudine animæ absq; ullis opibus.**

Superuacaneū homini est inuestigare cur deus malū hominē foueat, nutriat, benedicat, et in felicitate, ut appareat, mori & sepeliri sinat: bonū uero affligat, maledicere uideatur, & in amaritudine mori, uiolenta morte, et etiam sepultura carere permittat. In hac disputatione ratio humana cæca est, fides uero futurā credens uitam & extremum iudicium, facile iudicat.

Cur deus malum.

26 **Et tamen simul in puluere dormient, & uermes operient eos.**

Corporis quidem conditio & finis eadē est, et iuxta rationē similis casus, imò piorū sors infelicior multo sæpe cernitur & iudicatur: sed animarū dñs, qui & ipse spiritus est, & regnū spirituale instruit, et continuo glorificat numero electorū suorū, is discrimen nouit & seruat, illi notū & fidelibus reuelatū, suo die nouissimo corporum quoq; rationē habiturus resuscitandorū, quorum tunc electio & proiectio, secundū uerbū dñi omnes huiusmodi disputationes discutiet & determinabit.

27 Certe noui cogitationes ueſtras & ſententias contra me iniquas.

28 Dicitis enim, Vbi eſt domus principis? & tabernacula habitaculorũ impiorum?

Amicos alloquitur. Ecce, inquit, noui aſtus ueſtros, imprudenter enim ne dicam impie loquimini, ac pro uulgi captu iudicatis eum impium eſſe, qui impiorum ſupplicia ſuſtinet. Quæritis enim, Vbi eſt domus principis? & ubi eſt habitatio impiorum? hoc eſt, quandoquidem perit tyrannorum domus, & tabernacula impiorũ non conſtant. Tua uero domus æque concidit, & non conſtitit tabernaculũ tuum: tyrannus es igitur & impius.

29 Interrogate quemlibet de uiatoribus, & hæc eadem illum intelligere cognoſcetis.

30 Quia in diem perditionis ſeruatur malus, & ad diem furoris ducetur.

Neſcitisne quid præ ſe ferat impiorum in hoc mundo felicitas, & qualium futurorum ſigna ſint malorum benedictiones & cruces bonorũ? Congregantur impij, ait Ieremias, quaſi grex ad uictimam, ſanctificantur ad diem occiſionis: hoc eſt, benedicuntur, ut inæternum maledicantur: uiuunt feliciter, ut ſemper pereant. Pij cum Chriſto in hoc mundo crucifiguntur, ut tertia die cum ipſo reſurgant. Priſcus interpres pro אותם. *Signa eorum, legit* אתם *Eadẽ illa. Hebræus autem legit, Nónne interrogabitis tranſeuntes uiam, & ſigna eorum non cognoſcetis? iudicet Lector.*

31 Quis arguet corã eo uiam eius? & quæ fecit, quis reddet illi?

Placet hoc loco magis ſententia Rabi Abraam Aben ezra, qui ad deum refert quod dicitur, Quis nunciabit coram eo uiam ſuam? hoc eſt, Quis docebit deum quæ uia, quibus modis agere debeat? quis illi leges operandi præſcribet? ut Paulus quoq; loquitur. Et ſi quid egerit pro ſuo uoto homini gratum uel ingratum, quis illi bona uel mala rependet? Quis ipſum arguet de auſteritate iudicij? & quis clementiæ ſuæ partes & dona beneficio quocunq; rependet?

32 Ipſe ad ſepulchra ducetur, & in congerie mortuorum uigilabit.

Ipſe quoq; dominus quos uult & quando uult ad ſepulchra deducit, bonos uel malos: & etiam ſub tumulis poſitos impios nouit, et uigilat ſuper eos, ut in alia quoque uita poſt mortem etiã ſepultis, non multa mancant flagitia impiorum.

33 Dulcis fuit glareis cocyti (*dulces ſunt ei glebæ fluminis*) & poſt ſe omnem hominẽ trahet, & ante ſe innumerabiles.

Dulceſcunt & grati ſunt domino lapides uallis, uoluntate dei homines moriuntur, qui & ſepeliuntur in locis ſuis ſub glebis uallium: hoc eſt, in ſepulchris pro mortuorũ corporibus deſtinatis. Trahit quoq; dominus conſequenter quos rapit omnes, & nemini parcit ſine perſonarum delectu, pro æterna ſapientia ſua, hunc modo iſto, alium alio. Et non eſt numerus generum mortis. Nullus ferè cum alio morte ſimili intercipitur à domino. Et ſine numero homines moriũtur. Nemo eſt enim qui euadat, ſiue iuſtus is ſit, ſiue impius. Dominus ſolus eſt qui uitam ordinat hominum atq; mortem, cuius mandata omnes ſequuntur, qui ſiue ſepultos ſiue combuſtos in ſuo iudicio retinet. Exponũt alij de impio homine tres ueriſus ſic interpretantes: Quis impio homini exponet uiã ſuam? & quis retribuet ei ſecundum opera quæ fecit, dignas ſcilicet pœnas pro grauibus multisq; delictis? Et impius cum ad ſepulchrum perductus fuerit, & inter aceruos ſepulturæ uigilabit: hoc eſt, ſub lapidibus electis ſepultus erit, & quaſi duleiter requieſcet, domini tamen iudicium ſentiet, & poſt ſe exemplo ſuo trahet innumeros in perniciẽ. Ruunt enim multi in impietatem, felicitate impiorum offenſi & ſeducti.

Mortis generra.

24 Quomodo igitur conſolamini me ſtra, cum reſponſio ueſtra (*poſt ſe relinquit præuaricationem*) repugnare oſtenſa ſit ueritati?

Vana eſt ueſtra, ô amici, conſolatio, et falſi ſunt ſermones ueſtri, & reprehenſibiles ac cõtra dei prouidentiam uel iuſtitiam, propterea quod ex afflictione iudicatis impiũ, & ex felicitate pium: cum ſoli illi felices ſint, quorum dominus deus eorum. Summa ſermonis. Impiorum proſperitas non rara uidetur in mundo. Quorum poſteri feliciter ſuccedunt ad tempus, familia pace & gaudio perfruitur, res familiaris augetur. Deum interim exoſum habent, cuius & iudicia contemnunt. Sæpe ex tis bibere coguntur. Deus omnia regit pro ſua uoluntate. Felices ſæpe ſubito euaneſcunt. Quidam infeliciter uiuunt, qui utriq; pariter moriuntur. Prouidentiæ diuinæ ratio non inueſtiganda, quia non inuenitur.

¶ CAPVT XXII.

1 REſpondens autem Eliphaz Themanites, dixit,

2 Nunquid deo (*proderit*) poteſt cõparari homo, etiam (*ſicut prodeſt ſibijpſi*) cum perfectæ fuerit ſcientiæ?

3 Quid prodeſt (*num cõplacet*) deo ſi iuſtus fueris? aut quid ei confers ſi immaculata fuerit uia tua?

Calumniatur Eliphas ipſum Iob, quaſi ſenſerit uel dixerit ſe ſapientia parem deo, & innocentia maiorem, quia iudicio ſecum contendere uoluerit, & oſtendere deum iniuſte, perperam uel ſine demerito affixiſſe hominem innocentem: id quod Eliphas ut impium ſemper urget, ad idem ſemper tendẽs à principio diſputationis, non poſſe deum tantopere perſequi, niſi impium ſupra modum: quod cum Iob neget, & ſe pro tanto innocentem tanta pati affirmet: ſecundo calumniatur eum quaſi impium deum dixerit & iniuſtum, humana iuſtitia indigentem. Num deo, inquit, prodeſt ſi iuſtus fueris? Num hominis fortitudo dei robur adaugere poteſt? Num quocunq; modo homo deo poteſt conferri? Num illi utile eſt ſi uiæ tuæ ſint innocentes? Num qualiſcunq; ſapiens uel iuſtus coram diuino iudicio poteſt conſtare? Cum neque ſtellæ mundæ ſint in conſpectu eius, quanto minus æqui parabitur deo, non dicam ſuperabit, impius?

Nunquid

4 Nunquid timens te, arguet te (&) ueniet tecum in iudicium,

Num per metũ arguet te deus, aut subibit iudiciũ tecũ, quasi timeat causæ suæ, si tecũ ueniat dijudicãdus? Quæ omnia per calũniam adducuntur contra Iobũ, cum tale illi in mentem non ueniret, nec ex dictis sequatur illius.

5 Et non propter malitiã tuam plurimam & infinitas iniquitates tuas?

6 Abstulisti enim pignus fratrũ tuorũ sine causa, & nudos spoliasti uestibus.

7 Aquam lasso non dedisti, & esurienti subtraxisti panem.

8 In fortitudine brachij tui possidebas terram, & potentissimus (*ut acceptor personarum*) obtinebas eam.

9 Viduas dimisisti uacuas, & lacertos pupillorum comminuisti.

Quia eum uidet à domino flagellari, ideo temerario iudicio eum multis calumnijs prouocat ad iracundiam, quam solari debuerit. Asserens Iobum multiplici malitia depranatum, & sine numero sceleratum, pondus & stuliſti pignus fratri, & nudos uestibus spoliasti, id quod ingens flagitium: de quo in lege & prophetis multa. Secunda est, Nõ potasti aquis lassum, & à famelico crudeliter panem subtraxisti, cum illum potius cibasse debueras, & egenos uagosq; in domum tuam introduxisse, & panem esurienti fregisse. Tertia, Quasi Tyrãnus, nullo iure, sed mera tyrãnide alienas possessiones inuasisti, & uiolentia occupasti. Quarta, Viduas dimisisti uacuas, et brachia pupillorum cõtriuisti. Dominus autem uocat se uiduarum iudicem & patrem pupillorum. Qui igitur per calumnias hos opprimit, pupillam dei offendit. Sed hæc flagitia excusat, & iuste se admisisse negat in poste rioribus à domino iam ante testimonium iustitiæ & integritatis quanquam nescius assecutus.

10 Propterea circundatus es laqueis, & conturbat te formido subita.

11 Et putabas te tenebras nõ uisurũ, & impetu aquarũ inundantiũ nõ oppressum iri.

Quia igitur tanta facinora designasti, si non aperte saltem occulte: neque enim innocens esse potes, qui tot à domino calamitatibus implexus es, & circundatus tot pauoribus, qui te exagitant. An tu solus propter peccata tua non uenires puniendus? an tu tenebras non uideres? id est, supplicijs non adfligereris? sunt enim tenebræ supplicia, & damnatorum desperationes, ut est in Euangelio, Mittite eum in tenebras exteriores. Abundantia uerò aquarum, adflictionũ copia est, quibus operiuntur hi quos dominus uoluerit iudicare.

12 An non cogitas quod deus excelsior cœlo sit, & super stellarũ uerticẽ sublimetur?

13 Et dicis, Quid enim nouit deus? & quasi per caliginem iudicat.

14 Nubes latibulum eius, nec nostra consideratur, & circa cardines cœli perambulat.

Impij propterea quod deus in cœlis habitare dicatur & in abscondito, existimãt eum homines negligere, aut in abscondita cordium non penetrare, imaginantes eum in cœlis sua agere, cæterũ sincre hæc inferiora pro sua fortuna et libidine labi. Eiusdẽ impietatis accusatur Iob, perinde ac celaret occultã suã impietatẽ, et negaret deũ abscõdita iudicare, quãdo eleuatior sit cœlis, et habitet in latibulis nubium, ac in cœli ambitu sit occupatus, ut præ cœlestib. negotijs nõ liceat ei hæc inferiora curare.

15 Nunquid semitam sæculorum custodire cupis, quam calcauerunt uiri iniqui?

16 Qui sublati sunt ante tempus suum (&) fluuius subuertit fundamentum eorum.

Semita sæculi hoc loco dicitur non solum iudiciorum diuinorum processus & series, sed etiam iuste iudicandi impios communis hominũ eõsuetudo, uulgi mores, quibus ferè quisque neglecto Deo & uerbo suo in negotia huius mũdi pro sua libidine ruit: adeoq; sic uiuitur, quasi deus non curet mortalia. Pollicentur itaque sibi impij perpetuam felicitatem, sed ecce ut Sodomitæ & Iudæi cum hominibus diluuij, pereunt immaturi, & fluuius uel inundatio afflictionum subuertit fundamentum eorum, id est, prosperum statum & securam eorũ præsumptionem subito subuertit. Hoc est enim confidentiæ carnalis iudicium, quod subitanea tempestate, ac fluuio insperati iudicij diuini subuertatur. Semita sęculi.

17 Qui dicebãt deo, Recede à nobis: & quasi nihil possit facere omnipotẽs (*æstimabãt eũ.*)

18 Cum ille implesset domos eorum bonis: quorum sententia procul sit à me.

Impij felices in hoc mundo diuinum auxilium sibi ut inutile, & non necessarium contemnunt, non requirũt deum, sicut nec sani de remedio uel medico: sic saturi de dei beneficijs illa non agnoscunt, nec gratias agunt, sed euanescunt in uanitatibus suis, & dei misericordiam fastidiunt, peccata sua non confitentur domino, nec se impios agnoscunt, sed cæteris meliores. Proinde absit à me consilium eorum, ut primum impie agam, deinde impietatem abscondam, & deum iniustitiæ accusem. Absit, ut illorum causam iustificem. Saturitas enim eorum breui conuertetur ad inopiam, & miseriam summam.

19 Videbunt iusti & lętabũtur, & innocens subsannabit eos.

20 Nónne succisa est erectio eorum, & reliquias eorum deuorauit ignis?

Ridiculo erunt hi impij quos detestor, omnibus iustis. Erunt ad satietatem uisionis omni carni, uidebuntq; recti & lętabuntur, & omnis iniquitas opilabit os suum, & in stuporem & sibilum erunt coram aspicientibus dei iustitiam & iudicium pijs omnibus. Succisa enim & extirpanda erit impiorũ superbia, prout ætate Noe contigit & Chananæorum à Iosue: & quicquid reliquum fuerit ab eis, deuorabitur igne diuini iudicij.

21 Acquiesce igitur ei, & habeto pacẽ, & per hæc habebis fructus optimos.

Existimabat Eliphas sufficienter probatam impietatem Iobi, ideo nunc admonet ad resipiscentiam & confessionem, ut pacificetur conscientia. Non enim iustifi-

cant opera, non excusationes, sed acquiescere deo, agnoscere culpam, boni consulere quicquid infert deus, pacẽ habere cum ipso: hæc sunt enim prouentus optimus, qui domino propitio donatur.

22 Suscipe ex ore illius legẽ, & pone sermones eius in corde tuo.

23 Si reuersus fueris ad omnipotentem, ędificaberis (&) longe facies iniquitatem à tabernaculo tuo.

Lex in corde. Non sufficit audire legem, nisi in cor ponatur, non lapideum & durum, sed carneum & molle, ut conuertaris ad omnipotentem, per fidẽ & cultũ innocẽtiæ ueræ. Tunc enim ædificaberis & benedieeris, & omnis iniquitas remouebitur de tabernaculo suo, ut studiosus sis in lege dñi, zelosus ad obseruantiã ipsius, etiã in familia tua. Tũc enim restituetur pio, quod ablatũ fuerat impio.

24 Dabit pro terra (munitionem uel uindemiam) & pro silice torrentes aureos.

25 Eritq; omnipotẽs contra hostes tuos, & argentum coaceruabitur tibi.

Vbertas dei donum. Ponetur, hoc est, restituetur tibi uindemia uini, & omnium fructuũ perceptio uberrima in maxima copia, super multitudinẽ arenæ. Et aurũ pretiosissimũ de Ophir copia & multitudine superabit lapides et silices torrentium tuorũ: hoc est, mirificis diuitijs affluES, & amissa recuperabis, longe plura assequeris q̃ prius habueris. Erit enim omnimoda sufficientia in uindemijs tuis, & argenti pretiosissimi & auri tui copia & abundãtia inæstimabilis erit: hoc est, undiquaq; benedictus & felix eris, in domo, in agro, in horreo, in armentario, fiduciã habebis à domino petendi, & ipse dabit petitionem cordis tui.

26 Tunc enim super omnipotentem delitijs affluES, & eleuabis ad deũ faciem tuam.

27 Rogabis eum, & exaudiet te, & uota tua reddes.

Omnes delitiæ tuæ super omnipotentem erunt, fide ac fiducia firma leuabis ad dominum faciem tuam, uerba tua non erunt uana, supplicabis ei, & exaudiet propitius, et uota tua reddes cum lætitia à domino exauditus, omnia studia felicia erunt.

28 Decernes rẽ, & ueniet tibi, & in uijs tuis splendebit lumen.

Quicquid statues faciet, ad uotum omnia occurrent, & consistes firmiter in felici statu tuo. Non denuo timebis à simili casu: nullus te error abducet, nullum infortunium præcipitabit, non impinges pedibus, nõ palpitabis in tenebris, quia lumen domini & directio fauoris sui te per uiam dirigent quam gradieris.

29 Qui eñ humiliatus fuerit, erit in gloria: & q̃ inclinauerit oculos (suos) ipse saluabit.

Humilitas. Qui se humiliauerit ad potentem manum dei, & patienter tulerit uirgam correctionis eius, illi dicetur pro pediẽ à domino, Eleuare, glorificare, ascẽde superius: dominus enim erigit elisos, & de stercore erigit pauperes. Et qui humiliatus est oculis, qui de se humiliter sentit, non suam iactat sanctimoniam, qui non remurmurat

diuino iudicio, qui peccata agnouerit, & confessus fuerit, is sine dubio saluus à domino erit.

30 Saluabitur innocens, saluabitur autem in munditia manuum tuarum.

Eripiet à tantis calamitatibus, si post hac innocenter uixeris, & si sanctis operibus illi te insimuare perrexeris, et pro mũditia manuũ tuarum illius gratiã impetraueris, ab omnibus præsentibus et futuris incõmodis eruaris. Hæc aũt dicta sunt iuxta hypocritarũ dogmata, quales erãt amici Iob, qui nihil fidei uel parũ tribuebãt, multa uero & ferè omnia operibus, & ex eo quod foris patebat animũ iudicabãt, felicitatẽ corporeã uirtutis præmium æstimabãt, et de dei gratia & prouidentia non leuiter errabant. Summa. Sapiẽtia diuina incomparabilis est ad humanã. Probitas humana homini ꝑdest non deo, sicut nec malitia nostra deo obest. Multifariã peccatur ab impio. Accusatur Iob de negata prouidentia Dei & abiecto illius timore. Hortatur ad pœnitentiam, promittq; bona temporalia multa conuerso, & gratiam dei. Summa.

¶ CAPVT XXIII.

1 2 RESpondens autem Iob, ait, Nũc quoq; in amaritudine est sermo meus (&) manus (plagæ meæ) aggrauata est sup gemitũ meũ.

Quis qui aduersitatẽ à deo propter aliquã impietatẽ sibi imposita arguebant, uindictamq; esse peccatorum, quasi malitia sua meruerit tam insolitam pœnam, quod non solum derogabat famæ Iobi, sed scandalum erat amicis & occasio calumnias plurimas & graues sancto uiro effingendi, ut quicquid impietatũ nominare poterant, illi imputarent, & falso cõtendebant ac temerè, admisisse eũ, cum nullã unquã de eo didicissent, uel probare possent. Vnde sequebatur falsa doctrina, quã pro ueritate amicis & culcare conabãtur, nemini bono uiro in hoc mundo contingere tantas calamitates, & impios homines non posse felices esse in hoc sæculo. Ex qua doctrina progrediebatur contra gloriã & iustitiam Dei pernicios error infidelium, uidentium bonos ut plurimũ adfligi, impios gaudere & felices apparere, ut sibi persuadeant deo nõ esse curæ hæc inferiora: et sic tollebatur fides prouidentiæ dei, quo errore nihil magis impiũ. Cui occurrere studuit ut debuit Iob, efficaci sermone, suã innocentiã defendendo testimonio conscientiæ suæ, quã etiam coram deo non aliter iudicandã ex fide certissimè nouit, quo fieret ut iustitiæ dei solũ in hac causa minime uereatur, sed dũ iudicetur à iustitia dei, absoluendũ se testatur, & de innocentia sua sententiã obtenturũ. Nihil ergo hic impietatis inuenitur in uerbis Iob, nec blasphemiæ in deũ, sed fiduciam causæ suæ contra amicos tutatur, idq; uerbis durioribus, ad errores opprimendos necessarijs, non sine poetico stilo, & elegantissimo, secundum Hebræorũ morem, suo tempore consuetũ. Dicit ergo Iob, Etiã iam nũc cogor nolens uolens, ut amariore stilo loquens disputem contra amicos meos: & insuper plaga mea, & manus qua me deus tetigit, grauior est quàm ut aliquo gemitu meo consequi possim ad sufficientiam. Quis

Summa.

3 Quis mihi tribuat ut cognoscam & inue
niam illum (&) ueniam usq; ad soliũ eius?
Securitas lob.
Tanta securitate causæ meæ fruor & consolor mecũ, ut non timeam accedere in hac causa solium iudicis omnipotentis & iustissimi: multaq; fiducia innocẽtiæ meæ, quam deus nouit, & conscientia mea testatur mihi, me solatur, ut sine cũctatione hanc causam agam coram domino, & ut uerba sufficientia & ueridica ad manum mihi sint, quibus defendere me à tantis amicorũ calumnijs posse neutiquam dubitem.

4 Ponam coram eo iudicium, & os meum
replebo increpationibus,
Si admittar ad causæ meæ tractatũ cõtra amicos meos, imò contra satanam & grauitatẽ iudicij dei contra me, talis apparebit et iudicabitur, ut sine impietate, quæ contra me probari posit ab omnibus hominibus, has tantas pati ærumnas ac miserias inueniar: imò nullibi libentius hanc causam meam tractari cupio, quàm apud tribunal iustissimi dei. Id autẽ quàm non mẽdaciter & iactanter dixerit Iob, ex blasphemia aut contemptu dei, sed ex certificata conscientia de dei fauore, facilè probatur ex testimonio dei, toties dato pro Iob, in cõspectu angelorum & dæmonum omnium.

5 Vt sciam uerba quæ mihi respondeat, &
intelligam quid loquatur mihi.
Cupio quoq; audire quid meis cõtra deum querelis respondendum sit à dño. Si dixero corã iudice deo, Tu dñe omniũ cordiũ scrutator & cõditor, iudexq;, nosti nihil me unquã admisisse eorũ criminũ, quæ nũc mihi tantorũ causa malorũ digna opponuntur per nõ ferẽdas iniurias ac calumnias, in scandalũ totius pietatis, et risum illorũ qui dicũt, stultũ esse seruire tibi, si seruos tuos sic tractare nõ cesses indigne. Et intelligã sine dubio respondendũ mihi, has me miserias nõ ferre ob crumẽ aliquod, sed aliam ob causam, quam tu solus noueris, & nulli dicas.
Responsa rebus cupit.

6 Nolo multa fortitudine contẽdat mecũ,
nec magnitudinis suæ mole me premat.

7 Proponat (ibi rectus arguet) æqtatẽ cõtra me,
& puenire faciã ad uictoriã iudiciũ meum.
Iustitia dei.
Scio autem tanta clemẽtia & iustitia deum meũ præditum subsistere, ut non pro uiriũ suarum magnitudine, per iniuriam oppressurus sit, uel me uiolẽter tyrannorũ more, mecũ delitigaturus sit, uel me uiolẽter sponderentem, obiecta falsò mihi crimina diluentẽ, innocentiæ meæ rationẽ declaraturũ non diffido, utcũq; mihi nunc iudex iratus & dñs crudelis appareat, non tamen desperabo de causa mea & iustitia illius, nec damnari timebo ad solium iudicij sui pro hac mea causa.

8 Si ad orientẽ (anteriora) iero, non apparet:
si ad (posteriora) occidentẽ, non intelligã eũ.

9 Si ad siniſtram, quid agã (in opus eius?) non
apprehendam eum, si me uertã ad dexterã
non uidebo (illum.)
Potentia dei ubiq.
Alioqui si fortitudine sua & robore mecum agere uoluerit, quod non facit, nemo prohibere posset, & ego quòd tenui maiestati illius? Si enim progrediar ad oriẽtis solis plagam, si ad occasum retrocessero, non intelligã locum eius, accedere & querelas deponere contra dominum deum meum non possum. Si ad siniſtrũ mundi aquilonẽ declinauero illũ tracturus in ius, uel accusaturus de tanta seueritate in hominẽ non impium, non assequar eum, non apprehendã. Dextera sua, etiã si præsens sit, operiet eum, ut illum intueri & nosse non possim. Ipse aũt interim semper me uidet, & proximus est, de me quod uolet efficiet ac statuet nemine prohibente.

10 Ipse uero scit uiam meã (&) probabit me
quasi aurũ (egrediar) quod per ignẽ transit.
Nouit aũt dñs omne iter meum, opera, uerba & cogitationes ipsas rimatur, & aspicit, probat me multis modis, ut illi placet. Quomodo aurũ qd' igne in fornace decoquitur & exit sine scoria & impuritate: sic enim dominus, etiã pios, intus & in cute cognitos, probat aduersitatibus, ut de Abraham satis cõstat, cum filiũ iubet occidere. Hæc autem cur faciat, non scitur, nisi ab illis quibus dominus reuelauit, utcunq; interim impij blasphement nomẽ domini, falsa pro ueris de iudicijs diuinis definiant, & iustitiam dei calumnientur.
Pios probat dominus.

11 Vestigia eius secutus est pes meus, uiã e-
ius custodiui, & non declinaui ex ea.

12 A mandatis labiorũ eius non recessi (&)
in sinu meo (ab instituto meo) abscondi uerba
oris eius.
Ambulaui ego semper strenue in uijs dei, secutus sum placita illius, præcepta eius impleui pro uirili mea, non minus quàm alij boni uiri, quos dñs non sic afflixit, imò ut loqui secundũ conscientiã possum, plus quàm alij institui ambulare in beneplacito Dei mihi cognito & demandato per legem naturæ mihi inditã, non declinando neq; ad dexterã, neq; ad siniſtrã. Mandata labiorum eius non sustuli, non contempsi, & præcepta illius ac iussa oris eius mihi proposita recondidi in cor meũ, reueritus illius beneplacitũ: & ex malitia & cõtemptu, ut impij, non peccaui, sed & ut filij quoq; mei non peccarent, solicitus fui. Rapinã bonorũ meorũ satis patienter tuli, & nomen dñi non blasphemaui. Omnino talis non fuit, qualem isti hypocriticæ probitatis assertores, contra conscientiam suam me calumniantur: etiam si non ignorem, neminem hominum sine peccato uiuere.
Fiducia Iob in uita sua.

13 Ipse enim solus (in uno) est, & nemo auerte
re potest (eum) cogitationem eius, & anima
eius quodcunq; uoluit, hoc fecit.

14 Cumq; expleuerit in me uoluntatẽ suam,
& alia multa similia præsto sunt ei.
Quis aũt dubitat, unũ ipsum & solũ deum esse omnipotentẽ, & omnia scientẽ & gubernantẽ, immutabilẽ & sibi semper similẽ, cuius uolũtati nemo possit resistere? Cuius operatio nõ est aliud q̃ uelle suum. Quis ergo auertere eam potest ab instituto qualicunq;, multo minus ego? Quicquid enim anima illius desiderat, cõtinuo factum est, nemine prohibẽte: quicquid ex lege sua æterna, quam mihi indidit, quã scio, quam suscepi, quam de me statuit in bonum uel malum decreuit deus, quamlibet multa sint et magna, sine impedimento cõplet. Rationẽ
Deus omnipotens.

operum suorũ frustra inquirent homines. Nihil enim bonum est, nisi quia ipse uult & probat. Sic & de me quã statuit legem impleuit, & implet prout uult.

15 Et idcirco à facie eius turbatus sum, & cõsyderans eum, timore solicitor.

16 Deus molliuit cor meum, & omnipotẽs conturbauit me.

Dominus semper metuendus.

Nihil ergo mirum, si quamuis nihil mihi conscius sim, timeam tamen à facie iudiciorum suorũ, nõ quo ad hanc causam, sed propter alia multa semper mihi metuendus est uniuersorũ dominus: ideoq; conturbor, nescius quò me uertam, minime compos uirtũ mearũ. Ipse enim pro uoluntate sua, deus cum sit, flectit cor meum, & attonitum reddit, consyderantẽ mirabilia opera sua, & imperscrutabilia iudicia iustitiæ suæ.

17 Non enim perij propter imminentes tenebras, nec faciem meam operuit caligo.

Nondum autem exhaustus sum & excors factus, ob tam horribiles miseriarũ mearum tenebras, quas ipso immittẽte sustineo, quoad illi placuerit, et à facie caliginis

Summa.

qua me operuit & uastat. Summa. Cupit sibi conscius de probitate causam suam contra amicos suos agere coram deo iudice: amplecti quicquid pro se uel contra responderit deus. Omnipotẽs est & mortalium iudex unicus. Maior est quàm ut nobis operum suorum rationem reddere cogatur. Humiliandi sumus sub potẽti manu dei. Non propter impietates meas hæc patior. Hominis est deum timere & obedire, illius iudicia reuereri, nõ discutere. Voluntas dei peccare non potest.

CAPVT XXIIII.

1
B omnipotente quare non sunt abscondita tẽpora: & qui nouerunt eum, ignorant dies illius.

Non soli mali affligũtur.

Si iuxta uestrã sententiam, ô amici, deus in hoc mundo solos malos affligeret, nõ bonos, recte quis sentiret à deo abscondita esse mala & infortunia, quæ pijs obueniunt hominibus in temporibus, quos frequenter grauia & multa pati uidet mũdus. Sequereturq; deũ non curare iudicium et pietatem mortalium in hoc mundo, ac nescire quæ pijs occurrant incommoda in temporibus huius seculi: id quod longe absit, ne quis de deo suspicetur. Oportet igitur uos falso de dei sapientia iudicare, qui id contenditis obtinere qui contraria sæpe uidetis. Vos quoq; gloriamini cognoscere deum, sapientiam illius scire, & tamen non nisi malos affligi contra omnẽ intellectũ & sensum asseueratis: cum interim deũ scientes & colentes pij ignorent huiusmodi quã uos illis semper promittitis in hoc mundo felicitatem, uel diẽ impijs iudicandis à domino definitũ propter crimina quæ semper designant.

2 (Alij) terminos transtulerunt, diripuerũt greges, & pauerunt (eos.)

Impiorum facinora cõsequenter.

Enumerat Iob impiorũ facinora, in qbus prospere sine omni afflictione eos uiuere nõ raro uidemus. Terminos, inquit, transferunt, ut aliorum hæreditates inuadant, ut proferant agrorum suorum fines, contra dei legem, maledicti ab hominibus & deo. Abigũt quoq; pecora proximorum & deprædantur, ut Arabes ipsius Iob armenta abstulerãt, at tyranni subditos ad libidinem spoliant, ut seipsos pascant.

3 Asinum pupillorum abegerunt (&) abstulerunt pro pignore bouem uiduæ.

Quantum malũ sit uiduis & pupillis iniuriã inferre, testatur lex multipliciter et prophetæ, cum dominus se patrem pupillorum & uiduarum iudicem uocat & tutorem. Omniumq; eorum qui sese ab iniurijs uiolentorũ defendere non possunt, uel ab impijs opprimuntur.

4 Subuerterunt pauperũ uiam, & oppressi pariter mansuetos terræ.

Cogunt quoque impij egenos ut à uia declinent, contemptui præ se habentes, quasi indignos familiaritate et gratia: quo facto intelligitur omnis iniuria, quæ pauperibus irrogatur, ut non aliter quàm bestias & immanes reputent ac tractent. Minanturq; mala omnia, nisi pareant, & obediant ad omnia, ut se miseri cogantur abscondere à conspectu tyrannorum, nec etiam progredi audent ad conquirenda necessaria uitæ.

5 (Alij) quasi onagri in deserto egrediũtur ad opus suum, uigilantes ad prædam (latrocinijs præparant) panem liberis.

Impij isti sunt uelut bestiæ ferocissimæ in solitudine, mane exeuntes ad prædam, ut diripiant alienos labores, quibus suos catulos nutriãt. Ita tyrãni leges iniquas condunt, opibus subditorum inhiantes, ueluti Arabes aut latrones in solitudinibus, insidiantes uiatoribus uel negotiatoribus, ut liberos suos ditent ac ferocitati suæ satisfaciant cum dispendio piorum & pauperum.

6 Agrum non suũ demetũt: & uineã (impietatis) eius, quẽ ui oppressérãt, uindemiant.

Alienas messes & pabula aliorum demetũt, uineas impietate & exactione iniqua acquisitas uindemiant, nõ tantis aũt flagitijs nihilominus feliciter uiuunt: quomodo igitur admitti potest, deum solos malos affligeret

7 Nudos dimittũt (homines) indumẽta rollẽtes, quibus nõ est operimentũ in frigore.

8 Quos imbres montiũ rigant: & non habentes uelamen, amplexantur lapides.

Nulla in tyrannis pietas locum habet. Non solum enim non uestiunt nudos, sed et ueste exuunt quæ habetur, ut frigore contabescant, & in tempestatibus, quæ exmari uel montiũ uerticibus exhalant, & nubibus absoluũtur ut defluant. Non aliud asylum habeant pauperes, q̃ fissuras petrarum in montibus, domo & uestibus spoliati.

9 Vim fecerunt deprædantes pupillos, & uulgum pauperem spoliauerunt.

Diripiunt pupillorũ matres, ut non supersit illis cibus pro nutriendis, imò lactandis infantibus orphanis, & pignora necessaria egenis auferre non abhorrẽt, impijs consilijs & dolis circumueniunt, ut fiat rapina uiduis ablata suppellex eius. Non solum enim norunt impij hi, uiduas facere & pupillos, sed etiam affligere desolatas, & augere illarum miserias.

10 Nudis, incedentibus absq; uestitu, & esu

Nec

Nec sufficit per iniuriam multos uinculis innodasse, ni si eosdem quoq; nudos adfligant, sine ueste incedere co-gentes. Et pauperum agricolarum spicas auferunt, multo labore cõparatos manipulos, ut & famelicos manuũ labore fraudent, aliorum sudoribus libidinentur, & fructum auferant laborum in suas domos.

11 Inter aceruos eorum (oleum exprimunt) meridiati sunt, qui calcatis torcularibus sitiunt.

Intra torcularia uectium et ueluti ligneas parietes exprimunt oleum, & foueas suas calcant pauperes uinitores ac rustici, interim tamen impiorum tyrannide sitire coguntur, & ignorare unctionem. Coguntur siquidem pauperes suo ipsorũ impẽdio agrum tyranni colere, seminare, spicas demetere, horreo inuehere, triturare, molere, torcularia trahere, foueas implere uino uel uasa, interim semper sitire & cibis necessarijs indigere. Nihil enim earum rerum ad pauperes redit, id quod Dominus etiam beatijs prospexit legibus suis ne fieret.

12 De ciuitatibus (uiros) fecerunt gemere, & anima uulneratorũ clamauit, & deus inultum abire non patitur (quod improbum.)

Impius male beatus. Tyrannide subiectus populus urbium ab impio magistratu premitur, ut non possit non gemere, ac uindictam clamare. Est aũt gemitus oppressorũ apud deum ualidus & potens. penetrat enim nubes & cœlum. Non tamen semper dñs interponit potentiã suam, non succurrit quoties opus est, non statim punit impios pro merito, sed felices exæcantur prospero successu, putantes prosperitatem suam à dño esse, & in nullo peccare, cæteris se meliores esse: & qui contra uel mutierit, eum tãquam seditionis authorem in capitale supplicium uocant. Interim dominus hæc omnia nõ curare uidetur, nec ponere super cor, uel animaduertere in impios demeritis.

13 Ipsi fuerunt rebelles lumini, nescierunt uias eius: nec reuersi sunt per semitas eius.

Quia tyranni non cito dei iudicio uisitantur, ideo desciunt à uero lumine, à uera scientia, spernunt bene monentem, non agnoscunt uias domini, non respiscunt, sed propter felicem successum in impietatibus obdurantur. Quia enim non profertur cito contra malos sententia, absq; timore ullo filij hominum perpetrant mala.

14 Mane primo cosurgit homicida, interficiet egenum & pauperem: per noctem uero erit quasi fur.

Tyranni. Tyranni, homicidæ, fures, feliciter prosequuntur scelera sua: sub auroram surgunt, & se præparant ad occidendum & trucidandum humilem & pauperem, nocte uero ad furandum: promouet enim caligo noctis conatus eorum, clanculum insidiantur hominibus, ut rapiant aut occidant. Atque ad tanta flagitia sic deus conniuet, quasi fauere uideatur. Si igitur solos malos adfligit cur illos tolerat? cur non aridas reddit manus eorũ, dum extendunt eas ad furtum aut homicidium?

15 Oculus adulteri obseruat caliginẽ, dicẽs, Nõ me uidebit oculus: et operiet uultũ suũ.

16 Perfodit in tenebris domos, sicut in die condixerant sibi, & ignorauerunt lucem.

17 Si subito (pariter) apparuerit aurora, arbitrantur umbram mortis (quia agnoscet perturbationes umbræ mortis) & sic in tenebris quasi in luce ambulant.

Impijs quoq; oculus est adulteri, qui tenebras obseruant, & prospere agunt in suo facinore, nec corripiuntur subitaneo dei supplicio, ut olim, cum uiginti quatuor millia hominum propter fornicationes cum Moabiticis fœminis occiderẽtur. Describũtur aũt hoc loco pulchre adulterorum mores, sicut & in Prouerbijs. Nam noctes amant obscuras, ut in tenebris penetrent domus alienas, interdiu autem latent à scorto absconditi, odiunt lucem, ut alij tenebras: protinus enim ut diluculascit, formidabiles tenebræ oriuntur eis, horrent occursum omnium qui illos agnoscunt de facie & persona, dum latere uolunt improbitates suas. Habent enim diurnam lucem sibi pro terribilibus tenebris, quas Hebræi nominant umbrã mortis, odiosam & formidabilem lucem interdiu impijs. Adulteri impius oculus.

18 Leuis est sup faciẽ aquę: maledicta sit pars eius in terra, nec ambulet per uiã uinearũ.

Leuitas & mutabilitas impiorum exprimitur similitudine aquarum, uel torrentium ac fluminum festinantißimè fluentium, utq; bulla super aquas nata, temere fertur. Est enim impiorum occupatio inutilis transactio temporis non redeuntis, ut aquarum, quæ summa uelocitate aufugiat. Vel, secundum alios, damnatur uel maledicitur pars eorum super terram. Nec se uertit ad uiam uinearum. Sic uiuunt cum hominibus, ut sustineri nõ possint ipsorum improbitates, & iniuriæ uel tyrannides. Et ipsi quoque abhorrent cum pluribus inueniri, in arcibus potius uel syluis habitant incultis. Hoc est, nulla cupiditate uel oblectatione remorari se sinit impius in cœtu hominum sensatorum. Mutabilitas impiorũ

19 Ad nimium calorem transiet ab aquis niuium, & usq; ad inferos peccatum illius.

20 Obliuiscatur eius misericordia: dulcedo illius uermes, nõ sit in recordatione, sed cõteratur quasi lignũ (iniquitas) infructuosum.

Hebræus sic habet: Siccitatem ac etiam calorem rapient ex aquis niuis (sic) infernus (eos qui) peccauerunt. Vtcunq; uiuant in hoc sæculo impij feliciter, deglutientur tamen suo tempore ab inferno, deijcientur in profundam perditionis foueam, & quemadmodum aquæ niuis soluuntur à calore, & defluunt, nescio quò: ita impij tandem ardore diuini iudicij consumentur, ut nihil eorũ remaneat, in obliuionem ueniẽt misericordiæ, ut ab indulgentia dei excidant, qui nullã proximo exhibuerunt misericordiam, sed erit uermium esca uoluptas eorum, in abominationem uertetur, abolebitur eorum inter felices memoria, atq; peribunt non aliter quàm sterilis arbor, & excisa, ac in ignem abiecta: cum interim in memoria æterna maneat iustus. Nomen autem impiorum deletur, & sicut arbor putrida foras proijcientur, conculcabuntur, & in ignẽ æternũ à facie dei protrudẽtur.

21 Pauit (afflixit) enim sterilem & quæ non parit, & uiduæ bene non fecit.

22 Detraxit fortes in fortitudine ſua: & cum ſteterit, non credet uitæ ſuæ.

Impius ideo talia patietur, quia afflixit ſterilem uel ut non pareret, uel præ anxietate incuſſa abortiretur, affli ctionem addidit afflictioni, & abortiuum procurare nõ timuit, miſeras etiam fœminas affligere non erubuit, ui= duis male fecit. Trahunt enim impij uiolentia ſua quoſ= cunq;, etiam fortes: ab omnibus enim timeri cupiunt, ut quicquid libet iſtis hoc liceat, nemine audente contra ni ti, qui dum firmiter ſe ſtare crediderint, ſibiq; uidebun= tur probe muniti undiq;, non tamen ſecuri eſſe poſſunt, dño & conſcientia illos deterrente. Timent enim tyran ni nocte & die, & uitæ ſuæ credere non poſſunt.

Impij formi dabiles.

23 Dedit ei (deus) locum (fidutiæ) potentiæ, & (ſuffulcietur) ille abutitur eo in ſuperbiã: ocu li autem eius ſunt in uĩs illorum.

Eſto donetur eis ad tẽpus à domino in ſua improba ui= ta longæuitas uel ſecuritas, ſed perſeuerare non poſſunt, male ſibi conſcij, ſemper & omnia timere coguntur. Vi uunt enim tyranni tanquam uinculis quibuſdam formi= dinum & armorũ deuincti. Egredi locum & uagari nõ audent, arces muniunt, corporis euſtodes magno condu= cunt, onera grauia in ſubditorũ humeros reijciunt, quo in officio contineant ſubiectos. Neceſſe eſt enim eum ti= mere omnes qui omnibus male facit. Deniq; ſeuero uul= tu illos dominus intuetur ut digne perdat & duro iudi= cio finiat ſuo tempore pro meritis.

Tyranni uincti.

24 Eleuati ſunt ad modicum, & non ſubſi= ſtent, & humiliabuntur ſicut omnia, & au ferẽtur, & ſicut ſummitates ſpicarum (præ= ſcindentur) conterentur.

Non ideo impij felices ſunt, quia glorificati & exalta ti in mundo, manet enim eos apud Deum tanto grauius iudicium, quod ut fulmina ſublimiora feriet crebrius. Et dum ſibi maxime placent, ſubito non comparent, digne percuſsi à domino: extenuantur enim prorſus, & in an guſtum contrahuntur, quemadmodum ſpicarum capita pro grauitate ſua in terram deorſum trahuntur, & cum maturuerint ariſtæ, grana iam matura excuſſa decidũt: ita impij paulatim in altum ſuccreſcunt & eleuantur, donec maturuerint ad iudicium, tunc enim ſubito ueluti ſpicæ à meſſore præſcinduntur & in perditionis profun dum deijciuntur.

Infelices impij.

25 Quod ſi nõ eſt ita, quis me poteſt argue= re eſſe mentitum, & ponere (in nihilum) ante deum uerba mea?

Quæ loquor uera ſunt & clariora, quàm ut redargui poſsint. Neq; enim felicitate externa pietas probari po teſt, cũ pij homines miſeriores ſint alijs ſæpe in hoc mun do, ut male collegeritis me propterea impiũ fuiſſe, quia nunc tantis malis ſuccumbam. Non enim eodem modo deus iudicat impios, nec pios quoque ſemper pro com= miſsis adfligit, quin in hac uita diſcertio meritorum non liquet, ſed ſuo tempore apparebit mũdo toti. Ante mun di finem eadem multis uidetur ſors omnium, ut plurimũ iuſtorum & improborum. Summa. Felicia plerunq; ob= ueniunt maxime impijs. Deus conniuet diutius ad op=

Pietas non probatur à felicitate temporali.

Summa.

preſsiones pauperum à tyrannis. Varia ſunt et improba ſtudia impiorum, tandem fine clauduntur infeliciſsimo.

¶ CAPVT XXV.

1 RESpondens autem Baldad Suhi tes, dixit,

2 Poteſtas & terror apud eũ eſt, qui facit concordiam in ſublimi bus ſuis.

Arguit ut prius ex omnipotentia & puritate dei nec minem in cõſpectu dei iuſtificari, nec citra peccatũ ad= fligi, quia omnia deo ſubiecta ſunt, & illius imperium uerentur, non tamen præcepta cuſtodiunt illius. Omnia quidẽ ſuo ordine diſponit, in numero, pondere, & men= ſura, alioqui omnia in unum chaos miſcerentur. Et hæc creaturarum diſpoſitio pax dicitur in ſublimibus, har= monia ſcilicet & concentus omnium partiũ mundi opti mus ad optimam ac iuſtiſsimam uoluntatem dei.

3 Nunquid eſt numerus militum eius? & ſuper quem non ſurget lumen illius?

Innumerabiles ſunt adminiſtratorij ſpiritus, qui hoc lo co expediti & milites dicuntur, quos Chriſtus legiones nominat, quorũ unus una nocte tot millia occidit in ex ercitu Sennacherib. Et cuius lux, hoc eſt prouidentia et clementia ſuper omnes oritur. Deus enim omnia uidet, nihil ei abſconditum: quò ibo à ſpiritu tuo? & quò à fa= cie tua fugiam? ſi aſcendero, &c. Pater quoque cœle= ſtis ſolem ſuum oriri ſinit ſuper bonos & malos. Id quod ingens liberalitatis diuinæ indicium eſt, omnibus ſe ob= uium præbentis, & neminem à beneficio excludentis, niſi quis ſua pereat infidelitate.

Spiritus ad miniſtrantes

4 Nunquid iuſtificari poteſt homo compa ratus deo, aut apparere mundus natus de muliere?

Si deus tam potens, ſapiens, bonus, & beneficus eſt, quomodo coram eo poſſet homo iuſtificari, & cum eius iuſtitia conferri? Minime quidem, ſi propria iuſtitia pon deretur, quæ ſemper miſcetur cum iniuſtitia, ſicut omnis creatura aliquid patitur uiciſsitudinis, et impuritatis uel defectus, Chriſti autem iuſtitia, ſanctitas, puritas, meri= tum, prodeſt & ſufficit electis omnibus. Tota autẽ mun uitas noſtra impura eſt, & ideo puerperæ immunde, nõ tantum pro naturæ corporæ conditione habentur: ex le ge, ſed etiam quia in peccatis concipiuntur omnes filij hominum. Natura enim ſumus filij iræ: & quod ex ca= ne eſt, caro eſt. Impuri ergo ſunt, quotquot ab impuris naſcuntur. Quanquam autem infans impurus non ſit creatione, utpote uerbo dñi creatus, ſed impurus eſt pro pter iudicium dñi in Adam, in quo omnes homines mo= riuntur, ſicut in Chriſti fide et meritis oẽs reuiuificãtur.

Iustificatio ſpiritus.

5 Ecce luna etiã non ſplendet, & ſtellæ non ſunt mundæ in conſpectu eius:

6 Quanto magis homo putredo, & filius hominis uermis?

Tantus eſt ſplendor maieſtatis diuinæ, ut nec luna, nec ſtellæ in comparatione eius luceant, quomodo ergo luceret homo, qui eſt tinea & uermis? Talis eſt enim in firmitas hominis, ut puluis, caro, uanitas, mendacium ali

Putredo

caturs

catur à sacris literis, sicut & gentilium literæ bullam nominant, ut nemo se sine peccatis esse iactare posit, & in hoc mundo iniuste aduersa pati, cum lunam à sole & solem à luna non nihil pati in eclipsibus hominibus ineruditis uideatur. Quibus omnibus monemur, ut nostram miseriam agnoscentes confugiamus ad dominum, qui solus est liberator noster, de nobisipsis humiliter sentiamus, & dei circa nos iusta iudicia non arguere præsumamus, qui sumus caro & lutum. Summa. Omnipotens ab omnibus metuendus hominibus & creaturis, cui cœlestia obsequuntur. Humana autem reatu multiplici constringuntur. Nemo iactet innocentiam.

Summa.

¶ CAPVT XXVI.

1 2 RESpondens autem Iob, dixit: Cuius adiutor es? nũquid imbecillis, & sustentas brachium eius, qui non est fortis?

Finitis amicorum disputationibus ac uerbis, iam in ultimis Iob acutius cõtra eos insurgit, ut mos est peritis oratoribus, in conclusionem fortiora seruare argumenta. Alloquitur aũt ipsum, ut uidetur, Baldad, dicens: Nónne tam magnifico sermone tuo, breuibus licet uerbis cõposito, omnipotenti deo ueluti imbecilli opitularis? & sustentas ipsius brachia, ne succumbẽs deijciatur ab homine, nisi tu illi succurras tuo patrocinio, quandoquidem niſi adiuueris, omnis ipsum fortitudo destituet. Iuuare enim contendis tam ampullosis sententijs tuis, eum sub cuius magnitudine succumbis. Quod enim deo impendis excusationis patrocinium, de ostentatione tua est, non de pietate, non enim deus indiget defensione tua.

Cõciliũ disputationis.

3 Cui dedisti consiliũ? forsitan illi qui non habet sapientiam, & prudentiam (subsistentiam) ostendisti plurimis.

Præsumptionis tuæ est consilium dare deo, quo modo tueatur suam scientiam, iustitiam & munditiam, et prodis insignem tuam iustitiam, defendẽdo iustitiã dei, alioqui ut uereris periclitantem. Consuluisti enim ei qui nõ habet sapientiam, imò qui est ipsa sapientia, sapientum quoq; cõditor & illustrator, & sapientiæ diuinæ perfectionem ac subsistentiam confirmas & doces copiose, quæ sine hac tua diligentia periret in orbe.

Consilium alicui dare.

4 Quem docere uoluisti? nónne eũ qui fecit spiramentum?

Pro quo domino deo decreuisti miscere sermonem? Timores enim nisi loquaris, & flatum tuum proferas, periturum deum? Nónne hæc est ridiculosa præsumptio, defendere dei ueritatem humano mendacio, ipsiusq; omni potentiam fragilitate humana tueri? ut qui tibi halitum dedit, tua indigeat respiratione & defensione, ne iudicio succumbat, nisi excuses.

5 Ecce gigantes (creaturæ infimæ) gemũt (formabuntur) sub aquis, & qui habitãt cum eis.

Omnia deus nouit solus, & omniũ causas, omnia operatur in omnibus, spiritualia & corporalia illi subdita sunt. Gigantes sunt ingentia cete in mari, per quos tyranni in terra potentes describuntur magnæ potẽtiæ & sapientiæ dei argumenta: transit autẽ ad creaturas subterraneas & marinas, ut metalla, gemmas & plantas in profundo maris, ubi omnia dei potentia, influxu & opera concipiuntur, fouentur, & crescunt in inferioribus partibus mundi, quanto admirabiliora sunt ea quæ in supremis mundi partibus consistunt, cœlestia nempe & spiritualia? Hæc omnia cum suis cohabitatoribus, hoc est congeneis & connaturalibus plenè subsunt uoto et regimini dei omnipotentis, qui omnia regit & ordinat, quẽ omnia reformidant, cuius iudicium exhorrescunt.

Deus omnia sibi causa.

6 Nudus est infernus coram illo, & nullũ est operimentum perditioni.

Infima quoque & abstrusissima naturæ, & omnium creaturarum natura, inclinatio & actiones, aperta sunt oculis dei, ut nedum omnipotens sit, sed & omnia cognoscẽs & præsenter aspiciens etiam occulta cordium, & infirmum ipsum, & quicquid uspiam est rerum occultissimarum, sic ut perditio ipsa impiorum, malignitas quoque peccatorum, & flagitiorum, sic deo notissima sunt, ut perfectè sciat quid quo modo tractandum: perdere enim potest, & saluare quos uoluerit. Infernus & perditio deo patent.

Omniscius dominus.

7 Qui extendit aquilonem super uacuum, & appendit terram super nihilum.

Aquilonaris terræ portio nobis manifestior & cõmodior hominum habitatio, pro toto mundo accipitur, quẽ extendit, & reponit super uacuũ, super suo centro. Totum enim cœlum imò mundũ extendit & sustẽtat nulla supposita columna, ingens potentiæ dei signum, uerbo suo solo tam cœlum quàm terram sustinentis.

Aquilonaris plaga.

8 Qui ligat aquas in nubibus suis, ut non erumpant nubes deorsum.

Aquas in nubibus colligere, ne ante tempus decidant, cum tamen natura sua graues deorsum ferantur, nõ mediocre miraculum est potentiæ diuinæ: sic resolui tandem, dum iusserit deus, in saluberrimos imbres, unde irrigentur terræ nascentia, animalia pascantur, exornetur mundus, & agnoscatur omnium creator & author.

9 Qui tenet uultum solij sui, & expandit super illud nebulam suam.

Solium dei cœlum est, ubi residere nobis uidetur, & inde imperare subiectis, omnia gubernare quæ fiunt in æthere & terra, nũc serenitatem cõferens, nunc omnia nebulis obfundens, nunc hilaritate sua mundum consolatur, nunc fulgure & tonitruo cõcutiendo exterret summa quæq; & infima.

Cœlũ Dei solium.

10 Terminum circundedit aquis usq; dum finiantur lux & tenebræ.

Mari posuit circulum suum, & locum statuit, quẽ non transgrediatur, usq; ad consummationem lucis & tenebrarum, donec uel sæculum stare decreuit, uel impios aliquando contra naturæ legem peccantes punire. Non raro enim aquarum inundatione impios uisitat, ac uindicat, resq; naturales armat ad uindictam peccatorum.

11 Columnæ cœli contremiscunt, & pauẽt ad nutum eius.

Dum iram suam in impios ostendere uult deus, omnia contremiscere facit terræmotu, sic ut etiã columnas cœ

li quicquid sub cœlo est, concutere uideatur. Alioqui cœlum nulla columna, nisi manu domini sustinetur, & perseuerat in suo statu. Increpatio autem dei aliud non est, quàm conterere homines, & deterrere à malis.

12 In fortitudine illius repente sedat maria (congregata sunt) & prudentia eius percussit superbum.

Flante tempestuoso uento, per uirtutem & mãdatum dei, mare horribiliter commouetur & concutitur, naues cum hominibus periclitantur & anxiantur. Contrà uero dum uentis imperat, fluctus marini in altum eleuati, superbissimi ac tumore horribiles, eiusdẽ uirtute confringuntur, sedantur ac humiliantur.

13 Spiritꝰ eius ornauit cœlos: et obstetricante manu eius (eductus est) coluber tortuosus.

Spiritus multipliciter.

Venti dicuntur spiritus dei. Interim tamen etiam uoluntas & operatio dei spiritus dicitur, quibus fit, ut cũ placet illi, cœlos ornet claritate & serenitate, ut æthera pulcherrima splendescant, solari lumine ad nostros oculos radiante. Alioqui nunquam suprema æthera pertur bantur, sed regiones aëris inferiores. Ipse quoq; spiritus Domini est, quo efformat & mirabiliter componit & perficit serpentẽ tortuosum: hoc est, nedum astra cœli, ac constellationes, quibus uariæ nationes uaria nomina indiderunt, et figuras astronomicas, sed etiam beluas marinas, & miracula quæcunq; aquarum, quibus intelligitur inuisibilis draco & satan, in hoc mari magno huius mundi: sed & marinos serpentes, qui uectis nomine dicuntur & tortuosi & recurui, manus domini fugat, ut æquor planum fiat & tranquillum.

14 Ecce, hæc ex parte (dicta sunt) uiarum eius: & cum uix paruam stillã sermonis eius audierimus, quis poterit tonitruum magnitudinis illius intueri?

Hæc est potentia dei, hæc dei maiestas, quæ breuibus quidem utcunq; deliniata est, sed tamen tanta, ut uerbis nequeat comprehendi: paruula summa hæc est rerum creatarum, ac potentiæ dei minuta uestigia. Quis enim maximarum & innumerabilium rerum illarum ab ipso gestarum põdus & magnitudinem uerbis exprimeret? & tonitruum fortitudinis suæ quis caperet? Parua autẽ stilla sermonum eius dicitur, quicquid altum in hac uita

Summa.

positi de eius consyderatione cognoscimus. Summa capitis. Omnipotens dominus omnia pro suo nutu agens, corripi ab homine non potest. Omnia solus nouit & causas omnium. Operatur omnia in omnibus. Superna ac inferna spiritualia ac terrena illius uoluntati sunt subdita. Inenarrabilis est dei sapientia & potentia.

¶ CAPVT XXVII.

1 ADdidit quoq; Iob, assumens parabolam suam, & dixit,

Cœpit Iob ultra prosequi cœptum sermonem ac dicere contra amicos, qui insimulauerant multis uerbis ipsum reũ occultæ impietatis, quando aperta flagitia in ipso non cognoscebãt, sola hac ratione permoti, quia tam ingenti miseria à dño uisitatus esset. Cũ igitur cessassent loqui, & nemo respondisset, perrexit de suis afflictionibus loqui plura, diuinã potentiam & sapientiam astruendo, negat se percussum à domino pro peccatis, eam sibi arrogat innocentiã uerè, quam illi derogabãt falsò, testatur nullã impijs esse spem in felicitate huius uitæ. Assumere parabolam, est inchoare de magnis rebus serioſum sermonẽ non clare, sed per inuolucra parabolarum & similitudinũ prosequẽdum.

Assumere parabolã.

2 Viuit deus, qui abstulit iudicium meum, & omnipotens qui ad amaritudinẽ adduxit animam meam,

3 Quia donec supererit halitus in me, & spiritus dei in naribus meis,

Sic Hebræi iurant, Vt uerè uiuit dominus, sic non secundum demerita mea percussit me dominus, et nullo iudicio humano cõuincar de iniquitate aliqua, pro qua me iudex quispiam tot calamitatibus cædere potuisset, ut uos contẽditis. Tanta enim amaritudine me dominus punit, non propter peccata mea, sed quia sic illi placuit, sic uoluit dominus uniuersorum, causam iudictorũ & operum suorum ipse nouit. Quantum attinet ad metum iudicium, nihil contra conscientiam affirmabo, si peccatis meis tanta cõmerui, nescio, aliud coniectare non possum, quàm subesse causas alias, non flagitia mea, quæ si commisissem, non poteram ex toto ignorare. Nullum est enim crimen magnum, nisi quod ex certa scientia fit, ex dei contemptu ac infidelitate. Talia autem de me affirmare non possum, donec uixero & spiritus dei hos artus uegetauerit.

Cõtra pharisæos.

4 Non loquentur labia mea iniquitatẽ, nec lingua mea meditabitur (dolum) mendaciũ.

5 Absit à me, ut iustos uos esse iudicem: donec deficiã, nõ recedam ab innocẽtia mea,

6 Iustificationẽ meam quam cœpi tenere, non deseram: neque enim reprehendit me cor meum in (omni) uita mea.

Data opera & certa scientia non committam, ut labia mea uanitatem & falsum aut mendacium loquantur, & per meam linguam nulli unquam dolum moliar. Nec certum affirmabo, quod ignorare me scio: nempe ut dicam me pro peccatis meis tantopere punitum, cuius mihi conscientia mea testis esse non potest. Absit à me, ut iusta & uera uos loqui confitear, cum contrariũ sciam. Donec uixero curabo innocentiam et integritatẽ meam in facto & uerbis: probe omnium noui, tam opera mea in omni uita mea, quàm opiniones. Annitar studiosè, ut tota uita mea retineam & conseruem iustitiam, hoc est synceritatem & probitatem meam, & pro nulla aduersitate remittam ab opere uirtutis, certus, quod nec mors nec uita, quæcunq; tribulatio uel instantia huius temporis separabunt me à fide in dominũ, qua domino rectus & integer uideor & habeor. Nec mihi cõscius sum alicuius flagitij uel criminis à cunabulis meis, ideoq; quod bonum est, dicere malum, & cõtrà, nec uolo, nec debeo, & qui semper à peccato abhorrui, non possum contra conscientiam calumniæ uestræ locum cedere: non quod nõ unquã peccauerim, id enim nõ loquor, sed quæ mihi impingitis falso crimina nescit mea syncera conscientia.

Loquelã.

Sit

7 Sit ut impius inimicus meus, & aduersarius meus quasi iniquus.

Illi potius impij sunt, qui me impiũ calumniantur, cum de malo quod impingunt testimoniũ adferre nõ possunt: ideo ærumnæ meæ in illorum caput recident, qui eo ipso se impios statuunt, quum quod in me flagitium accusant, ostendere non possunt. Hoc ergo usu ueniet meis hostibus, quod in me retorquere temerè præsumunt ex hypocrisi, quasi mendacio suo dei iustitiam defendere uelint, qui iniustus esse nulla ratione potest, sicut nec impotens uel ignorans.

8 Quæ est enim spes hypocritæ si auare rapiat, si (non) liberet deus animam eius?

9 Nunquid deus audiet clamorem eius, cũ uenerit super eum angustia?

10 Aut poterit in omnipotente delectari, & inuocare deum omni tempore?

Fiducia hypocritæ nulla.

Qualis fiducia haberi potest ab hypocrita tunc, cum deus exuit animã suam de corpore mortis huius, qui omnia fictè agit, in suumq; cõmodum, ut ubicunq; potest rapiat, & ditetur fraudibus et dolis, tantum ut homines ignorent, etiã si deus uideat, quẽ uel non credit, uel non uereatur. Nihilominus fieri solet, ut à domino orans aliquando exaudiatur ac ditetur in suum malum, & interim pius egeat, ne ex huiusmodi prosperitate arguat pietatem, cum impij opibus sæpe donantur, & fruuntur cupitis. Non propterea deo gratus est quispiam, nec in angustijs orans exauditur, quia diuitijs prius donatus est. Non enim semper dantur propitio deo, sed non raro ab irato damnandis & minime electis conceduntur. Num hypocrita eatenus deo fruitur, ut amore syncero illi iungatur, & non potius pro suo proprio commodo, ut dominum cordium inspectorẽ, & boni æqui ac ueri amantissimum, possit habere in omni occasione benignũ, & promptum per omnia exauditorem, quem pro uoto inuocare possit quum placuerit. Non enim exauditur impiorum oratio, quia in peccatũ fit, & non ex fide.

11 Docebo uos per manum dei, quæ omnipotens habeat, nec abscondam.

12 Ecce, uos omnes nostis, et ut quid hęc fine causa uana loquimini?

13 Hæc est pars hominis impij apud deum, & hæreditas uiolentorum, quam ab omnipotente suscipient.

Hereditas impiorum.

Opinione uestra uobis prudentes uidemini, sed stulti facti estis, falsis uestris & sophisticis argumentis. Audite ergo si placet, ut uos ueriora doceã, quæ scilicet sint iudicia dei, & quæ eius sapientia. Nam etiã si nunc impij benedicantur, ego uero adfligar innocẽs: hæc tamen erit hæreditas tandem impiorum, nempe amara adflictio animæ et corporis quam uobis annuntiabo, ut sequitur, quam negare non potestis crebro usui uenire, quã uidistis, & quàm uana sit illorũ felicitas experti estis, uestro quoq; dãno olim magis sentietis, nisi hypocritæ esse desistatis. Hæc, inquam, portio est, quæ à deo datur homini impio, & hæreditas tyrannorum ac uiolentorũ, quã ab omnipotente sine dubio suo tempore capiunt.

14 Si multiplicati fuerint filij eius, in gladio erũt, et nepotes eius nõ saturabũtur pane.

Impiorum filij.

Non raro contingit quod & uos scitis, & ego assero, ut impij multiplicentur in filiorũ procreatione, proleq; numerosa ditentur, qui tamen pro mala educatione sua, & pro parentũ impietate gladio obijciuntur, & rediguntur ad extremam pauperiem, quorũ parentes malis artibus diuitias corraserant, de quibus multa in parabolis Salomonis, ut etiam pane indigere, & fame enecari eos contingat: sicut contrà de iustorum filijs dicitur: Iunior fui & senui, &c. & de impijs: Ecce serui mei comedent, & uos esurietis, &c.

15 Qui reliqui fuerint ex eo, sepeliẽtur in interitu, & uiduæ illius non plorabunt.

Tota impiorum posteritas, & reliquiæ maledicentur & peribunt, usque adeò, ut & uiduæ de progenie eius superstites, & eiusdem impietatis hæredes, nõ plorabuntur in morte, nec erit qui miseriæ illarum condoleat, sed abiectæ & contemptæ morientur.

16 Si comportauerit quasi terrã argentum, & sicut lutum præparauerit uestimenta:

17 Præparabit quidẽ, sed iustus uestitur illis, & argentum innocens diuidet.

18 Aedificauit sicut tinea domum suam, & sicut custos fecit umbraculum.

Impiorum prosperitas

Quod in lege dicitur, Domum ædificabis & non habitabis in ea, plãtabis uineam, &c. hoc loco aliter effertur: Congeres pecuniam uelut puluerem in multitudine, & uestem parabis sine omni negotio: pius uero utetur illis non impius. Solet enim deus impijs largiri dona, pijs uero usum lucrumq; donorũ: sic & impijs diuitias distribuit, ut addat solicitudinẽ: pijs uero largitur mentis tranquillitatem, & animum paucis contentum. Sic impijs sanitatẽ corporis dat, animo interim ægroto: pijs uero sanitatem animi utcũq; affecto corpore. Quamuis quoq; impius ædificet, nõ tamen durat, nõ benedicitur domus, sed cito perit, & iudicio domini dissipatur, perinde stabit ac tineæ, & uelut tabernaculum, quod ad breue tempus transferendum uel negligendum à pastore constituitur. Tinea enim rodendo uestem, loculum sibi parat, sed discussa ueste deijcitur: sic impij eijciuntur de domibus, quas multo labore & expensis ædificauerant.

19 Diues cum dormierit, nihil secum auferet: aperiet oculos suos, & nihil inueniet.

Infania impiorum.

Impius suarum opum nihil secum rapit, uacuus autem & confusus ab eis relinquitur. Nihil enim mortuo homini manet, nisi quod ex fide bonum cœleste & æternum consequitur, uel ex infidelitate, malũ. Quid igitur insanitur ad opes? quid in honores & potentiã? Nihil earũ rerum nos hinc ad iudicium dei comitatur, sunt enim potius hinc abeunti sarcinæ & remora. Oculi momento nullus est, ocyssime perit ipse cum omnibus rebus suis.

20 Apprehendet eum quasi aqua (perturbatio) inopia, nocte opprimet eum tempestas.

21 Tollet eum uẽtus urens, & auferet, & uelut turbo rapiet eum de loco suo.

Corripit impium iudicium Dei: & pernicies ueluti

rapidißimum flumen, Noctu, hoc eſt ſubitaneo interitu minime proſpecto. Cũ enim illis dicitur, pax et ſecuritas, tunc repentinus eis ſupervenit interitus. Tollit eum repente uentus uehemẽs, Eurus, oriẽtalis, uaſtator, impetuosus, hoc eſt iudicũ domini, quo impios perdit, ut nullus eis miſericordiæ locus relinquatur, ſed turbine quodam abijcitur in exilium, uel in ſæculum damnatorum.

Eurus uentus.

22 Et mittet ſuper eum, & nõ parcet, de manu eius fugiens fugiet.

Inuehitur furor domini ſuo tempore in impiũ, & non parcit qui diu ſuſtinuit reſipiſcentem, atrocius arripit contemnentem, nec uim omnipotentis effugere poteſt: ſuos etiamnum defenſores impij fugiũt, uſque adeò pudet facit dominus impiorum confidentiam, qui à flagello domini meliores euadere noluerunt.

23 Stringet (complodet) ſuper eũ manus ſuas, & ſibilabit ſuper illum, intuens locũ eius.

Manuum plauſu ridebuntur impij & ſubſannabũtur, fient in exemplum, parabolam, & ſibilum: hac parte domino utiles ſunt impij, ut pijs exemplo ſint & ædificationi. In his ergo & ſimilibus iudicijs dei circa impios non raro manifeſte uidetur dei iuſtitia, non tamen ſemper. Quandoquidẽ non omnibus impijs talia in hac uita immittit incõmoda & impietatis mercedes. Sequitur de dei ſapientia membrũ huius ſermonis Iob ad amicos, nõ eſſe perſcrutabilem rationẽ, ſi nõ ſemper impij male tractẽtur in hoc ſæculo, ſed uſq; ad finẽ uitæ agãt feliciter.

Iuſtitia dei.

CAPVT XXVIII.

1 HAbet argentũ, uenarum ſuarum principia: & auro locus eſt in quo conflatur.

2 Ferrum de terra tollitur: & lapis ſolutus calore, in æs uertitur.

Mirabilia opera dei narrantur, unde imperſcrutabilis potentia Dei & ſapientia uel ex parte diſcatur. Doceturq; myſterium diuini iudicij in impiorũ felicitate, uel pœna, non ad rationis humanæ regulas exigendum. Omnia enim alia in rerum natura quantumcunq; abſcondita, humano labore cum tempore & induſtria perueſtigari & æſtimari poſſunt, ſola autem dei ſapientia & iudiciorũ dei clara ratio perueſtigabilis nõ eſt. Argento, inquit, ſua eſt uena, ſuus egreſſus, in recõditiſſimis locis ſuis latenti. Inueniuntur enim, ſed multo labore, & effodiuntur opes, irritamenta malorum. Similiter ferrũ de terra tollitur, omnia domãs. Lapis tamen inuenitur, qui ferro durior et ære, ſi ſuo tempore de terra extrahatur. Aes quoq; in medio lapidum latet, ſed ignis uehementia uſque adeò torquetur, ut ueluti flumen æs effundant: improboq; labore è tenebris ad lucẽ educuntur, quæ erant in terræ imis abſtruſa uiſceribus.

Mirabilia naturæ.

3 Tempus poſuit tenebris, & uniuerſorũ finem ipſe conſyderat, lapidem quoq; caliginis, & umbræ mortis.

Nihil tam tenebroſum reconditum & rarum eſt, quod dei ſapientiæ nõ ſit apertũ et perfectiſſime cognitũ, imò ſic diuinitus ordinatũ. Et perfectã omniũ rerũ cognitionem, ſine perſcrutatiõe deus ſimplici intuitu nouit, per

ſcrutari tamen dicitur noſtro modo loquendi, hoc eſt, latere ipſum nihil poſſe, quod hominibus multo labore diſcitur. Lapidẽ quoq; caliginis, hoc eſt, in imo terræ conſiſtentem ubi ſemper tenebræ ſunt, & nulla lux unquã fuit uel erit, ut umbra mortis dicatur locus eius, ſcientiæ tamen dei clare patet & conſpicitur.

4 Diuidet torrẽs à populo peregrinãte, eos ꝙs oblitus eſt pes egẽtis hominis et inuios.

Cum tẽpore facit deus, ut flumen ceſſet à deflexu ſuo Flumen ſuo conſueto & ripas excedat, ut ubi olim fluuius fuerat, ibi poſtea ſit ficcitas. Vel aliter. Dirimit fluuius habitatiões hominũ, ut nationes et regna diſcriminẽtur fluminibus, & in obliuionẽ ueniunt flumina priſca, ubi nunc pedibus tranſitur. Aliquando uero flumina ſic fluunt & augentur, ut ſeſe homo in eis mouere ſine prævocatione et oppreſſione nõ poßit, dum alio tẽpore quicquid in profundo latuerat abſentibus iam aquis conſpiciatur & capiatur. Locus hic eſt difficilis etiã Iudæis interpretibus, à quibus ſic litera ordinatur: Rupit ſe torrẽs à deflexu, ab obliuioni data à pede, uel præter morẽ exaltata ſunt, ab homine mota. Vel ſic: Creuit torrẽs ab habitante cũ eo, & obliuioni traduntur à pede, eleuatæ ſunt ſupra homĩnem & mouentur. Iudicet de ſententia Lector.

5 Terra de qua oriebatur panis (et ſub ea euertitur ſicut ignis) loco ſuo igni ſubuerſa eſt.

Terra in qua prius aqua fluebat, deinde uoluntate dei profert ex ſemine panem, & poſt meſſem ariſcit locus ille ut igne ambuſtus, et in aliam formã immutata uidetur. Aliter ſic: Semen terræ iniectum cibum profert, ſi uero altius foderis, lapides inueniuntur unde ignis excutitur. Latẽt ergo primũ quæ tandẽ in lucem prodeunt.

6 Locus ſapphiri lapides eius, & glebæ illius aurum.

Locus eſt alicubi, ubi ſapphiri lapides gignuntur, & alius locus à domino conditus eſt, ubi aurum inuenitur, ſic domino omnia mirabiliter & gloriose diſponente, cuius ratio homines non immerito lateat: omnia autem à deo potentiſſimo producta ſunt certiſſima ſibi ſoli cognita ratione.

7 Semitam ignorauit auis, nec intuitus eſt eam oculus uulturis.

8 Non calcauerunt eã filĩ (rapacis beſtiæ) inſtitorum, nec pertranſiuit per eam leæna.

Loca in mundo complurima ſunt, ubi nec aues uolant, ut maxime inuia aues petere nõ ſolent, ubi nec catuli leonum, qui ob ferocitatem & truculentiam filij ſuperbi dicuntur, nec reliquæ feræ deſerti incolæ habitant. Omnia autem hæc deo nota ſunt, & non ſine altiſſima ratione conſtituta à deo, ne miremur, non omnia nos capere poſſe operum dei myſteria.

9 Ad ſilicem extendit manum ſuam, ſubuertit à radicibus montes.

10 In petris riuos excîdit, & omne pretioſum uidit oculus eius.

Dominus ut ſua uirtute terram condidit, & manu ſua formauit omnia, ſic quoq; omnia adminiſtrat, manuſq; ſuas dum uult ſic tangere poteſt, ut mõtes maximos ſundituſ ſi uelit

si uelit subuertat. Nihil enim tam impoßibile hominibus uideri poteſt, quod potentiã dei effugiat, & ſi uelit conficere nõ facile poßit. Quale eſt hominibus admirabile, quod è ſaxo prouidentia dei riui erumpunt. In Summa. Quicquid admirabile, rarum ac pretioſum eſt apud homines, diuina ſapientia luculentiſſimè nouit, produxit potentia ſua, & ad aliquam cõmoditatem bonitate ſua ordinauit, hominibus uel nullis uel paucis cognitam, non tamen mundo inutilem.

11 Profunda, perplexa quoq; fluuiorũ ſcrutatus eſt, & abſcondita in lucem produxit.

Scrutatur deus perplexißima & confuſa fluuiorum, qui è guttis confluxerunt, & quicquid rerum pretioſarum in profundo latet, ipſe producit in lucẽ, dum illi placet, uel ſigillatim omnia pernouit, uel etiã dum uult, hominibus patefacit ingenium perueſtigandi infundens, ut diductis aliò aquis quæ in profundo ſunt pretioſi lapides & aurum aſſequantur.

12 Sapientia uero ubi inuenitur? & quis eſt locus intelligentiæ?

13 Neſcit homo pretium eius, nec inuenitur in terra (ſuauiter) uiuentium.

Sapientia in terra inueniri non poßit.

Cum humana ratio inueſtigare cõplurima poßit, ſola tamen ſapientia & ſcientia rationũ in operibus dei, nec inueſtigari poteſt. Neque enim eſt homo qui cognoſcat uenã eius, ſine ſpiritu dei infuſo cœlitus, quo imbutus pius animus omnia ſcrutatur, etiã profunda dei: ipſa enim cũ pretioſior ſit præmemoratis rebus omnibus, unde inuenietur? & à quo loco intelligentia nobis aſportatur? Non nouit homo æſtimationẽ ueræ ſapiẽtiæ, ſed deus ſolus, nec inuenitur in terra hominũ corporaliter uiuentium, ſed ſolo dño infundente per ſpiritũ ſuũ ſuſcipitur.

14 Abyſſus dicit, Non eſt in me: & mare loquitur, Non eſt mecum.

Abyſſum ſi roges ut ſapientiam rerum diuinarum & humanarum largiatur tibi, reſpondebit, & dicet: Non eſt intra me, nec meum eſt largiri tantum theſaurum hominibus. Vaſtiſſimum quoq; mare eadem reſpondebit, Non eſt mecum quærenda ſapientia.

15 Non dabitur aurũ obrizũ pro ea, nec appendetur argentum in cõmutatione eius.

16 Non cõferetur cum maſſa Ophir tinctis Indiæ coloribus, nec lapidi ſardonico pretioſiſſimo, & ſapphiro.

17 Non adequabitur ei aurũ, uel (*berillus*) uitrum, nec commutabitur pro ea uas auri.

Traditio ſapientiæ ineſtimabilis.

Tanta eſt dei ſapientia, & rerum diuinarum ſacra eruditio, ut nullo pretio æſtimari poßit uel gemmis. Omnia enim optima iucundiſſimáque, non poſſunt eidem comparari, nullæ maſſæ auri ex India, non onyx pretioſus, aut ſapphirus, æquabunt eam, non aurum aut cryſtal lus, non odores uel aurea uaſa. Quæ uero de ſapientiæ pretioſitate dicuntur hic, & libro Sapientiæ, & Prouerbijs, uerbi dei encomion & laudes ſunt, in hoc addu ctionibus inueſtigare, & quare bonis uiris aduerſa proueniant à deo omnia moderante.

18 Excelſa & eminentia (*Coralia & Gabis*) non commemorabuntur (*comparatione eius*) trahitur autem ſapientia de occultis (*pretioſior ſapientia margaritis.*)

Quæcunq; gemmæ quamlibet pretioſæ, non nominari quidem debent inter ea, quibus præeminet ſapiẽtia ſolida: nec alia, nempe corporalia, quamlibet pretioſa & optima reputanda ſunt cõparatione eius. Tractus enim ſapientiæ uel aſſequutio eius pretioſior eſt, quàm quæcunq; gemmæ, quæ cum ab intimitate nomen habeant, etiam de intimis ſapientiam trahi & de occultis hic dicitur. Inſignis enim ſapientia non tam de proſtãtibus & manifeſtis, quàm de abſtruſiſſimis habetur. Tractus ſapientiæ.

19 Non adequabitur ei topazius de Aethiopia, nec (*cum maſſa auri puri*) tinctura mundiſſimæ componentur.

Eadem per exaggerationem more poëtico eleganter repetuntur, quod Topazius qui ex Aethiopia affertur, longe pretioſior ſit & nobilior, eo quia aliunde acquiritur: cuius tamen nobilitas & pretiũ, ſapientiæ diuinæ comparari non debeat. Omnium autem harum rerũ naturalium hiſtoriã facilè eſt petere ex Plinio, per Indicem quẽ nos quoq; trimeſtri in tẽpore nuper in poſteriorem æditionem Ioannis Frobenij confecimus, ut otioſum ſit onerare hoc opus tractatibus huiuſmodi gemmarum uel aliarum rerum, quæ hoc loco deſyderantur. Ex Plinio.

20 Vnde ergo ſapientia uenit? & quis eſt locus intelligentiæ?

21 Abſcondita eſt ab oculis omnium uiuentium, uolucres quoq; cœli latet.

22 Perditio & mors dixerunt, Auribus noſtris audiuimus famam eius.

23 Deus intelligit uiam eius, & ipſe nouit locum illius.

Si, inquit, ſapiẽtia diuina uel cognitio myſteriorũ et indictorũ dei nõ reperitur in terra etiã ſecretiſſima, nec in mari etiã profundiſſimo, nec uſpiã inter hoïes, etiã ubi alia multa pretioſiſſima inueniũtur: ubi ergo inuenitur? Abyſſuſq; & mare abnegant eã: ſic et perditio infernus & mors dicũt, Audiuimus quidẽ famã eius, dcũ ſcilicet ſolũ noſſe uiã ſapientiæ et locũ eius, ſolus enim pater nouit filiũ, qui eſt ſapientia patris, & increata, uerbũ ſcilicet patris, & nemo nouit patrẽ niſi filius, & cui uoluerit filius reuelare, à quo ſolo diſcũt fideles ueram rationẽ patientiæ, in aduerſis crucis ipſius benedictæ à Chriſto.

24 Ipſe enim fines mũdi intuetur: & omnia quæ ſub cœlo ſunt reſpicit.

25 Qui fecit uentis pondus, & aquas appendit in menſura.

26 Quãdo ponebat pluuijs legem, & uiam procellis ſonantibus:

Dominus ipſe deus ſolus cõtemplatur ſibi præſentiſſimos omnes terminos terræ, & quæcunq; ſub cœlo ſunt intuetur, ex ipſius nutu & præcepto omnia mouentur, agunt & uiuunt, ipſe omniũ quæ fiunt rationes certiſſime nouit & ordinat ad finem decentiſſimum & opti-

mum, etiam si homines sancti quoq; non intelligant cur quæcunq; fiãt. Quis enim etiã sanctissimo Ioseph persuasisset ipsum uendi, ut dominus Aegypti fieret? et quis Saulem asinas sequentem regno inaugurandum credidisset? & sic de omnibus alijs quæ facta leguntur & fiunt: æque non potuit Iob nosse causas ærumnarum suarum, multo minus amici sui quantumlibet sapientes & non admodũ mali. Sic quoq; per uerbum suum deus ordinat uento suum pondus et usum, aquæ suam mensurã, pluuijs suum opus & causam, & tempestatum emolumenta sua constituit non parua rebus crescentibus ad salutem hominum, etiam si inde obsit nonnullis.

27 Tunc uidit illam, & enarrauit, & præparauit, & inuestigauit eam.

A creationis exordio conditor omnium præordinat omnia, quando & quomodo fierẽt, quamq; ob causam. Nihil enim temerè constituit in creatis rebus, uidit futura omnia, expẽdit usum & finem omniũ quæ decreta erant à sapientia dei, & parauit aliud ex alio, bonum etiam ex malo, ut non esset malum, sed pro uoluntate dei ad maius bonum, non malum nisi malo: & sic perspexit omnia, ut nihil ignorare posit omniscientia.

28 Et dixit homini, Ecce, timor domini, ipsa est sapiẽtia: & recedere à malo, intelligẽtia.

Non oportet nec expedit hominẽ scire rationes operũ dei: ideoq; uane disputabant amici Iob de causa afflictionum tãta. Vanius tamẽ determinauerũt pro uero, quod erat non solũ dubium, pro flagitijs impios solos pati, sed etiam manifeste falsum uiderant sæpe, nempe pissimos pessima pati. Sed quia sapere uolebãt plus q̃ oportebat, ideo stultitiã prodiderunt, & à uera sapientia aberrarunt, quæ est timor dei, uenerari scilicet oĩm rerũ conditorem et gubernatorẽ: credereq; ipsum summũ bonum, ideo iustissimum: summam sapientiam, ideo non posse errare, summeq; homini fauorabilẽ, ideo non tẽtare quenquam supra quàm ferre posit homo fidelis & electus. Hæc una pars est sapientiæ. Alia est recedere à malo, uitare quicquid est contra legem dei, contra charitatem proximi, obmittere quod ab alio inuitus suscipias, & exhibere proximis quod tibi optes exhiberi, nullum à bono opere tempus perdidisse, multis profuisse. Et hæc ferè summa totius sermonis huius & capitis.

¶ CAPVT XXIX.

1 ADdidit quoq; Iob, assumens parabolam suam, & dixit,

2 Quis mihi tribuat, ut sim iuxta menses pristinos, secundum dies quibus deus custodiebat me?

3 Quando splendebat lucerna eius super caput meum (&) ad lumen eius ambulabã in tenebris?

Confert nunc Iob pristinam felicitatem præsentibus ærumnis, & mendacij arguit & calumniarum amicos suos, qui ut deum iustum esse defenderent cõtra Iobum, mendacijs & iniurijs pugnauerunt. Recenset ergo nũc catalogum anteactæ uitæ suæ. Vt igitur dulce est prosperitatis tempore meminisse laborum exantlatorũ, sic grauissimum est in calamitatibus meminisse prioris felicitatis. Optando igitur ait: Vtinã mihi possent rursum priores uitæ meæ dies contingere, quibus felix eram, quibus propitium deum sentiebam, quibus summa cura ab omnibus me custodiebat aduersarijs, quando lucerna uoris sui & beneficiorum splendebat mihi, & prouidentiæ suæ gratia me per omnia prosequebatur huius uitæ incommoda, & ad illius lucernam, ad præscriptum uoluntatis suæ conuersabar, & ducebar in omnibus fortunis meis sua clementia: tota mea felicitas pẽdebat à domino, quẽ amicũ habebam, qui mihi dabat & seruabat honorem, diuitias, sapientiam, famam, iustitiam, misericordiam, authoritatem.

4 Sicut fui in diebus adolescẽtię meę, quãdo secreto deus erat in tabernaculo meo.

Non aliter uiuere & ualere cupio, quàm ualebam eis diebus, qui nunc mihi ab amicis opprobrio dãtur, quasi tunc pessimus fuerim, cum tamẽ alius non fuerim, quàm ut describam, quia tunc familiarem sentiebam mihi dei fauorem & bonitatem, cum tota domus & familia mea integra esset & felix, domino protegente tabernaculũ meum, & omnia quæ habebam. Non enim bene cuiquã est, nisi à domino custodito.

5 Quando erat omnipotens mecum: & in circumitu meo pueri mei.

Tunc enim bonitas omnipotentis mecum erat, & benedictione mihi seminis optati aderat: circundabant me pueri mei, & suo tã ministerio quàm spectaculo & congratulatione recreabant uitam meam, cum tam clara familia me stiparet patrem, & moderatorem.

6 Quando lauabam pedes meos butyro, & petra fundebat mihi riuos olei.

Dum omnia in tabernaculo meo superabundabant. Butyrum enim & mel ex multitudine pecorum & apum collecta ad copiam, designat felicitatem & diuitiarum naturalium & honestissimarum plenitudinem. Et petra ipsa olei riuos mihi profundebat. Quacũq; porrigebam manus, quicquid undiq; cõtingebam, fructus erat, & lucrum: nullo usquam infortunio contristabar: etiam si in petra plantassem, ut fit, oliueta abundans mihi oleũ ministrabat. Elegantissima hyperbole.

7 Quando procedebam ad portam ciuitatis, & in platea parabant cathedram mihi.

8 Videbãt me iuuenes, & abscondebãtur: & senes assurgentes stabant.

Quum progrediebar per portas ad forum, uel locum consessus atq; iudicij uel ad tribunal, in platea mihi throNus & cathedra parabatur, & sese populus ad promptam obedientiam exhibebat & reuerebatur. Cum tanta authoritate honoratus in populo, ut etiam adolescentes à conspectu meo fugerent, & primum ut me uidissent sese abscondere conabantur: senes insuper & stantes me præsente & procedente surgebant & stabant: ciuili disciplina me ut primorem honorabãt. Vt nõ solum insolentes & pueri, sed honorati & senes honore me dignum censuerint, ingens testimonium honestatis & sapientiæ.

9 Principes ceſſabant loqui, & digitum ſuperponebant ori ſuo.

10 Vocem ſuam cohibebãt duces, & lingua eorum gutturi ſuo adhærebat.

Sapientes audiendi.

Commendatus erat populo ſuo à prudentia, quam & primores admirabantur & uenerabantur, parcius loquentes in illius præſentia, ad audiendũ ſapientiam eius promptiores. Parum erat camelos multos poſſidere & oues, hæc autem inſignis erat dei benedictio, ab omnibus propter ſapientiam & dexteritatem coli, & obſeruari. Eadem autem ſententia iteratur, ad explicationem authoritatis ſummæ, quam inter ſuos Iob aſſecutus fuerat, & ſapientiæ qua illis tam admirabilis erat, ut principes uerba cohibuerint præſente eo, & opponerent manum ori ſuo, uocem continerent à loquutione, & linguam palato adfigerent quaſi muti.

11 Auris enim audiens beatificabat me, & oculus uidens teſtimoniũ reddebat mihi,

Publica omnium fama & laude commendabar, ubiq; felix prædicabar & beatus: omnes audientes meam dexteritatem & ſapientiam, beatificabant me: & uidentes ſtatum & opera mea, teſtes erant probitatis & magnitudinis meæ.

12 Eo quod liberaſſem pauperem uociferantem, & pupillum cui non eſſet adiutor.

Opera pietatis.

Recenſet pietatis ſuæ opera, non quod de ſua iuſtitia glorietur, ſed ut doceat quæ ſint uera opera bona & deo grata, utq; oſtendat calumnias amicorum ſuorum, qui dicebant eum iure & merito peccatorũ affectũ tot miſerijs. Hinc diſcendum qui ſint geminæ fidei fructus, & quod ſit pij principis officiũ. Liberabam, inquit, pauperem à clamore, adiuui ut clamoris & querelarũ nulla illi eſſet occaſio. Deſtitutũ amicis & auxilio pupillum in ſua cauſa promoui, alioqui negligendum & ſubuertendum. Quantum autem flagitium ſit pauperis clamorem negligere, docet ſpiritus dei: Qui obdurat aures ad clamorem pauperis, ipſe clamabit & non exaudietur.

13 Benedictio perituri ſuper me ueniebat, & cor uiduæ conſolatus ſum.

Mira efficit charitas. Nam ſi periclitantem à perditione liberaueris, iugem in eius corde benedictionem & gratiarumactionem habebis, & coram deo iuſtitiam. Viduas quoq; conſolari in tribulatione, opus eſt fidei ueræ, & religio munda & immaculata. Non ut laudem promereamur bene agendũ nobis, ſed quia domino placet, & bonum cognoſcimus.

14 Iuſtitia indutus ſum, & ueſtiui me ſicut ueſtimento, & diademate, iudicio meo.

Iuſtitia teſtimonia.

Nullam aliam laudem uel gloriã aut decus deſideraui, quàm ut uſtitiam ſtudioſiſſime amplecterer, & nihil probo uiro indignum unquam deſignarem. Hoc tantum decus ambiui, Non auro & ſerico ueſtiri pulchrũ duxi, ſed pietate et iuſtitia. Hæc autem duo, Iuſtitia qua innocens liberatur, & Iudicium quo impius punitur, regalis & gloriosa ueſtis ſunt, quæ principem ornat.

15 Oculus fui cæco, & pedes claudo.

Fidus conſiliarius fui ei qui ſibi conſulere non potuit,

Doctor eorum qui ſcitu neceſſaria ignorabant, director errantium in fide & moribus, exemplar probitatis cui tuto inuti poſſent: tantũ abfuit ut cæco ponerem offendiculum, & ſurdo maledicerem.

16 Pater eram pauperum: & cauſam quam neſciebam, diligentiſſime inueſtigabam.

Beneficus ſemper fui in pauperes, & eos qui auxilio meo indiguiſſent, pietatis uiſcera & paternam fidẽ ſemper egentibus exhibui, & in iudicio decernẽdo nõ præceps fui, nõ muneribus excæcatus, ſed prudentia & conſilio omnes cauſas tractabam, & diligenter quid in cauſis liquidũ eſſet perſcrutabar, et ſynceriter definiebam. Beneficentia in pauperes.

17 Conterebã molas iniqui, & de dentibus illius auferebam prædam.

Violentos & prædones imbecilliũ oppreſſores compeſcui, hoc eſt, molares iniquitatis contriui, repetebam & pro uirili extrahebam rapinas de dentibus feralium hominum. Hoc enim boni principis munus eſt, parcere ſubiectis, & debellare ſuperbos. In prædones.

18 Dicebamq;, In nidulo meo moriar, & ſicut (arena) palma multiplicabo dies.

19 Radix mea aperta eſt ſecus aquas, & ros morabitur in meſſione mea.

Pollicebar mihi ſecuritatem & longos uitæ dies, ſed ecce ſubita et inſperata oritur calamitas: nuſquam enim tuta requies. In nidulo domus meæ me ſperabam cũ tranquillitate rerum & pace moriturum, & multiplicaturum dies uitæ ad arenæ multitudinem, & palmæ uetuſtatem, quia radix mea erat expanſa ad aquas, benedictionẽ domini experiebar in omnibus, diuitias, prudentiam & proſperitatem affatim adeſſe ſentiebam, & rore cœleſtis fauoris meſſium mearum prouentus irrigabantur, ad uotum omnia ſuccedebant. Vota pioꝝ rum.

20 Gloria mea ſemper innouabatur, & arcus meus in manu mea inſtaurabatur.

Augebatur indies honor meus, potentia & maieſtas uelut arcus robuſtiſſimus et certiſſimus, proficiebat ſemper in melius. Non quidem humana gloria quærẽda eſt, ſed honeſte tamen uiuendum, ut poſtulat ratio fidei: & exempla probitatis proferenda, cauendũ ſolicite ne male audiat nomen dei à ſuis profeſſoribus, & ne fragiles in fide ſcandalizentur.

21 Qui me audiebant, expectabãt (ſententiam) & intenti tacebant ad conſilium meum.

22 Verbis meis addere nihil audebant, & ſuper illos ſtillabat eloquium meum.

23 Expectabant me ſicut pluuiã, & os ſuum aperiebant quaſi ad imbrem ſerotinum.

Sermonem meum omnes ueluti oraculum excipiebant, nemo meam ſententiã retractabat, ſed ab omnibus plauſibiliter probabatur. Quod enim pluuia eſt arido et ſitienti agro, hoc ſermo & conſilium meum illis, cui nihil addere præſumebant, ſed iactabant paſſim ſententiã quam proferebam, & magni officij loco ducebant, ſi aliquem alloqui uoluiſſem, os ſuũ aperientes ſicut humus ad imbrem ſerotinũ. Hoc eſt, ſermo & conuerſatio mea dum felix eſſem omnibus erant gratiſſima, apud omnes Sermo ſapientis.

pollebam authoritate honorifica & grauissima.

24 Si quando ridebã ad eos, non credebãt, & lux uultus mei non cadebat (*in terram.*)

Nouum & rarum erat, si quando arridebam eis, usq; adeo me uenerabantur, siue ioco siue serio colloquerer: & uultus mei testimonio non fallebantur: lætitia faciei meæ plurimum delectabantur, nihil enim tale de me expectabant aut suspicabantur, eo igitur gratius erat, quo minus expectatũ. Talis semper eram qualis apparebam, uultu minime fucato uel hypocritico.

25 Si uoluissem ire ad eos, sedebam primus: cũq; sederem quasi rex circũstante exercitu, erã tamen sicut mœrentiũ consolator.

Honor senum.

Cum placeret mihi uiam eorum sequi, si quando dignabar communicare operibus eorum, & attemperare me eorum moribus, primus omnium sedebam, habebam honoratiorem accubitũ inter eos, & non aliter ab ipsis cinctus erã quàm rex à suo accubitu uel satellitio: quandoquidem suspiciebant me omnes tanquam mœrentium consolatorem, & pauperũ auxiliatorem. His omnibus prouidentia dei, authoritas pij uiri à domino promouebatur, & amicũ suum honorari uolebat, frui quoq; mundana felicitate, ut quæ aliquando superuentura erat calamitas & despectio, clarius eluceſceret, & exercitaretur iustus utroq; ex latere, dextra scilicet & sinistra, per gloriam & ignominiam, per conuitia & laudes.

¶ CAPVT XXX.

1 NVnc autem deridẽt me iuniores tempore, quorum non dignabar patres ponere cum canibus gregis mei:

Vicissitudo rerum.

Prosequitur Iob, post susceptos honores, quanto contemptu ab hominibus, & quanta infelicitate à domino tractetur, ut discamus nos quoq; nihil in mundo constare, omnia pessum ire. Omnis enim caro fœnum, & omnis gloria eius ut flos fœni. Perijt, ait, omnis mea authoritas, ut abiectissimi quiq; me rideant, & in fabulam infelicitatis uersus sum etiã amicis & sapientibus, quanto magis abiectis & insipientibus, quorum patres uix canibus gregis mei præposuissem, quod nos solemus dicere, Indigni qui porcos pauissent, aut calceamentorũ corrigia soluissent.

2 Quorum uirtus manuum mihi erat pro nihilo, & uita ipsa putabantur indigni (*in ipsis perierat tempus uel senium.*)

Quorum auxiliũ & uires ne optassem quidem, quando abiectiores erant & miseriores, quàm ut in senectutem præ fame & egestate peruenire potuissent: horum me filij nunc contemnunt, & laqueum mandant.

3 Egestate & fame steriles, qui rodebant (*fugiebant*) in solitudine, squalentes calamitate & miseria.

4 Et mandebant herbas, & arborum cortices, & radix iuniperorũ erat cibus eorũ.

Homines nimirum obscuri, famelici, necessarijs rebus destituti, qui domo ac patria extorres, in solitudine errare compulsi, omniũ rerũ inopia laborabãt, ut uel urtica uel radice iuniperorũ & malua uescerentur, quibus inter homines ne cibus quidem suppetebat, illi nunc presuram meam rident. Quorũ uel hinc egestatem æstimare potes, quod præ desperatione & fame iuniperi radices nacti, & contemptibilem maluam ambrosiam putabant. Et ut fures surreptis nummulis, ac iam securi ingenti afficiuntur gaudio: ita hi inuenta urtica, mirum in modum iubilantes exultabant, perinde ac si thesaurum quempiam inuenissent.

5 Qui de conuallibus ista rapientes, cum singula (*furtim*) reperissent, ad ea cum clamore currebant.

Tam deplorati quoq; homines erant, qui nunc mihi illudunt, quod de medio hominũ eijciebantur, tanquam infelices & contemptißimi, super quos conclamabatur publico insultu, tanquam contra fures & lupos, quibus nemo dignatus fuisset colloqui uel consortio quocunq; coniungi.

6 In desertis habitabant torrentiũ, & in cauernis terræ uel super (*petras*) glaream.

7 Qui inter huiusce modi uepres lętabãtur, & esse sub sentibus delicias computabant. (*uulnerabantur.*)

8 Filij stultorum & ignobilium, & in terra penitus non parentes.

Non solum ciborum indigni sunt, sed domo carentes ac Fundis laribus exulant patria, habitant in locis occultis & horminoribus ridis, in speluncis terræ, in fissuris petrarum: adroq; conueniunt inter arbusta & sentes, quæ sunt magnifica eorum prætoria. Inter frutecta rugiebant ob famem & angustias paupertatis, sub spinis uel uepribus plagis afficiebantur in suis corporibus, multipliciter erumnosi & infelices. Qui etiam filij stultitiæ uel stultorũ erant, sine omni sapientia & prudentia, stolidi, ignobiles, & sine nomine, quorũ super terrã indigna est memoria. Hi tam futiles & nihili homines, nunc me derident ut sequitur.

9 Nunc in eorum canticum uersus sum, & factus sum eis in prouerbium.

10 Abominantur me, & longe fugiũt à me, & faciem meam conspuere non uerentur.

Horum, inquam, cantio nunc ego sum ac fabula. Abominantur me, fugiunt me, & uultum meum sputo conspurcant. Quid calamitosius cogitari potest, quàm quod ego tam celebris antea, nunc sum expositus utißimorũ hominum contemptui? Horum enim cithara factus sum, fabula ac risus, & infaustum aliquod spectrum, & infelicitatis ludibrijq; inter homines exemplum.

11 Pharetram enim suam aperuit, & afflixit me, & frenum posuit in os meum.

Rationem reddit Iob, cur sic ab omnibus rideatur tam Vide ad uerſum hominibus quàm alijs omnibus creaturis. Quia, inquit, dñs mihi contrarius est, ideo omnia mihi cõtraria fiunt. Aperuit enim dñs pharetrã suã & petijt me, sagitta sua infixa est mihi, & confirmauit super me manum suã, potentiam & irã: frenum quoq; misit in os meum, ut non quò mihi libeat, sed quò ducat ille pergere cogar à cupiditatibus meis, ut erudiar ad uoluntatem ipsius.

Ad

12 Ad dexteram (*adoleſcentes*) orientis calamitatis meæ ilico ſurrexerũt: pedes meos ſubuerterunt, & oppreſſerunt quaſi fluctibus (*ſemitas interitus ipſorum*) ſemitis ſuis.

A dextris infeſtant & moleſti ſunt mihi iuuenes, & genimina impiorũ, qui inſurgunt pro omni uirili ſua contem ptibiliter contra me. Pedibus quoq; meis immittunt ſcandala, & impellere me audẽt, ut ridicule & præceps impingendo corruam, & ſemitas perniciei eorum & interitus apparabant mihi, ut in riſu illorum confunderer ac perirem.

13 Diſſipaueruntitinera mea, (*ad ſubuerſionem meam profuerunt, non ſit qui ferat*) inſidiati ſunt mihi: & prævaluerunt, non fuit qui ferret auxilium.

Iter perditionis direxerunt in me, id eſt, omnia ſtudia ſua cò dirigunt ut diſperdar. Iter uero meum diſſipauerunt, ut tales ærumnas effugere non poſſim. Euaſionem meam promouere conantur, & prævaluerunt, hoſtibus meis auxilium tulerunt pro uirili ſua. Oro ergo, ô domine, ut in aduerſitatibus ſuis quas merentur & ſentient, nullus auxiliator eis obueniat, ſed iuſte talionis lege iudicentur.

14 Quaſi rupto muro, et aperta ianua irruerunt (*ſuper me*) & ad meas miſerias deuoluti ſunt.

15 Redactus ſum in (*terrores*) nihilum: abſtuliſti quaſi uentus deſiderium meum: et uelut nubes pertranſiit ſalus mea.

Senſus ex Hebraico eſt: Sicut eruptio lata ueniunt, ſub calamitatem deuolutæ ſunt, ſicut latiſſima aliqua ruptura aquarum uiolentium irruit in me calamitas, et inuoluerunt me miſeriæ innumeræ. Hoc eſt, undiquaq; expoſitus ſum periculis & libidini aduerſariorum, uiolenter mihi imminentium, qui mihi terrores & perturbationes ingerunt, & penè totum inuoluunt inuincibili uiolentia. Magnificẽtia mea uel etiam liberalitas animæ meæ, hoc eſt uſus priſtinarum uirtutum quibus inſiſtebam ſanus, nunc mihi ablata ſunt, ueluti à uento perſequente, & diſpellente omnes fortunas meas, ut etiam ſi uelim, non tamen ualeam tam beneficus eſſe in multos ut eram ſolitus. Et inſuper ſalus ac felicitas mea diſpulſa in uentũ, perijt ac pertranſijt uelut nubes.

Aduerſitas ea.

16 Nunc autem in memetipſo marceſcit anima mea, & poſſident me dies afflictionis.

17 Nocte os meum perforatur (*doloribus*): & qui me comedunt (*& pulſus uitales*) non dormiunt.

Nunc autem mœrore perfunditur animus meus, contabeſco, conſumor, deficio, & diffluũt uires animæ meæ undiq; me doloribus apprehendentibus, & fatis duriſſimis me urgentibus, peruenì in tempora afflictionum: ut nedũ totis diebus arripiant me dolores, ſed etiam noctu oſſa mea ueluti extrahantur mihi, & perforentur tanto dolore conſitior: nerui uitales, pulſuſq; ſpirituum, & acerrimæ puncturæ uiſcerum non dormiunt, nec interquieſcunt, nec ſinunt me reſpirare uel paululum, nullum

Dolores corporis.

unquam mihi quietis tempus conceditur.

18 In multitudine (*uirtutis*) eorum conſumitur ueſtimentũ meum, & quaſi capitio tunicæ ſuccinxerunt me.

Obtegunt me & ueluti mutatorio ueſtimento circundant me totis uiribus ulcera ac liuor, à planta pedũ uſq; ad uerticem: accinxerũt undiq; me dolores et anguſtiæ, tam extra quàm intra ærumnis impletus, quæ tam arcte circũplectuntur me, ut excutere eas nõ poſſim. Quemadmodum enim induſium à collo & humeris pendens totũ complectitur, ſic me totũ ſibi uendicauit calamitas.

19 Comparatus ſum (*obiecit me*) luto, & aſſimilatus ſum fauillæ & cineri.

Conculcor & deſpicior, & ſum abiectus uelut iaculum & ſagitta, aſſimilatus ſum puluerì ac cineri, quorum nulla eſt reputatio, ſed conculcationi & abiectioni omnia obnoxia ſunt: ſic ego, quo inter homines non eſt nunc uilior.

20 Clamo ad te, & non exaudis me: ſto, & non reſpicis me.

21 Mutatus es mihi in crudelem, & in duritia manus tuæ aduerſaris mihi.

Etiam ſi aſſidue ad te clamo, abolitionemq; tot dolorum & finem deprecer, ac mortem optem mihi contingere dono tuo, ô deus, non tamen me exaudis: & cum tibi proximus accedo affectibus & oratione, & me tibi totum proſterno, nõ animaduertis preces meas. Videris non tantum amicis meis & hoſtibus, ſed et mihi conuerſus in ſeueriſſimum hoſtem: fortiſſima enim manu reſiſtis mihi, horrendo & mirabili iudicio tuo homini quem noſti nihil tale commeruiſſe. Iudicia dei.

22 Eleuaſti me, quaſi ſuper uentum ponens eliſiſti (*ſubſiſtentiam*) me ualide.

Suſtuliſti & eleuaſti me ueluti uentus, ad horam felicia largiendo, honoribus ac diuitijs magnificando: euexiſti quoq; me plauſibili fortuna, ueluti curru triumphali: repente autem placuit tibi, ut ualida me eliſione diſſolueres & contereres totum, ne quid ſuperſit de tota ſubſtantia mea integrum uel ſanum.

23 Scio quia morti trades me, ubi conſtituta eſt domus omni uiuenti.

24 Veruntamen non ad conſumptionem meam emittis manum (*tuam: &*) ſi corruerint, ipſe ſaluabis. (*Etiam non in orationem meam mittet manum, ſed in perniciem per eum eis fit oratio uel clamor.*)

Facile conijcio moriendum mihi propediem, eamq; mihi domum aperiri, quæ omnibus ſemper eſt aperta uiuentibus ſepulchri ergaſtulum. Viuendi enim principium, moriendi initium eſt. Sic ut etiam ſi totis neruis & uiribus cœpero orationem ad te, ut uiuam diutius, non flecteris, nec aliqua me prece mea iuuare potero, ſed finis clamandi erit etiã terminus perditionis & necis: hoc eſt, neutiquam me exaudies, ſed ante orationis finem me diſperdes & interficies. Conſtituta eſt enim cuiq; hominum periodus uitæ, quam nulla prece uel clamore poſſit auertere. Difficultas oritur ex Syriacis uer- Vitæ periodus.

bis. בעי enim orare quoq; significat, quanquam & in tumulo & alia.

25 Flebam quondam super eo qui afflictus erat, et compatiebatur anima mea pauperi.

26 Expectabam bona, & uenerunt mihi mala: præstolabar lucem, & eruperunt tenebræ.

Misericordiam semper præstiti miseris, & dolentibus condolui, fleui cum flentibus, & grauatis ærumnis huius calamitosæ uitæ compatiebar ex animo, pauperibusq; succurrebam pro uirili mea. Expectaui ergo, ut qua mensura mensuassem, mihi quoq; remetiretur: sed longe aliter euenit: nempe non est qui mihi collugeat, qui misericordiam præstet, sed potius omnes me rident ac subsannant, bonum expectaui & euenit malum, pro sperato lumine tenebræ offeruntur.

Mensura referenda.

27 Interiora mea efferbuerunt absq; ulla requie, præuenerunt me dies afflictionis.

Efferbuerunt intra me uiscera mea, concutiuntur ardoribus & doloribus acutissimis, non sinunt me tacere, sed sic tumultuantur in me, ut non possim non conqueri & clamare. Præoccupauerunt enim me, & uiolenter corripuerunt me tempora calamitatum et afflictionum. Superuenit enim mihi destinatum tempus infelicitatis à domino, & dolorum magnitudinem patientia et longanimitate superare non possum.

28 Mœrens incedebam, sine furore consurgens, in turba clamabam.

29 Frater fui draconũ, & socius struthionũ.

Tristis, ater ac miser incedo, & sine ira ac feruore sustineo ærumnas & dolores. Steti quoq; etiam inter homines & in cœtu multorum, & clamo doloribus adactus uehementibus & compulsus usq; ad rauim. Cogit enim me miseria ad clamandum. Proinde etiam merito dicar frater leonum, & socius struthionum, quod nos dicere solemus, Quasi bos mugio, & quasi leo rugio. Sic Michæas quoq; dixit, Plangam & ululabo, faciam planctum uelut draconũ, & luctum quasi struthionum.

Clamor miserorum.

30 Cutis mea denigrata est super me, & ossa mea aruerunt præ caumate.

31 Versa est in luctum cithara mea, & organum meum in uocem flentium.

Denigrata est pellis mea super me. Ardor enim iudicij diuini, & miseriæ huius uitæ, nõ solum animæ uires, sed etiam corporis partes pellem et ossa consumit. Pellis nostra, ait Ieremias, quasi clibanus exusta est: & ossa mea exiccata sunt præ dolore & impatientia. Cithara mea in luctum uersa est, & psalterium meum in uocem flentium. Omne gaudium mihi uersum est in tristitiam, felicitas pristina in præsens exitium, sanitas in dolorem, & gloria uel honor in ignominiam ac contemptum.

Iudicium dei.

¶ CAPVT XXXI.

1 PEpigi fœdus cũ oculis meis, ut ne cogitarem quidẽ de uirgine.

Enumerat hoc capite Iob suas iustitias, non ut carnali fastu contra dominum glorietur, sed ut cõtra amicos suos declaret, non se propter peccata sua punitum. Primum itaque ait se non solum Caſtitas. nõ mœchatum, sed neq; concupiuisse uirginem, oculosq; suos continuisse, id est, cum eis pactum iniisse, ne uirginis aspectu offenderetur. Nihil enim curauit huiusmodi personas, sed castũ connubiũ conseruauit religiose, et ab omni inhonesto usu membrorum & sensuum abhorruit.

2 Quam enim partem haberet in me deus desuper, & hæreditatem omnipotens de excelsis?

3 Nunquid non perditio est iniquo, & alienatio operantibus iniustitiam?

Cumq; fuerim in his et alijs rebus tam continens propter timorem dei, nihilominus tamen tanta patior quanta impij, imò plus quàm impij: scio sine dubio partem dignam iustis repositam apud deum, & amplissimam hæreditatem omnipotentis in excelsis conseruari mihi, & omnibus deum timentibus. Reuera autem & proculdubio ingens pernicies expectat eos, qui scelera sectantur: & confractio dura & perditio omnibus ueniet iudicio dei, qui operantur iniquitatem, qui absq; timore domini per omne nephas peccant, & libidines cunctas sequuntur absq; fide & timore dei, qualis ego dei gratia non sum. Ideo iterum falsum apparet dogma uestrum, impios tantum in hoc mundo ærumnis exponi maximis.

4 Nónne ipse considerat uias meas, & cunctos gressus meos dinumerat?

Quoniam deus est scrutator renum & cordium, ipse mihi testis est quod bene uixerim, & in mandatis eius ambulauerim. Dinumerauit enim semper omnia mea opera, & cogitatus meos, ut dubitare non possim hanc mihi pœnam non propter peccata illatam, sed aliqua ratione alia, quam nequeam indagare.

5 Si ambulaui in uanitate, & festinauit in malo pes meus?

6 Appendat me in statera iusta, & sciat deus simplicitatem meam.

7 Si declinauit gressus meus de uia, & si secutus est oculus meus cor meum, & si in manibus meis adhæsit macula?

8 Serã, & alius comedat, & progenies mea eradicetur.

Non alia locutio est, quàm ea qua dixit Dauid, Domine deus meus, si est iniquitas in manibus meis, si feci istud, si reddidi retribuentibus mihi mala, decidam merito ab inimicis meis inanis, persequatur, &c. Sic dicit hic Iob, Si uanitatem unquam sectatus sum, aut ad dolum propensi fuerunt pedes mei, patiar ut ad staterã æquam appendar, ut uideat deus innocentiã meam. Sicut & Dauid, Iudica me domine secundum iustitiam meam, & secundum innocentiam meam super me. Nihil enim uereor, ait Iob, de causa mea, si iudicetur secundum flagitia mea, certus me tantam miseriam peccatis meis non meruisse. Cognoscit enim dominus iustitiam meam uel hac parte, & non ignorat simplicitatem & integritatem meam. Sic quoq; nouit deus, non deflexisse me à recto itinere, non sectatum concupiscentias oculorum,

rum, munerum acceptione, uel sanguinis effusione, uel rapinis manus meas non contaminasse. Quod si id me falso iactare deus cognouerit, & reum flagitiorũ talium uel similium deprehenderit, sponte & patienter feram, ut fructum omnium laborum meorũ alius possideat et eo fruatur, utq; posteritas mea à diuino iudicio eradicetur.

9 Si deceptum est cor meum super muliere: & si ad ostium amici mei insidiatus sum:

10 Scortum alterius sit uxor mea, & super illam incuruentur alij.

11 Hoc enim nefas est & iniquitas maxima.

Supra de stupri concupiscentia, hic de opere eius loquitur. Si unquam, ait, mœchatus sum, si seductum uel deceptum est cor meum ad uxorem proximi mei, aut si ad ostium eius insidiatus sum, ambiens adulterium, mœchetur & uxor mea cum alio. Supplicium enim maritorum impudicorum est uxor adulterans. Pulchre autem dicit, Molat cum alio uxor mea, id est, rem fœdam committat uxor cum alio marito: & alij ad eam inclinentur. Verecunda locutione loquitur de adulterio, contra eos quibus nulla locutio turpis est. Absit autem unquam ut tale scelus committatur in familia mea, adulterium scilicet, quod hic dicitur scelus & crimen mulcta dignum, ut etiam præter legem Mosis gentilitas quoq; adulterium graue & capitale crimen iudicauerit.

Adulterij illicitas.

12 Ignis est usq; ad perditionem deuorans, & omnia eradicans genimina.

Exaggerat amplius adulterij crimen, dicens illud esse uelut ignem omnia coniugũ bona absumentem, ac prorsus deuorantem. Ne expatietur ad scorti uias cor tuum, ait Sapiens, neque ingrediaris semitas eius. Multos enim sauciauit ac strauit, & omnes fortes iugulauit. Domus eius uiæ inferorum sunt, illac ad mortem iter est.

13 Si contempsi subire iudicium cum seruo meo, & ancilla mea, cum disceptarent aduersum me.

14 Quid enim faciam cum surrexerit (ad iudicandum) deus? & cum quæsierit, quid respondebo illi?

15 Nunquid non in utero fecit me, qui & illum operatus est: & formauit me in uulua unus?

Nullam unquam iniuriam serui & ancillæ meæ à me passi sunt, usq; adeo, ut nunquam cum ipsis iudicium detrectassem, ut nunquam ipsis non licuerit me in ius uocare. Nam quanquam impune potuissem eos pro mea libidine & tyrannide tractare, utpote seruos in meam potestatem, aut iure belli & captiuitatis, aut emptione redactos: nolui tamen quicquam grauius inferre, quia dominum timebam. Licuisset quidem coram mundo & lege humanis ac impune tulissem, sed quid domino respondissem uocatus ad eius iudicium? aut cur eos afficissem iniuria, qui mecum eundem creatorem habent & dominum, eisdem ut ego dei manibus plasmati, & in utero materno formati? Nam cum fortuna, non natura, eos fecerit seruos, cur propter fortunam eos contemptiores habuissem?

Iudicium in seruos.

16 Si negaui quod uolebant pauperibus, & oculos uiduæ expectare feci,

Non solum ad releuandum inopiam pauperibus deseruiui, sed etiam ad desiderium. Nulli enim rationabili petitioni pauperum defui, nec eorum iustis uotis contrarius fui, uel etiam persecutus sum, desideria quoque pia uiduarum non frustratus sum. Hæc est enim uoluntas domini, ut peculiariter susceptam familiam domini, pauperes & uiduas, personasq; miseras, & auxilio destitutas, diligentius curemus. Quod enim minimis istis fit, sibi acceptum fert dominus.

Pauperum cura.

17 Si comedi buccellam meam solus, & non comedit pupillus ex ea,

Sic enim dominus iubet per Isaiã: Frange esurienti panem tuum, & egenos uagosq; induc in domũ tuam, &c. Pietas enim huiusmodi ad oĩa ualet, & in die iudicij exigetur à Christo, & charitatis lege sedulo cõmendatur.

18 (Quia ab infantia mea creuit mecum (sicut pater) miseratio: & de utero matris meæ (duxi eam) egressa est mecum.)

Non mediocre charitatis opus est misericordia ad afflictos, & compatientia ex corde pio, qua cõmunes fiunt afflictiones, et sentitur proximi calamitas, ut succurrere pro uiribus annitatur. Sicut pater ad filium. Sic enim Hebræi legunt, ab infantia creuit mecum pietas ad pauperes pupillos, & uiduas, sicut pater solet scilicet misereri filijs. Quanquam & באב etiam dolorem & compatientiam sonet. Et ab utero matris meæ mansit ipsa mecum, atq; misereri didici afflictis personis.

Miseratio.

19 Si despexi pereuntem, eo quod non habuerit indumentum, & absq; operimento pauperem,

20 Si non benedixerũt mihi latera eius, & de uelleribus ouium mearum calefactus est.

Est & pauperem uestre charitatis opus, à lege naturæ nobis impositum, & in extremo iudicio exigendum. Id Iob tanta diligentia executus est, ut non dubitauerit domino in hoc placuisse, & digne acceptabiliterq; seruiuisse, unde & benedici meruerit in rebus corporalibus & spiritualibus, pro humano more loquendi, quod est pauperis latera & pupilli, calefacta pellibus & uelleribus ouium, benedicere homini pio & misericordi. Sicut enim iniuria pauperi facta in cœlum clamat, sic beneficium benefactorem domino commendat et benedicit.

Vestire nudos.

21 Si leuaui super pupillum manum meam, etiam cum uiderem me in porta superiorẽ,

Pupillus facile exponitur libidini ferocium hominum, quia caret ultore. Iob autem dicit se nunquam in iudicijs pupillum oppressisse, etiam si maxima fuisset præditus potestate in prætorio uel foro, quod Hebræis porta dicitur. Ingens flagitium est, iudicem miserabiles personas affligere sine causa, pro quibus tutãdis reges & primores instituuntur à domino, potenter tormenta passuri, si illos non iuuerint ubi possunt & debent.

Pupillis adesse.

22 Humerus meus à iunctura sua cadat, & brachium meum (de suo loco) cum suis ossibus confringatur.

Deuotio. Deuotio est. Si, ait, unquam in his iam recensitis reprehensibiliter egi, rumpar medius, humerus à scapula abscindatur mihi, & brachium meum de iuncturis suis conteratur, quia dominum deum timeo. Scio enim quanta supplicia impijs comminetur, quibus ne obruerer, sic uitam instituí, ut peccata talia nunquam commiserim, ut mihi amici imponunt falsò, & sophistice arguunt pro deo contra me, uerius autem contra dominũ loquuntur, qui impius non est, si pios affligat in tempore.

23 Semper enim quasi tumentes super me fluctus timui deum, & pondus eius ferre non potui.

Timor dei. Totam uitam meam sic instituí, ut pauor dei mei semper adsit mihi, ut offensam illius uitare curauerim, & perditionem eius exhorruerim semper, non ignorans iusta iudicia sua etiam occulta. Et pondus illius ferre non possum. Imparem me noui ferendæ legi, & complendi omnem iustitiam, ideo uel à maioribus offensis & flagitijs abstinere summopere studui, propter quæ irasci solet deus & rigide punire, non sic propter peccata ex ignorantia uel fragilitate, ad quæ connuere consueuit.

24 Si puraui aurum (spem) robur meum: & obrizo dixi, Fiducia mea.

Diuitiarum fiducia. Si unquã confisus sum in diuitijs, & spem posui in aurum, more impiorum, qui auaritia pleni, omnem fiduciam suam non in deum, sed in idolum suum argentũ & aurum reponunt, cui corde loquuntur, Spes mea tu es. Hinc Paulus uocat auarum idololatram, & auaritiã idolatriã, quia propter aurum dominũ produnt & suam iustitiam: ideoq; qui labenti creaturæ innititur, necesse est ut cum labente labatur.

25 Si lætatus sum super multis diuitijs meis, & quia plurima reperit manus mea.

Non sum inepte gauisus, uel insolentior factus in substantia diuitiarum mearum, illud Apostoli potius cogitando, Qui emunt, sint tanquam nõ possideant: & qui utuntur hoc mundo, sint tanquam non utantur. Diuitiæ si affluant, nolite cor apponere. Sciẽs labiles esse in manu fortunæ diuitias. Potentiam quoq; ac robur meũ non assecutus sum proprijs uiribus, sed à dño donata inueni.

26 Si uidi solem cum fulgeret, & lunam incedentem clare.

Nunquam ea quæ inter maximas creaturas & illustrißimas optimas existimaui solem & lunam ueneratus sum pro deo meo, nec illis accepta retuli fortunas meas, nec adoraui, nec meis diuitijs succesßibus potẽtiæ aut maiestati confisus sum, neq; de eis gloriatus, sed in timore dei semper uixi.

27 Et lætatum (seductum) est in abscondito cor meum, & osculatus sum manũ meam ore meo,

28 Quæ est iniquitas maxima, & negatio contra deum altissimum.

Manus osculari. Osculari manus, est opus proprium commendare, celebrare, & de eo gloriari, quæ est natura hypocritarũ, à deo datum bonum sibi ascribere, quod est nomen & gloriam dei blasphemare. Omnis enim laus & bonum in

quouis opere, dei est, nõ nostrum. Nisi fortaßis osculari manum religio fuerit adorationis, quam idololatræ hominibus & imaginibus deferre consueuerunt uſq; ad nostra sæcula: uel seipsum amplecti, nimium amare, significat osculum manus. Omnia autem ista grauißima peccata sunt, & negatio dei, qui solus deus adorandus est, à quo omne bonum precandum, non ab aliqua creatura.

29 Si gauisus sum ad ruinam eius qui me oderat: & exultaui quod inuenisset eum malum.

30 Non enim dedi ad peccandũ guttur meũ, ut expeterem maledicens animam eius.

Vt carnalis sensus inimico omnia mala imprecatur, ita Matth. 5. & lætatur si quando uiderit hostem afflictum. Id lege no[illegible] homicidij prohibetur, & Christus iubet diligi inimicos, et bene precari deuouentibus: ut uideamus iterum perfectionem haberi ex gratia dei, non ex lege Mosis: & gentiles quoq; nõ caruisse agnitione ueræ uirtutum, & uoluntatis diuinæ, qua studuerunt non grassari in hostes semper, nec de perditione eorum lætari, multo minus illudere miseris, sed uincere in bono malum, scientes detractiones & maledictiones displicere deo, & peccatum esse, etiam si contra inimicos fiant, hominemq; sensatum & pium ab huiuscemodi moribus & urbis alienum esse debere.

31 Si non dixerũt uiri tabernaculi mei, Quis det de carnibus eius, ut (ne) saturemur?

Tanta humanitate tractaui familiares meos, ut pro Malachiæ hosti. summo beneficio & bono haberent, si illis liceret cohabitare mihi, & frui præsentia mea, & de cibis mensæ meæ refici, mihi ministrare. Vel ad proxime prædicta referendum est, ut sit sensus: Non permisi mihi ut maledicerem hosti meo, etiam si familiares meos id pessime haberet, qui parati erant uindicare meas iniurias, & statuerint eos discerpendos dentibus, deq; eorũ improborum carnibus optabãt se refici: sed id Iob dominus ipsorum sensatior non permittebat. Quasi dicat: Non solum ego hostibus clemens fui, sed nec passus sum familiares meos ut de inimicis meis male loquerentur, uel uindictã sumerent pro calumnia.

32 Foris non mãsit peregrinus, ostiũ meum uiatori patuit.

Hospitalitatem se exercuisse commemorat, quæ sum- Hospitalitas. me in sacris paßim literis commendatur. Per hanc enim sancti domino plurimum placuerunt, & angelos suscipere hospitio meruerunt, deq; ea in die iudicij domino respondebimus, pro qua neglecta damnabimur. Diligenter igitur huic operi sancto incumbendũ fidelibus: semper enim nobiscum pauperes habemus.

33 Si abscondi quasi homo peccatũ meum, & celaui in sinu meo iniquitatem meam.

Hominis natura est uitia & peccata abscondere: aut si id nõ potest, excusare, uelle sanctior uideri quàm sit, & quam non habet uirtutem simulare. Verè autem humilis mala sua agnoscit, & non peruicaciter negat, sed humiliter fatetur: mala pro uiribus uitat, & quæ uitare

Si non potest, hominibus non abscondit.

34 Si expaui ad multitudinẽ nimiam, & despectio propinquorum terruit me: & non magis tacui, nec egressus sum ostium.

Iudicium peruertere.

Nunquam peruerti iudicium, secutus uel malum exemplum uel peccantium multitudinem, uel fauorem cognatorum, uel familiarium, quorum studijs non sum me passus abduci à recta uia, iuxta legem Mosis: Non sequêris turbam ad faciendum malum, nec in iudicio plurimorum acquiesces sententiæ ut à uero deuies. Nunquam causæ alicuius æquitatem obticui, neque desertà iusta causa domi me continui, aliquo scilicet affectu corruptus.

35 Quis mihi tribuat auditorem, ut desyderium meum audiat omnipotẽs: & librum scribat ipse qui iudicat,

Quis det ut omnipotens audiat desyderium meum, & causam meam per singula audiat patienter & ad longum, ut exponam meam innocentiam, & coram mundo iustitiam, insuper passiones meas tam magnas & dirè quibus supra omnem impiissimorum hominum uindictam unquam uisam puniri uideor: ut etiam maleuoli senciant non me percussum propter peccata magna, quorum non sum mihi conscius. Optat ergo amanuensem, qui hanc controuersiam cum amicis uel etiam causam suam cum deo tractandam conscribendo adnotet fideliter per singula.

36 Vt in humero meo portem illum, & circundem illum quasi coronam mihi?

Innocentia sua.

Non erubescerem in humero meo gestare codicem, in quo peccata mea, uel calamitates dei pariter conscripta essent, & omnibus præsentis sæculi & futuri hominibus legendum offerre: etiam si in fronte uolumen illud gestandum mihi foret, & ueluti corona meo capiti circumponendũ: gloriarer enim magis comparatione aliorum hominum, quàm confunderer lectione eius. Hæc autem Iob dixit, non uana superbia se erigens contra deum, sed in loco talia dicere poterat, conscientia teste, contra maleuolos obtrectatores etiam à domino deo uera comprobanda.

37 Per singulos gradus meos pronuntiabo illum, & quasi principi offeram eum.

Vitanda in narrandis culpis arrogantia.

Per singulos uersus & lineas quamlibet multas numero, ego eum librum recitare ac legere coram omnibus non erubescerem, & ueluti principi, uel princeps illum offerrem ad legendum, sine cunctatione alicuius periculi. Tametsi enim peccata non pauca contineret scriptura huiusmodi (nemo enim hominum sine peccatis uixit) non tamen crimina uel flagitia quæcunq; ibi legenda inuenirentur, de quibus confunderer coram alijs, uel pro quibus tantas plagas quispiam, etiam deus, inferre iure uideretur.

38 Si aduersum me terra mea clamat, et cum ipsa sulci eius deflent,

Agricolas non uexare.

Addit eleganter, quod quasi oblitus fuisse uideri posterat. Si, inquit, agricolam meum coegi plus reddere de fructibus, quàm par esset: si iniuriam in agricultura, & prouentuum diuisione uel usu commisi, ut non iniuste terra & agri contra me ad deum clamare uideantur: si exegi supra dignum quippiam à colonis meis: si illorum operas contempsi: si pauperũ lachrymas uiolentia quacunq; extorsi, ut propterea formidem ne gemitus eorum contra exactiones meas ad cœlum clament, ut sanguis olim Abel.

39 Si fructus eius comedi absque pecunia, et animam agricolarum eius afflixi:

40 Pro frumento oriatur mihi tribulus, & pro hordeo spina.

Finita sunt uerba Iob.

Nunquam gratis exegi aut tyrannide extorsi quicquam frumentorum ab agricolis meis, nec seruulos uel ancillas oppressi improbis unquam laboribus, ut respirare nequierint, sed ingemiscere & succumbere coacti sint. Si enim tale aliquid desygnaui, non renuo supplicium. Transgressionum pœna.

Age, pro tritico nascatur mihi spina, pro hordeo carduus: hoc est, sim deo & hominibus per omnia maledictus. Iam uerò cum nihil tam enorme peccauerim contra dominum, reliquum est, ut contra amicorum meorũ sententiam certis argumentis concludam, has meas tam graues plagas & ærumnas, alia ratione mihi à domino impositas quàm propter peccata. Finiunt autem hic uerba Iob & trium amicorum eius.

CAPVT XXXII.

1 Cessauerunt autem tres uiri isti respondere Iob, eò quòd iustus sibi uideretur.

Non sine necessaria ratione coacti sunt desistere amici à disputatione, qua contenderant Iobum pro occultis quibusdam criminibus punitum à domino, quia publica contra eum sola suspicione, pene magis adduxerant disputationis gratia, quàm ut probare possent aliquibus testibus. Audientes autem conscientiæ testimonium & contestationes, cum malorum imprecationibus, quid ultra dicerent, non habebant: tacuerunt ergo, & finem contentioni dederunt.

2 Et iratus, indignatus ẽ̃ est Eliu filius Barachel Buzites, de cognatione Ram: iratus est autem aduersum Iob, eò quòd iustum se esse diceret coram deo.

Vanitas rhetorum.

Arguunt uerba hominem uanæ gloriæ sectatorẽ, rhetorem tamen & non imprudentem, qui tandiu tacere poterat & tantum audire. Verum nõ tam ad personam, quis & qualis fuerit attendendum, quàm ad dicta illius. Habet autem totum ferè hoc caput prologum quendam, in quo ad orationem suam sequenti capite proferendam præparationem præstruit & accessum.

3 Porrò aduersum amicos eius indignatus est, eò quòd non inuenissent responsionem (rationabilem) sed (tantummodo) condemnassent Iob.

Intelligebat hic Eliu uerba Iob, quasi dixisset se deo iustiorem, & quòd iniuste dominus secum egisset, & iniquè. Hoc non dixerat, sed & contra amicos Iob tres irascitur, quia ipsum fuerant calumniati, & contra eum nihil probauerant. Et cum aduersetur tribus amicis Io-

bum damnantibus, ipse tamen acerbius inuehit & damnat eundem.

4 Igitur Eliu expectauit Iob loquentem: eò quòd seniores essent, qui loquebantur.

5 Cum autem uidisset Eliu quòd tres respondere non potuissent, iratus est uehementer.

Sustinuit & expectauit sapienter satis loquentẽ Iobum, quia cum eo seniores & amici illius disceptabant uerbis quorum sermo non erat irrumpendus, donec loquebantur & Iobo responderent, qualiacũq; essent quæ dicebantur: cessantibus autem tribus respondere ad ultima uerba Iob, tempus arbitratus est, quo & ipse eloqueretur suam contra Iob sententiam.

6 ¶ Respondensq; Eliu filius Barachel Buzites, dixit:

7 Iunior sum tempore, uos autẽ antiquiores: idcirco demisso capite ueritus sum uobis indicare meam sententiam.

8 Sperabam enim quòd ætas prolixior loqueretur, & annorum multitudo doceret sapientiam.

Caniciei reuerentia. *Adolescentes hic discant seniorum consilium ac sermonem expectare, & silentio suo caniciem uenerari, propterea quòd feruens iuuentutis ætas imprudenter plerumq; & illotis manibus in præceps consilium irruat, nulla habita imminentium periculorum ratione. Senes uerò multo usu occalluerunt, ideò prudentius, & circunspectius de quauis re consultant. Neq; tamen omnia senũ consilia citra delectum uelut oracula suscipienda sunt. Non enim spiritus consilij ætati alligatur. Proinde presbyteros honorare disciplina est, non præiudicium ueritatis.*

9 Sed ut uideo, spiritus est in hominibus, et inspiratio omnipotẽtis dat intelligentiã.

10 Non sunt longæui multi sapientes, nec senes intelligunt iudicium.

11 Ideo dicam, audi me, ostendam etiã ego meam scientiam.

Annosi prudentes. *Re ipsa comperio prudentiam annis non constare, sed spiritus domini facit prudentes, sicut uult, nõ sicut optamus: nulli enim creaturæ addictus est, distribuitur illius donum ubi illi allubescit. Non ergo ualet argumentum quod ab authoritate maiorum ducere solent, quasi ucrò alligata sit ueritas maiorum sæculo, non item omnibus ætatibus communis.*

12 Expectaui enim sermones uestros, audiui prudentiam uestram, donec disceptaremini sermonibus.

13 Et donec putabã uos aliquid dicere, consyderabam: sed ut uideo, nõ est qui possit arguere Iob, & respondere ex uobis sermonibus eius:

Senes deliri. *Cum etiam sapientes desipiant, & senes uideam delirare, ac nullus sit qui ipsum Iob ea parte qua reprehensibilis est, arguat, age, tempus nunc est, ut et iuniores loquantur: siquidẽ uana fuit hactenus expectatio mea, qua*

sperauerã me doctiorem abiturũ à controuersia uestra.

14 Ne fortè dicatis, Inuenimus sapientiam, deus proiecit eum, non homo.

15 Nihil locutus est mihi, & ego non secundum sermones uestros respondebo illi.

Si dixeritis sapienter uos inuenisse causam tantæ infelicitatis, quia impius fuit in homines multipliciter, ideò ab hominibus deprædatus est, contemptus, & damnatus omniũ iudicio: ego contra respondeo, non eum ab hominibus, sed à deo proiectum, ppter impietates suas in deũ, quẽ ipse iniquitatis damnat, quod omniũ opinione insanum est & intolerabile, sed non eo sermonis filo & disputationis ordine ego ipsum conuincam ut uos.

16 Extimuerũt, nec responderunt ultrà, abstuleruntq; à se eloquia.

17 Quoniam igitur expectaui & non sunt locuti: steterunt, nec ultrà responderunt:

18 Respondebo & ego partem meã, & ostendam etiam ego scientiam meam.

Contemptim utitur tertia persona pro secunda. Vide, inquit, quàm imprudentes sunt isti, effutierunt multa, ubi nihil opus erat, nũc ubi stringendus erat rationibus, obmutescunt, ut cogar explanare etiã ego sententiã, & pro spiritu in me loquente conuincere indoctũ et impiũ.

19 Plenus sum enim sermonibus, & coartat me spiritus uteri mei.

20 En uenter meus quasi mustum absq; spiraculo, q̃d lagunculas nouas disrumpit.

21 Loquar, & respirabo (paululum) aperiam labia mea, & respondebo.

22 Non accipiam personam uiri, & (ad hominem non aptabo me) deum homini nõ æquabo.

23 Nescio enim (*quomodo me aptem*) quandiu subsistam, & si post modicum tollat me factor meus.

Vsque adeò cogit animus meus quod sentiã eloqui, ut citius rumpar medius, quàm ut conceptus sermo comineatur. Quemadmodum enim nouum mustum nondum Loqui plene decoctũ, disrupto uase effluereret, aëre non admisso: ita, sic uenter meus disrumperetur, nisi loquerer ut respirẽ. Idq; sine personarum acceptione, non ad gratiã loquar, sed uera, eo quod nesciam quando ex hoc mundo, & hoc miseri corporis ergastulo me sit uocaturus creator meus, qui si me iniqua & scienter falsa ementitum deprehenderit, quantis plagis uapularem?

CAPVT XXXIII.

1 AVdi igit̃ Iob eloquia mea, & omnes sermones meos ausculta.

2 Ecce, aperui os meum, loquetur lingua mea in faucib⁹ meis,

3 Simplici recto corde meo sermones mei, & scientiam puram labia mea loquentur.

Cum multis uerbis attentũ auditorẽ fecisset, promittit se simpliciter propositurũ quod uerũ est. Quoniam quidem mihi loquendũ est, inquit, quæ simplicia, pura et uera sunt maxime, loquar, facessant ambages, discedant hominũ nugæ, ipsissimã ueritatẽ simpliciter proponã.

Spiritus

4 Spiritus dei fecit me, & ſpiraculum omni potentis uiuificauit me.

Non eſt, ut ſermo meus quantumuis adoleſcentis contemni debeat, quando & ego perinde ac tu dei ſim creatura, quam ex luto creans eodem uitæ ſpiraculo ſuo me uiuificauit. Per idem uerbum in eodem ſpiritu omnes formati ſumus, communem terram, aquam, aërem & cœlum habemus: non ergo propter uerbum ueritatis tam acerbe mutuo digladiandum erit.

5 Si potes, reſponde mihi, & aduerſus faciem meam conſiſte.

Qualiacunq; dixero, ſemper tibi dabitur libera reſpondendi copia. Non enim agam tecum imperio, nec authoritate, nec ut in uerba mea iures: ſi quid ueri dixero, arripe, ſin falſi aliquid imprudenti exciderit, reijce: & ſermonẽ dignũ adorna, ut in faciẽ meã reſiſtas fortiter.

6 Ecce, & me ſicut & te fecit deus, & de eodem luto ego quoque formatus ſum.

7 Veruntamen miraculum meum non te terreat, & eloquentia (*manus uel coactio*) mea non ſit tibi grauis.

8 Dixiſti ergo in auribus meis, & uocem uerborum (*tuorum*) audiui.

Nullam habes me contemnendi occaſionem, dei creatura ſum, & ex puluere formatus, quemadmodum tu quoque aſſeueras. Sepone igitur ſi quid in me tibi diſplicet, & diligentius ad orationem arrige aures. Non autem durius tibi loquar, ut reliqui amici tui, ut ad ampliorem animi perturbationem cogaris, mitius ac manſuetius tractabimus cauſam noſtram.

9 Mundus ſum ego, & abſque delicto immaculatus, & non eſt iniquitas in me.

10 Quia querelas in me reperit, ideò arbitratus eſt me inimicum ſibi.

11 Poſuit in neruo pedes meos, cuſtodiuit omnes ſemitas meas.

12 Hoc eſt ergo, in quo non es iuſtificatus: reſpondebo tibi, quia maior ſit deus hoïe.

13 Quare aduerſus eum contendis, quòd non ad omnia uerba reſponderit (*tibi.*)

Hic tandem ad cauſam tractandam Eliu accedit, dicens: Conati ſunt amici tui tres, te iuſte tanta pati, probare ex impie anteacta uita tua, & te eſſe impium & dei hoſtem. Mihi alia tecum ratio eſt. Nam iniquum te probabo, non è uita tua priori, ſed tuo ipſius uerbo & teſtimonio, hoc eſt proprio te gladio confodiam. Dixiſti enim, innocens & mundus ſum, ſine perfidia, & irreprehenſibilis ſum, & nihil iniquè egi in proximũ meũ. Dominus autem inuenit aliquam contra me occaſionẽ, & pro hoſte me habet, & tractat hoſtiliter. Conſtruxit in neruum uel cippum pedes meos, & ne uſpiam poſſim euadere, omnes ſemitas meas obſeruat. Habentur hæ ſententiæ à Iob dictæ capite decimotertio & decimoſexto, quæ tamen non fideliter ab Eliu citantur. Probabo itaq; ex uerbis tuis iſtis, te iniuſtum. Nullus enim iuſtius & innocens cum deo contendit, nec iniuſtitiæ eum accuſat, quod tu facis, certe uel eo ipſo ſolo reus et minime iuſtus.

14 Semel loquitur deus, et ſecundo id ipſum non (*oſtendit*) repetit.

Deus cum uno uerbo loquitur, iam duo non recte diluent illud. Nemo poteſt, quantumuis multis ſermonibus improbare uel redarguere, quãtumlibet paruũ uel unicum uerbum domini, quod ex illius ore proceſſit. Stultè ergo agit, qui cum deo diſputandi onus ſuſceperit, qui à domino accuſatus uel de uno, ſi multis ſe ſermonibus excuſare præſumpſerit, quod ipſiſſima deus ueritas ſit, & iuſtitia, quæ errare uel fallere non poſſit. Noli ergo, ô Iob, rationem uerborum dei ac factorum curioſius inueſtigare, & ſi non aſſequeris eum iniuſtitiæ arguere, & in ius uocare, ac libellum contra eum inſtituere. Quod enim ſemel deus aut loquitur aut facit, nemo impedire uel infringere quacunq; ratione poteſt, nec eſt humana prudentia inueſtigandum, num uerè dictum aut iuſte factum fuerit.

Diſputare cum deo.

15 Per ſomnium in uiſione nocturna, quando irruit ſopor ſuper homines, & dormiũt in lectulo.

16 Tunc aperit aures uirorum, & erudiens eos, inſtruit diſciplina,

17 ut auertat hominem ab his quæ fecit, & (*ſuperbiam à uiro abſcondat*) liberet eum de ſuperbia.

18 Eruens animam eius à corruptione: & uitam illius, ut non tranſeat in gladium.

Deterret non raro dominus homines à malis operibus, & præſeruat ab incommodis maioribus, quæ homini contingere poſſent, per præuium ſomnium, quod hominum piorum pius curator immittit, etiam aliquãdo impijs in uſum piorũ, ut patet de Pharaone, Ioſeph utroq; & Nabuchodonoſor. Tunc enim illis pandit terrores, & eis quaſi diſciplina coërcet, ne pergant incidere in maximas calamitates, deterretq; à grauibus peccatis, quæ alioqui fuerant incurſuri niſi abſterrerentur. Hæc agit prouidentia dei, abducendo homines à facinore, & humiliando cor hominis ne nimia felicitate ſuperbiendo inſoleſcat. Terret ergo per ſomnia, & hortatur ad diligentius cauenda pericula, quæ imminere ſolent, ſi ab illis deus homines eximere decreuit uel contumaces durius plectere, ferro, igne uel aqua, caſu aut fulmine, quocunq; dei opere.

Somnia à deo.

19 Increpat quoq; per dolorem in lectulo (& contendit cum oſſibus ſuis fortiter) & omnia oſſa eius marceſcere facit.

20 Abominabilis ei fit in uita ſua panis, & animæ illius cibus antè deſyderabilis.

21 Tabeſcet caro eius ne uideat, & oſſa quæ (*contrita*) tecta fuerant (*non uidentur*) nudabuntur.

22 Appropinquabit corruptioni anima eius, & uita illius mortiferis.

Alius proſpiciendi modus à deo pro pijs & impijs ordinatur ſæpe, quo minus grauiora peccata uel incommoda incidantur, dum hominem deus conijcit in grauiſſimas infirmitates corporis, et morbis acerrimis compri

Infirmitates corporis

mit ut humilientur et remittant libidinũ incentiua: dum scilicet ossa & neruos corripit, & dura ægritudine lecto incumbentem castigat, ut etiam uita miserrime tracta magis quàm acta abhorrere cogatur à pane, & animus uel cupiditas eius ab omni esu, ut cibus eius nauseã fiat. Caro eius ita præ dolore contabescit, ut pectus pendere putetur, & à spinæ tantum crate teneri, ita ut indurescat cutis, & per eam uiscera spectari possint, ut anima ipsa ad corruptionem properare putetur, & uita illius ad mortuos. Hoc quoq; modo non sine causa deus punit, nonnunquã etiam fideles homines, & sibi charos.

23 Si fuerit pro eo angelus loquens unus de millibus, ut annuntiet homini æquitatem suam.

24 Miserebitur eius, & dicet, Libera eum, ut non descendat in corruptionem: inueni in quo ei propitier.

25 Consumpta est (*tenera erit*) caro eius à (*puero*) supplicijs, reuertatur ad dies adolescentiæ suæ.

Si uerò placuerit aliquando deo optimo maximo, ut rara aliqua & insigni gratia sic flagellatum desperabiliter ad incolumitatẽ pristinam restituere uoluerit, quod tu tibi sperare posses, si ad meliorem mentem reuocareris. Si inquam, conualescere huiusmodi calamitosum hominem uoluerit dominus, uel etiam alium quempiam ab inordinata uita, sine somnio tali, uel afflictione tanta reuocare decreuerit, mittit ei deus nuncium aliquem, hominem nempe sanctum, uel spiritualem ministrum, quibus tamen rarissime in rebus talibus utitur, sæpius autem prophetam uel doctorem pium, ut nuntiet ei quomodo recte incedere debeat in uijs domini, quomodo à peccatis resipiscere, quæ causæ sint talium ærumnarum, iamq; certò credere debeat dominum deum sibi reconciliatum esse, qui statuerit secum, de speciali fauore suo: quasi ad se loquens dicat: Libera iamnunc miserum hunc hominem, quo minus in totum pereat, & ad interitum descendat. Iam enim accepi expiationem à peccato, nunc correctus est, satis pœnarum exantlauit, ualebit posthac satis illi disciplina hæc rigida, iam caro eius per afflictionem satis pessundata est, ut non deinde tanta lasciuia sit occupanda, & libidini satisfactura. Tunc ubi deus sic clementer sese demiserit ad angustias tollendas ab afflicto, restituetur illico ualitudo melior, & caro tam misere tractata uel puerilis & tenera reuiuiscit & restituitur in pristinam sanitatem, ut in integra ætate, robustam & incolumem.*

Doctores pietatis.

26 Deprecabitur deum, & placabilis ei erit: & uidebit faciem eius in iubilo, & reddet homini iustitiam suam.

Is homo diuina ordinatione, ut nunc tu Iob castigatus, tantis miserijs admonitus ab aliquo internuntio, qualis uel ego nunc tibi mittor, & sum, uel amici tui, incipiet humiliter & seriose deprecari dominum, & ipsius clementiam exorare. Nam statim illi placabitur dominus, et serenam ægroto faciem ac hilarem demonstrabit, meliorem sibi mentem restituet, ac ad pristinam uitæ sanctimoniam reformabit: desinetq; tunc dominum blasphemare, & iniquum uel iniustum iudicem accusare, non uolet iterum prouocare ad iudicio contendendum cum domino, qui omnia bene fecit, ut mala quoque fieri non permiserit nisi inde meliora producere decreuisset.

Clementia dei ad peccatores.

27 Respiciet homines, & dicet, Peccaui, et uerè deliqui: & ut eram dignus non recepi.

28 Liberauit animam (*meam*) suam, ne pergeret in interitũ, sed uiuens lucem uideret.

Is ærumnosus homo, post hæc diuino fauore prætutus, ut dictum est, incipiet subinde homines intueri, qui illius calamitatem fuerint contemplati, & ad consolandum ægrotum aderunt. Dicetq; ad illos iam eruditus domini disciplina, Confiteor peccata mea, quibus hanc domini iram & hoc tantum flagellũ commerueram. Correxit autem me dominus, ut dignus eram: deliqueram enim multoq; grauius supplicium sine dubio demerueram, quàm fuerit hoc meum, quantumuis iam ante maximum uisum fuerit, & importabile nimioq; prolixum. Nunc autem humiliatum me miserum liberauit à tanta afflictione, ut non perierit nec corpus in mortem, nec anima in desperationem & damnationem, propter impatientiam & blasphemiam, sed uita mea denuo nunc serena luce feliciter fruitur, & à peccati pernicie salua facta est per dei gratiam anima mea.

29 Ecce, hæc omnia operatur deus tribus uicibus (*cum uiro*) per singulos,

30 ut reuocet animas eorum à corruptione, & illuminet luce uiuentium.

Hæc & similia multa operatur deus iterum atq; iterum non paucis uicibus, ut his modis & medijs retrahat animas electorum uel saluandorum ab interitu, tam carnis quàm spiritus. Nũc enim eleuat deus suos, nunc deijcit, iam exaltat, iam humiliat, iam ad inferos ducit, iam reducit ad uitam, pro sua uoluntate, sancta et firma semper manente & eadem. Ad hunc modum, ô Iob, tecum agit dominus, exaltauerat te feliciter, cruce et supplicio te nunc humiliat, iterum exaltandum si respueris à blasphemia, si dominum oraueris, & si confessus fueris peccata tua. Hac enim uarietate erudit pios dominus, ut in solam ipsius manum respiciant, & ex ipso uitam, salutem & omne bonum petant.

Opus dei in electis.

31 Attende Iob, & audi me, (&) tace, dum ego loquor.

32 Si autem habes quid loquaris, responde mihi: loquere: uolo eñ te apparere iustũ.

33 Quod si non habes, audi me: tace, & docebo te sapientiam.

Attende, ô Iob, quæ dixerim, & audias diligenter, quæ sum dicturus, & interim sileas, dum loquar. Quòd si existimaueris me falsa dixisse, te pronuntiando esse iniustum, age mendacij me arguito, & tuam declarato iustitiam, si fortè & ego persuasus iustitiæ tuæ patronus fiam. Nunc uerò cum nihil habes quo possis patrocinari tuæ iustitiæ, diligenter saltem nunc audi quæ loquar de tua causa sapienter, ut intelligas.

¶ CAP.

1 ¶ CAPVT XXXIIII.

2 PRonuntians itaq; Eliu, etiã hæc locutus est,

Audite sapientes uerba mea, & eruditi auscultate me,

Sermo alius quo Eliu probat deum non esse iniquum iudicem, quia mundi totius iudex sit, & omnium rerum administrator unicus & potẽs. Audite, inquit, ô sapientes, sermonem meum. Nolo ego meijpsius iudex esse, iudicent qui inter uos sunt sapientes & eruditi.

3 Auris enim uerba probat, & guttur escas gustu diudicat.

Vt guttur cibum probat, sapidus ne an insipidus sit: ita aurium iudicium probat sermonem, uerus ne an falsus sit. Nam ut non credis nisi audias, fides enim ex auditu est, ita probare spiritus non licet nisi sermonem audieris: hinc delicatas aures habere dicuntur, qui nullum sermonem nisi ad unguem expolitum probant.

Verba probata auris.

4 Iudiciũ eligamus nobis, & inter nos uideamus quid sit melius.

Iudicate inquam inter me & Iob, uter uerius sentiat, iudicium prudentum non detrecto. De ueritate enim homines iudicare possunt & iubentur, & non leuiter credere omnia: non quidem uerbũ domini iudicare, sed uerbum hominũ, hoc est, an quod homines pronuntiant docent & statuunt sit uerbũ dei. Hoc aũt nesciũt, qui scripturas sacras uel non intelligunt, uel spirituales nõ sunt.

5 Quia dixit Iob, Iustus sum, & deus subuertit iudicium meum.

6 In iudicãdo enim me, mendaciũ est: uiolenta (lætalis) sagitta mea absq; ullo peccato.

Deficiat iudicium.

Hæc est sententia ipsius Iob, iustus quidem sum, nihilominus tamen adfligor, et crucior uelut iniustißimus. Declimat igitur deus iudicium, uel repulit appellantẽ ad iustum ac bonum iudicium, sed ipse flagella flagellis addit, clamorẽ meum uelut surdus audiens, sed negligens, cum nullũ in me scelus inueniatur. Ad hæc super iudicio meo mentior, hoc est, cogor uelim nolim mendax esse, ut deus uerax sit, quicquid loquitur ac agit, recte actum est & dictum, siue meo merito siue immerito: quomodo ergo potest apparere illius iustitia?

7 Quis est uir ut est Iob, qui bibit subsannationem quasi aquam,

8 Qui graditur cum operantibus iniquitatem, & ambulat cum uiris impijs?

9 Dixit enim, Non placebit uir deo, etiam si cucurrerit cum eo.

Bibere subsannationẽ.

Bibit ergo Iob subsannationem uelut aquam: hoc est, stultitia & furore quasi aquarum inundatione totus arripitur & plenus est, nihil prorsus differens ab extremis iniquis & impijs, propterea quòd palàm dicat, quibus in blasphemando socius sit, & in iniquis operibus particeps, qui iustitiam dei non credunt, & ideo prouidentiam tollunt, & deum faciunt non esse deum, pro eo quod contendit iustè deum perdere & conculcare pariter iustos & iniustos, quia non prodest homini siue iuxta uoluntatem domini uiuat & ambulet, siue minus. Seuerus est enim, ut uidetur, non solum in impios, sed etiam in iustos, imò ut plurimum feliciores in hoc sæculo uidentur, & sunt impij quàm pij.

10 Ideo uiri cordati audite me, absit à deo impietas, & ab omnipotente iniquitas.

11 Opus enim hominis reddet ei, & iuxta uias singulorum restituet eis.

Iudicium dei iustum.

Ideo auribus duabus natura donauit hominem, ut altera auris actori, altera reo patula reseruetur. Absit autem ut deus cum iudex sit totius mundi, iniquus habeatur. Ipse igitur unumquemq; iuxta uias suas iudicat, & reddit unicuiq; iuxta facta sua, non aliena. Rependit homini secundum opus suum, & unicuiq; homini secundum uiã uitæ illius, in qua fuerit inuentus. Si impie egerit, deus illum adfligit, si sanctè uixerit, coronabit.

12 Verè enim deus non condemnabit frustra, nec omnipotens subuertet iudicium.

Quod deus non iniquè condemnet aut iniuste iudicet ac adfligat, alia probatur ratione, Quia omnium rerum creator est, ideo iniustus esse non potest. Nihil autem horum quicquam probat contra Iob, qui non dixerat deum iniustum uel iniquum, nec quòd bona opera non remuneret, uel mala non puniat: sed dixerat, non se hoc pacto iudicatum in hac ærumna, quia eam suis peccatis non meruisset. Non tamẽ negauit subesse causam aliam, quam amici Iob ignorabant, & in hoc erant toti, impijs tantum mala inferri à deo, non pijs, nullumq; discrimen faciebant inter iudicium huius temporis & uitæ, & inter futurum iudicium post hoc tempus, ubi nulli impio bene erit, nec iustus amplius adfligi quocunq; modo poterit, secundum quod iudicium in hoc mundo deus non semper iudicat aperte, licet nunquam non iustißime iudicet, suo iudicio nobis occulto, ꝓ hac nostra uita.

13 Quem constituit alium super terram? aut quem posuit super orbem quem fabricatus est?

14 Si direxerit ad eum cor suum, spiritum illius & flatum ad se trahet:

15 Deficiet omnis caro simul, & homo in cinerem reuertetur.

Quis est iste cui commiserit deus terram totam, ut illam pro sua uoluntate uel sapientia regat? Quem posuit deus ut præsit toti orbi in uniuersum per omnia? Quasi dicatur, hanc potestatem nulli cõtulit. Solus ipse omnipotens est, qui quicquid uoluit fecit & facit in cœlo & in terra, & in omnibus abyßis, in cuius pleno arbitrio cuncta sunt posita, ad uiuificandum quod uult, & ad occidendum ac perdendum omnia. Cuius animo, uoluntati, uel spiritui si placuerit, ut retrahat manum & potentiam suam, & uim omnia conseruandi, tunc omnia deficient & euanescent, etiam cœli & elementa, multo magis elementata & caduca naturaliter, ut etiam creaturarum corporalium nobilißima homo, redeat in suum unde creatus est puluerem, domino nõ conseruante, qui continet omnes creaturas, & omnia rursus in nihilum redigit, dum placet. Quomodo ergo is talis & tantus iniuste moderaretur quæ condidit & conseruat?

Solus deus omnipotẽs.

16 Si habes ergo intellectum, audi quod dicitur, & auscultа uocem eloquij mei.

17 Nunquid qui non amat iudicium, sanari potest? & quomodo tu eum qui iustus est, intantum condemnas?

Si ullus prudentiæ sensus in te est, aduertas rogo diligenter, & alta mente quæ dico reponas. Nónne qui abhorret à iudicio, et odit opus domini, auersaturq; medelam dei, poterit alligari & suscipere medicinam? Quomodo de tantis ærumnis saluus euades, si rebellis fueris iudicio diuino, & contra illud semper indignatus fueris? Nónne existimas te à domino damnandũ, si fueris iustus plurimũ, tantum scilicet quantũ te iactas? Quanto melius facies, si te submiseris illius uoluntati, & reum te coram deo confitearis?

Amare dei iudicium.

18 Qui dicit regi apostata, qui uocat duces impios.

19 Qui non accipit personas principũ: nec cognouit tyrannum, cum disceptaret contra pauperem: opus enim manuum eius sunt uniuersi.

Noli à domino te contemptum & punitum dolere, & tam ægrè ferre, multo maioribus deus, & te melioribus non raro irascitur, etiam reges arguit, & malos ac rebelles notat, & ut impios persequitur, & magnificos huius sæculi principes iniquitatis & impietatis insimulat, pro suis flagitijs damnat & occidit: quanto magis tibi non parcit, nec tuam ueretur potentiam, quo minus pro tuo te peccato condemnet & tractet? Non recipit faciem magnatum, neq; miratur locupletem præ tenui, sed causam iustam aduertit, uel iniustam, nõ diuitis personã aut pauperis: quia omnes tam principes quàm uulgus, tam diuites quàm pauperes, opera manuũ eius sunt, & in potestate eius conclusi, iudiciumq; sententiæ eius detrectare, aut aliò appellare non possunt.

Magnatum iudicium.

20 Subito morientur, & in media nocte turbabuntur populi, & pertransibunt, & auferent uiolentum absq; manu.

21 Oculi enim eius super uias hominum, & omnes gressus eorum consyderat.

22 Non sunt tenebræ, & nõ est umbra mortis, ut abscondantur ibi qui operantur iniquitatem.

Ipse est dominus uitæ & mortis, recto suo iudicio subito impios conterit, & media nocte dum minime putãt, conturbat quantumuis potẽtes, idq; nullis externis uiribus, sed sine manu. Spiritu labiorũ suorum interficit impios, & eijcit de statu suo, qui uiolenter & tyrannice præsunt, ipse fortis & omnipotens, sola uoluntate sua et nutu cũcta disponens: prouidentia sua uniuersali omnia intuetur & aspicit, consilia & opera hominũ discutit, ipsumq; nihil quantumlibet secretũ latere potest: nullæ tam densæ tenebræ, quas non perscrutetur & agnoscat: operarios iniquitatis intus & incute internoscit, & iuste iudicat: non decipitur quacũq; larua & specie exteriore, corda perscrutatur, & intimos recessus mentis.

Iudicia dei manifesta.

23 Neq; enim ultrà in hominis potestate est, ut ueniat ad deum in iudicium.

Quæcunq; dominus fecerit recta sunt & iusta. Nec est in hominis potestate situm, diuina opera pro suo arbitrio discutere, iudicare uel iustificare, uel condemnare. O homo tu quis es qui respondeas deo? Nunquid dicit figmentum ei qui se finxit, cur sic feci sti? Nemo ergo hominum quantumuis sanctus pergere præsumat cum domino in iudicium.

24 Conteret multos innumerabiles, & stare faciet alios pro eis.

25 Nouit enim opera eorum: & idcirco inducet noctem, & conterentur.

Mirabilia quidem sunt opera dei, qui potentia sua Regnum omnia, sed nihil iniuste moderatur. Nõ indiget multa inquisitione, si potentes uoluerit conterere, & è sublimi statu deijcere, agnoscit clare impia illorum opera, pro quibus non immerito opprimuntur. Satis clarum facimen huius sui regiminis ædidit in regibus, de quibus sacra scriptura multa commeminit: summatim uerò in Daniele, quomodo regnum unum alteri surrogat, & inopinatis malis conterit insolentes. Euertit ipsorum labores, instituta & opera, ut omnia secus cedant atq; uoluerãt, & dum gloriam maximam ambiunt, & se assequutos gaudent, subito conteruntur, & in nihilum rediguntur: quanto magis id tibi non iniusto dei iudicio euenire potuit, ut è felicitate decideres in has angustias?

26 Quasi impios percussit eos in loco uidentium.

27 Qui quasi de industria recesserunt ab eo, & omnes uias eius intelligere noluerunt.

Impij florent aliquandiu, & uidentur impunes, sed iuste Sors impij dicante domino concutiuntur in loco uidentiũ: hoc est, sic deijciuntur, ut eorum casus gaudio communi afficiat aduersarios, & exemplũ emendationis fiant cæteris & timori. Quod uerò impij percunt, non fit citra causam, quia recesserunt à domino, nec intelligunt uias eius, uerbum eius contemnunt, & opera calumniantur, opprimunt pauperes, & negligunt egenum, quasiq; nihil ad se pertinentem habent.

28 Vt peruenire facerent ad eum clamorem egeni, & audiret uocem pauperum.

Quia tyranni dominum non uerentur, & ideo pauperes uiolenter opprimunt, ideo pauperum quoq; clamor cœlos penetrans intrat ad dominum, qui et exaudit orationes, & gemitus egenorum, impiosq; disperdit, ut habes in Pharaone, qui clamore filiorum Israël ascendente ad deũ, post multas plagas tandẽ turpissima morte occubuit cum exercitu.

29 Ipso enim concedẽte pacem, quis est qui condemnet? ex quo absconderit uultum, quis est qui contempletur eum? & super gentes & super omnes homines.

Si omnipotens dominus alicui quietem concesserit, & Quies gratia sua pacificum reddiderit, & in conscientia tuã, nemo illũ poterit condemnare. Si deus pro nobis, aiunt pij, quis cõtra nos? Si ipse absoluerit, quis damnabit? Si uerò faciẽ suam uelut indignabundus ab aliquo auertat, quis

quis illi prospiciet? quis diriget uel saluabit illum? quicunq; is fuerit uel populus uel homo unus. Domino enim gratiam abnegante, nemo saluabit. Sed omnes quotquot in terra uiuunt populi uel homines, domino iudicãte & irato dispereunt & damnantur. Non itaq; causas discutias calamitatis tuæ, sic enim dño de te agere placuit, sic iustum apud illum fuit, etiam si tibi minus uideatur.

30 Qui regnare facit hominem hypocritam propter peccata (oppressores) populi.

Hypocriti. uitiges.

Signum manifestum irati domini, & multarum immi-nentium calamitatum, est, si impij regnum suscipiant, si magistratus hypocriticus, hoc est, iniustus sit, & tamen iustitiã prætexant, ut suis multis legibus irretiant, & ad depilandum populum ansam semper inueniant. Vt enim externa populi salus è pio magistratu constat, ita deuastatio eius ab impijs. Neq; enim quisquã aut pernicios̃ius aut tyrannicè magis dominatur, quàm hypocriticus dominus.

31 Quia ergo ego locutus sum ad deum (te quoq;) non prohibebo.

32 Si erraui, tu doce me: si iniquitatem (feci) locutus sum, ultra non addam.

33 Nunquid à te deus expetit eam, quia displicuit tibi? tu enim cœpisti loqui, & non ego: quod si quid nosti melius, loquere.

34 Viri intelligentes loquantur mihi, & uir sapiens audiat me.

35 Iob autem stulte locutus est, & uerba illius non sonant disciplinam.

Rhetoricatio longenitis.

Variè & obscure hic locus à Iudæis exponitur. Is autem sensus uidetur esse: Hæc mihi de deo & pro iustitia dei contra te defendenda uidebantur dicenda. Huncq; sermonem cõtra te suscepi, non amplius uel te loqui prohibebo, uel me inuoluã disceptationi huic, per meipsum hæc dicenda, & tibi respondenda uidere potui: tu si melora afferre potes, doce me, & in quo offenderim doceas, si iniquitatem operatus sum, si docendo, uel corripiendo impatientiam & sermonem tuum peccaui, desistam, & non addam similia. Nónne à teipso perficietur oratio? Tu cœpisti in primis male loqui de prouidentia & iustitia dei, ideo tibi à me respondendum erat. Tu iudicium dei detestabaris & elegisti disceptationẽ improbas. Non ego cœpi ab exordio tecum loqui. Et si adhuc nosti quippiã quod loquẽdum sit, loquere. Adsunt enim uiri cordati qui audient, & probabunt uerba mea, & quicunq; uir sapiens est, is audire me nõ ducet indignũ. Iob autem conuincetur omnia inerudite dixisse, et absq; scientia, & uerba eius non aliqua eruditione prolata sunt: ideo non stabo ad illius sententiam, sed ad eorum iudicium, qui sapientiam profitentur & habent.

36 Pater mi, probetur Iob usque ad finẽ: ne desinas ab homine iniquitatis.

37 Qui addidit super peccata sua (præuaricationem) blasphemiã: inter nos interim conflingatur, & tunc ad iudicium prouocet sermonibus suis deum.

Opto autem & uolo, ut adhuc magis probetur Iob, ac tantisper adfligatur, ac sic in finem usq; corripiatur & doloribus exerceatur, donec agnoscat errorem suum, et resipiscat ab auersione sua, qua ad malignorum conditionem sese conuertit, ut fieret eis similis, etiam suam iniquitatem excusans, imò dominum blasphemando peccatum auxit, et blasphemias addidit blasphemijs, crimenq; admisit dei iudicia blasphemando, quod inter nos, nobis astantibus, & testibus, manu plaudendo commisit, sine cunctatione & reuerentia: ausus uerbis suis litigare cũ deo, & iudicia dei iusta calumniari, tanquam impia & iniqua, ac dei circa homines prouidẽtiam non credere, sed ridere more impiorum.

¶ CAPVT XXXV.

1 IGitur Eliu hæc rursum loquutus est,

2 Nũquid æqua uidet tua cogitatio, ut diceres, Iustior sum deo?

3 Dixisti enim, Nõ tibi (placerit) placet (quod rectum est) uel quid (mihi) tibi proderit, si ego peccauero?

Silente Iob, ad tam gloriosum disputatorem, ubi uerbis contẽtio in immensum crescere poterat, pergit Eliu proponere blasphemias Iob, dicens: Cogitaré ne iuste potes, & recte ac uere sentire, te multo iustiorẽ deo esse? Accusatio cõtra Iob. *Adseris enim te inique adfligi à deo, ut ipsum iniustitiæ accuses, quasi sis illo iustior. Dixisti enim: Quis poterit tibi comparari? quasi non iure sed potentia tecum agat, in qua neminem superiorem habeat, ut uiolenter uelut fortior agat nõ quæ debeat, sed quod posit, nemine prohibente. Dicis quoque: Quæ mihi utilitas occurret, si à peccato me custodierim? uel quomodo tibi prodero nisi peccem? in quem ostendes potentiam tuam, si nemo peccet? ut uidearis peccatorum pœnas de industria ambire, cupiens multum à me peccari, ut multipliciter punias. Dixisti enim, ô Iob, Si lotus fuero aquis niuis, &c. tamen sordibus intinges me: id est, iustitia mea & innocentia nihil mihi proderunt si nolueris.*

4 Itaq; ego respondebo sermonibus tuis, & amicis tuis tecum.

5 Suspice cœlum & intuere, & contẽplare æthera quod altior te sit.

6 Si peccaueris quid ei nocebis? & si multiplicatæ fuerint iniquitates tuæ, quid facies contra eum?

7 Porrò si iuste egeris, quid donabis ei, aut quid de manu tua accipiet?

Quia Deum falso calumniaris, iniuste punire iustos, ideo audi, ô Iob, & ego non solum tibi, sed etiam amicis tuis recta respondebo, Non indiget dominus nec peccato tuo nec iustitia. Altius est enim cœlum sedes dei, altiores sunt nubes Dei summi habitacula, pro hominum opinione, quàm ut possis impietate tua ipsum offendere, uel iustitia promouere. Pœnitẽtia & sacrificijs tuis non eget, nec recreatur, orationibus et pijs operibus tuis nihil illi proderis. Nihil igitur deo importat quæcunq; humana iustitia, nec ei quicquam obest omnium hominum Iustitia humana.

iniquitas, bonorum enim nostrorum non eget, & malis nostris non offenditur.

8 Homini qui similis tui est (*nocebit*) impietas tua: & filium hois (*adiuuabit*) iustitia tua.

Nobis autem & proximis nostris prodest, uel iustitia hominum, uel obest iniquitas. Sunt enim duo, fides & charitas, quibus deum colimus in bonum nostrum nõ illius: nihil enim fides nostra domino largitur, & charitas non deum sed proximum iuuat, quæ tamen uelut sibi relata à domino munerabitur.

9 Propter multitudinem calumniatorũ clamabunt: & eiulabunt propter uim brachij tyrannorum.

Tyrannis impiorum.

Propter nimiam uiolentiam & iniquitatẽ impiorum in hoc mundo deus non pro se clamat, nec illi noceri potest, sed homines oppressi & calumniam passi miserecq; tractati passim clamant & querulantur, et propter brachium robustum multorum tyrannorum eiulantur & conqueruntur miseri & imbecilles, qui um ui repellere non possunt. Si ergo deo quicquã officeret hominũ malitia, quomodo ferre posset tandiu tantam tyrannidẽ impiorum? Sed quia tyrannis non cessat, nec mox liberantur, ideo non curant tyranni deum, sed contẽnunt. Quia autem oppressi homines fide non clamant ad deũ, et non colunt ex animo factorem suum, & eius prouidentiam circa pios non credunt, ut Iob, uel crediã blasphemant, & indignantur iustitiæ dei, ideo non exaudiuntur, sed miseri sunt, quia summo bono minime fruuntur.

10 Et nõ dixit, Vbi est deus qui fecit me, qui dedit carmina in nocte?

Impius & sine fide afflictus homo, qualis est Iob, non confugit ad deum, non cogitat de bonitate uel prouidentia dei circa se, non quærit fauorem & gratiam creatoris sui, non petit ab illo auxilium uel solatium: qui tamen non dormit, neq; dormitat, qui omnium rerum curã gestat, dum omnia dormiunt nocte, ipse auiculas suscitat et canere iubet ac facit, hominumq; formidines tollit, consolatur noctu adflictos, & ad dei laudes & gratiarumactionem incitat pios.

Carmina nocturna.

11 Qui docet nos super iumenta terræ, & super uolucres cœli erudit nos.

Cuius perfectionem, potentiam & sapientiam docet nos ex consyderatione iumentorum & auium, imò super omnia animalia hominem exornauit, extulit beneficijs, & regimẽ dedit ut uteremur illorum opera & usu ad uoluntatem Dei & gloriam, ut ex omnibus discere-mus ipsorum & omnium aliorum creatorẽ, à quibus assurgere deberemus ad contemplationẽ bonitatis dei, & nostræ dignitatis, quos intellectu, ratione & immortalitate extulit super omnia.

12 Ibi clamabunt, & non exaudiet, propter superbiam malorum.

13 Non ergo frustra audiet deus, et omnipotens causas singulorum intuebitur.

Impiorum clamor.

Qui igitur dominum non agnoscunt & uenerantur, non mirum si in angoribus constituti, clament quidem, sed non exaudiantur, quærant sed nemo respondeat: præ

nimio enim fastu & contemptu dei, beneficia tanta illis præstita non agnoscunt, grati non sunt, ob superbiam et malignitatem ipsorum. Superbis autem deus resistit, & non exaudit orationes nisi humiliũ & contritorũ. Frustra igitur talis clamabit, dño non exaudiente: & omnipotente illos impios recusante. Non enim Deus respicit uana uota, & orationem sine fide.

14 Etiam cum dixeris, Non consideras: iudicare coram illo, & expecta eum.

Quanto magis si tu dixeris, ô Iob, Non intuetur me deus, non curat de me, non habet rerũ temporaliũ prouidentiam, non nostra cõsyderat, iniuste iudiciũ fit coram eo, tantam tuã blasphemiã nõ remittit sine iusto iudicio, quo te infidelitatis damnat. Vel, si ex fide dixeris & fatearis iustum illum esse iudicẽ, iudicium esse coram illo, nihil iniuste Deum agere, certe tunc sperare poteris in eum, ut statim illius auxilium & fauorem experiaris, et discas eum nequaquam negligere mortalia, sed esse uerum & iustum iudicem, esse autem expectandum, quia non festinet, sed in suum diem iudicanda uniuersa constituat, grauitateq; supplicij tarditatem compensaturum.

15 Nunc enim non infert furorem suũ, nec ulciscitur scelus ualde.

16 Ergo Iob frustra aperit os suum, & absq; scientia uerba multiplicat.

Non enim nunc pro magnitudine iræ suæ iustitiæ præuaricatores, nec iuxta exigentiam criminum & prauitatem impiorum, nec omnia uindicat, nec secundum amplitudinem bonorum operum hic semper pios remunerat, id enim nos credere oportere docet experientia, ideoq; satis ostenditur uane aperuisse Iobum os suum, dixisseq; deum non curare bona hominum facta uel mala, ac sine iudicio agere, sanctos scilicet & non impios tam dire tractando, quod hoc pro sapientia dei sanctissime ordinetur ad dei gloriam & profectum piorum, ut clare pateat Iobum inerudite & sine scientia diuinorũ multiplicasse uerba, perperamq; iudicasse de iustitia & bonitate diuina.

Visitatio, peccatorum

¶ CAPVT XXXVI.

1 ADdens quoque Eliu, hæc locutus est,

2 Sustine me paululum, & indicabo tibi: adhuc enim habeo quid pro deo loquar.

3 Repetam scientiã meã à (*longinquo*) principio, & operatorẽ meum probabo iustũ.

4 Vere enim absque mendacio sermones mei, & perfecta scientia probabitur tibi.

Nondum pro dignitate, inquit Eliu, iustitiam dei declaraui, repetã ergo altius, & ex operibus dei comprobabo eius iustitiã, uere & sine mendacio, ut reprehendere sermonem meũ non ualeas. Suffer adhuc paulisper, ut recenseam adhuc clarius & magnificentius opera dei magnifica, è quibus cognoscatur, deum quàm lõgissime abesse ab omni iniustitia, quam tu illi impingere ausus es.

5 Deus potentes nõ abijcit, cum & ipse sit potens (*corde*)

Sed

6 Sed non saluat impios, & iudicium pauperibus tribuit.

Pij deo curæ.

Non potest à domino sperni pius, cognatus scilicet & deo similis. Pares enim cũ paribus facillime congregantur. Impios autem abominatur iustus & magnificus dominus, qui uiribus & sapientia potens est, et cor habet, non fragile, sed robustum & firmum: durum quidem et seuerum impijs, quos non saluat, sed austere tractat, ut mereretur: unde iudicium dei iustum, irretractabile & uniuersale semper futurum creditum esse discimus etiã à quibusdam gentilibus: humilibus autem & mansuetis commodus esse solet, & in afflictionibus auxiliator & consolator.

7 Nõ auferet à iusto oculos suos, et reges in solio collocat in perpetuũ, & illi erigũtur.

8 Et si fuerint in catenis, & uinciantur funibus paupertatis,

9 Indicabit eis opera eorum & scelera eorum, quia uiolenti fuerint.

10 Reuelabit quoq; aurẽ eorũ, ut corripiat: & loquetur, ut reuertantur ab iniquitate.

Vide affinis dictum pio tranquillo.

Clementer intuetur oculis suis iustum. Quod si aliquando connueat ad ipsorum afflictiones, donec in extremam necessitatem uenerint, hoc ideo fit, ut ex desperatis periculis liberando, gloriam suæ liberationis celebriorem reddat, & ut uirtus perficiatur in infirmitate. Falso igitur accusas deum, quasi te pium auxilio suo destituerit. Si enim pius fueris, non derelinquet te. Ipse est enim qui reges iustos & principes, legis diuinæ & iustitiæ patronos subleuat in solium, & regnum confirmat à progenie in progeniem, eleuans eos maiestate, gloria & triumphis: impios autem è solio præcipitat, & in captiuitates relegat, & uinculis mancipat, ut peccatorũ suorum & hostium funibus irretiantur. Ibi ob oculos ponit illis ne ignorantiam prætexere possint crimina sua, & in subditos tyrannidẽ, et quos antea nec minis nec promissionibus potuit erudire et auertere ab impietate, eos uinculis & carceribus humiliat, donec cõuertantur, & clementiam dei mereantur, ut patet de Manasse, Nabuchodonosor & alijs.

11 Si audierint et (fecerint) obseruauerint, cõplebunt dies suos in bono, & annos suos in (iucunditatibus) gloria.

12 Si autem non audierint, transibunt per gladium, & consumentur in stultitia.

Reges & principes resipiscentes à suis sceleribus, & eruditionem domini suscipientes, propitium dominũ sentient, & indulgentem. Inueterascent dies eorum in bono, & anni eorum iucunditate: dominus enim eis benedicit, ut de Manasse legimus. Si uero nõ resipiscãt, quatur, eo longius ab eo recedant, gladio domini occidunmalis impiorum mos est, qui quo plus à domino percutiuntur, & inopinato pereunt, ut Pharao.

13 Simulatores (& callidi) prouocant irã (dei) nec; clamabunt cum uincti fuerint.

14 Morietur in pueritia tẽpestate anima eorum, & uita eorum inter effœminatos.

Hypocritæ in prosperis rebus tantum deo seruiunt ac confidunt, in aduersis derelinquuntur à deo, sicq; desperant, ut clamare ad deum nesciant, & non audeant, turpiter confusi, non secus atq; si inter fornicarios constitisset uita ipsorum, hoc est, inter morti deuotos & damnatos reponuntur à domino. Grauissimum hic sibi legũt sanctuli illi iudicium dei, qui sancti uideri cupiunt, cum tales non sint, etiam si sibi id persuadeant, qui de ignorantia se excusare non possunt, qui prodi se iniquos refugiunt, quia sancti haberi consueuerunt, qui & dum moriuntur sancti uideri desyderant. Iniquus simpliciter tam malus non est, qui in flagello non cunctatur se fateri quod est. Seruitus infidelis.

15 Eripiet de angustia sua pauperem, & reuelabit in tribulatione aurem eius.

16 Igit saluabit te de ore angusto latissime, & nõ habẽte fundamentũ subter se: requies autẽ mensæ tuæ erit plena pinguedine.

Consolatur dominus humiles, & eripit de ærumnis. Æque, ô Iob, si commodus fueris & humiliore sensu, non tam procaci in deũ, te quoque liberabit, de ea quam maximam pateris calamitate, familiari consolatione te in aurem consolabitur, & spem dabit certã salutis, quod est aurem reuelare hoc loco. Liberabit enim te de inferno, & de abysso perditionis, modo patienter manũ eius sustineas, & in fide inuoces illius gratiam. Cum quiete proponet tibi mensam, delitijs plenam, impleberis omnibus bonis dei, produces uitam tuam gaudio sancti spiritus, & pace conscientiæ. Humilium liberatio.

17 Causa tua quasi impij iudicata est, causam iudiciumq; (suffulcient) recipies.

18 Non te ergo (solicitet) superet ira (per complosionem) ut aliquem opprimas: nec multitudo (indulgentiæ) donorum inclinet te.

Cum tu Iob nunc in hac afflictione deum iniustitiæ accuses: sententiam impiorum confirmas, & opinionẽ de deo impiam tuo calculo comprobas ac suffulcis. Vel sic. Iudicium impij commeruisti, iudicium inquam & causam quam impij sustinent, quam neque impatientia tua uel quicunq; calor naturæ aut feruor malagmatis lenire, & mederi poterit, multitudo quoque indulgentiæ diuinæ tibi sufficere non poterit, si in tali contumacia contra deum perstiteris. Noli igitur deum iniustitiæ accusare, sed uide potius ne tu paulò infidelius diuitias tractaueris, ut propter earum amissionem nunc in deum blasphemes. Qui enim animo diuitias tenatius non complectuntur, leuius earum iacturã ferre possunt, dum tu graduatim nimis feras. Deus non iniustus.

19 Depone magnitudinem tuam (Num æstimabit opulentiã tuam) absque tribulatione, & omnes robustos fortitudine.

Falso existimasti tuam potentiam, & diuitias tibi in æternum duraturas fuisse, nulla admixta tribulatione. Nedum enim amplitudo tua, sed & omnium qui fortitudine fortunæ ualent, sine angustia diu subsistere possunt. Diuitias comitatur cura & solicitudo, regiam maiestatem insidiarum timor, uoluptatem tristitia. Nihil syn-

cerum & à cruce alienum in hoc sæculo.

20 Ne protrahas (*absorbeas*) noctem, ut ascendant populi (*locis suis*) pro eis.

21 Caue ne declines ad iniquitatem: hanc enim cœpisti sequi post miseriam.

Contra impatientiam. *Qui deum in aduersis blasphemant, & impatienter eius manum ferunt, impie agunt, noctes præ impatientia insomnes ducunt, ægre ferunt profectus aliorum, si quis è suo statu paulò fortunatior exaltetur, unde uanis suis cogitationibus distrahuntur, & pro una afflictione impatienter perpessa merentur multas sustinere. Non enim miser potes euadere iudicium domini, quod tibi in tempore decretum est: cura potius, ne ad iniquitatẽ uertaris, & prolabaris ex impatientia. Nam huc uidetur te nunc miseria & dolor impulisse, ut nõ nisi blasphemias in deũ ex ore spires & inuidias mediteris in proximos, quum crux piorum, cognitionem sui & dei & gratiarumactionem afferre debeat.*

22 Ecce, deus excelsus in fortitudine sua, & nullus ei similis in legislatoribus.

23 Quis poterit scrutari uias eius? aut quis audet ei dicere, Operatus es iniquitatem?

Deus non solum fortitudine sua magnus, sed etiã æquissimus legislator, doctor iniquus & iniustus iudex esse non potest, quum sit absolutissimum exemplar iustitiæ. Quis igitur is est, qui ipsum iniquitatis accuset, & calumnietur opera eius? qui dicere audet deo, Impie facis. Tu enim homo, ut Paulus inquit, quis es, qui ex aduerso respondeas deo? &c.

24 Memento ꝗd ignores opus eius: de quo cecinerunt uiri.

25 Omnes homines uident eũ, unusquisq; intuetur procul.

Rationes operũ dei. *Etiam si te deus nunc uideatur iniuste adfligere, ne tamen accuses eum iniquitatis, cuius quidem uidere possimus & sentire opera, at nondum rationem operũ eius & sapientiam intelligimus, id quod olim quoq; prudentes & doctissimi uates dixerunt. Omnis homo aspicit & uidet deum de longe, non prope. Habitat enim deus lucem inaccessibilem & in caligine ac nebula, & opera eius abscondita sunt, magis adoranda, laudanda & magnificanda, quàm discutienda uel temere iudicanda.*

26 Ecce deus magnus (*uincens scientiã nostram*) numerus annorum eius inæstimabilis.

Deus optimus est, & maximus, & numerus annorum eius imperuestigabilis, quia sine principio & fine, æternus, nulla ratione comprehensibilis: eum tamen utcũq; opera eius declarant, sed ita ut partim ueluti per transennam ostendatur, partim abscondatur, ut sciamus, deũ aliquantum esse, sed quantus sit operibus inuoluit. Magis intelligere possumus quid non sit, & ex actibus maiestatem admirari, quàm quid in substantia sit, quæ est abyssus omniũ perfectionũ & chaos infinitũ bonitatis.

27 Qui aufert stillas pluuiæ, & effundit imbres ad instar gurgitum (*fontium.*)

28 Qui de nubibus fluunt, quæ (*irrorant super hominem multum*) prætexunt cuncta desuper.

E pluuia cognoscitur utcunq; dei potentia, qui mirabiliter pluuiam ex guttis operatur: exhalante enim humido uapore in aëra ex terra, deinde in sublimibus cogitur in nubem, et distillatur, unde cõcocta effunditur per stillas super terrã & super homines. Operit enim deus cœlum nubibus, & parat terræ pluuiam. Potẽtia dei.

29 Si (*nouerit*) uoluerit extendere nubes (*eleuationes*) quasi tentorium suum.

30 Et fulgurare lumine suo desuper, cardines (*radices*) quoque maris operiet.

Post pluuiam adducit Dominus serenitatem, quæ & ipsa mirabiliter fit hoc ordine, secundum naturales & priscos quoque sapientes etiam fidelium. Primùm dispergit deus nubem uento, & aufert eas, ne obducant & abscondant cœlum: sunt enim nubes cœli tegumentum. Deinde expandit lumen solis super uniuersum orbem, terram & mare, è quo potissimum per exhalationes generantur nubes: unde mare hoc loco uel littus maris nubium radix dicitur.

31 Per hæc enim iudicat populos, & dat escas multis mortalibus. Benedictio domini.

Si quando dominus populum suum benedicere uolet, his ueluti instrumentis bonitatis suæ, pluuia, serenitate, & siccitate consulit illis, ut omnia proficiant ad fertilitatem, & fructus terræ aptissime producendos. Dat enim pluuiam matutinam & serotinam, ut uaria ciborum genera animalibus & hominibus crescant. Malorum uero perfidos, facit cœlum æneum ne pluat, & terram ferream ne frumenta producat, ut homines fame pereant. Quin & omnibus istis dotibus homo abuti potest, ut quum maxime prodesse uideantur, plurimum noceant.

32 In manibus abscondit lucem, & præcipit ei ut (*subito*) rursus adueniat.

Vtcunq; deo placuerit ita operatur, nunc enim nubibus cœlum obducit: ut quodammodo manu sua uideatur splendorem tegere, nunc rursus præcipit soli ut expandat lumen suum, & suo nos splendore illuminet, subito dum non sperabatur.

33 Annuntiat de ea amico suo, quod possessio eius sit, & ad eam possit ascendere.

Frigus & calor mutua se uicissitudine exercent ac suscipiunt, & aëreas causant iuxta domini uoluntatẽ impressiones, tonitrua, fulgura, coruscationes & grandines, quibus homines terrentur & puniuntur si impie uixerint, uel etiam promouentur. Adutrunq; enim dominus æque illis utitur, ad fructum, salutem & consolationem piorum, & ad perniciem, terrorem & incommodum impiorum. Sunt enim diuitiæ & possessiones domini, de quibus profert pijs felicia dona, & pariter dominus postulat, infelicia impijs.

CAPVT XXXVII.

1 SVper hoc expauit cor meum, & emotum est de loco suo.

2 Audite auditionem in terrore uocis eius, & sonũ de ore illius procedentem.

Subter

3 Subter omnes cœlos ipſe conſyderat, & lumen illius ſuper terminos terræ.

4 Poſt eũ rugiet ſonitus, tonabit uoce magnitudinis ſuę, & non inueſtigabitur, cum audita fuerit uox eius.

5 Tonabit Deus in uoce ſua mirabiliter, qui facit magna & inſcrutabilia.

Operũ dei ex operib. Eius.

Pergit Eliu ex operibus Dei ſapientiam & maieſtatem illius commonſtrare. Quoties mihi, inquit, diuinæ maieſtatis abyſſus in mentem uenerit, expaueſcit cor meum, uſque adeò, ut non ſit ſui capax uel compos, ſed concutiatur. Primum, è cœlo tonitrui ſtrepitus, qui eſt uelut uox omnipotentis dei, & boatus oris eius. Deinde fulgur emicat & coruſcatio ſubter omne cœlum, ad fines terræ, omnia ſubitaneo ſplendore illuminans, quæ nemo uel effugere poßit uel cohibere: ex quibus dei potentia cognoſcitur & timetur. Ordine quidem communi operatur hæc deus in orbe & naturalia habentur, alia præter naturæ ordinem generalem, quaſi ſpeciali dei nutu fiunt, quæ & miracula dicuntur, magis noſtro ſenſu quàm facti ratione, utrobique enim eſt par dei potentia & uirtus dei. Ad longum autem hæc dei magnificæ opera exponuntur. Tonitruum enim omnes homines perterrefacit, qui audiunt cum horrore fragorem uocis ſuæ: cum ſcilicet ſonus eximius et terribilis, quaſi de ore dei egreditur: cuius imperium & uim immenſam ac admirabilem cuncta quæ ſub cœlo ſunt ſentiunt, & fulgore coruſcationis terram omnem, ut apparet, illuminat: cuius lumen rugiens uox ſequitur, ad iudiciũ humanum, quod ubiq; ſcriptura ſectatur. Antè enim fulgur fit q̃ tonitruũ, nos autem citius uidemus quàm audiamus. Intonat autem uoce ſua magnifica & terrifica, quam nemo etiam dum audit deprehendere uel remorari poteſt. Horrendum intonat, cum deus uocem ſuam exerit, & magna multa ſæpe facit, quorum rationem & opus non cognoſcimus.

Tonitruũ.

6 Qui præcipit niui ut deſcẽdat ſuper terrã, et hyemis pluuias, et imbri fortitudinis ſuę

Niues à domino.

Dominus uerbo ſuo & uoluntate producit niues, pluuias, imbrem, glaciem & ſpiritus procellarũ ſuper terram, & ipſarũ rerum uim, & opera ſuo nutu diſpenſat, ſuo quoq; ordine producẽda proceſſu naturæ, quem indidit illis deus, quem & ſeruant, domino obediendo. Niues enim & pluuia fiunt ex humido uapore eleuato in aërem, ubi & per frigus denſatur in nubes, deinde in niues & pluuias, ut iterum delabatur reſoluitur: ſicut de ſtomacho uapores in caput aſcendẽtes, ob cerebri frigus in nubeculas denſantur, & in aquam reſoluti fluxus generant. Quæ omnia, opera quidem dei ſunt, ſed ordine naturali producta.

7 Qui in manu omnium hominũ ſignat, ut nouerint ſinguli opera ſua.

Inclinationes dei naturæ.

Diuinæ prouidentiæ opus eſt, ut omnes homines intelligant opera manuum ſuarum, ut quiſq; ſuum ingenium experiatur ad ſuum opus in uita exercendum. Videmus enim inclinationes ſingulas adeſſe hominibus ſingulis, ut uarie ad operas ſuas, ueluti nati & ordinati uideantur, ad terram, metalla, aquas, ligna, lapides, ignẽ, & cætera diſquirenda. Iudæi quidam hunc uerſum de chiromanticis lineis in manu hominis exponunt.

8 Ingredietur beſtia latibulum, & in antro ſuo morabitur.

Beſtiæ quoq; norunt ſua latibula, ubi cum conſorte recumbant, ut ædant fœtus ſuos, & ſeſe pro uiribus tueantur ab inſidijs hoſtiũ, quos natura inſtigante ſentiunt et exhorrent, fragorẽ quoq; tonitruorũ expaueſcunt, & domini maieſtatem agendo & patiendo teſtantur.

9 Ab interioribus egredietur tempeſtas, & ab arcturo frigus.

10 Flante deo concreſcit gelu, & rurſum latiſſime funduntur aquæ.

Tẽpeſtates à domino.

Habent tempeſtates fluctuũ et uentorum ſua latibula, undè domino iubente prodeunt ad concutiendum aquas & terreſtria, & ad diſpergendũ frigus, uel ingerendo uel auferendo ſecundũ ordinẽ prouidentiæ dei, ſuis temporibus, locis & cauſis nutu dei diſpoſitis. Flatu quoq; dei, qui ſpiracula uentus dicuntur, cõgelantur in hyeme & frigoribus aquæ, & coguntur in glaciem, etiam latitudinem ipſam aquarum condenſant mirabili opificio dei. Eodem uero uento ſuo tempore aliunde aſpirante, iterum reſoluuntur & diffunduntur aquæ.

11 Frumentũ deſyderat (etiam per irrigationem conabitur uel fatigabit) nubes, & nubes ſparguntlumen ſuum.

Etiam per irrigationẽ collaborabit & cooperabitur nubes terræ naſcentibus. Lumen quoq; ſolis & aëris nubem diſpellit, & reſtituit ſuo tempore ſerenitatẽ. Nunc enim ſolis lumen nube abſconditur, nunc rurſus fulget et promouet irrigata.

12 Quæ luſtrant per circumitum quocũq; eas uoluntas gubernantis duxerit, ad omne q̃d præcepit illis ſup faciẽ orbis terrarũ,

13 Siue in (flagellum) una tribu, ſiue in terra ſua, ſiue in (beneficentia inueniet eum) quocũq; loco miſericordię ſuæ eas iuſſerit inueniri.

Voluntas dei in rebus

Vertit & reuertit, ducit ac reducit deus omnipotens prouidẽtia ſua & uniuerſali regimine ac magiſterio ſuo nubes & uentos, ad opera ſua, nemine prohibente, cui & ſponte obſequuntur per omnia, ad terræ fœcundationem, & ad ſuſtentationem eorum quæ de terra uiuunt. His quidem iuxta iuſtitiam ſuam afflictiones immittendo, pluuiam retinendo, & aërem corrumpendo: alijs uero iuxta liberalitatem diuinam beneficia conferendo, dando ſerotinum imbrem ac temporaneum. Sunt enim nubes & uenti diuinæ iræ & miſericordiæ inſtrumenta, ad homines impios uel fideles.

14 Auſculta hæc Iob: ſta & conſydera mirabilia dei.

Quanquam hæc omnia uideantur hominibus communi naturæ curſu fieri, omnium tamen eorum omnipotens author eſt dominus, & ſunt mirabilia dei. Vt ergo hæc cuncta intelligas, aures tibi arrigendæ ſunt fidei, & intellectus accommodandus, ut penetrare poßis mirabilia Dei. Iactabundior is Eliu uidetur ex uerbis, quæ

tamen poëtica magis elegantia, quàm ſtulta iactantia appoſita intelligantur.

15 Nunquid ſcis quando præcepit deus (ſuper eis) pluuijs, ut oſtenderēt lucem nubiū eius?

16 Nunquid noſti (*apertiones uel fremitus*) ſemitas nubium (*mirabilia dei qui perfectus eſt in ſcientijs*) magnas, & perfectas ſcientias?

Deus omnia gubernat.

Túne conſiliarius dei fuiſti, ut ſcias quando nubes ſuas circumgyraturus ſit? aut quando gentes & regiones fœcūditate benedicturus, ac ſterilitate maledicturus, iridem producturus & ad quem finem? Egebitne præceptore deus, qui præſcribat ei quando lumen ſolis producēdum ſit? quādo pellendæ nubes iam huc iam illuc? Non enim fieri poteſt, quin mundi ſapientes fruſtrentur ſuis cogitationibus, propterea quod diuina opera humano tamū captu non fide tractent. Non ergo debet iniuſtitiæ accuſari deus, ſi non continuo rationem operū eius aſſequantur homines, qui ne ſuas quidem cogitationes, ne dicam opera, habeant in ſuo arbitrio.

17 Nónne ueſtimenta tua calida ſunt, cum perflata fuerit terra auſtro?

Non mirum ſi dei miracula ignores, qui nec minimum illud opus dei intelligas, quo tibi ueſtimenta tua exiccentur, et calida fiant, cū quieuerit pluuioſus ille auſter uentus meridionalis, quē ſicut & alios omnes mirabili conſilio ſuo dominus moderatur.

18 Tu forſitan cum eo fabricatus es cœlos, qui ſolidiſſimi quaſi ære fuſi ſunt.

Túne ille gigas es, qui deum iuuerit, quando expandebat æthera, quando cireulū conſtituebat abyſſo, quando nubes certa lege diſponebat, & cœlos robuſtiſſima ſoliditate perennabat, ut uideretur firmamentum illud quaſi ſolido ære fuſum, ſpeculum eſſe clariſſimum & mundiſſimum.

19 Oſtēde nobis quid dicamus illi: nos quippe inuoluimur tenebris (*non idonei ſumus à facie tenebrarum.*)

Iudicia dei iuſta.

Si tantus uir es, quantum te oſtentas, dum audes aduerſus dei iudicium contendere, oſtende nobis & doce gubernationis diuinæ rationē, in his rebus naturalibus, quid deo reſpondendum ſit, cum à nobis ſuorū operum rationem poſtulabit, qui pro imbecillitate intellectus noſtri non poſſumus tantas diuinæ maieſtatis tenebras penetrare, multo minus ipſius iudicia iniuſtitiæ arguere conuenit, ſed magis, ut totos nos illius uoluntati & gratiæ cōmittamus, et de eius operibus nihil murmuremus.

20 Quis narrabit ei quæ loquor? etiam ſi loquutus fuerit homo, deuorabitur.

Inenarrabilia opera dei.

Nullus mortalium ad deum penetrare poteſt nebulam inhabitantem inacceßibilem, proinde nec uerba mea coram eo recenſebuntur. Altior enim deus eſt, quàm ut humana uerba ad eum aſcēdere poßint, & fragiliora ſunt hominum uerba, quàm ut in tantam altitudinem, in qua deus habitat, peruenire queant. Sileat ergo à facie domini omnis terra, qui uero contra illius iudicia loquetur, & reſiſtere illius ordini præſumpſerit, is à gloria diuinæ maieſtatis deuorabitur, & inæternum peribit.

21 At nunc non uidēt lucē: ſubito aer cogetur in nubes, & uētus trāſiens fugabit eas.

Lucis ſplendidiſſimæ.

Verum lumen, quod deus eſt, non poteſt uideri, nec oſtendit ſe oculis carnalium, ſolis quoq; ipſum iubar non omnes uidere & intueri poſſunt, quod ille purißimum et clarum ſemper ſeruat, ſupra nubes in æthere claro: quas nubes dum illi placet rurſus uēto miſſo repurgat et diſpellit, aëremq; illuſtrat, & ſerenum facit. Quæ omnia ſpectacula ſunt, è quibus pius animus ad laudem dei aſſurgere debet, ut ex diuinis operibus deum uerum agnoſcat atq; glorificet.

22 Ab aquilone aurum uenit, & ad deū formidoloſa laudatio.

A plaga Boreali Boreas uenit, ſerenitatum author et gaudij, quæ auri nomine deſignantur ab exhilaratione hominum, ut quoties poſt nubila lucem aſſpexerint, deū glorificare & laudare incipiant, qui terribilis & laudabilis nobis eſt, ex aëris ſerenitate uel tempeſtatibus, ex craßißimis nebulis & caligine ac ſplendido ſole.

23 Digne eū (*omnipotemē*) inuenire non poſſumus: magnō fortitudine, et iudicio, et iuſtitia, & enarrari nō poteſt (*non reſpondebit.*)

Incomprehenſibilis.

Vtcunque nobis dei opera obuia ſint, ipſe tamen incomprehēſibilis eſt, & ratione humana inueſtigari con benitur *poteſt. Potentior eſt enim robore, quàm ut impediri poßint ipſius inſtituta, & iuſtius iudicium, quàm ut accuſandū ſit ab hominibus. Maior illius gratia & beneficentia eſt, quàm ut demereri poſſit. Fauor & beneficia illius ampliora ſunt, quàm ut digne laudetur. Nemo illius iudicijs uel beneficijs reſpondere poteſt: multo minus in ius uocari debet, ut reſpondeat accuſationi hominū, quod tu impudēter agere præſumpſiſti, ô Iob.*

24 Ideo timebunt eum uiri, & non audebūt contemplari omnes qui ſibi uidentur eſſe ſapientes.

Deo ſolus timendus & tremendus, ante quem omnes creaturæ genua flectunt, & dominum ſuum agnoſcunt: ipſe uero nullos quatumuis ſapientes & ſanctos timet. Proinde oportet quanto quis ſapientior eſt, tanto reuerentius de deo loqui & ſentire debet, & captiuum exhibere intellectum, in obſequium fidei & pietatis, nihil pro temeritate iudicare de operibus Dei, uel effutire, multo minus blaſphemare ſanctum ſanctorum. Hæc eſt enim uera ſapientia, timere deum & adorare, eiusq; uoluntatem amplecti per omnia.

Longe ab eo.

¶ CAPVT XXXVIII.

1 REſpōdens autem dominus Iob de turbine, dixit:

Diſputauerant tam Iob quàm amici eius tres, & ipſe Eliu, multa de prouidētia dei, & de ratione diuinorum iudiciorum, de ſapientia, bonitate & omnipotentia dei, non pauca omnes immiſcuerant, & non parum iactauerant eruditionem ſuam humanam, quod & ſibijpſis & alijs doctiſſimi uiderentur. Et diu certando uerbis parum profecerant, oſtentatores doctrinæ

Disputatos diu iactauit.

doctrinæ magis quàm ueræ sapientiæ consummati doctores. Ideo nunc introducitur dominus per angelum suum loquens ad Iob, nõ solum de ipsius sermonibus, sed etiam de amicorum sententijs, omnes simul ut unum alloquendo, quia nullus ex illis non in aliquo sermone defecerat. Et de inenarrabili sapientia dei minus uel reuerenter uel etiam sufficienter loquuti fuerant. Omnes ergo pariter affatur dominus, ostẽdens parua admodum esse & pauca, quæ de dei potentia & sapientia in administratione creaturarũ omnium dixissent, esseq; longe tenuiorem capacitatem intellectus humani, & infantiorẽ linguam, quàm ut perfectio diuinorũ operũ, et creaturarũ mirabiles operationes & naturæ intelligi uel explicari possint. Vt intelligant huius sæculi sapientes, diuinã sapientiam & uirtutẽ magis fide admirabilem, quàm uerbis explicabilem esse. Loquitur autem de turbine dominus, qui terrore simul cum uerbis falsas de deo hominũ doctrinas & definitiones temerarias corrigere uolebat & reprehendere.

2 Quis est iste (obtenebrans consilium) inuoluẽs sententias sermonibus imperitis?

Videtur dominus pro Iob tacente locutus de reliquis, qui diu & multa dixerant, & ueras sententias aliquando inuolutioribus sermonibus obscurauerãt magis quàm explicauerant. Nec de solo Iob, nec de solo Eliu hæc dicta necessario capiuntur, sed de tota illa disputatione, inter quos Iob rationabilior loquutus fuerat, ut patet, nec tamen sine offensa in uerbo deprehensus erat, quam & humiliter postea deprecabatur.

3 Accinge sicut uir lumbos tuos, interrogabo te, & (doce me) responde mihi.

Præparate ô auditor, quisquis ille es, qui hactenus uerba contendendo protulisti, & paratus adsis, & ad responsionem de obijciendis tete accinge uiriliter: omnibus enim neruis ingenij & eloquentiæ opus erit, si dño de omnibus reddere rationẽ uolueris. Interrogabo ego te eorum more, qui discere cupiũt & audire quæ rationem dicta sint, quæ probari non possunt.

4 Vbi eras quando ponebam fundamẽta terræ? indica (mihi) si habes intelligentiam.

Stultum homini est, fragili creaturæ de omnium creatoris perfectionibus inquisitionem tentare, & potentiã conditoris omnium perscrutari, qui ante omnia fuit, & pro sapientia sua æterna mundum totum condidit, fundamentumq; ei posuisse uisus est terram, ut in quolibet ædificio primo fundamentum iacitur, cui innutantur & insistãt omnia quæ cõstituũtur. Hoc mũdi fundamentum Deus solus, & sine auxilio adiutoris creaturæ solo suo uerbo primũ posuit. Huius operis magnitudinẽ ut nemo uidit, sic explicari à nullo potest. Rationem huius admirabilis causæ intelligere intellectus humanus nõ potest.

Mundi fundamentum.

5 Quis posuit mensuras eius si nosti? uel quis tetendit super eam lineam?

Molis mundi.

Rationem mensuræ & molis nemo comprehendere certo nouit, quia nullus perpẽdiculo suo mensurauit opificiũ terræ, multo minus aquas & æthera uel ipsa astra. Solus deus omnipotens est, qui sine consilio & auxilio terram creauit in mensura, numero, pondere & stabilitate, sibi soli per omnia & exacte nota. Habet quidem humana ratio suas experiẽtias & numeros, sed sine certitudine ab aliquo comprobata. Constat circuli proportio ad suos diametros et diuisionũ particulas, unde astris mediantibus concludi possit terræ & cœlorum amplitudo, sed nemo rei certitudinem sine fidei alicuius ratione persuadebit. Et in tota scriptura simplicitas laica maioris intelligentiæ semitas inueniet, quàm nasuta curiositas. Plebi & ecclesiæ piorum ac simpliciũ spiritus scripturæ loquitur, non humana prudentia turgidis, & sibijpsis sapientibus uisis.

Circuli proportio.

6 Super quo bases illius solidatæ sunt? aut quis dimisit lapidem angularem eius,

Columnas uel bases eius terræ defixit, hoc est, manu sua quasi columna terram sustinet, ne in aquas demergatur. Natura enim sua terra mediũ mundi centrum appetit, sed potenti manu dei ex aquis eleuata est, ut appareret terra arida supra aquas, ad habitationẽ animalium. Lapis uero angularis cui omnis structura innititur, Centrum est mundi, ad quod omnia grauia certatim conantur pertingere, à quo leuia aufugiunt sursum. Quis autẽ hæc omnia facientis potentiam & sapientiam explicet, & in suo opere erroris conuincat uel iniustitiæ? Fieri quidem potest, ut aliquis non impius affligatur, non tamen fit ut dominus iniuste affligat: sicut & impius affligi potest iuste ab eo qui impie afflixit, ut Israelitæ à Chaldæis.

Terræ fundamentum.

7 Cum (me) laudarẽt simul astra matutina, & iubilarent omnes filij dei?

Nemo affuit uel adiuuit cum astra cõderet, quibus matutia & uespertina, diurna & nocturna tempora exornarentur, cum angelos, naturas intellectuales & spirituales crearet ad gloriam suam, et salutem filiorum dei, ut ab illis sine fine dominus laudaretur. Omnia enim ad prædicandũ gloriã dei creata sunt. Vt enim aues canu, stellæ splendore suo, sic angeli incessabili uoce creatorem mundi collaudant & celebrant.

8 Quis conclusit ostijs mare, quãdo erumpebat quasi de uulua procedens,

9 Cum ponerem nubem uestimentũ eius, & caligine illud quasi pannis infantiæ obuoluerem?

10 Circundedi illud terminis meis, & posui uectem & ostia,

11 Et dixi, Vsq; huc uenies, & non procedes amplius, & hic confringes tumentes fluctus tuos.

Erat ab initio tam terra quàm mare tanquam uestimento inuoluta tenebris & caligine: deinde uero quum aquæ cœlestes fuissent diuisæ ab aquis sub cœlo, congregauit dominus mare seu aquas in unum locum, & conclusit eas suis terminis & ripis, ne latius erũpant quàm à dño fuerit mandatũ, cum diceret, Congregentur aquæ sub cœlo in unũ locũ. Hoc enim uerbo conclusit fluctus marinos, ut sequitur, Posui uectẽ & ostia, & dixi, Vsq; huc uenies: hoc est, Dominus mandauit mari, ne ultra

Aquarum creatura.

progrediatur quàm cõcessum est, quo mãdato tanquam uecte & freno continetur, ne pro natura sua totam terram inundet. Sunt & calamitatibus à deo ordinati limites, quia non sinit nos Dominus tentari supra id quod ferre possumus.

12 Nunquid post ortum tuũ præcepisti diluculo, & ostendisti auroræ locũ suũ?

Tẽporis miraculum. Sunt & mane & aurora mirabilia opera dei, nisi assuetudine stolidis uiluissent, quæ secundum tempora mutantur & loca ex ordinatione dei, primo & semel decreta, nunquam legem mutantia. Omnia autem ex infinita sapientia dei, ad constitutionem temporum anni, et fœcunditatẽ rerũ producendarũ opportunißima. Tuus est dies, & tua est nox, tu fabricatus es auroram ac solem.

13 Et tenuisti cõcutiens extrema terræ, & excussisti impios ex ea?

14 Restituetur (conuertes) ut lutum signaculũ, & stabit sicut uestimentum.

15 Auferetur ab impijs lux sua, & brachiũ excelsum confringetur.

Orbis in manu dei. Complectitur deus, & uelut in ora uestimenti & in alis pallij tenet orbem terrarũ, ut dum illi uisum fuerit, impios in ea excutiat & excindat, nunc diluuio, nunc incendio, nunc deuastatione improborũ, & id genus malis: unde & sequitur: Subuertisti uelut lutũ signaculum, ut subito non compareat, securitatẽ scilicet impiorum, qua ueluti sigillo obsignati sibi uidentur, dicentes, Percußimus fœdus cum morte, & pactũ cum inferno fecimus. Confunduntur enim impij in sua confidentia, & sicut uestimentũ statuũtur computrescendo & pereundo per uetustatem, dum repentino interitu aufertur ab eis lumen & felicitas, & fastus arrogans conteritur & præcipitatur, dum luce absterrentur ab improbitatibus & manu infirmantur iudicio dñi, ne tantum mali possint ut uellent.

16 Nunquid ingressus es profundũ maris, & in nouissimis abyssi deambulasti?

Solus deus omnia scrutatur, nihil ei est inuium, nõ tam profunda est abyssus, ut ipsum in ea quippiam lateat, & ubi in ea non deambulet. Est enim deus omnia in omnibus, omnia implens. Qua autem ratione quibusq; modis id fiat, mens hominis non assequitur, non explorare potest, multo minus accusare illius ordinem debet.

17 Nunquid apertæ sunt tibi portæ mortis, & ostia tenebrosa uidisti?

Mors horrenda. Mors quidẽ omnium rerum obscurißima & maxime horrenda habetur, undiq; quasi conclusa caligine, dño tamẽ semper clarißime nota, quãto magis corda hominũ nouit? ipsa autẽ nihil nisi dño instruente. Si igitur nemo sine suo malo portas noctis ingreditur sine lumine, quomodo quis ingredi posset abyssum diuinæ iustitiæ?

18 Nunquid consyderasti latitudines terræ? indica mihi si nosti omnia,

Altitudinem cœli, latitudinem terræ, & profundum abyßi quis dimensus est? tam si nullus hominum dimetiri poterit corporalia & uisibilia, quanto minus dei sapientiam & iustitiam perscrutari?

19 In qua uia lux habitet, & tenebrarũ quis locus sit,

20 Vt ducas unũquodq; ad terminos suos, & intelligas semitas domus eius.

Quis unquã tam sapiens fuit, qui ratione exploraverit, unde, è qua domo, è quibus regionibus uenãt ad nos alternis temporibus lux & tenebræ, & quò rursus abeant? Solus enim dominus lumen adducit, & semitas illius intelligit: simplicitas autem rationis & fidei necessaria in his rebus satis comprehendit, curiositas autem superuacue laborat, & tandem fidei tantũ subsidio quietatur, dei gloriam ac sapientiam admiratur & colit.

21 Sciebas tũc quod nasciturus esses? & numerum dierũ tuorum (multorũ) noueras?

Natiuitas hominis. Solus dominus hominem nasci dat, qui ante mundi constitutionem prænouerat nascituros. Nascimur autem nonnisi plane inscijs & otiosis, ideo non sine magno beneficio dei nobis contigit ignorantia æui nostri. Vt autem in productione nostra tunc propinquißimus nobis fuit dominus, quum nihil minus cognosceremus: ita in afflictionibus tunc nobis proximus est, cum longißime abesse uidetur.

22 Nũquid ingressus es thesauros niuis, aut thesauros grandinis aspexisti,

23 Quæ præparaui in tẽpus hostis, in diem pugnæ & belli?

Grãdo dei instrumentum. Nemo potest ascendere in sublime, ubi niues & grandines generantur: quis igitur cœlum ipsum conscendet, ad dei iustitiam discutiendã? Est autem grando iræ dei in idololatriã, Exod. 9. & Iosue. 10. Ipsam ergo abscondit ad tempus angustiarum, reseruat ad puniendam impios, et nonnunquã utitur illis dominus in stratagematis suis. Multo enim sub Iosue plures mortui erãt lapidibus grandinis, quàm quos gladio percusserant filij Israel.

24 Per quam uiam spargitur lux, diuiditur æstus super terram?

25 Quis dedit uehemẽtissimo imbri cursum & uiam sonantis tonitrui,

26 Vt plueret super terram absq; homine in deserto ubi nullus mortaliũ cõmoratur,

27 Vt impleret inuiam & desolatam, & produceret herbas uirentes?

Natura fœcunda. Lux, uenti, aquarum cursus, & fontes, tonitrua, terrores, imbres & pluuiæ deserta irrigãtes, & florẽ generãtes, dominare facientes, habent hæc omnia ordinatas à domino suas semitas, quibus ad nos feruntur, ut suis fungãtur muniijs domino obsequẽdo, quas quis hominũ inuestigauerit uel explicauerit?

28 Quis est pluuiæ pater? uel quis genuit stillas roris?

29 De cuius utero egressa est glacies? & gelu de cœlo quis genuit?

Pluuia, ros, pruina, & glacies qua aquæ quasi in lapidem coguntur, & quæ usq; ad profunditatem fluminum penetrant, non ab homine, nec ab ulla creatura fiunt, sed à domino. Simpliciter autem hunc locum intelligas

telligas, quum dicitur: Deus est pluuiæ pater, peperit guttas roris, pruinam generauit, de eius utero egressa est glacies. Hi sunt idiotismi Hebraici, & ut capi possint intelligendi, quod nihil aliud est, quàm Deus creat & dat pluuiam, guttas, rorem, pruinam, & facit glaciem. Ne ea ab alio quàm à deo uel postulare audeamus, uel affligi credamus, ne quoque ethnicorum more priores deos singulis affingamus, & creaturam pro domino colamus.

Idiotismi Hebraici.

30 In similitudinem lapidis aquę durantur, & superficies abyssi constringitur.

Sic aquæ in glaciem frigore indurescit, ut crystallum putes: siue glacies ita tegit aquas sub se nondum congelatas, ut uideantur quasi sub lapidibus absconditæ. Præterea non in superficie solum aquarum concrescit glacies, sed congelantur etiam usq; ad imas fluminum profunditates, quod hic ait: Comprehendit facies abyssi.

31 Nunquid coniungere ualebis micantes stellas Pleiades, aut gyrum arcturi poteris dissipare?

32 Nunquid producis luciferum in tempore suo, & uesperum super filios terræ consurgere facis?

33 Nũquid nosti ordinem cœli, & pones rationem eius in terra?

Quod ego creator omniũ & cœli exornator uarijs constellationibus semel statui in cœlestibus, nemo cassare uel mutare potest. Ego succulas septem stellulas, pleiades uel uergilias, quas gallinam uocant cum pullis, composui in signum Tauri quod uocãt: & quis est qui illas uel ad latum unguem seiungere potest? Et quis arcturi sydera prope polum articum uisui nostro semper patentia, in aliũ situm cõstituet quàm ego illis ab initio decreuit? Num poteris, ô homo, quamlibet sapiens & potens, planetas reliquos & signa Zodiaci ad alium motum ac ortum uel occasum cogere, quàm sit is, quem mc præcipiente obseruant? Num uesperum stellam uel canopum, aut aliam quamcunque cum appendicibus & socijs suis stellis ad eandem constellationem pertinentibus, quiescere facies à suo motu uel actione? In summa. Nemo nouit cœlorum & astrorum statuta & influctias, nisi qui condidit: & ut putent homines se quædam didicisse, nihil tamen præcipere possunt.

Pleiades.

34 Nũquid eleuabis ad nebulam uocẽ tuã, & impetus aquarum operiet te?

Num ædere potes uocem tam immanem, quæ audiatur in nubibus, ut ego tonitruum ædo, ut quàm latissime audiatur? esto bombardis, dæmonum inuentis, nõ hominũ, horror insignis producatur, & tumultus in remotis locis, sed collata ad tonitrua uix sibilus sunt. Et pluuiam de cœlo prouocare etiam minimam non potes in caput uti incidat tuum. Hæc omnia dei opera sunt, et iustitiæ diuinæ instrumenta ad solatiũ piorũ, & pœnas improborũ.

Vocei ins mitis.

35 Nunquid mittes fulgura, & ibunt: & (re uertentia) dicent tibi, Assumus?

Eiusdem omnipotentiæ est fulgura excitare, quod omnibus humana imbecillitas admirari duntaxat potest, efficere non potest. Nam etiam si homo fulguri quippiam præcipiat, non tamen emicat, etiam si simul omnes id cupiant homines: ad iussum autem dei mox præsto est, & mandatum exequitur.

Fulgurum opus.

36 Quis posuit in uisceribus (hominis) sapientiã? uel qs dedit (cerebro) gallo intelligentiã?

Homo cum brutis si externos sensus respicias utcunq; conuenit, longe autem excellit, si rationem, sapientiam, aliasq; animi dotes consyderaueris. Posuit enim deus sapientiam in hominis abscondito, in corde intellectũ & cerebro, quæ sunt egregia domini dona, sed ad suas non alienas functiones deputata. Nam ut inter corporis membra unumquodq; suũ habet munus ab alieno abstinens: ita animæ dotes sua habent munera, inter quæ potentia imaginatiua cerebri, organum sensus communis est, ne cessario præuium naturali intelligentiæ.

Dotes animæ.

37 Quis enarrabit cœlorum rationẽ, & concentum cœli quis dormire faciet?

38 Quando fundabatur puluis in terra, & glebæ compingebantur?

Dominus est qui pro uoto suo nubes cogit & ordinat, quomodo per sapientiam suam illi placet. Inter homines uero nullus reperitur, qui possit aut cogere aut concludere cœli lagenas, quæ sunt nubes, ne aquam effundant, postquam terra satis fuerit compluta, & glebæ eius sufficienter pluuiarum guttulis compactæ sunt, sed uelimus nolimus pluuiæ etiam ingratis defluunt uel remorantur.

Nubium usus.

CAPVT XXXIX.

1 NVnquid capies leænæ prædã, & animã catulorũ eius implebis,

2 Quando cubãt in antris, & in in specubus insidiantur?

A bestijs terræ et uolatilibus cœli consequenter ostendit sapientiam dei, & ignorantiam hominum, quo minus dei iudicia inuestigare quantumlibet loquaci sermone conentur. Leones pro robore suo solida ossa sine ulla dissectione deuorare possunt: quis igitur tantum ciborum leoni uenatur? unde eidem tot bestiæ parantur, quibus cibentur leonum catuli? Quis docuit catulos leonũ in spelunc is suis alijs bestijs insidias tendere? Nónne hæc omnia à domino sunt? de quibus in Psalmis, Catuli leonum rugientes ut rapiant, & quærant à deo escam sibi. Omnia à te expectant, ut des illis escam in tempore, & cætera.

Leonis uires.

3 Quis præparat coruo escam suam quãdo pulli eius clamant ad deum, uagantes, eo quod non habeant cibos?

Coruus incubat uiginti diebus, & pullos nido excludit. Quis igitur interim eos cibat, dum grandescant & cibum quæritare discant? Dominus. Nam & huius auis pulli aliâs nobis in scriptura in fidei argumentum proponuntur. Psal. 146. Qui dat iumentis escam ipsorum, & pullis coruorum inuocantibus eum. Respicite uolatilia cœli, quæ non serunt neq; congregãt in horrea, &c. Quomodo ergo circa homines dei prouidentia & benignitas langueret, & circa te Iobũ iustitia dei deficeret?

Corui natura.

utcunq; tu illam clare sentire non possis nunc, senties autem si te totum deo tuo crediderís.

4 Nunquid nosti tempus partus ibicum in petris, uel parturientes ceruas obseruasti?

5 Dinumerasti menses conceptus earum, & scisti tempus partus earum?

Prouidẽtia dei circa bestias.

Prouidentiam dei imperscrutabilẽ circa homines discere debes ex operibus Dei circa feras & bestias, quas fouet & adiuuat in periculis tanquã suas creaturas, non sine miraculis, quæ apud homines impossibilia habẽtur: & nisi cernerentur facta, non crederẽtur fieri potuisse: quanto magis hominũ curator est & gubernator, quos ad suam cõdidit imaginem? Sunt autem ibices sylvestres capræ, quas rupicapras uocant, quæ inter petras nullis hominibus habitabiles pariunt, quò lupi accedere non possint, & homines ignorare existimantur, ubi illas nemo obseruare hominum potest, nec iuuari indigent, sed omnium moderator deus præsto est creaturis suis.

6 Incuruantur ad fœtum & pariunt, & rugitus (*dolores suos*) emittunt.

7 Separantur (*impinguescent*) filij earum, pergunt (*augentur*) ad pastũ: egrediũtur & non reuertuntur ad eas.

Ceruorum natura.

In ceruis quoq; maxime omnium sese declarat dei maiestas & bonitas, ideo hic explicatur tam partus ceruarum, quàm gestus & mores. Ceruæ, inquit, incuruantur & sese inclinant, in partu disrũpuntur, ut partus in lucem proijciant. Hinnuli uero & mares iam adulti pinguescũt, idq; Autũno, ut in Aristotele de animal. lib. 9. cap. 5. legitur. Et tamen abdunt sese in secretiora loca, ut non conspiciantur, ne propter corpulentiã capi possint, quod hoc loco dicit, Egrediuntur & non reuertuntur. Vel simplicius. Ceruarum uituli diuino munere crescunt & augescunt, à matris sequela ac consortio citius ablactantur, sibijpsis abeunt ad quærendũ alimenta, & à parentum cura emancipati, sibi citius quàm homines sufficiunt, & prospicere possunt.

8 Quis dimisit onagrum liberum & uincula (*mulæ*) eius quis soluit?

9 Cui dedi in solitudine domum, & tabernacula eius in terra salsuginis.

10 Contemnit multitudinẽ ciuitatis, clamorem exactoris non audit.

11 Circũspicit montes pascuæ suæ, & uirentia quæq; perquirit.

Onager.

Onager omnium bestiarum minus domabilis, montibus gaudet, ridet tumultum hominum, quod sciat fortitudini suæ nemincm posse resistere, nõ curat clamores insequentiũ, in montibus escas quærit prata uirentia. Sub onagris autem scriptura sæpe nobis proponit indomita adolescentum ingenia, & feroces tyrannorum animos, qui nullis dei beneficijs, nulla gratia cicurari possunt.

12 Nunquid uolet rhinoceros seruire tibi, aut morabitur ad præsepe tuum?

13 Nunquid alligabis rhinocerota ad arandum loro tuo? aut confringet glebas uallium post te?

14 Nunquid fidutiã habebis in magna fortitudine eius, et derelinques ei labores tuos?

15 Nunquid credes illi, quoniã sementem reddat tibi, & aream tuam congreget?

Rhinoceros similiter animal indomitum, unius in nari cornu, hostis elephanti, ad saxa cornu limato præparat se pugnæ, in dimicatione aluum maxime petens, quã scit esse molliorem. Aiunt quoq; seruitutis & capturæ tam impatientem esse, ut captus ilico moriatur. Ideo hominibus seruire nequaquam potest, sed tantum fœuire nouit. Hoc autem admodum eleganter, ut omnia, explicatur Hebraico cothurno, moreq; poëtico. Etenim, inquit, indomabilis est, ut nulla arte ad præsepia alligari possit, & sub iugum mitti, ut aret agros, equorum aut boum more, ut occet sulcos paulò profundiores. Nam etiamsi currui alligatus fuerit loris, non tamen ob natiuam eius ferocitatem audebis accedere illi uel te credere ut uehat ad horrea labores tuos, hoc est fructus laborum, frumenta, pabula & uina. Tanta in creaturis mirabilia deus condidit exẽpla potentiæ & sapientiæ suæ, ut illũ timeamus & ueneremur, omnium minime contemnamus, qui omnium fortium fortissimus est.

16 Penna struthionis (*iucunda*) similis est (*eum*) pennis herodij & accipitris.

17 Quando derelinquit oua sua in terra, tu (*forsitan*) in puluere calefacies ea.

18 Obliuiscitur quod pes conculcet ea, aut bestia agri conterat.

19 Duratur ad filios suos quasi non sint sui, frustra laborauit nullo timore cogente.

20 Priuauit enim eam deus sapientia, nec dedit illi intelligentiam.

21 Cum tempus fuerit in altum alas erigit: deridet equum & ascensorem eius.

Hebræi רננים *Renanim pauonem interpretantur, quia in splẽdido ornatu, pennarũ exultet, & sibi quammaxime placeat: admirãdi enim decoris auis est tam hominibus q̃ sibijpsi. Alij tñ aliter de hac dictione loquentes, ostẽdunt se rerũ naturaliũ ignaros. Sequitur tamen Sanctes de struthione animali, quod simul pẽnis, ꝑmouet suũ cursum, de quo Plinium lege. Cui adde quod hoc loco de nasura eius refertur. Adeo enim stolida auis est, ut oua sua in arenã abscondat, & eorũ obliuiscatur, nec curet siue conculcentur siue deuorentur à bestijs, cũ alijs animalibus natiuũ sit pro suo fœtu curare. Ex ouis aũt in arena derelictis propter calorẽ solis incubanẽ fœtus tandem excluduntur: unde hoc loco dicitur, Induratur erga filios suos, quasi non essent sui, quia obliuiscitur ouorum: nec curat quid eis in arena absconditis acciderit, secure uiuens, nullo fœtus affectu. Nullo metu cauet filiorũ iactura, quia deus hanc illi circunspectionẽ negauit, sapientiam & curã pro filijs. Cum uero adultus pullus Dei ꝓuidẽtia creuerit, mirabiliter in altũ remigat alis suis, equum & equitem non timens: tunc enim equitẽ equo insidentem excedũt, celeritate uincunt, ad hoc denum datis pennis, ut currentem adiuuent.*

22 Nunquid præbebis equo fortitudinem, aut

aut circundabis collo eius hinnitum?
23 Nunquid suscitabis eum quasi locustas? gloria narium eius terror.
24 Terram ungula fodit, exultat audacter: in occursum pergit armatis.
25 Contemnit pauorem (*non formidat*) nec cedit gladio.
26 Super ipsum sonabit pharetra, uibrabit hasta & clypeus.
27 Feruens & fremens sorbet terram, nec reputat tubæ sonare clangorem.
28 Vbi audierit buccinam, dicit, Vah, procul odoratur bellum, exhortationem ducum, & ululatum exercitus.

Equi natura

Equi natura hoc loco ad longum describitur eleganter nimis. Est enim admirandæ fortitudinis, et strenuissimus, hinnitu sonoro & iucundo, nulla manuum complosione terretur: tantum abest ut arma formidet, ut olfactu narium gloriationem suam aduersus bellorum strepitus demonstret: Et si quæ sonum procul arma dedere, Stare loco nescit, micat auribus & tremit artus, Collectúmque premens uoluit sub naribus ignem, Cauat tellurem, & solido grauiter sonat ungula cornu: quod hic dicitur, Fremitu & tumultu deuorat terram, demolitur, euertit. Et quod ille ait: Quadrupedante putrem sonitu quatit ungula campum. Clangĕtem tubam negligit, non credit, id est, non curat eam: sed insilit in armatas acies fremitu, & potius clangore tubæ in prælium accenditur, quàm quod deterreatur. Est igitur equus ingens contemplandæ diuinæ maiestatis instrumentum & opus, quæ in omnibus huius mundi creaturis mirabiliter spectatur & reuereri debet, & ab intellectu humano perscrutari non potest.

29 Nunquid per sapientiam tuã plumescit accipiter, expandens alas suas ad austrum?

Accipiter.

Accipiter membra sua diducit, plumas exerit, & in aërem ad aues aucupandas alas expandit, societate hominum aduitus & canum: hi enim ex syluis & arundinetis excitant aues, illi superuolantes deprimunt. Quod autem theman & austrum addit, fortassis significat accipitrem singulis annis flante austro alas expandere, ut excussis ueteribus pennis nouæ succrescant.

30 Nunquid ad præceptum tuũ eleuabitur aquila, & in arduis ponet nidum suum?
31 In petris manet, in præruptis silicibus cõmoratur atq; inaccessis rupibus.
32 Inde (perquirit) contemplatur escam, & de longe oculi eius prospiciunt.
33 Pupilli eius lambunt sanguinem: & ubicunq; cadauer fuerit, statim adest.

Aquilæ.

Habitant aquilæ in montibus & syluis, nidulantur in locis non planis, sed excelsis: præcipue quidem in arduis saxis & præcipitibus, & in arboribus: etiam sublimes uolant, ut perquammaxime procul aspiciant, uenantur lepores, hinnulos, uulpes, & reliqua quæ uincere ualeant: unde hoc loco dicitur, Pulli eius lambunt sanguinem, id est sanguinolenta corpora. Condunt enim & reseruant in suo nido corpora unguibus lacerata, ut pulli habeant unde uiuant.

34 Et adiecit dñs, & locutus est ad Iob.
35 Nunquid qui contendit cum deo (*erudietur*) tam facile conquiescit? utiq; qui arguit deum (*affligetur*) debet respondere ei.

Nunquid qui cum deo contendere uoluit, & rationẽ iudiciorum dei discutere præsumpsit, & uoluntatis diuinæ imperscrutabilem causam scire uoluit, hæc tanta Dei mirabilia audiens non erudietur? & qui arguere deum in suis operibus & iudicijs ausus est, non se excusabit, ut respondeat arguenti deo, & agnoscat se ignorantia humana in deum peccasse.

36 Respondens autem Iob domino, dixit,
37 Qui leuiter loquutus sum (*Ecce leuior sum q̃ ut*) respondere tibi quid possum? manum meam ponam super os meum.
38 Vnum loquutus sum (*& non respondeo*) quod utinam non dixissem: & alterũ, quibus ultra non addam.

Leuior sum & uilior, ô domine, quàm ut tibi respondere possim, silentio magis tecũ ago quàm sermone. Facilius est peccatum agnoscere, quod inter loquendum non euasi, quàm excusare per singula: domino enim arguente nullus hominum respondere potest, fileat à facie eius omnis terra, & omnis caro. Semel loquutus sum uel unum de bonis meis operibus, & de nimia quæ uidebatur calamitate quam patior. Tacebo posthac, & manui domini me reddam captiuum.

¶CAPVT XL.

1 Respondẽs autem dominus Iob de turbine, dixit,
2 Accinge sicut uir lũbos tuos: interrogabo te, et indica mihi.

Rursus è turbine loquens dominus inducitur, ad declarandum potentiam & sapientiam dei, ineffabilẽ & imperscrutabilem. Cui comparatur humana fragilitas & tenuitas, ut coram domino humilietur, & discat tota suspensa esse ad dei beneplacitum, deq; seipsa desperare in totum, & æquanimiter ferre patris æterni circa se prouidentiam.

3 Nunquid irritum facies iudiciũ meum: & condemnabis me, ut tu iustificeris?

Mendax omnis homo

Oportet unumquenque hominem iuxta scripturæ sententiam se mendacem & uanum agnoscere, deũ autem ueracem, iustum & potentissimum: impij autem diuersum sentiunt & defendunt, calumniando iustitiã dei, ut suam statuant. Pius autem, ut erat Iob, quanquam in se non uideat afflictionis causam, & nullius externi facinoris male sibi conscius sit, tradere se tamẽ debet in manus dñi affligentis, et approbare iudiciũ dei, quod aliud esse non potest nisi rectum. Id autẽ reuera Iob secum sentit, uerum disputatione suscepta contra amicos, qui ex ærũnis impietatẽ falso argutabãtur, temere & cũ fastu eũ calũniabantur de criminibus, feruore disputatiõis attractus est, ad contradicendũ illis, ad quorũ dicta sequebatur deũ iniustũ esse, qui nõ solũ se nihil conscium de cri-

minibus, sed & alios pios homines frequenter seuerius quàm impios in hac uita tractaret, quod illi sua responsione non plene dissoluisse uidebantur, Eliu autem propius ad rem accessisse. Loqui ergo inducitur dominus ad Iobũ de piorũ in hoc mundo afflictionibus, quas iuste infert pijs, quia nemo iustus sit iudicio dei præsentatus et iudicãdus: ideo nemo se cõtra dei flagella defendere iuste posit. Et non sine clementia dei adhibetur etiam iustis afflictio, ne insolescant: ultq; dominus iustum credi ab hominibus quicquid à deo fit, ut nihil iniustum agere potest infinita iustitia, etiam si pro tenuitate sensus humani ratio iustitiæ non perspiciatur.

Piorum afflictiones.

4 Et si habes brachium sicut deus, & si uoce simili tonas,

5 Circunda tibi decorem, & in sublime erigere, & esto gloriosus, & speciosis induere uestibus.

6 Disperge superbos furore tuo, & respiciens omnem arrogantem humilia.

7 Respice cunctos superbos, & confunde eos, & contere impios in loco suo.

8 Absconde eos in puluere simul, & facies eorũ demerge in foueã (absconde in occultum.)

9 Et ego confitebor quod saluare te possit dextera tua.

Confertur humana imbecillitas cum potentia dei, ut cognoscatur, deum nunquam posse ab homine iniustitiæ accusari, etiã si pios affligat: habet enim brachium extentissimum, cui nemo resistere potest, & optimus est, qui opera sua ordinat ad finem optimum, & ut omnium creaturarum pater & dominus facit, ut omnia sibi seruiant, & in suam gloriam ordinentur. Quoties ergo dominus indignari creditur, nemo est qui illius iræ resistere posit aut effugere: nec alicui male cedit afflictio dei, nisi qui deo irascitur, & potentiam dei subterfugere nititur cum non possit, uane superbiens contra deũ, qui et solo dei spiritu conculcatur. Oppone ergo nunc cuiuscunq; uel iusti uel potẽtis hominis uirtutem uirtuti dei, quid quæso inuenies? Quæ enim conuentio immensi & modici? quæ comparatio omnipotentiæ ad fragilitatem humanam? Quid enim fragilius & contemptius dici potest de homine, quàm ut suo proprio nomine uocetur homo? Quod si uero in homine uel tantillum esset, quod conferri posset cum diuina maiestate, non iniuria fortè homo deum accusare posset: nunc autem cum nihil eorum posit quæ ego dominus & deus, iuste se subdi bonitati & iustitiæ meæ fatebitur.

Ira dei.

10 Ecce, Behemoth quem feci tecũ, fœnum quasi bos comedet.

Qui Behemoth & Leuiathan satanam interpretantur, ægre satisfaciunt ubiq; contextui scripturæ & studiosis. Simplicior uidetur Hebræorum sententia, qui Behemoth exponunt uastissima aliqua animalia monstrosæ magnitudinis in terra, siue inter illa maximum, quod alicubi in terra fuit uel inueniri potest, quale elephas habetur maximum animalium. Quanquam & monarchæ & tyranni inter homines atrocissimi per בהמות bestiæ accipi possint. Et per Leuiathan maximam aliquam marinam beluam, uel genus aliquod beluarum: in quibus præcipua diuinæ potentiæ & sapientiæ exempla describuntur. Et comparatione illarum beluarum terrestrium & marinarum etiam describitur imbecillitas humanæ conditionis, quæ nullarum est uirium ad istas uincendum, regendum, uel domandum: dominus autem qui condere potuit, etiam gubernat ac dirigit pro nutu suo. Dicit igitur, Si uolueris, ô Iob, maiora quædam & pluera scire de mea uirtute & potentia, ecce beluam uel beluas feci eodem tẽpore, & eadem uirtute, qua primum hominem uel humanum genus: hoc est, tecum feci, quia beluas cum homine creaui, quarum quæ maximæ sunt, uel quæ maxima est, uescitur non carnibus more ferarũ crudelium, sed fœno & terrænascentibus, ne hominum perniciei deseruiret, sed ueluti mansuetiora animalia non obesset.

Behemoth.

11 Fortitudo eius in lumbis eius, & uirtus illius in umbilico uentris eius.

Tantæ fortitudinis est iumentum illud, siue boues, siue elephantes, siue maius aliquod intelligas ex maximis belluis, ut femora habeat & coxas cum reliquis ad maximos labores aptissima, ut castella quoque gestare & armatos ualeant, quibus nulla hominum fortitudo comparari possit, sed admirari quammaxime tantæ potentiæ conditorem. Insignis enim quæcũq; uirtus in talibus animalium artubus designatur in scripturis, nõ præcise lumbi uel umbilicus, quæ nullius sunt roboris.

12 Stringit caudam suam quasi cedrũ, nerui testiculorum eius perplexi sunt.

13 Ossa eius uelut fistulæ æris, cartilago illius quasi laminæ perticis ferreæ.

Eleuat hæc belua caudam suam cum plausu & gloria sursum, ueluti arborem cedri gloriosam porrectam in altum, nerui testiculorum & totius corporis iuncturæ fortissimæ implicantur ad inuincibile robur præstandum super omnia animalia reliqua. Ossa eius solidissima sunt ut æs, & minora ossa uel costæ eius sunt ut pertica ferreæ infrangibilia. Hominis enim comparatione hæc omnia planc habentur inæstimabilis fortitudinis membra & ossa.

14 Ipse est principium uiarum Dei qui fecit eum, applicabit gladium eius.

Hoc genus beluarum principale, maximum & admirabilius animal est ex omnibus quæ deus condidit super terram, unde coniectari posit magnitudo potẽtiæ dei, quæ & à nulla corporea creatura occidi posit uel destrui naturalibus armis animalium & ferarum, sed solo eius gladio qui illam produxit, non alicuius quamlibet fortissimi herois fortitudine.

15 Huic montes herbas ferunt: omnes bestiæ agri ludent ibi.

In solitudine hanc beluam montes suis herbis nutriũt quas proferunt: huic eatenus ludunt & applaudent reliquæ bestiæ, ut eidem etiam si cupiant obesse & nocere in nullo posint, quin pro sua libidine tyrannico more tractat minores bestias, sine tamen crudelitate, quod carnivoræ

carniuora non sit hæc tam immanis bestia.

16 Sub umbra dormit in secreto calami, in locis humentibus.

17 Protegunt umbræ umbram eius, circundabunt eum salices torrentis.

Sub umbris dormit & cubat non in domo aliqua uel specu ob uastitatem, in secretiore aliquo loco inter calamos palustrium locorũ, pro refrigerio obtegitur umbris, & umbra fouetur, stipatur atq; circundatur salicibus crescentibus magna altitudine, & frondium latitudine circa torrentes. Quidam per interrogationem legunt ad hunc sensum: Num est quantũlibet procera & frondosa arbor, cuius umbra hæc belua contegi possit?

18 Ecce, absorbebit fluuium, & non mirabitur: habet fiduciam quod influat Iordanis in os eius.

Hyperbolæ sunt & exaggerationes elegantissimæ, & apprime poëticæ, cum dicitur: En sine aliqua difficultate dum sitit æstuat tanta bestia, ebibere & absorbere totum fluuium potest, ut etiam si totius Iordani fluenta subintrent gulam eius, prævocari non queat, & adhuc plures sitiet.

19 In oculis eius (quasi hamo) capiet eum, & in sudibus perforabit nares (eius.)

Dignitudo beluæ.

Visum Iordanem fluuium desiderabit ingurgitare totum, uel usq; ad oculos profundabit oris & nariũ foramina, instar boum & equorum, indicare uolens auiditatem bibendi ex magnis fluminibus, ut uix illi sufficiant. Tantæ magnitudinis beluas deus cum homine condidit à principio creationis mundi, miraculosa portenta potentiæ diuinæ. Quibus omnibus nihil aliud ostẽdere scriptor uoluit, quàm mirabilia opera dei in multis generibus beluarũ, in orbe latissimo terrarum. Quorũ aliqua in regionibus ob ferocitatem deleta sunt ab hominibus, ut sunt Vri in Alpibus nostris, uerisimilimum id quoq; alibi contigisse. Et tamen stupenda passim in mundo animalium genera miraculum mundi non modicũ sunt, & uestigium diuinæ potentiæ & maiestatis, quæ similiter patere potest, & intueri debet in minimis istis, sine numero & infinitæ uarietatis animalculis: de quibus nihil tradi potest ob nimiam diuinæ sapientiæ magnitudinem, de quibus minimam quandã partem, de formicis & apibus usq; ad miraculũ legimus in naturali historia Plinij.

20 An extrahere poteris Leuiathan hamo, & funem ligabis linguam eius?

21 Nunquid pones circulũ in naribus eius, & armilla perforabis maxillam eius?

22 Nunquid multiplicabit ad te preces, aut loquetur tibi mollia?

23 Nũquid feriet tecum pactum, & accipies eum seruum sempiternum?

24 Nunquid illudes ei quasi auí? aut ligabis eum ancillis tuis?

25 Concident eum amici, diuident illum negotiatores.

26 Nunquid implebis (uasa) sagenas pelle eius, & gurgustium piscium capite illius?

Vt nunc de beluis terrestribus gustus aliquis potentiæ & maiestatis diuinæ prolatus est, sic nunc traduntur de belluis marinis tanto maiora miracula, quanto hominibus rariora. Draconem uocant & cete grandia, ut hamo nullo capi possint, nec quamlibet fortissimo longissimoq; fune ligari, nec uncino apprehendi à piscatoribus. Nam circulum seu uncinum in naribus ponere, est furorem compescere, & à nocendi uel recalcitrandi conatu retrahere. Metaphora tracta à bubalis, qui circulo naribus iniecto ducuntur. Iam ut iste marinus draco nullis retibus capi, & nullo fune ligari potest: ita nec satan, cuius figuram tam Behemoth quàm Leuiathan prætendere possunt, ullis potest humanis astutijs uel uiribus cõpesci. A Christo autem solo et per eum à credentibus superatur. Num tu Iob uel hominum quicunq; fortissimus chamum nari eius inserere poteris, & fibula perforare genas eius, ut humiliatus parci sibi postulet, & robur uel consiliũ tuum uereatur, & te pro misericordia impetranda alloquatur, ut fœdus tecum ineat, et perpetuo seruitio se tibi deuinciat, ut coram te ludat, tibi complacere cogatur, tibi fieri in delicijs, aut laqueis irretitum, ueluti agniculum uel capreolum, uel auiculam tuis illum ad lusum puellis tribuas, uel, ut captum uirtute tua, proscindas eum, & mercatoribus distrahendũ in cibos uendere possis? Num scapha capies excoriatã pellem eius, & lintre piscatorio caput illius? Quibus omnibus elegantissimus sententijs hoc uult, quod superius de Behemoth dictum est, ut mirabilia dei opera in profundo pelagi nemo hominum pro sufficientia admirari possit, unde in laudem & reuerentiam dei intellectiua natura, et homo præcipue assurgere debet, & magnificentiam diuinæ sapiẽtiæ nõ temere iudicare, multo minus blasphemare, sed cũ summa deuotione mentis, & consecratione intellectus in obsequium fidei colere & admirari.

Beluæ marinæ.

27 Pones super eum manum tuam: memento belli, nec ultra addas (loqui.)

28 Ecce spes eius frustrabitur eum, & uidentibus cunctis præcipitabitur.

Num audebis tuam illi quomodocunq; imponere manum, ut abutaris ministerio suo in tuum usum? Certe ut primũ uel paululum ipsum contigeris, ueluti capturam minando, memineris te bellum tibi exitiale & inexorabile concitasse, ut caueas tibi tuæq; saluti, si uel in minimo ipsum secũdo irritaueris. Omnino enim te fallet spes ista eius potiundi. Noli ergo frustra periclitari de salute & uita tua, tutius egeris, si uel aspectũ eius summo studio uitaueris, & præsentiam fugeris quantum potueris.

CAPVT XLI.

1 NOn quasi crudelis suscitabo eũ: quis enim resistere potest uultui meo?

Inepta distinctio capitum iamdudũ dissimulanda fuit. Sequimur tamen eam sine præiuditio sensus. Nemo est tã audax, crudelis, minax & robustus, qui sine exitio sui illũ Leuiathan suscitare & irritare possit, dominus solus est, qui ut ipsum condidit & conseruat, sic ubi placuerit occidere, uel pro uoto suo abuti po-

Suscitare Leuiathan.

teſt, cuius poteſtati nemo reſiſtit in mundo, quẽ ipſe condidit, & manu conſtringit.

2 Et quis ante dedit mihi, ut reddam ei? omnia quæ ſub cœlo ſunt mea ſunt.

Potẽtia dei. Quis mihi reſiſtere poteſt? uel quis aliquo me beneficio præuenit, aut meritis certauit mecum, ut reddam ei? Quis prior dedit mihi, ut ei quicquam retribuatur? Ego ſolus omnia poſſum, omnia meæ ſunt poteſtatis, nulli obnoxius ſum creaturæ, mihi omne genu curuandũ, omnia in cœlo, terra, & mari mea ſunt, meæ ſunt omnes ferę ſyluarum, iumenta in montibus & boues. Si tantæ fortitudinis inuenitur creatura aliqua terreſtris uel marina, cui nemo omnium hominum reſiſtere poßit, quanto minus omnes homines mihi omnium creaturarum conditori reſiſtere poſſunt, & beneficijs me demereri, ut illi debitor fiam, & cogar ad aliorum uoluntatem? qui ſum omnium quæ ſunt conditor, & prior omnium quæ extant, ſine me factum eſt nihil, per me æternum, omnia in tempore.

3 Non parcam ei, uerbis potentibus, & ad deprecandum compoſitis.

Non ſilebo, hoc eſt, non reuerebor uel parcam huiuſmodi creaturæ, quamlibet membra eius uelut fortiſſimi

Robur omne à domino. uectes ſint, non tamen prævalebit mihi. Et tota conditio roboris eius in manu mea eſt, ut infirmare illam poßim dum uoluero, & elegantiam ordinis dentium eius ego non ſtupeo, qui tamen ſunt omnibus hominibus et beſtijs formidabiles. Nulla impiorũ uirtus et poteſtas tanta eſt, ut mihi prævalere poßit uoluntati ac uerbo, nihil illi impetrabunt contra uoluntatem meam uiribus, precibus uel quocunq; conatu.

4 Quis reuelabit faciem indumenti eius? & in medium oris eius quis intrabit?

5 Portas uultus eius quis aperiet? per gyrũ dentium eius formido.

Eiuſdem beluæ interiora, & quæ ueluti ſub ueſte eius latentia immania uiſcera & uenena latent, quis audeat retegere & denudare? Quis denuq; duplicato capiſtro apertum os eius ingredietur, manum illi immittendo inter dentes, ut refrenet gulam? Crudelior eſt enim quàm ut leniter tractari queat, & fortior quàm ut manum illæſam ſi in os eius immiſeris, extrahas. Tantus nanque terror dentibus eius exertis ineſt, ut ſolo aſpectu appropinquantes reddat ſtupidos. Quæ omnia cò ſpectare poſſunt, ut ſatanæ terrorem exprimant, & impiorũ tyrannidem, crudeles monarchas & potentatum, quem Chriſtus ſolus deuicit.

6 Corpus illius quaſi ſcuta fuſilia, compactum ſquamis ſe prementibus.

7 Vna uni coniungitur, & ne ſpiraculum quidem incedit per eas.

8 Vna alteri adhærebunt, et tenentes ſe nequaquam ſeparabuntur.

Beluæ illius totum undiq; corpus ſquamis ueluti ſolidiſſimis clypeis tectum eſt & compactum, concluſum, ſignatum & conſtrictum, alteraq; alteri arctiſſime inhærent, ut nec lenis aura ſeu uentus perflare poßit, ſic collectæ & agglutinatæ ſquamæ, ut diſpergi nequeant. Impiorum cohors, catena quædam eſt arctiſſime compoſita, & dolus dolum comitatur, tangit ac iuuat, ut niſi diuina aliqua uirtute uincatur, prorſus alioqui inuincibilis ſit hæc iniquitatis moles.

9 Sternutatio eius ſplendor (lucis) ignis, & oculi eius ut palpebræ diluculi.

10 De ore eius lampades procedunt ſicut tedæ ignis accenſæ.

11 De naribus eius procedit fumus ſicut ollæ ſuccenſæ atq; feruentis.

12 Halitus eius prunas ardere facit, & flamma de ore eius egreditur.

Omnia in hac beſtia terribilia deſcribuntur elegantiſſima poëſi. Pro ſternutatione, uel inter ſternutandum Sternutatio efflat radios igniũ è naribus ſuis. Ex oculis eius dum irascitur horribilis ſplendor emicat, quaſi ex ſupercilijs aurorę, ut lux ipſa illuceſcere uideatur. De ore eius faces & lampades accenſæ prodeunt, hoc eſt, terribiles ſplendores ignis. De naribus eius exit fumus, quemadmodum de olla incenſa & feruente. Halitus eius tam feruidus eſt, ut caloris magnitudine carbones inflammet, & flamma horribilis & ingens ex ore eius progrediatur. Quibus omnibus beluæ iſtius inuincibilis & ſtupenda uirtus & potentia indicatur, impiorum ſcilicet auſus & pertinacia contra pietatem & uirtutem, quam euincere nemo præter dñm poteſt. In Chriſto domino magnificè triũphata & deuicta: et fidei uiribus à fidelibus in Chriſto & uirtute diuina euincitur et conculcatur quotidie.

13 In collo eius morabitur fortitudo, & faciem eius (lætabitur dolor) præcedet egeſtas.

14 Membra carnium eius cohærentia ſibi (ſoliditas ſuper eum) mittet contra eum fulmina, & ad locum alium non ferentur.

Nihil fortius collo huius beſtiæ, & nihil crudelius illius auſibus, quæ gaudere ſolet aliorũ doloribus, cui nil gratius quàm pluribus nocuiſſe, et à nemine uinci poſſe. Membra etiam eius & caro fortiſſima cohærent compagine, coniuncta quoq; indurantur & fortificantur magis ac magis, ut lædi & diſcindi non poßint, nec aliqua ſectione abinuicem ſeparari uel dimoueri. Mutuum enim ſe iuuant, protegunt, & conſeruare nituntur impij contra profectum pietatis, ut quo ſerioſius infeſtantur, tanto audacius et contumacius reſiſtant, ſi quo modo multitudine & malitia uincant, qui iure & fidei puritate nil uolunt uel poßunt.

15 Cor eius indurabitur tanquam lapis, & ſtringetur quaſi malleatoris incus.

16 Cum ſublatus fuerit, timebũt (fortes) angeli, & territi purgabuntur.

Sedes uitæ illius beſtiæ, cor ſcilicet inuincibile eſt, & frangi non poteſt, quod ut ſilex ſolidiſſimũ ſit, & ut inferior mola, quæ omnia ſuperpoſita confringens & cõminuens, ipſa minime arroditur uel conteritur. Durior equidẽ, quod dicitur, Marpeſia cautę, uel uetuſtiſſimo in cude malleatoris. Dum ſeſe erigit in mari Leuiathan ſua tyrannide, omnibus cetis quantumcunq; uaſtis terrorem incutit,

incutit, quicquid fortißimũ est ab ipsius immanitate formidat, summa quæq; & maxima contremiscunt ad occursum illius, & à contritionibus eius quamlibet fortissimi territi euadere conantur, inter fugiendum impingunt, & non sine offensa sese eripiunt.

17 Cum apprehenderit eum gladius, subsistere non poterit, neq; hasta, neq; thorax.

18 Reputabit eum quasi paleas ferrũ, et quasi lignum putridum æs.

19 Non fugabit eum uir sagittarius, in stipulam uersi sunt ei lapides fundæ.

Immanitas bestiæ.

Si quis corripiat contra huiusmodi beluam gladium ut illam percutiat & trucidet, nihil faciet. Non enim sustinebit ulla hasta ictum eius, non consistit ad infligendũ uulnus, non lædere potest uel minima percussura inuiolabile corpus, nullum armorũ genus, uel arma quæcunq; bellica uel tormenta illi resistere ualent, & loco mouere uel minimam petiam immani corporis. Si ferro petatur, non magis dolet uel terretur, quàm si palea feriatur & culmo: & si æreo tormento impulsa fuerit, æque mouebitur ac putrido quocũq; ligno & fragili casa. Quod superius hastam dixit, hic ferri nomine replicat. Et sicut de propinquo frementẽ non timet, sic nec iaculis quibuscunq; absentem, & de remotis iacientẽ machinis quibuscunq;. Non enim fugat eam qui arcũ tendit, & lapides fundæ non aliter abhorret, q̃ si contra eum stipulæ conijciantur & stramina. Si impios, uel illorũ caput sagittis, bombardis, armatura scilicet carnali, sed spirituali, patientia, fide, uerbo dei, & longanimitate, ueritate & constantia, oratione & charitate.

20 Quasi stipulam æstimabit malleum, & deridebit uibrantem hastam.

21 Sub ipso erunt (acumina testæ) radij solis, sternet sibi aurum (super) quasi lutum.

Arietem quo murus concutitur & quatitur, ipsa bestia pro stipula æstimat, uel malleũ quamlibet fortẽ et terribilem non ueretur: & ad fragorem quemcunq; scuti uel hastæ ridet, & nihili ducit, certa se talibus lædi non posse: usque adeo contemnit acutas gladiorum acies & claues denetas, ut gradiatur super eas, quasi in luto ilæsa. Nihil enim in maris fundo uel scopulis tam acutum et penetrabile est, à quo uulnerari posßit uel lædi. Apud eum nihili reputatur quicquid pretiosum est, non aurũ admiratur magis q̃ lutũ, sed calcat & prosternit omnia.

22 Feruescere faciet quasi ollam profundum maris: et ponet quasi cũ unguenta bulliũt.

Ebullire facit & feruescere uelut ollam abyssum maris, omnia in mari uertit & euertit, discedit nusquã sine ingenti commotione maris, & damno rerũ præsentium. Est enim ei opus in mari quasi aromatarij, qui cõminuit & conculcat species & confundit, nec integrũ quippiã dimittit. Sic satan in mundo omnia sursum ac deorsum uoluit & reuoluit, & à nullo nisi domino deo et uerbo suo impeditur quo minus noceat multis.

23 Post eum lucebit semita, æstimabit abyssum quasi senescentem.

Quoquouersum incedit, ob corporis sui magnitudinem uestigia clara post se relinquit sui transitus, non secus ac nauis ingens tranquillo mari per tempus præteritionis suæ signa ostendit. Semita Leuiathan longe lateq; apparet aspicientibus: & infirmum præ se putat et senescens quicquid in abyssο offenderit: siquidem omnibus marinis rebus dominum se gerit, et tyrannum agit, nihil timet, sed terret omnia.

24 Non est super terram potestas, quæ comparetur ei, qui factus est ut nullum timeret.

Non est in omnibus creaturis infirmioribus in terra et mari tanta uirtus, fortitudo & potestas, quanta ipsius Leuiathan. Qui sic conditus est, & à dño factus, omniũ conditore, ut neminem timeat, à nullius uultu horrescat. Multo enim maiora sunt marina animalia q̃ terrestria, et quia à nemine consueuerũt infestari, ideo nõ formidãt.

25 Omne sublime uidet, ipse est rex super uniuersos filios superbiæ.

Leuiathan comparatio

Consideratione propriæ magnitudinis, Leuiathan de quo tanta dicta sunt, omnia despicit & minora putat, quamlibet sublime sit & magnificũ: & regem se se facit super omnia quæ in mari maxima et superba habentur. Sicut igitur dominus respicit humilia & contrita, sic satanas potentes & sapientes huius mundi uidet & despicit præ se, & rex est omnium superborum & arrogantium. Ex quibus omnibus uides quid de me cogitare & confiteri debeas, ô Iob, qui omniũ potentißimarũ rerum potentißimus sum: & quicquid in mundo toto illustre conspicitur uel habetur, mea uirtute constat & factum est: omnia prouidentia mea ordinantur & reguntur, quanto magis homines & minora in mundo? ut discas magis iustitiam meam colere & uereri, quàm discutere uel reprehendere. Tuum igitur et aliorum est omnium, ori digitum imponere, & cohibere linguam, imò sensum humanũ à uanis disputationibus de rebus diuinis abstrahere, quæ sunt hominibus incomprehensibiles, & non sine timore & reuerentia discutiendæ.

¶ CAPVT XLII.

1 Respondens autem Iob domino, dixit,

2 Scio quia omnia potes, & nulla te latet cogitatio.

Confitetur in fine Iob id quod nunq̃ negauerat, dominum omnipotentẽ esse, qui in cœlo, terra et mari omnia condiderit, gubernet & conseruet, quamlibet maximæ sint creaturæ, tamen ipsum agnoscunt creatorem, & illi pro uoto obediunt ad quæcunq; uoluerit: nec est quod respondere posßit, Quare hoc uel sic agis? Insuper & fatetur similiter omnia deũ scire, eatenus, ut ne cogitationes quidem cordis humani ipsum lateant, et ab intuitione secretorũ arceri non posßit, ideo stultũ & insanum esse resistere uelle uoluntati diuinæ et arcana cordis cælare, ut siue peßimus fuerit siue bonus, nemo id melius nouerit quàm deus, qui & si uelit, facile posßit ærumnas tantas auferre, & restituere pristinæ sorti si uideatur.

Resistere deo.

3 Quis est iste qui celat consiliũ absq; scientia? ideo insipienter locutus sum, & quæ

ultra modum excedunt scientiam meam.

Consilium dei.

Quis enim à te cælare posset suum consilium, & negare se cogitasse dixisse uel feciſſe quod non uerũ? Tu itaq; noſti opiniones & cogitationes meas, noſti quo cor de quæ uerba dixerim. Non eſt ergo ut multis excuſem admiſſa, quem nihil meorum latet, iudico potius, ut par eſt, adeſſe omnibus hominibus ignorantiam multorum quæ nunc didici: & mirabilia tua multa & magna, quæ captũ meum excedunt ignorare me confiteor, ut de mea ſapientia parcius me iactare debuerim, ſicut & amici mei. Parua ſunt enim et pauca quæ nouimus, eorũ cõparatione quæ ignoramus. Et in primis iudiciorũ tuorum cauſas quis hominum ſcire poßit, uel audeat diſcutere?

4 Audi & ego loquar: interrogabo te, & reſponde mihi.

5 Auditu auris audiui te, nunc autem oculus meus uidet te.

Si audire uolueris, loqui audebo ad te, iam nunc humilior factus, & in alium finem, à te nihil quæro uel interrogo, quàm ut me doceas quæ neſcio. Arrecta aure audiui doctrinam de potentia tua, et prouidentia circa rerum omnium unuerſitatem, & nunc clarius uideo & cognoſco quid tibi in me uel placeat uel diſpliceat. Incautius enim locutus ſum tam de mea iuſtitia, quàm tuo iuſto iudicio, quarum utrunq; tu noſti.

6 Idcirco ipſe me reprehendo, & ago pœnitentiam in fauilla & cinere.

Confeſſio Iob.

Inſipientiam meam in me ego abominor & reprehendo, & pœnitentiæ tibi ſigna defero in cinere & puluere ribus. Piget enim me plura dixiſſe, quàm quæ tibi placere potuerint, & occaſionem præſtitiſſe etiam aliorũ diſceptationibus. Propterea & agnoſco me non ſine cauſa, nec ſine fructu, humiliatum uſq; ad puluerem & lutum, conſolatus uel hoc ipſo, quod me lutum & limum eſſe non ignoras, unde tu me formaſti, & facile donas fragilitatis noſtræ tranſgreßiones, maxime, ſi quis uerbo labatur & ignorantia.

7 Poſtquam aũt locutus eſt dñs uerba hæc ad Iob, dixit dominus ad Eliphaz Themaniten, Iratus eſt furor meus in te, et in duos amicos tuos, quoniam non eſtis locuti coram me rectum, ſicut ſeruus meus Iob.

Iudicium domini de diſputatis.

Ante iudicis tribunal reddẽda ratio eſt, diſciplina correctionis ſumenda eſt de uerbo otioſo, multo magis ſuperbo & falſo dogmate pertinaciter aſſerto. Ideo poſt pœnitentiam Iob, etiam amicorũ redarguitur error pertinax, qui falò contenderant de cauſa calamitatum Iob, quã reijci uolebant in peccata eius, quod uerum nõ erat, et de Iob falſa crimina propoſuerant, quæ non ſolũ probare non poterant, ſed etiam contra domini uerba & iudicium erant, quo inſigniter pium & rectum pronunciauerat dominus. Loqui tamen inducitur dominus ad Eliphas maiorem trium, de ira domini propter falſitatis aſſeuerationem, quæ ſi contumacius tenetur offendit dominum, ueritatis authorem & tutorem: qui tres illi, licet uera & bona multa dixiſſent, tamen falſa miſcuerunt, & praue applicauerunt, ut dictũ eſt. Alioqui etiã

Iob quædam inſipientius dixerat, ſed tamen ueritatem defendebat: dominum ſcilicet non ſemper affligere homines propter crimina, quod alij affirmabant, quod in præiudicium pietatis & piorũ cedere poterat, quo ſepe dominus etiam piißimos affligit in hoc mundo, non propter peccata, ſed ad gloriam dei, ad exercitium & profectum, terrorem, humiliationem & exemplum, proq; cauſis quas latere homines uult, qui diuina admirari & honorare magis debent, quàm diſcutere uel iudicare. Seruum uero ſuum nominat, etiam ſi de Iſraẽlitica propria ſapia non eſſet, ne ſibi Iudæi numium de ſanguinis prærogatiua placeant, cum ſemper in omni gente, ſi quis dominum credebat & colebat, is domino placebat, & ſeruus amabilis habitus eſt & habetur.

8 Sumite ergo uobis ſeptem tauros, & ſeptem arietes, & ite ad ſeruum meum Iob, & offerte holocauſtum pro uobis: Iob autem ſeruus meus orabit pro uobis: faciem eius ſuſcipiam, ut nõ uobis imputetur ſtultitia: neq; enim loquuti eſtis coram me rectum, ſicut ſeruus meus Iob.

Iubentur amici ſeptem tauros & ſeptem arietes immolare, quia perfectus & legalis eſt numerus ſeptenarius. Mittuntur autem ad Iob, qui pro eis oret: & interim præcipitur, ut ſenior amicorũ offerat holocauſtum. Quia ut pro nobis inuicem oremus mandat dominus, ſed Oratio pro alio facta non proderit, niſi proprium quoq; holocauſtum fidei & ſpiritus contriti & contribulati ipſe offerat. Id eſt, niſi propriam fidem habeat, et ab impietate reſipiſcat. Accedere iubentur ad Iob, facto oſtendentes ſe falſò impium promulgaſſe eum, cuius nunc interceßiones ambire iubentur, & reuerentiam exhibere ei quem turbauerant. Sic enim peccata remittuntur in proximum, ſi reconciliatio intercedat, & reſtitutio rerum ablatarũ, ſi fieri poteſt, uel domino ſupplicetur quẽ offenſum cognouerint. Hoc loco Abraam Aben Ezra dicit, Dominum quidem ſuſcipere orationes ſanctorum in hoc ſæculo adhuc uiuentium, ſed nõ in futuro, ſcilicet poſt hanc uitam. Eliu quoq; nõ legitur obtuliſſe, nec impetuum.

Iob crepatus eſt à domino, quia probabiliora dixit, & ad eius uerba nihil reſponderat.

9 Abierunt ergo Eliphaz Themanites, & Baldad Suhites, & Sophar Naamathites: & fecerũt ſicut locutus fuerat dominus ad eos, & ſuſcepit dominus faciem Iob.

Obediunt ſponte mandato dei, proprio ſenſui reſiſtentes, monitis acquieſcunt, conciliantur offenſo, integrum reſtituunt amicitiam, agnoſcunt errata pariter illum. tres illi uiri ſapientes, de Theman Eliphas ex Idumæorum regno, & Baldad Suhites, qui ex Cethuræ filijs eſſe conijcitur, & Zophar Naamathites, quem putant Minæonum gentis regem fuiſſe. Crediderũt dominum hæc præcepiſſe, ideo in fide placuerunt. Et ſuſcepit dominus faciem Iob, hoc eſt, in gratiam eius exaudiuit uirorum illorum uota, & facto oſtendit ſibi gratum eſſe Iobum, quem illi falſo uel decepti impiũ, & deo exoſum fuerant arbitrati: ideo nunc teſtis tertio ſit ſuæ pietatis & iuſtitiæ.

stitiæ, nihilq; illi improperatur de blasphemia uel perfidia, sed fauore domini donatus scribitur.

10 **Dominus quoq; conuersus est ad pœnitentiam Iob, cũ oraret ille pro amicis suis. Et addidit dominus omnia quęcunq; fuerant Iob duplicia.**

Opinio Iudæorum.

Exponunt Hebræi dominum restituisse ipsi Iob omnia quæ fuerant ablata in captiuitatem à Sabæis, quia orauerit pro amicis suis tribus, qui multis eum opprobrijs affecerant, & ignominiose alloquuti fuerant, quibus tamen non obstantibus, bonis cõpensauit mala, & pro hostibus qui fuerant orauit. Addũt quidam, filios & filias non fuisse occisos à Satana, sed ablatos in locum incognitum, Iobo ignorante & occisos existimante, de quibus superuacaneum fuerit disputare. Restituisse scribitur dominus ipsi Iob quæ fuerant ablata, non in singulis generum, sed, ut dicunt, generibus singulorum, & in numero maiori q̃ antea habuerat. Pietas ad omnia ualet, & oratio qua interceſsit pro amicis suis sibi quoq; in primis et maxime profuit: ut discamus duplũ fructum orantis pro fratribus: exauditur enim pro illis & pro seipso. Duplũ reddidit dominus eorum quæ abstulerat Iobo, ut patet ex numero animalium hic, & in principio libri. Vides ergo reipsa quorsum euadat tentatio piorum. Audistis tolerantiam Iob, ait Iacobus, & finem domini uidistis, quoniam misericors est dñs & miserator. In scriptura passim mandatur, ut uindictã deo relinquamus. Mea, inquit, est ultio, et ego retribuam. Et si quis te percusserit &c. Quæ sapientibus huius mundi ridicula & stulta uidentur, sed summæ sapientiæ sunt fructus, paruo cõpendio magnum acquirere, et paucissima sorte plurimas opes parare. Id uero fit, si dño ultionem resignemus, imò si pro hoste dñm exoremus, & sanctissimi patris cœlestis nos legitimos filios ostendamus, nos & nostra domino committamus. Non raro enim ideo dñs aufert, ut probato abundantius reddat, ut hoc loco legimus.

Duplũ redditum.

11 **Veneruntautẽ ad eum omnes fratres sui, & uniuersæ sorores suæ, & cuncti qui nouerant eum prius: & comederunt cum eo panem in domo eius. Et mouerunt super eum (caput) & consolati sunt eũ super omni malo quod intulerat dominus super eum. Et dederunt ei unusquisq; ouem unam, & inaurem auream unam.**

Conuiuia honesta.

Cum dominus iterum ostendit fauorẽ suum, & sanitatem reddit cũ diuitijs, iterum numerare incipit multos amicos, qui dona iterum dotato offerũt pro huius munere, & moribus. Conuiuia honorifica & non insolentia deinuo instruunt, demereri sibi certatim Iobum studẽt, qui illum miserũ & calamitosum contempserant. Fratrum autem & sororũ nomine proximi, & consanguinei nominãtur in sacris literis. Omnes quoq; noti eius, hoc est, uicini & familiares gaudenti congaudent, & in signum fauoris & amicitiæ conuiuia instruunt, & læti conuiuantur. Non edunt solũ panẽ, sed & alios cibos, Hebraico more: idq; in domo Iob, ut maior esset hilaritas, & alacrior societas. Ostendentes se de illius ærumna pluri-

mum doluisse, cuius restitutionẽ in integrũ tantopere celebrando collaudarent & gratularentur. Quod autem ouem singuli dederint, quod alij obolũ interpretantur, ad prouinciæ morem accipiendũ est, non quod oblatione huiusmodi fuerit ueluti mendicitate ditatus, quod ad magnificentiã dei & laudem uiri non usq; adeo pertinuisset. Sic de inaure aurea fortaßis accipiendũ ad gloriam & splendorem Iobi, non ad restitutionẽ perditæ substantiæ, quam non amici, sed dominus restitutam curauit.

12 **Dñs autem benedixit nouissimis Iob magis, quàm principio eius. Et facta sunt ei quatuordecim millia ouiũ, & sex millia camelorũ, & millæ iuga boũ, & millæ asinæ:**

13 **Et fuerunt ei septem filij, & tres filiæ.**

Munificentia dei.

Vt declaretur quanta munificentia dñs pios tractet, ideo benedictiones Iobi ponit ob oculos, utq; discamus optime semper sperare de dño, qui ditior est, q̃ ut necessitatibus nostris sine suo damno succurrere non possit: benignior & liberalior, q̃ ut nolit suis fidelibus & electis: imò qui impijs quoq; huius uitæ necessaria administrat, & non negat solis exortũ & sanitates, quomodo non potius consuleret filijs? & spiritualibus non destituens donis quæ maxima sunt, quomodo negaret tẽporalia & caduca ad necessitatem et opportunitatẽ? cum superfluitas non semper prosit, sed non raro nimiũ obest. Quatuordecim millia ouium reddita pro septẽ millibus, sex millia camelorum pro tribus millibus &c. aperte ostendunt duplũ redditũ eorũ quæ perdiderat. Sed filij totidẽ redditi dicũtur, quot amisit. Non enim ad felicitatẽ pertinet multos habuisse filios, sed optimos. Et in Israẽlitarũ tantũ gente benedictio magna habebatur multitudo prolis, ppter promissum benedictionis semen, non inter gẽtes. Et nõ debebat optimi et iustissimi uiri prior proles inter mortuos cõputari, quæ in dño obierat, & in barathrũ damnationis perdita non erat: ideoq; proles illi non duplicata non indigne accipitur. Non enim idem est bestias occisas esse uel amissas in captiuitatẽ, et filios mortuos, qui dño uiuunt, quorũ dñs deus est, non mortuorũ.

Nomina filiarum Iob.

14 **Et uocauit nomẽ unius Diem, & nomen secũdæ Cassiã, & nomẽ tertię Cornu stibij.**

Potest exponi nomen primum, Multitudo dierum uel diecula pro delicijs, uelut pulcherrima aliqua dies: quasi si quis, ut mos est, dicat, clara dies. Nomen secundæ Cazia, quasi facie oblinita pretioso unguento, uel insigniter uirtuosa, excisionẽ alioqui uel extenuationẽ significat. Tertiæ uero nomẽ erat Cornu uersum, uel Cornu stibij, pulcherrimi coloris uel odoris, ob eximiã formã uel resplendentiã, uelut smaragdus. Ex elegantia formæ nomina sortiuntur fœminæ. Filiorũ nomina tacentur, nimirum ex uirtutibus imposita, quæ tũ ad argumentũ et scopum libri non usq; adeo opportunum erat explicuisse.

15 **Non sunt aũt inuentę mulieres speciosæ, sicut filiæ Iob in uniuersa terra. Deditq; eis pater suus hæreditatem inter fratres earũ.**

Felicitas in filiabus pulcherrimis annotatur, dcq; earum hæreditate. Filiorum sors non describitur, nec posteritas illorum, ut apud Hebræos & libros sacros reliquos

in more fuit, quia ad Christi genealogiam nihil spectabant, & gentium populis sine numero & nomine deo seruatus est, eligendus suo quandoq; tempore in dei populum & sanctam ecclesiam catholicam. Sorores quoque cum fratribus ad cœlestem hæreditatem admittuntur, ex gratia qua saluantur gentes: in lege uero fœminæ inter mares hæreditate carebant. Seueritas enim legis fortia eligens, negligit infirma, Christus autem infirma cum perfectis per gratiam redemptionis assumit.

16 **Vixit autem Iob post flagella hæc, centũ quadraginta annis, & uidit filios suos, & filios filiorum suorum usq; ad quartam generationem,**

Ætas Iob. *Centum quadraginta annis uixisse dicitur post hæc facta, quod tẽpus multo maius fuit quàm illud quod præcesserat in uita ipsius, fortaßis duplicitatem dierum uitæ posterioris significat ad priorem. Et si coætaneus Mosis fuisset, exceßisset non parum illius uitæ annos, quandoquidem Moses centum uiginti annis, Iosue successor centum & decem, hic autem Iob ad minus ducentis annis uixisse argueretur. Sed non rarum est in numeris aliqua ratione maiorem scribi pro minore sine iactura pietatis, & pro domini uoluntate, cui id placuit.*

17 **& mortuus est senex, & plenus dierum.**

Saturi dierum. *Vacuus dierum est, qui quamlibet multum uixerit, ætatis tamen suæ tempora in uanitate consumpsit. Sancti autem tædio uitæ præsentis afficiuntur, & dierum saturi fiunt in hoc mundo, cupientes dissolui, & esse cum Christo. Cui est honor cum patre & spiritu sancto inæternum & ultra.*

FINIS.

SVMMA VERSVVM M. LXX.

COMMENTARIA
CHVONRADI PELLICANI
IN PSALMOS.

Salmorũ liber et author unus an sit siue plures, disputatũ iam apud multos inueniet Lector, deq; eorũ ordine & titulis, quæ quia certa nõ sunt, & in pleriſq; diuersa, æque probabilibus coniecturis dici possunt: nos simplicitati studentes & breuitati, negligimus, nolentes occasionem præstare curiosulis infinitarũ quæstionum & inutilium. Hebræorum quidam Esdram libri huius congestorem arbitrantur, alij magnæ synagogæ uel synodi uiros, sicut & libri duodecim prophetarum. Sufficiat nobis fidelibus certißime credere, spiritum sanctum

Congestor Psalmorum

esse huius libri, sicut & totius Canonicæ scripturæ auctorem, per ea tamen organa, quorum paßim nomina præmittuntur libris ac Psalmis. Quibus autem nulla scriptorum nomina prænotantur, hos ueteres credidêrunt tribuendos Psalmos eis, quorum nomina proxime præmittuntur. Constat quoq; Psalmos non esse iuxta rerum quas canũt ordinem digestos, sicut nec in libris prophetarum & Salomonis scrupulosius omnia ordinata leguntur. Quin & numerorum & ordinis mysteria non inquirimus, incertiora nobis uisa, q̃ ut plurimũ in talibus laborare sine fructu uoluerimus. Quanquã autẽ in Psalmos olim breuißime scripserimus, & iuxta Hebræorum traditiones transtulerimus, ut nunc post qualiacũq; scripta nostra in uigintitres libros ueteris Canonis, nihil in Psalteriũ annotari necessariũ fuerim arbitratus, non tamen exactores operum nostrorum cessant urgere simile opus in Psalmos, quale in cæteros omnes per dei gratiam iam absoluimus, ut & longum non sit, & tamen prioribus prolixius. Quod quanquã ignorem quomodo processurum, tamen tentare compellimur: ea tamen ratione, ut textũ ecclesiastici Psalterij cum Hebraico diligenti collatione expensum, nõ mutauerimus, nisi sensum certa uariatione coacti, sicut & in reliquis libris fecimus. Eo tandẽ studio & iudicio, ut antehac nunquã tam diligenter sensum interpretetis expenderimus, cum dialectis ac tropis Hebraicis. Siquidem prius tantum grammaticam literalem curabamus, nunc uero genuinum captare sensum annixi, tanta dexteritate, eruditione & fide, Hebraico quo ad sensum concordare deprehendimus uulgatam æditionem Psalterij, ut eruditißimum pariterq; pijßimum, & uere prophetali spiritu prædiũ fuisse interpretem Græcũ & Latinũ non dubitem. Quanquam alicubi dissentiat à punctis Hebraicis, quibus nunc uti dæi utũtur, quæ olim non fuisse similia ambigere cogor, & quarundam literarum mutationem factam suspicio fit, conferentibus singula diligenter. Quo fit, ut studium toties interpretãdi Psalmos ex Hebræo uehementer probem, quod ab uno omissum uel subobscurius redditum, alius sua à deo collata gratia clarius & intelligibilius explanet. Magna autem parte imitati sumus non solum sententias, sed & uerba neotericorum illius Aretij Felini, quisquis is fuerit, certe eruditi, pij, & diligentißimi interpretis & cõmentatoris: utinam & in alijs libris Canonicis tam dextrum ductorem assequi licuisset. Dominus adaugeat sanctorũ studia in sacras literas, tanta gratia, ut hæc nostra nihili habẽda sint, cõparatione meliorũ, quæ sequantur. Id unice cupimus, ut in certamine huiusmodi gloria dei sola, & ecclesiæ profectus quæratur.

Nomen Psalmorum

Textus Psalterij

Volgata æditio.

Arethas sequitur.

Beatitudo fidelis uiri.

PSALMVS PRIMVS
Sine Titulo.

1 **BEatus uir qui non abijt in consilio impiorum, et in uia peccatorum nõ stetit, & in cathedra pestilentiæ (derisorum) non sedit.**

Quum sit mundus totus positus in maligno, omnia quoq; plena periculis & lapsibus fidelium, nec tamen inueniatur

inueniatur qui nõ felix & beatus fieri & esse desideret, cupiens summũ bonũ etiam in hac uita cõsequi, ut fieri potest, de quo maxime etiam sapientes disputant quale sit habendum: illud sacer Psalmista Dauid, ut maxime scitu necessarium, ita in primis docet atque hortatur, optimum scilicet in hac uita bonum esse, & scopum felicitatis ueræ, Si quis mas aut fœmina, Iudæus uel Ethnicus, doctus aut Barbarus, impiorum cõsilijs non acquiescat, si quis eorũ consuetudine nõ sit factus deterior, sed mature admonitus uerbo dei, abhorruerit à studijs improborum, qui totos se sceleribus addicunt, deum non reuerentur, sceleratorum quoque colluuiem, diuina pariter & humana deridentium & abominantium, detestatus fuerit, diuina imbutus & adiutus gratia, etiamsi spretus habeatur & pauper, sic; per fragilitatem humanam deprimatur contra conscientiam ad quotidiana delicta, ut non quod uelit semper operetur, sed non raro quod nolit. Vtcunq; aũt לצים & חטאים רשעים sicut et alia multa nomina peccatores significantia, prius quasdam rationes connotent, quia tamen interpretes omnes etiam doctissimos confundere ea cernimus, iuxta linguarũ usum, tutius uidetur simplicius illa tractare, iuxta consequentiam sententiarum, & non nimium in huiusmodi scrupulose emungere. Eleganter לצים pestilentes dixit interpres hic, & sæpe in parabolis Salomonis, quòd impijssimi nebulones & pestis rerumpublicarum sint hi, qui omnia naso suspendunt, sacra & prophana contemnunt, deum & homines, reuera lezim, id est intractabiles & immorigeri, qui iniuria quacunq; homines affecisse industriæ tribuunt & laudi ducunt.

Pestilentes.

2 **Sed in lege domini uoluntas eius: & in lege eius meditabitur die ac nocte.**

Non sufficit beato uiro declinare impios, & malitiam pestilentium hominum, nisi & tota animi propensione omniq; studio legi diuinæ inhæreat, siue ei quæ à conditore deo cordi & animo sine literis inscripta est, ut creatorem suum agnoscens & colens, fide & fiducia, proximo quoq; exhibeat quæ sibi cupiat ab alijs exhiberi, siue ei legi, quæ literis est excepta, praua uetanti, & iubenti iusta, ut tota beati hominis uita legi domini conformetur, nihilq; ducat antiquius quàm obsequi uoluntati diuinæ, complacere creatori, & indefesso studio meditari quomodo deo probetur. Hoc est enim legem domini penitius insedisse fidelium cordibus, sine intermissione conari, ut uetus homo deponatur cum suis studijs, & nouus qui secundum deum creatus sit induatur, perpetua contentione uotorum ac operum.

Legi dei adhærere.

3 **Et erit tanquam lignum quod plantatum est secus decursus aquarum: quod fructum suum dabit in tempore suo. Et foliũ eius non defluet: & omnia quæcũq; faciet, prosperabuntur.**

Qui missis uanitatibus & uanis hominibus diuinæ se legi totũ addixerit, merito beatæ arbori cõparatur, & feliciter plantatæ semperq; florenti, quæ benedictum fidei & sanctorum operum fructum propagat, sine intermissione, & multo copiosissimum. Quandoquidem succo diuini spiritus nunquam exhauritur, quo semper & irrigatur ac fœcundatur, ut suo semper tempore cum res poscit, & officium charitatis suadet, cumq; dominus dispensat ac ordinat prouentum gratiæ suæ, fructum pietatis uerbis & operibus uberrime reddit, gratissimoq; conuictu suo, ueluti sub amœnissima umbra circumfluentibus gratiarum multarum irriguis, quoslibet oblectare & consolari non cessat. Semper enim sui similis, omnibus omnia fieri unice studet, exemplo Christi domini, & sanctorum uerorum Abrahæ, Mosis & Ioseph, ut arbor optima, sibi nihil omnia autem alijs deferens, omnium expositus usui & utilitatibus. Cumq; nihil nisi dei gloriam, & electorum salutem spectet uel inquirat, omnia sibi sunt usui, semper & ex oĩbus proficit, quæcunque instituerit feliciter cadunt & finiuntur inuitis omnibus inferorum portis, deo autem faucente & prosequente actus illius, in prosperitatem salutis. Sancti omnibus fructuosi sunt, mali sibi tantummodo uiuunt, imò uiuentes mortui sunt, grandes apparent sæculo, steriles autem deprehenduntur & infausti, umbra quoque & fructibus uenenati. Vtcunque autem is uersus prolixior legatur à Iudæis & unus, ausim tamen cogitare, interpretum temporibus diuisum non incommode in duos, quod Hebræorum distinctio & punctatio nouitior sit quàm interpretatio Græcorum quorumcunq;, quando & codicum Hebraicorum scriptores olim æque dormitare potuerint, ut aliorum.

Omnia prosunt fidelibus.

Notabile.

4 **Nõ sic impĳ (non sic) sed tanquam puluis quem proĳcit uentus (à facie terræ.)**

Explanationis & emphaseos causa erudite & fideliter addidit, Non sic impij, non sic: quasi dicere uolens, O uos improbi homines, & facinorosi, deo increduli, hostesq; pietatis & fidei, non eritis unquam ut sancti utiles, salutares, gratiosi, perpetuò felices, & stabiles, non uobis succedent quæ instituitis, non est firma & fixa uestra probitas, etiam si ad tempus florere & radices firmas egisse fixisseq; uideamini, multa instituisse, quæ tamen modico tentationum uento dispellenda uidebitis, ueluti quisquilia rapta, uento exposita in æditis locis: nihil enim uobis & studijs uestris leuius est, aut fugatius.

5 **Ideo nõ resurgent impĳ in iudicio: neq; peccatores in concilio iustorum.**

In iudicio iustitiæ diuinæ, in magnoq; illorum sanctorum concilio generali, ac in priuato examine ordinis diuini ad homines, improbi ac flagitiosi homines minime consistent, sed condemnati pro impietate & perfidia, sua causa cadent, tribunalibusq; supremi iudicis Christi assistent, pronuntiata autem sententia mox se recipient, imò raptabuntur in ignem supplicium q; æternum, paratum diabolo & angelis eius. Neque peccatores consistent in cœtu sanctorum. Non approbabuntur delinquentes à sanctis, sed palàm iudicabuntur merito damnandi, qui donis diuinis abusi, contra conscientiã & monita assidua uerbi dei, sponte se contempsisse iustitiã negare non possunt. Damnationis suæ iudicium iustum decernent, nedum iusti sed & ipsimet quoq; peccatores, nulla sese poterunt tergiuersatione tueri, utcunq; proui-

Iudicium impiorum.

dentia dei omnia peragantur iustißime, cuius non sit à mortalibus, imò nec ab angelis ratio disquirenda.

6 Quoniam nouit dominus uiam iustorũ: & iter impiorum peribit.

Vitam institutum & omnem conuersationem imò cogitatum iustorum agnoscit deus & fouet. Eidem enim curæ sunt omnes actiones piorum, cognitione, amore, prouidentia, cura, & bonis omnibus. Deus prosequitur uitam sanctorũ, impij autem disperibunt unà cũ uita tota, & actibus suis. Improbatur enim infidelium omnis actio, & imputatur ad pœnam, dum iustis omnia cooperantur in bonum, & fideles perfecti excidere à dei gratia non possunt.

PSALMVS II.

Sine titulo.

ARGVMEN. *Spiritus Christi, qui est & piorũ omniũ, expostulat contra Christi & membrorum suorũ regnum infestare conantes frustra, quos et exturbandos prædicit, pios autem cum Christo regnaturos.*

1 QVare fremuerunt gentes: et populi meditati sunt inania?

Quasi uideat Psalmista undiq; Philistæos & impios turmatim concurrere, anxieq; conspirare illorum principes, & consultare, quomodo Dauidem inunctum in regem super omnem Israëlem, captum à se perdant, ut fecerant Sauli ac filijs, regnumq; fidelium dissoluant, & cultu unius dei deiecto, suam statuant idololatriam atq; impietatẽ. Dicit, Quàm feruide & anhelo spiritu concitatiq; concurrunt undiq; impiæ gentes, & perpetui Israelitarum hostes, iam sibi pro carneo brachio suo uictoriam pollicentes, animoq; suo iam omnia uastantes atque perdentes, cum non solum illis non successerit institutum, sed grauiter quoq; cæsi fuerint, tandemq; eius agnoscere imperium & parére coacti sint. Quia autem uerus noster Dauid, rex est omnium electorũ, supernæq; Ierusalem, Dominus noster Iesus Christus, hæc & similia apposite & ad literam simpliciter in eos dicta accipiuntur, qui contra eius regnum sese armant, illudq; extinguere omnibus sæculis uarijs licet modis annituntur, frustra autem, et cum ipsorum pernicie.

Dauidis & Christi regnum.

2 Astiterunt reges terræ, & principes conuenerunt in unum aduersus dominum & aduersus CHRISTVM eius.

Adsistere illud aliud non est, quàm promptis animis in commune statuisse Philistinos, bello adoriri sanctum regem à domino institutum, contulisseq; omnes uires & consilia, & ueluti coniurasse firmiter, reges & consiliarios principes, non tam contra Dauidem hominẽ dei, quàm contra ipsum dominum. Qui enim ministris aduersatur dei, nimirum dominũ impugnat. Qui enim uos spernit, me spernit, & pupillam oculi domini offendit, qui prophetas persequitur, quos obtinet satan, princeps huius mundi, qui non diligit nisi suos, odit autem & insectatur ueritatem et illius prædicatores, Christum, apostolos & apostolicos.

Resistere Christo.

3 Dirumpamus uincula eorũ, & proiciamus à nobis iugum ipsorum.

In hostium persona dicitur, cohortantium sese ad exemptionem regni Dauidici, ne quando eidem seruire tandem cogantur, cuius iamdudum uirtutẽ experti fuerant, cuius imperij habenas subterfugere, seruitutis iugum & tributa abijcere conantur in tempore. Sic omnes impij clamant, Nolumus hunc regnare super nos: & quotiescunq; Christi regnum augescere gliscit, toties princeps huius mundi per satellites suos impios renititur, & ueritati subesse recusat. Qui enim iugo principis huius mundi alligati sunt, leui iugo Christi, & charitatis Christianæ uinculis ceruicem submittere non sustinebunt. Odio habent patrem & filium. Quomodo enim ferret factus imperium modestiæ, auaritia iussa paupertatis, luxus fasces crucis, ambitio sceptrum contumeliæ, effrenis licentia frenum continentiæ?

Hostes Christi.

4 Qui habitat in cœlis irridebit (eos, &) dominus subsannabit eos.

Illi cum tumultu conuolant: deus autem contra quietus sedet, & quidem in cœlis, quo nulla pertingit prorsus perturbatio. Illi serio anxie ac feruide multa loquuntur, consulunt, statuunt, moliuntur: deus uerò ridet eos, tanquam conantes impossibilia, ceu ridere soleret Athlete tam oportet, si cum sternere pusio aliquis annitatur. Illi multi ex omni genere hominum, uirtute quoq; ac dolo instructi sunt: porrò dominus unus, cum iustum tempus apetierit, solo nutu exagitat eos atq; disperdet. Quod autem ridere dicit, & subsannare iungit, repetitio est familiarissima omnium linguarum poëmatibus.

Turmatim impiorum ruina.

5 Tunc loquetur ad eos in ira sua: & in furore suo conturbabit eos.

Inducit se iam illum temporis articulum cernere, quo declaraturus sit deus, quàm insane Philistæi fecerint, Dauidi bellũ inferendo. Is articulus tum, quod ad Philistæos attinet, uenit, quando eos ter grauiter cæsos, Dauidis in Palestinos imperio dominus subiecit. Sic semper uidetur usque ad finem delium stuporem, omnium Christi regno aduersantium insania & dementia, ira & furor, quam ille ad tempus ridet, dum in salutem suorum omnia torquet, quæ impij in contrarium moliuntur. Loquiturq; in ira, dum seuere punit & uindicat: loqui enim dominũ est facere. Conturbat autem dominus impios in conscientijs, dum sibi irasci coguntur, & pœnitentia infructuosa tandem condi.

6 Ego autẽ constitutus sum rex ab eo (ordinauit regem meum) super Sion montem sanctũ (meum) eius,

Hebræus quidem legit, Et ego unxi regem meum super Zion montem sanctum meum. Interpres autem uetustus, legisse cernitur pro Nosachti Malki, Nissachti Malcho: sicut & Kadscho pro Kadschi mutatis punctis, & Iod in Vaf. Vt tunc sensus fuerit legentibus: Ego autem constitutus sum rex ipsius, id est ab eo, super Zion montem sanctum eius. Incertum mihi quæ uerior lectio sit, Legendo consyderanti attentius priscis Iudæis, & apostolicis temporibus Psalterij librum sic in continuo usu fuisse, ut nullus æque alius liber Canonicus, præter legem Mosis, ut tame

tam eruditum interpretem communis usus legendi Psalmos & intelligendi latere minime potuerit: quoniam eo tempore, dum adhuc staret templum, & Hebræa lingua uigeret, arbitror fuisse longe doctiorẽ huius linguæ expositorem & interpretem, quàm aliquem eorum Rabinorum, qui post mille annos captiuitatis in Hispanijs uel Italia Grammaticam docuerunt. Veruntamen utraq; lectio, sensum eundem refert huius uersus. Dum inducit ipsum deum testificantem de suo rege, à se constituto super uniuersum populũ suum: quem ideò montem Zion nominat, quod illic sacrarij sui sedem delegerat: unde et sanctum uocat montem. Is autẽ rex Dauid quidem fuit, sed in typo Christi, cuius regnum idem & dei est totius ecclesiæ fidelium, quæ Zion dicitur à prophetis, sicut et Messias filius Dauid, & ipse Dauid, cuius regnum æternum est, quod tam magnifice hic Psalmus prædicat, ac deũ ipsum de eo testamẽ introducit, teste etiã Apostolo.

7 prædicans præceptũ eius. Dominus dixit ad me, Filius meus es tu, ego hodie genui te.

Quod uetus interpres uersui priori adnectit erudite, per Participium prædicans, Iudæi sequenti iungunt futuro tempore, non mutata sententia, quæ talis est, ut explicare uelit deus quid de se, deinde et præcipue de Christo suo rege statuit, idq; ipsius dei uerbo, dicens: Frustra Philistæi impossibilia molimini, ego certissime memorabo, & celebrabo, narraboq; uobis, quid de me statuerit deus. Id certe uos homunculi in perniciem uestram oppugnare poteritis sed non expugnare. Dixit ille ad me, cum per Samuelem me ungeret regem super Israëlem, Filius meus es tu, hodie genui te: alium te iam reddidi pastorem ex pastore ouium, principem meorum fidelium. Omnia citius euanescent, quàm ut excidat dei uerbum. Hoc ipsum Christus respondebat concilio Iudæorum, Ex hoc tempore erit filius hominis à dextris uirtutis dei: et apostolis, Data est mihi omnis potestas: quod & coram Pilato non tacuit. Quandoquidem cum à Ioanne baptizaretur, audita est uox patris, Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacitum est. Sic et Paulus in Actis hũc locũ intellexisse uidetur, et in Epistola ad Hebræos, Christus, inquit, non glorificauit seipsum, sed is qui dixit ad eum, Filius meus es tu, &c.

Christi regnum.

8 Postula à me, & dabo (tibi) gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ.

Adeò non impedient istæ gentes regnum tuum, quam libet tumultuentur, ut ad tuam eas uoluntatem daturus tibi sim, in propriam possessionem ac hæreditatem, Christum per typum designans, cuius imperio cessuras promittit omnes gentes, hoc est, fines terræ & omnes hostiũ regiones. Sive de Dauid accipiatur, sive de Christo. Sic quoq; dominus Salomoni dicebat: Pete quod dem tibi.

Christi unius uerba reguum.

Nulla est enim in orbe regio quæ olim uel nunc de fide Christi non gloriata fuerit: quod utiq; iterum futurum est, etiam Iudæis conuertendis, qui interim hæc carnaliter futura semper expectant, suam magis quàm dei gloriam & regnum desyderantes, cum nos interim Christo etiam ut homini, non solum quicquid est hominum, sed etiam angelorũ ac spirituũ, patrem subiecisse, idq; tunc appariturũ, cum planè fuerit reuelatus, et cũ fuerit completum quod alibi pater deus dixit, Sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.

9 Reges eos in uirga ferrea (&) tanquam uas figuli confringes eos.

Non igitur uos me à patre regem institutum extinguetis, ipse potius frangam & comminuam uos, per uirgam ferream durum Dauidis imperium, uimq; illam diuinam, qua cunctos suos hostes fregit, significat. Tertio enim cæsos Philistæos Dauid imperata facere coegit, Moabitas dimidiatos deleuit, Ammonitas funditus excidit: sic attriuit sæpius Idumæos & Syros. Quomodo autem hostes suos Christus Iudæos & Gentiles cæciderit, et semper cædat, non opus est plurimis docere. Nihil unquam ualebunt qui consilio uel uiribus ferio Christum oppugnare præsumẽt. Incidet in illos lapis ille, quem reijcere moliuntur, et fit in caput anguli. Perfidos colonos occidet, qui hunc noluerunt super se regnare. Rediget in nihilum, qui Christi regno bellum indicunt.

Dauid. Christus.

10 Et nunc reges intelligite: erudimini qui iudicatis terram.

Admonitio est prophetæ ad reges & principes, ut se subijciant sponte regno, & regi à domino instituendo: cuius agnouisse imperium, solida est felicitas, subduxisse se, æterna calamitas: sic enim dominus uoluit, cuius ordinatio mutari non potest, quandoquidem uestra potestas uobis à domino tradita, alia ratione stabiliri non potest. Sustinete uos moneri & doceri, ut sapiatis & salui sitis. Addicite uos in seruos, non Dauidi, non filio hominis fabri, ut male consulti putatis, sed

Ad reges.

11 Seruite domino in timore: et exultate (ei) cum tremore.

Domino ipsi deo seruite, cui seruire regnare est, hoc est, optatissima ac beata libertate frui. Domino igitur non homini seruite, idq; cum timore et reuerentia, summoq; studio, huic suprema maiestas est, cui anxia cura gratificandi inseruiendum est. Nam planè gratulandum est, hunc uobis regem contigisse, qui saluat in æternum, eos omnes, qui in fide eius esse uoluerint. Verè & soli sapiunt reges mundi & imperatores cum magnis principibus, qui huius Christi domini se præfectos tantum cognoscunt, & regnum eius proferre non subuertere student, hanc sibi sapientiã principes persuaderi sinant.

12 Apprehendite disciplinam (osculamini filiũ) ne quando irascatur (dominus) & pereatis de uia (iusta.) Cum exarserit in breui ira eius: beati omnes qui confidunt in eo.

Hic quidam Hebræi exponunt, Osculamini filiũ: alij, Adorate pure: Chaldæus, Suscipite doctrinam. Vbi in re dubia, malo uetustissimo interpreti credere, quàm recentioribus, maxime cũ sententia non reclamet, & Syro ipsum placuerit. Quid enim aliud est, apprehendere disciplinam, quàm subdere se regenti, acquiescere meliora monenti, & ferre modestius mala uindicantẽ? quod est officiũ regum & principũ, cuius obsequij & deditionis

Interpretatio uaria.

signum est osculū manus regiæ, & adoratio rationabilis, eorum, qui ob maiestatem potentiæ desuper acceptæ, sunt & dicuntur dij, & filij altissimi, quorum omnium caput & primogenitus Christus est, à quo reliqui habent ut filij dei sint et uocentur. Vt sit hic sensus. Hunc regem à deo constitutum primogenitum uniuersæ creaturæ, suspicite, patimini uos ab illo regi, ex animo uos regno illius committite, & in illius obsequium iurate, ne succenseat uobis, & uelut uas figulinum confringat atq; comminuat, & ita pereatis de uia, hac uita & omnibus optatis rebus excidentes. Non enim ob aliud uobis irascitur, quàm quod obsit saluti uestræ. Adiectū est autem Iusta, non infideliter, ne quis uiam omnem seruandam cogitaret, & uocationem quamcunq;, sed eam solam quæ iusta sit, & digna bono uiro, quæ & à domino cōprobetur. Vt autem magis terreat, addit, Cum exarserit in breui ira eius: hoc est subito & citius opinione pœnam sumet de suis contemptoribus, dominus & rex ille à domino constitutus super omnes fideles et filios dei: à quo gratia datur & gloria, & è cœlis præscripta uita felix & sancta, solida iustitia, quæ habetur per fidem in dominum patrem per Christum saluatorem.

Filij dei & regis Christi.

PSALMVS III.

Psalmus Dauid cum fugeret à facie Absalom filij sui. (2. Reg. 15.)

Titulus huius Psalmi per se clarus, magis etiam cum Psalmo pertractando intelligetur ex secundo Regum, à capite decimoquinto usq; ad uigesimum.

ARGVMENT. Psalmi est, imploratio diuini auxilij contra probrosissimū hostem filium suum, quærentem ipsum ad certum exitium, iudicio diuino suscitatū, propter scelera sua, cum consolatoria fiducia in misericordiam dei, ut statim sensit mirificum spei robur, quo fretus, summa securitate committit se domino, qui solus saluare uult & potest in se sperantes.

1 DOmine quid multiplicati sunt qui tribulant me? multi insurgunt aduersum me.

Coram domino cum admiratione conqueritur Dauid, uidens totum Israëlem concurrere & armari contra se, cum filio, & cognato Amasa, & intimis consiliarijs suis, & ferè omnibus regni proceribus, queri quoq; ad mortem, & eam probrosissimam à filio proprio & dilecto intentatam, cū amplissime de toto regno fuerit semper meritus, iustissimus rex, et fidus pater creditæ sibi gentis, quos defecisse uidebat ad pernitiosissimos tyrannos, quorum insanus furor & turpissima ingratitudo illum urgebat, quàm maxime, ut diceret, O domine, quàm multorum impiorū hostilibus armis nunc petor, exul à regno quod mandaueras, & à multorum consilijs nunc infestor usq; ad mortem.

Dauidis calamitas.

2 Multi dicunt animæ meæ, Non est salus ipsi in deo (eius.) Sela.

Cogitant, iudicant ac affirmant hostes illi mei, de anima mea, quod sit prorsus abiecta & inuisa tibi domino deo meo, qui tot me malis premi sinas, etiam à proprio filio tam turpiter exhonoratum, & extrema ignominiæ aspersum, qua maior cogitari uix possit. Quanquā culmen fortassis præter Nathan & Ioab nemo sciret crimen de Vria admissum, tamē grauissime diuexabatur à conscientia, sciens tot mala ingruere mandato domini propter peccata sua. Aut fortassis proditam malitiam tantam, dolebat præstitisse se tantum scandali & malorum. De סלה Iudæi quoq; uariant, dicentes uocis quandam elevationem signare psallentium: id ut concedamus, tamen ut Christiani spiritum scripturæ ad agnitum scopū certius agnoscentes, dicimus mentis & cogitationis excitium designari, signū esse anhelantis fidei ad assequendum promissum bonum uel euadendum malum spiritus aut corporis: desyderij affectū, ut quoties hæc uox occurrerit, intelligamus memorabile quippiā dictum esse, & admirationi uel deuotæ meditationi locum & tempus postulari, admoneri alicuius mysterij, minime contemnendi, uel prætercundi sine expensione. Hic sanè, quæ maior homini tentatio contingere potest, quam se desertum à gratia dei cogitare, & tanto scandalo prostare multis hominē, à deo electum? in his autem Christi & omnium filiorum dei typum uidere facile est, contra quem semper conspirant homines impij, ut & Iudei contra Christum, etiam iam crucifixū blasphemantes, à deo derelictum esse propter peccata: unde & ipse in monte Oliueti deum patrem orauit, & est consolatus.

3 Tu aūt domine susceptor meus es (clypeus pro me) gloria mea, & exaltans caput meū.

Vtcunque impotenti odio in me sæuiant impij, persuasumq; habeant, te dominum mihi nullam opem laturum: tu tamen posthac ut hactenus semper clypeus mihi eris, & undiq; ambiens me ubi hostis instare uidetur, qui sem per solitus es me tueri, & suscipere infestatum ab omnibus, imò uelut iacula in me detorta tu ut clypeus excipis, & protegis undiq;: quod est esse susceptorem in prælio. Nunc quoque non deseres cum regno me exuere conantur, & ignominia obrucre à te mihi traditam regni gloriam, ut ferè pessimo cuique ludibrio sim, summeq; contemptus. Exaltabis tandem caput meum, lucu lenta rursum uictoria me restituens in regnum, quamlibet hanc seditionem probe commeritum: non enim perpetuo me pudore suffundi patieris, ne id in tuam quoq; cedat ignominiam & contemptum, qui me elegisse cognoscaris ad regnum Saule reiecto.

4 Voce mea ad dominum clamaui: & exaudiuit me de monte sancto suo. Sela.

Gloriatur impetratam sibi à domino animi securitatem, postquàm malis pressus sese conuerterat seruenti ac humili prece ad dominum, id sibi semper feliciter cessisse rit ut & nunc. Minime uitiosus est in sanctis affectibus Tautologia, nec pleonasmus nec tautologia, nec reliqui quicunque figuratiue modi loquendi. Nihil in his sacris libris moramur Rhetoricos uel Grammaticos: elegantia sacra consistit in fidei, spei et charitatis profusis & amplis affectibus. Abunde eloquiū nostrum domino placet, si simplicitatem & affectum sanctum redoleat. Placeant alij eloquentia sua uanis, nos discamus ex sacris literis humiliter, & fideliter

deliter tam sentire quàm loqui. Ab oraculo in monte Zion dominus responsa se daturum promiserat, de quo Dauid certus, nihil de diuino dubitat affuturo auxilio, ad cuius maxime certitudinis solatium adiecit, Sela. Nemo quamlibet peccator diffidat: si orare dominum humiliter poterit, exoratum dominum non diffidat.

5 Ego dormiui, et soporatus sum (&) exurrexi (euigilaui) quia dominus suscepit me.

Securitas fidelium. Summam securitatem significat. Nam qui ad quietem seipsum componit secure dormit, & cum libet nullo alio excitante euigilat, is nullis distentus curis, nulla est constrictus anxietate. Dauid itaq; certo periculo nõ est nimium perturbatus, quin credidit sibi respondisse dominum & sustentare. Quem enim dominus fulcit ac gestat, is in summa rerum perturbatione summa pace & tranquillitate fruitur, sciens sibi omnia cooperari in bonum, semper in prouidẽtia clementis dei sustolli, & eximi à quacunq; calamitate: hoc est autem suscipi à domino, & exurgere: quemadmodum & Christus crucifixus, mortuus, & sepultus, diuina uirtute propria dum uoluit euigilauit & resumpsit uitam, sicut & dum uoluit ponebat, à mortuis enim resurrexit, & susceptus est in cœlum, sedens ad dexteram patris.

6 Nõ timebo millia populi circũdantis me,

Idem simpliciter uult hoc uersu, quod priore dixerat. Quantumuis numerosum populum, qui Hebræis significatur per dena millia uel myriadem, non timebo, si mecum fuerit dominus, ut consueuit. Etiam si sese posuerint contra me undiq;, id est atrox bellum si mecum susceperint hostes uniuersi, ut humana uirtute cuadere nequeam, id enim expertus in deserto Maon, diffidere non possum. Est ergo circundatio ista cum auxesi ualida intelligenda, quia maxima est uis fidei in deum.

7 exurge domine: saluũ me fac deus meus. Quoniam (tu) percussisti omnes aduersantes mihi sine causa (maxilla) dentes peccatorum contriuisti.

Precatio breuis. Precationem prosequitur uerbis breuem, sed affectam, prolixam ac potentissimam. Immensam inuocat dei potentiam ac bonitatem, ut tota illi fiducia cor eius adhærebat. Adijcit autem, Deus meus, cuius solius uirtute nitor, serua me. Surge, inquit, profer & declara contra hostem, in meam salutem, tuam potentiam. Non finas diutius malos ferri sua libidine, sed dentes & maxillam eorum inflicta plaga retunde, & ferotiam reprime, ut quantumlibet moliantur lædere, frustra conẽtur omnia, irrita contra me feratur illorum uesania: quod est contritis dentibus ferocientem beluam sine causa uel uulnere mordere.

8 Domini est salus (&) super populũ tuũ benedictio tua. Sela.

Conclamatio. Vt abrupta quidem uideatur conclamatio, non tamen abscq; affectu adiectum est, hoc sensu, iure sic sum securus, ope domini inuocata. Hic enim unus est qui saluare potest. Et ut sit ardentior affectus, persona mutatur, iuxta morem Hebraicum, ipsum dominum alloquendo. Sit obsecro pro tuo more, ô deus, super populum tuum tibi fidentem teq; colentem benedictio tua, cumulus beneficiorum tuorũ, fauoris & gratiæ. Id enim benedictionis nomine in scriptura significatur. Hoc cum maximopere desyderandum est pijs semper, & fides in dominum semper habenda: ideò hic quoq; Sela adijcitur.

PSALMVS IIII.

In finem in carminibus, Psalmus Dauid.

De Psalmorum titulis non conuenit etiam inter Hebræos, nisi ubi aperta aliqua indicatur historia, ut Psalmo præcedenti. Habent enim dictiones quasdam incertæ significationis, quarum frequentior est למנצח quam prisci, In finem, retulerunt, quasi toto conatu cantandi sint illi Psalmi, & ad uincendum se mutuo cantibus, feruorem deuotionis prætendentibus, ut in Romano ordinario cantare consueuerunt quosdam Psalmos, continua uocis eleuatione. Nisi si quis acutiorẽ in musica uocem significari uelit, ut sunt uoces obscuriores & demissiores, quas עלמות, et in octaua quos השמיניות adnominatos uolunt. Similiter & pleræq; aliæ dictiones in titulis sunt, ut Neginoth, Schigaion, Schiginoth, Maeloth, Githith, Schosannim, Nahiloth, Michtam, Mahalah, Maschcil. Quibus quidam Iudæi putant significari quasdam melodias, alij instrumenta musicalia, alij initia carminum, alij genera tonorum: ego malo ignorantiam rerum huiusmodi uetustissimarum fateri, & agnoscere, satius putans silere de talibus, quàm temere quippiam definire, uel sine fructu inuestigare. Ideoq; titulorũ explicationes dum nihil dignum, uel certum habeo, uel inuenio, alijs hunc disserendi laborem concedo, maxime cum uetustiores interpretes circa Psalmorũ titulos multa & uaria addiderint atq; mutauerint, ut suspicio sit à compositore libri adiectos, non à primis & ueris Psalmorum authoribus. Vtilior fuerit nobis argumentorum assignatio circa singulos Psalmos pro intelligentia ampliori.

De nominibus titularibus.

ARGVMEN. huius quarti Psalmi. Exhortatio est populi dei, ad pietatem & innocentiam, interim tamen etiam impij increpantur, & quæ sit piorum felicitas ostenditur, & ad fortiter sustinendum aduersa adhortantur.

1 CVm inuocarem exaudiuit me deus iustitiæ meæ: in tribulatione dilatasti mihi. Miserere mei: & exaudi orationem meam.

Ostendit qua semper fuerit in deum fiducia, & quam paratam sibi opem diuinam senserit semper, prædicans dei bonitatem, & ad fidendum illa alios inuitat, cumq; spe plena deum solum docet inuocandum, quoties calamitas quæcunq; ingruat. Gaudet enim dominus uirtutẽ & gratiam suam luculenter declarare inuocantibus ex animo. Nominat autem dominum, deum iustitiæ suæ. Quanquam enim regnum iuste administrauerit, iudiciũ & iustitiam administrando omni populo, in multis tamen offendit. Veruntamen dei ad se gratiam toties expertus certò agnouit electum se à domino, & post peccata plurima susceptum, ac ut filium se castigatũ sciens, de dei fauore dubitare non potuit, quod & iustitia illius

Deus iustitiæ.

fuit, ut non in se, sed in dei gratia gloriandum sibi cognouerit. Qui si diligit Dauidem beneficijs specialibus prosequendo, iustus est, si respuit non peccat optimus maximus. Tribulationem uocat angustiam, hostium instantia perpessam, ut Dauid & omnes pij continuo patiuntur: quibus consulitur, dum liberati ab angustijs in latitudinem emittuntur, spatium quoq; permittitur euadendi & pro arbitrio uersandi. Dicit igitur, Quotiescunq; te inuocaui, ô domine, semper continuo exaudisti, id autem propter teipsum & tuam iustitiam, non meam. Et cum plurimum hostium ferotia coartarer, semper me mirabiliter exemisti ab omni angustia. Igitur ut hactenus sic nunc quoq; & semper miserere mei, & gratiam tuam mihi ostendas, in quam solam confido, orationes meas quamlibet continuo transgredientis, nõ auerseris, sed clementer exaudias.

Angustia piorum.

2 Filij hominum, usquequo graui corde? ut quid (gloria mea ad ignominiam) diligitis uanitatem (&) quæritis mendacium? Sela.

Constat non modicis indicijs ac rationibus interpretem priscum doctißimum fuisse, ut tam planis in locis hallucinatum nequaquam credendum sit: qui tamen hic transtulit, Filij hominum usquequo graui corde? ut quid diligitis uanitatem, & quæritis mendacium? Videtur itaq; exemplar illius nonnihil ab Hebræorum nunc extantibus & impreßis codicibus discrepasse. Virum autem pro homine transferri, & hominem pro hominibus creberrimum occurrit, numerorum scilicet mutatio, & personarum. Vsq; quo, non habet dubium. Pro eo autem quod Hebræi nũc habent בבודי לכלמה תאהבון, quod ipsi interpretantur, Gloriam meam ad ignominiã diligetis, exẽplar priscũ habuisse conijcitur sic, בבודי לב למה תאהבון, mutata tamen ב in ב, & diuisa dictione. Sic autem circumscriptis punctis illud interpretatum ualet, Vsq; quò graui corde? ut quid diligitis uanitatem, uel inania? Incertum mihi relinquitur, quibus potißimum et certius sit exemplaribus adhærendum: sensus tamen utrobiq; clarus est. Iudæorum quidẽ talis erit sententia, O homines mortales, uel posteritas Abraæ, quousq; uos gloriam regni à deo mihi traditam perducere contenditis ad ignominiam, & ea me gloria spoliare conamini? Quousq; amabitis uana et sectabimini pro perpetuo more uestro mendacia? Vel generalius: Quousq; spreta gloria mea, & magnitudine potestatis à deo mihi traditæ, uana semper diligitis? quousque nugatia sequemini? Veteris interpretis sensus est: O gentes terræ & posteritas Adam, quousq; obstinato corde, duro crassoq; iudicio uiuetis? quid est quod uanum idolorum cultum amatis? & non ipsam ueritatem, sed solum quod mendax falsumq; est studiose inquiritis. Sela autem dictio, iterum admirationem incutit, super tanta prauitate hominum, ut tam propensi sint ad uanitates, tardi autem ad iustitiam capescendam, illis honestißimam licet atque utilißimam.

Collatio literæ ueteris ad nouam.

3 Et scitote quoniam mirificauit dominus sanctũ suum: dominus exaudiet (me) cum clamauero ad eum.

Non tantum me Dauidẽ, sed quemlibet sanctum hominem, ex electione susceptum, ueluti familiarem & peculiarem per gratiam, sic mirabilem alijs reddit, et prærogatiuis illustrat singularibus, ut omni uanitate huius mundi contempta, quam uani & impij admirantur, totus sic deo deditus inueniatur, ut illico præsto sit illius obsecrationibus dominus, ut sicut nihil uanum precatur à domino, sic nulla quoq; oratio illius excluditur, quo minus à domino exaudiatur. Singularem de sanctis dominus curam gerit, et admiratione dignos efficit, quantoq; magis in hoc mundo iniurijs afficiuntur uel negliguntur, tanto sunt deo suo commendatiores, defenduntur q; diligentius quicunq; bonitati studet, ipsum deum creatorẽ suum & patrem, beneficentia insigniore imitatur.

Mirabilis sanctis.

4 Irascimini, & nolite peccare: quæ dicitis in cordibus uestris (&) in cubilibus uestris conpungimini. Sela.

Vtcunq; Iudæi רגזו interpretentur Contremiscite, æquè tamen Irascimini significat. Vt sit clarus & indubius sensus: Si quid mali & impium uel iniuriosum fieri uideritis, irascimini iustoq; zelo permouemini, uos filij hominum, sed non contra sanctos dei & electos, quos non persequi sed defendere debetis. Interim uerò dum alijs impijs infensi estis, curate ne uos quoq; peccetis, & dignum ira piorum admittatis, sed & ne quid nimis, ne & uos tentemini. Quin potius scrutamini secreta conscientiæ uestræ, ibi autem inuenietis prauitates secretas, cogitationes impias, desyderia inhonesta, odium boni, ibi occasionem inuenietis desistendi ab ira & indignatione in alios: uestra primum mala deplorabitis in secreto, deq; aliorũ alios ob peccata minora persequi cessabitis, deq; aliorũ diffamatione & uestra iactatione tacebitis. Non enim statim hi peiores sunt coram deo, quorum peccata publicantur in opere uel pœna. Pro hac saluberrima doctrina, tam paucis uerbis explicata, & iugiter meditanda, additur Sela.

5 Sacrificate sacrificium iustitiæ & sperate in domino,

Sacrificate potius sacrificia iustitiæ, expiate malum transgreßionis uera pœnitentia, & proposito melioris uitæ, sperando in dominum, & bonis operibus iuxta domini præceptum proximo benefacite. Hæc est enim iustitia, qua sibi dominus ab hominibus seruiri iußit, hæc sunt sacrificia fidelium deo grata, sperare in domino, & de illius bonitate consolari, non scandalizari, nec clementia dei abuti. Totius religionis ueræ summa est, sperare in dominum, & sacrificare illi innocentiam uitæ, & uitulos labiorũ, humilis confeßionis & laudis. Tum quoq; iuxta Apostolum, Nostra corpora hostias uiuas, deoq; unice gratas mactare, hoc est, gloriæ dei usibus & eorum cum quibus uiuimus consecrare. Hoc si primum fecerimus holocaustum, tum & munera offeremus sacras eleemosynas, et quotidiana in quoslibet officia, quibus hostijs promeretur deus.

Sacrificia.

6 multi dicunt, Quis ostendit nobis bona? Signatum est super nos lumen uultus tui domine:

Sacrificandum est illi soli, & fidendum, à quo certo constat fidelibus recipere se omne bonũ. Multi autem sæculari & impio præditi ingenio, non sine perfidia blasphemant prouidentiam dei circa homines, cum risu dicentes, Quis ostendet nobis bona? quis iste potest esse, qui omnibus sufficiat inuandis? Quibus respondet diuinus piorum spiritus, orationis forma dominum inuocando: Tu domine deus noster omnipotens et omnia sciens, à quo omne bonum nostrum, eleua super nos et designa & prostitue nobis lumen uultus tui, ut cũ in nobis desciat ratio naturæ deprauatæ per peccatum, unctione tui spiritus scientia nobis salutaris donetur.

7 dedisti lætitiã in corde meo, à fructu (tempore) frumenti (eorum) uini (eorum) & olei sui multiplicati sunt.

Consolatio uera spiritualis.

Vbi tu domine illustraueris gratia tua mentem meam, & tuæ bonitatis beneficia præstabis, longe uberiori gaudio perfundar, & lætabor in te de agnita clementia tua effusius, q̃ si totius æstatis fructibus omnibus feliciter congestis fruerer in summa pace, siue id uinum sit, siue oleum, siue frumentorũ omnia genera, & fructus arborum. Hæc enim omnia temporaria sunt, & caduca, desciuntq; indies, & auferri possunt ab hostibus: tuæ autẽ gratiæ consolatio, etiam inter angustias oblectat, & in mundi huius calamitatibus non finit succumbere. Erudite transtulit tempus pro fructibus, qui æstate, hoc est suo in tempore tantum crescunt: sed, Præpositio, à, comparatiue sumenda est, pro Plusquam, Hebraico more.

8 In pace inidipsum dormiam & requiescam, quoniam tu domine singulariter in spe constituisti me.

Consolatus igitur gratia tua et fiducia, altissima iã pace cum meis fruar, liber & securus omnium, iuxta promissiones tuas ad patres, quãdo dixisti, Comedetis cibũ uestrum ad satietatẽ, & securi sedebitis in terra uestra. Dormietis nec erit qui exterreat, nemo uestram felicitatem interturbabit, miseri uero erunt omnes qui aliunde rebus suis consulere uoluerint. Tu itaq; confidenter me facies habitare, solum apud meipsum, uel solus id potes præstare, ut tuto tibi fidam, ex te totus pendeã in hoc sæculo calamitatum, in medio impiorum, quos tu deus deterrere potes, & impedire cõsueuisti, ne prævaleãt per petuo iustis tuis, ut tãdẽ requie quoq; tua fruar æterna.

PSALMVS V.

In finem pro ea quæ hæreditatem consequitur, Psalmus Dauid.

Cum nihil Dauidi gratius esset, quàm cum pijs certatim deum colere, ideo nihil illi potuit molestius euenire quàm uersari inter idololatras, extorris ab hæreditate paterna, diuinitus illi decreta, idq; propter mendacia et dolos inimicorum suorum, Saulem instigantium ad proscriptionem Dauidis: in quo suo exilio carmina multa conscripsit, postquam à domino frequentius consolaretur, quibus & alios ad fidendũ deo pariter extimularet.

ARGVMENTVM. Oratio pro fideli populo uastato ab impijs, per gratiam tamẽ dei adiuto, & tandem damnatis impijs, consolato magnifice.

1 VErba mea auribus percipe domine: intelligе clamorẽ meum.

Omnibus illis precandi uerbis nihil aliud uult, quàm ut uotis suis annuat deus, et tot malis eum eripiat. Id aũt facit, cũ inenarrabilibus gemitibus, & æstu animi feruentis, nõ sine affectuosa multiplicatione uerborum, quæ apprime domino placet ex animi pietate procedens. Verba petit admitti auribus, attendi uociferationi, & clamori non uocali, sed intimã querulationem ex afflicto corde exæstuantẽ, quam non tam compositis uerbis, quàm desyderio mentis depromere cogitur.

2 Intende uoci orationis meę, rex meus & deus meus, quoniam ad te orabo,

Amat orari deus.

Nihil quidem creaturarum ignorat dominus, amat autem in primis fideles ut pater fidelissimus filios dilectos: patitur tamen crebro diuexari ab impijs, uultq; in angustijs illorum eos ad se tantum clamare, & ex toto corde, sed & ardentius orandi instinctum præbet, dum uult exaudire, interim tamen aliquando dissimulare uidetur, dum maxime clementer adest, & aspicit omnia. Dominum regem & deum suum appellat, geminatione grata animi perturbati & anhelantis, à quo totus pendeat, quem dominũ agnoscat, & regem colat, qui sua omnia curet, cuius unius præsidio confidat, neq; alium quemcunq; uindicem quærat, uel sanctũ intercessorẽ ex mortuis siue diuis. Multis quidem uerbis precem admitti orat, rem autem quæ premit tacet, more grauiter afflictorum, arbitratus dominum non latere suas calamitates.

3 domine mane exaudies uocem meã, mane astabo tibi & uidebo:

Mane orandum.

Oro anxius ut me audias rex meus, quem unicum adoro & saluatorem inuoco, ad te & ad nullum alium precem meam fundo, idq; quotidie & matutino tempore, summe opportuno orãtibus, qd' omnibus meis antepono curis ac studijs. Oriatur igitur tandẽ illud mane, cum singulorum dierũ exortum sanctis ad te precibus excipio, ad te uelut è specula suspiciam, & contemplabor quæ circa me beneficia tua profundas & hostibus rependas maleficia, quando me tandem adiuues. Non est initium diei et uigiliarum sine feruidis ad deum precibus pro totius diei fatis & euentibus prætereundum: quanquam singulis momentis creatoris nostri memoriam inculcare debent nobis creaturæ dei in usum traditæ.

4 quoniam non deus uolens iniquitatẽ tu es, neq; habitabit iuxta te malignus:

Odium iniquitatis.

Non tu es ut dij gentium, quin ut dij non sunt, sed noxij dæmones, ita flagitijs, fraude et omni improbitate delectantur, tibi autem probari improbi haudquaquã possunt, impedis autem eorum conatus, & frangis furorem in fideles tuos, siquidem amator iustitiæ es, & ipsa iustitia, oculis tuis fideles continuo respicis, ne succumbant adiuuas: sic meam quoq; causam & partem adiuua, ne prævaleat impius. Parum autem dicit plus significans, Non uolens iniquitatem, hoc est uehementer odiens, & duriter puniens. Malum quoque tecum non cõmoratur: omnia enim tibi bona sunt, & malignus quoque nolens

obsequitur uoluntati tuæ, in finem quoque sanctum suo damno dirigitur bonitate tua.

5 neq; permanebunt iniusti (insani) ante oculos tuos. Odisti omnes qui operãtur iniquitatem:

Stultus est & malitiose uesanus omnis iniustus, & omnes qui rident sancta, nihilq; recta gerunt ratione. Tales utcunq; sese contrastatuant, & opponant uoluntati tuæ sanctæ, amicos quoque tuos persequantur, non tamen subsistent, minime prævalebũt ordini tuo, flatu oris tui illos reprimes. Odisti enim omnes iniquitati studentes, qui iustitiam præcepisti, operatores scelerum nõ sines inultos, etiam si feliciter ad tempus agere cernãtur, repentinus illis eueniet iustusq; interitus.

6 perdes (omnes) qui loquũtur mendacium, uirum sanguinum & dolosum abominabitur dominus.

Mendaces autem, qui bonis facessunt negotium, ut circumueniant innocentes, & impostoris suis omnia perturbantes, falsam doctrinam seminantes, & iniustitiam suadentes, uerbo Dei uerissimo reclamantes, tu domine ipsissima ueritas nõ feres, sed perdes. Sanguinarios quoque, & dolo malo instructos ad subuertendum fideles, abominabitur eatenus dominus, ut malos male sit perditurus, & iustum suum iudicium declaraturus. Pluribus nominibus & uerbis, & impiorum illorum plenam ac importunam exprimit malitiam, dei de illis dignum iustumq; iudicium notat, qui cum eos maxime detestetur, non diu feret bonis esse molestos.

Sanguinarij.

7 Ego autem in multitudine misericordiæ tuæ introibo in domũ tuam: adorabo ad templum sanctum tuum in timore tuo.

Erit propediem, ut ab improborũ insidijs per amplam bonitatem et uberrimam tuam ad me gratiam liberatus, cum illos nimirũ, ut merentur, perdideris, adibo ego domum tuam, summamq; ueneratione testabor, cõuersus ad sacrosanctum oraculũ tuum secundum uerbum tuum, ueneraturus sedem gloriæ tuæ, gratias acturus de tantis tuis in me beneficijs, digneq; te colam in spiritu & ueritate, quem isti modo prorsus negligunt, imò impietate plurima procaciter offendunt. Vt enim qui deum uere amant, egerrime ferunt sacris excludi cœtibus, nec licere laudes domini palàm & cum aliquo pietatis fructu deprædicare: sic uehementer delectat societas sanctorũ deum timentiũ. Hinc & Paulus tam anxie cupiebat fratres subinde inuisere, & ex mutua fide, sibi & illis consolationem atq; robur pietatis adferre. In timore tuo, aliud non est quàm reuerenter & religiose.

Excludi à cœtibus sacris.

8 Domine deduc me in iustitia tua: propter inimicos meos dirige in cõspectu tuo uiam meam (meo uiam tuam.)

Orat iterum dominũ, ut se sua iustitia deducat & moderetur, ea scilicet, qua deus ipse iustus est, & summe bonus, ex sua scilicet clementia & bonitate: uel ut iustitiæ suæ uiam ingrediatur uere & solide, quã solus docet & donat, qua nos præditos esse oportet. Docente autẽ nos domino suam iustitiam, uerã dilectionem, & facilẽ reddente uiam, nusquam offendimus, sed feliciter ad præfixam nobis metam, uitam Christo dignam peruenimus. Te quoq; agente & donãte illud instituũ sequar, quod tu probas, cuius in te ipso exemplũ exhibes. Ea enim sola uiuendi ratio recta est & plena, quã exigit dominus, quã & nobis donat agnosci. Propter inimicos meos perpetuo insidiantes & circumspicientes, si quam subuertendi occasionem inueniant.

Iustitia dei.

9 Quoniam non est in ore eorũ ueritas, cor eorum uanũ est. Sepulchrũ patens est guttur eorum: linguis suis dolose agebant,

Repetit de dolo, fraude, mendacijs ac uersutia impiorum, in quorum loquela nihil ueri inuenitur, nihil recti, quia in corde quoque ipsorum technas fouent, & dolos meditantur, prauitates & perfidias: guttur illorum est uelut patulum sepulchrum cadauerum abominando pedore conspurcatum. Sermone enim suo blandiusculo homines illectant, inescatos deglutiunt ac perdunt, ut nonnihil de eo qui illecebris seu blanditijs eorum accesserit actum sit quàm de sepulto: noxia siquidem blandilocquentia sua semper intenti sunt ad uorandum, sepulchri more patentis, & ad extinguendum.

Lapsus impius.

10 iudica illos deus. Decidant à cogitationibus suis: secundum multitudinem impietatum eorum expelle eos, quoniam irritauerunt te (domine.)

Petit, ut deus illos falli faciat & impingere, excidere & frustrari suis consilijs, confundi & euerti in omnibus rebus suis. Causam adijcit, Pro multitudine impietatum eorũ, & quia tibi rebelles sunt, & irritant iugiter, tum eorũ, & quia tibi rebelles sunt, & irritant iugiter, tuo imperio resistẽtes, & te colere detrectantes. Hos tu domune deus reos statuas, & huiusmodi pœnis morte commeritos, dejcias in gehennam omni spe resurgendi sublata, ut præcipitentur consilijs suis, & actionibus perturbẽtur, ut necesse sit sic impulsos penitus interire.

11 Et lætentur omnes qui sperant in te: in æternum exultabunt, & habitabis in eis (protege eos) & gloriabuntur in te (omnes) qui diligunt nomen tuum:

Orat, ut eos qui ipsius se fidei addixerunt, ita iuuet, ut sempiterno gaudio lætẽtur et ouent, sancta lætitia exultantes. Causam subdit, Et habitabis in eis, assistes semper et proteges. Dño enim defendẽte, non solũ nemo nocere potest, sed omnia saluti cedent, ijs qui diligunt & suspiciunt nomen eius, quorũ omne gaudiũ est in promotione gloriæ dei, in sanctorũ pace, & uirtutũ profectu, secundum uoluntatẽ dei, cui se probari cupiũt & alios.

12 quoniam tu benedices iusto, Dñe ut scuto bonæ uolũtatis (tuæ) coronasti nos (eum.)

Benedices iusto, hoc est, amplis donis benefacies tandem, non fines à malis & peruersis istis hominibus diuexari eũ, qui amant iustitiã & gloriã tui nominis, sed prosequeris gratia & bonitate tua, conseruabisq; in sanctitate & bona uolũtate, ac beneuolentia fauoreq; ceu scuto cinges eum & proteges undiq;, quandoquidẽ tuæ se semper protectioni committunt, regem suum agnoscunt, atq; digne colere gestiunt.

In finem in carminibus Psalmus Dauid pro octaua.

Opinio est hunc Psalmum in musicis decantatum, in octauo Diapason, uel in instrumento octo chordarum, de quibus nihil ad nos, quibus satis admodum est cognouisse

ARGVMENTVM Psalmi, & usum pro fidelibus. Vt scilicet ardens sit precatio ægrotãtis ad mortem, uel intra conscientiam anxij aut ab hostibus usq; ad desperationem persecuti, & formidantis obscurari ex ea gloriam dei apud pios, uerũ sperantis & credentis certam salutem, de qua hostibus dei insultare possit, & pudorem incutere, ut sit forma orandi pro miseris.

1 Domine ne in furore tuo arguas me neq; in ira tua corripias me.

Indiciũ dei.

Quod præmittit, Domine, indiciũ est animi summos ferẽtis cruciatus. Ne, inquit, in ira, &c. id est, ne adeo iratus & duriter me arguas. Condignam quidem patri correptionẽ non deprecor, at sæuum tãtopere cruciatum quomodo feram? Quin potius clementer me redarguas, & admonitũ per tuam gratiã emendes, ut filiũ pater, & si quid flagitiosum in me deprehendis gratiã tuam interponas, ut errata agnoscam, & cõmutem uitã in melius, & ad iracundiam neutiq; te prouocem. Quomodo enim iram tuam iustam potero sustinere, si iniquitates meas obseruaueris domine? Corripi quidẽ cupio, sed in miserationibus, & non iuxta exigentiam peccatorum, non in excandescentia iusta tua.

2 Miserere mei domine, quoniam infirmus sum: sana me domine, quoniam conturbata sunt ossa mea.

Conturbata sunt.

Dolor quidem me fregit, uiribus exhaustus, ac prope confectus sum extrema ferè uastitate & consternatissimo animo. Sana me domine, exprimit affectum hæc appellationis ingeminatio, nam contremefacta sunt ossa mea, quod morbi uehementiã significat, qui omnia concusserit, ut in ossibus quoq; desæuiret, mortis quoq; horrore consternarit: uti de se Christus quoq; dicebat, Tristis est anima mea usq; ad mortem: quandoquidẽ præter iudicij tui impendẽtis mortuo, non possum non esse solicitus, sciens non iustificari tecum omnem carnẽ, cum sentiam & expertus fuerim me carnalem, & uenundatum sub peccato.

3 Et anima mea turbata est ualde: sed tu domine usquequo?

Mortis timor.

Valdè intra meam conscientiã conturbor, memor priorũ meæ conuersationis meæ, quandoquidẽ nunc morituro aperiuntur, ut talpæ, oculi conscientiæ, ut à iudicio tuo contremiscam, & insuper suam quoq; naturalem angustiam carnis natura & cõpago uiscerũ dissoluenda exhorret. Quis enim mortalium mori non abhorret? Sed tu dñe solus es, ad quẽ confugio, non diua Barbara uel Lacobus, tu solus qui uitam, corpus & animam dedisti, illa gubernas, non cœlum, non elementa, sed uis omnipotentiæ tuæ, qui nunc iusto quidem iudicio me deseruisse uideris, sed obsecro quandiu? quando redibis in gratiam cum misero peccatore? quando me cessabis ferire propter peccata? num passione uel actione quacunq; maiestati tuæ quã offẽdi, satisfacere pro contemptu ualebo?

4 Conuertere dñe (&) eripe animã meam: saluũ me fac propter misericordiã tuam.

Videbatur ei deus auersus, ac uelut aliò se recepisse, cum tanto eum angore fineret periclitari: orat igitur, ut ad se reuertatur, fauorem suum iterum exhibeat, & uelut ab ira se recipiat. Eripe, ait, de mortis faucibus animam meã, ne morbus hic me prsus absumat, idipsum aũt tua bonitate, meis enim meritis nihil posco, qui te semper & in multis grauiterq; offendi, quin & si quid iustitiæ habere uidebar, aliud non sunt, quàm pannus menstruatæ coram oculis innocẽtiæ & sanctitatis tuæ, quas nos æmulari pro uiribus imò supra uires iussisti.

5 Quoniã non est in morte qui memor sit tui: in inferno (autẽ) quis confitebitur tibi?

Neq; enim in morte, id est apud mortuos, memoria tui est, & in sepulchro, quod non raro in scripturis et proprie magis quàm gehenna dicitur, quis confitebitur bonitatẽ tuã, et celebrabit maiestatem? Qui enim ad tuam gloriam conditum me credo, maximopere cupio uitam prorogari ad illustrationem nominis tui, ad ædificationẽ fidelium tuorũ, ad confusionem impiorũ. Video enim hostes meos nefarios homines sibi gratulaturos de meo exitio, & promissiones tuas falsas iudicare quas tenere me norunt, ut tuam quoque uel bonitatem uel potentiã, aut etiam ueritatem sint blasphematuri, si præmatura morte me interceperis, ut beneficia tua inter mortales mihi me ualeam prædicare.

Conditi ad salutem.

6 Laboraui in gemitu meo, lauabo per singulas noctes lectum meũ, lachrymis meis stratum meum rigabo.

Amplificandi doloris gratia hyperbola utitur, more omnium acerbius dolentium, quãdo amplius dicunt, qd' dici quantũ satis sit nõ potest. Laborasse se, inquit, gemitu ac fletu, suspiriis quoq; fundẽtibus lachrymas tantas, donec lectulus madefieret & rigaretur, imò dissolueretur, & ut Iudæi dicunt, nataret. Planeq; defatigatum se queritur, singulis noctibus morbo grauius sæuiente, cum solitudo quoq; accederet, quæ dolori habenas laxare solet. Intantum autem maceratus est lectulus, ut tandem putrefactus diffluueret.

Hyperbola

7 Turbatus est à furore oculus meus: inueterauit inter omnes inimicos meos.

Vt nimio dolore & fletu facies contrahitur, & uelut tineis corrosa & cariosa uidetur, sic penitus deformata est facies mea, propter dolorẽ cõtinuum & acutum, quem furorem transtulit eleganter, & impatientiæ passionem. Voluit enim dicere plus quàm senilem factum ex hoc fuisse aspectũ faciemq; suã. Ex nimio quoq; dolore de impia hostiũ insultatiõe, omnis sibi succus deperijt toto corpore, prorsusq; antiquatũ corpus cõtabuit. Hæ autem tantæ querelæ non minus decuerunt cum, quàm Christũ dñm ad consolationẽ fragiliũ, si quando dolorũ acerbitas etiam sanctis uerba hyperbolica extorqueat, qualia tota ferè scriptura non horret, & sancti patres.

8 Discite à me omnes qui operamini ini-

quitatẽ, qm̃ exaudiuit dñs uocẽ fletus mei.

Hactenus inducit se dolore supra uires discruciatum, tantam iræ diuinæ uim miris affectibus deprecantem, in his sequentibus de reddita salute, & confundendis hostibus gloriantem. Vbi per dei clementiam sensit morbum remitti, dominumq; preces exaudisse, simulq; uidẽs adesse amicos se simulantes, nihil tamen q̃ interitũ desyderantes, in animo suo dixit: Discedite à me frustrati expectatione uestra, iam enim certior factus sum dominũ misertum mei, utcunq; uos me reiectum fueritis arbitrati. Non enim deserit sperantes in se, non gaudebitis de perditione mea. Vocem fletus mei exaudiuit dominus, cui omnia patent, & ad quẽ omnia clamant, Dñe quis tibi similis? Non clamor, sed amor & iniuria piorum clamat ad dñm, mœstorũ quoq; gemitus humiliter contritorũ.

Gloriari de bonitate dei

9 Exaudiuit dominus deprecationẽ meã: dominus orationem meam suscepit.

Gratulabundo affectu multis iactitat bonitatẽ dei, qui preces suas exaudierit, simul hortando fideles ad fiducialiter dominum accedendum, quoties calamitas ingruit, qui propensissimus sit ad succurrendum. Quamlibet enim dominus in excelsis habitet, humilia tamen respicit in cœlo & in terra: exaudiuit fidelium preces, qui non indigna deo precantur, & suscipit clementer orationes à peccatoribus humiliatis misericors.

10 Erubescant, & conturbentur uehemẽter omnes inimici mei: conuertantur (&) erubescant ualde uelociter.

Congeriem uerborum adhibet, quo gaudij sui uim & gratulationis excessum plenius explicet. Omnia autem ardent affectibus, uera enim sunt ac uiua. Vigent enim & agunt in sanctis omnia. Nec Hebræorum prisca carmina sunt ut aliarũ gentium, quorum elegantia in sensibus est, non casu syllabarum, uel compositione artificiosa dictionum. Gessit in his omnibus Dauid typum Christi: qui igitur huius hostes sunt, perditi sunt, & ex diabolo. In hos imprecationes fieri possunt & debent à sanctis, ut confundantur, & conturbentur plurimũ, & erubescant, conuertanturq; uelociter, id si non fiat in illorũ bonum, de eorum exitio sancti poterunt gloriari. Spiritus enim sanctus docet pios, quid cuiquam boni uel mali precandum sit, & de quo dolendum uel gaudẽdum: cauendum tamen ne se carnis affectus pro spiritu uẽditet.

Affectus ardentes.

PSALMVS VII.

Psalmus Dauid quem cantauit domino pro uerbis Chusi filij Iemini.

Nõ ignorauit uetustissimus interpres dictionẽ שגיון non significare Psalmum, sed ignorantiam uel solicitudinem. Quia autem eruditis ac sanctis dubium etiam tunc erat, si pro melodia, uel instrumento, uel poẽtica suauitate & delitijs capiendum esset, simpliciter & non anxia cura usus est in re non necessaria, id quod certius uidebatur transferendo, Psalmũ, qualis et est à Dauide compositus, & decantatus, propter uerba cuiusdam Beniamitæ, siue is Saul fuerit, siue alius, Chusi reuera dictus uel cognominatus, nempe Aethiops ater & malus ob uitia & liuorem contra Dauid regem, quales in tribu Beniamin multi semper erant, ut Semei ille maledicus & inuerecundissimus uerbis & factis, accusator Dauidis, cum maxime consolatione egeret, ab Absalom iam improbo filio fugitiuus. Tunc enim prodibat, lapidando facto & uerbis, ut ambitiosum impium sanguinarium & uirum Belial falsissime accusando, idq; in gratiam Saulis. Contra quam tentationem hunc Psalmum ædidisse uidetur rationabilius. Saul enim non tam uerbis & increpatione perseuerauit, quàm facto & odio.

ARGVMENTVM igitur huius Psalmi, ex contextu uidetur esse, Oratio querulosa, contra crimen sibi falso obiectum à quodam Beniamita, in qua innocentiã suam declarat, à domino sibi destinatũ esse regnum sine propria ambitione, uel alicuius iniuria, oratq; ut populus in cultum dñi sub se colligatur, & ut improbitate sceleratorum depulsa, iusto iudicio domini impij auferantur, ut domino laudes dici possint.

1 DOmine deus meus in te speraui: saluum me fac ex omnibus persequentibus me, & libera me:

A professione fidei suæ in deum, quã dominum maxime delectatur, ut sancti semper solent, precẽ auspicatur, ex hac enim omnis spes opis diuinæ pendet. Qui enim domino confidunt deseri à deo non possunt, cum neq; uir bonus deserere eum queat, qui sue se fidei penitus commiserit: neq; sine fide domino quicquã placere potest, nec ab eo quicquam sine fide obtineri. Persequutores autem de quibus conqueritur, Saul quidẽ fuit, Doeg, Semei, & omnes aulici, non integri uiri sed adulatores & assentatores, uel iuxta carnis affectus animati, uolentes non alium regem fieri, quàm de sua tribu Beniamitica: propterea & cõmiscet querelas, nunc Saulẽ tanquam nũc alios cõplices suos, ut erat Semeias, et similes, xans,

2 Ne quãdo rapiat ut leo animam meam, dum nõ est qui redimat (lacerans & non sit eripiens) neque qui saluum faciat.

Leonis prædam rapientis & dilaniantis, ferociam & ardorem hostium ad se perdẽdum, præexpressit: indicãs apud semetipsum non se posse à quoquam defendi ab impetu leonis diripientis, nisi sola fortitudine dei, qui suos tuetur & liberat, adiutor omnium in se sperantiũ. Quod uero Hebræus legit Lacerans & non est eripiens, quomodo clarius & fidelius reddere ut iustus interpres potuit, quàm, Dum non est qui quam alius in hominibus uel dijs, qui redimat, neq; qui saluum faciat? Domino enim præueniente, etiam si rapiat leo, non tamen sinitur discerpere & uorare, domino adiuuante & eripiente à faucibus impiorum.

3 Domine deus meus si feci istud, si est iniquitas in manibus meis.

Geminata inuocatio dei, Domine deus meus, ardentẽ & afflicti animi affectũ indicat, qui solus agnitor sit cordiũ & iudex iustus. Si, inquit, feci istud: qđ falso sibi ab aduersatoribus Saulis impingebatur, machinari eũ pro regno sibi in necem Saulis. Imprecatur ergo sibipsi extrema, si id fecerit unquã, si iniqui et praui aliquid molitus sit, si malum repẽderit ei, qui familiari fœdere sibi iunctus fuit.

fuit. Iniquitatem autem esse in manibus, est posse connimci coram deo uel hominibus de aliqua iniuria uel damno commisso in quenquam, de quo coram iustis confundi posit, indignum cuicunq; bono uiro.

4 Si reddidi retribuentibus mihi mala: decidam (merito ab) inimicis meis inanis.

Saulem indicasse potuit his uerbis, uel filios suos, uel alios multos per omnem uitã suam, cum quibus singulare habuit familiaritatis uel amicitiæ fœdus, quibus nitebatur tanquam suis pacificis, talibus nihil unquam mali retribuit, sed frequenter mala bonis compensauit, ut Sauli, Abner, Absalon, Amasæ & Semei. De facto Vriæ non se excusat, sed agnoscit talionis se lege puniri, iustitia dei non hominũ, qui id fortè ignorabant. Imò de præsenti mortis periculo eripui hostẽ meum infestantem me uerbis & factis sine causa, nõ data per me occasione iusta, ut patet de Abisai, parato uindicare Dauidem de Semei & Saule. Vetus interpres intellexit, Exuar rebus & uita, omnibusq; fortunis succumbam hosti meo, indigne me persequenti & implacabili.

5 Persequat inimicus animã meã, & comprehendat, & cõculcet in terra uitã meã, & gloriam meã in puluerem deducat. Sela.

Vna est in tribus uersibus periodus, cuius hæc est sententia: Si cõmisi istud, quod falso accusor, uoluisse regem occidere ambitiosus, quem potius eripui neci expositum præsenti, persequatur me hostis à dño mihi immittẽdus quicunq; & assequatur. Est aũt huiusmodi deuotio admodum uehemẽs, quia animi sibi optime cõscij. Vitæ interrã conculcatio, est extinctio et mors probrosa: ita gloriæ in puluerẽ collocatio uel deductio, est nominis et memoriæ honestæ, qua sibijpsis boni superstites sunt, expiratio uel cõfusio. Adscribitur aũt Sela, qd' deuotionis illius et perfectæ iustitiæ exemplũ memorandũ cõmendat.

6 Exurge dñe in ira tua (&) exaltare in finibus (furijs) inimicorum meorũ. Et exurge domine deus meus in præcepto quod mandasti (exurge ad me iudicium præcepisti.)

Orat consequenter oppressionẽ hostium, & sui in eũ locũ exaltationem, in quẽ erat iamdudũ diuinitus destinatus. Dum sinit deus improbos impune grassari contra bonos, similis uidetur iacenti & dormienti, aut certe dereicto uiribusq; destituto. Talis iã uisus fuit deus in casibus Dauidis, odio et persecutiõi furiosorũ expositi, ideo orat: Surge, qui cessare uisus es, exere potentiã tuam in ira tua, iusta tua ultione & manifesta, ut graues me insẽ stantium iras reprimas: fac te omnibus altiorẽ, ut sentiãt supereminentẽ potentiã tuã, dũ sic indignissime excãdescunt et irascũtur hostes mei cõtra me. In finibus legitur quod nõ ab re ut uidetur olim scriptũ uideri potest, in furijs, uel iracũdia, quæ Hebræis à transeũdo uel prætereundo transumitur ad trangressionẽ, nempe limitis à rege uel dei mandato cõstituti. Exurge deus meus uel ad me in iudicio uel præcepto qd' mandasti: hoc est, mihi te uigilare demõstra, ea in re & cõmissione, in negotio sei regendi fideles tuos, quos mihi mandasti diligenter regendos. Vindica igitur ius tuum, et causam meã, quam iniunxisti mihi defende, qui solus potes & promisisti.

7 & synagoga populorum circundabit te, Et propter hanc in altum regredere.

Per auxilium tuum, quo prosecutus es me fideles tui ad te reuocabuntur, & in tuum cultũ adiuuabuntur. Impijs siquidem regnãtibus populus ad impia pellicitur, & seducitur à deo: pij autem cum imperant, quasi deus inter homines uisibiliter regnare uidetur. Propter hanc in altum regredere: dum finis tuos à tyrannis dispergi, uideris solium regni tui reliquisse: cum tuorũ declaras te uindicem, repetere solium & iterum exaltari. Id & modo fac, tui populi causa, ut melius gubernentur.

8 dominus iudicat populos. Iudica me domine secundum iustitiam meam, & secundum innocentiam meam super me.

Tu quidem iudex es omnium gentiũ, non tantum in futuro, sed in præsenti quoq; tempore, etiã illarum qui nomen tuũ uel ignorãt, uel odiũt. Nõ sines igitur me, qui ex toto corde te colo, semper ab improbis diuexari. Quanquam autem iustitia mea tuæ cõparata nulla sit, obsecro tamen, ut me iudices secundũ eam, qua hostibus comparatus iustus uidebor, iudicio tuo iusto. Scio enim me tuo dono ex animo quærere tuam gloriã, quam illi conculcari nihili ducunt. Iudica igitur inter me & aduersarios meos, & illorũ me uiolentiæ & crudelitati subtrahas.

9 Consumetur (oro) nequitia peccatorum, & diriges iustum, scrutans corda & renes deus (iustus.)

Desinat ac finiatur obsecro maleuolentia improborũ, qui me nullo meo in eos peccato adfligunt: & dirigas iustum, ut rerum suarũ successu fruatur. Cordis enim & renũ, hoc est, intimarũ secretissimarũq; cogitationũ & cupiditatum explorator es, te nihil latere potest, uides ubi synceritas uel fucus. Si quidem legi diuinæ homines conferantur, omnes iniusti apparebunt, sceleratis aũt oppositi, cum certa sint & solida dei dona, ea sanctos latere non possunt, ut sciant etiam pro se dñm iudicaturum contra hostes. Inde ergo confidunt: & fiducialiter orãt dominum pro eo quod futurũ non dubitant, & se orasse huiusmodi alijs in exemplũ deprædicant sine fastu.

10 adiutorium meum à domino qui saluos facit rectos corde.

Adiutorium dixit pro clypeo protectore, pro fiducia prævalendi hostibus & impijs, uirtute gratiaq; diuina. Omnis enim piorum securitas protectio & refugiũ, super dominum est, qui suos non negligit, sed in tẽpore succurrit & ,ppugnat, imò excipit uelut clypeus iacula, & ut aquila gestans fœtũ suũ. Non aũt saluat hoc pacto nisi rectos corde, non hypocritas, eos quoq; qui recta incedunt, fideles & animo simplici nulla duplicitate notãdi.

11 Deus iudex iustus, fortis (& patiens nũquid) irascitur per singulos dies?

De hostium ultione canit, quam ei dñs cum eam deprecaretur reuelauit, hoc ipso eum consolatus. Non est, inquit, deus ut hostes iniqui, sed iudex iustorũ ac uindex, qui iustitiã nouit, et impietatẽ nõ sinet inultã, qua cõtra me immerentem improbi sic debacchãtur. Fortis quoq;

est, uel deus, non ut homo fragilis uel caducus. Quomodo irrepserit in literam, Patiens, ignoro: quanquam mirabile non sit corrumpi scripturas ueterum non solum apud Græcos & Latinos, sed etiam apud Iudæos, toties rescribendas. Indignatur omni die impijs, qui nouis eum in horas sceleribus irritãt: fidelibus autem suis quotidie ex fragilitate peccantibus non semper & diu irascitur, sed donec resipiscant, & indoleant admissum, & ueniam deprecentur.

Corruptio scripturarũ

12 Nisi conuersi fueritis, gladium suum uibrabit, arcum suũ tetendit, & parauit illũ.

Cum illi crudeles & impij ab improbitate sua pedem non reuocant, sed cõtinuo, ut cœperunt, persequi me indigne uoluerint, gladium certe suum continuo exacuunt, arcum suum adaptant, tendunt & collimant, hoc est, in omnem occasionẽ mihi nocendi aduertunt et non negligunt. Quanquam & ad deum referri possit, qui iudicat iustitiam & iustum, & quotidie se irritantem adoritur gladio & iaculis, improbo rependens secundũ iniquitatem suam, nihil parcens, sed diligenter ipsius punitioni intendens, maxime ubi non conuertitur ab improbis conatibus suis: tunc enim gladium iudicij sui parat, & arcum instituit, ut digne tractet impios.

13 Et in eo parauit uasa mortis: sagittas suas ardentibus effecit (ut ardeant faciet.)

Eo peruerso studio suo impius artes nocendi commini scitur, magis ac magis armatur in pios & innocuos, paratq; sibi instrumẽta lætifera et uenenata: sagittas quoq; suas ardentes efficiet, ut uehemẽtius offendant, scipsum nimirum & improbitatis suæ socios perditurus, potius q̃ ut iustis incommodet. Vel si ad deum referas, intelligitur deus quotidie magis ira accendi in reprobos, quod illi à prauis suis conatibus non quiescant, quibus odio ardentibus infectandi iustos mala parauit exitialia, quod est mortales sagittas in improbos iaculari à domino.

14 Ecce parturit iniustitiam, concepit dolorem, & peperit iniquitatem.

Vult translatione ista significare illos hostes suos & impios totos fuisse in excogitanda & concinnanda iniuria, fraude & uiolentia, nec aliud animo uoluisse & curasse facto, quàm ut ipsum ui uel dolo perimerent. Comparat autem cogitationẽ malã conceptui materno, anxiam autem consiliorum malorum dispositionem partu

Ordinis inuersio.

ritioni, factum autem partui: quæ metaphora & alibi scriptura non raro utitur. Quanquam & ordinis inuersio uideri possit, quia falsitas & mendacium cogitatur, sequitur labor & angustia producendi rem iniquam, & proximo nocituram: sed solet finis esse primordialis causa actionum, à quo & nominantur.

15 Lacum aperuit & effodit eum: & incidit in foueam quam fecit.

Toties Dauid periclitatus est cum suis hostibus, ut proximus perditioni uideretur, tamen semper euasit saluus prouidentia dei & gratia, cuius promissiones excidere non poterant, nec fides decipi sancti uiri. Contra autem, hostes sui omnes uiolenta et turpi morte absumpti sunt: perditionis enim lacum fodientes in illum inciderunt, foueamq; paratam illi tot uicibus, tandem illapsi perierunt: sua se sententia Semeias occidit, ensem propriam Saul incidit, Achitophel sibi mortem consciuit, sic de reliquis omnibus.

16 Conuertetur dolor eius in caput eius: & in uerticem ipsius iniquitas eius descẽdet.

Nihil his uersibus aliud uoluit, quàm ipsos hostes mala deprehensura & absumptura, quæcunq; Dauidi cogitarent, pararent, & omni ui intenderent. Conuersus est enim dolor in caput impiorum, iniuria quoque qua Dauidem affecerunt decidit in illorum uerticem: non secus ac si quis lapidem iaciat in altum, & non cauto satis sibi incidat in caput, uel alium ferire conatus, proprio se gladio sautiet.

17 Confitebor domino secundũ iustitiam eius: & psallam nomini domini altissimi.

Gratias deo agam pro sua iustitia, qui me suum cultorem eripuit ab hostibus, eósque ut meritt sunt perdidit. Orandum hoc modo nobis & omnibus pijs, qui multis pijs undiq; hostibus premuntur, externis et internis, peruersis cupiditatibus & uersutijs, à quibus dei gratia liberabimur, si innocentiæ studebimus, & corã deo recto corde ambulauerimus, didicerimusq; exemplo Dauidis in bono uincere malum, magnanimitate magis quàm armis contendere, & à bonitatis diuinæ promissionibus semper cum fidutia pendere.

PSALMVS VIII.

In finem pro torcularibus, Psal. Dauid.

Torcularia intelliguntur undemiæ, & Hebraica dictio גתיות etiam urbem Philisthinorũ Geth indicare potest, ppter quod multi uaria opinantur de hoc titulo.

ARGVMENTVM nosce nobis sufficiat Psalmi, qui continet admirationem omnipotẽtiæ dei, & gratiarum actionem pro tot magnificis beneficijs homini exhibitis,

1 DOmine dñs noster, quàm admirabile est nomẽ tuum in uniuersa terra? Quoniam eleuata est magnificentia tua super cœlos.

Excitat seipsum ad consyderandam immensam dei in homines bonitatem, admirando uehementer omnipotentiæ suæ maiestatem, dicens: O domine deus, qui in teipso subsistens fons essentiæ, à quo omnium rerũ opus & esse pendet, omnia conseruas & moderaris, qui dominus noster es, à quo quicquid habemus sumus & possumus assequimur, sine quo nihil est, cui obedientiam in omnibus obligamur, hoc est enim, Domine dominus noster, quàm admirabile glorioſum illustre & magnificum est nomen tuum, id est maiestas diuinitatis tuæ. Nihil enim nomen dei est, nisi ipsemet dominus, gloria illius, & amplitudo diuinæ maiestatis infinita est & inæstimabilis omni creaturæ: superat enim omnem intellectum etiam angelicum perfectio dei, & gloria, potentia & magnificentia. In uniuersa terra: celebrem enim reddit uirtutem & bonitatem suam, iustitiamq; iudiciorum suorum in toto mundo, apud omnes homines, quibus intellectũ præstat & sensum diuinitatis, omnia gubernantis, cuius in tota terra suspicienda & timenda sit gloria, adeo ut cælos

Nomen dei.

usq; pertingat, omnia admiratione sui replens, sicut lux immensa terram replens, sese super cœlos attollens, longè, latè, alteq; per uniuersa protenditur, nusquã sese non exhibens uisendam fruendamq;.

2 Ex ore infantium & lactentium perfecisti laudẽ (fundasti robur) propter inimicos tuos: ut destruas inimicum & ultorem.

Quid opus est uerbis, circa bonitatis diuinæ in terra & cœlis admirandam maiestatem, cum etiam, ô tu deus, laudem tuam perfeceris, id est, perficiendam inchoaueris ex ore infantium et lactentiũ, ubi et in quibus ineffabilem cernimus sapientiæ & bonitatis tuæ laudem, & potentiæ tuæ? Quid enim admirabilius, in animali omnium naturaliter genitorũ imbecillißimo infantulo? cui papillarum modus lactisq; copia præparatur à deo. In quibus sane pueris omnia stupẽda sunt, tanta parentum charitas, tam inuicta gratia, ut illos cum nihil nisi uagitu obstrepere, sordibus nauseam ciere, die noctuq; molesti esse possint, minime tamen à parentibus fastidiuntur, quin uoluptas sit illis inseruire. Adhæc quantis quotidie periculis non nisi manifesta diuini numinis ope angelorumq; custodia eripiuntur? Innocentia quoq; morum, et simplicitas affectuũ tanta relucet, ut nos illis similes fieri iubeamur. Quorum labijs diuinæ laudes & cantica, quomodo non æque domino deo & hominibus placere possent? si statim ab infantia doceãtur sacra carmina resonare, & innocentiæ suæ specimen referre, iam depravatis parentibus: unde & acclamatio illa puerorum in templo, opus fuit bonitatis diuinæ, quã & Christus laudi duxit, & dño Deo gratam testatus est, qua & hostes suos Christus confutabat, & conuincebat duritiem ac malitiam senum scribarum ac sacerdotum. Sicut & omnes dei hostes confunduntur, deum negantes, cum prouidentiam tam manifestam prodit circa infantes. Quin et reuelat pueris sensu magnalia dei, quæ à sapientibus abscondit & magnis in hoc mundo. Hos enim suos inimicos, honestatis aduersarios ac ultores, dũ uult cogit prædicare uel nolentes & inuitos magnalia dei.

Infantis imbecillitas.

Carmina sacra.

3 Quoniã uidebo cœlos tuos, opera digitorum tuorum: lunã, & stellas quæ (tu) fundasti.

Cur non admirarer dei circa nos homines dignationem? cum propter eos uideam cœlorum opificem, lunæ, solis & stellarum conditorem tot ac tanta condidisse, et perpetuo administrare, tantisq; nos donis gratuito ornare. Cœlos inquam tuos, admirabundus suspitio, ô deus, & tuorum digitorum opera, quæ tu parasti, immèsa bonitate tua pro nobis mortalibus, qua sic omnis terra refertæ est, ut supra cœlos euadat, quam & si insani quidã hostes tui oppugnãt, pueri tamen & lactentes deprædicant. Solis non meminit, quod quo tempore luna uidetur & stellæ, is non uideatur. Quæ hic essent dicẽda de operibus dei memoratis per singula, discantur ex humanioribus literis, & liberalibus disciplinis, uel in hunc usum studiose, sed ad sobrietatem inquirendis, ut exactius dei sapientia & circa homines clementia dignoscantur.

Pueri præ dicant.

4 Quid est homo, qd memor es eius? aut filius hominis, quoniam uisitas eum?

Quò magis hominus dignitatem extollat, præmittit ærumnosißimam hominis humilitatem, quam duobus exprimit nominibus, אנרש, humanam miseriam connotantem, & filiũ hominis bis ærumnosam natiuitatis conditionem significantem. Quare quo Christus testaretur totam nostram sine peccato miseriam suscepisse, filium se fatetur hominis. Meminisse uero dei, significat beneficijs declarasse nos sibi esse curæ: in bonum quidem hoc loco, ut sequens prosequitur uersus. Quanquam & in malam partem nostrorum nonnunquam peccatorũ meminisse scribatur, sicut & Visitare quoque in utramus partem sumi protritum est.

5 Minuisti eũ paulominus ab angelis (à deo) & gloria, & honore coronasti eum,

Ad id hominis deus meminit, quod cum dijs, hoc est, angelis paulò inferiorẽ fecit admiranda dignitate, et mirifico decore cumulatum, solo enim corpusculi onere, & post primi parentis lapsum necessitate moriendi, angelis beatis cœlitibus minores sumus, qui ideo dij uocantur, quod diuinitas illis quàm alijs creaturis plenius communicata sit. Omnia autẽ terrena nobis subiecta tenemus, quicunq; per fidem in deum uerum ac uiuentem, uitam sanctam uiuimus, ut beato olim cum illis æuo frui certo speramus. Quicquid autem de hominis dignitate scriptura prædicat, Christo in primis, ut generis nostri exemplari, capiti, primogenito, ac instauratori tribuitur & conuenit, ut recte Apostolus ad Hebræos hunc locũ de Christo interpretatus sit: cuius dignitatis tãto quisq; amplius participat, quãto maioribus donis Christi spiritus fuerit afflatus.

Angelis minores.

6 & constituisti eum super opera manuum tuarũ. Omnia subiecisti sub pedibus eius:

Humano generi ditionem dedisti & imperium, ius & usum cunctorũ, quia terram subiecisti & subdidisti cum piscibus maris, & cœli uolucribus, omnibus scilicet quæ mouentur in terra, fluitant in mari, & quæ sub cœlo feruntur in aëre. Omnibus istis præposuit deus hominem, ut ipse seruiret deo omnium creatori, & gratias referret, intellectu beneficiorum donatus, quo carẽt reliqui, & tanto ardentius benefico patri fide, spe & charitate inhæreret. Non sic autem subiecit hæc homini, ut ad libidinem abuteretur, sed ad necessitatem & consolationem, usumq; modestum, ad gloriam dei, & mundi decorem, disciplinamq; obedientiæ homini commendandam, memoriam quoq; bonitatis dei & gratitudinem.

Imperium hominis.

7 oues & boues uniuersas: insuper (&) pecora campi,

Pecora tam minora, domestica uel armenta, homini deus dono contulit ad obsequiũ, uictũ & amictũ: nec ea sola, sed & feras subdidit agrestes, nam illas quamlibet cautas atque truces, uenatu capimus, & utilitatem ex eis multam consequimus. Videte, inquit, inexplicabilem dei circa nos benignitatẽ, cui satis nõ est, usibus hominis mãcipasse iumẽta et cicures bestias, nisi etiam feras adiecisset, quarũ nulla tam est immanis ferox et noxia, quã non hominis subiecerit imperio, ut utilitatem aliquã ca-

piat ex eis: quin & ſuperi cum inferis ſubijciuntur & ſeruiunt ei, qui ſe penitus deo ſeruũ addixerit. Nec aliun de eſt, ut à tot rebus damna ſubinde accipiamus, quàm quod conditoris nos uoluntati, ut par eſt, nõ exponimus. Regnum uerũ in res conditas tunc obtinebimus, ſi conditorem ut regem noſtrum rite adorauerimus.

8 Volucres cœli, & piſces maris qui peram bulant ſemitas maris.

Nedum animalia terreſtria, ſed & uolatilia aëris, & piſces maris, tradidit dñs in uſum hominis. Et ne quid in mari putetur, non computatũ in nomine piſcium, addit: Quicquid in marinis aquis quomodocunq; uiuit, cuiuſcunq; ſit generis uel ſpeciei. Longe enim numeroſior rerum natura putatur incolere mare, quàm ſit animalium terreſtrium abundantia uel uarietas. Quicquid enim naſcitur in aliqua parte naturæ, in mari quoq; reperiri dicitur à ſapientibus, & præterea multa quæ nuſquam alibi: de quibus Plinius libro 8. cap. 2. Semitas autem marium dicit, uel quia uarij flexus ac ſinus uulgo quoq; maria dicuntur: uel quia in alijs regionibus maris aliæ beluæ, aliaq; monſtra uiſuntur. Alterum igitur mundum, et terreſtri ampliorem, quid mirum ſi piſcium nomine uoluerit includere?

9 Domine dominus noſter: quàm admirabile eſt nomen tuum in uniuerſa terra.

Admiratione qua Pſalmũ cœpit eadem & finit. Nam memorando dei in humanum genus tam præclara beneficia, ſyncerã gratitudinẽ transfundere uoluit & in alios. Domine uniuerſorũ, peculiariter autẽ dominus noſter, quia nos tui ſeruuli, omnia à te habentes, etiam ſi multi minus agnoſcant, nos autem uirtutem & bonitatẽ tuam prædicabimus, qui populus tuus ſumus.

PSALMVS IX.

In finẽ pro occultis filij, Pſalmus Dauid.

Quàm non ſit neceſſaria tractatio nobis titulorũ, uel ex hoc liquet, quod עלמות Super mortem, exponi poteſt. Quidam occulta interpretãtur: alij iuuentutem, alij inſtrumentum muſicum. Similiter לבן, quidam dicunt eſſe nomen cuiuſdã ex gentibus hoſtis Dauidis: alij per Metatheſim Nabal, alij Goliath, alij Cantorem faciunt, ne quid nos in hac re definire audeamus. Quibus ſufficiat cognouiſſe

ARGVMENTVM Pſalmi Dauidici huius eſſe. Gratulatoriũ carmen, pro inſigni uictoria quadam præcipui hoſtis, proq; oſtenſa iuſtitia dei, qui ſuos fideles in tempore uindicat cũ adiuncta precatione, ut improbos deus compeſcat.

1 CONfitebor (tibi) domine in toto corde meo: narrabo omnia mirabilia tua.

Cupiens propheta alijs mouere affectum, ipſe primum reuera permotus ſumma deuotione, ait: Cõfitebor & gratias agam uel celebrabo laudaboq; dominum ex animo, toto affectu meo, non phariſaico, ſed ardente, ut cupiam pro uiribus, ſi fieri poſſit, enarrare omnia mirabilia opera dei, quorum ferè maximum, certè recentiſſimum erat uictoria inſperata, ſumpta de Goliath, uel aliquo alio, cuius occaſione, ſimul omnia facta dei in ſalutem populi facta, ferre cupio et tentabo. Quanquam enim ſingula celebrare pro dignitate non queam, uniuerſa tamen commemorare uel in genere incipiam.

2 Lætabor & exultabo in te, pſallam nomini tuo altiſſime.

Significat ſic illius exhibitam opem ſe magni facere, ut in perpetuum de ea gloriaturus ſit, cũ interna & externa lætitia, non de ſuapte fortitudine, ſed uirtute aſſiſtentiaq; diuina. Nec illud adiectũ eſt abſq; affectu, Pſallam altiſſime, inſigni ſcilicet exultatiõe, de experta iam omnibus ſupereminente dei potentia & bonitate. Similiter nos affectos plerũq; oportet, quibus multo maiora deus beneficia per Chriſtum exhibuit, & de ſatana triumphum donauit fidelibus, ſalutem quoq; æternam.

3 In conuertendo inimicum meum retrorſum, infirmabũtur & peribunt à facie tua.

Dei uirtus hoſtes fugere, impingere & cadere facerat & interire. Non mea fortitudine, ſed à facie tua uicti ſunt, tibiq; terga dederunt, penes quem pro me ſtabat uictoria, ideoq; fugientes confuſi ac territi, facilè impingere coacti ſunt. Sic fit hoſtibus fidelium, ut domino terrente fugiant, ſed non effugiant, dum maxime ſe iactant ſuperaturos ob robur & multitudinem, quæ apud deum contra electos nihili habentur.

4 Quoniam feciſti iudicium meum & cauſam meam: ſediſti ſuper thronum, qui iudicas iuſtitiam.

Putabant homines non eſſe qui nos ab ipſorũ oppreſſione liberaret, te non poſſe uel uelle nos uindicare ſibi perſuaſerant. At nũc dum à facie mea uirtute tua fugantur, cadunt & intereunt, experti tandem ſunt quid tu poſſis, quàm tibi nos curæ ſimus. Verè ſediſti pro tribunali, iudicium exercuiſti pro me, cauſam & ius meũ uindicaſti. Nam dum ſuperiores hoſtes erãt, uidebatur deus aut abeſſe tribunali, aut negligere cauſam ſui populi.

5 Increpaſti gentes & periit impius (perdidiſti impium) nomẽ eorum deleſti in æternum & in ſeculum ſeculi.

Tu gentes iſtas impias & incircunciſas ſola increpatione tua perdere potes, cum ſuis illorum gigantеis ducibus, in quos confidunt, ſolo aſpectu uultus tui eos exugitos, ubi uoles, perdiſq; aduerſarios, urgente ſolo nutu ira cundi uultus tui in nihilũ rediguntur, ut nec nomen illorum memoretur, ſed ad omnimodam internitionem perducãtur, ſine omni celebritate nominis. Vetus interpres ubiq; ſimiliter exponit דעד Sæculum ſæculorum, id eſt ſine durationis fine, uel longiſſimo tempore, uel ultra omne ſæculũ. Ex his nos diſcamus dñi ſolius eſſe hoſtes deuincere piorum ſuo tempore, etiam ſi diutius differre uideatur, quo plena in illum fidutia nos illi committamus.

6 Inimici defecerunt phrameæ in finem: & ciuitates (eorum) deſtruxiſti. Periit memoria cum ſonitu (ipſis:)

Inſultatur hoſti audaciſſimo contra Iſraelem omnia ut ſtaturo, qualis fuit Goliath. Illo enim cæſo, et in fugã uerſis

sis cunctis Philistæis, Dauid ei dicere potuit, uel de eo: Nunquid qui animo iã cuncta uastarat, iam omnes suas compleuit solitudines & uastationes? nunquid nostras urbes euertisti ad ruinas æternas? et ad extrema nos per duxisti, quemadmodũ minabaris? omnes occidisti? aliud magis dño uisum est, qui præsidet in sæculũ, regno sempiterno, semper pro tribunali sedens, iudiciũ in tẽpore faciens orbi toto summa æquitate, ut superbiã tuam ferre non potuerit. Sed perijt memoria talium inimicorũ Dei & fidelium persecutorũ unà cum ipsis, uelut sonitus, uel uocis strepitus quamlibet ingens: sic legit uetus interpres, non sine legitima causa admodum eruditus, uerum non habita ratione punctorum, quibus tunc temporis eruditi non utebantur, uel nondum erant.

7 & dominus in æternum permanet. Parauit in iudicio thronum suum.

Omnium iudex deus semper pro tribunali sedet, orbẽ totum iudicat ex iustitia & æquitate, ut fideles cõsolentur & pij, etiã si iniuriã ad tẽpus pati oporteat. Is te impium quẽlibet, ut meritus es perfundabit, nomenq; tuum abolebit, et cũ suis fidelibus seruis regnabit in gloria, impijs omnibus pereuntibus & cõtritis, qui uastitates irreparabiles uel peregerãt, uel in animo cõceperãt oĩa fideliũ cõterẽda, sed inani cõtentione, dño gubernãte suos.

8 & ipse iudicabit orbem terræ in æquitate, iudicabit populos in iustitia.

Repetitio. Multis uerbis nõ inutili uel uitiosa repetitione eadem dicit, affectuũ sanctorũ magnitudine extimulatus sanctorum poëtarũ more, qui non uerbis ludere sed deuotionẽ affectibus solent affluere. Ipse est & nullus alius quamlibet fortis & superbus, dñs est terræ et orbis, ipse iustißime iudicat & ordinat uniuersa. Etiam populos, non in peculium suum assumptos, gentes scilicet moderatur & regit rectißime, & cum summa æquitate, ut nemo de iniuria uel calumnia conqueri possit. In omni enim gente, agnoscentibus creatorem, et innocenter pro uiribus uiuentibus, beneficia corporalia administrat & spiritualia deus, habet enim electos suos in omni loco & tempore.

9 Et factus est dñs refugium pauperi adiutor in opportunitatibus in tribulatione.

Ad dñm licebit confugere omni tenui & attrito: fidelißimum se deus præstat asylũ omnibus fideliter illũ & in ueritate inuocantibus, eo potißimũ tempore, loco & casu, cũ maxime indiguerit fidelis, etiã si non semper illi uideatur, tantũ ut patiẽter & æquanimiter præstoletur manum dñi, et eius se fidei cũ fiducia semper cõmendet, nõ cessans orãdo, ut sanctificetur nomẽ dei in omnibus.

Nam despe randum.

10 Et sperent in te qui nouerũt nomen tuũ: quoniam nõ dereliquisti quærẽtes te dñe.

Quotidie quidem fideles admittunt peccata, animaduersione digna, non tamen desperant, sed toti deo se dedunt, illius se exponunt beneplacito, qui & familiã suã primũ castigat, & in uiam reuocat, ne cum reliquo mundo condemnetur. Nouerũt enim nomen dñi & uerẽtur scientes iustũ iudicem, quo uno nituntur & confidunt, certi se deseri ab eodẽ nõ posse, quia ipsi student, eumq; inquirunt, de eo soliciti sunt semper, cui uitã quoq; suam approbant, uerè religiosi & timentes dñm ut oportet.

11 Psallite domino qui habitat (in) Sion: annuntiate inter gentes studia eius:

Commodum hortatur ut canant sancti deo laudes, quẽ præsidem nominat Zion, ubi arca fœderis, cui dominus præsentia speciali aderat, exauditurus uota piorum, qui nusquam abest, sed illic tunc præceperat se adorari, in populis iubet annuntiari studia dei, id est, opera mirabilia iusta & sancta, idq; paßim in orbe terrarũ, quo dei potentiam & bonitatẽ plurimi cognoscant, perq; illum salui fiant.

12 Quoniã requirens sanguinẽ eorũ recordatus est: nõ est oblitus clamorẽ pauperũ.

Digne celebratur dei iustitia & bonitas, quia inquirit de cæde innocentũ, & super effuso sanguine, ut inultum non sinat, neq; obliuiscitur uociferationis afflictorũ, etiam si aliquãdiu negligere eos uideatur. Vnde pij cõmonentur, ut si quid indigne patiantur, dñm uindicem non diffidant, cui uni causam committere debeant, quem tamen interim patienter ac longanimiter expectent, quandoquidẽ ueniens ueniet, et iudiciũ ponet in põdere, cõsolabiturq; fideles, impios aũt cõfundet atq; disperdet. Iustitia dei.

13 Miserere mei domine: uide humilitatem meam de inimicis meis. Qui exaltas me de portis mortis,

Quandoquidem certo credit dominũ non obliuiscì uociferationis afflictorũ, ideo orare incipit, ut sui deus misereatur, & gratiã largiatur, intuitu tantarũ afflictionum, quibus inuoluatur, ex quibus se non queat euoluere quacunq; alia uirtute, fortiores esse & truculentiores hostes suos, q̃ ut proprijs uiribus se defendat: utq; de portis mortis & imo laci cum eruere et exaltare digne tur, qd' sibi uideatur usq; ad limẽ inferni & perditionis accessisse, unde sustolli nisi per dei gratiam non posßit. Quanto enim pernicies maior, & casus grauior, tanto potentior propugnator & saluator est inuocandus.

14 ut annũtiem omnes laudationes tuas in portis filiæ Sion. Exultabo in salutari tuo:

Non alia ratione magis sancti à morte postulant eripi, & in pace consistere, quàm ut gloriam dei deprædicẽt, & adhortentur quos possunt multos ad cultũ dei uerũ, id aũt faciunt celebrando iugiter laudes dei, in congregatione populorũ, quos deũ scire & amare desyderant, palamq; testantur synceram lætitiam de salute consecuta à dño. Iterũ autẽ omnes laudes enarraturũ se iactat, magis iuxta uotũ quàm posse: multo enim plura sancti cupiũt in gloriã dei loqui & agere, quàm ualeãt. Portæ aũt filiæ Sion sunt cœtus fideliũ, ut olim in portis urbiũ spectacula, ueluti nunc in fõro & theatris agebantur. Quanquam & portæ dicantur Hebræis pro urbibus, & pro hominũ conuentu & cœtu. Filia Sion Ierusalem dicitur, quæ nobis ecclesiã dei cultorũ repræsentat. De salutari autem tuo exultabo, nõ hominũ, in quibus non est salus, nec rependere Deo quicquam possumus quàm de illius agnita bonitate & gratia congratulari cũ fidelibus, multosq; habere & solicitare consortes in laudibus dei. Eripi à morte.

15 infixæ sunt gentes in interitu (quem) fece-

runt. In laqueo isto quem abscónderunt comprehensus est pes eorum.

Redit ad decantandũ iudicium domini, contra hostes fidelium patefactũ. Bellum intulerãt Philistæi Israelitis, freti suo blasphemo Goliath, qui iudicio dei occasionẽ maximam præstitit ignominiosæ subiectionis ipsorũ. Meruit enim blasphemia sua cadere sub Dauide, quo casu semel suis abstulit animum pugnandi atque uincendi: sic enim foueam exciderunt in qua perirẽt. Israelitis quoq; rete posuerunt, cui ipsi inuoluerentur. Mutuata allegoria à uenatoribus, qui paratis foueis illectamenta feris imponunt, ut auiditate capti emergere non possint, sic laqueos & rete intendunt aucupes.

16 Cognoscetur dominus iudicia faciẽs: in operibus manuum suarum comprehensus est peccator (higaion Sela.)

Vtcunq; peculiariter casum Goliath canere uideatur, simul tamen omnium impiorũ finem casusq; describit. Vt suomet gladio pereant, dum maxime nocere pijs intendunt, leui occasione potenti manu dei prosternuntur, ut Goliath lapide fundæ, quod utiq; insigne miraculum fuit diuini auxilij. Agnitus est ergo et nobilis factus deus ex suo iudicio, dũ immanis is Goliath inermis pueri manibus deijceretur, et suoipsius ense blasphemus trũcaretur. Adijcitur uersui duplex dictio, prima הגיון, quã Iudæi laudẽ & celebrationẽ reddũt, & סלה ut aliâs. Priscus neutrã transtulit, quas fortassis in suo codice non inuenit. Significat aũt prior ex grato pectore eructuandam dñi dei meritissimam dignissimamq; laudem, multa deuotione deprædicandam, pro insigni miraculo dei, in fauorem fideliũ peracto, contra impiũ & blasphemum, ut discant fidere deo, et pro uiribus decantare laudes diuinas corde & animo. Idem & Sela.

17 Conuertãtur peccatores in infernum, omnes gentes quæ obliuiscuntur deum.

Impij ad inferos. Conuertentur impij ad inferos, secundum corpus quidem turpi morte ad puluerẽ in sepulchro, iuxta animam cum satana ad infernum, cui obsequuti sunt diligenter, ubi ignem suum paratũ inueniunt, cum diabolo & angelis eius, ex quo & nati sunt, dñi enim dei obliuiscuntur, nulla prorsus religione deuoti, dicũt potius in corde suo, Non est deus, cuius magnifica opera uisa & experta, uel non consyderare dignãtur, uel fortunæ tribuunt aut casui, uel certè Beelzebub principi dæmoniorum adscribunt. Qui ut superna nunquam appretiati sunt, sic infimas protrudentur in tenebras: non illi qui nunquam deum cognouerũt, sine sua culpa, sed qui obliti sunt, quia non corde perceperunt beneficia magnalium dei, quæ non retulerunt in dominũ, & ex factura discere creatorem nihili duxerunt.

18 Quoniã non in finẽ obliuio erit pauperis: patiẽtia pauperũ (non) peribit in finem.

Pauperum obliuisci. Quanquam uideatur aliquãdo dñs pauperũ obliuisci, dũ uexantur ab improbis, nec statim ipsorũ audire uota, dum opem implorãt, nõ tamẽ possunt eorũ orationes ac pia uota esse perpetuo inania. Vidit tandẽ Israelitas dominus in Aegypto. Pauperes spiritu nihil de se præsumentes dño peculiariter curæ sunt, sicut & illi semper sperant in dominũ. Non enim obliuiscí potest pater filij sui, afflictorũ quoq; & humiliatorum spes & patientia non perit tandem, sed in sæcula sæculorum domino commendatur, & secundum fidem illis retribuitur. Summã enim domini misericordiam sentient, etiã si pro tempore iratum sentire pij uideantur in præsenti.

19 Exurge domine non confortetur homo: iudicentur gentes in conspectu tuo.

Orat ut sicut contra Goliath præclarã concessit uictoriam, ita pijs oĩbus contra quoslibet impios adesse digne- Victoria piorum.
tur, proq; suis exurgere, et potentiã suam declarare, ne semper cristas erigant, suisq; sese uiribus efferant, utq; iudicentur gentes corã ipso, hoc est, ut in impijs palãm fiat dei iudicium, meritas pœnas persoluentibus. אנוש homo non sine emphasi ponitur, quo indignitatem hominis exprimit, eoq; spem sanctis confirmat, nihil mepios & à deo damnandos homines ualituros contra sanctos & ipsorum deum, ac patrem. Quicquid autem hic orat, idem & prædicit futurũ, cum nihil orasse se memoretur, quod nõ simul quoq; exorarit. Vere enim contra impios surgit dominus, cum ultricem uirtutem suam depromere consueuit in hostes populi sui.

20 Constitue dñe legislatorẽ super eos: sciãt gentes quoniã homines sunt. Sela.

Grauem moderatorem constitue super eos, à cuius disciplina terreantur ac tremant, cuius iugũ abijcere nequeant, impiũ aliquẽ principem ac regẽ, siue crudelẽ sa tanam, sub quorũ manu impij humilientur, & sese continere à persequutionibus cogantur, diuino terrore percellendi, ut uel tandem agnoscãt se miseros homines esse & mortales. Id quia grandis est sapientia & profectus seipsum cognoscere, ideo addit Sela.

PSALMVS X.

Sine titulo est, quandoquidẽ apud Hebræos contexitur nono, & aliud argumentum ex hoc loco tractari uidetur in sequentibus.

ARGVMENTVM. Est feruens precatio hominis pij contra malitiosos, qui innocuos et afflictos opprimunt, quorum hic intolerabilis superbia describitur, & artes nocendi, quanquã & ad prædicta in priora referri possint. Qua enim ratione distinctiones factæ sint quorundam Psalmorum, & unio, diuinare non possum, nec magnopere perueștigari potest tantæ uetustatis mutandi ratio constante sententia.

1 VT qd dñe recessisti lõge, despicis in oportunitatib⁹ ĩ tribulatiõe?

Dum dominus permittit sceleratos homines pro libidine bonos diuexare fraudibus & uiolentia, dicitur humana locutione procul stare uel manere, auertisse se, & dormire, faciem abscondisse & dissimulare iniuriam suorũ, ut interim ardẽtius orẽt pij, & clament ad dominũ. Vt hic quoq; Dauid in persona afflictorũ dicit, deum longe abesse, aut si adsit oculos tegere, tempore quo ipsi tribulatione exagitantur, quasi nolens uidere iniurias quas ab improbis perferunt, cum iusti officium sit malum non tolerare quod queat auerte-

re.

re. Non potest autẽ animus mœrore oppressus abyssum iudiciorum dei cognitione consequi, qui suos præsens & sciens, ac illis etiam beneuolus malorum improbitati ali quandiu exercendos concedit.

2 Dum superbit impius, incendit pauper: cõprehenduntur in cõsilijs qbus cogitãt.

A longe Rx te deum

Causam dicit cur deus uideatur à longe stare. Superbit enim impius, & persequitur non nisi bonos, & amicos dei, qui mundũ non diligunt, & alioqui affliguntur multipliciter. Cum itaq; dñs adflictis & humilibus non adesse, nec superbos deijcere uidetur, animus pius angore afficitur, et deo patri suo queri cogitur, eius cõtra sceleratos inuocare auxiliũ. Hunc ergo animi perturbationi affectũ exprimit cõsequenter. Cõprehendantur obsero in cõsilijs suis quæ cõminiscuntur, pdatur corã deo & hominibus malitia prauorũ suorũ studiorũ, & malignorũ cogitatuũ, ut non tantũ pijs obesse poßint quantũ desiderãt, ut à sanctis illorũ improbitas ualeat declinari.

3 Quoniam laudatur peccator in desyderijs animæ suæ, & iniquus (auarus) benedicitur, Exacerbauit dominum:

Græcus interpres.

Quoties occurrit Iudæorũ in expositione literali dissensisse mihi quidẽ uidetur, ut & hoc loco sensus sit impersonaliter accipiendo uerba: Pestilentißima desideria & studia improbũ inueniunt paßim comprobatores qui bus placeant, nimirum illis similes impios. Quomodo enim impio displiceret impietas, quam tam sedulo sectatur, cupiẽs sibi quàm simillimos multos fieri, ut probior habeatur in peßimis? Nec apud tales probrũ habet auaritia, sed laudẽ. Quanto enim quæstus impio cõtingit uberior, tãto instructior semp redit ad opera impietatis. Quin & non abominabuntur illi etiã peßimos blaspheматores maiestatis diuinæ. Non enim dominũ deum credunt, nec reuerentur, nec abhorrent ab illius quacunq; blasphemia, quandoquidem quæ tu summe uituperas & execraris improbitatem & auaritiam, ea isti magnopere laudant. Iudæi sic. Laudat impius quod sibi placet, auarus benedicit, & dominum blasphemat.

4 peccator secundum altitudinem iræ suæ non quæret. Non est deus in conspectu eius: (omnes cogitationes eius.)

Arrogantia impiorum.

Arrogantia nimia & intolerabilis fastus, quem furor pensi habeant, neminem metuant, nunquam inquirant licitum, sed suum arbitriũ. Caput autem omnium talium consiliorum & improbitatũ est, non esse deum qui omnia norit uel faciat, proinde neminem se oportere timere, quicquid agere poßit hoc illi licere, sua tantum quærere, diuitias, gloriam, libidines & uitam iucundam sectari, utcunq; proximus habeat uel remotus. Deum non orat, quem non credit de rebus quæ hic fiunt iudicare, sed super cardines cœli perambulare, nec nostra considerare. Hoc enim in suis consilijs uoluunt, deum nullam noscitationem habere, etiam si penitus ab animo deũ esse excutere non poßint, quamlibet impij.

5 inquinatę sunt uię illius in omni tẽpore. Auferũtur (altitudo) iudicia tua à facie eius: omnium inimicorũ suorũ dominabitur.

Iterum in discordia Iudæorum placet uetus interpres. Inquinatæ sunt, prophanæ sunt, uel dolorem ingerunt, pijs scilicet omnia illius studia. Nihil sanctũ, æquũ, pium uel sanũ instituit impius sine deo uel timore dei, sed per omnes grassatur libidines et pollutiones omnigenas, cordis, operis ac loquelæ, idq; non semel & iterum, sed sine intermißione omni tẽpore. Quandoquidẽ instituta illa impiorum omnium in altũ sublata sunt, ne iudicia domini perscrutẽtur uel timeant, dignam sibi uindictam non formidant, nõ credunt imminere, sed procul amotã putant iustitiæ diuinæ prouidentiam. Non uereretur quemcunq; hostem, magnũ semper spirans animũ contra deũ & homines, neminẽ sibi comparari sinit, paratus obesse omnibus si aduersentur, quos & leui opera poßit superare, quasi solo flatu suo aduersarios prostraturus. Solo enim nutu sanctos in hoc mundo impij quidam infestare & prosternere posse nonnunquam uidentur. Bonis autem semper satis est posse tutos consistere ab infestatione malorum, neminem offendere cupientes.

Iudicia dei non timent impij.

6 Dixit (enim) in corde suo, Non mouebor à generatione in generationem sine malo.

Summam impijs securitatis persuasionẽ propheta tribuit. Dixit, inquiens in corde suo, hoc est, apud se cogitauit improbus, Non mouebor à statu meo, nec impediet quispiam institutum meum qualecũq; per multa sæcula, eo qd' nihil mali, nihil infortunij experiar, nihil accidet incommodi. Quod Sine malo additur, præcisa est locutio, sed apta cogitanti: quasi dicat, Semper absque malo ero, nihil aduersi patiar. Sic enim sibi sufficere se putãt, & nihil boni à deo suscipere se credũt, quem rerũ mundanarum non credunt prouisorem & ordinatorem.

7 Cuius maledictione os plenum est, & amaritudine, & dolo: sub lingua eius labor & dolor.

Describit nocẽdi modos quibus improbi pios affligere consueuerunt, & innoxios depeculãtur. Deierare nulla impijs religio est, ideo in prõptu semper periuriũ habẽt: hinc dicitur, Periurio scatet os impij, idq; plena & multa obtestatione, inq; cordis medio fraus est & dolus illi, nulli fauendo præter q̃ sibi, nulla synceritas uel candidæ mentis studiũ. Omnia autẽ præfracte agit impius & inique: quicquid lingua eius profert, iniuria est, mendaciũ, dolus & prauitas: fallacias enim concinnat, uerbis falsa adornat, nihil apud eos integrũ in corde ore uel opere.

8 Sedet in insidijs cum diuitibus: in occultis ut interficiat innocentem, oculi eius in pauperem respiciunt.

Insidiantur isti & latrocinantur, sed non ut uulgo solent latrones è syluis & speluncis cum suo periculo, uerum in ipsis diuitum atrijs & principum aulis, in ipsis urbibus, ne quis tutus ab illis sit. Opulenti enim cũ sint, non tam laboriosas uias habent latrocinandi & homines spoliandi, sed arte potius & potẽtia hi sua spolia & iniurias tuentur, iudices nonnunquam furũ paruorum. Non enim singulos ciues sed totas respublicas suis depe

Opulenti latrones.

culationibus premunt. Quin & nonnunquam potentes illi, post res abstractas etiã uita spoliant innocentes, suis utentes artibus & prætextis, ut uis & crudelitas, uel lateat, uel puniri non possit, dum mutuum similes sese iuuant & protegunt. His modis opprimunt pauperes, ut auaritiæ suæ & uiolentiæ resistere pauperes nõ possint, interim uero ipsi undiq; sibi lucra comportant.

9 insidiatur in abscondito quasi leo in spelunca (*sua*) insidiatur ut rapiat pauperem: rapiet pauperem dum attrahit eum in laqueo suo,

Leones improbi.

Leonis similitudinem inducit ad significandum improbos istos studio intentos uenandi & rapiẽdi pauperes, & artibus insidiandi. Plus, inquit, quàm uel latrones in itinere uel in urbibus, uel leones in saltibus, uel aucupes in agro, instructi sunt ad pauperũ rapinam, qui à talibus affligũtur & pauperes fiunt, traditi uel arrepti sine ulla commiseratione in prædam potentium iniquorum.

10 & humiliabit (*eum*) inclinabit (*se*) & cadet cum dominatus fuerit pauperum.

Iterum leoni prædam inuasuro impios assimilat. Vt enim ille tunc sese cõprimit, incuruat ac deijcit, ut eo fortius in prædam insiliat: sic significat sceleratos illos pauperum oppressores, interdum sese demittere, & deiectis similes exhibere, sed quo commodius eoq; potentius postea miseros deijciant, & comminuãt, potentes in hoc, ut pauperum cœtum facile sternant.

11 Dixit (*enim*) in corde suo, Oblitus est deus, auertit faciẽ suam ne uideat in finem.

Omnium prædictorũ causa est, quod cogitant deũ præsentium rerum nullam habere rationẽ, curam, uel scientiam, auertisse faciem suam, ne unq; ista quæ hic fiunt uideat, maioribus siquidem negotijs circa res maximas occupatus. Ideo grauatim adeo de deo aliquid audium, ucramq; religionem atrociter persequũtur, inimicam suis moribus & studijs & protractricẽ, ridentq; eos qui dei uniuersalem prouidentiam suspiciunt & uerentur.

12 Exurge domine deus, exaltetur manus tua: ne obliuiscaris pauperum.

Sanctorum precatio.

Precationem infert sanctorum, qua orant, ut deus de improbis illis innocentium oppressoribus, quorum ingenium & artes nocẽdi iam expresserat, ultionem sumat. Precatur ergo primũ, ut cõtra illos dei potentia sese exerat, quæ ueluti retracta uidebatur. Quãdo illi impij sic grassabantur pro sua libidine, manum suam eleuet in altum ut uehementius percutiat. Exurgere optat, qui nimium diu sanctis obdormiuisse uidebatur. Manum exaltari, est ostendere potentiam & minari stragem & uerbera, tanto acerbiora, quanto diutius expectata.

13 Propter quid irritauit impius deum? dixit (*enim*) in corde suo, Non requiret.

Vindicta sanctorum.

Exprimit causam, quare sancti non sua, sed præcipue gloriæ diuinæ gratia uindictam exigendam petant de reprobis. Quare, inquit, lacessit deum maledicto is improbus, ut dicat deum uel non esse, uel non omnia scire aut curare? Dicat inquam si non uerbo saltem corde, quanquam & ex cordis redundantia os loqui soleat, quæ impij contra deum maledicta prouidentiam negando concipiunt, quod multo grauius offendit sanctos, quàm si quid contra ipsorum personas famamq; dicatur, atq; ad precandum dei in illos ultionem uehementer non indignue extimulat. Affectum autem hoc loco indignationis indicat interrogatio, Propter quid? Idem facit & mutatio personæ: deniq; & oratio tam præcisa, Nõ inquiret.

14 Vides quoniam tu laborem & dolorem consyderas: ut tradas (*eos*) in manus tuas. Tibi derelictus est pauper: orphano tu eris adiutor.

O domine deus, ille maledicus dicit, te non iudicaturũ de improbitate & sceleribus suis, neq; nos pauperes ab ipsius ui & dolis uindicaturum, at secus experietur. Vides tu siquidem omnia, molestiam illatam nobis ab illo, diras q; blasphemias, quibus tuam immunuit maiestatem, ut simul atq; iustum huius impij tempus aduenerit, manum tuam contra illum proferes & prorsus extingues, iustumq; de eo iudicium facies, qui se impune creditit omnia perficere potuisse. Super te nititur pauper, cam sam suam tibi oppressus committit. Pupillo enim adiutorium promisisti, omnibus scilicet sua & aliorum opprestitutis. Aliàs solent adiungi uiduæ, quæ & ipsæ malorũ improbitati prostituũtur, & solent esse obnoxiæ, ideoq; uindicẽ se deus semper iactat uiduarum & pupillorum.

15 Contere brachium peccatoris & maligni: quæretur peccatum illius (*&*) non inuenietur.

Orat captata fidutia: Contere, ô deus, brachium peccatoris, potentiam improbi & iniqui, & inquires ustabisq; digna ultione de improbitate eius, animaduertes in eum, ut alij ab improbitate deterreantur, ut tandẽ cesset tãta uel perfidia in proximos, uel blasphemia in deũ, & ipsi de medio auferantur, locum cedendo fidelibus.

16 Dominus regnabit in æternũ & in sæculum sæculi: peribitis gentes de terra illius.

Gloriatio tanquam

Gratulatio sequitur de allato diuinitus auxilo contra impios. Neque enim deserere suos potest deus. Gloriantur enim sancti, & hostibus pietatis insultant in tempore, Domine, inquiunt, deus rex omnium tu es sæculorũ, iam nunc experti sunt te regem esse & iudicem totius mundi. Interierunt enim illæ tales gentes impuræ de terra tua, quam sine nullo iure occupauerant, qui deũ ignorantes, & diris blasphemijs irritantes, indigni sunt qui superfint, sed de mundo deleantur, & protrudantur de male acquisitis suis possessionibus, & despolijs pauperum, quos oppresserunt.

17 Desiderium pauperum exaudiuisti domine: præparationem cordis eorum audiuit auris tua.

Dirige, ô deus, uota fidelium, attendat pauperibus auris tua, ut ilico reddantur uotorum compotes: sic enim dudũ pollicitus es. Antequam inuocauerint dixisti, Ego exaudiam. Id uero in eo præstat dominus, quod pupillos & oppressos ab iniuria asserit, ne sit ultra ab improbis illis formido humilibus & oppressis fidelibus, qui alioqui ex naturæ cõditione multis sunt expositi ærumnis,

Iudicare

18 Iudicare pupillo & humili: ut non apponatultra magnificare se homo super terrã.

Pregio offis cium.

Ad hoc, inquam, auris tua percipiat desyderia cordis nostri, ut uindices pupillum destitutum quocunque necessario auxilio inter homines, & tenuem uel attenuatum ae humilem conditione & animo, ut posthac temeritas humana non tantum præsumat contra proximum natura, & uiolentia nulla admittatur hominis in hominem, quum sint pariter puluis & cinis, de terra formati, inq; terram conuertendi. Itaq; uel meliorem præstamentem tyrannicis ingenijs, ut se mortales agnoscant, & subditos tuis legibus, uel iusto tuo iudicio disperde illos de terra, ne semper onerent uiolentia sua consortes uitæ & rerum, quæ pariter utrisque tu deus concessisti, & quoad placuerit conseruas.

PSALMVS XI.

In finem Dauidi.

Hic Psalmus Dauidis est, quem ad finem quem omnes fideles instituunt cecinit ad laudem dei, ad gratias agendum, et pro remedio calamitatum pijs accidentiũ, proq; consolatione spiritus & conscientiæ.

ARGVMENT. uerò huius Psalmi. Consolatio est in persecutionibus intentatis, & professio ueræ fidei in deum iudicem bonorum & malorum.

1 IN dño confido: quomodo dicitis animæ meæ, Transmigra in montem sicut passer?

Fiducia in deum in ad uersitatibus

Et si aduersa omnia & dura undiq; minabi immineant & premant, pars deserat, pars ꝑdat, pars ad mortem pertinacissime quærat, ut patet legenti sacrã historiam de Dauide, non tamen despondeo animum & salutem, quin & regnum: quia in domino confido, qui solus omnia ualet, & in se sperantes non potest derelinquere. Quare ergo uos, qui pro tot à me acceptis beneficijs me indignum prosligatum tueri debebatis, dicitis nunc confugienti ad uos, Facesse, & quocunq; loco poteris alibi quàm apud nos te salua: in aliquo scilicet montium uestrorum, quandoquidem urbis subterfugia negatis, quam meo uos beneficio habitatis. Vt cogar fugere de loco ad locum, de monte in montem, de solitudine uel saltu ad saltum, ueluti auicula cui insidiantur aucupes, ut nullo in loco congesto uel confecto nidulo sese tueri & abscõdere cum aliqua quiete ualeat. Sic pij omnes, quorum Christus caput est, periclitantur in hoc mũdo, progregesq; suos continuos hostes coguntur: id patriarchis usuenit, prophetis ferè omnibus, Apostolis quoque & Paulo, et nõ cessabitur ab impijs à persecutione fideliũ.

2 Quoniã ecce peccatores intenderunt arcũ, parauerũt sagittas suas in pharetra (nervum) ut sagittẽt in obscuro rectos corde.

Persecutio contra bos.

Quandoquidem omnibus nobis quamlibet innocuis & innocentibus hominibus, imò beneficis, & in bono malum uincere satagentibus, tot pericula imminent ab iniquis & improbis, quos immerito persequuntur, & quasi arcu continuo tento, & sagittis onerato & parato, obscurissimis quibusq; in latibulis nos inquirunt, & nihil negligunt, quo nos confodiant, & interimant, nullam ualentes obtendere iustam causam damnationis nostræ, qui maxime cupimus prodesse omnibus, obesse nulli, sectari iustitiam ad deum & homines, uos cõtra, ubiq; & semper dolis omnibus maligne pios persequimini.

3 Quoniam quę perfecisti destruxerunt: iustus (autem) quid fecit?

Impij non omnia possunt quę uolunt.

O domine iam fundamẽta consiliorum suorum te permittente contra me ad peccatorũ meorum pœnam, uel ad exercitium probitatis, diruentur & cessabunt, nihil contra me ualebunt quamlibet fortes illorum positiones, & studia iniquissima, præter omne demeritũ meum, qui in cõspectu & iudicio tuo iustus sum, et nihil tale de eis commerui, à quibus tãtopere persequor & perturbor, ut nusquam consistendi locum inueniã. Vetus interpres aliter legit quàm Iudæi interim, quanquam sensum satis clarũ indicarit. Quæ tu de iusto consilia statuisti illi subuertere studuerunt, sed iusto nihil oberunt molimina impiorum, quod nihil iniquum instituat uel moliatur, unde tantopere debeat perturbari.

4 Dominus in tẽplo sancto suo: dominus in cœlo sedes eius. Oculi eius (in pauperẽ) respiciunt: palpebræ eius interrogabũt (probabunt) filios hominum.

Causa fiduciæ in deũ.

Causam exprimit fiduciæ suæ in deum, quamlibet consilio & opere ab impijs persequatur. Is enim dominus deus meus, in cœlis omnibus supereminens residet, cũcta eorum intuetur & explorat. Is non odium sed dilectionem suã declarat in suos iustos, quos odio iniquorũ exponit, quibus semper præsto est, à templo sancto suo inuocatus, secundum legem suam ad peculiarẽ populum, uel à cœlo prospiciens super electos omnes, ut adiuuet fideliter & cum fiducia inuocantes. Sedem suam cœlo constituit, & terra scabello utitur, simul tamen clarissime intuetur omnia, perpendit ac iudicat quæ fiunt, iusta & impia. Oculi prouidentiæ suæ omnia intuentur, à quo omnia dependent & iudicantur facta omnium filiorũ hominum: scrutatur enim & obseruat per omnia arcana cordium ubiq; & semper, nullusq; subterfugere potest iudicium iustitiæ illius.

5 Dñs interrogat iustũ & impium: qui autem diligit iniquitatem, odit animã suam.

Vtilitas ærumnarum in impijs.

Dominus iustos examinat, aduersa immittendo, & abstrahendo à mũdi illecebris, animos illorum ad se rapit, & sibi uendicat iudicio rectiore donatos. Sicut enim aurum igne cõprobatum maiori habetur in pretio: sic eruit dñs suos, & gratiæ suæ dona ad illos clarificat, ab aduersitatibus liberando, redditurq; uicissim tanto feruentior amor omnium quæ Dei sunt, amore creaturarũ mitigato, si non in totum extincto. Sic prosunt ærumnæ pijs, de quibus & gloriantur: impijs uerò etiam fortunata male cedunt exosis domino. Ex animo enim dominus odit improbos & uiolentos, utcunq; illis in hoc mundo terrenis beneficijs fauere iudicetur. Reuera enim Christo docente, Animam suam odit, id est, exponit culpæ et pœnæ, qui iniqua sectatur.

6 Pluet sup peccatores laqueos: ignis, et sulfur, et spiritus procellarũ, pars calicis eorũ.

Vindicta dei in improbos.

Prædicat inexplicabilem uim uindictæ in improbos à domino iudicandos, similem nimirum ei qua absumpsit Sodomam & Gomorrham, ubi depluisse legitur sulphur & ignem, uelut fulgura & carbones ignis, quibus impij uelut laqueis irretiuntur, ut euadere non possint implicati. Subitanea quoq; ultione improbos confundit, perturbat, & intricat. Talibus laqueis deus hostes suos intercipit, dum omnium minime expectant malum. Sulphurem addidit, quod fulmina sulphuris odorem adducant: ingens est autem uis sulphuris igne iuncto. Spiritus procellarum uel turbinis sequitur, qui ingentibus quoq; incendijs desæuire solet atque grassari. Quibus omnibus significat indignationem dei in improbos desertores legis diuinæ, quam scriptura consueuit passim Sodomorũ euersione designare: sic quoq; dñs unicuiq; sua quæ exhauriat mala definiuit, & quibus bonis fruatur, quod sub metaphora calicis parati & epotandi proponitur.

7 Quoniam iustus dominus (&) iustitias dilexit: æquitatem uidit uultus eius.

Iustitiæ amor.

Cum enim deus iustus sit, non potest non amare iustitiam, eiusq; fauere cultoribus, uultuq; clementi respicere fideles filios suos. Iustitiam autem diligere, est iustum ipsum appretiari. Sic rectum capitur pro recti cultoribus, integro & recto homine. Vultus autem uoluntatis indiciũ est, fauere significans uel probare, si clementer affulserit. Quod autem scribitur פניו, uetus interpres transtulit erudite etiam secundum Hebræos quosdam, Eius pro eorum: id est Aequitates uidit facies eius. Fauere enim se rectis multipliciter indicat & declarat, quo minus in iustitiæ studio fatigentur recti, quamlibet malam gratiam mundus rependat, quibus abunde sufficiat charos se deo credere, scireq; sereno se uultu semper à deo cõspici, quamũlibet impij crudelius insectẽtur.

PSALMVS XII.

In finem pro octaua, Psalmus Dauid.

ARGVMENT. Queritur fidem ac iustitiã concidisse, impios & fraudulentos omnia occupasse, orat domini misericordiam & auxilium, ut suos seruet ab improborum consortio, iuxta uerbum suum.

1 SAluum (me) fac dñe, quoniã defecit sanctus, quoniã diminutæ sunt ueritates à filijs hominũ.

Querela sanctorum.

Animo feruente exclamat pius, dum nihil conspicit spei uel auxilij, in medio impiorum constitutus: Serua, ô domine, succurre, fer opem, quandoquidem nulli supersunt boni homines, & nisi feras auxiliũ, actum est de iustis & iustitia. Est enim summa rerum pernes pestilentissimos quosq;, bonorum autem & fidelium nulla penitus habetur ratio. Defecit sanctus, inquit, nullus bonus supereſt, desierunt inter mortales qui fidẽ colant, maxime inter potẽtes. Eatenus, ut boni & iustitiæ sectatores latitare cogantur, & multa dissimulare, malis ubique sese dum libet ingerentibus, & omnia obturbantibus. Pulchre autem transtulit Veritates, uel fidelitates, pro fidelibus & ueracibus, qui ex fide bona synceriter & candide omnia dicunt & faciunt.

2 Vana locuti sunt unusquisque ad proximum suum: labia dolosa in corde & corde loquuti sunt.

Vanitudiciæ, & uerba duplicis cordis, nempe malum proximo quærentis, & bonum uerbis subdole simulantis. Nam enim sibijpsis tantum amici sunt, ideo pro suo emolumento alios decipere industriam existimant, laude dignum. In corde & corde loqui, est inconstanter & perfida intentione loqui, duplici animo, fallere innocentem & simplicem. Labia dolosa sunt, quæ loquuntur contra sententiam cordis, & mentiuntur proximo ad decipiendum.

3 Disperdat dominus uniuersa labia dolosa, linguam magniloquam.

Imprecatur igitur tantis periculis inuolutus, homo iustus quicunque, qualis & Dauid erat, ut dominus uniuersorum ipsissima ueritas, amator fidei & integritatis, huiusmodi dolosos homines sic disperdat, ut desinant loqui mendacia. Iungit autem arrogantiam blanditijs & assentationibus, soltam sane peraptis hominibus, maxime in principum aulis. Nihil enim istis est blandius & fastuosius, neminem respiciunt uel uerentur, nihil ilos fingere pudet uel mentiri, dummodo primas ubique obtineant, & sint bonis formidabiles, qui tamen malos quoque seducere sed blanditijs studeant, quo minus à pessimis ioribus impediantur in studijs suis. Contra huiusmodi dominum interpellare, ut disperdat quomodocunq; illorum malitiã sancti coguntur, pro se inuicem orantes, non tamen aliter quàm pro domini uoluntate & gloria, qui mallent illos à malitia conuerti & mendacijs ad integritatem & amorem iustitiæ & ueritatis, quam sempter optant, proficere in mundo.

4 Qui dixerunt, Linguam nostram magnificabimus: labia nostra à nobis sunt, quis noster dominus est?

Horum arrogantiam & magniloquentiam propheta quo plenius exprimeret, usus est eleganti imitatione uerborum, ipsorum superbiam referens, qui dicunt: Labia nostra nobiscum sunt: quod uetus interpres elegantius reddidit, A nobis sunt, à uotis nostris pendet quicquid loquamur, non pendemus ab alio, ad manũ scilicet sunt, & in potestate nostra loqui quæcunq; libuerint, et facere nobis licet, nemunem ueremur: Quis enim noster dominus est? Sic sane habent animi deploratorum, simul atq; potentiam aliquam fuerint consequuti, nulla se putant lege teneri, nulla eos incessit religio, nulla superum authoritas mouet nec hominum, ut digne illos pij disperdi & excindi precentur. Linguam nostram magnificabimus dixerant, id est, magna loqui imperabimus, ut & authoritatem nobis uendicare possimus, & magnificari ab omnibus, ne quis nobis contradicere audeat, sed eloquio nostro cunctos superemus.

5 Propter miseriam inopum, & gemitum pauperum nunc exurgam: dicit dominus. Ponam in salutari: loquetur ei (fiducialiter agam cum eo.)

Canit uerbis dei promissionem diuini auxilij. Hæc, inquit,

quit, pauperum uastatio atq; eiulatus causa est, ut penitus fraudulentos illos raptores deuastare decreuerim, et ob tantas iniurias damnare, diutius has tot impiorum iniurias ferre & intueri nõ possum, benignior sanè, quàm ut pios & mihi fidentes perpetuo supprimi tam indigne patiar ab impijs. Ponam in salutari uel in salutem afflictos, id est, iuuabo eos, & eripiam de manibus uiolentorum & superborum. Non potest autem uanũ esse quod dixerit, Dominus iustus & pius, quod & credi futurum uolo à fidelibus, quod enim promitto præstabo. Bis autem dico, ut fiducia plena de salute futura, concipiatur, id quod uoluit pius interpres primus, dũ addidit ad sensum, Confidenter agam in eo, uel dominus aspirabit suo dilecto, & plena salute prospiciet, uel feliciter afflabit fidelibus.

Verba Dei sincera.

6 Eloquia domini, eloquia casta: argẽtum igne examinatum, probatum terrę, purgatum septuplum.

Siquidem quæ dominus dicit uerba & promissiones, sicut & tota illius lex & doctrina, syncerissime uera sunt, omni uanitate defecata, puriora quàm argentum sit, nulla plumbi admixtione impurum, quod excoctum depuratumq; est septies, hoc est pluries & multipliciter. Quod uero dicitur, Probatum terræ, intellexit cum alioqui argentum non sit sine admixtione cum terra, qd̃ tamen toties purgatum euadit purissimum: tale est uerbum domini, sine omni admixtione uanitatis & falsitatis. Vel melius, Vt purissima terra & nobilissima, quod terrenis hominibus uehementer amatum sit aurum uel argentum, & id non nisi probatum desyderant consequi. Sensus clarior est quàm uerba, quorum ob uetustatem nonnunquam significata minus certò constant, ut tunc iuxta sententiæ consequentiam explicanda ueniant. Ideo hic בעלול quidam Dominum transtulerũt, alij Separatũ, alij Catinũ, alij Laudabile & excelsum.

Seruantur fideles.

7 Tu dñe seruabis eos: & custodies nos à generatione hac in æternum.

In tanta ergo prauorum hominum & potentium superborum tyrannide, tu nos, ô domine, qui solus potes, custodias, & sub protectione tua conserues omnes fideles tuos, tibi deuotos, oppressos misere & uastatos, uel ne uastentur præserues semper, et per omnia sæcula. Nõ enim tantum Dauidi tot ab impijs mala occurrerunt, sed in sæcula sæculorum, nunquam non pijs hominibus ab impijs tot sunt molestiæ irrogatæ, & sic manebit, donec hoc statu mundus constiterit. Ad hoc enim hominem secundum cor suum Dauidem elegit dominus, pro populo ueteri, & Christum dominum in mundum misit, fideliũ caput & principem, ut exemplar habeant pij omnes, secundum imperfectius et perfectius, exercitij fidei patientiæ, omniumq; uirtutum.

Improbã natio sine fine pace.

8 In circuitu impij ambulant: secũdum altitudinem tuam multiplicasti filios hominum.

Ideo ab improba natione bonos conserua, quia circumfusi sunt undique improbi, pergentes & proficientes in suis malitijs semper de malo in peius. Qui si insuper fuerint exaltati, & imperium assequuti, ut liceat quicquid libet, nihil inter filios hominũ ferri saluum poterit, nulla pax & concordia: omnes enim secundum potentiam suam sibi impotẽtiores subijcient, et pacẽ nemo habere poterit nisi impius cum illis: quin & ipsi denique impij, suis se ferocijs & uiolentijs pessundabunt, & omnis humanus conuictus te permittente expirabit. Regnabit enim in mundo ipsissima uilitas, id est, hominum uilissimi, ut cessent omnes filij dei in terra, nullusq; residuus sit, nisi filius hominum, id est, miser & miserabilis, destitutus iustitia, ueritate & fide: sicut ante diluuiũ tanta hominum succreuerat malitia, ut ad unum omnes fuerint necessario occidendi.

PSALMVS XIII.

In finem Psalmus Dauid.

ARGVMENT. Oratio est periclitantis ad dominum, ut succurrat, & longanimitatem præstet, ne si pereat, hostes pietatis exultent, seruatus autem domini celebret bonitatem.

1 VSquequo Domine obliuiscẽris me in finem? usquequo auertes faciem tuam à me?

Precatur Dauid exemplar fidelium, ut cum tam misere perplexus sit, & angore constrictus, ut uideri possit à domino derelictus, aliquando & citius cura ac fauore suo denuo ad se respicere clementer incipiat, & non in æternum ueluti sui oblitus faciẽ auertat, ne tanta calamitas pio homini & de domino in bonitate sentienti semper obstrepat, sed rursum sui rationẽ se habere ostendat. Omnis autem sic anxijs longa fit mora diuini auxilij, & non tam aduersitas pios angit, quàm quod causam iræ deo peccatis dedisse se timent.

Derelictio sanctorum qualis.

2 Quandiu ponam consilia in anima mea: dolorem in corde meo per diem? Vsq; quo exaltabitur inimicus meus super me?

Dum aduersa sunt omnia pio in hoc mundo, domino sic fideles exercitante, consilia ponunt in anima, id est, anxie deliberant, quid facto sit opus: interim dolor non cessat, nec occurrit solatium uel modus euadendi periculum, quid ni discrucietur in corde, & uarijs distractus cogitationibus fide tentetur, & ad desperationem solicitetur, uel ad minus in impatientiam & blasphemiam? ut ipsi Iob contigisse uidebatur & reliquis multis. Huiusmodi igitur necessitate constrictus, ad deum animum Dauid extulit, & domini dei opem implorauit, ut tandẽ finiat tactantiam & fastum hostis impij, quod futurum fieri non dubitat, hoc ut citius fiat precatur, humiliationem impij ac tyranni cuiuscunque, & persequutoris fidelium.

Consilia piorum.

3 respice et exaudi me domine deus meus. Illumina oculos meos ne fortè unquã obdormiam in morte:

Nunc orat ut respiciat dominus, animúmque aduertat suis afflictionibus, nec perpetuò uideatur abscondisse faciem, id est, neglexisse: tandemq; sibi deus oranti annuat, & respondeat, quid sequi debeat, qua tandem uia elabatur ex discrimine, qui alium adiutorem & conso-

Respectus dei ad pios

latorem non habeat præter se unicum deum suum, cuius crebro fuerit bonitatem expertus, nunc quoq; non desinat misereri, sed propitius exaudire. Eodem facit, quod & petit uitæ lucem impartiri, illuminari sibi oculos, hoc est, dispelli prementium malorum tenebras, quas mortis somnus consequitur.

4 nequando dicat inimicus meus, Prævalui aduersus eum. Qui tribulant me, exultabunt si motus fuero,

Piorũ qualis oratio et pro quibus

Anxius deprecatur sæpe sanctus hostium impiorum insultationem, dum eleuare gestiunt timorem dei ab hominibus, & suadere perfidiam, deiq; iniustitiam uel ignorantiam. Videt enim uir pius illorum insultationi coniunctam blasphemiam & contumeliam dei, quam longe magis abhorret quàm suam uel deiectionem, uel excidium qualecunq;. Ex his uero discendum, dum nos deus suo spiritu non ducit, posse nos nostris consilijs conflare nobis afflictiones innumeras, & inanibus curis exedi animum nostrum, recta autem consilia capere uel sectari minime. Precandum igitur ante omnia, ut nos deus respiciens, oraculo suo dirigat, quo deserente non proderit uigilantia. Quo enim magis malis nos extricare conabimur, dei spiritu destitui, eo magis intricabimur, exemplo Pharaonis, Saulis, & populi Israelis.

5 ego autẽ in misericordia tua speraui. Exultabit cor meum in salutari tuo: cantabo domino qui (bona) retribuit mihi (& psallam nomini domini altissimi.)

Gaudium piorum.

Deprecatus gaudium hostium de suo casu, nunc orat, ut gaudere liceat, & gratias Deo agere de sua salute, quum sibi dominus reddiderit non iuxta merita, sed secundum fidem & fiduciam in bonitatem dei. Dignus igitur erat cui dominus opem ferret, unde & gaudio spiritus repleretur, ut sunt fidei comites, pax & gaudium, unde nascitur iugis actio gratiarum. Nequit enim confundi sperans in dominum. Vt igitur talem uoti compotem fieri necesse est, sic de percepta salute tandem gaudeat, & gratias agat domino oportet, quod est cantare domino, qui liberaliter mihi respõdens retribuit non ex meritis, sed immensa bonitate, nimirum bona, quod eximius interpres addidit, & de spiritu sancto suo adijcien dum putauit, Ideo psallendum altissime nomini domini.

PSALMVS XIIII.

In finem Psalmus Dauid.

Addidit interpres de suo Psalmus.

ARGVMENT. Accusatio est impiorum & perditorum hominum, qui terram impleuerint, & corruperint omnia uiolentia sua, ut cum ipsorum ultione pij & innoxij salutem à domino consequantur.

1 DIxit insipiens in corde suo, Non est deus. Corrupti sunt et abominabiles facti sunt in studijs suis: non est qui faciat bonum (non est usque ad unum.)

De conscelleratis & perditis hominibus omnibus omni tempore deum contemnentibus hic Psalmus intelligitur, qui sanctis hominibus infesti sunt semper, omnẽ uirtutem pessundant, flagitia defendunt. Aperitur autem fons omnium peruersitatum in principio Psalmi, dum dicitur, Dixit, id est iudicauit, impius, qui & reuera stultus & insipiens, uera sapientia, quæ est timor dei, destitutus, Non est uspiam deus. Etenim qui uerè deum agnoscit, exactorem uirtutis & iudicem iniquitatis ignorare non potest, ut frena cupiditatibus laxare nõ audeat, sed summo eum studio colit, cui et probari desyderat per omnia, quòd non sit cognitio dei sine amore, & qui fratrem non diligit, ostendit perfidiam in Christum & patrem. Habent quidem reprobi aliquid cognitionis diuinæ, & quantum sufficit ad adimendam excusationem: solidam autem & iustam, quæ amorem dei gignat, & amorem sui superet, non assequuntur, alioqui male esse non perseuerarent. Declarat autem quem intelligat insipientem, cui scilicet coniunctum est scelus & insigne nephas, quia depraua totam uitam suam, & abominabilia operatur, nec quicquam boni facit, nullum quocunque afficit beneficio, sua tantum cum aliorum iniuria quærit, de lege domini nihil curat, sed potius auersatur legẽ cum legislatore & omni iustitia.

Fons omnium peruersitatum.

2 Dominus de cœlo prospexit super filios hominum: ut uideat si est intelligẽs (aut) requirens deum.

Via impiorum contemnere deum.

Pro tam conscelerata impiorum uita, inducit deũ quasi attonitum & stupentem, omnes à deo à recta uia deflexisse, & sceleribus quasi compuruisse, neminẽ prorsus, ne unum quidem, benefactis studere, nihil quẽquam cogitare, nihil cognoscere, sine mente & metu uorare populum dei. Prospicit quamobrem deus è cœlis in homines, uitam speculando ipsorum, num quis quicquam beneficij intelligat, & ueram sapientiam æmuletur, quæ est, noscere eum, qui omne bonum est, qui omnia unus potest & largitur, illumq; suspicere, uenerari & illi se per omnia probari cupere.

3 Omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt: non est qui facit bonum, non est usque ad unum. (Sepulchrum patens est guttur corum: linguis suis dolose agebant, uenenum aspidum sub labijs eorum. Quorum os maledictione & amaritudine plenum est: ueloces pedes eorum ad effundendum sanguinem. Contritio & infelicitas in uijs eorum, & uiam pacis non cognouerunt: non est timor dei ante oculos eorum.)

Serpentis fabula.

Qui iuxta dei præceptum uiuit, ille ceu seruus domini uertit, alioq; deflectit, legemq; dei reijcere præsumit, hic iam subijcit, quæ & primo uersu dixerat, nempe computruisse eos, & neminem eorum ne unum quidem boni aliquid facere, quod non nisi sceleratos aspexit, & palàm perditos ac deploratos. Ne unus quidem, non sine energia adijcitur. Sequentia non sunt in Hebræo.

4 Nónne cognoscent omnes qui operantur iniquitatem, qui deuorant plebem meam ficut escam panis? Dominum non inuocauerunt:

Admiratur deus hos impios, adeò nihil intelligere, & tam

Impius ira diuinæ ani mi.

tam corrupto iudicio ac affectu præcipitari, & ratione carere, ut qui nulla dei ratione habita, populum eius ceu panem uorarent, hoc est, penitus expilant & perdunt. Hyperbole enim est, qua significat, bonos ab illis perditis prorsus despoliatos & direptos. Quomodo hi tam atroces in fratres suos, dominum deum communem omnium patrem & amicum inuocare auderent? Quomodo gratiam patris obtineret qui fratrem odit? Quomodo sibi indulgeri postulet, qui proximum indigne tractat atq; persequitur? perfidi tales sunt, & dominũ non credunt, quia non timent, ideoq; nec inuocant.

5 illic trepidauerũt timore (ubi nõ erat timor,) quoniam (dominus) in generatione iusta (est,)

Vitio digna impiorum.

Descripta malitia impiorum, nunc imminentem eis ultionem prædicit, ibi iam tunc ubi bonis molesti erant pœnas daturi sunt, & pauore exanimandi erunt maximo, & illis intolerabili, ut fugiant à gladio nemine persequente, ut nemo unquam maiorem pauorem senserit, qui nunquam timere uolebant deum nec homines. Time bunt autem ideo tam maxime, quia deus est in natione iustorum. Quia enim inter iustitiæ cultores deus habitat ipsum offendunt, qui sanctis negotium exhibent & persequuntur, in ipsorum nimirum perniciem sempiternam. Deum autem habitare inter homines, est uindicare iniurias hominum, bonos defendere, & impios metu perterrere.

6 consilium inopis confudistis: quoniam dominus spes eius est.

Spes pios q.

irrident impij pios quos deuorant, quia fiducia suam in deo collocent, quandoquidem illi deum esse negant, & inuocare stultum arbitrantur: actum scilicet de illo esse, qui deo causam suam commiserit, quod sane consilium adflictus quisque de populo dei non habet nec sequitur. Dicunt autem impij, Domino commisit causam suam, eripiat eum, liberet eum quoniam uult eum. Pius autem hoc consilium mauult quàm malis esse supplex, & à deo deficere, quem impij non credunt: quorum hodie quoque ut omnibus sæculis ingens numerus est, qui dum omnia in hoc sæculo posse uidentur, & sanctos suæ libidini obnoxios habere, horum consilium qui præsidiũ dei præsidio hominum præferunt stultum putant, & secure rident.

7 Quis dabit ex Sion salutare Israel? cum auerterit Dominus captiuitatẽ plebis suæ, exultabit Iacob (&) lætabitur Israel.

Votum à deo mitte de Sion.

Petit è Zion aduenire salutem, & eam qua uertatur, id est, saluatur captiuitas fidelium Israelis. Nã Zion occupata, atque inibi regno firmato, Dauid cœpit iudicium & iustitiam facere omni populo: unde solida depij isti rerum potiuntur, pauperes domini deuorantur, & fiunt miseri iuxta sæculum, ô utinam regnũ dei aduenial, auxilium feratur oppressis, & aliquando pessundentur impij, si non ut omnino esse desinant, saltem ut non præualeant. Tunc enim uerus Israel & Iacob sancti gaudebunt & lætabuntur, cum dominus captiuitatem huiusmodi restituerit, pios passim ex impiorum tyran-

nide exemerit, extinctis impijs. Cuius felicitatis regnũ, Dauidis & Salomonis, similiter Zion & Ierusalem, umbra fuerunt. Nunc autem in Christo & in spiritu proficit & perficietur regnum dei.

PSALMVS XV.

Psalmus Dauid.

ARGVMENT. Quibus oporteat esse moribus præditos ueros cœlorum ciues.

1 DOmine quis habitabit in tabernaculo tuo? (aut) quis requiescet in monte sancto tuo?

Regnũ dei & ecclesiæ qui sint.

Per tabernaculum & montem sanctum significat propheta regnum dei, & regnum cœlorum, beatam sanctorum concionem, ubi sancti nunquam in æternum mouebuntur. Idem est itaq; nõ concuti & beatum uiuere in dei regno, in cœlesti patria: & electorũ tantum est, qui ante mundi constitutionem præordinati sunt ad fidem & gratiam, & non hœdi sed oues Christi existunt. Vtcunq; igitur in ecclesia & hœdos ferri à nobis oporteat, & non sint ante messem zizaniæ cunctæ euellendæ, quod nequeat hic ecclesia penitus reprobis purgari, reuera tamen & apud deum ij tantum de ecclesia sancta censentur, qui electi ad uitam eo spiritu donati cœlitus sunt, ut innocentiæ & omni uirtuti ex animo studeant, ac ita è beatis Christi nuptijs & cœlesti tabernaculo eius nunquam eijci possint. Ex hoc ergo Psalmo discitur, qui census ciuitati dei idoneum reddat, & quibus præditum esse uirtutibus & dotibus cœli ciues necesse sit. De ecclesia quidẽ nostra peccatores sunt, quæ macula & ruga non caret in hac uita. Eos autem dicimus apud Christum non haberi de ecclesia, quibus dicet: Nunquam noui uos, qui fide & dilectione destituti sunt semper, qui tamen à nobis in ecclesia sufferuntur, donec manifestis sceleribus eijci mereantur.

2 Qui ingreditur sine macula, & operatur iustitiã, qui loquitur ueritatẽ in corde suo.

Ciuium ecclesiæ conditiones.

Primum requiritur in ciue ecclesiæ Dei, uiuere innocenter & simpliciter, ut missa prudentia filiorum huius sæculi animali, hoc est uersutia & calliditate sibijpsi soli prospiciendi & suis, suaq; quærendi, innocuam et simplicem uitam degat, à cura & prouidentia dei pendens in omnibus, qualis erat Iacob & Abraham. Ante omnia deus poscit, ut absit omnis fucus, ut totos & integros nos tum ipsi tum proximis addicamus: sic integro, simplici & syncero animo uiuere, est ambulare in uia dei simpliciter. Et operatur iustitiam, studet iustitiæ, deditus est actibus iustis, unde & deo gloria & proximis utilitas proueniat. Suum cuiq; tribuit, societatem humanæ coniunctionis munifice & æque tuetur, cuius ut fundamentum sunt fides & charitas, ita comites nunquam desunt liberalitas, benignitas, comitas, & quæ sunt huius generis alia, unde boni uiri nominantur. Nec potest quispiam iustus esse, qui mortem, qui dolorem, qui exilium & egestatem timet, pro republica uel pietate defensanda, aut qui ea quæ his sunt contraria æquitati anteponit. Qui enim diligit proximum suum sicut seipsum totam legem impleuit. Loqui ueritatem in corde suo, est

ex animo diligere uerum, iustum & æquum, optima fide in omnibus agere cum proximis, promissa seruare, nõ aliud simulare uerbis, aliud spectare animo, sed constantiam & ueritatem coniungere.

3 (qui) non egit dolum in lingua sua, Nec fecit proximo suo malum, & opprobriũ nõ accepit aduersus proximos suos,

Vt nihil optabilius Christiano ad proximum est, charitate & uera amicitia: sic nulla pestis nocentior, quàm dum quodcunq; malum uiderint homines audierintue, idq; plerunq; uanum, ad alios ilico deferãt: id hic summe cauendum pijs indicitur. Ex thesauro autem bono cordis non possunt nisi bona & salutaria colloquia depromi, & qui bono corde destitutus est, cœli ciuis esse nequit. Per dolum decipere, et peccata hominum deferre, hoc est susurronẽ & detractorem agere lingua sua, indicium est animi pestilentis: hoc significatur Hebraïs etiã per רָגַל. Nec fecit proximo suo malũ, nulla in re læsit. Sic moderatur linguã, ut nihil prorsus loquatur quod nõ ad gratiam & utilitatem cedat auditoribus, aut dei illustret gloriam, sed cupit usui esse eis apud quos uersatur, ut nomẽ dei sanctificetur. Vnde Paulus hortatur, ut quæcunq; uerbo uel facto gerimus, ea geramus in nomine domini Iesu, gratias agentes deo & patri per Christum. Et opprobrium non accepit, id est, non amplectitur uel gratum suscipit uel sustinet quod proximo suo probro sit: quin & uindicat proximum pro uirili, dum indigne proximus iniuria afficitur, & defendit uel non temere accusat uel infamat proximum suum. Veræ dilectionis officium est famam fratris defendere, nullum ferre opprobrium quod possis ab eo commode depellere. Nomen honestum optabilius est amplissimis diuitijs, & gratia bona potior est argento & auro. Vt igitur nostram famam apud bonos saluam optamus, sic alterius quoque famam curemus. Sancti quidem nihil causa famæ uel ad humanam gratiam agunt, atq; sine ea proximis prodesse satis nequeunt. Etiam Paulus hortatur ne apud gentes male audiamus, utcunq; id uitari in totum nequeat.

4 Ad nihilũ deductus est in conspectu eius (malignus) timentes autem dominum glorificat, Qui iurat proximo suo & nõ decipit (aliter, iurabit ut affligat, & non mutabit.)

In conspectu & iudicio sanctorum cõtemnitur is, qui improbe agit & contemptibiliter, quos alioqui mundus diligit filios & amicos suos, qui omnia possunt quæ uolunt in hoc mundo, quibus pius hostis est, et nihil defert. Isti autem improbi coram Deo & iustis abominabiles sunt, solum enim deum respiciunt, & illius sacrosanctũ beneplacitum, nihilque magnifaciunt quod deo odibile sentiunt, nec tribuunt alicui nisi quantum deus uult. Sic quantũ in unoquoq; homine animaduerterimus dei esse, tantum honoris illi impendamus: Sic quoque qui obscelera sua contemni meretur, eum pius digne auersatur, quamlibet magna potẽtia & dignitate polleat apud homines, non ut officia neget debita, qui inimicos quoque diligit, sed ut eius improbum conuictum, quanquam sibi forsitan lucrosum fastidiat et declinet, ut quum arguendus est super malis, magnanimiter arguat, & ueritatem contra tales animose defendat. Contra uero deum timentes & colẽtes habet in pretio, & ut domesticis fidei peculiariter benefacit, illis se familiariter iungit, & ipsorum innocentiam confidenter tuetur, utq; plus Dei in illis agnoscit, ita plus quoq; honoris eis impẽdit. Deniq; cum quid iurauerint proximo, etiam si postea contingat id illis esse molestum & damnosum, præstant tamen, ne proximum lædant uel offendant, neque ullo periculo uel damno temporali iuramentum præstitum tritare uolunt. Sic Ionathas filius Saul Dauidi iurauerat amicitiã, Sic magno malo suo, quod tamen fidelissime obseruauit, Sic & Regulus Romanorum Chartaginensibus.

5 qui pecuniam suam nõ dedit ad usuram, & munera super innocentem nõ accepit. Qui facit hęc non mouebitur in æternum.

Nominatim deus prohibuit à fratre et populari deperato usuram exigere de re quacunq;: at ab alienigena permisit, ut indicaret non oportere gladium furioso tribuere, & hostibus dei benefacere de donis dei, dũ oportunitas est gratificandi amicis dei. Nos nulla in re debemus grauare proximos. Hinc inter officia iustorum numeratur pecunias citra usuras mutuare, sed in omnibus huiusmodi contractibus charitatis normam sectari, ut quod tibi optares fieri à proximo, id illi non deneges, & iugo graui illum non oneres, alioqui & miseria & paupertate grauatum. Munerum quoq; acceptio lege prohibita est, adiecta causa, quod oculos etiam sapientum excæcent, & euertant uerba iustorum, hoc est, efficiant ut alioqui sapientes & oculati, à uero uidendo auertãtur, & qui alioqui iusti essent, ad iniustitiam muneribus inclinentur, idq; ut plurimum contra innocentes, quod ij soli munera offerre cogãtur, qui malam habent causam: innoxij enim sua innocentia quàm muneribus nitimur. His prædictis rebus qui studuerit, in æternum non nutabit, sed fixus inuictusq; in omnibus bonis permanebit, seruante & firmante eum deo, in omnium rerũ suarum successu, qui efficit ut bono ei sint omnia.

PSALMVS XVI.

Tituli inscriptio ipsi Dauid.

Videtur Mem finale ut alibi non raro lectum, uel forte olim scriptum pro Beth, quandoquidem בִּתְכָּם taßis olim scriptum pro Beth, quandoquidem בִּתְכָּם inscriptionẽ significare potest, sicut et מִכְתָּם coronã, uel delicatius ornamentũ aut insigne aliqd nobilitatis.

ARGVMENT. Oratio ad deum pro tutela pij hominis inter sanctos, ne ab impijs pertrahatur ad ritus mundanos, cum consolatione adiuncta.

1 Conserua me domine quoniam speraui in te,

Magna felicitas est & dignitas agere in ecclesia Dei, & inter sanctos habere locum, ideo pro hoc sanctus custodiam dei orat, quandoquidem hostis humani generis miris artibus id nititur impedire, & impetit ea parte pios: pro quo enixius deum orant, ut seruet, ne ab ea unquam excidant, aut non feliciter in ea promoueant. Summa autem ratio id orandi & exorandi huiusmodi tutelam dei subijcitur,

Quia

Quia in te confisus sum, in te spem omnem conieci, quia tuo tantum præsidio nitor. Quis enim bonus deserat eos qui suæ se fidei cõmiserint? quanto minus solus deus & summe bonus unquam negliget tueri fideles suos?

2 Dixi domino, Deus meus es tu, (quoniam) bonorum meorum non eges.

Pius ut dominum alio quærat.

Hortatur animam suam, id est, seipsum, ut domino dicat. Eodem sensu quo uetus interpres iod additum legit, ut sæpe ascribitur & obmittitur in similibus. Dominus meus, inquit, es tu, cui me consecraui, & in omnibus deũ meũ agnoui. Sed ne uideretur aliquid deo cõferre, iussit insuper dicere uel dixit, Non habes bonorum meorum necessitatem: quod Hebræus legit, Bonum meum non ad te, tibi nihil confert, minus est quàm ut eo iuueris. Bonis siquidem nostris deus frui nõ potest, quin potius toti domino obligati sumus, eidẽ omnia nostra inseruire debẽt.

3 Sanctis qui (sunt) in terra (eius) mirificauit omnes uoluntates meas in eis.

Beatus pius in sanctos.

Sed quid est quod mea opera fieri possit? quid iubes & placet sanctitati tuæ? Celsior in infinitum es, quàm ut meis beneficijs fruaris, attamen quia dominus meus es, cui omnia debeo, erit interim omne studium meũ in sanctos, qui adhuc in terra hac degunt & peregrinantur, insignes nimirum & præclaros uirtutibus & pietatis sanctos homines, his beneficia quæ tuo munere præstare possum studiose impendam, in quos est omnis complacentia mea, quibus toto corde afficior, omni affectu animus meus ad eos propendit. Huiusmodi affectus exemplum habemus in Paulo, post Christum perfectißimum typum huius charitatis, qui cupide adeo fratres inuisebat, aut literis appellabat: si quando de rebus eorum incertior esset, plurimum afflictabatur: si male habebant, summe dolebat: sin prospere, sancta lætitia gestiebat, Christi Euangelium & animam ipsam illis impartiri paratus. Hinc discendum quomodo deum colamus in sanctis, qui bonis quidem nostris frui non potest, at sibi factum agnoscet, quodcunq; uel minimis eius fecerimus.

4 Multiplicatæ sunt infirmitates eorũ: postea accelerauerunt. Non congregabo conuẽticula eorũ de sanguinibus: nec memor ero nominum eorum per labia mea.

Calamitas dei multæ sanctorum.

Multæ quidem sunt & semper erunt ærumnæ molestiæq; sanctorum, quorũ tota uita est crux, sicut & Christi domini, in multis enim tentantur & eruditur, sed ad salutem & profectum. Pro clementia enim dei nihil sanctis calamitatum imponitur, quod non cedat in meliũ ipsis, & fiat illis causa maioris boni, dicente Gregorio, Mala quæ nos hic premunt, ad dominum festinare compellũt, hoc esse uidetur quod hic dicitur, Postea accelerauerunt, ad sui scilicet agnitionem, humiliationem, supplicationem, uexationibus intellectũ augentibus uel præbentibus. Non sic autem de impijs, qui sese iactant meliores, si sacrificia multa etiam de rapinis, spolijs & innocẽtum sanguinibus offerant, cum illis nec sentio, nec mno, in illorum cœtu, conuenticulis, consilijs & institutis minime consistam, illorum operas condemnabo, &

non patiar me laudari à talibus, nec unquam huiusmodi homines impios commendabo, non dignabor memoria nominum ipsorum, siquidem indigni sunt quorum inter pios memoria celebretur.

5 Dñs pars hæreditatis meæ & calicis mei, tu es qui restitues hæreditatẽ meam mihi.

Hæreditas sanctorum deus.

Sic habent sibi deum sancti pro hæreditate, ut impiorum communionem contemnant, in quo deo suo omnia bona ut propria possident, neq; est quod diligentius agant, quàm ut domino gratificentur, & in hoc habeant uitam æternam, inæstimabilemq; felicitatem. Cuius æstimationẽ quo magis exprimeret, tam multas uoces congessit, portionẽ, partem, calicem, sortem, hæreditatem, quibus significare uoluit contigisse sibi beneficio domini nobilem hæreditatem, sortem & funiculum in populo dei, nõ inter sanguinarios & raptores cultoresq; idolorum. Calicem suum hic dicit societatem & contubernium amicitiæ, quod poculi communicatione, & communione potus defertur et significatur, ut cum nullo uelit amicitiæ symbolum amplecti, nisi tantum in domino. Tu restitues, hoc est, denuo firmam stabilies & sustentabis sortem meam, ut dominum deum suum in æternum possideat, & pro nulla offensa amittat.

Calix amicitiæ.

6 Funes ceciderunt mihi in præclaris: etenim hæreditas (mea) præclara est mihi.

Poesis sacra.

Eandem sententiam pro pondere affectuũ sacra poësi replicat, deum canens habere suos funes præclaros, hoc est, sortem amœnam, iucundam, optatum fundum suum & hæreditatem, præter quem nihil desyderet, qui abunde illi sufficiat, feliciter ac abũdanter sustineat sortẽ pij, hominis. Magnum est enim uehementer dominum agnouisse, in ecclesia sanctorum nomen dedisse, scire se esse de familia electorum, sentire in conscientia gratiam & beneficia dei, dominũ deum sibi esse propitium, & ad omnia iusta desideria propensum & paratum semper.

7 Benedicam dominũ qui tribuit mihi intellectum, insuper (&) usq; ad noctẽ increpuerunt me renes mei.

Gratia dei in pios.

Prædicat cum gratiarum actione dei in se fauorem & benignitatem, qua sibi hæc mens contigit, ut dominũ sibi propitiũ sciret, & communioni fideliũ interesset, suaq; tam præclara hæreditate potiretur cum gaudio conscientiæ, cuius consilio posset renuntiare malis & malo, ac domino deo suo adhærere: caro enim & sanguis huiusmodi intellectum & sapientiam non administrant. Quod uero ait, renes se noctibus erudijsse, significat intimis se affectibus solicitatum ad adhærendũ deo, & illi per omnia complacendum, totoq; desyderio ad sanctos dei ferri propter deũ, dies noctesq; erudiri, id est instigari, ut quæcunq; deo displicent, summo conatu & studio uitaret, sectetur autem quæcunq; grata deo, & electis in ecclesia conuenientia. Hic autem affectuum ardor ex consilio dei spiritu sancto prouenit, docente quàm pernicioſa uanitas sit, quicquid caro moratur, quàm uera sint bona quæ deus parauit suis.

8 Prouidebam dñm in cõspectu meo semper: qm à dextris est mihi ne commouear.

Sanctus semper deum cogitat.

Sanctus proponit sibi Deum semper, nunquam non obseruat, cogitat & intuetur, omni studio colere gestit, sicut & ipso uni nititur. Is siquidem dum à dextris est, id est auxiliatur, tanquam patronus & adiutor latus cingens, ut ueluti priorem se periculo obijciat, & mala imminentia depellat, nõ nutabit pius, sed auxilium dei tuto expectat: unde discendum, salutem rebus nostris ueramq; stabilitatem non aliunde petendam, quàm ex solo timore dei: & hæc cui contigit, is in domo domini est, & inter uere sanctos adnumeratur.

9 **Propter hoc lætatum est cor meum, & exultauit (lingua) mea: insuper & caro mea requiescet in spe.**

Fidei fructus gaudiũ animi.

Veræ fidei fructus, qui est solida animi lætitia, possidet conscientiam piorum. Cor & lingua, mens & oratio, gaudio perfunditur iusti, ut & conscientia gaudeat, & lingua glorietur. Iterum non putandus est tam indoctus uetus interpres, ut nescierit quid בבודי *significet, sed suo tempore pro* ב *legit* ל, *pro* בו *literam* שׁ, *& consequenter* ובודי *pro* ודי. *Non enim adduci possum, ut Iudæorum scriptores nõ aliquando ut cæteri hominum scribendo defecerint: quanquam Iudæi hic montem interpretentur pro gloria, quod & alibi agunt sine necessitate & ratione grammatica. Vt autem cor suum gaudere, & linguam lætari, ita corpus suum sedere confidenter & secure prædicat. Vbi enim spiritus piorum diuinæ bonitatis gustum perceperit, redundat ilico eius gaudium & in carnem, ut nihil trepidet, sed secure manum domini sustineat, & si crux illi ferenda sit, spes renascẽtiæ & resurrectionis omnia reddit leuia et dulcia.*

10 **Quoniam nõ derelinques animã meam in inferno: nec dabis sanctum tuum uidere corruptionem.**

Christi & piorum resurrectio.

Non ita destitues me, ô deus, ut anima quoq; mea morti succumbat, nec permittas ut iustus tuus uideat corruptionem: hoc est, ita diuinitus seruãdus est iustus, ut morti perpetuæ non sit concessurus, & ab inferis superandus: nec sic illuc sit descensurus ut maneat, sed ut emergat & triumphator resurgat. Sic & in Actis citatum hunc uersum legimus de Christo domino, capite piorũ, primogenito filiorum Dei, & redemptore fidelium ab inferno. Qui licet uere mortuus & sepultus fuerit, sicut Dauid, cuius caro uidit corruptionem, non tamen Christus sepulchro hæsit, sed in triduo rediuiuus ad immortalem uitam surrexit, ut nec inferos hoc pacto adijsse dici possit, nec uidisse sepulchrum, quod morti in eum nihil concessum est, sed ipse potius de morte triumphauit & inferis. Quanquam & Dauid dici possit eatenus non gustasse mortem, quia uitam in Christo sic habuit, ut animo semper beatus uiuat, certus quoq; de carnis suæ resurrectione. Sic autem mori, est nõ mori: sic sepeliri, est nõ sepeliri: & corpore corrumpi, est non corrũpi, quia qui in Christum credunt, iam transierunt de morte in uitam. In Christo autem solo hoc perfecte completur, et ei competit quicquid sanctis pro sua cuiq; portione communicatum est.

11 **Notas mihi fecisti uias uitæ: adimplebis (me) lætitia cum uultu tuo: delectationes in dextera tua usque in finem.**

Vitio id in pos. & fehlerhaft.

Quibus huiusmodi spiritum deus largitur et ad se trahit, his notas facit uias uitæ, quibus adeant uitam æternam. Vt autem indicaret consummationẽ uitæ huius nõ esse præsentis sæculi, sed futuri, in quo deus facie ad faciem uidebitur, hoc est, sicuti est: subiecit, Cum facie tua id est, in præsentia tua, apud te est lætitiarum satietas, omnium scilicet bonorum, quæ desyderari possunt. Vbi enim deum qui omne bonum est, plane cognouerimus, plene quoq; amabimus, in ipso quoq; perfruendo lætitia ineffabili perfundemur, & absq; fastidio reuelatam dei faciẽ dabitur perpetuo intueri. Delectationes in dextera tua sine fine. Similis oratio est cũ illa, Longitudo dierum in dextera eius, in sinistra eius diuitiæ & dignitas: quasi hic dicat, semper gratiam & iucunditatem tuam manu tua depromis, semper est in dextera tua, quo sempiterna iucunditate tuos afficias.

PSALMVS XVII.

Oratio Dauid.

Indicant uerba Psalmi orationem Dauid esse contra hostes suos, quos multos habuit omni tempore.

ARGVMENT. *Oratio pro liberatione à uehementibus persecutionibus, cum innocentiæ suæ protestatione: Interim superbiam hostium describendo, testatur felicitatem suam sitam in cognitione dei sui.*

1 **EXaudi domine iustitiã (meam) intende deprecationem meã. Auribus percipe orationẽ meam, non in labijs dolosis.**

Clamor & gemitus.

Qui sanguinem innocentum audis clamantem in cælum, etiam iustitiam piorum omnium periclitantem ex corde profectas, audire digneris, & iustas preces fideliũ tibi supplicum ex corde profectas, contra eos qui se totos iniquitati deuouerunt. Iustitiam meam dixit non solum uetus interpres Græcus & Latinus, sed etiam post illos uetustior Chaldaicus. Vt uero referret quanto cum ardore opem dei imploraſſet, adiecit, Intende deprecationi meæ, quã intelligit uehementem cum clamore orationem. Ex dolore enim clamorem significat, ubi enim orãtes magnis & subitaneis periculis urgentur, solent etiam uocem at tollere & uociferari, qualem hic exprimere conatur propheta. Sequitur quoq;, Auribus percipe orationem meam: quibus augmentis orationis, & uerborum congerie nihil nisi uota sua admitti petijt æstuantis affectus ex periculi & persecutionis magnitudine. Quod uero adiecit, Non in labijs dolosis, suam innocẽtiam testatur, qui innocenti & simpliciori animo, omnisq; doli expers precetur.

2 **De uultu tuo iudiciũ meum prodeat: oculi tui uideant æquitatem.**

Iudicium, causa.

Petit tandẽ fieri iudiciũ inter se & hostes suos à dño, idq; ut iuxta merita sua deus pronuntiet, hoc est, auxiliũ præstando declaret, se causam ipsius approbare, considerare æquitatem, eiusq; dignã rationem habere, ut tandẽ omnes aspiciãt & iudicare possint, deũ quæ recta et æqua sunt cõsiderare, et iustã eorũ rationẽ habere, hoc est enim

enim oculos domini aspicere æquitatem, id est, omnibus patescere suam iustitiam.

3 Probasti cor meum, (&) uisitasti nocte: igne me examinasti, (&) nõ est inuenta in me iniquitas.

Examinatio fidelium a deo.

Dum animus maxime uacat ab externis negotijs, & se magis proferunt quæ in animi penetralibus latent, tunc me examinasti qualis essem, & qualẽ me fecisses: uel quasi inopinato & secure agenti tu superueniens noctu secreta mea inuestigasti, igne me examinasti, uelut cum in fornace aurum probatur uel argentum. Nec tamen inuenta est in me iniquitas, non quidem sine peccato me inueniſti, sed scelus & nephas quo me hostes insimularunt, te domuno deo teste, in me non est unquam inuentum: nihil enim unquam inuenies mali in uerbis uel operibus, quod molitus sum contra acerbissimos hostes meos, quamlibet me in alijs peccatorem esse non abnegem: etiam si impietas aliqua animum meum tentauit, & praua cogitatio solicitauit, nõ tamen obtinuit consensum, nec uerba unquam extorsit iniqua.

4 Vt non loquatur os meum (ad) opera hominum: propter uerba labiorum tuorum, ego custodiui uias duras.

Alios quoq; à peruersis actibus auocaui, & à malorum semitis iuxta uerbũ domini, quos potui auerti, nec quenquam illas sectari permisi. Non contentus innocentia mea, etiam aliorum iniurias pro omni uirili mea impedui. id satis constat ex seruis Dauidis ad Nabal, et seruorum Nabal ad Abigail, quàm innocenter conuersati secum fuerint milites sexcenti, exules & profugi in solitudinibus, sine omni ciuium quorũcunq; iniuria. Quantumlibet id perdifficile esset, & semper omni sæculo in consuetum: hæc autem omnia propter uerba labiorum tuorum, propter tradita nobis mandata in lege, sustinui durissima multa ab hostibus, fratribus, filijs & subditis, etiam ab amicis, quos fide & officio ab iniurijs & damnis multis seruaueram. Nec absurdus sensus fuerit, si quis intelligat, Dauidem testatum se operibus hominum iuxta dei uerba fuisse sic intentũ, ne quid ipse mali sequeretur, & uias peruersorũ ita obseruasse, ne quando eas incideret, ut immerito Saul & eius serui Dauidem malorum multorum accusauerint. Sciebat Dauid se gloriæ dei studiosum, certus erat nullis malis artibus ad regnum aspirasse, conscius q; sibi erat se hostibus suis semper benè uoluisse: illos autem contra dei uerbum scienter nutriſſe, & immerito sibi infensos esse, etiã propria hostium conscientia. Obscurior autem est hic uersus ob distinctionem uariam, quàm ut certo possit à nobis intelligi secundum uerba.

Plus alios quoq; pios reddere conatur.

Impiorum fiducia.

5 Perfice gressus meos in semitis tuis: ut nõ moueantur uestigia mea:

Oratio priorum.

Prioribus uerbis innocentiam testatus est suam et suo pro constantia, deinde depulsionem persecutionis orat,

Perfice, id est, firmos fac uel cõfirma aut sustenta gressus meos in semitis tuis, dona ut perpetuo in illis perseuerem, à tuo instituto nunquam deflectam, ne labãtur passus pedum meorum, ne tibi peccem, atq; ita ultioni tuæ meipsum reddam obnoxium.

6 Ego clamaui quoniã exaudisti me deus: inclina aurem tuam mihi, (&) exaudi uerba mea.

Quia semper inter orandum dominus suos cõsolatur, & de auxilio quod laturus est suo plerunq; spiritu certiores reddit, solet ferè Psaltes post precationem subijcere causas, quibus spem suam de ferenda ope suffulcierit. Te igitur, inquit, inuoco, quia mihi annues uel annuere soles: utq; omißis omnibus, ad unius tui opem confugio, ita oro, precem meam clemens admittas, & collato auxilio mihi tuam erga me bonitatem illustrem facias.

Oratio cũ spe.

7 Mirifica misericordias tuas, qui saluos facis sperantes (in te). A resistentibus dexteræ tuæ.

Si me, ô domine, custodiens, à tot tantisq; hostibus liberaueris contra omnium opinionem, clare ostendetur omnibus omnium sæculorum sanctis hominibus miraculum clementiæ tuæ, ut similiter in te confidere audeant & uelint, qui tam mirabiliter etiã in desperatissimis casibus tibi fidentes eruere potes & consueuisti. Non est enim usquam, nec fuit unquam, qui te inuocatum fideliter & digne non senserit auxiliatorẽ: is tuas taceat laudes, qui te inexorabilem humilis precator inuenit. Familiariter autem illos adiuuas, qui opprimuntur ab hostibus pietatis: eos autem perdis qui tibi inuident, & impissime negare audent prouidentiæ tuæ maiestatem.

Misericordiæ dei miraculum.

8 Custodi me ut pupillã oculi. Sub umbra alarum tuarum protege me.

Precatur non uulgarem, sed exactam custodiã: nempe ut homines pupillam oculi, & aues pullos suos, quos imminente periculo sub alas suas abscondunt, & sese exponunt pro pullis & obijciunt inuasoribus. Vnde nos ineffabilem dei super nos bonitatem hinc cõsyderemus. Nam quã propheta orauit deus suis cultoribus omnibus præstat eiusmodi curam, prospectionem & tutelam, ut nulla sit in ulla creatura quæ ei queat conferri. Longe solicitior est dei super fideles cura omnibus curis quibus auiculæ pullos curant. Cum itaq; omnia simul deus & noscat & possit, uere beatos scriptura passim pronuntiat, qui fidei domini sese totos commiserint.

Custodia exacta necessaria.

9 A facie impiorum qui me afflixerunt. Inimici mei animam meam circundederunt.

Mores & uim hostium suorum incipit describere. Improbos enim & impios uocat, dominum non timentes, ideo quæcunque atrocia audentes. Illi, inquit, tales ac tanti sunt, ut me prorsus uastare possint & uelint, nihil omnium negligendo per se & complices, quo dispergant indigne immeritum, imò beneficum & saluatorem tam populi Israel, quàm Saulis regis. Hi atrocissimi hostes mei circũuallauerunt me undiq; ne euadam, pro anima quam eripere mihi tentant, qui animam meam posui in manibus meis pro eorum salute, id est, periculo

Mores impiorum & hostium.

certo exposui contra Goliath & Philistæos, quorum ducentos occidi pro præputijs regi adnumerãdis, quem illi nunc ad mortẽ persequuntur Israelitæ cum suo rege.

10 adipem suum cõcluserunt, os eorum loquutum est superbiam.

Profectus impiorum.

Superbi isti simul & factiosi homines freti successu rerum suarum, & diuitiarũ iactantia, corporalibusq; profectibus, ut obesi porci ac libidinosi, omnia pietatis uiscera claudunt ad humiles & mansuetos, nec aspicere dignantes nec alloqui, sed sibijpsis placentes, soli cupiũt omnia obtinere, & omnium aliorum uirtutibus & gratijs inuidere: id Saul grauissimo peccato admisisse in Dauidem constat. Sic autem superbientes fastuosa loquũtur contra deum & homines, blasphemantes iudicia dei, & iniustitiã putantes quicquid in gloriã eorũ non cesserit.

11 Proijcientes me (gressus nostros) nũc circumdederunt me: oculos suos statuerunt declinare in terram.

Insidiæ prauorum contra pios.

Gressibus suis uel circunspectionibus insidiosis & circunlustrationibus nunc, id est, sine intermissione me circumfundunt & ambiunt ut capiant, in modum coronæ circunducunt exercitum contra me, ut expandant in omnem terram rete ad me capiendum, auxilio populorũ perfidia insigni mihi aduersantium sine causa: non sinũt irrequisita uel abditissima loca solitudinum, quo minus euadere possim. Quod autem uetus interpres transtulit hic, Proijcientes me, patet eum legisse non צר sed צד, & fortassis daleth pro res, ut effundere uel proijcere intellexerit, quasi dicere uoluisset, Proiecerunt me de regione, & redeuntem obsederunt in gyro, nullumq; locum irrequisitum dimiserunt.

12 Susceperunt me (similitudo eius) sicut leo paratus ad prędam, & sicut catulus leonis habitans in abditis.

Suspitiones contra pios.

Suspitionem & imaginationem de me conceperunt, & animo suo cogitauerunt de me, non secus ac leo quispiam intentus & meditabũdus ad prædam, ut atrociter me corriperent & laniarent: & uelut iunior leo uel catulus insidiati sunt mihi in abditis, ut nusquam tutus & liber essem. Sic summum desyderiũ apponunt ut perdãt me innoxium, similes leonibus prædam captãtibus, crudelissimi lupi & feræ contra agnũ & capreas inermes, nihil præter fugam opponere potentes hostilibus beluis. Satis uidetur Græcos pro dictione כמיצר aliud aliquid legisse.

13 Exurge domine præueni eum, & supplãta eum: eripe animam meã ab impio, phrameam tuam

Contra hostes oratio.

Deijci hostes suos orat. Intercipe, ait, illos, auerte eos à me, immitte illis necessitatem deserendi persecutionẽ meam, Sauli scilicet cum suis: id quod & egregie dominus præstitit cum misso nuntio de incursione Philistinorum, Saulem à Dauide iam fere capto auulsit. Improbum uocat gladium dei, eo enim dominus iudiciũ suum exercet: Sic Assur uirga furoris domini uocatur. Ad hoc enim improbos dominus uiuere sinit, ut uel conuertãtur ad meliora, uel sanctos exerceant, & coronarum occasiones & uirtutum administrent.

14 ab inimicis (à uiris) manus tuæ. Domine, à uiris ex hoc sęculo pars eorum, paucis de terra diuide eos in uita (eorũ) & (de) abscondis tuis adimpletus est uenter eorum. Saturati sunt filijs: & dimiserũt reliquias suas paruulis suis.

Quod Hebræus legit, A uiris manus tuæ domine: elegãter uetus interpres dixit, Ab inimicis manus tuæ, hoc est, ab illis uiris impijs, quibus tu uteris ad tentandũ pios tuos, qui ad nihil aliud uiuunt in hoc mundo, quàm ut negotium fidelibus exhibeant, qui sunt ministri iustitiæ & clementiæ dei, qui sua malitia in caput suum promouent circa electos misericordias tuas: qui etiam sunt & dicuntur uiri ex sæculo, uel modicæ durationis, uel breuissimæ ætatis. Statim enim ut expleuerint opus suũ impiũ contra pios, defunguntur uita, ut Saul, Achitophel, Iudas & reliqui, ad nihil enim postea utiles sunt cũ exacerbauerint iudicium domini circa electos. Hi tales inimici sunt & persecutores piorum, qui partem suam auferunt in hac uita, potentes, diuites, fortes & honorabiles, imó & terribiles, post hanc uitam cum diuite epulone recipient sua mala, qui fidelibus in præsenti uita intulerunt plurima mala. Sensus prisci interpretis: A paucis bonis uel post paucos dies separa impios de hoc mundo, dum adhuc diu uiuere uoluissent, & rerum suarum usu oblectari, quas corraserant rapinis piorum, quos deuorauerunt & depauperarant, ut ipsi diuites libidinarentur, sed non diu feres. Cum enim thesauris mundi, qui et domini dei dona dicuntur, repleti fuerunt acquisitis peccatis bonis, quæ sola cupiunt, filij quoq; eorum saturabuntur ad tẽpus, nepotibus enim suis diuitias relinquũt, quo magis fideles tententur & gloriosiores persistant ac uincant.

15 Ego (autem) in iustitia apparebo cõspectui tuo: satiabor cum apparuerit gloria (euigilauero cum specie) tua.

His impijs modicæ felicitatis hominibus, & præsentia tantum admirantibus sese fidelis præfert. At ego, inquit, in iustitia, id est, iustitia tua, & quam mihi dedisti innocentia fretus, contemplabor faciem tuam. Quasi dicat: isti suas cupiditates sequuntur, addicti iniustitijs, in quibus sibi placent, dum externis bonis fruuntur, sed cius suorum pœnas durissimas. Ergo iustitiæ ego ut cœpi incumbam, & plurima mala propter eã fortiter sustinens non frangar. Erit enim tempus ut uideam, ô deus, faciem tuam, & ex tua præsentia beatitudine uera fruar & eterna, satiabor specie tua, & gloria maiestatis tuæ, dum me excitaueris, dum euigilauero tam ab huiusmodi tam grauibus ærumnis in præsenti, quàm à morte corporis in extremo die ad uitam beatam. In hac uita sancti dominum cognoscunt, diligunt atq; colunt, quod etiam dicitur uita æterna. At consummatio huius futuri sęculi, cuius est similitudo, facies & species gloriæ diuinæ, quum uidebitur dominus sicuti est ab electis iam uere felicibus.

PSALMVS XVIII.

In finem puero domini Dauid, qui locutus est dño uerba cantici huius, in die qua eripuit eum dominus de manu omniũ inimicorum eius, & de manu Saul, & dixit.

Dauid puer dominus.

Summa tentationum, consolationum, uotorum, et precationum dicitur, In finem. Puer autem dicitur Dauid, non iuuenis uel infans, sed Latinius seruus & cultor ad uota domino obsequens, iussa domini dei perficiens, non tamen ut angelus impeccabiliter, sed ut homo in multis quotidie offendens, tamen fidelis zelator gloriæ domini sui. Talis à puero usq; ad senium Dauid fuit domino deo suo, ut testimonium quoq; dei reportauerit quod fuerit homo secundũ cor dei, plenus fide & fiducia, zeloq; gloriæ diuinæ amplificandæ, primum in filijs suis, deinde in regno sibi commendato à domino totius Israelis secundum carnem, tandem quoq; in omnibus gentibus, quibus semen suum Christus dominus suo tempore imperaturus erat iuxta sibi factam à domino promissionẽ & certam fidem. Is, inquit, de seipso simpliciter uerum dicens, loquutus est Domino, in eius laudem & gloriam cecinit uerba huius cantici inclyti, quod nouissimũ & ultimum fuisse uidetur aliquibus: quod tamen dicere non necesse est, cum proxime ante mortem quædam ædere potuerit de regno filij sui Salomonis & Christi, uerũ post omnes angustias perpessas hostium suorum omnium, quos multos uehementer habuit, quorum tamen maximus & diuturnior erat Saul. Sub quo duodecies fugere compulsus est, ad Achis primum, in specum deinde Adullam, ad regem Moab cum parentibus, in munitionem, inde in regionem Iuda, in saltum Hareth, in Zeila oppidum, in desertum Ziph, in desertum Maon, in desertum Engaddi, in desertum Pharan: inde iterum in desertum Ziph, tandem ad Philistæos in Siceleg. Pro quibus duo priores libri Regum legendi sunt, non adeo prolixi, sed necessarij & utiles, in quibus prouidentiæ diuinæ ratio mirifice prædicatur & discitur. Post Saulis mortem bella habuit cum Abner & Isboseth, cum Iebusitis, cum Philistæis, quos fudit binis prælijs, pericula multa contra illos pertulit: tandem etiam contra Moabitas, Syros, Edomitas, Ammonitas, quos omnes hostes diuina uirtute domuit & subiecit. Grauissima tandem erupit coniuratio Absalom filij iniquissimi, quo occiso alteram excitauit Seba filius Bochri.

Carmen ultimum.

1 DIligã te domine fortitudo mea:

Pro tot tantisq; beneficijs, ô domine deus, quid rependam maiestati tuæ nihil habeo uel possum, quàm quod integro corde, plenis medullis, & affectu pissimo te cõplecti desydero, & ut uel unicam hanc abs te gratiam assequar uolentia perpetuo confidam, hanc semper implorabo et agnoscam gratissimus, qui me à puero usque in hanc horam mirifice adeo per mille discrimina duxisti & seruasti. Quo autem testaretur quantum sibi fidei ex tot tentationibus accessisset, et quantum aucta fiducia, amplissimam uocem congeriem præmittit, significans ab uno

Rependens domino quid dilecto.

solo deo se ereptum ab omnibus hostibus & malis. Fortitudinem suã uocat, quod omne robur & omnem uirtutem sibi solus dominus deus suus suppeditasset.

2 dominus firmamentum meum, & refugium meũ, & liberator meus. Deus meus adiutor meus: & sperabo in eũ. Protector meus, & cornu salutis meæ (&) susceptor meus.

Nomina dei magnifica.

Dominus firmamentum uel rupes aut petra mea, & refugiũ meum: quod ita in fide eius tutum refugium habuit & asylum, ut ij tutos se putant, qui se in præruptas petras & rupes, & loca quædam inaccessa, & expugnatu difficilia contulerunt: qualia sibi Israelitæ parabant, cum à Madianitis uastarentur. Et liberator meus, qui me à periculis certissimis, et magnis eripuisti, et euadendi consiliũ administrasti, non secus atq; si quis ouem à faucibus lupi eriperet. Deus meus, quod nomen à fortitudine & inuicta uirtute deducitur, quod mirifica & diuina uirtute opem mihi semper tulisti, ut nõ potuerim non certo semper sperare in tuum fauorem quem assidue comprobasti. Protectorem nominat, à robore & receptaculo petræ צורי, *quod expertus sit suum esse defensorem & propugnatorem. Vnde & in Deuteronomio Moses semper hoc nomine deum significat, & aliàs sæpe, sicut & in hoc Psalmo posterius, quandoquidem fidelium suorum deus ille præsidium certissimum est & firmissimum. Protectorem dicit, ab usu clypei, quod iacula sibi hostium depulisset ut scutum, qua metaphora sæpe utitur in Psalmis. Cornu salutis meæ, quod per ipsum confectis hostibus salutem sibi peperisset, sicut cornifera animalia se cornibus defendunt, & contrapugnantia repellunt. Profugiumq;, à quo semper suscipitur & complectitur, quoties ab hostibus uenatoribus exagitatur & insequitur.*

3 Laudans inuocabo dominum & ab inimicis meis saluus ero.

Beneficia dei.

Post inuocationem incipit memorare beneficia dei, ex quibus malis se deus eripuerit, et quo pacto salutem fuerit consequutus, ut electos quosq; dei ad domino fiendum pariter prouocaret. Laudans, inquit, uel laudabilem, omniq; laude dignissimum inuocabo dominum, quia salutem suscepi ex ipso: de quo enim salutẽ speras, cum non poteris citra laudis præfationem quicquam orare. Inde in omnibus precibus sanctorum laudes dei præmittuntur. Hic uero subdit causam, Quia is me toties seruauit ab hostibus, nec quenquam potest deserere, qui ex animo ipsum obseruauerit atq; coluerit.

4 Circundederunt me dolores mortis, & torrentes iniquitatis conturbauerunt me.

Mala piorũ

Memorat summatim mala quibus fuerat implicitus, omnibus istis uerbis pericula et terrores significãs, quæ sibi hostium improbitate obuenerant, proximeq; mortẽ sæpe adduxerant, ut carnis iudicio iam de se actum esse arbitraretur. Elegantẽ emphasim habet, torrẽtes iniquitatis, id est Belial, id est peruersissimorũ hominũ, & ad nihil utilium, q̃ ad optimos quosq; homines diuexandum,

Vt enim torrentes inopinato obruunt, et ineuitabiliter, ita improbitate hostiũ Dauidis, & studio perdendi eum inuadere per omnia tentabant, & de improuiso imminere studebant.

5 Dolores inferni circũdederunt me: præoccupauerunt me laquei mortis.

Dolores infernales & mortales angustiæ & ultima naturæ morientis certamina, timores uel lictoris funes circundederunt, ut non nisi præsentem mihi mortem contẽplarer cum horrore terribili, iam in faucibus mortis constrictus mihi uidebar, unde erui non sperabam. Præoccupauerunt me insperato tendiculæ ueluti aucupum ad mortem subito inferendum, nisi succurrisses. Infernum hæc indicant, nõ æternum damnatorum locum, sed desperationis angores, & extrema mala, quibus homines affligi possunt usq; ad mortẽ, & expectationem proxime imminentis & aperti sepulchri.

Dolores inferorum.

6 In tribulatione mea inuocaui dominum, & ad deum meũ clamaui: (&) exaudiet de tẽplo (sancto) suo uocẽ meã, & clamor meus in cõspectu eius introibit in aures eius.

In angustia quæ mihi accidit, aliud nõ potui quàm confugere ad dominum ipsum plenis affectibus inclamando & inuocando, & non ad quemcunq; hominem, nec ad deos alienos, sed ad deum illum meum uerum & unicum uociferabar. Idipsum quoq; nõ frustra, nam de templo, de palatio suo, nempe de cœlis, audiuit me, hoc est, exoratus opem tulit statim, eamq; uere cœlestem & diuinam, quia non sine memorandis cœlestibus miraculis. Non potuit enim pro sua bonitate & ueritate non exaudire uocẽ anxie clamantis, & fortiter sperãtis amici.

Confugiendum ad deũ

7 Commota est & cõtremuit terra: & fundamenta montiũ conturbata sunt, & commota sunt, quoniam iratus est eis.

Potentiam dei canit, quam in tempestatibus declarat. Legimus enim dominum declaraturum præsentiam & uirtutem suã tonuisse in nubibus, fulgurasse, & terram concussisse: ut cum legem in monte daret, & ad preces Samuelis iam se iratum ostendens, in morte quoq; Christi, & datione spiritus sancti, & in apostolorum oratione exauditione. Sic uerisimile est Dauidi quoq; similia contigisse, sicut & uento in cacuminibus pirorum, &c. non enim omnium meminit sacra historia. Fundamenta montium irasci, est commoueri totos montes, & terræ motu terram concuti, non nisi diuina uirtute. Id autem fit, licet non semper, tamen ut plurimũ, ad indicandum iram diuinam, id est, instans malum aliquod & imminẽs non sine causa.

Potẽtia dei.

8 Ascendit fumus in ira eius: & ignis à facie eius exarsit: carbones succẽsi sunt ab eo.

Non raro dominus iram suam declarauit contra hostes impios terræmotu & fulguribus, quin & fumo & ignibus: unde & hic domino induit personã irati hominis, qui fumum spiret è naribus, ignem ex ore, unde & carbones accendantur. Intelligit autem fumo ascendentem nebulam, quæ instante tempestate densatur in atrã nubem, ut apparet in tempestatibus. Igne autem intelli

Persona ira ti dei.

guntur fulmina, quæ sunt ignes in nubibus excitati. Pruinis indicat tela illa fulminea quæ cœlitus uibrantur.

9 Inclinauit cœlos, & descendit: & caligo sub pedibus eius.

Describit habitum cœli sæuiẽte tempestate, tum enim quasi demissum terræ uidetur incumbere: nam & montium uertices nubibus apparent inclusi, nebula ac caligo omnia obscurat. His cum Deus præsentiam suam ostendit, dicit deum cum hæc eueniunt descendere, & caliginem sub pedibus eius spargi. Solet quippe in his scriptura pro more hominum cogitationibus & simplicium opinionibus aliquid deferre. Qui cum nequeant Deum cogitatione, nisi loco alicui affixum considerare, in cœlis eum habitare facit, ut ab omnibus præsentibus rebus ad inuisibilia & æterna mentes eorum subuehat. Hinc ergo cum cœlum uideatur in tempestatibus demitti, deũ canit descendere.

Caligo

10 Et ascendit super Cherubim, & uolauit: uolauit super pennas uentorum.

Vim describit uentorum, atq; iterum quo magnificentius rẽ cogitationibus offerat, super præpeti uolucri sedit dominum equitare, & ferri alis uentorum. Solent uero & prophani poëtæ uentis alas affingere. Habent siquidem hæc energiam quandam ad mouẽdum mortalium animos, cum similitudine aliqua rerum sensibilium proponuntur. Qui multo & pernici equitatu ualent, maxime formidabiles sunt. Iam deus uentis feretur, & pro equis habet angelicos spiritus, & cœlestes, quibus potentiam suam indicibili celeritate, & omnia exagitante declarat mirifice: iuxta illud, Facit angelos suos spiritus, & ministros suos ignem flammantem, quibus perficit sua opera uirtute diuina, cui cedunt omnia.

Vis uentorum.

Equitat

11 Et posuit tenebras latibulum suum in circuitu eius tabernaculum eius: tenebrosa aqua in nubibus aëris.

Memorat uim atrarum nubium, quum terræ incumbunt, dum uiget tempestas. Et quia his deus suam uirtutem & seipsum ueluti præsentem exhibet, ait aquas tenebrosi aëris densari in nebulas & nubes. Legem enim daturus, in atra nebula & caligine se populo suo ostendit, sicut & in dedicatione Salomonici templi præsentiam suam exhibuit, declarare uolens sic se affuturũ usquam raëli tunc, ut præsens fuerat monti Sinai, ubi fœdus cum illis priscum pepigerat, ubi se caligini inuoluit, testatus se quidem præsentem, sed inuisibilem, ut populus disceret credere in cœlis præsidentem, suis tamen nunquam absentem, etiam si non uideretur.

Latibulum

12 Præfulgore in conspectu eius nubes trãsierunt, grando & carbones ignis.

Propter fulgorem, & nimiam uel lucem uel caliginẽ, quæ illum præcedunt dum aduenire se ostendit, uideri possit à terrenis hominibus non potest, quandoquidem nubibus uti solet, quibus sese induere uidetur, ut præsens credatur & timeatur ab hominibus, maxime autem ab impijs, non sine terrore, grandinis & radijs ignitis. Sic enim prodest hominum duritiem terreri huiusmodi spectris

Præfulgor

ctris, ad dei reuerentiam & tremorem, qui amore duci non sustinent, quomodo in Christi benedicta incarnatione sese amabiliter ostendit, in forma hominis elegantissima, tota amorosa, nouo creando populo, qui non tam timore quàm amore ducendus foret.

13 Et intonuit de cœlo dñs, & altissimus dedit uocē suam: grando & carbones ignis.

Bis dicitur grando & carbones ignis, quo fulmina intellexit, ut ita rem quomodo geritur exprimeret. In magnis enim tempestatibus fulgura micant, fulmina adflantur, & grando repetitis uicibus ingruit. Temporibus enim Iosue & sæpe aliàs de cœlis ædidit dominus tonitrua, & altissima maiestas sese præsentem fidelibus, et iudicem durum impijs ostendit, non sine fulminibus terrens, & ignibus cuncta obfundens, ad omnipotentiam suam commendãdam, quantumlibet potentissimis hominibus regibus & sapientibus, quibus terror non minor incutitur, quos & non raro legimus à domino magnifice prostratos, & à tyrannide deiectos subito occisos.

14 Et misit sagittas suas, & dissipauit eos: fulgura multiplicauit, & conturbauit eos.

Eiaculatur hoc modo dominus sæpius sagittas suas omnipotentes, grandinem scilicet, & tela fulgurum cœlestia: ideo subdit, Et multiplicauit fulgura. His dispersit non solum hostes Dauidis & consternatos reddidit, sed & alios sæpe multos tyrannice opprimẽtes pios dispersit & dissipauit à consiliorum suorum complicibus, & uehementer perturbauit, ut furere non auderent quantum uoluissent.

15 Et apparuerunt fontes aquarum, et reuelata sunt fundamẽta orbis (terrarum). Ab increpatione tua domine, ab inspiratione spiritus iræ tuæ.

Vt prioribus uersibus dei potentiam, & erga se uoluntatem Dauid descripsit, sic nunc latum sibi auxilium explicat. Inundantia aquarum, signat prementia periculà, ubi mors intentatur, & impossibilitas aspicitur euadendi. Inducit autem deum increpatione sui spiritus tota exhausisse flumina, ut aluei aquis absorptis in fundo uiderentur. Hos alueos et profunditates aquarum sedes, orbis fundamenta nominat ob altitudinem: intelligit autem hostes suos potentiores, quàm ut superandos quis crederet. Mira autem est amplificatio quod dixit, Ab increpatione tua &c. Ad uerbum enim et unicum iussum dei potentissimum cedunt flumina, sicut & Christo uenti increpanti et mare. Ab inspiratione spiritus iræ tuæ: alludit amplificando ad desiccationem maris Rubri, cui immisso uento orientali prævalido tota nocte perflante, maris magnam partẽ exiccauit, ac uelut diuisit ac strauit transituris Israëlitis.

16 Misit de summo, & accepit me: & assumpsit me de aquis multis.

Simili superiori tropo nunc canit liberationem sui, inducens dominum protensa & demissa manu è sublimi se ex aquis periclitatum eripuisse, ac iam demersum extraxisse. Dum enim maxime pij urgentur, tum proximè illis adest manus diuini auxilij. Quanquam enim sublimibus sedeat, humilia tamen respicit in cœlo & in terra, uirtute & præsentia sua adest omnibus, fidelibus autem adiutor est & liberator.

17 Eripuit me de inimicis meis fortissimis, & ab his qui oderunt me: quoniam confortati sunt super me.

Quàm crebro dominus Dauidem liberauerit de potentia hostiũ testantur scripturæ, & Christus resurgens inter mortuos liber à Iudæis occisus, pro se & membris suis similia testatur, et apostoli plurima sæpe sunt passi, sicut & experientia piorũ docet omni tempore. Quan quam enim brachio carneo humilibus prævaleant, quia tamen dño confidũt pij, & supplices sunt, non uincũtur à mundo, sed fortiores efficiũtur in eo qui ipsos cõfortat. Dauid & Christus liberati.

18 Prævenerunt me in die afflictionis meæ: & factus est dominus protector meus.

Tempore quo diuexabatur Dauid, & ad mortẽ quærebatur, dominus illum prævenit, auxilioq; suo anteuertit. Sicut enim hostes proditionibus & persecutionibus eum continuo prævenieb ant, ut antequam se explicaret à malo uno, præparassent ipsi et implicauissent duobus: ita deus quoq; sua ope semper prævenit & salutem præstitit, ne unquam in illorum manus incideret, quamlibet multa tentarent & conarentur.

19 Et eduxit me in latitudinem: saluũ me fecit, quoniam uoluit me.

Iterum alia translatione usus canit idem. Eduxit inquit, me in spatiosum cum fuissem in angustia magna. Quod uero tam multis sui liberationem deprædicat, ardentis gratitudine animi erga deum indicium est. Causam uero præcipuam subiũxit, Quoniã uoluit me, quia dilexit me, ut perstet dei propositum secundum electionem, non ex operibus. Prima enim omniũ beneficiorum dei causa est ultronea eius beneuolentia: iuxta illud, Faxebo cui fauero, & miserebor cuius fuero misertus. Amor dei ad pios.

20 (Et) retribuet mihi dominus secundũ iustitiam meam, (&) secundũ puritatem manuum mearum retribuet mihi:

Innocentiam suam & iustitiæ studium piè prædicat, quo in seipso fidelibus omnibus ostẽdat, deum nunquam deserere iustitiæ studiosos, sed in tempore mercedẽ optatam repẽdere. Puritas autem manuum, est innocentia uitæ, obseruatio uiarum domini, operũ sanctorum exercitium quæ dominus præcepit, fides & deuotio qua seipsum homo deo plena fide committit, et se proximo penitus addicit, in cuius salutem ordinat cuncta sua dicta et facta. Huius studij remissio, est defectio à domino, quam à se alienam fuisse Dauid profitetur. Retributio autem qua deus nobis uelut rependere præmia pro meritis intelligitur, non est de Hebraica phrasi, sed liberaliter & magnifice donare, beneficium largiri, & obruere officijs, etiam indignos, imò maxime illos qui rependere nihil possunt, hoc est enim liberalitatis. Non est enim aliqua quamlibet ingens iustitia operũ, quæ digna habeatur præmio æternæ beatitudinis, quæ ex gratia tantum datur à dño. Interim tñ manuum puritas intelligitur, ubi qd' bonũ est simpliciter & bona fide pficitur ab electo. Studium innocentiæ. Retribuere Hebræis.

21 Quia custodiui uias domini, nec impie gessi à deo meo.

Custodire uias dei.

Custodire uias domini, est secundum beneplacitũ dei ex lege agnitum uiuere, & fidem deo, proximo charitatem præstare, uincere in bono malum, ut deus, qui solem suum oriri facit etiam super ingratos, omnibus benefacere, iustitiã & ueritatem diligere. Non impie gessi à deo meo, nunquam illius uerbum contempsi, non blasphemaui diuinitatem, non negaui illius prouidentiam, non accusaui illius iudicia, non improbe agens defeci à deo meo, studium complacendi deo nõ posthabui, quam libet in multis sæpe peccauerim ex fragilitate & concupiscentijs carnis peccati.

22 Quoniam omnia iudicia eius in cõspectu meo: & iustitias eius non repuli à me.

Iudicia dei.

Semper animo præsenti deuoto & grato intueor & contemplor quid mihi præceperit dominus, quid ei probetur, cui pro uiribus uitam meam conformare conor, iudicia scilicet dei & ceremonias, nempe legem dei. Aliãs iudicia leges sunt, quibus ut sit uiuendum cum proximo præscribitur. Ceremoniæ ritus sacri sunt & religiones. Iam qui legibus dei serio studet, is se syncerum deo præstat: impij autẽ & sine deo uiuentes omnia contemnũt, ceremonias à deo etiam institutas irrident, legem dñi negligunt, & à cordis obseruantia abijciunt.

23 Et ero immaculatus cum eo: & obseruabo me ab iniquitate mea.

Fœdus dei.

Fœdus pepigit dominus cum suis, promittens illis curam paternam & prospectionẽ, uicissimq; stipulatur ab eis, ut se colãt & præceptis suis studeãt, qui id faciũt integri dicuntur et inculpati, qui bona fide fœdus seruant. Id poscebat dñs ab Abraam, Versare coram me, & esto integer, innocens, et syncerus. Et seruaui me ab iniquitate mea ne quid peccem. Id demũ est fœdus cum deo percussum bona fide colere, & esse cum deo תמים: non quod suis id uiribus posit, studio tamen incumbit, et gratiam perficiẽdi tot precibus ambit, ac perfecta quæcũq; bona, gratiæ dei refert accepta.

24 Et retribuet mihi dominus secundũ iustitiam meã: (&) secundũ puritatẽ manuum mearum in conspectu oculorum eius.

Contra Hypocrisim.

Quia uero hæc de se canere instituit, ut ad simile iustitiæ studium alios quoq; prouocet, iterũ commemorat, ut deus innocentiæ suæ rationem habuerit, & pro iustitia sua sibi rependerit. Adiecit tamen, In conspectu oculorum eius, ut ostendat nihil in eo esse fuci & hypocrisis, sed coram oculis quoq; domini, quem nihil latere potest secreti, cui nostræ cogitationes magis q̃ nobis cognitæ sunt, quæ quamuis infirmæ sint, & sine peracta iustitia coram deo, ipse tamen non imputat fragilitatem, sed fidem præstat, pro qua & suscipit, & boni consulit omnia mea. Nihil enim in se commendat, nisi studiũ & conatum piè & inculpatè uiuendi: alioqui homo fuit, & in carne sua nihil boni inuenit, sed legem membrorum, ut Paulus pertulit, quam tamen serio in se detestabatur, ideo per fidei synceritatem nouit se inter iustos censeri. Qui enim ex deo natus est, non peccat, quia semen dei manet apud illum. Quanquam & in his suis laudibus nonnihil suos hostes respexit, quibus collatus de amplissima sanè innocentia coram domino potuit gloriari.

25 Cum sancto sanctus eris: (&) cum uiro innocente innocens eris.

Non soli mihi retribuit deus secundum iustitiæ studium, sed quicunq; se integrum erga deum, syncerũ & fidei obseruantem præstat, erga eundem dominus quoque integrum se exhibet, largissime præstans quæ pollicitus est. Qui enim beneficum se præstat illis quibus potest, quod hic sanctimoniam dicit, proximo scilicet benefacere, & probitatem in uerbis & actionibus conseruare ad omnes, erga illum quoq; dominus beneficus est, & abunde retribuit beneficia proximo collata: id enim unice mandat, ut charitas conseruetur. Cum homine integro & simplici dominus quoq; feliciter conuersatur, sua gratia prosequitur semper. Vult enim perfectos esse cultores, ut ipse perfectus est, & fidelis ad omnes.

26 (Et) cum electo electus eris: et cum peruerso peruertéris.

Sic qui electus uel purus est, nihil recedens à fœdere, illi contra & deus puræ se fidei præstat, amplissime supplantans quæ promisit. Contrà autem cum eo qui perperuersus ingreditur, et deflectit à promissis, omniq; intertere studet, qui nihil simplici animo agit, non stat promissis, sed curuus & obliquus uel peruersus ingreditur, & ipsum dominus inuertit, & cum eo hostis seuerus et iustus uindex occurrit. Cumq; ipsi perturbata ratione & iniquis consilijs omnia peragant, deus quoque cum tempus rependendi aduenerit, ipsorum quoq; rationes, consilia & studia sempiterno errore confundit & rotat: ut licet cum illis peruerse agere credatur ab impijs, rectissime tamen agit, & iusto iudicio.

27 Quoniam tu populum humilẽ saluum facies: & oculos superborum humiliabis.

Humilem tu populum & afflictum conseruas, ab hostibus saluas superbis & atrocibus, quoties iniuria & immerito affliguntur. Oculos autem sublimes, hoc est, homines fastuosos, & arroganter sustollentes oculos humilias ac deijcis: quandoquidem odire consueuisti superbos, succurrere uero humilibus & gratiam præstare. Superbia autem in primis relucere solet in oculis: unde Supercilium dicitur arrogantia. Simplicitas quoq; intelligitur maxime ex oculis piorum & natura clementiũ. Nihil autem iucundius est pijs, quàm ut cum impij tam superbo oculo incedentes & despicientes omnia, à domino humiliantur, ut uix oculos eleuare audeant.

28 Quoniam tu illuminas lucernam meam domine: deus meꝰ illumina tenebras meas.

Eadem canit per allegoriam lucis & tenebrarum. Nam sibi & suis diuinitus latam opem, deiectos quoque hostes, depulsas uocat tenebras. Per lucem siquidem passim scriptura prospera, per tenebras aduersa significat. Quasi dicat, Ex te solo pendet lux felicitatis meæ, sine tuo spiritu & numine nihil est in homine, nihil est innoxium: omnis prosperitas in quibuscunq; meis profectibus à te est: & quicquid calamitatũ inciderit mihi, ora, ut tuæ

ut tuæ gratiæ illustratione & fauore depellatur, qui dominus meus es & deus meus, sine quo nihil sum uel possum.

29 **Quoniam in te (currã accinctus) eripiar à tentatione: et in deo meo trãsgrediar murum.**

Descendit ad explicandum salutem quam sibi dominus tulerat, memoraréq; incipit in quibus & quomodo adiutus sit, inimicos deuicerit omnes: hoc est, ereptus sit à grauibus & multis tentationibus. Per te, inquit, exercitui hostili occurrere potui, & aciẽ quamlibet fortem infringere tuo adiutus & fretus auxilio. Et in deo meo transiliam murum, expugnaui non tantum arcem Sion, sed & urbes Philistinorum, Moabitarum, Ammonitarum, Edomitarum, & Syrorum, quas omnes regno suo adiecit tributarias: plurimas enim & insignes uictorias exiguis uiribus, dei autem auxilio, breui uersiculo celebrat ad gloriam dei, & diuinæ bonitatis confessionem.

Eruptio à malis undè

30 **Deus (meus) impolluta uia eius: eloquia domini igne examinata: protector est omnium sperantium in se.**

Eloquia dei pura.

Is iste deus meus est, cuius uia, id est, studia & facta syncera certa & integra sunt, promissis eius probe respondentia. Ideo subiungit, Eloquia domini repurgata sunt, exploratissimæ ac certissimæ ueritatis, nihil scoriæ & falsitatis habentia admixta, sed simplici ueritate, cõmuni etiam hominum sensui capacissima, uerisimilia & casta. Protector, id est, clypeus uel defensor est omnium qui in ipso suum reponunt præsidium. Promiserat ei regnum, id uidebatur mutasse, dum tanta hostibus contra eum permitteret, sed tandem ampliter præstitisse compertum habuit. Ideo dixit, facta domini esse simplicia, integra & inculpata, & sermone eius nihil uerius, quia supra quàm sperare poterat ipsum exaltauit, & bonis affluere fecit.

31 **Quoniam quis deus præter dominum? aut quis deus præter deum nostrum?**

Affectus piorum.

Exclamatio hæc familiaris est in scripturis, his qui dei opem sibi latam deprædicant. Omne horum uotum est, ut deus ab omnibus agnoscatur, reiectáq; omni superstitione, ut unicus seruator colatur: ita dijs factitijs et eorum cultoribus insultãt. Et quis, ait, est saxum, petra, refugium & deus meus, præter solum deum, qui mihi pollicita præstitit, & uere est deus omnipotens, iustus ac uerax?

32 **Deus qui præcinxit me uirtute: & posuit immaculatam uiam meam.**

Vires humanæ.

Omnem uirtutem meam & mei exercitus, omnesq; uictorias non ascribo meis uiribus, quæ nullæ sunt, quia humanæ, sed deus præcinxit me armis fortitudinis et prouidentiæ suæ, ut opprimere potuerim hostes, damnaq; euadere certantium, heroica illa numirum uirtute. Viam quoque meam immaculatam ac synceram non ego tenere potui, quin mihi dimissus, plurimum et sæpe peccaui, sed si quid iustum ac perfectum exegi, non alteri quàm deo meo tribuo. Deniq; animi constantiam & successum prosperum benignitate diuina assequutus sum, non mea prudentia uel iustitia.

33 **Qui perfecit (coæquãs) pedes meos tanquã ceruorum, & super excelsa statuens me.**

Velocitatis donum.

Præterea magna quoq; requiritur corporis contra hostes agilitas & celeritas, hanc quoque à domino sibi suppeditatam canit. Gloriatur enim capreis æquatos pedes suos, parem currẽdi facilitatem à deo sibi donatam: atq; super excelsa constitutum, id est, datum sibi ut quæcunq; oporteret, quamlibet excelsa loca superarit. Memorat enim scriptura inquisitũ eum in rupibus caprearum, in quas utiq; non sine ope domini euaserat Saulem fugiens, sed & excelsas & præruptas hostium munitiones diuina fretus ope occupauit.

34 **Qui docet manus meas ad præliũ: & posuisti (ut) arcum æreum brachia mea.**

Corporis fortitudo.

Manuum quoq; ei datam promptitudinem & lacertorum insigne robur canit, quo ærcos quoq; arcus confringere potuerit brachio suo. Donum enim dei est corporis fortitudo, & naturæ donum, de quo nemo se iactare poßit. Verum, per gratiam dei illũ bonum uirum fuisse in gloriam dei, & proximi defensionem, & pro republica propugnãda, uirtus est & laudatißima, qua pollebat tam Dauid quàm sui milites & militum duces, ad defensionem fidelium, & pro uictorijs contra inimicos dei, & omnis iustitiæ. Posuisti, dixit, arcum æreum. Forsitan legit נחתה pro רחתה.

35 **Et dedisti mihi protectionem salutis tuæ: & dextera tua suscepit me. Et disciplina tua (correxit me in finem: & disciplina tua ipsa) me docebit.**

Præsentia dei.

Dictionem מגן quam ubiq; ferè Iudæi Clypeũ transferunt, uetus interpres uertit ubique Protectionem uel protectorẽ. Clypeo enim protegimur. Ideo à מגן denominationem accepit. Frustra, inquit, fuisset collata uirtus & fortitudo omnis, nisi præsens, ô deus, fuisses tuo numine: omnia enim tu confecisti: tua tantũ me ope seruasti: saluatus sum à te solo meo clypeo: tu es clypeus salutis meæ: dextera tua ueluti fulcro & sustentaculo me suscepit ne caderem. Quod sequitur sic intellexit interpres priscus, Humiliatio tua qua me tot eruditisti & disciplinasti angustijs magnificauit me, uel pro magistro mihi fuit, ut non declinarem in uitia. Bonum enim mihi fuit quia humiliasti me, ut discam iustificationes tuas. Alij intelligunt sic: Mansuetudo tua, ô domine, id est, fauor & clementia tua fecit me maiorẽ hostibus meis, non mea merita.

36 **Dilatasti gressus meos subtus me: et non sunt infirmata uestigia mea.**

Successus à domino.

Successum præbuit mihi dominus in omnibus negotijs meis, hoc est, inoffensum, tutum & expeditum iter concessisti, quod est dilatare gressus. Non sunt infirmata uestigia mea, id est quod dicitur, Non nutauerũt thali uel crura mea, uel spiræ iunctura rum: id est, domini beneficio omnia mihi pro uoto ceciderunt, cuius auspicijs tentaui omnia pericula mea, ut nihil non ex animi sententia succederet. Aderat enim sibi dominus quocunq; se uertebat, statim ut ei tribus Iuda regnum detulerat. Pergebat enim domus Dauid & roborabatur, donec

nnes finitimos suo subiugaret imperio.

37 Persequar inimicos meos, & cõprehendam illos: & nõ cõuertar donec deficiant.

Hostium suorum atroces incursus deiecit semper & oppressit, quos uirtute diuina persequutus est magnanimiter et fortiter prostrauit, nunquam victus aliquo prælio, sed semper cæsis in fugam hostibus ac deuictis, non solum persequutus est, sed & assequutus, nec reuersus unquam, donec quantum uolebat extingueret cadẽtes. Nam cum uicinæ gentes Palestini & aliæ bellum illi primum mouissent, nullam postea cũ eis pacem iniit, donec maxima parte prostratæ mandatis parere, & tributa pendere cœpissent.

Hostiũ dei prostratio

38 Confringam illos, nec poterunt stare: cadent subtus pedes meos.

Populi illi quamlibet multo & potenti exercitu sæpe contra eum uenissent, nunquam tamen non fugati & cæsi fuere, stare contra eum nunquam potuerunt, ut tandem sese dedere cogerentur. Confregit eorum fortitudinem, urbes & fortalitia, uiros & currus, ut illi postea & filio suo nequaquam insultare potuerint, quanquam sæpe uoluerint: sed sub pedes ceciderunt, id est, gloriosa uictoria uicti sunt & oppressi.

Fortitudo impiorum.

39 Et præcinxisti me uirtute ad bellum: supplantasti insurgentes in me subtus me.

Tantæ uirtutis meæ & successuum causa non ego, sed tua bonitas fuit, qui accinxisti me heroica paucis data uirtute, ad bellum instruxisti ut hostes deijcerem, & manus dare cogerem, atque sic non mea, sed dei uirtute deleui. Meruerant enim suis sceleribus tam atrocem ultionem, quæ iam ad suam mensuram peruenerant. Frustra uirtutem tantam iactant uiri, nisi à deo illa accinctos se cognouerint.

40 Et inimicos meos dedisti mihi dorsum: & odientes me dispersisti.

Dicere uoluit, Obuertisti mihi terga hostium, tu eos egisti in fugam, sed qua effugere tamen non potuerint: unde sequitur, Et odiẽtes me dispersidisti, ubi hodie Hebræus אצמיתם interpretatur, Conficiam eos, non diuerso sensu, propter frequẽtem personarum aleosim ac mutationem, & quia ה cum dages legerunt, & א pro ת. Contra hostes meos quamlibet potentes mihi uictoriã donasti, utcunq; ea manibus meis & exercitus mei parata uideatur. Non ego uici hostes, sed tu, cuius auxilio & potentia sola uici.

41 Clamauerũt, nec erat qui saluos faceret: ad dominum, nec exaudiuit eos.

Dñs mihi sic illos tradidit disperdendos, digni enim erant, et dudum promiserat hoc patribus: infideles enim & idololatræ omnino crudeliores erãt quàm ut eos terra diutius ferre posset. Vociferabantur quidem constricti angustijs, & ad dominum clamabant, sed non annuit eis. Quanquam enim idololatræ erant gentes illæ, uarias colentes numina, simul tamen uerum deũ coluerunt ut summum deũ, cui & hoc ipso nonnihil gratificari putabant, sed zelotes est dñs, & in se unũ uult conijci spem omnem salutis, & à se solo auxiliũ postulari, uirtutum quoq; omniũ officijs promereri, odio habens omnẽ crudelitatem & tyrãnidem, quibus hæ gentes sibi mutuum exitia inferebant.

Desperati impiorum

42 Et comminuã eos ut puluerẽ ante faciem uenti: ut lutum platearum delebo eos.

Comminuam & cõteram uelut puluerem siue lutum, qua similitudine subactionis omnimodam hostiũ suorum comminutionem expressit, ut legitur de Moabitis deletis, tertia tantum parte seruata et uectigalibus redditis. Idẽ de Ammonitis quos eductos é ciuitatibus, serris cum tis & securibus concidit, non sine instinctu iudicij diuini, quod illis ob ineffabilia crimina iamdudum impendebat. Non autem clementia est, sed dira crudelitas, pœnas remittere, ubi deus sumẽdas præcepit, neq; enim ille ullas dictas exigit, quæ non sint reipublicæ salutares.

Hebraice cõminuam

43 Eripies me de contradictionibus populi: constitues me in caput gentium. Populus quem non cognoui seruiuit mihi:

Primum ipsum dominus ab oppugnatione sui populi eripuit, qui rixis & contradictionibus contra eum mouebantur frequenter regnante Saul & filio Isboseth, ab his eripuit eum, cum totum tandem Israëlem eidẽ subdidit ut regi. Caput uero gentibus constituit eũ, cũ ei Syros, Moabitas, Ammonitas, Aedomitas, Amalechitas atque Philistæos subiecit, ignoti quoque prius illi populi, dei instinctu et ordine Dauidi seruierũt, in suo filio Salomone, cuius Dauid in uita sua regnum parauerat suis sudoribus, quod pacificus Salomon cum gloria & pace donec uiueret possideret. Quis autẽ numerare hos gentes poterit, qui solio Dauidis in Christo sese subiectos tot sæculis & usq; hodie gratulantur, & Dauidis laudẽ ac felicitatem in suo filio Christo domino celebrant, & in omnia sæcula omnia benedicent?

Filij alieni

44 in auditu auris obediuit mihi. Filij alieni mentiti sunt mihi,

Statim ut auribus perceperunt leges & uoluntatem meam gentes istæ factæ sunt obaudientes mihi, sponte omnes obtemperauerunt, imperata præstando, tributum, uectigal, & cætera onera non negando. Filij alieni mentiti sunt mihi. Hæc de Syris quidam intelligunt, qui cum suppetias tulissent Ammonitis contra Dauidem, cæsiq; fuissent, pacem quidem cum eo fecerunt, sed uel non seruauerunt, uel præ timore negauerunt se mihi fuisse aduersarios, & contra me pugnasse, uel iactauerunt quidem suam uirtutẽ, & uictoriã sibi falsò contra Dauidem polliciti sunt, deprehẽsi mẽdaces, uictrice potentia tua.

Filij alieni

45 runt à semitis suis.

Filij alieni, hoc est gẽtes subiectæ mihi à domino uirtute bellica, inueterati sunt uel contabuerunt: quo utiq; eorum formidinem, succum uitalem exhauriẽtem significare propheta uoluit. Pertæsi enim fuerunt tantæ subiectionis, & utcunq; fingerent obedientiã spontaneam, non tamen de corde amabant, erant ad oculũ seruientes, & amicitiam ut prædicitur mentientes. Per claudicare in semitis suis, nescio quid uetus interpres uoluerit. Hebræi dicunt, expauerũt uel timuerunt in obscurissimis locis

locis suis atq; latibulis potentiam scilicet meam. Verum cum יהוה tantũ hoc loco legatur in sacris, credo Iudæis nostris ignoratã significationem magis quàm uetustis, ut intellexisse uideantur claudicasse in compromissionibus suis, quia multa quidẽ se facturos pacti sint, quæ tamen infideliter & solo timore ægrè & fallaciter seruauerint.

46 Viuit dominus, & benedictus deus meus, & exaltetur deus salutis meæ.

Psalmũ laudibus pergit concludere, non suis sed dei, cuius potentia et bonitate hostes suos omnes subiecerit. Viuit, inquit, dominus corã quo loquor, ipse perspector cordium uerum nouit, quem fallere non possum, benedictus est, & omnibus laudibus dignus, cui gratias plures debeo q̃ possim referre, qui est robur & saxũ meum, firmitas & subsistentia, imò & refugium ultimum meum. Et iste solus exaltetur in omnibus gestis illis meis, à cuius bonitate semp profecta est salus mea. Ille est deus, author & conseruator omnis felicitatis meæ.

47 Deus qui das uindictas mihi, & subdis populos sub me,

Deus fortis est, omnipotens est, iste deus patrũ meorum, qui iussit & imposuit mihi uindictas illas sumere de improbissimis hostibus totius gentis meæ, quas Saul obmiserat: ideoq; eo abiecto mihi hæc à domino prouincia demandata est, ut improbissimas gentes uel corrigerem, uel in totum delerẽ, aut subiectos regerem, uel opprimendo humiliarem, ne tantum crudelitatis auderent quantum desiderabant.

48 Liberator meus de inimicis meis iracundis. (Et) ab insurgentibus in me exaltabis me: à uiro iniquo eripies me.

Gratiarum actio.

Gratias agit domino, cuius ope creptum se fatetur ab infestissimis sibi hostibus, nominatim autem à Saule, quẽ utrum nominat iniquum uel uiolentum, propter pertinax & inuictum odium, quo se innocentem semper est persecutus, prævaluisse quoq; se omnibus inimicis, imperiumq; in eos nactum celebrat, qui sese oppugnauerant. Ei, inquit, domino deo meo solo acceptam refero omnes uictorias meas, & omnem salutem meam.

Regnum Christi.

49 Propterea confitebor tibi in nationibus domine: & nomini tuo psalmum dicam.

Ad regnum Christi animũ hic sustulisse uidetur, quando enim regno suo declarauerit gloriam dei in gentibus multis, per filiũ tamen suum Christum id perfectius futurum uidit in spiritu sancto toto orbe terrarum, pro quo nunc quoq; deum laudat in gentibus, cuius Psalmi resonant toto orbe terrarum, & in omnibus linguis, nõ minore fide piorum multorum, quàm à seipso aliquando fuerunt decantati ad laudem diuini nominis, quod celebrari cupiebat deuotissime. Hodie Dauid canit in gentibus, uel inuitis Iudæis laudes diuini nominis, magnalia sanctorum patrum, & à deo patribus exhibita beneficia.

50 Magnificãs salutes regis eius, & faciens misericordiam Christo suo Dauid: & semini eius usq; in seculum.

Magnam illam salutem & benignitatem quam prædicat fecisse deum regi & uncto suo, simul & semini eius in sempiternum. Quanquam hæc & de salute quæ sibi ac posteris suis facta est cecinerit, tamen ut nihil in uotis prætulit regno Christi, per quod toti orbi sempiterna salus est facta, sic pro eo dominũ in fine uitæ suæ deuotissime & orauit et gratias retulit. Alioqui ubi semen & posteritas Dauidis in sempiternum firmata est, si non Christum ipsum cum sibi credentibus hanc Dauidis sobolem agnouerimus? Promiserat enim deus se hanc si peccaret castigaturum quidem, sed nunquam abiecturum, regniq; solium illi semper seruaturum. Hoc & factum catholici credunt & gratulantur, Iudæi semper expectant, & semper futurum desiderauerunt tot millibus annorũ frustra, quia regnum spiritus & gloriam dei ueram & patrum fidem sanctam pariter spernunt, ut sint ipsi spreti semper & ubiq;, donec domino miserante resipiscant.

Salus Christi.

PSALMVS XIX.

In finem psalmus Dauid.

Cantica Dauidis inæternũ, hoc est, in finem usq; sæculi deuotissime decantanda significare possunt psalmorum tituli, lõge aptiore expositione, quàm aliqua sit de tam multis, de quibus Iudæi tractant. Quorum iste eruditissimus est, & planè elegans, sed satis difficilis.

ARGVMENTVM eius est, Maiestas & omnipotentia dei in opificio mundi, & abyssus diuinæ sapientiæ, bonitasq; illius in lege tradita hominibus electis, qua ad pietatẽ doceãtur, & per uitæ innocentiã omniũ gubernatori ex fide ac deuotione dño cõmendentur.

1 Cœli enarrant gloriam dei, & opera manuũ eius annuntiat firmamentum.

Ne nos homines intellectu diuino prædi ti, carni tamen immerso, quæ aggrauat spiritũ, perpetuò ignoraremus eum in quo & per quem uiuimus, mouemur & sumus, admonet nos et seipsum Dauid, ut dominum deum nostrum cõtemplemur in operibus suis, quæ sine intermissione sentimus, & in usum nostrum necessarium nobis usurpamus. Præter terram autem & terrestria, unde prodiuimus secundum carnem, & unde uiuimus & nutrimur, quicquid intuemur Hebraico more שמים dicitur, id est, cœlum & æthera, aër scilicet & corpora cœlestia omnia, sol, luna, stellæ fixæ & erraticæ. Hæc, inquit, omnia quæ supra nos sunt, & contingi solo uisu & intellectu possunt, nos promouere debent, sicut & natura decore & opere nos promouet in omni potentis dei gloriam contemplandam. Quid enim gloriosius, potentius, admirabilius, et pulchrius cogitari potest, quàm sit hæc machina cœlestiũ? nisi nobis assiduitate aliquantulũ uiluissent, minus tamen q̃ terrestria, quæ tamen inexplicabilẽ & inexcogitabilẽ pulchritudinem & mirificã actuitatẽ ostendũt hominũ non omnino insensato. Hæc autem omnia nobis prædicant et enarrant incõprehensibilem omni creaturæ gloriã conditoris, omnia ista gubernantis, & ad obsequiũ filiorum suorum

Contemplatio cœlestiũ

fidelium hominum ordinantis & utentis. Multo autem præclarius prophetæ, & apostoli per sacras primũ scripturas, de quibus dicturus est, & per euangeliũ gloriæ maiestatem, sapientiam, bonitatem, gratiam & amorem ad homines celeberrimam reddunt & reddiderunt, fidelibus quoq; considerandam obiciunt, & ubiq; in gloriam dei & animarũ salutem proficiunt & solicitant.

Verbi dei consolatio. Quid enim nobis prodesset, uel quomodo exhilararet conscientiam nostram tota etiam machina mundialis, nisi scriptura uerbi dei & ipsa dei gratia per eandem nobis reuelatã, atq; persuasam electis omnibus, à nobis crederetur? ut non immerito utrunq; eisdem uerbis explicetur, nempe gloria dei in cœlestibus corporibus, & in sacratissimo uerbo dei, nobis à deo per prophetas & apostolos reuelato. Sicut enim cœli & astra dei maiestatem deprædicant, & quanta sint dei opera, & q̃ magnifica æthera, cursusq; astrorum manifestam: sic gratiam et beneuolentiam dei maximam prædicant nobis lex, prophetæ, euangelia & apostoli, id est, Canonica sacrosancta scriptura, solidæ ueritatis unica & certissima regula.

2 Dies diei eructat uerbũ, & nox nocti indicat scientiam.

Dei opera nona. Quælibet dies noua priori succedens noua dei opera depromit, quod singulis diebus & noctibus noui aliquid exoritur, in quo dei potentia, sapientia & bonitas peculiariter demonstratur. Pars sanè eorum sunt quæ à cœlis prædicantur de dei maiestate, eo quod hæc inferiora reguntur à supernis, nihilq; in terra absq; cœlorũ uirtute & prouidentia creatoris nascitur. Cœli itaq; & singuli dies mutua uicissitudine sibi succedentes perpetuò eò deũ & eius opera prædicant, quod nobis prædicandi materiam administrant, & perpetuo suo ordine & cursu dei potentiam & sapientiam concelebrant.

3 Non sunt loquelę neq; sermones, quorũ non audiantur uoces eorum.

4 In omnem terram exiuit sonus (zona) eorum, & in fines orbis (terræ) uerba eorũ. In sole (soli) posuit tabernaculum (in eis.)

Lingua cœlorum. Quanquam sine sono sint quem audiamus cœli, neq; ut homines loquantur, admirandam tamen habent suo modo linguã, & mentalibus auribus, intellectui scilicet erudito, sua uoce & influxu loquuntur admirabilẽ scientiam dei & sapientiam infinitam: admiranda scilicet illa, & ad tam certam amussim exacta compositio, situs, motus, proportio, ornatus, & constantia, quæ eorũ omnium clarissima uox est & oratio, quam in omnẽ terram, & ad totius orbis terrarũ terminos omnibus ratione pollentibus, & studio attendentibus sese proferũt & ostentant, eoq; deum optimum maximum magnificentissime prædicant, hominibus quidem, non bestijs: fidelibus, nõ impijs: eruditis, nõ solius uentris nihil aũt mentis curam gerentibus. Quia uero nullum æque sydus ut Solis iubar dei maiestatem testatur & glorificat, de Sole specialiter addit, Soli in illis cœlis omnium creator dominus tabernaculum glorioſissimum latissime extensum fixit, quibus circumuehitur, & certissimo ordine omnibus necessario, nec non & utili, præsidet & proficit irrequieto motu. Quod uero uetus interpres dixit, In sole tabernaculũ suum. si non scriptor errauit, in sole posuit tabernaculũ suum. Sensus uidetur, dominum deum gloriam maiestatis suæ uisibilem non alibi gloriosius spectandam tradidisse uel posuisse, quàm in solari iubare, ueluti si gloriosissimus imperator resideat spectabilis & admirãdus in suo pretorio tabernaculo. Quanquam totius mundi machina tabernaculum summi boni dici possit, quando in rebus uisibilibus Solis corpus maxime gloriosum conspicitur, unde ad inuisibilis boni gloriam contemplandam sustoli fideles possint ac debent. Ex epistola Pauli ad Romanos de hoc uersu explicationem prolixiorem uide apud Aretium, quem passim hoc libro sequimur.

5 & ipse tanquã sponsus procedens de thalamo suo, exultabit ut gigas ad currendam uiam,

6 à summo cœlo egressio eius, & occursus eius usq; ad summum eius: nec est qui se abscondat à calore eius.

Solis progressus & Christi. Quatenus iam prædicta modica comparatione eorum quæ dicenda essent, aliquantulum explicet & illustret, Solem ipsum similem sponso facit egredienti mane de suo umbraculo. Mos Hebræis fuit ac etiamnum obseruatur, ut sub expanso uelo sponso sponsam tradant, è quo quum progreditur cuncti exhilarantur, & nuptiarum festum incipitur: sic exoriente Sole & mane uel diluculum os aureum orbi proferente, uniuersi orbis facies mirum in modum recreatur, ac ueluti innouatur. Assimilat præterea Solem heroi pernicitate pedum prædito, quæ dos præcipuis heroibus tribuitur, multum gratiæ addente pulcherrima dissimilitudine: quæ enim comparatio est hominis uelocissime currentis ad cursum Solis diurnum? sed & quæ comparatio est tabernaculi imperialis ad tentorium cœli? Huius tamen generis similitudinibus scriptura sæpe & elegantissime utitur, ut quam motum uentorum alarum remiges facit, & sagittas ex fulminibus, ut domini dei nostri amplitudinem incomparabilem admirari discamus. Addit ad magnificentiam Solis, non esse in mundo uel orbe terrarum quenquam, qui se ab æstu illius unici luminis uarleat abscondere.

7 Lex domini immaculata, conuertens animas: testimonium domini fidele, sapientiã præstans paruulis.

Sol & lex uel. Legem & doctrinam prædicat Soli & eius cursui actioniq; simillimam, ex omnibus quæ sunt in mundo corporeo: quam populo suo deus donum alterum incomparabile contulit, quæ reliquas gentes excelluit. Nominat eam multis nominibus, quod multa contineat, & non ad unum finem omnia describat, quanquam multa hæc nomina multa connotent, communiter tamen confunduntur, ut totam indistincte legem significent, ut hoc loco. Confert autem Soli ac cœlis legem domini, quæ & ipsa præconia dei celebret, clarius quoque & perfectius, syncerius & uniformius, animas etiam restituit, recreat, & illustrat, etiam imperitis sapientiam suppeditat. Lex, inquit, domini immaculata est, sicut cœlum

lum & sol ipse, & perfecta sine mutationibus & erro-
ribus, conuertit animas de tenebris errorũ ad sapientiæ
lumen clarissimum, de morte ad uitam, de uitijs ad iusti-
tiam, de impietate ad fidẽ. Dicitur autẽ lex dei עדות,
id est testimonium, quia de uoluntate dei testatur, & fœ
deris admonet dei ad suos electos, idq; firmum & stabi-
le, uerex ac fidum. Sapientiam præstans paruulis, sensu
deficientibus succurrit, docendo utilia & sancta.

8 Iustitiæ domini, rectæ, lætificantes corda: præceptum domini, lucidum, illuminans oculos.

Iussa & mandata domini פקודים dicuntur, quòd
contineant ea, quæ nobis deus obseruanda iniunxit &
mandat. Aequa autem sunt & recta, in quibus nihil de-
siderare queas, & quæ cognoscantur ab omnibus, cum
interim lux cœlorum obliquetur & uariet secundum
tempora & motus. Ad hæc exhilarant cor gaudio spiri
tuali et sempiterno, quia uita dei donant, sine qua nullũ
est uerum cordis gaudium. Cœli autem sua luce ad tem-
plum tantũ lætificant. Præceptũ domini quod & lex dei
dicitur est, cui nihil iniquũ admixtũ est, mentes illuminat
à tenebris errorum, iniustitiæ, impietatũ & superstitio
num, eũ interim cœlorũ lucẽ nobis sæpe terræ nubes ob
scurent, ubi tamẽ oculos corporis, illa mentis illuminant.

9 Timor domini sanctus permanens in sæculum sæculi: iudicia domini, uera, iustifi-cata in semetipsa:

Lampas quidem cœlorum mira puritate pollet, at pu
rior est timor & religio domini. Obtinet illa ordinem
& cursum suum, dum hoc sæculum perstiterit, at ultra
sæculum hoc stat obseruantia dei. Iudicia dei uera sunt,
ut ne pilum quidem unquam à recto uarient, at fallunt
inuidia astrorum sæpe. Iusta sunt per omnia, ut nulla un-
quam sui parte non obseruanda sanctissime & perfecte
existant: ab inquisitione autem syderum plerunq; rece-
dere oportet, sed & lux ipsa plerunq; deficit, tandemq;
mutabuntur omnia, cum uita quam præcipit & docet
scriptura æterna sit, uereq; beata. Vita recte & ordine
instituta secundum timorem dei sola uita est, quæ sola ue
rè beat: fideles sanctosq; perennat. Quod autem hic de
legis diuinæ laudibus dicitur, intelligendum est de ea, ut
a mentibus spiritu superne donatis percipitur, nõ ut tan
tum scripto cõprehenditur: nec ullum scripti genus est,
quod uel fructu uel dignitate ulla ex parte conferri pos-
sit cum diuinis scripturis.

10 Desyderabilia super aurum & lapidem pretiosum multum: & dulciora super mel & fauum.

Manifest quod pluris homines æstimant auro et gem-
mis, nec quicquam adeò necessarium ut mellitus, hoc est
suauissimus cibus: utrisq; autem optabiliora sunt & dul
ciora præcepta dei. Salomon idẽ confirmat, sapientiam
præstantiorem esse charissimis thesauris, & quæcunq;
desyderabilia habentur, eidem non possunt comparari.
Ita fideles & pij ignorare non possunt, qui naturæ suæ
morbum sentiunt solo exercitio diuinæ doctrinæ effica-
citer sanari, & ppensione legis dei, quare ad nihil aliud

æque animi eorum feruntur. Nihil siquidem est in toto
mundo quod dei perfectius admoneat, iudiciorũ dei &
operum rationem plenius explicet, quàm sacra scriptu-
ra: quam si auferas, solem abstuliſti mundo.

11 Etenim seruus tuus custodit ea: in custodiendis illis retributio multa.

Seruus dei studio legis diuinæ contra peccatum muni Munimen-
tum piorum
lex dei.
tur, ad salutem eruditur, & ad uitam inculpatam instrui
tur. Quod autem uerso ad dominum sermone, dixit, Etiã
seruus tuus, non caret affectu exclamatio, cum sit pro-
pter experimentum. Quasi dicat: Optabiliorem affirmo
legem dei auro & gemmis, dulciorem melle purissimo,
non tamẽ id alijs quàm timentibus deũ, et spiritu cœlesti
præditis. Dicit autẽ uetus interpres, Custodit ea, dicere
uolẽs, Cautus efficitur in eis, magis curat ea, obseruat di
ligentius. Commodum autem subijcitur & merces, In cu
stodiendis illis retributio multa: hoc est, eorum obseruа-
tioni reposita est merces amplissima, conuersatio sacro-
sancta et deo placens, uita æterna, solaq; beata. Quo igi
tur plus huius cuiquam contigerit, eo gustum ampliorẽ
futuræ felicitatis percipit: fidei enim & iustitiæ comes
semper est pax & gaudium.

12 Delicta quis intelliget? ab occultis (meis) munda me:

Ad obseruantiam diuinæ legis assequandam orat, ut
deus se ab omni transgressione seruet, donetq; ut omnes Errata
hominum.
cogitationes cordis & sermones oris formentur ad uo-
lũtatem illius, ne qua lubricitate labatur in uia domini.
Errata, inquit, hominum etiam piorum quis intelligit?
quis omnia delicta aduertat? Quamlibet enim legi dei
studeamus, & à casu magnopere caueamus, uitari tamẽ
non potest, quin labamur in multis, et impingamus, etiã
nobis non conscij, id autem contra legem dei, quã ad un
guem obseruare obligamur. Orat ergo ab eis quoq; af-
fectibus liberari, quæ legi dei aduersentur, etiã si sensui
placeant carnis, aut saltem non ut par est displiceant, cũ
nonnunquam etiam sanctis humana quædam uitia pla-
ceant, & per errorem pro uirtutibus ameneur.

13 & ab alienis (à superbis) parce seruo tuo. (Si) mei non fuerint dominati, tunc immacula tus ero, & emundabor à delicto maximo.

Non ideo rogo ut ab occultioribus erratis me purges, Deprecari
peccata.
ô deus, quasi reliquorum peccatorum periculum euase
rim: uideo enim me, si tu non serues & mala nõ auertas,
adhuc in quæuis peccata ruere posse. Oro igitur, ut etiã
à flagitijs me seruum tuũ serues, ut pro uoto tibi semper
placeam, imq; tuis legibus semper uiuã. Vetus interpres
legit, זרים alienis, sine punctis, in eandem sententiam.
Facit enim superbia & flagitium hominem à deo alie-
num. Deprecatur aũt peccata illa, quæ coniuncta sunt
cũ contemptu dei, quale fuit adulteriũ Dauidis & pro-
ditio Vriæ, cuius peccati nunquã oblitus fuit Dauid in
orationibus suis. Non dominetur mei, addit. Nam pecca
ta iam commissa continuo rapiunt ad alia, si semel ani-
mum obtinuerint, ut nõ solum stuprum cõmiserit Dauid
electus dñi, sed insuper homicidiũ. Tũc, inquit, perfectus
et immaculatus ero, liber à quauis grauiore defectione,

14 Et erũt ut complaceant eloquia oris mei: et meditatio cordis mei in cõſpectu tuo (ſemper.) Dñe adiutor meus & redẽptor meus.

Quicquid cogito uel loquor, oro, ut tibi placeat, & ſit gratum: de factis non moror, ſciens pijs hominibus ac inſtitutis in lege domini facta & opera ad mortem & exitialiter praua eſſe non poſſe, nec te latere uerba & cogitationes, multo minus facta. Adiecta aũt ultimo inuocatio, teſtatur ardentem animum ad complacendũ domino, qualis adeſt omnibus deũ uere credentibus. Quod autem addiderat Coram te, uel, in conſpectu tuo, hypocriſim excluſit humanam ad deum, quod facile quidẽ ſit hominibus noſtra approbare, non ſic autem deo, qui cor intuetur et animum. Tandem ſignificat ſe ſolius dei præſidio niti, & omnis iuſtitiæ et ſalutis authorẽ eum agnoſcere, cuius ſolius bonitate à peccatis, & æterna pernicie liberandum ſe ſentiat in fide.

Complacere deo.

PSALMVS XX.

In finem Pſalmus Dauid.

Idem cum priore.

ARGVMENT. *Oratio populi pro ſalute regis, ad bella iuſta proficiſcentis, & gratulatio de ſalute & uictoria diuinitus conceſſa.*

1 EXaudiat te dñs in die tribulationis: protegat te nomẽ dei Iacob.

Optabat Dauid pro ſe bellum gerente à populo fieri ſupplicationes, ad quod hũc Pſalmum compoſuiſſe uidetur, in exemplum etiam tam principibus quàm populis, ut ad unum deum confugiant in periculis. Plurimũ ſitum eſt in principibus, quos oportet toti proſpicere populo, ut omnia ad pietatem & morum honeſtatem inſtituantur. Vix aliud eſt pro quo enixius orandum eſt populo, quàm pro ſalute pij principis. Quod pro ſe orandum docet, ut ſuam deus precem exaudiat, indicat ipſum omne præſidiũ in domini auxilio poſuiſſe, ut cuius opẽ ante omnia imploraret ex uera fide, quæ maxime decet principes, qui multis periculis exponuntur. Protegat, id eſt, in tuto te collocet, & ædito in loco à iaculis te conſeruet hoſtibus inacceſſo. Per nomẽ dei Iacob intelligit uirtutẽ & omnipotentiã dei cum bonitate, qua ſuo ſpecialiter electo populo ſemp affuit, & patriarchã Iacob reliquoſq; à multis ſæpe anguſtijs liberauit, ideoq; à Iacobo ſtudioſiſſime cultus eſt et amatus.

Oratio pro regibus.

2 Mittat tibi auxilium de ſancto: & de Sion tueatur te.

Locus peculiaris pro oratione erat tabernaculũ fœderis, & oraculum, ante arcam & cherubim ex domini inſtituto, ad tempus, quod à tẽpore Dauidis erat in monte Zion. Etſi enim omnibus ſeculis omni in loco orari et coli deus uoluerit, quo tamen ueterem populum commodius in uera religione ſeruaret, & ad legem dei diſcendam oportunius induceret, certum et unum inter eos locum deſignauit, donec ampliore ſpiritu, per ſuum filiũ, cultum ſpiritualem & conſtantem in ueritate præciperet pijs. Oratur ergo dominus pro fortitudine ac robore contra hoſtes regis & impios à domino impetrando ad pacem & ſalutem populi fidelis & electi.

Locus orationis.

3 Memor ſit omnis ſacrificij tui: & holocauſtum tuum pingue fiat. Sela.

Veriſimile eſt pro Hebræorum more, Dauidẽ priuſquam difficile bellum quodcunq; aggrederetur, publicã orationem inſtituiſſe ſupplicationem, & rege dignas tunc hoſtias immolaſſe, ſicq; dei opem imploraſſe: quod & Saul & reliqui non obmiſerunt, nec à pijs militibus obmittendũ eſt unquam. Sacrificium aũt de quo hic dicitur, מנחה erat, conſtans uel farina uel libis oleo aſperſis, thure impoſito, quæ & ſemper holocauſtis iungebantur, ut patet in Leuitico, & pacificis hoſtijs: ideò ſimul meminit libamenti et holocauſti: docuitq; orare, ut dominus illius memor ſit, hoc eſt, pingue gratumq; habeatur. Gratiores autem erant hoſtiæ quæ religioſiore animo & ſyncериore ſtudio offerebantur, ut nulla ex parte uitiatæ eſſent, ne uilem quoq; animum offerentium afferre cõuincerentur ex ſigno exteriori. Vſus ſiquidem oblationum huiuſmodi ad id tantum ualebat, ut populus ſe & ſua omnia deo ueluti cõſecraret, ac potius conſecrata profiteretur, facto & ſigno. Addidit aũt omnis libamenti, quod quinq; ſpecierum erat: ſola aliquando farina oleo non melle infuſo: item impoſito thure, aliquando patella coctum, aliquando in chaldari: deniq; & primitiarũ ſpicæ toſtæ & contritæ, quæ in memoriam offerebantur. Additur Sela, ut ſancti homines dei ſui memores eſſent, & ipſi excitarentur ad recordationem diuinæ bonitatis.

Bellis præmittenda oratio. Oblationes uſus.

4 Tribuat tibi ſecundum cor tuũ: & omne conſilium tuum confirmet (impleat.)

Apertis & ſimplicibus iam uerbis orat, dicens: Quicquid oraueris uel tibi profuturũ inſtitueris, omneq; tuũ conſilium, optato euentu dominus ſecundet. Pius enim princeps tantum cupit & quærit ſalutem & commodũ ſui populi, non uanam gloriam triumphorum, non opes & dominia, ſed plurimis prodeſſe poſſe, uuare & conſulere, unde & nomẽ habent reges & cõſules Hebræis & Latinis.

5 Lætabimur in ſalutari tuo: & in noĩe dei noſtri magnificabimur (uel ſigna erigemus.) Impleat dominus omnes petitiones tuas.

Ouabimus de tua ſalute, cum nimirum uictor de hoſtibus uictoriam dederit, ac ita impleuerit uota noſtra atq; tua, quæcunq; petieris. Vetus interpres legit hic יגדל magnificabimus. Iudæi habent יגדל, ſi non eſt metatheſis, uexilla erigere: idem triumphare ſignificat, non mutata ſententia. Vbi certum eſt, ignoratiam uel oſcitantiam nullum habuiſſe locum in tam erudito interprete, ut potius ſcriptori lapſum imputẽ quàm doctus uiris.

Interpres priſcus.

6 nunc cognoui quoniam ſaluum fecit dominus CHRISTVM ſuum, exaudiet illum de cœlo ſancto ſuo: in potẽtatibus ſalus dexteræ eius.

Refert quæ parta uictoria quiſq; pro ſe dicebat. Nũc demum uideo, cuius uirtute uicerimus, cuius rei gratia rex noſter ametur à domino, ut ſeruatum ipſum nobis uoluerit,

Victoria ultro.

uoluerit, inuocanti responderit, opem tulerit. Patefactũ est enim, precem eius exauditam in monte Zion, deum uerum illi tulisse opem, & per seipsum hostes uicisse populi sui. Qui in cœlis propter immortalem illorum substantiam, & uim inferioribus præbentem, ut in gloriæ suæ solio peculiariter habitare dicitur, in quibus potentiam suam præclarius exerit, quod et in oratione sua Salomon confessus est.

7 Hi in curribus, & hi in equis: nos autem in nomine domini dei nostri inuocabimꝰ (recordabimur.)

Insultat hostibus propria uirtute confisis, deiq; bonitatem suos magnifice defendentis prædicat. Illi, inquit, curruli apparatu suo, & fortißimis ac multis equis confisi sunt: nos autem nominis dei nostri memores fuimus, ac illud solum inuocando uicimus hostes. Gloriam enim fortitudinis & clementiæ ad suos cultores, aliys non permittit. Vult quoq; humiliter se gerere sanctos suos, nihil per superbiam ac præsumptionem, maxime autem in bellis. Orationę suos contendere docet æque aut magis quàm armis, uincere in bono malum, ubi dominus clasſicum canere non aperte uidetur.

8 Ipſi obligati (incuruati) sunt & ceciderũt: nos autem surreximus & erecti sumus.

Illi incuruati sunt & obligati rei facti in suis conscientijs, & perturbati iniquo animo suo, de domino non timentes, & in brachio carneo confidentes, ideò ceciderunt. Nos autem quos iam expugnasse sibi uiderentur, qui uiribus impares eramus, nullo equitatu instructi aut curribus, consistimus & confirmati sumus, partim delectis hostibus, partim in uerba nostra iurare coactis, qui nos perditum uenerant tantis suis copijs. Quàm grauiter autem Dauidis hostes plerunq; ceciderint, Regũ carmit & præteritorum historia.

9 Domine saluum fac regẽ (rex) & exaudi (exaudiet) nos in die qua inuocauerimꝰ (te).

Voces adhuc uelut pugnantium memorat, indicans quo cõfisus populus pugnauerit, quoq; adiutus uicerit, Dominum enim deum regẽ suum inuocabant, cuius Dauid ceu præfectus et externus tantũ administrator erat. Hac itaq; causa confidentius opem omnipotentis dei et regis sui implorabant. Potest per regem etiam Dauid intelligi, qui domino salutem ferente uotis populi respondisset, hostes excindendo. Simplex sententia est ueteris interpretis, O domine, saluũ fac regem, nunc pro nobis pugnantem, & non solum nunc sed & semper dum an nobis digneris, salutem tribuendo & gratiam.

PSALMVS XXI.

In finem Psalmus Dauidis. Vt supra.

ARGVMENT. Gratulatio de beneficijs dei & claris uictorijs Dauidis, & gratiarumactio est, pro beneuolentia domini dei sui.

1 DOmine in uirtute tua lætabitur rex: & super salutare tuũ (quàm) exultabit uehementer.

De omnipotentia & bonitate tua, ô domine ad nos, impense gaudebit rex noster, ea enim adiutus, uictor euasit, & de ope ac salute tua uehementer exultabit, utcunq; illi non defuerit semper fortißimorũ heroum exercitus, & exercitatißimi milites, animosi consultißimiq; duces multi: in illis tamen non se iactat fidelis rex, nec sibi in illis tantopere placet, ut obliuiscatur uirtutis & gratiæ dei, salutemq; partam ac pacem regno suo nulli acceptam refert præter quàm deo, de cuius inæstimabili clementia ad se regem et populum nunquã satis potuit admirari, et de tãta dei gratia exultare. Regum omnia dei sunt.

2 Desiderium cordis eius tribuisti ei: et uolũtate labiorũ eius nõ fraudasti (eum.) Sela.

Amplitudinem successus canit, quo nihil infaustũ tentauit unquam contra hostes suos, sed quos uoluit uicit, quos uoluit tributo subegit, et feliciter in regimine progredi dedit: quæcũq; animo uel uerbis optauit præstita sibi diuinitus in dei gloriam iactat, non suam. Quæ dei in illum bonitas non in simplicem peccatorem, sed magnum, cum summe stupẽda sit, Sela adiectum est. Quod autem uetus interpres ex ארשה uoluntatem & arbitrium retulit, cum similem in scriptura hæc dictio nõ habeat unde hic locus fiat manifestior, minus Iudæis assentior, transferentibus Eloquium, quàm illi, maxime cum רשות trita sit dictio Iudæis pro arbitrio uel licentia aut facultate: quod tamen ad sermonem transferri & labium potuit. Quæ enim placent & desyderantur eloquimur labijs. Successus Dauidis.

3 Quoniam præuenisti eum (in) benedictionibus dulcedinis: posuisti in capite eius coronam de lapide pretioso.

Exprimit adhuc clarius, se fuisse semper præuentum à domino beneficijs amplißimis, benedictionibusq; suauißimis & optimis donis, ut uotorum suorum iustorum semper fuerit compos & omnibus generibus donorum fatetur se cumulatum. Et quia uictorias illi multas contulit regnumq; firmauit etiam ad posteros, quo non fuit unquam gloriosius ac diuturnius, quia in Christũ translatum, suum nobilißimum filium & dominum, recte iactat coronam pretiosißimã suo capiti impositam: quanquam constet ex præclara Ammonitarum uictoria relatam sibi coronam gemmeam, & impositam capiti pensi tantem talentum auri, quæ fuerat regis Ammonitarum, uel idoli eorum, secundum Iudæos, quod minus probabile. Dicit autem se præuentum dei beneficijs, quia quocunq; se uertisset, dei bonitate undiq; illi bona obuiarent, & quasi ultro sese offerrent. Gratia dei ad Dauid.

4 Vitã petijt à te (&) tribuisti ei longitudinem dierũ in sæculũ & in sæculum sæculi.

Per partes explicat beneficia dei, in primis autẽ longæuitatem uitæ, quam intelligit uno uerbo duabus particulis reddito, in sæculũ & in sæculũ sæculi. Semper autẽ interpres uetus pro לעד reddit sæculum sæculi, quod pro longißimo tempore accipi potest, & pro æterno. Vtroq; modo Dauidis uitã & cuiuslibet boni regis prorogari optandum est gratæ plebi, ut & Nestoreos annos feliciter uiuat, & in sæculo animarum inter beatos locum glorioſum assequatur. Sed & felicem prolem & Beneficia dei.

posteros bonis optamus regibus, famã quoq; uirtutis et beneficiorum multorum donec sæculum subsistat.

5 Magna est gloria eius in salutari tuo: gloriam & magnũ decorẽ impones super eũ.

Electorum dignitas. Cui dominus benigne adfuerit, is uerendus omnibus et suspiciendus redditur: ita ecclesia Christi in Ierusalem initio propter præsentem dei opem in tanta omniũ admiratione erat, ut nemo infidelium auderet se illi coniungere. Et Israëlitici populi dignitas, dũ iuste uiuebãt, ingens erat & maximi nominis ac terroris: cui cõtra nihil uilius uel abiectius, quàm cum deum contra se sceleribus prouocassent. Maximi enim honoris est dominũ habere fauẽtem, deum digne colere, in eius adiutorio habitare, & in protectione dei cœli commorari, aliam salutem nõ sperare quàm ab altissimo. Non alius honor laudi dandus, quàm is qui defertur à domino, scilicet ob res quaslibet bene gestas, perseuerantiam in uirtutum exercitijs, & obseruantia diuinæ legis.

6 Quoniam dabis eum (in) benedictionem in sæculum sæculi: lætificabis eũ in gaudio cum uultu tuo.

In summa dicam, Effecisti, ut non iam beneficijs tuis auctus & ornatus, sed ipsa tua benedictio, hoc est, beneficentia recte dicatur, adeò in eum illam effudisti largissime, ut duret per omnia sæcula eius sempiterna felicitas. Lætificabis eum in gaudio cum uultu tuo, benigno summiq; fauoris uultu intuitus es illum, tantisq; beneficijs cumulando ineffabili gaudio perfudisti. Veri gaudij ratio est fauor dei præsens, certò creditus à conscientia, quem fide experti felicitatem hic inchoant nunquam amittendam, sed perficiendam in patria, id solidũ gaudium summopere expectandum, fouendum autem fide & charitate, quarum est fructus.

Gaudium uerum.

7 Quoniam rex sperat in domino: et in misericordia altissimi non commouebitur.

Causa felicitatis. Causam dicit felicitatis ueræ, quia nitebatur fide batq; in omnibus domino, cui ut locum faciebat oratione & fide, sic necessario tota se in illum effundebat, ex tollebat, ac ornabat eximie. Nam cuiq; pro fide speq; sua dei beneficia percipiuntur, quo fit ut non possit amicus dei uel nutare quidem, hoc est, in crimen aliquod uel animæ damnum inclinare, aut peccare ad mortem, sed feliciter ei cadunt omnia. Cum deniq; magnum sit fidelem unum inueniri in aliqua regione, ut erat in Sodomis Lot, quantum boni regno accedit, si rex speret in domino? Is procul dubio parabit sibi cõsiliarios in timore dei & iustitia consentaneos, omnem oppilabit iniquitatem & iniuriam. Is ut sese totum domino cõmendat, sic commoueri ad illicita uel ad mortẽ peccare nequaquã permittetur à domino.

8 Inueniatur manus tua omnib⁹ inimicis tuis: dextera tua inueniat (oẽs) qui te oderũt.

Idem sensus erit, si תמצא actiue ut Iudæi, uel passiue ut uetus interpres accipiatur. Rex quamlibet parua manu sua uel copia collata copijs hostium, ulturus est, & ad cædem inueniet omnes hostes suos, id est, assequetur. Idem non iniucunda repetitione canit, Dextera tua inueniet omnes qui te odiunt, nullus euadet tuũ iudicium & furorem, non sese abscondent à uultu iræ tuæ, sentient in quem pupugerunt.

9 Pones eos ut clibanum ignis in tempore uultus tui: dominus in ira sua conturbabit eos, & deuorabit eos ignis.

Supplicij hostibus illati. Genus supplicij quod sumpsit de crudelissimis hostibus, quorum unus, ut legitur, oppressérat sexagintareges, quibus miserè uictis illusit, ut de micis sub mensa sua pauerit illos. Huiusmodi tam crudeles populos & reges Dauid iussu domini in fornace dicitur exussisse, id est, igne tam uiolenter uorante, ut est ignis in fornace, ubi lapides in calcem excoquuntur, absumpsisse. Qua allegoria significatur grauissima dei ultio, omnia deuorantis et absumentis, tunc cum uenerit tempus uultus eius, id est, indignationis & furoris duriq; iudicij tandiu expectati quod uultus nominatur. Hoc autẽ fit diuina prouidentia & actione, propterea dicitur, Dominus in sua ira deuorabit tales, & ipse causa est tanti ignis deuorantis, ipse succendit, hoc malum dominus facit, ad iustitiæ suæ ordinem conseruandum.

10 Fructum eorum de terra perdes: & semen eorum à filijs hominum.

Fructum eorum de terra perdere, est impijssimorum regum & populorum posteros ac genamina extirpare, ut terra exoneretur tam molesto onere crudelissimorum tyrannorum, & sanguinariorum, ut iusti lætemur, & pacifice domino seruiant cum innocentia. Ex hoc tam atroci excidio hostium Dauidis, animaduertamus quas pœnas daturi sint hostes uerioris Dauidis Christi, dum sub pedibus suis prosternentur omnes inimici sui & fidelium, utcunq; non credant impij.

11 Quoniã declinauerunt in te malat cogitauerunt cõsilia (quæ) nõ potuerunt (stabilire.)

Consilia hostium ad nocendum. Quamlibet diligenter & magno studio hostes de re ge extinguendo consultarint, & exercitum maximum contraxerint, omnia tamen frustra, quin semper superior seruatur à domino, cui fidit & famulatur, in regimine populi sancti & electi. Nullis enim suis consilijs & astutijs quicquam poterunt cõtra prouidentiam dei, & contra fœdus initum sancti regis, cum clementissimo deo, cui curæ sunt sui rex & populus.

12 Quoniam pones eos dorsum (humerum) in reliquijs (neruis) tuis præparabis uultum eorum.

Pones eos humerũ, id est, in fugã conuertes, uel præualebis ipsis, et pones iugum in humeros illorũ, perfecta uictoria de illis triumphabis, ferent uel inuiti quicquid imposueris, seruitutis iugo subijcies ad onera grauia. Sagittis quoq; tuis inuades ut euadere nequeant, ex aduerso aggredieris, & in fugã conuertes. Ordinis immersio crebberrima est in sacris litteris: sic enim usu uenit, ut primũ sagittis adoriãtur hostes, deinde fugientes apprehendantur attoniti & uulnerati. Discimus nullis uiribus impios posse se defendere oppugnante illos Christo.

13 Exaltare domine in uirtute tua: cantabimus & psallemus uirtutes tuas.

Ascensus

Accensus consyderatione tantæ salutis collatæ regi à domino, orat, ut semp hoc modo deus uirtute sua extollat gloriam suam et omnipotentiam, ut sancti uirtutẽ illius deprædicent, & ab impijs sentiatur iudiciũ domini, ad humiliationem ipsorum, sed ad gratulationem & solatium piorum: unde subijcit, Cantabimus & psallemus uirtutes tuas, qua omnia perficiuntur, qua fideles tuetur, sternit repugnantes, superbos humiliat, & oppri mit, manifestumq; facit mortales nihil esse, deum autem omnia.

PSALMVS XXII.

In finẽ pro susceptione (cerua) matutina, Psalmus Dauid.

Apertißime conuincunt Psalmi huius uerba, omnia de Christo domino exponẽda, priora quidem de eius stupenda humiliatione & contemptu, paßione & irrisione, posteriora uerò de illius gloriosißima exaltatione, laude, felicitate & potentia: sic quoq; consequenter de Christi fideliumq; suorum ecclesia, & uero Israële, quæ ignominiose patitur ab impijs, irridetur, conculcatur ac spoliatur in primis, tandem ex gentium omniũ conuersione & fide maxima amplitudine glorificatur & felici ter agit. Sicut & Dauid à persecutionibus maximis & diuturnis regnum auspicatus est, quod interim in se & filio euasit splendidißimũ & felix: talia quoq; unicuiq; de titulo sentiendum, quem sicut & alios suspicio est ad diuũ à collectore huius libri, non à Psalmorum authore, unde & respiunt non paruam difficultatem & incertitudinem. Hic, inquam, titulus dictionem habet אילת, quam quidã dicunt nomẽ musici instrumenti, alij speciẽ carminis, alij stellam Luciferum, alij fortitudinem, nonnulli cæream uel hircum fœminino genere. Quin & eiulatum significare potest, & alia fortaßis, quandoquidem uetus interpres Græcus ἀντιλήψεως, Latinus Susceptionem, uel auxilium, quo complectimur & suscipimus indigentem: ut hic matutinam susceptionem significare uoluerit, qua Christus dominus in tempore oportuno editus est et susceptus à patre, post oppreßionem ignominiosißimam et amarißimam paßionem. Is autem sensus, ut proximior est Argumento, & à primo interprete usus, sic mihi arridet magis, permissa tamen ut par est alijs sua cuiq; coniectura, in rebus tam dubijs & non necessarijs. Tantum autem de Argumento Psalmi pariter & Titulo.

1 **Deus meus Deus meus (respice in me) quare me dereliquisti: longe à salute mea uerba (rugitus mei) delictorum meorum.**

Satis luculenter arguitur quisquis author fuerit translationis Græcæ, ante Christi tempora & ædita Euangelia ipsum Psalmorum hunc librum uertisse, quandoquidem uariat non parũ hoc loco ab Euangelistis. Sic enim habet. Deus deus meus, respice in me, quare me dereliquisti? cum Hebræa habeant sicut Euangelistæ, Deus meus deus meus, quare dereliquisti me? Quin et Chaldaicus Euangelistis cõcordat, qui transtulerũt Sabachtani, quod

Syriacum est, non Asabtani quod Hebræum. Vt uideatur Christus Syriacè, hoc est materna lingua, hæc sicut & alia ferè omnia locutus, non purè Hebraice, quæ tunc in usu uulgi non erat. Sed ad sententiam accedo. Canit propheta Dauid in sua persona & Christi, quibus in malis fuerit, & quàm ardenter dei opem imploraverit, p uiginti uersus, & de Christo domino filio suo magis tunc cogitarit Dauid quàm de seipso, cuius ipse in persecutione perpessa typus erat. Maximo in primis affectu indicat Christus & Dauid ingentem dolorem animi sui, conqueriturq; deũ alioqui omnipotentem & clementẽ suorum auxiliatorem, ergasse hominem secundũ carnis imbecillitatem nullam iuuandi uirtutem ostendere: deseri quoq; se queritur, qui inuocantes se deserere nequit, ac insuper à longe stare cum sibi, qui nusquam suis deesse cõsueuit. Cumq; summe doleret, spiritus tamen sese potenter continuerit, qui tandem simul erumpẽs immanem uocẽ ædidit, qualem uiri alioqui fortes cũ cordis angore emittũt in magnis angustijs, leonũ more clamantes. Quod nomen שחרת quod interpretis tempore sine א lectiũ uel intellectum uidetur, rugitum significans & delictum, alij lamentationẽ dicunt. Derelictum aũt se Christus clamat à patre iuxta humanitatis suæ angores & dolores, nõ propter propria peccata, sed electorũ omnium, quæ perferre debuit in corpore suo, & exsoluere quæ non debuit, & languores nostros portare qui peccatum non fecit, pro peccatis tamen hominũ longe magis doluit quàm diuus etiam Paulus, qui maxime urebatur, quando peccantes infirmari cõspexit: non ficto dolore sed uero, ut enim uerus dei filius fuit Christus: secundũ quod uerbũ dei & homo, sic de patris sui contemptu à mundo, non potuit non secundũ hominem amarißime dolere & cõtristari.

Affectus cadentis.

Christus quomodo derelictus?

2 **Deus meus clamabo per diem, & non exaudies: & nocte, & nõ (silentium) ad insipientiam mihi.**

Queritur maximo ardore se die noctuq; frustra opẽ dei implorare, propterea quod non annuat deus auxiliũ præbendo statim, ut silere poßit à rugitu. Videtur nanq; illo, Et nõ est silentiũ mihi, uoluiße geminare quod præmiserat, Nõ mihi respondes? nõ annuis? Clamoris alioqui perpetuitatẽ eo significauit, quod se dixit clamare absq; intermißione die & nocte. Videtur aũt dominus nõ exaudire, cum non continuo liberat, cum impijs permittit graßari pro uoto cõtra pios: ad neminem enim clamare possunt quàm ad dominũ deum suum, qui & abesse suis non potest, quamlibet differat nonunquam ad gloriam suam, et ad bonum electorum: non ad insipientiam mihi uertit, intelligens, non tamen interim despero nec causas ignoro dilatæ salutis.

Orare frustra.

3 **Tu autem (in) sancto habitas, laus Israel.**

Deus in medio populi Israël ideò se habitaturũ promiserat, arcam fœderis in præsentiæ suæ & gratiæ sacramentum tradiderat, ac templum postea ædificari ferebat, ut testaretur se auditurum preces ad se clamantiũ. Ex eo ergo quòd deus ad suas solius preces obsurdescebat, qui omni Israëli precanti aderat, laudibusq; continuis ob latam opem celebrabatur, magnitudinem suæ ca-

Deus exaudit omnia.

lamitatis maximo affectu ostendit, quasi dicens: Tu sedens firmiter regnas immotus ab omnibus, tui semper similis, talis es perpetuò Israëli, ut merito iugiter laudes tuas cantet: qui fit igitur ut nunc ad meas adeo preces obsurdescas?

4 In te sperauerunt patres nostri: sperauerunt, & liberasti eos.

Deus semper audit.

In te semper sperauerunt sancti patres nostri, & beneficia tua nunquam non senserunt. Fuisti illis semper clementissimus pater, ad quem in omni tribulatione clamantes exauditi sunt, & euaserunt incommoda animarum & corporum, quamlibet peccatores essent: quomodo ergo fit, ut ego tam diu clamans non exaudiar?

5 Ad te clamauerunt, & salui facti sunt: in te sperauerunt, & non sunt confusi.

Affectus orationis.

Exaggeratio est querelarum, qua non carent oratio nes fidelium, qui sine intermissione orare iubentur, sed ex animo, non tantum ore & labijs. Prodiens autem ex affectu oratio, non fit sine huiusmodi repetitionibus, more etiam humano, quas dominus non odit, si procedant è corde, quas et non potest non exaudire cum fructu orantis, quem dominus magis nouit ac ponderat quàm calamitosus qui præsenti angore torquetur, & cuperet illico liberari, quod non semper prodesset. Liberantur miseri tempore opportuno, si sperant in dominum, et non confunduntur, quia gloriam nominis sui dominus non negligit, et nomen suum blasphemari in gentibus non sinit, nisi dum cætera flagitia exigunt ad sui uindictam, ut blasphemiæ colophonem imponant.

6 Ego autem sum uermis & nõ homo: opprobrium hominum & abiectio plebis.

Abiectio Christi.

Quàm abiectus miser & uilis fuerit præ omnibus mortalibus Christus, & suo tempore Dauid quoq;, que relis pergendo testatur, uermem se nominans, non hominem, sed sic contemptum, ut nihil æquè detestabile omni populo haberetur. Vnde quicunq; intuiti eum fuerint, subsannarint, uerbis irriserint, ac capitis commotione illuserint: prætereuntes enim conuitia iaciebãt in eum, mouentes capita sua pontifices, scribæ & seniores, dicentes: Cõfisus est deo, eripiat eum, si quidem uult eum. Sic Dauid, quamlibet ex sua forsan calamitate occasionẽ accipiens, præcipue de Christo hæc cecinit. Non tamen ilico pronuntiandum, Ergo uermis est Christus uel Dauid, & non homo. Habent enim Iudæi ut & aliæ gentes locutiones suas. Sic Christus se ianuam dixit, & uitem, doctrinam suam aquam, & corpus suum panem, & uinum sanguinem. Cõtemptum autem plebis fuisse, patet, cum dixerũt, Non hunc sed Barrabã, tolle, et crucifige.

7 Omnes uidentes me, deriserunt me: locuti sunt labijs (&) mouerunt caput.

Omnes pro multis.

Omnes dicit pro multis, locutione consueta, erant enim in regno Dauidis qui honorabant regem, & sese totos omnibus periculis opposuerũt pro eo: sic et Christum maxime contemptum et iam crucifixum, Centurio fatetur cum reliquis filium dei, & cõpungebantur multi, capita sua percutientes. Quòd uerò dixit, Locuti sunt labijs, idem est quod dicitur, Os suum & labia irriserie aperuerunt, & contemptibilia effutierunt in dominũ: sicut et Semei cõtra Dauidẽ. Alioqui hoc loco רפשירו est in rictum suspendere labia, & aperire, ueluti locuturus irrisoria uerba, sicut & motione capitis illusto exercetur à procacibus.

8 Sperauit in domino, eripiat eum: saluum faciat eum, quoniam uult eum.

Quod Hebræus dicit, Deuoluit ad deum, hoc elegantius retulit Græcus, Sperauit in dominum, id est, sua omnia in deum retulit, in omnibus rebus ab ipso uno pependit, toto illi corde adhæsit. Ironia autem est & quod sequitur, Saluum faciat eum quoniã uult eũ: quasi ridicule dicentes, Stultè fecit, quòd à deo se diligi charumq; haberi arbitratus est. Quanquam autem Dauid huiusmodi passus est irrisiones, nequaquam tamẽ ista ita ut in Christo perfecta fuerunt. Nemo sic abiectus et omni ludibrio execratus unquam fuit ut Christus pendens in cruce.

9 Quoniam tu es qui extraxisti me de uentre: spes mea ab uberibus matris meæ,

Figmentum Christi.

Memorat se dei figmentum esse, ab ipso è materni uteri claustris extractum, sugentem matris ubera, alitum à domino sempiterna eius bonitate. Ab eo tempore quo à deo homo fuit mirabiliter formatus in utero, semper fruitum se fuisse fatetur & innixum domino: ideo perpetua mihi debet esse tui prædicatio. Qui enim ex nihilo me finxisti, quomodo non diligenti cura tua me prosequereris, ut nunquam auxilio destitueres? Quare autem Hieronymus Propugnatorem fecerit ex Extractorem interpretis fatere non excutio nec laudo. Nõ enim prisco interpreti facile in Psalmis reclamandum puto, quicquid sit de eis interpretibus qui prophetas transtulerunt, quos Septuaginta fuisse non credere possum.

10 in te proiectus sum ex utero. De uentre matris meæ deus meus es tu:

Salus infantium à deo.

Non humana propria uel creata aliqua uirtute, sed tua benignitate & actione contigit, ut ex utero saluus prodirem & proijcerer: tui hoc muneris fuit, super te, hoc est per te stetit hoc fatum meũ & beneficium. Proiectus sum ex utero, uel absente obstetrice uirginculi sim plicius etiam saluandus tua prouidentia, si casu defuisset quodcunq; humanũ adminiculum. Quicquid roboris et salutis, à periculisq; euasionis habui ab utero matris, nõ aliunde consequutus sum, quàm à tuo speciali beneficio, & tutela. Tu deus meus es, & benefactor, ex illo tempore in præsens usq;, & donec substitero tu mihi conseruator & pater es.

11 ne discesseris à me. Quoniam tribulatio proxima est, quoniam nõ est qui adiuuet.

Eloquitur hæc & priora non tam causa intendendæ querelæ, quàm confirmandæ spei suæ, contra illos, qui suis irrisionibus & probris euertere eam conabantur. Hinc enim animo eius huiusmodi cogitationem subire oportuit: Si te deus in lucem hanc absq; tua scientia & uirtute eduxit, si te lactentem, dum nihil poteras prospicere tibi, tam benigne fouit, non poterit admittere ut modo me opprimat summa afflictio, & in tantis periculis extremis mihi absit longius. Vnde & precem statim sub iecit,

iecit, Deus meus ne subducas te à me longius, prope enim accesit afflictio, nec est qui adiuuet.

12 **Circundederunt me uituli multi: tauri pingues obsederunt me.**

Quàm prope sibi imminuerit adflictio & proditio, clarius consequenter explicat, nam cinctum se & conuitis hostibus memorat, sibiq; excidisse omne robur et uirtutē recenset. Grandes & præualidos tauros, quales regio Basan diues pascuis nutrit, sic ut prorsus in illorum redactus sit potestatē, ut euadere sua humana uirtute nō possit, sed perditionē instare non dubitet de propinquo.

13 **Aperuerunt super me os suum (sicut) leo rapiens & rugiens.**

Tum & aperuisse illos contra se rictum suum uelut leo, dum in prædam inhiat, ferociamq; testatus rugit. Rugire enim solent prædam nacti leones, ut Amos inquit, Num rugiet leo in sylua si non sit illi præda? Deest autē Hebræis nota similitudinis, quam priscus translator erudite suppleuit. Historiæ tam Regum quàm Euangelicæ ad longum declarant, quomodo fortes hostes plurimi hæc fecerint Dauidi & Christo domino, ut uerbis hic prolixioribus opus non sit: & quid sancti ab impijs patiantur docet quotidiana experientia.

14 **Sicut aqua effusus sum, & dispersa sunt omnia ossa mea. Factum est cor meū tanquam cera liquescēs, in medio uentris mei.**

Tum quoq; adeo se exanimatum, omniq; uirtute exinanitum fuisse, ut ceu aqua defluxerit, luxata sint omnia ossa sua, & à suis quibusq; iuncturis auulsa, extensione acerbissima in cruce, cor quoq; in ceræ modum ex calore ignis uel solis dilabentis colliquisse.

15 **Aruit tanquā testa uirtus mea, & lingua mea adhæsit faucibus meis: & in puluerem mortis deduxisti me.**

Succum omnem sic absorptum queritur in se, ut uelut testa aruerit, et lingua palato adhæserit, planeq; sic comparatus fuerit, ut qui iam sepulchro sit demandandus. Quibus his duobus uersibus, summum metum descripsit, quo calor è summis in intima contrahitur, & è supernis interna quàm extrema cuncta occupat, omnia refrigerantur: ipsaq; membrorum compages soluuntur, quando & metus solet per calorem, quem ad inferiores partes corporis depellit, flauam quoq; bilem deijcere, alumq; & uesicam ciere. Calor quoq; pectus deserens facit cor colliquescere, et ariditatē membris cæteris ingerere, sitimq; excitare. Et in pulucrem, ait, mortis deduxisti me, id est, reposuisti planeq; me sepulchro adaptasti.

16 **Quoniā circundederunt me canes (multi) concilium malignantium obsedit me. Foderunt manus meas & pedes meos,**

Causam iterum reddit summæ anxietatis, qua confiebatur, metusq; qui eū planè exanimabat. Nā ut ante à tauris, ita hic à canibus se ceu feram circundatum queritur. Mox autem quos canes intelligat ipse exponit, cum cinctum se memorat à cœtu noxiorum & pernicioſorum hominum. Foderunt manus meas & pedes meos, priscus interpres uertit erudite & apte. Non est enim rarum, imò frequens ℵ mediam radicalem aliquando scribi, aliquando obmitti, sine sensus uariatione: & Vau pro Iod scribi, uel contra facillimum est & insuper usitatissimū. Hic autem Psalmus de Christo scriptus intelligitur satis clare, quem scimus in cruce manibus perfossum & pedibus, utcunq; Iudæi rideant, qui hic exponunt: Sicut leo manus meas & pedes meos, nihil ipsi adducunt præter ridicula & inepta, quo aufugiant crucifixionis Christi domini mysterium & fructum, in suam pernitiem, quæ prisci Iudæorum ante Christi tempora, non ita scripserunt nec exposuerunt.

17 **dinumerauerūt omnia ossa mea. Ipsi uero considerauerunt & inspexerunt me:**

Iuxta historiam supplicij Christi domini, sensus reuera est, Ita extentus sum à Iudæis in cruce uel eorum militibus, & distractus, ut numerare licuerit cuncta ossa mea. Nam quod dicit, Numerabo, idem est qđ numerare licet. Id qđ erudite reddidit priscus, Dinumerauerūt ossa mea, non ignorans personarum temporum et numerorū creberrimas mutationes, quas eruditus interpres consulto aduertit ac explicat, ad sensum respiciens, fidelis & minime ut recentiores Iudæi superstitiosus. Neque obstat, quod in Dauide qui typum Christi gesßit, nihil tale præcesßit, sæpe siquidē ultra typos rapti prophetæ ea canūt quæ sunt perfecta in Christo. Quanquam et per hyperbolen sumi posßit de terrore canum omnem carnem exedentium, ut ossa licuerit numerare, sicq; confectū ludibrio fuisse hostibus & uoluptati ridentibus. Ossa numerati.

18 **diuiserunt sibi uestimenta mea, & super uestem meam miserunt sortem.**

Hic uersus euidentissime omnium probat Christi supplicium, cuius uestes cum eum milites crucifixissent inter se partiti & de inconsutili tunica sortiti sunt. Huius umbram uerisimile est in Dauide præcesßisse, cum planè iam extorrem patria factum, modis omnibus ad mortem Saul & assentatores illius uenarentur, cum & uxorem Michol pater Saul alij tradiderit, & tantū in eum odiū declararit, ut octoginta quinq; sacerdotes tam crudeliter necari iusserit. Tunc dicere potuit, Vide ô deus, ut prorsus de me actum sit, nisi tu subito opem feras, iam hostes internetionis meæ certi adeo sibi uidentur, ut meas uestes tanquam iam extincti inter se diuiserint: nō semel enim indubitatum hostibus fuit, se illum iamiam extincturos, ut patet ex historia. Christi supplicium.

19 **Tu autem domine, ne elongaueris auxilium tuum à me: ad defensionē meam conspice (festina.)**

Sequentibus uersibus expreßius iam opem implorat, & eximi periculo quod descripserat deprecatur. Iam antea orare cœperat, sed uolens exprimere habitum animi summe afflicti, à prece hac continuo dilapsus, iterum ad querelas fugit, ad narrandum scilicet quantis malis teneretur: nunc autem dicit, Vides me prorsus in manibus esse hostium, non aliter atque feram iam à canibus cinctam, &c. Ne sis ergo longè, ne differ amplius tuum Deprecatio

auxilium, id est susceptionem meam, tu me sic periclitantem undiq; susciptas in tutelam tuam, tu mei patrocinium et subleuamen nõ obmittas, ex te enim pendet tota fortitudo mea. Hic alia forma scribitur dictio titularis אילות, ab איל fortitudine & auxilio deriuata. Quasi dicat, Tu uirtus mea & præsidium, nihil in me uirium relictũ est, accelera igitur ad auxilium meum, est enim in mora periculum ut cernis.

20 Erue à phramea animam meam (&) de manu canis unicam meam.

A præsentissima cæde uitam meã iam nunc exime & libera, de manu canis, id est, potestate Saulis, si de typo intelligas: si uero de Christo, à uiolentia cœtus Iudaici: unicam meam, id est animam, quæ unica & rebus omnibus charior haberi solet. His omnibus simul indicat de ipsa anima & uita sese periclitatum.

21 Salua me ex ore leonis: & à cornibus unicornium humilitatem meam.

Cornua unicornium.

Serua me ab ore leonis. Eo indicat iam sibi rictũ leonis imminere apertũ. Ad exaggerandum aũt periculi magnitudinẽ addit, Et à cornibus unicorniũ humilitatẽ meam: hoc est, fer opem, ô domine, iam enim permittor cornibus sæuissimarũ beluarum. Siue unum cornu habeat siue plura, certè asperrima fera, inuicti roboris & potentiæ hostẽ significãs, qui mansuefieri aut conciliari uel uinci nequeat. Ne autem uideri possit hæc deprecatio mortis Christo non cõpetere, qui morti sese ultro obtulit, & in cruce positus, descendere noluit, religiose cogitandũ est quomodo mens deo coniuncta quidem Christũ deum sibi ubiq; & semper præsentẽ cernens, impense semper gaudeat. Caro autẽ qua tunc erat conditione, idipsum tunc non cernebat, sed absentẽ deũ experiebatur, eoq; tantopere adflictabatur, et sese derelictam querebatur, deniq; euadere mortem desiderabat, ut et in monte oliueti: sed addebat, Fiat uoluntas tua. Sciebat probe ita interesse salutis totius humani generis, quare et ultro hæc subierat,

Natura humana in Christo uera.

interim tamen necesse fuit ueram hominis naturam plurimum dolere, sic cruciatam, ut nos uideremus quid esset nostri causa factus et passus. Is autem maximus in carne Christi domini dolor nõ minus patri placuit, cumq; eius dilectione congruit, quàm lachrimæ illæ ꝓpter excidium Hierosolymæ, quod tamẽ consentiẽs iusto patris iudicio spiritus approbabat, et uenire optabat. Tamen à Christo domino discamus dum angimur, uni patri cœlesti animi gratitudine queri, & ab ipso uno liberationem petere.

22 Narrabo nomen tuum fratribus meis: in medio ecclesiæ laudabo te.

Anxia oratio.

Cur tam anxie salutem orarit explicat. Narrabo, inquit, id est, celebrabo nomen tuum, tuam uirtutem & bonitatem fratribus meis, tua simul religione imbutis, te ex animo colẽtibus, ut legitimos Abrahæ decet filios. In media contione, omni populo ad laudes tuas collecto, te collaudabo. Id Dauid cũ aliâs sæpe, tunc tamẽ insigni studio præstitit, cum arcam fœderis cum indicibili tripudio in suam ciuitatem traduxit, hortatusq; est populũ, ut agnoscentes uel in se mirabilem bonitatẽ dei, illũ, ut à quo solo oĩa bona secum unicè colerent, & laudarent, solicita eum religione timerent, præcepta eius studiosè seruarẽt.

23 Qui timetis deum laudate eum: uniuersum semen Iacob glorificate eum. Timeat eum omne semen Israël:

Timor dei.

Inuitat deinde ad timorẽ dei, cuius comes est obseruantia mandatorũ eius. Nec alium timorẽ propheta inquirit, q̃ qui solicitos teneat & urgeat ad uiuendũ ei, quem iam ut ex animo laudamus, omnia esse & præstare, ita sumopere quoq; amemus & colamus. Id soli agunt legitimi filij Iacob, & semen uere Israëlitarũ, qui simul dominũ amant ac timẽt filiali nimirũ timore, uelut patrem pientissimum colendo, & illi soli complacere cupiendo.

24 quoniam non spreuit neq; despexit deprecationem pauperis. Nec auertit faciem suam à me, (ab eo) & cum clamarẽ ad eum, exaudiuit (me.)

Clementia dei.

Nihil magis mouet sanctos ad laudandum deum, quàm quod adeo benigne agit cum miseris, & uociferationis afflictorum non obliuiscitur, sed audit eorum uota, pronamq; precibus eorũ aurẽ accomodat. Tum nullo nomine clementia dei plausibilius quàm clementiæ bonitatis ac misericordiæ celebrari deus poterit, quæ laus tãto amplior ac præclarior agnoscitur, quãto magis miseri ac deiecti sunt in quos ea exhibetur, præsertim cum id publico bono fiat: quale fuit beneficium ineffabile toti mundo collatum in Christo exaltato ad dexteram patris, ut pro nobis orans satisfaciat ꝓ omnibus electis, unde piorũ spes firmatur.

25 Apud te laus mea in ecclesia magna: uota mea reddam in cõspectu timentium eum.

Gratiarum actio.

Morem pijs regibus fuisse pro beneficijs acceptis dei gratiarum actione bonitatẽ celebrare in ecclesia populi scriptura testatur. Id Dauide nemo impensius studuit, qui & ad hoc Leuitas instituit, post translatã arcam Hierosolymã. Sed mortalibus omnibus mos est orationibus aliquid promissionũ & uotorum adijcere, pro gratitudine beneficijs rependenda: nihil autem deo gratius offerre homines possunt sacrificio laudis. Tunc autem domino placuit, ut fideles gratitudinem testarentur sacrificijs legalibus, quibus sic quoq; præluderetur ad peccatũ, & semper durans sacrificium deo patri exhibitũ à Christo. Quo religionis officio, studium dei quo flagrabat Dauid uoluit demonstrare, oblatis uotis sacrificiorum pacificorum & holocaustorum iuxta præscriptum legis.

26 Edent pauperes & saturabuntur (&) laudabunt dominum qui requirunt eum: uiuent corda eorũ (uestra) in seculum seculi.

Sacrificia pacifica.

Mos erat pacificarum uictimarum simul uescendi illis qui ad sacrificium uocabantur: ita sacris tum epulis rex ad populum hibuit totum Israëlem, singulis uiris & mulieribus datis portionibus suis, ut est in libris Præteritorũ & Regum, et uini quoq; sextario, quibus Israelitæ saturati fuerunt, et in domino exhilarati, sancta iucunditate affecti dimissi tandem sunt, quam & diutius domi continuerũt & seruarunt. Non minori alacritate spiritus et gratitudine nobis agendum est festum commemorationis beneficiorum Christi, in mensa domini, & Christiana Eucharistia nostra à Christo rege nostro nobis instituta & ordinata.

Reminiscen-

27 Reminiscentur, et conuertent ad dominũ uniuersi fines terræ, Et adorabunt in conspectu eius (tuo) uniuersæ familiæ gentiũ.

Satis liquet, & prophetarum aliorum testimonijs comprobatur, hic Dauidem non de suo, sed Christi regno cecinisse, & id priscus sacer interpres indicat, Reuertentur & conuertentur ad dominum uniuersi fines terræ. Omnes enim gentes ueri & unici dei cognitionem & religionem primum habuerunt, quæ restituenda eis fuit per Christum. Id uero statim apostolorum tempore ita est impletum, ut Paulus glorietur iam tum omni creaturæ sub cœlo Euangelium fuisse adnunciatum & fructum fecisse. Persuaserat enim tunc præcipuas orbis regiones, & gentium familias quantum ad electos, & spiritu superno donatos. Sunt enim Christo teste multi ex diabolo nati, qui ut ueritatis sermonem percipere nequeunt, ita regno eius nunquam accedent.

28 Quoniam domini est regnum: & (ipse) dominabitur gentium.

Canit causam cur gentes reuocandæ erant ad dominum, quia domini est regnum. Id est, non tantum Iudæorum, sed & gentium deus est: non ergo erant satanæ permittendæ. Et sanè iam tot sæculis cæcitate maiorem Iudæorum partem premente, regnum dei uiget apud gentes, quod est iustitia, gaudium, & pax in spiritu sancto. Quanquam ex gentibus quoq; nationes plurimæ Christo abductæ interim sunt per uaria genera errorum & hæresum, Christum blasphemantium, omnes tamen dominum deum patrum sanctorum uno ore colunt & adorant. Apud nos quoque numium pauci sunt, qui uita demonstrent regnum dei uigere in ipsorum conscientia. Vbi uero uirtus Christi est, & fructus fidei ac studium sanctorum morum, frustra profecto ceremoniæ abesse quædam querebuntur.

29 Manducauerunt & adorauerunt omnes pingues terræ: in conspectu eius cadent omnes qui descendunt in terram. Et anima mea (eius) illi uiuet:

Manducauerunt, Præteritum pro Futuro, de carnibus sacrificiorum in testimonium ueræ fidei, in unum uerum & solum deum, cui soli sacrificandum credent suo tempore, & adorabunt omnes gentes terræ ante faciem tuam: omnes familiæ nationum humero uno te dominum deum colent, quæ nunc idolis seruiunt, reuerentiam uerum cultum tibi deferent non tantum familiæ et tribus duodecim Israëliticæ. Non tantum in Iudæa dominus notus erit, sed toto orbe terrarum gentes confluent ad obseruantiam tuæ legis, fide, spe & charitate tibi seruituræ. Pingues terræ, id est reges, principes, sapientes, diuites & magnifici, qui nunc toto corde abhorrent à uero deo & idola sectantur, hi omnes humiliabuntur coram te, & tam potentiam quàm sapientiam suam deuouebunt tibi, & in obsequium capient intellectum suum, ut uerbo tuo credant, & mundo hoc utantur, quasi non utentes, sed ad tuum beneplacitum dispensantes. Nec hi solum tibi seruiunt qui in mundo hoc magnifici habentur & sunt, sed & mortui omnes tui sunt, etiam sepulti te iudicem expectant & sentient in die ultimi iudicij & generalis. Etiam hi quorum anima feliciter non uiuet. Eris enim agnitus à toto mundo rex dominus dominantium & iudex cœlestium terrestrium & infernorum. Et omnis lingua confitebitur tibi bonitatem & maiestatem tuam. Nisi quis לא pro לו interpretetur, ut priscus uoluit. Domino deo suo seruiet omnis qui electus est, et ad illius gloriam uiuet, tam in præsenti sæculo quàm futuro. Vbi iterum nunc Vau scribitur, ubi priscus tod legebat, ut diceret, Anima mea domino uiuet, hoc est, ad ipsius laudem & gloriam. Vidit enim Dauid & Abraam diem domini, & gauisi sunt.

30 (&) semen (meum) seruiet ipsi. Annuntiabitur domino generatio (ad generationem)

Semen nimirum Dauidis seruiet domino: hoc ipsum enim præcipuum erat uotorũ eius, hoc in primis & maximè omnium Dauid sanctus concupiuit, ut semen suum & posteritas eum suum dominum & deum dignissimè colerent, & syncerissime in oĩbus obsequerentur ipsius sanctissimis legibus. Et Christi domini uerum semen fideles redempti & adoptiui filij per gratiam, toto orbe seruiunt interim domino, quo uoto Dauid & omnes patriarchæ præclarius quipiam desiderare nunquam potuerunt. Quid enim gloriosius filijs Abrahæ & Dauidis obtingere potuisset, quàm quod semen eorum Christus adoraretur à toto mundo, & filij secundum carnem & spiritum domino deo suo multiplicarentur feliciter in totum orbem terrarum? ut nõ iam sit locus sufficiens ad capiendum filios Israël ueros, sed totus orbis sancto illo germine repleatur in gloriam dei & patriarcharum sanctorum. Hæc tanta gloria Dauidis, & seminis eius Christi domini annuntiabitur non solum per orbem uniuersum & ubiq; locorum, sed etiam in sæcula sæculorũ, & sine fine donec mundus constiterit.

Vota Dauidis.

31 uentura (uenient) & annuntiabunt (cœli) iustitiam eius, populo qui nascetur (quia) quem fecit (dominus.)

Venient & annuntiabunt iustitiã eius, futura sæcula id est populi nascituri, sancti & electi ad dominum conuersi ciues cœli & domestici dei, in toto orbe ex omnibus gentibus congregabuntur in unam ecclesiam, et uenient totis uotis & desiderijs, fide, et deuotione ad prædicandum & laudandum iustitiam domini dei Israël. Et per singula sæcula posteris suis parentes annuntiabunt de uerbo domini, ut quod nunc ex ore prophetarũ Israëlitæ iuxta carnem audire respuunt, hoc omnium sæculorum gentes in orbe terrarũ confitebuntur, & cum maxima reuerentia amplectẽtur, credent, & pro eo difficilia quæq; se pati uelle protestabuntur factis & uerbis. Hæc tanta mirabilia, hunc mundi ordinem, tantam pietatem, & uerum cultum dominus faciet uerissime, et procul dubio: etiã si plurimi Israëlitarũ credere nunc prout tunc recusarint pertinaciter, propter quod et mali male perduntur, Et uineam suam dominus deus sabaoth iamdudum iuxta prophetarũ oracula & domini prophetarum Christi uerba locauit alijs agricolis fidelioribus, qui fructum dignum illi domino suo reddunt in tempore.

Vna ecclesia iustorũ.

PSALMVS XXIII.

Psalmus Dauid.

ARGVMENTVM. *Confessio est beneficiorum dei, deq; securitate & fiducia fideliũ per fidem in deum.*

1 DOminus regit me, & nihil mihi deerit:

Homo fragilis.

Non est inter animalia quod minus sibi possit prospicere, et æque pastoris dei opera indigeat, ut homo. Prorsus enim necesse est perire hominem, nisi illi faueat suo spiritu deus, nisi eum ducat, nisi pastoris curam adhibeat. Qui tamen si huius se custodis fidei commiserit, is eum sic pascet, sic curabit, ut et ipsi nihil deerit, alijs quoq; sit commodo futurus, cunctaq; eius dicta & facta aliquam hominibus utilitatem adferant. Talis ouicula domini, Dauid erat, cuius cura beatus fuit, quia in eo habuit omnia.

2 in loco pascuæ ibi me collocauit. Super aquam refectionis educauit me:

Pastor fidelis.

Qui optime pascunt oues stabula non longe habent à pascuis, maxime in Iudæa, cui syluarũ umbræ raræ sunt: medio enim die cum æstus in umbrã ducendæ sunt, uel uicinitate septorum uel mapalium sartiendum. Canit ergo de suo pastore sanctus, quod faciat se accumbere in cõseptis uel papilionibus herbidis, ne longo itinere fatigari oporteat: quo simul & matutini & uespertini pastus, & meridianæ quietis curam memorauit, quàm commodè & ad aquas ducat, quod & ipsum bis in die fieri solet, quas & nominat aquas lenes & suaues, aptas ad refectionem tempestiuasq;. Indicat suæ artis regulas, quas à puero probe didicisse nõ puduit iam quoq; regẽ.

3 animam meam conuertit, deduxit me super semitas iustitiæ propter nomen suum.

Quod priore uersu per allegoriam dixerat, nunc explicat simpliciter. Conuertere animã, est restituere, hoc est diuinæ bonitatis fiducia consolari mœstam, & iugi gaudio spiritus perfundere & exhilarare, ut per fidem uiuat in pace & gaudio, his enim anima fidelis restituitur & recreatur: agitatur enim in omnibus spiritus diuini impulsu non suo. Hoc pacto deducit pastor hic noster suas oues in semitis iustitiæ, hoc est ita formet, regit, & tuetur, ut iustitiæ totæ studeãt, et omnis earũ uita ueritati coniuncta sit. Iustitiæ enim nõe scriptura intelligit uitam legi domini respondentem, & omniũ uirtutũ numero absolutam. Pro ouibus suis deus habet, quos ad id ipse elegerit, is dabit & se uicissim agnoscere atq; sequi, afflaturus eos suo spiritu, & sibi sanctificaturus, quos et ante mundi constitutionẽ elegit. Nec tamen ob hæc, neq; sancti coguntur ad pietatẽ, aut uoluntate sua carẽt, neq; reprobi habent quod deo suam impietatem imputent.

Pascua iustitiæ.

4 Nam & si ambulauero in medio umbræ mortis, non timebo mala: quoniã tu mecum es. Virga tua & baculus tuus: ipsa me consolata sunt.

Securitas ouium.

Summa securitas est ijs, qui restituto per fidem animo, in semitis iustitiæ gradiuntur: diligentibus enim eis domi num omnia bono eis esse oportet. Qui etiã si per mediã mortem eundum sit, nihil mali metuunt. Medium umbræ mortis sepulchrum dicit, intelligit aũt mortis quæcunq; pericula. Causam autem huius tantæ securitatis & confidentiæ subijcit, Quia tu mihi ades, id est mei curam sustines. Baculo enim tuo & pedo tuo me consolaris, tua deductio tuaq; pastoralis cura, ut per instrumentũ actionem intelligas, me custodiũt atq; deducunt. Hinc dicit se in quamlibet ancipiti periculo per illa consolari. Neq; enim sic ducit pastor deus, ut nihil metuendũ sit, et consolatio necessaria non sit: sed sic omnia attemperat, sic beneuolentiæ suæ, eos qui sibi fidunt, certos reddit, ut dũ cogitant sub quo pastore agant, dum baculi & sustentaculi uel uirgæ huius pastoris recordantur, ea illis accedat consolatio, ea spe erigantur, ut nihil periculi nõ contemnant, nullum infortunium non æqui consulant.

5 Parasti in conspectu meo mensam aduersus eos qui tribulant me. Impinguasti in oleo caput meũ (&) calix meus inebrians (quàm præclarus est?)

Copia rerum pro pijs.

Omnium rerum copia solidaq; felicitate inimicis hostibus abundare me facies. Ius regni nobis tribuit, ut edamus & bibamus super mensa dei, in regno pastoris huius Christi domini & saluatoris nostri. In lautioribus quoq; conuiuijs & unguenta olim adiungebantur in Palæstina, ideo & unguenti meminit. Porrò mensam parandam sibi canit in conspectu inimicorum, quæ felicitatis quædam & felicitatis amplificatio est, ut epulatus sit, & plene deliciaturus, uidentibus hostibus & inuidentibus, nec quicquã iam ualentibus lacessere. Quæ autem delitiæ conferri queant gaudio, quo fruitur animus, dei erga se fauore & cura ad ueritatem perfusus? Habitis enim fruitur, nulla re indiget, nihil de futurum timet, uniuersam creaturam uidet usibus suis inseruire, unde non potest non pleno gaudio & sempiterno perfrui.

6 & misericordia, (sed & bonitas) subsequetur me omnibus diebus uitæ meæ (Et) ut inhabitem in domo domini, in longitudinem dierum.

Mensa instructa post unguenti, & uini copiam dicta sunt.

Quæ allegoricôs iam per instructam mensam, delitias explicat, addens tantæ felicitatis perpetuitatem. Subsequetur, ait, id est prosequetur, felicitas, dei gratia ultro sequetur. Non tanto studio ipsi quærunt ut bene illis sit, quanto deus ut illis benefaciat: idq; non breui tempore aliquo, ut homines solent, sed omni æuo, quemadmodum & illi diuinæ se prouidentiæ nunquam subduxerunt, æternum in domo domini sedentes, hoc est inter oues eius, in ecclesia eius, fide syncera charitateq; sedula uitam degentes, hoc est plurimo tempore. Circa tabernaculum enim fœderis, ecclesiæ cõuenienti publice prædicabatur nomen domini, & discebatur lex dei, ubiq; & frequens aderat sacro cœtui pijssimus Dauid pro more piorum: id autem ut diu sibi liceret agere precatur, & spe certa futurum gloriatur, & gratias agit.

PSALMVS XXIIII.

Psalmus Dauid (prima sabbathi.)

In Hebræo de prima Sabbathi nihil dicitur, unde Græci retulerint incertum. Suspicio est cum tempore adiectum

stum esse à Græcis Iudæis, Psalmos dici quibusdam die-
bus ordinantibus olim: ut aperte conspiciatur, quæ ad ti
tulos in psalmorum toto libro pertinent adiectitia esse,
& temporanea ad libitum Iudæorum Græciam incolen
tibus, uel ea lingua in Syria utentibus, ante & post tem
pora Christi domini.

ARGVMENTVM. Laus dei est, ex loco delecto
sibi ad habitandū in templo cum fidelibus, cum exhorta
tione ad templi extructionem pro consolatione fidelium.

1 DOmini est terra, et plenitudo eius: orbis (terrarū) & (uniuersi) qui habitant in eo.

Omnis terra & quicquid ea continet, uniuersus orbis, & quicunq; in illo homines uiuunt, dñi dei sunt omniū conditoris et gubernatoris, qui ut omnia ex nihilo condidit, sic mirifice seruat, quando quidē tanta terrarū moles aquis, ut uidetur, nititur, nec tamen pro naturæ suæ ratione mergitur. Cum itaq; omnes mortales eius figmentum sint, non solus Israël, quàm stupenda est eius erga nos dignatio, ut nos peculiariter in suū populū inūq; medio nostri sedem sibi delegerit? Digne ergo humi liandi sunt principes in terra, scientes nō se dominos terræ esse, sed tantū colonos & subditos agricolas, et homium in terra pastores, sub unius ueri pastoris prouidentia & potentia: ne se ut ethnici reges, dominos hominū iactent, sed serui dei esse studeant. Non enim eorum est terra & plenitudo eius, quicquid scilicet in orbe terrarum habitat et continetur, sed DOMINI per antonomasiam & excellentiam unici & omnipotentis.

2 Quia ipse super maria fundauit eum: & super flumina præparauit eum.

Non super maria sed iuxta fundauit eam, id est firmiter cōstare iussit in medio mundi, ut in centro orbis, et receptaculo grauium ex omni latere contendentiū ad mesitillium, de cœlo ruentium, sicut omnia leuia illud fugere, & uersus cœlum recta contendere uisuntur ordinatione diuina, quam ubi uult mutare potest et infringere. Interim tamen mare terram ambit natura, sed domini uoluntate subintrat ad fœcundationē & operas. Flumina addit, quod cuncta è terra flumina ebulliant atq; distinguant nationes, & ornent mundum. Hoc miraculum etiam Iob eleganter concinit. Hæc autem sæpe cogitāda fidelibus, qui certo se sciunt contineri in manu domini. Multa reuerentia & obedientia tractandus est nauis gubernator ab his qui feruntur naui, qui tamen illos perdere non potest, nisi unà pereat et ipse. Deus autē nullo suo damno demergere potest aquis orbem, quē aquis insidentē unus sustentat, qui pugnātissimis nos elemētis cōpactos, subito euanescere faceret, nisi benigne seruaret.

3 Quis ascendet in montem domini? aut quis stabit in loco sancto eius?

Quis consistet in loco uerè sancto, & ex nomine eius augusto? ubi abest omnis peccati & miseriæ cōminatio, adest uero cum solida iustitia tum plena felicitas iustum diuinitatis consortium. In hunc siquidem montē uenient quicunq; ueri Iudæi sunt, & corda habent circumcisa. Nam mons Moria umbra erat quædam montis dei, & loci uerè sancti, in quē nemo nisi fide uera in deū peruenit: hac qui præditi sunt, montis huius inquilini erunt, & ciues, ubicunq; corpora agant. In his enim uerè deus præsens est, uiuit & agit, sunt enim soli & ueræ Israëlitæ.

4 Innocens manibus & mundo corde, qui non accepit in uano animam suam, nec iurauit in dolo (proximo suo.)

Purus manibus.

Responsio ad prædicta sequitur. Hominem, corde, ore & factis integrum describit. Nam purum manibus eum dicit, qui innocens factis & actionibus suis sit absq; labe prauitatis. Mundum uero corde, qui etiā nullum admittat in animam peruersum consilium aut affectum. Oris ueritatem sequentibus exprimit, non assumit ad uanitatem animā suam, uel meam, ut Iudæis uidetur, quanquam priscus legerit suā: ut sit sensus, Non iurauit falsum per animam suam, sed tam dexter sit et uerus, ut non solum per nomen dei uel etiam substantiam iuret, sed nec per suam quidem animam, quia omnino nolit fallere quenquam, tanta affectus pietate, ut cauere uelit & uitare, non solum opera uanitatis & doli, sed quoscunq; sermones inutiles, multo minus falso iurauerit per nomen domini. Hanc uero uirtutem insignem nemo habet, nisi qui dei numen ubiq; uerè præsens, & omnium esse iudicem agnouerit, id quod solis uerè credentibus datum est.

5 (Hic) accipiet benedictionem à domino, & misericordiam à deo salutari suo.

Dona dei electis.

Diuinis muneribus tam spiritualibus quàm corporalibus affatim perfruetur, & liberalitatem infinitæ bonitatis dei sentiet, qui uitæ inculpatæ studuerit, legiq; dei per omnia respondere conabitur. Neq; alijs deniq; dominus deus ipse saluator est: soli enim qui huiusmodi sunt uerè eius sunt populus, & fidem iustificantem ostendunt, & iusta opera secundum dei beneplacitum sectantem, illis debetur per dei clementiam & benedictio in cœlis, & iustitia in terris, à domino deo suo.

6 Hæc est generatio quærentiū eum, quærentium faciem (tuam) dei Iacob. Sela.

Quærentes deum.

Hæc est natio inquirens deum, eorū scilicet qui ipsius studio tenentur, qui colendi eius sunt soliciti, qui faciem eius inquirūt, hoc est anxie quærunt, ut ei placeant, semper cogitant se inspici et agnosci à deo omnia sua opera uel uerba & cogitationes: atq; hi demum uerè Iacob & Israël uocātur, quacunq; sint gente uel familia generati. Sela autem adiectū monet, ut idipsum probe perpendamus. Solos nempe dei studiosos, ueros filios Iacob, uerum dei populum haberi, neq; alios in montem dei peruenire quocunq; ex loco accedant. Nomine enim Iacob totus dei populus significatur, qui montis dei incolæ sunt, sancti corde, ore, factis, soliq; benedictione et saluatrice iustitia dei fruuntur, ut soli dei familia ueruśq; Iacob existunt. Id obseruent, qui cum Iudæis de carne & sanguine frustra gloriantur, & hi qui Christi se esse iactant, cum tamen nihil penitus Christi in uita sua præ se ferant, illis Christus dixit, esse eos ob facta sua filios diaboli.

7 Attollite portas principes uestras, & eleuamini portæ æternales: & introibit rex gloriæ.

Templum Salomonis nondum existens alloquitur, & hortatur ad extructionem, nomine portarum & forium usus figuraliter. O portæ, inquit, templi, attollite capita uestra, id est, extruimini ô fores, attollimini, id est, exurgite, ut inferatur per uos arca dei fœderis. Sempiternas uocat, quod intra templum arca iam fixa permansura erat, non ut antea de loco ad locum transferenda, quod dominus Dauidi promiserat, unde & locus uel domus sæculorum nominatur à Iudæis. Mutauerat antea locum à deserto, subinde in Galgala, Silo, Philistijm, Bethsemes, Cariathiarim, Obededom domum, inde in ciuitatem Dauid, unde in templum Salomonis. Causam cur deberet diligenter & cupide hæc dei domus extrui adiunxit, Ingredietur rex dominus scilicet deus, ad illic habitandum inter cherubim. Vocat autem arcam non raro dominum deum, hic autem regem, sicut in Iosue dominum unuersæ terræ, & 2. Regum 6. Cuius nomen uocatur nomen domini sabaoth: & in libro Numeri 7. Sic hic Dauid, ut plenius diuinæ præsentiæ beneficium explicaret, dicit, Ipsum dominum regem ingressurum, cum esset introducenda arca domini.

Loca arcæ domini.

8 Quis est iste rex gloriæ? dominus fortis & potens, dominus potens in prælio.

Vt præsentiam dei Dauid clarius exprimeret, subiunxit, uelut portarum interrogationem, Quis est iste rex ille gloriosus? hoc est, diuina maiestate uerendus. Huicq; respondet, Dominus fortis & potens, dominus prælior. Replicatio indicat admirationem deuotißimi animi, de tanta bonitate dei, qui tanta eum sui præsentia dignaretur. Sicut & Moses. Quæ gens tam præstans est, cui ita dij sui adsunt, uti adest nobis dominus deus noster, quando quidem eum inuocamus? Interim refricare uoluit memoriam tam multorum insignium miraculorum, quibus dominus hostes Israëlis deiecit & perdidit, bonisq; illorũ ipsum frui dedit, tandemq; deuictis cunctis hostibus finitimis & subiectis celsiorem uniuersis regnis effecerat.

9 Attollite portas principes uestras, & eleuamini portæ æternales: & introibit rex gloriæ.

10 Quis est iste rex gloriæ? dominus uirtutũ ipse est rex gloriæ. Sela.

Repetitio duorum uersuum testatur ingens studium Dauidis ad ædificandum domum domini, pro qua præparauit immensam materiam auri, argenti, ferri, lignorum: simul quoque delegit opifices & operis curatores: tum uasorum omnium formam, modum & pondus, ut à domino acceperat, filio tradidit, obtestatus principes & populum, ut filio Salomoni ad tantum opus optima fide adessent. Propterea hic secundo portas alloquitur ad idem, ubi tamen obmisit, Fortis & dominus potens, & dixit pro eo, Zabaoth, quia regnante filio, & extruente templum omnia iam bella confecta essent, & pax reddita Israëli patribus promissa. Verum non minus Dauid quàm Salomon nouerat, ne cœlis quidem dominum posse complecti, nullumq; deo gratius esse templum, quàm quod fide constat sanctorum, & hæc è uerbo dei nascitur, & alitur, ceremonijsq; à deo datis, eo loci, quo cum reuerentia accedendum erat populo, ad studium uerbi requirendum. Exaggerationem diuinæ gloriæ & uniuersalis prouidentiæ significat adiunctum fini סלה. Summa quoque salutis est, deum ex toto corde diligere, quæ dilectio uitam ad uoluntatem dei totam formar. Quare quæ huc nihil conferunt, & ad promouenda hæc nullum momentum habẽt, aliena debent esse ab usu ecclesiæ Christi, de quibus iamdudum fuerãt multa cogitanda episcopis.

Ædificatio templi pro cultu dei.

PSALMVS XXV.

(Psalmus) Dauid.

In Hebræo, Dauidi tantum scribitur, in moderniorib⁹ exemplaribus. Non dubium quin priscus interpres multis in locis aliter legerit quàm nunc Iudæi loquantur & scribant.

ARGVMENTVM. Generalis oratio ad dominum, & confessio peccatorum.

1 AD te domine leuaui animã meam:

Hic primus psalmus est eorum, quorum uersus à literis iuxta ordinem alphabeti incipiunt, desunt tamen Beth & Vau, & Kuph, incipiunt autem duo uicißim uersus in ו & duo in ק. Causam huiusmodi Alphabetorum Iudæi non reddunt. Voluntas prophetæ fuit, sicut Sedulij & aliorum. Quando quidem nec uir bonus, multo minus deus deserere potest in se cõfidentes, ideo primum meminit fiduciæ in deum, maximam omnium precationũ. Ad te, inquit, animum meum attollo, ad te unum aspicio, tibi uni animã meam offero. In cœlos enim ut oculos ita animum quoq; seruo inuocantes sustollunt, deoq; se totos cõsecrant qui uere orant, & ex animo, quos solos deus respicere solet, & quorum fide ac fiducia delectatur, non eos qui cum dicant, Domine domine, factis tamen ostendunt longe secorde remotos à domino, qui sibi cor tantum uendicare consueuit & animum.

Alphabetica psalmi.

2 deus meus in te confido nõ erubescam. Neque irrideant me inimici mei:

Deus meus es tu, te solo nitor, cui me totum contradidi. Hæc omnia seruator noster hac una uocula, Pater noster, in sua precatione complexus est. Memorantur autem huiusmodi à precantibus, non ut eorum deum admoneant, quem nihil latet, & qui à proposito suo moueri nequit, sed ut inde sibijpsis spem exorandi quod oportet, roborent. Denique non nisi nostro more dominum alloquimur. Deprecatur pudefieri: synceriter sperãs in deum: & exultare de malo suo hostes egerrime ferre potest, quod utrunq; diuinæ gloriæ derogat, & offendumtur infirmiores in fide, si malorum & incredulorum libidini sancti exponantur, qui à deo pendent.

3 etenim uniuersi qui sustinent te, nõ confundentur. Confundantur (omnes) iniqua agentes superuacue.

Orat pro omnibus qui cum ipso deum expectant, hoc est ab ipso omnia expectant, eiusq; uelut nutus & ordinationem deuote suspiciunt. Hos opponit præuaricatoribus,

Vota sanctorum.

tibus, qui à deo deficiunt, scelerate ac perfide agunt. Nam ut omnium deum uerè colentium eadem uota sunt, eadem studia, ut nomen domini sanctificetur, & regnũ eius amplietur: ita feruntur in diuersum consilia & conatus impiorum, quorum orat frustrari pudefieriq; conatus, contra deum & cultores suos.

4 **Vias tuas domine demonstra mihi (&) semitas tuas edoce me.**

Cum quisq; ita ut persuasus est sibi conducere & optimum esse uiuit, rectè ante omnia orat, ut se dominus uias suas doceat, instituti scilicet uitæq; rationem ipsi probatam: quoq; magis ostendat quicquid huiusmodi est dominum dei esse, etiam deduci ac dirigi se orat, numirũ ut in uia recta quam & notam fieri sibi precatur inoffense & laudabiliter ingrediatur, ad omnem suam sacrosanctam uoluntatem ac legem assuefactus & expeditus.

5 **Dirige me in ueritate tua, & doce me: quia tu es deus saluator meus (&) te sustinui tota die.**

Simile est ei quod dicitur, Deduc me domine in iustitia tua. Nam & iustitiæ ueritatis uel fidei nomine ea uita significatur, qua iuste & fideliter, nempe ut decet, & è re est proximorum uiuitur. Solet autem in Psalmis præcipue ueritas uel fides cum benignitate & commoditate coniungi אמת cum חסד. Etenim qui hominem se profitetur, simul commode & humaniter agere cum quibusuis & quos posit iuuare pollicetur. Si igitur uerus & fidelis quisp̃iam esse conetur, huic suæ professioni, et aliorum de se expectationi studebit satisfacere, eoq; ex fide & quàm benignissime agere cum omnibus operam dabit. A domino est autem hæc fides iustitia & bonitas. Postulat itaq; substantiã & radicẽ pietatis, nempe perdere à deo, omnia cum interna tum externa à deo expectare. Hoc ipsissimum est semen dei, propriaq; filiorum regni nota, & ab alijs discrimen.

6 **Reminiscere miserationum tuarum domine, & misericordiarum tuarum quæ à seculo sunt.**

Semper sanctis dum orant ad dominum, in primis occurrunt propria sua peccata, pro quibus statim ex corde uenam precantur, & timent ingrati domino supplicare: admonentq; semetipsos inter orandum, ut peccatis abstineant, & nõ antea pro alijs orare præsumũt, quàm dei gratiam ardenter pro se fuerint deprecati: nulla sua interim merita occurrunt, quæ & nulla æstimant, dum coram deo orant, sed solam dei bonitatem appellant, quam certi credunt, per quam & saluantur iustificati. Longe aliter animati tales, quàm hypocritæ, qui de propriis meritis sibi eatenus placent, ut etiam alijs uendere non dubitent.

7 **Delicta iuuentutis meæ, & ignorantias meas ne memineris. Secundum misericordiam tuam memento mei tu, propter bonitatem tuam domine.**

Primum autem memorat peccata adolescentiæ, in hac enim ætate carnis cupiditas ualidior est, & adeo hominem raptat, ut gustũ sapientiæ & recti iudicij perpauci consequi queant, & ferè tunc omnia pro prauis naturæ affectibus gerant. Iungit quoq; משעים sceleratos, quæ pleniore iam ueri cognitione & cõsummatiore dei contemptu admittantur, in quæ tamen etiam nonnunquam sancti prolabuntur. Ardet prophetæ affectus & in eo quod dicit, Memor sis mei tu propter bonitatem tuam, ô domine. Obseruandum est autem semper, ut omina Dauid à dei tantum bonitate expectet, nihil à suis meritis.

Bonitas dei.

8 **Dulcis & rectus dominus: propter hoc legem dabit delinquentibus in uia.**

Bonitatem dei fusius prædicat, simul quoque docet conditiones legitime precandi, sedulo scilicet considerare domini bonitatem, ut ardentius & maiori fiducia oretur, & precantem consoletur fiducia exauditionis. Bonus & æquus est dominus, propterea docebit peccatores uiam utiq; rectam. Docetq; deus sua bonitate homines orantes, ut conentur sibi fieri similes, ut et ipsi boni, id est, benigni, clementes, & tractabiles fiant & recti, ut alteri nolint inferre, quæ ab alijs nolint pati: hoc est enim æquum esse, auersari quoque impios, qui ad dominum conuerti nolint, clementiam præstare pijs & indulgentiam, si instituant meliora.

Mansueti.

9 **Diriget mãsuetos in iudicio: docebit mites uias suas.**

Hi mansueti sunt pauperes illi spiritu, quos dominus beatos, & eorum esse regnum cœlorum pronuntiauit, quibus & Euangelium annuntiandum ab Isaia prædicitur, quibus sua mala displicẽt, qui iustitiæ sitim habent, seseq; abnegantes cruci Christi sese subiecerunt. Hi illi peccatores sunt, propter quos saluandos Christus uenit. Hos ergo docet uiam suam, hos dirigit in iudicio suo, ut iuste uiuant.

Via dei requirenda.

10 **Vniuersæ uiæ domini misericordia & ueritas requirentibus testamentum eius, & testimonia eius.**

Quicquid præcipit deus, nihil nisi benignitas est & fides: nam ea tantũ à nobis requirit, quæ nobis saluti sunt, et beatos reddunt. Quare nihil sui quærit in his quæ nobis præcipit, sed tantũ ut nobiscum benigne & ex fide optima agat. Hinc Christus ad se inuitans, quietẽ animabus pollicitus est, & onus suum leue, iugum commodum dixit, mites esse hortatur, fideles & humiles corde, utq; de proximis bene sentiamus, & ubi possumus benefaciamus, de nobisipsis autem humiliter & modeste iudicemus. Sic benignitas ad proximum nobis necessaria est, ueritas autem & fides ad dominum. Hæ sunt uiæ domini, quas ingredientes custodiunt fœdus domini, & assequuntur illius promissa, quæ illis contestatus est.

11 **Propter nomen tuum domine, & propitiaberis peccato meo: multum est enim.**

Maior quidem est iniquitas mea, quàm ut quibuscunque meritis meis, & perfectis operibus rependi aut repurgari posit: nihil tale etiam meditor uel propono, sed bonitatem tuam unicam & sacrosanctam imploro, ad eam appello, de illa confido, propter eam oro remittas & indulgeas peccata mea, propter nomẽ tuum, quia bonus es & diceris. Magna est enim transgressio mea, et

simul multa complectitur crimina, ut solet peccatũ admissum mox suo pondere protrudere ad grauiora.

12 **Quis est homo qui timet dominum? legem statuit ei in uia quam elegit.**

Exclamationem habet hic uersus, natam ex consideratione eius, quod mera bonitas & fides dei propensa in nos est, eoq; certa nostra felicitas, quicquid deus nobis præcipit si id obseruemus. Hoc enim perpendens, & suam simul prauitatem, omnis miseriæ parentem considerans, exclamare coactus est: Quis nam ille uir? quàm felix, quàm beatus est, qui dominum timet, studiose colit Timor dei. *in uijs eius gradiens? Mox uero per partes explicat timentis deum felicitatem, quam admiratur, & ob quam exclamat. Et primo, Quia docebit eum dominus uiam optimam ac electam, quæ dño magis probetur. A cognitione enim initiũ fit rectæ & beatæ uitæ quæ per fidem uerborũ dei concipitur & solida persuasione ueritatis.*

13 **Anima eius in bonis demorabitur: & semen eius hæreditabit terram.**

Conscientia quieta. *Proximum post fidem est, quieta conscientia commorari in bono, sapientum admonitioni auscultare, quod est pro uoto bonis spiritualibus perfrui. Iudæi interpretantur de quiete beatorum post mortem, ad quod eos inuitat, id quod sequitur: Et posteri eorum hæreditabunt terram. Vt & illi feliciter uiuant cum sanctis in sæculo animarum: quanquam in præsenti quoq; tempore fides in deum quietos reddat, & in protectione dei cœli commorantes, nullis afficiuntur uel uincuntur aduersis. Et posteritas non degenerans à patrum fide similia sentiet, si scilicet pietatem patrum imitati, ante omnia de regno & iustitia dei fuerint soliciti. Illi enim digni & felices rerum suarum domini erunt, discunt quoq; habitis contenti esse, abundare atque penuriam pati, ut sint diuites rebus & spiritu, de bona domini circa se uoluntate persuasi, quẽ nosse & timere uera felicitas est.*

14 **Firmamentum est dominus** (*secretum domini*) **timentibus eum: & testamentũ ipsius ut manifestetur illis.**

Secretum quidem Hebræi transferunt, quod dominus amicis suis patefacere dignatur, quod carni & sanguini non reuelatur, sed tantum electis. Verum æque dici po-

Fides deo agglutinat. *test Fundamentum ac firmamentum. Per fidem enim et commorationem prædictam, domino sic agglutinantur fideles, ut ab illo separari nequeant, in quo solidantur & confirmantur in conscientijs suis, & certi sunt de sua salute & gratia dei in præsenti & futuro. Idipsum quoq; agnoscunt & seruant fœdus quod suis fidelibus pangit, nempe ut sciant ipsum patrem esse uelle, ut uicissim se illi committant in filios. Nihil itaq; dei norunt, nec scientiã pietatis iactare possunt, qui ad beneplacitũ dei non sunt soliciti. Fœdus suum dominus notum facit eis, qui se timent & colunt.*

15 **Oculi mei semper ad dominum: quoniã ipse euellet de laqueo pedes meos.**

Non sine flagrantis affectus nota addit, Oculi mei semper ad dominum suspiciunt. Eò nanq; unde afflicti salutem expectamus manus & oculos tendimus. De quo o-

rantium gestu & affectu pij non nihil curant, sed in usu habent sine hypocrisi: nihil enim spectant præter domini fauorem, cui sese totos committunt. Ipse est enim qui pedes illorum eximit de tenaculis peruersæ cupiditatis & scientiæ, de omni mala suggestione fomitis, etiam ab hostium insidijs & persecutionibus eripit. Deum nisi certe.

16 **Respice in me & miserere mei: quia unicus & pauper sum ego.**

Non dubitat orare dominũ pro gratia & salute, semper tamen memor peccatorum, pro quibus indulgentiam precatur & misericordiam, sese q; desertum queritur ab omnibus qui succurrere possint, nec superesse sibi præsidium aliud, quàm bonitatis diuinæ fiduciam, quod unicus sit, & uehementer afflictus, uel etiã humiliatus, ad quales dominus respicere clementer consueuerit. Talem aũt se confitetur rex Dauid, magnus quidem & fortis, sed calamitatibus & peccatis redactus fuerat ad humilitatem mentis, & suam coram deo agnouit miseriam et pauperatem, in quo & domino maxime complacuit.

17 **Tribulationes cordis mei multiplicatæ** (*dilatatæ*) **sunt: de necessitatibus meis erue me.**

Tribulationes & angores cordis mei distentæ sunt, & multiplicatæ. Quaquauersum respicio, omnia plena sunt malis quæ patior, & tanta aduersa peccatis meis merui, ut tu uel solus nosti: nõ tamen desspero, scicns bonitatem tuã: ideo precor, ut eruas me de arctissimis istis angustijs meis, & coartationibus hostium, quos tu mihi immisisti ad exercitium, quibus tamen non patieris me frangi, uel perire, sed erues me à malis omnibus. Plena malis omnia.

18 **Vide humilitatẽ meam & laborem meũ: & dimitte uniuersa delicta mea.**

Gemminatio est ad prædicta, ut intueatur elementer afflictionem, quæ operatur humiliationem, omnes molestias quas patitur, ac laborem, deprecando extrema mala & externa, quæ se meruisse ob peccata agnoscat, quæ sibi non citius abfutura credat, quàm peccatorum remissionem fuerit consecutus. Vt enim timentes dominũ bonis maximis perfruuntur, et animus semper gaudet in oĩbus bonis: sic peccator solet multis aduersis exerceri, & à peccatis depelli, si fuerit ex electis. Castigat enim deus quos diligit, ne cum reliquo mundo damnentur.

19 **Respice inimicos meos, quoniam multiplicati sunt, & odio iniquo oderunt me.**

Non dubitat se deo charum esse uerè fidelis, inimicos autẽ suos maligne instigari ad inferendum malum, ideo non dubitat quoq; precari deum, ut sese aspiciat, hoc est declaret se uidere piorum humilem tolerantiam, similiter & hostium procacitatem, utq; ipsos liberet, illos uero perdat. Quod aũt ait, odio iniquo se odiri, implacabilem eorum notat truculentiam, quæ nullis possit humanis beneficijs emolliri, sed semper crescat, etiam ex acceptis beneficijs et tolerantia piorum. Solent enim uere impij in impietate semper proficere, & malis rependere bona, nec ob peccata odire quoscunq;, sed ob probitatem. Si enim de mundo pij essent, mundus quod suum Truculentia. *esset diligeret, nunc autem odit fideles mundus.*

Custodi

20 Custodi animam meam & erue me: non erubescam, quoniam speraui in te.

Serua uitam meam, de hac enim inter inique me odientes, ut nosti periclitor. Non me ultra ô deus permittas impijs, sic mergi sinas ut emergere liceat, ne confundar ab expectatione mea, sed ab ipsis oppressoribus consolationem accipiam, per quos tu me erudis & exercitas, qui non tibi fide & cordis deuotione iunguntur, ut ego, quamlibet multũ peccauerim contra te, non enim decidi a fiducia in tuam clementiam, sed cupio tibi uehementer probari in alijs, cum hostes illi mei de tuo fauore & gratia nihil cogitent, sed irrideant magis, nec propter peccata mea me persequantur, sed ex odio iniquo & mera malitia. Adsis igitur mihi, & deijce illos non tam meos quàm tuos hostes. Etsi enim probe meruerim quæ illi mihi inferunt mala, at interim etiam illos considera, ut sæuienti odio nihil à me læsi me persequuntur, eoq; non tuæ gloriæ, sed suæ libidini inseruiunt. Animam ergo meã te timentis ne sinas pudefieri, in te enim omne præsidium meum collocaui, cum isti te contemnant, & suis confidant uiribus.

21 Innocentes & recti adhæserũt mihi: quia sustinui te.

Pro integritate innocentia et rectitudine priscus transtulit: Innocentes & recti adhæserunt mihi. Synceritas enim & recti studium præcipuæ partes sunt salutis nostræ, sed non nisi dei dono habentur. Recti autem dicuntur, qui nihil à iustitiæ æquilibrio uariant, dum agunt cum proximis, & tales se alijs exhibent, quales alios exhiberi sibi optant. Qui uiuere alijs non sibi cupiunt tantum, non solum sua sed quæ sunt aliorum quoq; quærere fideliter annituntur, innocẽtes ac omnis doli expertes, simplices, non præfracti quomodocunq;. Ideo autem talis esse cupio, & socios tales eligo, ut ab eis proficiam, quia totus ex te pendeo, in te solum confido, tuam de me prouidentiam & ordinem expecto, patienter laturus, quæ in mihi aduersa portanda iniunxeris.

22 Libera deus, Israël, ex omnibus tribulationibus suis.

Hæc plena fiduciæ precatiuncula est, conclusionis loco adiecta, & uelut summa orationis, quam omnes quotidie electi Israëlitæ orant, imò congemiscunt etiam cæteræ creaturæ, ut solida tandem fiat electorum redemptio, ut tam peccatis careant quàm peccatorum pœnis. Quare quandocunq; pijs hoĩbus calamitates huiusmodi incidunt, dupliciter eis usui erunt: mortis enim admonent, in qua hæremus filij Adam, & occasionẽ offerunt orandi dominũ, ut tandem saluator aduenial, & corpori glorioso suo nostrũ humile & caducũ conformet, extincto omni peccato, quo cum & mors simul extinguetur.

PSALMVS XXVI.

(In finem Psalmus) Dauid.

In Hebræo priscus interpres addidit, In finem Psalmus, ne in titulorum inquisitionibus plus æquo simus curiosi ac diligentes.

ARGVMENTVM. Oratio est patientis propter iustitiam.

1 IVdica me dñe, quoniam ego in innocẽtia mea ingressus sum: & in dño sperans nõ infirmabor.

Quanquam non ignorem seueritatẽ iusti iudicij tui ô domine, apud quod non iustificatur omnis caro, ideoq; subterfugere si quis posset tutius tentaret. Verum cum non id liceat, bene mecum agitur, quod non ignoro bonitatem tuam, & infinitam clementiã, quo fit ut iudicium tuum malim subire quàm hominũ quorumcunq;, maxime autem impiorũ. Tu ergo me iudica, qui nosti synceritatem meam, hoc est omnis doli uacuitatem, & proprij amoris reiectionem. Tu pro me pronuntia, qui me totum tibi concredidi, præter te unum nihil appretior. Tota autem fiducia tibi inhæreo, certus quod nõ sines me collabi uel infirmari, nec fide uera quam dedisti excidere sines, qua sola salua iustificabor in conspectu tuo, & à peccatis non uincar. Iudicium dei non hominum.

2 Proba me domine & tenta me: ure renes meos & cor meum.

Tu agnitor cordis & renum, cuius omniscientiam effugere non possum, qui antequam nascerer imò ante mundi constitutionem, non me ignorasti, nihilq; de nouo discere potes, tuæ tamen me exercitationi eatenus commendo, ut simul gratiã des persistendi in tentationibus. Tenta me, sed cum clementia tua, ut pater filium, magister discipulum, ut ad profectũ meum utar donis tuis, faciasq; cum tentatione prouentum, ut ualeam sustinere, non me inducẽdo in tentationes, quibus succumbam, sed unde proficiam in gloriã tuam. Vre renes meos: si quid intra conscientiæ uiscera improbũ conspiciunt oculi tui, exure emunda et perfice de me tuam gloriam. Affectiones deniq; & omnes cogitatus meos eatenus examina, ut quotidie melior & in amore tuo euadam feruentior. Cordis agnitio.

3 Quoniam misericordia tua ante oculos meos est: & complacui in ueritate tua.

Beneficentiæ tuæ immensitas ad omnes homines, maxime autem ad me, semper impressa hæret cordi & conscientiæ meæ, cupioq; ut filius tuus imitari pro uiribus, si quid boni cuiquam impendere ualeo. Sed & in eam dirigo semper omnem spei meæ fiduciã: ut nunquam cessaturus sis benefacere mihi seruo tuo, egoq; curam assumam sumopere cauendi omnem offensam tuam: & in ueritate uel fide tua pergẽdo semper promouere cupio, ut cum sine te uiuere non ualeam, secundũ te posim uiuere, fide tibi perfecta inhærendo, proximis aũt secundum tuum præceptum benefaciendo, ut nec tuum in his iudicium timere cogar, qui promisisti non aliter te animatũ ad nos, quàm proximo nostro tua causa nos simus. Dei beneficentia.

4 Non sedi cum concilio uanitatis, & cum iniqua gerentibus non introibo.

Vanitatis doli noxæ & improbitatis societatem fugisse se canit, non hominum ne mundum ipsum egredi cogatur. Eatenus fugit pius malorum conuictũ et uitiorum contagia, ut tamen nihil neget illis eorum quibus iuuari posint ad bonum: non consentit ipsorum tractatibus impijs, non se criminis persuasione sinit deprauari. Et cum dissimulatoribus fucatis ac uersutis iniqua gerentibus in occulto non imibo societatem, non conuer Societas impiorum.

ſor, auerſabor potius, & piorum me affectibus & familiaritati inſinuabo, tuamq; proſequar uoluntatem.

5 Odiui eccleſiam malignantium: & cum impijs non ſedebo.

Eccleſia malignantium.

Improborum cœtum et omnia perperam agentiũ abominabor, qui uanitate doloq; nocendi, dei timore deſtituti omnibus imponere ſtudent, hos odiui ex animo: conſilijs ipſorum non ero particeps, non conſentiam cum improba multitudine, ne pariter inuoluar iuſto iudicio iræ tuæ, ne pœnas ferã iniquæ ſocietatis, quam deus ſemper prohibuit ſuis fidelibus & cultoribus, facile ſciens innocentem cum improbis labefactari, non æque impios facile emendari conſortio piorum.

6 Lauabo inter innocentes manus meas: & circundabo altare tuum domine,

Cecinit ut ſe ſubduxerit hic, quomodo ſe iunxerit bonis, ſynceraq; religone deũ coluerit. Cum uero conueniunt boni, cupidè & magno ſtudio dei bonitatẽ mutuum deprædicant, & inculcant, ac uelut renouãt fœdus quod habent cum domino, ut diligant deũ toto corde, & proximum ſicut ſeipſos. Olim id fiebat ceremonijs multis, utpote in craſſiore populo, ſacrificijs & feſtis: nos in lo cum omnium unam habemus Euchariſtiam, ut ampliori ſpiritu donati, & iam non amplius pueri in ſpiritu & ueritate dominũ colamus. Lauare autem manus, eſt uel omnem externã uitam puram exhibere domino, quod ue terum baptiſmata ſignabãt: uel in oratione ſic manus in cœlum attollere, ut minime contaminatæ reijciantur à dño, innoxiorũ ſanguine contaminatæ. Circundare aũt altare dñi, olim erat ſacrificijs quotidianis teſtari fidem: nobis aũt ſpiritualẽ dei cultũ ſectantibus, omnia eò referenda ſunt, ut totius uitæ noſtræ integritas ꝓmoueatur.

Fœderis cũ deo renouatio.

7 Vt audiam uocem laudis tuæ & enarrem uniuerſa mirabilia tua.

Prædicatio diuini nominis & beneplaciti, exhortatioq; ad uirtutes ueras, primariũ in omni ſacro cœtu locum habeat. Proficit enim non parum audire laudes diuinas quæ nobis & patribus beneficia fecerit, pro quibus gratitudinẽ obligemur, in quibus illi uiciſſim gratificari obligemur: ad id ueteres pſalmos dicere uictorias, uirtutes, famam quoq; honeſtæ gloriæ canere, & ex illis commoueri ad pietatem & uirtutes eximias tandiu cœperant, quouſq; in nauſeam & morem inſipidum degenerauit, & in quæſtum abominabilem, tandem quoq; in leuitates & ſæcularia gaudia. Præſtaret in his prouide diſponere, & ne quid nimis tentatum, citius reijciatur cum confuſione eccleſiæ & impiorum cachinnis. Sacra enim ſacre & religioſe tractanda ſunt, nõ eſt onerandа eccleſia ceremonijs: ſed nec omnino talibus carere poteſt. Habeatur ergo ratio perſonarum locorum & cauſarum, & curetur ne quid minus, ne quid quoque nimis.

Laus dei in eccleſia.

8 Domine dilexi decorem domus tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ.

Eccleſię cœtus ſacer.

Qui deum ex animo colit, nuſquam libentius eſt, quã ubi eundem colentes conueniunt, & apud quos cum fructu dei gloriã promouere poteſt. Dauid ſciebat ꝓmiſſionem dei de exauditione orationũ in tabernaculo domini, ibi delitiæ eius erant, ibi adorabat dominũ in ſpiritu & ueritate, ibi æſtus tentationũ effundebat, ibi ſpiritualiũ delitiarũ locus, ibi ſedebat coram dño oracula ad ſe dei ſuſcipiebat, ſoliloquijs utebatur cũ dño, cui dilectus erat, quia electus, ibi admirabatur dei præſentis gratiam, illi placere cupiebat per oĩa, quicquid pretioſum elegãs & amabile fuerat aſſecutus, totũ in gloriã dñi obtulit, ad decorem illius domus, in qua dñs ſeſe habitaturũ ꝓmiſerat.

9 Ne perdas cum impijs animam meam: cum uiris ſanguinum uitam meam:

Non raro אסף perdere ſignificat uel finire, ſicut colliguntur quæ auferri debent uel cõflagrari. Deprecatur iudicium ſui cum impijs experiri, ſicut & conſortiũ illorum abhorrebat, iureq; precatur cum religioſis & pijs, cultui dei deditis, ne ſe cum ſceleratis abſumat ac perdat. Viri ſanguinũ dicuntur, dediti cædibus, crudeles, ad perdendũ tamũ innoxios inclinati, ſi quis illorũ effectibus obſtare uelit. Cum talibus orat non cõputari, nec perire illorũ iudicio. Reuera enim perdẽdi ſunt impij in deũ & peccatores, contẽptores legis dei et ſanguinarij.

Viri ſanguinum.

10 In quorũ manibus iniquitates ſunt: dextera eorum repleta eſt muneribus.

Nec ſoli perdendi ſunt, de quibus iam dictum eſt, ſed etiam hi qui ad gratiam iudicant, qui dicũt malum bonũ, & bonum malum, qui iniquis contractibus proximo iniuriantur. Id autem fit multis modis, quorum unus dominо abominabilis declaratur tota lege, auiditas capiendorum munerum, quibus iudicia uenduntur, hi computantur digne cũ his qui nihil moliuntur niſi ſcelus, uerſutiam, fallaciam, calumniã. Omnia hæc poterit agere, qui admirator eſt munerum, quæſtum is ſectatturus eſt, non ueritatem uel iuſtitiam.

Ad gratiam iudicare.

11 Ego autem in innocentia mea ingreſſus ſum: redime me, & miſerere mei.

Profeſſionem innocentiæ repetit & religionis, indeq; orat, ut ſe deus à malis quæ iure immineant reprobis redimat, idq; ſperare non ceſſat unquam. Annititurq; contiuuis precibus obtinere, ut innocentiam tueri poſſit in ſe & ſubditis, piè et iuſtè uiuendo, per gratiã dei, quam toties ſibi affuiſſe expertus eſt. In qua dum quotidie tentatur, non ſine periculo, etiam ſine intermiſſione orat, ut redimatur à domino, quandoquidẽ proprijs uiribus ſeſe continere non ualeat, & miſereatur ſui, nõ tam pro admiſſis peccatis quàm ne committantur, quod felicior remedemptio ſit præuenire anguſtias, quàm conſolari anxiũ, à lapſu præſeruare quàm eleuare iacentem.

Innocentia tueri.

12 Pes meus ſtetit in directo: in eccleſijs benedicam te domine.

Pes meus per tuũ auxiliũ ſtetit in directo, in plano tutoq; conſiſtit, ubi nulla ſit cauſa lapſus, nihil expectatur incõmodi: qui certè eſt fides eccleſiæ et uera religio, piorum conſortiũ & congregatio, quã tuetur deus, foueq; ut ſponſam: in uia ſcilicet dei, hoc eſt, mandatorũ eius, in lege domini, in qua qui pedem fixerit labi non poterit. In eccleſijs autẽ laudandus eſt dñs, corde, ore, opere, ſine lingua & manu prædicanda ſunt magnalia eius, et præceptа quæ dedit ad noſtram ſalutẽ. Hinc amor dei naſcitur, dilectio, & alitur,

Laudare deum in eccleſia.

& aliter, qui fons est omnium uirtutum, sed absq; uita deo digna nomẽ dei potius uituperatur quã prædicatur: ficue & uerbis sine mente fusis, & ceremonijs solis: stipis aut publici moris, uel deniq; suijpsius commodi gratia adhibitis, deus irridetur, non laudatur.

PSALMVS XXVII.

(Psalmus) Dauid (priusquam liniretur.)

Priscus addit, Psalmus Dauid priusquam liniretur. Quod quis addiderit dominus uiderit. Fortasis linitionem intellexit eam, qua ultimo unctus est in regem, post tot exantlatas angustias Dauid.

ARGVMENTVM. Consolatio post magna periricula superata & uictorias, post deuictos hostes gratiarumactio, & fidei confirmatio.

1 DOminus illuminatio mea, & salus mea: quem timebo? Dominus protector uitæ meæ: à quo trepidabo?

In magno discrimine deprehensus animat ac consolatur seipsum, & in spem erigit consideratione dei succurrentis, & salutem pollicentis, dicendo: O domine lux mea, & si omnia quæ mihi aduersa occurrunt mortis tenebræ mentiuntur, dominus tamen deus is est, qui è multis grauibus me periculis eripuit, et ueluti iam nocte immittente in lucem restituit, salutemq; tulit: ille et modo mihi adest, quem ergo nunc timerem? ipse robur uitæ meæ hactenus fuit, neq; modo me deseret, à quo trepidarem? ille me illuminat & saluat, recedant ergo tenebræ et infirmitas: ambulans in lumine firmus, quem timebo? Non enim talem salutem dat deus, quæ ab aliquo possit extorqueri, aut tale lumen est, quod ab aliquo possit obtenebrari. Dominus repellit omnes impetus & insidias hostis mei, à nullo igitur trepidabo. Quanta autem fiducia hæc dicere potentis? Protegitur imperator à scutatis & non timet, nempe mortalis à mortalibus, quomodo ergo timebit mortalis ab immortali protectus?

2 Dum appropiant super me nocentes, ut edant carnes meas: Qui tribulant me inimici mei, ipsi infirmati sunt & ceciderunt.

Dum accedunt & inimici sunt hostiles exercitus, qui uorare carnem meam moliuntur: sed ante hac nõ minora pericula me comprehenderunt, non minore truculentia sæpe iam mihi bellum hostes mei mouerunt, sed impegerunt omnes & ceciderunt, succesit nulli. Mutasti enim me in melius, ut dente maledico non me consumant, sed potius occasionem præbeant humiliandi carnem meam. Non solum qui me tribulant amico animo reprehendentes, & à malo quandoq; proposito reuocantes, sed etiã inimici mei, dum id agunt studio defendendi errores suos, infirmati sunt ad credenda meliora, et uerbum ueritatis odisse cœperunt.

3 Si consistant aduersum me castra: nõ timebit cor meum. Si exurgat aduersum me prælium: in hoc ego sperabo:

Castra quidem hostium munita sunt, sed quid munitius diuina potentia mihi assistentis? Si igitur contradicentium et persequentium ueritatem conspirans multitudo aduersum me consistat non timebit cor meũ, ut illis consentiens in illorũ partes concedã. Si exurgat in me persecutio huius sæculi, in dño figam spem meã, in infallibilis uerbi sui ueritate promissisq; solabor. Si enim dñs pro nobis, quis cõtra nos? Si ueritas stat à parte nostra, quid contra nos poterit cæca & imbecillis falsitas & perfidia?

4 Vnam petij à domino, hãc requiram: ut inhabitem in domo domini omnibus diebus uitæ meæ, Vt uideam uoluntatem domini, & uisitem templum eius.

Vnum id quod petierat à domino, quid aliud esse poterat, quàm ut dominus perseueraret esse deus populi sui Israël? & ut ipse satur uitæ successorem regni ex se uideret pium, quiq; uerũ dei cultum extructo templo instauraret, nõ obliteraret. Semper igitur quantumlibet multa grauiaq; pateretur, semper in mentem sibi uenit spes & fiducia, non posse aliter rem cadere q̃ ut dominus erat pollicitus, ut scilicet liceret sedere sibi in domo domini, cunctis diebus uitæ suæ, securus hostium, & tranquillus in regno, ut quotidie adesse posit domui domini, mira dei magnalia circa se & suos consideraturus, et quæ magnifica sibi ꝓmisisset de posteritate sua muestigaturus. Vt uideam uoluntatem domini, religiose transtulit priscus, intelligens beneplacentem sibi & à se institutũ cultum in tabernaculo fœderis, & non alium, quæ summa erat sanctis iucunditas et exultatio, colere deum eo modo qui sibi non ingratus esset. Visitare autem templum, est perscrutari & admirari prophetica ac diuina iudicia ac beneficia super se & populum dei. Vt discamus ad quid sint instituti cœtus illi ecclesiastici, nempe ut dei opera & iudicia religiosissime consideremus, et perueſtigemus, unde fides & amor dei efficax plantentur, & beata semper incrementa suscipiant. Visitare templum.

5 Quoniam abscondit me in tabernaculo suo: in die malorũ protexit me in abscondito tabernaculi sui. In petra exaltauit me:

Hinc est mea fiducia, ex qua dixi me neminem formidaturum. Scio enim quod abscondet me in die malo, cum maxime desæuient contra me hostes, uelut in latibulo tentorij sui, quo nullus illorum peruenire poterit, in rupem omni ui humanæ inacessibilem extollet. Hoc est, non minus tutum me seruabit, quàm is esse posit quẽ rex in suũ tabernaculũ recipiat, quod amicis tamũ regis permittitur summis. Talem fideles de domino fiduciã habent, sentiuntq; de deo in bonitate: nec obsequiũ uel cultum gratiorem summo illi bono pij præstare possunt, quàm optime sperare de domino, interim tamen amare, & illius mandata non contemnere, sed & si peccetur per fragilitatem, humiliter ueniam sperare & petere. Tuti fideles per dominũ

6 Et nunc exaltauit caput meum super inimicos meos. Circumiui & immolaui in tabernaculo eius hostiã uociferationis: cantabo & psalmum dicam domino.

Non solum securus ero ab hostibus, sed & uictor. Iam enim dominus caput meum extulit super illos, qui me modo hostiliter circundabant, & in manibus me habere arbitrabantur. Huic solennes pro uictoria deo gratias

agam, adhibitis holocaustis legalibus secundum illius præscripta, cum hymnis & canticis pacificisq; sacrificijs, cum iubilatione & gaudio spiritus de gratia sua, qua talia sibi grata esse passus est, & ad humanam fragilitatem tantopere condescendit, ut hæc carnalia ac uilia summæ maiestati & diuinissimo spiritui præceperit, sed in spiritu offerenda, et ex fide, sine qua domino nihil placet. Domino ergo solo et ex fide sacrificandum, psallendum & cantandum est cordibus deuotis.

7 **Exaudi domine uocem meam qua clamaui** (ad te) **miserere mei, & exaudi me.**

Audit deus clementer. Audire dei, est exaudire pie precantes, ad quod longe pronior est quàm nos simus ad orandũ, stat enim ad ostiũ ac pulsat: orari tamẽ uult, et exaudire benefacereq; delectant summũ bonũ, ut se quàm latissime diffundat sine diminutione, sed cum gloria. Vocem, ait, meã, id est, interiorem mentis deuotionem: nõ enim clamor sed amor resonat in auribus conditoris. Ea uoce et nõ stentorea ad te clamo, sicut & Moses, aliud nihil petens, quàm ut gratiam tuam largiaris, gratiose mecũ agas, nõ iuxta merita mea, sed secundum gratiam tuam: sic autem exaudias, ut posthac magis tibi obsequi & gratus esse ualeam.

8 **Tibi dixit cor meum, exquisiuit te facies mea: faciem tuam domine requiram.**

Deuotio cordis uera Non uerbis tantum tibi loquor, ut nosti qui cor exigis à filijs tuis. Toto uero corde tibi cupio placere, à uitijs quæ odisti abstinere, uotis tuis obsequi, cor meum semper de te cogitat, qui es summus thesaurus meus. Et uultus meus te inquirit, in omnibus creaturis conspicio tuã bonitatem & excellentiam, ubiq; inquiro causas laudandi maiestatem tuam, nec me maior angit solicitudo, quàm ut tibi prober totus, nec desistam te inquirere donec assequar, & à spe præsenti per fidem pertingam & charitatem ad tentionem beatificam, qua te facie ad faciem contemplando, in tuam gloriam beatus sim, per te & in te, ad quod tendunt omnia uota mea.

9 **Ne auertas faciem tuam à me: ne declines in ira à seruo tuo. Adiutor meus esto: ne derelinquas me, neq; despicias me deus salutaris meus.**

Quotiescunq; uisus essem uel me hostibus permitti, uel cupiditatibus malis, toties faciem tuam gratiosissimam auertisse uidebaris, toties anxius cogitaui miseriam meam, & quàm nihil essem ex me sine te: igitur nollem uellem humiliabar usq; ad portas mortis. Non posthac me sinas peccare in tuam maiestatem, nec committere digna tantis supplicijs, quibus me castigasti paterno more, nihil parcẽs, tamen cum gratia, sed duris uerberibus. Quid enim durius contingere mihi potuit quàm fata filiorum meorum tam horrenda? Demerui quidem omnia illa aduersa, sed non secundũ opera mea fac mihi indigno seruo tuo, nõ in ira et furore me tractes: quis enim posset sustinere leges iustitiæ tuæ, hominis filius quicunq;? Sis potius adiutoriũ meum, quo minus carnis tentationi succumbam, ne peccem in legem tuam, ne indulgentissimum patrem meum offendam. Non me derelinquas, ne statim cadere cogar, si tu nõ manum porrexeris in tanta corporis mei propensione ad uitia. O domine deus, iterum atq; iterum oro, quod maxime necessarium habeo, ut non me deseras, alioqui illico ruiturum, quia ex te pendet solo tota salus mea.

10 **Quoniã pater meus & mater mea dereliquerunt me: dominus autẽ assumpsit me.**

Siue patris & matris nomine hic Dauid usus fuerit, pro his qui uerè parentes fuerunt, siue pro his qui fierant illi parentum loco, ut consiliarij principes & necessarij quiq;, id satis constat, memorare eum uoluisse deum tunc etiam sibi adfuisse, cum destituissent se intimi summeq; necessarij, et à quibus singularem merito opem sibi fuisset pollicitus: ita succurrunt sanctis inter precandum consolationes. Dominus, inquit, collegit me in suam tutelam, suscepit ne perirem, uel perderer ab impijs, untdiq; me persequentibus: ne ergo nunc quoq; me negliga,

11 **Legem pone mihi domine in uiam tuã: & dirige me in semita recta propter inimicos meos.**

Quia uero à transgressione tuæ uoluntatis & legis omne infortunium est, nec salus esse potest absq; syncero studio pietatis, orat nunc doceri se uiam domini, uitam ipsi gratam, pendentem totã à nutu eius, & usibus proximi penitus expositam. Hæc iustitia dei est, qua & regni cœlorum ciuitas constat, quam qui ex animo quæsierit, ei reliquarum rerum nihil non succedit: quia diligentibus deum omnia in bonũ cooperantur. Addit, Propter inimicos meos. Tunc enim osoribus nostris et insidiatoribus præripitur nocendi facultas, cum innocentiæ & pietati à nobis sedulo studetur.

12 **Ne tradideris me in animas tribulantiũ: quoniam insurrexerunt in me testes iniqui, & mentita est iniquitas sibi.**

Consolatur se ab indignitate & peruersitate hostium, orans ne se deus illorũ animæ, id est uoto & animo perFalli nolo. uersæq; cupiditati permittat. Falsos autem testes uocat, & nihil loquentes nisi procatiam et uiolentiam, ad contemptum & calamitatem oppressorum, uim inferendo suis mendacijs, qui ueritate & iustitia nihil possunt: inter quos erat Semei, et sui complices, qui mentiebantur, iniuria ipsum inuasisse regnũ, & cædis Saulis regis obstrictũ, reum sanguinis multorũ, atque ideo nõ indigne à deo nunc reiectũ. Quibus mendacijs summa iniuria Dauidem affecerunt, & plurimorũ animos ab ipso abalienabant. Iam autem deus, cum ipsa ueritas sit, fauere mendacio nõ potest, et iustitia summa, quomodo permitteret innocentem libidini uiolentorũ? Priscus interpres iunxit לרלא priori uersui, cumretulit, Mentita est iniquitas sibi. Sed et Iudæi hanc dictionẽ signant tanquam duobio loco positam, uel alia ratione fortassis א pro ר scribendum: uarij enim lapsus esse possunt antiquariorum.

13 **Credo uidere bona domini in terra uiuentium.**

Planior sensus est iuxta priscum, Credidi uidere bona domini, id est, credo & firmiter teneo. Hoc in mundo Vita præsens. nihil nisi calamitates experior, licet nõ sine consolationibus diuinis, qui promissa de regno meo nõ retractabit, nec

nec me hostium furori permittet ut uellent, quantumlibet uolenter oppressum. Post hanc autem uitam in regione uiuorum, & in sæculo beatarum animarum uidebo in bonis domini, id est, fruar bonis dei, sine omni perturbatione, cum maxima & perpetua uoluptate, sine omni infortunio, ubi omnia bona domini habebuntur dulcia, immortalia, sempiterna, incommutabilia, ubi nullus est falsitatis locus. Sed quando istud erit? arduum est mortali, ardua est amanti, sed non fallit qui dicit:

14 Expecta dominum, uiriliter age, & cõfortetur cor tuum, & sustine dominum.

Plena fide expecta & sustine dominum fidelis anima, qui tui curam nunquam postponit, semper intuetur statum tuum, solicitus de bono tuo, eiusdem fidei te totum committe, cuius promissiones & charitas excidere non possunt. Interim autem quamlibet omnia minitentur casum & occasum, uiriliter tamen age, contende orationibus, fide, patientia & benefactis, uince semper in bono malum, & confirma animum tuum in ueritate dei et potentia, qui deserere te nec uult, nec potest: nec unquã frangeris diuturna tentatione, & incursione malorum, sed sustine dominum, expecta perseueranter & constanter auxilium domini dei, qui quæ promisit infallibiliter statuet electis.

PSALMVS XXVIII.

Huic Dauid.

ARGVMENTVM. Vehemens precatio fidelis hominis, ne pereat in consortio impiorum.

1 AD te dñe clamabo, Deus meus ne fileas à me: ne quando taceas à me, & assimilabor descendentibus in lacum.

Scriptura passim usurpat loqui pro facere, ut deum dixisse, fiat, facere fuit. Sic quoque tacere accipitur pro negligere, quiescere, nihil facere. Precatur itaq; Dauid ne cesset deus se iuuare in periculo constitutum. Non recurrit ad principes exercituũ suorũ, ad fortissimos pugnatores suos, non ad mortuos patriarchas, sed ad dominum deum suũ, in quem solum fidit, quem inuocat toto corde sine cunctatione. Quanto autem in periculo fuerit, eo ostendit, quod queritur se alioqui parem futurum fuisse descendentibus in sepulchrum, mortuis scilicet, actumq; de se fuisse, nisi deus opem tulisset: hoc autem non raro accidisse docet sacra historia.

2 Exaudi (domine) uocẽ deprecationis meæ dum oro ad te, dum extollo manus meas ad (oraculum) templum sanctum tuum.

Ardorem & uehementiam precationis, utique à periculi magnitudine in quo erat natam indicant hæc uerba. Illam & clamoris & extensionis manuũ meminit, quod utrunque enixe orantium est, imo flagitantium. Oraculum autem sanctitatis locus erat, in quo arca posita erat, unde responsa dominus dabat, & suorum exaudiebat preces. Ob quam promissionẽ precabantur uersis uultibus ad templum etiam absentes, & in longinquo constituti. Idem autẽ ualet ac si dixisset: Extendo ad te ô deus manus meas.

3 Ne simul trahas me cũ peccatoribus: & cum operantibus iniquitatem (ne perdas me:) Qui loquuntur pacem cum proximo suo, mala autem in cordibus eorum.

Spem auxilij sibi confirmat ab improbitate & fraudulentia hostium, & forte ideo simulantium pacem, id est fidem & amicitiam uerbis, corde autem mala cogitantium, & continuo uias nocendi quærentium, meminit: quod plurimi ipsum sæpe atrociter oppugnauerint, qui sui amici fuerant, & quos beneficijs & honoribus affecerat. Non me reputes in consortium impiorum, non me colligas cum flagitiosis, non reputes inter puniendos, ne pariter innocens cum impijs perdar, quorum omne studium est fallere, nocere, & male agere, idq; assidue, sunt enim hostes pietatis & beneficentiæ, qui benefacere nesciunt. Qui & abutuntur in malum lingua sua, quibus tuto nihil credere possis, qui contra cor suum loquũtur & conscientiã, pacẽ & amicitiã promittentes, cũ nihil minus uelint, parati potius ad nocendũ, maleuolo corde affecti ad omnes qui non cõsentiũt malis ipsorũ artibus. Improbitas humana.

4 Da illis secundum opera eorum, & secundum nequitiam adinuẽtionum ipsorum: Secundum opera manuum eorum tribue illis: redde tetributionem eorum ipsis.

Imprecatur impijs quod meriti sunt, quod ad gloriam dei cedit, qd' ad piorum trãquillitatem necessarium est, quod æquitas postulat, quod dominus futurum decreuit, pie & citra motũ indigni odij: nõ enim tam suos quàm dei hostes ex spiritu dei illos esse sentiebat. Nihil indignũ imprecatur, sed secundũ eorũ opera, ut culpa eorũ sit qui student iniquis operibus: quos non tangit imprecatio mali, si opera emendauerint: sed culpa sua pereũt, & sunt inexcusabiles, si malũ incidant imprecatũ: qui non ignorãtia uel simplicitate peccãt, sed maligni sunt, & ex certa scientia & consulto peccant, non leuiculis delictis, sed magnis criminibus. Vt opera sunt, sic fructũ merentur, iusta retributione illis iudex æquus respondeas, ut emendentur, nondum abiecti. Imprecatio mali malis.

5 Quoniam non intellexerunt opera domini, & in opera manuum eius, destrues illos & non ædificabis eos:

Animum non aduertunt ad opera domini, nolunt uidere institutum dei, uel prophetarum oraculis credere, alioqui ex multis clarissimis signis poterãt notasse uoluntatem & consilium dei, de prorogando regno Dauidis, & exaltando eo statim ab initio unctionis suæ, & ex miraculosa uictoria Goliath, ut facile scire potuerint se oppugnare constitutionem dei: sed ut omni religione uacui erant, ita horum nihil cogitabant, freti autem suis uiribus, omnia tentabant, digni qui deijcerẽtur à domino, destruerentur, & non proficerent in institutis suis, qui totis uiribus dei opinionem & uerã fidem ex animo ejicere laborabant. Ingens sanè malum frui iugiter dei operibus, inq; eis semper uersari, nec tamen mentem admouere, unde tanta bona contingant. Opera dei aduertere.

6 Benedictus dominus: quoniam exaudiuit uocem deprecationis meæ.

Victoriam canit contra inimicos. Afflictio sanctorum patientiam operatur, patientia probationẽ, ex qua spes oritur: sic Dauid calamitatibus pressus, robur patientiæ obtinuit, expertus dei ad se bonitatẽ, unde spe confirmata totus dño nitebatur, uelut clypeo se protectum agnoscens contra tela hostiũ. Victoria quoq; donatus, quid ni exultaret in domino, erũperetq; in hymnos & gratiam, quod proprium est sanctorum? Quis ergo tam recte de ueritate edoctus, non optet eam afflictionibus probari, imò perfici?

Afflictio & patientia sanctorum.

7 **Dñs adiutor meus et protector meus (et) in ipso sperauit cor meum, & adiutus sum. Et refloruit caro mea (exultauit cor meũ) & ex uoluntate mea (carmine) confitebor ei.**

Vt nihil fide sanctorũ et spe gratius deo est: sic Dauid orans, nihil frequentius dño inculcat, quàm fidutiam & confessionem præteritorum beneficiorũ, quæ expertus toties erat, sine cuius auxilio et robore donato nihil posset. Omnia aũt bona sibi fieri, nõ ob merita propria, sed propter promissiones dei, maxime de regno posteritatis æterno, qđ per Christũ filium suũ intelligebat perfecte præstiturũ. Is solus erat arra felicitatis Israeliticæ et gloriæ regni Dauidici. Quæ enim maior illi beatitudo, etiã in hoc mundo contingere potuisset, quàm uniuersalẽ salutem orbis, non aliunde sperandam, certo aũt futurã, q̃ per Dauidis semen & posteritatẽ? Non potuit ergo non fidere domino, tantis promissis donatus et assecuratus, unde & exultauit semper in conscientia sua, quamlibet foris aduersa tentarent, quo gaudio etiã effloreret in cantica sacra, & prophetias de promisso mundi saluatore & regno Dauidico, per sæcula sæculorum duraturo.

Fides in dei misericordiam.

8 **Dominus fortitudo plebis suæ: & protector saluationum CHRISTI sui est.**

Quomodo autẽ aliter fieri potuisset, quomodo à domino deseri uel desperare potuissem, qui ipse est uirtus & fortitudo totius Israelis, cui me regem præfecit, et totius exercitus mei robur et uictoria, qui ut numero inferior erat inimicis meis fortissimis, nullã uictoriam reportasset unquam, nisi illos dominus roborasset. Ea potissimum ratione, quod me elegit & unxit, affuit & crebro saluauit, maximamq; toti orbi per Christum salutem promisit & gratiam. Quod autem Hebræus implicat per למו Illorum, hoc eruditi et pij interpretis officio priscus explicauit addens, Plebis suæ.

9 **Saluum fac populũ tuum domine, & benedic hæreditati tuæ: & rege eos & extolle illos usque in æternum.**

Orat ut dilectum peculium suum deus Israeliticum populum & plebem suam seruet semper, & beneficijs cumulet, pascat & exaltet, in quo declarauit non sua sed populi causa, uictoriam & regnum petijsse, & auxiliũ contra hostes. Sic animati sunt, qui uere principes agũt, domino suo fideles sunt, principi pastorum, cui reddendam à se rationem sæpe recogitant. Agnoscunt se propter populum natos & institutos, nõ populum propter se, ideoq; se neglecto de subditis recogitant, & de illorũ profectibus magis solicitãtur, q̃ de sua qualicũq; gloria.

Principes boni.

PSALMVS XXIX.

Psalmus Dauid (*in cõsummatione tabernaculi.*)

Cui addidit Græcus, In consummatione tabernaculi, de quo mirabile est. Quidam exponũt de datione legis, & miraculis tunc in monte Sinai ostẽsis: alij de omnibus mirabilibus operibus dei, quæ creator facit semper super terram: alij de diebus Messiæ, quando uox domini exaudietur, et mirabilia plura fient pro salute populorũ.

ARGVMENTVM. *Inuitatio gentium omnium ad cultũ uerũ unius dei, cuius uirtutẽ ac potentiam magnifice canit & alacriter, ut decet deuotos ac fideles.*

1 **Afferte domino filij dei** (*afferte domino filios arietum.*) **Afferte domino gloriam & honorem.**

Inuitat fortes, uirtuosos, pios, & quosq; cunq; sanctos ad prædicandam dei maiestatem, et omnibus supereminentem potentiam, idq; in tabernaculo frequentandis, quod præ summa deuotione in illud, ob præsentiã dei non satis laudare pro uoto potest: ideo nominat illud multis nominibus, decorem, iucunditatem, splendorem, magnificentiã & sanctitatẽ. Filios aũt dei nominat, uel deorum, ac fortitudinis, eos qui deũ præsentius & insigni referunt, ampliore diuinitatis portione, uel beneficijs, uirtuteq; donati. Vnde non solum angelos immortali & beata uita incõparabiliq; uirtute deũ magnifice re-

Filij dei qui dicantur.

præsentantes, sed et principes, potestateq; quacunq; insigni pollentes, filios dei & deos appellat. Repetitio aũt qua dicitur, Afferte domino filios arietum, assuta uidetur aliunde ab aliquo cunctabũdo, qui credidit אלים *arietes sacrificiorum aduocari, post erectum tabernaculum, ad illius consecrationẽ: ut eiusdem artificis sit tituli augmentum, & arietum. Cum itaq; bonorũ nostrorum, dominus uniuersorum non egeat, confessionẽ tantũ & gratiarum actionem, id est agnitionem suæ potestatis & gloriæ exigit à creatura, in qua suam gloriam ostẽdit et omnipotentiam, qua infinito interuallo cuncta præcellit, omnibusq; largitur fortibus, ut fortes sint. Nihil ergo tam sublime uel uirtute præstans est, quod non supplex deo canere laudem debeat.*

2 **afferte domino gloriã nomini eius: adorate dominum in atrio** (*decore*) **sancto eius.**

Tertio dicit, Afferte uel cedite domino gloriã, & ad decorandũ tot creaturis magnificis inæstimabilẽ creatorẽ, & prouoluimini ei soli, ad oră fimbriæ uos illi inclinate, et humiliatiõe usq; ad terrã, fateamini uos esse opus manuũ eius, ex puluere terræ puluis et lutũ, infimæ cõditionis, miseri homines cõparati ad celsitudinem maiestatis gloriæ diuinæ, quã adorent, nõ tantum homines, sed et angeli & dæmones, superna & inferna omnia. Hortatur aũt, à fidelibus id fieri in decore sancto, id est, in loco à dño instituto, suis qbusq; tẽporibus. Priscus legit בחצרות *pro eo quod hodie legũt Iudæi* בחדרת *mirum si id oscitantia contigerit, & non potius excmplariorum uariatione, maxime cum in atrijs tabernaculi laudes domino & sacrificia offerrentur Dauidis æuo.*

Adorationis dominum.

Vox

3 Vox domini super aquas, deus maiestatis intonuit, dominus super aquas multas.

Quæ maior humano generi dei potẽtia ostenditur, sen
sibusq; simplicium & piorum incutit uehementiorem
admirationem & stuporẽ, quàm dum tam horribilẽ to
nitruum sonũ causat super aquas, cũ pluuijs & nimbis?
quibus nedum potentissimam iram ostendere solet, sed
etiam insignẽ beneuolentiam, considerantibus terræna
scentium profectũ, qui tonitruo, fulgure et nimbis pro
mouetur magnifice. Sunt etiam ex nostris, qui pro aquis
legunt cœlos שמים pro מים, ut uideamus faci
les lapsus esse etiam studiosissimorũ, quibus tamen piorũ
sidet nihil incõmodatur, nasuti autẽ ubiq; inueniunt ubi
nasum suspendant. Deus gloriæ intonuit, maiestate sua
tonitruq; monarchas terret, & aliquando tollit & hu
miliat. Dominus super aquas multas, gloriam suam osten
dit in profundo & abyssis maris, quin et in nubibus &
ethere multipliciter declarat potentiam suam.

4 Vox domini in uirtute, uox domini in magnificentia.

Vocem hanc canit esse cum uirtute & magnificentia,
hoc est prævalidam & magnificam, eo quod uirtutis dei
uerendæq; omnibus potentiæ eius, tam clarum & formi
dabile iudicium sit: quandoquidem, secundum Iob, sub o
mni cœlo spargitur, & lux eius omnes terræ plagas illu
strat. Post hanc premit uox, & tonat uoce excellentiæ
suæ, nec obstant nubes, cum audita fuerit uox eius. To
nat uoce sua portentosa deus, & maiora efficit quàm ut
queant agnosci.

5 Vox domini cõfringentis cedros: & confringet dominus cedros Libani.

Vocem domini iam ab effectu, & ui deprompta præ
dicat. Cedri peculiares Phœniciæ arbores, cum maximæ
sint & altitudinis & crassitudinis, uoluit Dauid ex ea
dei intelligitur generaliter flatus, tonitrus, fulgetrũ &
fulmen. Tonitrus autem dicitur, cum flatus adhuc in nu
be luctatur, maxime autem cum nubis spissamentum uio
lenta eruptione perfringit: fulgetrum, cum ardet & co
ruscat dirupta nube: fulmen, quum in terram idem illidi
tur, fulgetrum, fulmen, eo tamen ordine, ut primum sit
tonitru, proximum fulgur, ultimum fulmen: non est inso
lens, quod per tonitrui uocem, quod sensibilius est, eoq;
plus terret, reliqua duo propheta intellexerit. Quod au
tem ante fulgura uidentur, & fulminis ictus sentitur an
te exauditionem tonitrui, tarditas efficit auditus, qui na
turæ est æreæ, & spirabilis, cum oculi sint ignei, tum et
lux uelocior est sonitu.

6 Et comminuet (subsilire faciet) eas tanquam uitulum, Libanus: & Sarion (dilectus) quem admodum filius unicornium.

Dominus tonitru suo & his quæ sequuntur tonitruũ,
subsilire facit cedros, imo montem ipsum Libani ueluti
terræmotu adactum in similitudinem subsilientis uitu
li & unicornis. Meminit autem Libani qui mons cedros
profert. Schirion uero Senir & Hermon mons alius ro
bustiores arbores fert, ambo fulmine diuino icti montes,
faciunt exilire maximas arbores, ut solent tripudiare
& subsaltare uituli & unicornes. Nihil tam forte, quod
nutu domini dei non collabascat, ipse dominus omnipo
tens, terribilis & iustitiæ zelosissimus, quem metuant
omnes creaturæ etiam fortissimæ, multo magis fragilitas
humana & caro, quæ uelut flos decidit.

7 Vox domini intercidẽtis flammas ignis:

Nominatim memorat fulgetra, quibus eiaculantur ex
cisæ ignis partes, celerrima quadam ui flatus. Subiecit
autem hoc descriptioni uiolentiæ fulminis, in disiectio
ne arborum, fortassis incendiũ illud notans, quo icta ful
mine conflagrare solent.

8 uox domini concutientis desertũ, & commouebit dominus desertum Cades.

Concussionem deserti intelligit animalium in deserto Concussio deserti.
parturitionẽ, & pericula ex maxima ui huiusmodi tem
pestatum. Commouentur enim feræ in syluis ad celerio
rem partum, ex timore resolutis uisceribus. Deserti Ca
des meminit, quod sit multo uastissimum, & maxime
horrendum, per quod populus Israel quadraginta annis
circunductus fuit, post egressum ex Aegypto. Latissimũ
est aũt desertum Arabiæ pertingens usq; ad Idumæam.

9 Vox domini præparantis (ad partum) ceruos, & reuelabit condensa, & in templo eius omnes dicent gloriam.

Ceruas ferunt difficillime parere, terroris autem ma
gnitudine promoueri. Sed hic Dauid canere uidetur, ni
hil prorsus posse tempestatis terrorem effugere, quamli
bet inabditissimis desertis lateat. Ceruæ autem quanquã
deserta diligunt, non tamen sic abominantur hominum
præsentiam, quin fœtum suum exoneratum potius homi
nibus offrant, quàm ut occultent feris reliquis deuoran
dum. Vnius autem ceruæ mentione intelligere uidetur Ceruæ pro feris oĩbus.
feras omnes, quibus suo modo dominus naturalium im
pressionum esse tribus succurrit, terrẽdo etiam animosis
sima crudelissimaq; animalia. Denudare quoque syluas,
uel reuelare condensa, Hebræi intelligunt de arborũ de
iectionibus, unde syluæ denudantur, terroreq; huiusmo
di detegitur, quicquid alioqui latet in syluis. Cum autẽ
portẽtosa huiusmodi uox dãni homines cunctos perterre
faciat, suos tamen fideles recreat, laudemq; dicere cogit,
& gratulari de tanta potentia dei, & terrore impijs in
cutiendo, ut uelint nolint tantã dei potentiã inuincibilẽ
et ineuitabilem tremere etiam tyrannicissimi cogantur.

10 Dominus diluuium inhabitare facit: & sedebit dominus rex in æternum.

Dominus insidet ut dominus diluuio, præest enim Diluuij dominus.
illi, & ad dei nutum fit & deficit, inuoluit quod ulciscitur: ultq; nos nimborũ tam horribili cataclysmo, mo
neri eius quo mundus olim perijt, cui & dominus præsi
det, & hodie æque ac olim eo nos absumere potest. Id
cogitantes decet odisse scelera, ob quæ illi tunc perie
runt, & pietati studere, ob quam Noe cum suis seruatus est. Ex his uero admiratione diuinæ potentiæ magis
inflammatus, canit, Et sedebit dominus rex in æternum.
Quia nihil in nobis pietatẽ promouet quamlibet dei po

tentiam consideremus et miremur, nisi pariter & ab eo salutem speremus, ut dei studium habeat amorem adiunctum.

11 Dominus uirtutẽ populo suo dabit: dominus benedicet populo suo in pace.

Dominus pro suo populo solicitus.

Dominus omnem potentiam suam exerit in bonum populi sui, ut & potentiam impiorum non nimis timeant cernentes patronum suum multo fortissimum: & simul impios territat, ne pios nimiũ grauare audeant. Non ergo fideles ex tam terrificis dei operibus perterrefieri debẽt, quin semper spe optima erigantur, qd' illius summæ potentiæ dei populus sunt & cultores. Hinc iubet Christus suos bene fidere, cum terroribus maximis mundum feruere & opprimi uiderint: attollere siquidem capita sua, est de proxima redemptione sua gaudere, eo quod quicquid deus gesserit, fidelibus bono esse necesse sit, & spe tanto insigniora gesturum, quanto maiore orbi se magnificentia insinuat. Sic ergo dominus benedicit populo, ut impijs expauescentibus ipsi semper in domino deo & patre suo ex syncera cõscientia consolẽtur.

PSALMVS XXX.

Psalmus cantici in dedicatione domus Dauid.

Ipsa uerba psalmi aperte indicant carmẽ esse, quo Dauid gratias agit domino de restituta ualetudine. De inscriptione autem dedicationis, cum nihil dicatur in toto Psalmo, non est ut de titulo hoc, sicut nec de reliquis, multum laboremus, quos cõstat ab authore Psalmorum non prælatos uel præpositos esse.

ARGVMENTVM. Gratiarumactio est, de gratia dei inhabitãte quamtumlibet fragile corpus, & consolante infirmum de beneuolentia dei, quam ex beneficijs senserit.

1 EXaltabo te domine, quoniã suscepisti me: nec delectasti inimicos meos super me.

De reddita sanitate.

Restitutionem sanitatis post grauẽ infirmitatem aliquando nominat exaltationem sui, aliquando subductionem ab inferis, & uiuificationem à descendentibus in foueam, indicans se fuisse morti uicinum, & iam sepeliẽdum in foueam. Flagranti autem affectu gratias agit de reddita sanitate, non quod nõ cupierit dissolui de corpore mortis huius, sed quod doluisset de gaudio inimicorum, quos petit pudefieri, tam cupidos suæ mortis, néue fierent cõpotes sui uoti, quod et exorasse hic se gloriatur. Non alia causa uitã cupiens prorogari, quàm ut gloriam dei amplificet, uel ab alijs propagatam gaudeat, & impios non esse de morte sua exhilarandos in blasphemiam dei.

Extollere dominum.

Extollere autem deum non possumus, qui summus est, sed de eius beneficentia gratias agere, & eam multis persuadere fidelibus, quo minus impios formident, & pij ad religionis ueræ obseruantiam confortentur. Nec ideo laudo te, quia beneficisti de nouo, quum omnia membra & opera mea spirent beneficia tua, sed quia bonitatẽ tuam omnibus manifestas electis ut ab omnibus diligaris, & confundis impios, qui te non credunt nec sperant, nec curãt, sed rident & exufflant

quicquid tibi placere audiunt, suis tantum desiderijs dediti, & carnis concupiscentiam sectantes.

2 Domine deus meus clamaui ad te: & sanasti me.

Poetica locutio.

Ardentissimis uerbis, sed paucis multa eloquitur, & hæc est sacra poesis sanctorum, plenis affectibus uel deo colloqui, uel de deo loqui. O mi domine deus, qui non aliter meus es, quàm si unica essem creatura tua, tam gloriosi creatoris. Non iam nunc primum clamo & exaudis, sed nunquam non exaudisti, quotiescunq; te humiliter inuocaui. Summum enim bonum existens bonitatem tuam pijs negare non potes, & nunc iterũ clamans pro sanitate, statim me sentio conualuisse, nimirum totum hominem, ut cupio & spero, ne quid animo male cedat carnis robur, qui malo corpore infirmari quàm spiritu.

3 Domine eduxisti ab inferno animã meã: saluasti me à descendentibus in lacum.

Inferna quis.

Iam sepulchrum meditabar, & umbras mortis, & animarum pro gaudio hostium, non tam meorum quàm tuorum, pro scandalo fidelium, sed subduxisti me denuo, & sanitati restituere cœpisti seruum tuum, uitam reddidisti iam ilico morituro, sanasti me, ne morte præuentus, & desertis uel obmissis fidelissimis locum cederem hostibus tuis & meis, inq; foueam descenderem, ubi secum dum corpus non sit occasio uel potestas laudandi nomen tuũ, et proficiendi apud mortales in gloriã tui nominis,

4 Psallite domino sancti eius: & confitemini memoriæ sanctitatis eius.

Omnes qui sunt illius.

Non mihi soli talis est dominus deus meus, sed omnibus sanctis, id est illi fidẽtibus toto corde. Proinde quotquot ubiq; gentium estis uel eritis cultores ueri illius & unici dei mei, studete illi gratificari, uel in hoc, ut toti ex illo pendeatis, eius bonitati uosipsos totos dedatis, sic tamen, ut ipsi studeatis bonitati & sanctimoniæ, quemadmodum & ipse bonus est & sanctus, non cessetis corde, uerbo & opere celebrare infinitã sanctitatem eius, in omnibus operibus eius, ostendendo factis uestris uos esse filios dei uiuẽtis, propensissimos ad benefaciendum omnibus, etiam inimicis, multo magis autem fidelibus & sanctis suis.

5 Quoniam ira (momentum) in indignatione eius (&) uita in uoluntate eius. Ad uesperũ demorabitur fletus: & ad matutinũ lętitia.

Momentum quidem est quo indignari mihi uideris, & affligere graui morbo, si comparetur tãtæ bonitati tuæ, qua me tanto tempore tot beneficijs obruisti. Breui tempore ægrotaui, diu autem prius feliciter & iucunde uixeram, & me uicturum non diffido, tam in præsenti uita, quæ tamen ad modicum subsistere potest, quàm ad futuram, quæ æternũ durabit. Voluntas domini, est eius complacentia, gratia & dignatio, qua nos fideles prosequitur. Vix momentum præterijt in dolore, at in beneuolentia eius uita ducitur longa & beata, per fidẽ & fiducia in suam gratiam. Etsi pro iustitia & iudicio tuo ad uesperum & ad tardam horam malum adueniat, illico tamen post pernoctationem unam, uelut hospes mane euanescit & abit, ut statim mane iterum sit uide lętitia,

Præsentis uitæ modicũ.

fit, et quidē effusissime, nēpe cum lætitia et exultatione.

6 **Ego autem dixi in abundātia mea, Non mouebor in æternum.**

Canit neminem esse tam felicem, quin illico miser sit, si subtrahat suam beneuolentiam deus: nemoq; adeò miser, quin cōtinuo felix sit, si faueat deus. Cū, inquit, pro animi sentētia omnia succederent, cum tanto studio me toties elegissent & unxissent regem, & amici confluxissent, beneficijs & honoribus affecissent, subito morbum uel aliam aduersitatem grauem incidi, ut simul omnis felicitas mea terminum suum attigisse uideretur: id enim uocat auersionem faciei domini. Non igitur in felicitatis tempore sapienti uiro nimiū effuse gratulādum, sed stabili semper mente perseuerans, secū æstimet quid facto opus sit, cū propediem infelicitas ingruat, et tempus malorū. Id ego non faciens dū bene habebam, & parce perfruebar, nimiū tutus, incidi in grauissimū peccatum, & id nō solū, sed duplicatū et auctū. Hoc enim Bersabeæ crimen, fortassis sub typo morbi indicare maluit & confiteri dño potius, quàm palam tantum maleficiū proprio nomine ad contumeliam regiæ sanctimoniæ sua nomenclatura traducere, cum id pauci homines agnouissent, unde tamen sibi conscius perpetuo esset, unde cruciaret sibi, puenire quicquid malorū semper patiebatur.

7 **Domine in uoluntate tua præstitisti (statuisti) decori meo uirtutē: Auertisti faciem tuam à me (&) factus sum conturbatus.**

O domine, gratiæ tuæ solius fuit & est, quod post tam grauem morbum animi, quē uix monente Nathan prophēta agnoscere potui, non tamen deiecisti me de tuo regno, non splendorē gloriæ regalis minuisti, non abiecisti ut Saulem, sed continuasti me in regno diu, cum beneplacito tuo, & contra hostes denique Ammonitas, sub illud idem tempus criminis & impœnitentiæ meæ nihilominus fortitudinē dedisti, & clarissimā de atrocissimis hostibus uictoriā. Paululū abscōdisti gratiā uultus tui, corripiendo de crimine & puniēdo, ut cōturbarer ad salutē, et pœniteret admissi, humiliarerq; sub potēti manu dei.

8 **Ad te domine clamabo, & ad deum meū deprecabor.**

Vtcunque intelligerem admonitione tua grauissimam culpam meam, et dignissimam iram tuam, pro tanto meo crimine, nō tamē desperaui de infinita bonitate tua, nec in totū despondi meum animū, sed plena fiducia te dñm deum meum inuocaui, nō idolū quodcunq;, & gratiam tuam implorauī quam & protinus assecutus sum. Futuris utitur pro Præterito more prophetico, & quia uotum à domino pro facto reputatur.

9 **Quæ utilitas in sanguine meo dū descendero in corruptionē? Nūquid confitebit tibi pulus aut annuntiabit ueritatē tuam?**

Etiam si pro peccatis meis me internetioni & morti tradideris, si iuxta mea demerita me punieris, & in extremā perditionem coniecceris, corruperisq; omnē meā substantiam, corpus redigendo in cineres, & animā interno excruciandam statueris, nulla tibi inde utilitas accrescet, non cedet in gloriam tuam: quin si occideris me, quomodo promouebo in hac uita posthac gloriā tuam? quomodo confitebor tibi bonitatem tuā, ubi nihil quàm puluis fuerit corpus meum? Veritatem promissionū tuarum quomodo annuntiabo, si regnum meum corrumpatur, si filios tibi gratos post mortem non post me relinquero? & ubi clemētiæ tuæ maximæ promissiones uidebuntur? Sed potius blasphemabitur nomen tuum ab hostibus meis & tuis, non tam peccata mea insectaturis probris suis, quàm tuam ueritatem & iustitiam irrisuris.

10 **Audiuit dominus & misertus est mei: dominus factus est adiutor meus.**

Tu potius bonitate tua & iustitia immensa propitius sis peccatis meis, & in tantis angustijs precantem exaudias ad gloriam tuam, clementiam tuam impende humiliato, & suppliciter ueniam postulāti, ut fias mihi auxiliator in conflictu hostiū meorum, ut fragilitati meæ succurras uirtute tua, quatenus, ut cœpi, sic subinde posim gloriam tuam, & ueram in populo pietatē promouere.

11 **Conuertisti planctum meum in gaudiū mihi: concidisti saccum meum, & circundedisti me lætitia.**

De reddito auxilio, & exauditis precibus statim plenus fide & sine cunctatione lætatur, et gratias agit, laudesq; canit, & cantaturū adhuc magis promittit, celebrans dei beneficium, quò insperato & subito uertit in felicissimum fatum suum, in gaudiū & exultationē, planctum miserabilem in chorum alacriter deū laudantium. Et qui ob pœnitentiā & calamitates maximas sacco & cilicio macerabam corpus, iam nūc soluisti saccū meum, spem & fiduciam certā gratiæ tuæ contulisti, ut nō tam pro peccati commissione lugeam, quàm de eius remissione certa uehementer in te gaudeam. Circundedisti enim me nunc materia & causis gaudiorum, non solum morbo uel peccatorum conscientia & pauore eximens, sed omni felicitate accumulans. Post preces laudes.

12 **Vt cātet tibi gloria mea & nō cōpungar: dñe deus meus in æternum cōfitebor tibi.**

Ideo perpetuo sum te laudaturus, & celebraturus tuā gratiam, in qua ad homines glorificaris, qui tua sola gratia indigent. Gloriā meā, addidit priscus, id est glorificatio mea, uel lingua commemorans tuam gloriā. Nec unquam tacebit cor & lingua mea à tuis laudibus & beneficijs, nec posthac anxius ero tam de peccati indulgentia, quàm de uitæ emendatione & cautela, de repetendo quocunq; peccato. Tu certe solus & unicus es dominus deus meus, qui sine intermissiōe sanctis tuis præstas causas celebrandi bonitatem & gloriam tuam.

PSALMVS XXXI.

In finem Psalmus Dauid.

Addiderunt prisci Pro extasi, quia resipit extasim & pauorem orantis deuotissime.

ARGVMENTVM. Vox Dauidis, Christi dñi et omnium piorū in afflictione spiritus & carnis, non sine gratiarum actione & fiducia certa liberationis.

1 **IN te domine speraui, non cōfundar in æternum: in iustitia tua libera me.**

Maxima pars uitæ Dauidis cũ fuerit plena angoribus, uel hostium, uel conscientia peccatorum, à principio regni & antè, imò usque ad ultimam ætatem, ideo omnes sui psalmi facile intelliguntur, cum semper calamitates magnas commemorent non sine fidutia in deum & consolatione, cum confusione hostium, & exhortatione piorum, ad minime domino difidendũ, miscendo sæpius mysterium Christi filij sui secundum carnem, qui ut est electorum omnium caput, sic & exemplar crucis, omnium qui piè uiuere cupiunt atque student in hac calamitosa uita, plena pauorum & in summis angustijs. Præcipua autem cum sit consolatio in omni afflictione, sentire in conscientia sua fidutiam in deum, sine cunctatione, ideo eam potissimũ sancte iactat, indeq; non cessat tamen orare, ut se deus eripiat. Non enim cessandum unquam est ab oratione, etiam donato plena fidutia in dei gratiam. Addit autem deprecationem cõfusionis, ob gloriam dei, quæ uideri poterat calumniari, si iactatorem diuinæ potentiæ & iustitiæ, tot quoq; promissorum bonorum, desereret & disperderet: per iustitiam dei obtestatur, qua excidere uerbũ dei, & promissio nulla debet uel potest, Vt iustificeris, alibi dicit, in sermonibus tuis, & uincas cum iudicaris. Soles nimirum ex fide optima, & quàm benignissime agere cum his, qui tibi sese cõcrediderint.

Pſalmi qua ratione intelligũtur.

2 Inclina ad me aurem tuam: accelera ut eruas me. Esto mihi in deum protectorem, & in domum refugij: ut saluum me facias.

Noli pro demeritis meis aurem claudere, & obturare precanti, sed clementer inclina aurẽ, id est, exaudias, & condescendas orationi meæ, qui natura misericors es, & propensissimus ad succurrendum humiliter acclamantibus & anxijs. Periculum quoq; cum sit in mora, ob improbitatem hostium, & fragilitatis meæ conscientiam, ideo oro, ut non differas calamitoso auxilium, non dilatione affligas sperantem, sed cito eripe me ab angustijs: esto mihi tutum præsidium, & fortissima rupes & profugium, dum impetor à persecutoribus, suscipias me confugientem, ô turris fortitudinis omnium fidelium, et asylum omnium electorũ, qui unicus saluare potes & consueuisti, de tua bonitate præsumentes, & in hoc tam pessimo mundo pietatẽ colere & innocentiã cupientes.

Exaudire dei uelociter.

3 Quoniã fortitudo mea & refugium meum es tu: & propter nomen tuum deduces me, & enutries me.

Confessio fidei dei.

Confessio fidei est, dum in protectione dei cœli ueluti in petra altissima & inaccessibili commoratur pius & anxius, & ut fortalitium & arx firmissima confugiemẽ exulem & profligatũ suscipit defensandum. Aliud enim subterfugiũ electi non habent, nisi prouidentiã & gratiam dei sui, qui nusquã abest illi fidentibus, et sese ei cõmendãtibus tota fidutia. Deduces igitur me, et cũ quiete habitare facies me seruulũ tuum, propter nomen tuum, propter gloriã maiestatis tuæ, perducesq; dum tibi placuerit, & mihi proderit, in optatã quietem humilem ac fragilem ouiculam tuam ad aquas cõsolationis, & in casus protectionis tuæ, quo tutior euadam à lupis.

4 Educes me de laqueo hoc quem abscon-

derũt mihi: quoniã tu es protector meus.

Aſsimilat se auiculæ, quæ iam reti & laqueo detinetur, & aucupis crudelitatẽ patitur illico moritura, sine repta. alicuius auxilio. Orat igitur tanto ardentius, ut de reti eximatur, uel iã capta, uel undiq; retibus circũfusa mortalibus ut euadere nequeat, quæ olim pius Antonius uiderat, & nemo piorũ non sentit toto mundo semper & ubiq; prostantia, unde nemo euadere possit, nisi orationibus deo clementissimo sese commendans, qui solus est uirtus & potentia electorum. Quomodo hæc Christus dominus, inter Iudæos & crucifixores orare potuerit, non difficile est enarrare, sicut & quod sequitur in sequenti, auditus est dixisse spiritum emittẽs & moriens.

Auicula ex

5 In manus tuas commendo spiritum meum: redemisti me domine deus ueritatis.

Isti quidem impijssimi hostes & latrones insidiantur, imò iam captam mactare uolunt animam meam, & spiritum meũ eripere, ut putant nolenti: sed non sic fiet, tota me tibi iamdudum commendaui, & commendare semper non desisto, quem mihi nolenti & te prohibente eripiet nemo unquã: tutissimo enim in loco reconditus, sedet in manibus tuis spiritus ille meus, quem suscepisti in tutelam & curã tuam, imò in gloriam tuam, ad quam me ad mũdi constitutionẽ præordinasti. Redemisti iamdudum, & quoties opus fuerit redimes me, domine deus meus, quemadmodũ promisisti in ueritate tua, quæ subrui non potest, sed ipsissima firmitas est, & omnium quæ in mundo sunt rerum substantia. Tu es enim ipsa fides & bontas, quam summè colis, qua & cũcta agis. Ostendit autem Christus dominus moriens hæc in sua persona dicens, Dauidem hæc quæ se passum canit per umbram prætulisse sui: quare et quæ Christus, et quæ hi qui Christi sunt tam passi quàm passuri, dum hæc legimus, sic cogitanda sunt, ut discamus & nos spiritibus nostris optimo patri nostro commendatis, quibuslibet nos periculis pro patris uoluntate sponte obijcere. Et iussi spiritũ reddere, ei qui illum dedit, prompta obedientia respondere, facere ex necessitate uirtutem, & de salute spiritus nostri neutiquam dubitare, si syncera fide ipsum per Christi merita patri domino commendauerimus, dum fuerit obeundum: nec expectandum eum articulum, sed sine intermissione his sacris uerbis animam nostram & omnem cum actibus subsistentiam quotidie domino commendare docemur.

Spiritus pij orum deus no contemnit.

6 Odisti obseruãtes uanitates superuacue. Ego autem in domino speraui:

Odiui quidem hodie Iudæi legunt, sed sine præiudicio sensus, & forte melius priscus legit, Odisti: adiectio enim Iod, non est rara, & puncta non habuit eruditus author ille. Reuera enim dominus est qui exosos habet omnes, qui sibi minume fidentes suas uanitates sequuntur & studia, quæ tandem suo malo sentiãt uanitates fuisse, & sine omni cõmodo tam spiritus quã corporis. Quam quam & Dauid similia nõ raro locutus est, & frequentius odium in impios magnificè exercuit. Ego autẽ, dicit, ucrè pius non in alium fixi anchoram spei meæ, quàm in te pijssimum patrem & dominum, quemadmodum & uoluisti

Anchora ſpei.

holmisti ac placet tibi. Alij faciunt ex uanitatibus auguries & fortilegos uel diuinos, in quos impij confidunt, Pij aũt hos odiunt, & nõ nisi in solũ dominũ confidunt.

7 exultabo & lætabor in misericordia tua, Quoniam respexisti humilitatẽ meam (cognouisti in) necessitatibus animæ meæ.

Exclamatio subita ex consyderatione admirandæ & stupendæ opis, qua ipsum dominũ à præsenti nece seruauerit, pro quo exultat in domino, & lætatur tanto effutiens non aliunde sibi aduenisse auxiliũ, quàm à benignitate dei, qua misertus est afflictioni suæ, & complacuit illi in humilitate sua, qua culpam agnouit, et omnia aduersa merito ferre non dubitauit. In quibus quantumlibet arduis & horrẽdis malis, nunquam tamen de gratia & remissis dei trepidauit, sciens nihil accidere sibi nesciente & nolente domino potuisse unquam, quæ maio

8 Nec cõclusisti me in manibus inimici: statuisti in loco spatioso pedes meos.

Quomodo Dauid clarius dei ad se gratiam nosse potuisset, quàm quod toties hostium suorum præsentissima pericula mortis euadere dedit? tam in regno toties periclitatus, quàm ante regnum, maxime dum iam ab exercitu Saulis, ueluti in corona inclusus erat, Philistinorũ tamen incursione liberatus, & uelut in spatioso loco collocatus, ubi rebus suis & saluti cõsulere ad tempus tutius potuit.

9 Miserere mei domine quoniam tribulor: conturbatus est in ira oculus meus, anima mea, & uenter meus.

Angustiæ frequentes piorum impellunt, ut & ardentius dominum precentur, & ad illum accurrant, tantoq; cautius in lege domini incedãt, & à peccatis sibi studio suus temperẽt. Nõ enim prodest fidelibus felicitas huius temporis, quanto enim magis premuntur, tanto deũ pro misericordia diligẽtius & ardẽtius inuocant, præ nimio angore cõscientiæ meæ et infestationis hostilis, quã quo tidiæ patiebar, cõturbati sunt & caligauerũt oculi mei, ut nihil me uidere credere, q̃ aduersa. Animus meus consusus est, & similiter perturbatus, ut in corpus ipsum tremorem & horrorẽ incusserit. Timor enim et terror etiam ossa & intestina exiccat, & exedit ut tinea arborem. Dũ ea depellere non licet, magis increscit dolor et angustia, atrociusq; desæuit tabifica animi ægritudo.

10 Quoniam defecit in dolore uita mea, & anni mei in gemitib⁹: Infirmata est in pauertate (mea) uirtus mea, & ossa mea conturbata sunt.

Ægritudo illa animi uehemens, simul metu & angustijs totũ corpus adfligebat, & simul naturæ calor ad interna colligebatur, succumq; uitalem uorabat, & stomachi concoctionem, & cõmodam corporis instaurationẽ remorabatur, ut macies succederet, cõtrahebantur intestina, æresc ebat cutis, ægre trahebatur spiritus, sanguis frigescebat, calor in corde sensim imminuebatur, & corporis defectus ætatis rationẽ minuebat, & senectã præoccupabat ante tẽpus. Infirmata est in egestate uel pauertate, uel aduersitate uirtus mea. Accipitur enim iniquitas, non raro pro pœna peccatorum, & prauitatis, quod priscum interpretem minime latuit: qui intellexit, Pro peccato meo, & miseria quam patior propter illud, contigit mihi hæc tanta uirium mearũ diminutio, ut etiã ossa mea cõturbata fuerint, & doloribus intimis medullitus arrosa, & sine quiete acerbissime afflicta, & immedicabiliter.

11 Super oẽs inimicos meos factus sum opprobriũ uicinis meis ualde, & timor notis meis. Qui uidebãt me, foras fugerũt à me:

Execrabilis ego habitus sum, & opprobrio affectus, non solum ab omnibus inimicis meis, quos multis & magnis beneficijs demereri studui, & reddẽdo bonum pro malo superare: sed etiam à uicinis meis, qui mihi compati debuissent, et cõsolari probrosus habitus sum, adeò, ut si qui forte incidissent ubi eram, me conspecto ilico se fũras proripuerint, ne propter me periclitarentur. Ea potentia inualuerant hostes Dauidis, ut uulgus in feliciorẽ partem inclinans, ut solet, in horum gratiam Dauidem tanquam probrosum hominem auersaretur. Opprobria in pios.

12 obliuioni datus sum tanquam mortuus à corde. Factus sum tanquã uas perditum.

Tam nulla mei ratio habita fuit, quàm solet mortuorum. Ita abiectus fui atque solet uas, quod iam desijt esse usui. Etenim, quoniam non est spes mortuum amicum reuicturum, quàm primum curatur ut terræ demandetur, finemq; habeant, quæcunq; cum eo negotia fuerant, ceu uasis confracti et perditi: adhuc minor mei cura est, & nulla de me habetur ratio, quasi prorsus nullo usui esse posim, ac eousq; excidisse & expunctus omnium cordibus, ut nihil magis.

13 quoniam audiui uituperationem multorum commorantium in circumitu. In eo dum conuenirent simul aduersum me: accipere animam meam consiliati sunt.

Nec solum ita abiecerant amici, uerum magna pars eorum falsis quoq; me criminibus fedabãt, pericula cumulabant, multis me ementitis criminibus infamãtes: quod quum ab inimicis, qui ab eo defecerant factum est, & eos q adhuc in amicitia perstabãt abalienauit. Hinc formido circumsteterat eum, cum adeo nemo amicus illi reliquus mansisset, pleriq; autẽ hostibus se iunxissent, atque unà cum illis de perdendo ipsum consilia captarẽt, & uafre de struendis ei insidijs cogitarẽt. In his uero cogitandum, quousque deus suos humiliet, item Christum seruatorem infra cunctos mortales abiectum, in Dauide hæc patiente fuisse adumbratũ, neq; minus de ipso q̃ de se ista Dauidem cecinisse: quæ si recte perpenderimus, minus displicebimus nobis si quando similia acciderint. Falsa incriminatio.

14 Ego autẽ in te speraui domine: dixi, Deus meus es tu,

Obseruandum hic, quantam in summa illa animi sui deiectione, quam prioribus uersibus descripsit, spem tamen aluerit in anima et toto corpore: incredibilis uis angoris, ægritudinis et indignationis desæuiebat, adhuc ta Spes solida

men fretus teſtimonio diuini ſpiritus cogitabat: Deus meus es tu, hoc eſt, utcunq; me malis obruis, & excarnificas formidine et mœrore, attamen deus meus es tu, ego tua bonitate fido, tu haudquaquã hãc mihi ſubduces, tuæ enim fidei me cõcredidi, deſerere me nullatenus poteris.

15 **in manibus tuis ſortes meæ. Eripe me de manu inimicorum meorũ & à perſequentibus me.**

Quanquam tantopere me perſequantur ad mortem fortißimi hoſtes mei & multi nimis, utcunq; concluſus uidear undiq;, in manu tamen tua non hoſtium ſunt tempora mea, ſpacium uitæ meæ, adhuc potens es me eximere ab omnibus his malis. Id autem abs te humiliter & inſtanter poſtulare non ceſſo, qui omnia moderaris, & curam non abijcis fidelium tuorum, quibus ſtatuiſti tempus, quod ut tranſire non poſſunt, ſic nec impiorũ atrocitate te nolente quippiam demi poteſt.

16 **Illuſtra faciẽ tuam ſuper ſeruum tuum, ſaluum me fac in miſericordia tua:**

Illuſtra ergo faciem tuam ſuper ſeruum tuum: hoc eſt, ſer opem, qua te fauere mihi, & beneuolo dignari me tuo aſpectu teſteris: id enim ſi feceris, ſi clementer intuitus fueris, facilè contra quoduis periculũ animatus ero. Si enim dominum deum noſtrum nobis fauorabilem eſſe credere poterimus, & illi nos eſſe curæ nobis perſuaſerimus, in cuius manu ſita ſint omnia noſtra, uiciſſim quoque ipſe nos negligere nequaquam poterit, ſed ut pater filijs aderit ſemper.

17 **domine non confundar, quoniam inuocaui te. Erubeſcant impij & deducantur in infernum:**

Cum itaq; toties & tantopere, ſed ſyncere iactarim bonitatem tuam ad me, quam & celebraui factis ac uerbis, ſed & canticis ad hoc æditis: noli ergo ſinere ut excidam à beneficijs tuis, non tam ob malũ meum, quàm ob iactantiam hoſtium meorum, qui inſultabunt, dicentes: Vbi eſt dominus ille deus tuus, in quem ſperaſti tantopere? ſicq; confundar, & erubeſcere cogar: ſed id parum, niſi id cederet in tuam ignominiam, & in iacturam gloriæ tuæ, quam cupio glorioſißimam. Exaudi igitur, ô deus meus, quoties anxie te inclamauero, nõ confundar ab expectatione mea, ſed impij illi confundantur de ſua perfidia & ſilere cogantur cum dolore, donec ad inferos deducantur, & quoad uixerint ſemper ſentiant iuſtam uindictam tuam in eos.

Excidere à Deo.

18 **muta fiant labia doloſa. Quæ loquuntur aduerſus iuſtum iniquitatem in ſuperbia & in abuſione.**

Qui nunc tam procaciter blaſphemant potentiam & bonitatem tuam, meritũq; fidutiæ meæ irrident, & quicquid de fide prædicatur in te, quam tantopere probas, totum illis ridiculo eſt, illi impij tua uirtute & iuſtitia obmuteſcant, & flagellis exerciti cogantur cõfiteri ueritatem uerborum tuorum, & certitudinem promiſſorum, ut deſinant loqui contra iuſtos & ipſam iuſtitiam, deſinant ueteratorum more perquirere, quo noceãt & detrahant falſo piorum ſtudijs, ſibijpſis placentes, ſenſu ſuo abundantes, omnes autem alios præ ſe contemnentes. Orandus ſemper dominus eſt, ut tales impij humilientur & obmuteſcãt iudicio domini proſternendi, utq; ueritatis & iuſtitiæ dei gloria illuſtretur.

Blaſphemi obmuteſcẽt

19 **Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ (domine) quã abſcondiſti timentibus te. Perfeciſti eis qui ſperant in te, in conſpectu filiorum hominum.**

Indigni ſunt iſti impij agnitione ueritatis & bonorum tuorum, quæ ut maxima ſunt & inexhauſtus theſaurus, unde ſemper noua bona prodeant, & depromantur: ſic ea non cognoſcent, nec appretiabuntur, nec aſſequẽtur, niſi timentes te, hoc eſt, ſecundum tuum beneplacitum tibi ſeruiẽtes & digne colentes. Talibus enim ſenſu parẽtibus reuelantur beneficia et dona dei, illiusq; perfectio omnipotentia quoq; ac bonitas: ſuperbi autem comprehenſionis uulnere pereũtur, ut nec ſi qd audiunt referre audeant de iuſtitijs diuinis. Abſcondiſti, id eſt reſeruaſti olim donanda illis, ſed non tantum reponis in futurum, quæ oculus non uidit, nec auris audiuit, &c. ſed etiam in præſenti uitæ mirabilia & magnifica beneficia bonitatis tuæ facis ſperantibus in te, ut nihil nõ abs te quæ poſtulant aſſequantur, ut ad omnem uoluntatem eorum adſis orationibus & neceßitatibus, idq; non obſcure & clàm, ſed in conſpectu & cum admiratione cernẽtibus filijs hominum.

Sensus uulgatæ editionis

20 **Abſcondes eos in abſcondito faciei tuæ à conturbatione hominũ. Proteges eos in tabernaculo à contradictione linguarũ.**

Deus ipſe ſanctum Dauidem, & quotquot fide deo inhærent, pro tanto ei ſimiles, nõ aliter atque in quodam tabernaculo ſuo abſcondito cuſtodit à malis, ne ledantur ab improbis, qui quotidie noua conſilia inueniunt, nouasq; calumnias excogitant, ſed omnia fruſtra, domino protegente fideles ſuos, & ueluti gallina pullos defenſante ne calumnijs hominum contentioſorum exponantur uel ſupprimantur. Quo ſic protegente, non offendet malum totius uniuerſi, ſed promouebit magis ſalutem electorum & beatitudinem, etiam ſi cœlum ruat impauidus non obruetur ruinis. In tabernaculo enim ſummi regis ſumma eſt ſecuritas, in abſcondito faciei domini ſumma iucunditas eſt & felicitas.

Cuſtodiuit cur Lauda.

21 **Benedictus dominus: quoniam mirificauit miſericordiã ſuam mihi in ciuitate munita.**

Hanc dei laudem cum ſingulari admiratione confitetur & canit ſtupendæ ſuper ſe bonitatis & beneficentiæ ſuæ. Nam conferebat in animo ingentem gloriam et felicitatem, qua fruebatur tunc quando Hieroſolymis regnabat cum gloria & pace, comparatione ad angußtias, quas toties cum ſuis illis fideliſſimis heroibus perpeſſus fuerat in perſecutione tam diuturna gratiſſimaq; Saulis. Inſignem enim & ſingularem gratiam dei, tunc promiſſam, & cum angußtijs oſtenſam, iam felicius ſentiebat in laudibus dei quibus tunc uacabat, & in felici regimine tanti regni.

22 **Ego aũt dixi in exceſſu mentis meæ, Proiectus ſum à facie oculorum tuorum. Ideo exaudiſti**

exaudisti uocem orationis meæ, dum clamarem ad te.

O quàm iure laudauero deum summo studio, qui tam prolixe mihi ac magnifice exhibuit benignitatem suam, qui paulò ante cogitabam anxius, in summa animi tristitia, planè me ab ipso proiectum, cum in præcipiti fuga nusquam tutus, etiam ab hostili nonnunquam exercitu conclusus, ut nõ potuerit carnis meæ sensus trepidus alitus sentire de statu meo, q̃ me ab ipso domino deo meo proiectum esse. Tu tamẽ clementissime exaudisti preces meas, cum ex corde non sine fidutia clamarem ad te, & in hanc quam nunc dedisti gloriam prouexisti.

25 Diligite dominum omnes sancti eius (quoniam) ueritatem requiret dominus, & retribuet abundanter facientibus superbiam.

Inuitat commodè fideles ad amorem dei, & plenã fiduciam in domini bonitatẽ, multis iam uerbis prædicatam. Considerate me, inquit, quicunque dominũ amatis, qui illi nomen dedistis, ut cultores ueri dei esse cupiatis, uidete è quantis me malis extraxerit, in quantam dignitatem & potentiam euexerit. Meo igitur exemplo discite studiosè deum colere, & curam uestri in omnibus deo nostro committite. Si uos mali afflixerint, nõ despondeatis animum, dominus nõ deserit diligentes se, & qui se illi totos credunt, illos custodit ut filios, & pullos ab accipitre, abundanter autem retribuit impijs secundum ipsorum malitiam, etiam si tantisper differre uideatur, tanto enim seuerius animaduertet in ipsos.

24 Viriliter agite, & cõfortetur cor uestrum omnes qui speratis in domino.

Fortes igitur estote animis, et nequaquã pusillanimes intentationibus huius mũdi sitis: ipse enim sua gratia et auxilio cõfortabit cor uestrũ, et spe firma ac felici suffulciet omnes, quicunq; ex illo pendent, cui si quis uel uni probabitur, nõ eũ perturbabit uel deijciet totus mũdus.

PSALMVS XXXII.

Ipsi Dauid intellectus.

Alij intelligentiam transtulerunt, proximius Gramma ticæ eruditorium: ut eo doceamur nos esse peccatores, & ex fide proficientes in sancta opera, nihilominus tamen totum diuinæ gratiæ deputemus.

ARGVMENTVM. Felicissimum esse à peccato absolui, contra uero miserrimum esse pertinacem conscientiã, docens interim quo pacto remittãtur peccata.

1 BEati, quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata:

Beatos hic Dauid, imò spiritus sanctus pronunciat, nõ qui nulla peccata admiserint (nemini enim hominũ id datum est) sed quibus peccata sic donata sunt à deo, ut imputare ad iram & damnationem nõ uelit clementia dei patris. Quibus sic tecta sunt coram deo, ne ea uindex oculus dei intueatur, à quibus scilicet faciem suam deus auerterit, ut commeritas de illis pœnas sumere non decreuerit. Cuius sic sunt ablata peccata, et sublata quæcunq; crimina, ut censeantur remissa. Non quod peccator illorũ unquam obliuiscatur, sed cum dolore recordetur eorum, & non sine displicentia, quoties inciderit mentem sc domino peccauisse, illum dominus non iudicabit, si seipsum pius homo pro peccato iudicauerit. Hæc autem felicitas contingit nulli, nisi per fidem in Christum passum pro peccatis suis, & factum sacrificium pro totius mundi delictis. Quam fidem etiam patres prisci & sub lege sancti omnes habuerũt in Christum uenturũ, sicut redemptorẽ nostrum uenisse nũc ex eis pij confitentur: si tamen nõ incidat propositũ denuo dominum offendendi, quod uere credentibus nunquam contingit, qui ex malitia & cõtemptu, hoc est ad mortẽ, non peccant, etiam si ex fragilitate et ignorantia in multis offendant. Illorum dominus peccata sic abscondit, ut in iudiciũ non protrahantur, nec iustitiam dei perferre cogantur, sed ut sequens uersus docet, non imputantur. Fide remittuntur peccata.

2 Beatus uir, cui non imputauit dominus peccatum, nec est in spiritu eius dolus.

Felix est homo iste, cui ad pœnam peccata sua, quibus carere non potest humana fragilitas, non imputat: quandoquidem figmentum suum deus clemens non ignorat, patiturq; se humilitate & oratione flecti ad peccatorum condonationem, ad quam suapte bonitate immensa propensissimus est, si tamen in spiritu humilitatis, animoq; contrito, & fidutia filiali ac syncera conueniatur à peccatore: non hypocritico aliquo spiritu fingendo fidem & uerba dando, contra cõscientiam. Non enim dominus irrideri se patitur, quin duplo irascatur, si duplici corde peccator sese pro pœnitente obtulerit, reuera aũt fide in dominum destitutus, & syncero timore dei uacuus existens. Nõ imputare peccata.

3 Quoniam tacui, inueterauerũt ossa mea: dum clamarem tota die.

Cum silerem, inquit Dauid, & apud me consisterem, contemplando peccata quæ commisi in deum & proximos, certe magna & digna furore diuino, & quàm iustissimã causam præbuerim horrẽdis calamitatibus meis quas incidi, et incidere adhuc formido, clam omnibus hominibus, qui me sanctum credunt, & beneficia dei mihi præstita nõ ignorant: in huiusmodi, inquam, meditationibus meis internis occupatus, cõtabescũt omnia ossa mea, in fremitu meo tota die, nulla mihi quies in conscientia permittitur, inq; corporis uiscera influit spiritus timoris lãguores uarios & irremediabiles, usq; ad ossium attritiones, ut totus sim miser, spiritu & corpore, idq; sine intermissione, sed non sine spe clementiæ diuinæ.

4 Quoniam die ac nocte grauata est super me manus tua: conuersus sum in ærumna mea, dum configitur spina. Sela.

Simul quoq; calor affectuum & angoris, in intimis actus absumit et euertit omnem succũ uitalẽ, redditq; torridum magis quàm si quis mediæ æstatis caloribus exoqueretur. Talia se sentire uidetur, quoties magnitudinẽ peccati sui comparat ad beneficia dei, uni sibi præ cunctis mortalibus delata: quam ingratitudinem, ut molestissimam molem cõscientiæ suæ imminentẽ, reputat manum domini, pro qua & iustum Dei iudicium imminere non poterat nõ semper timere, Ad hoc enim dominus fi- Memoria peccatorũ grauis.

deles & amicos suos peccare sinit, ut humiliati crescant in timore dei, & de domino frequêtius & solicitius cogitent, alijs discant cõpati, & temerario iudicio non insultare. Sela autẽ iungitur, ad insinuandum sarcinæ grauitatẽ post cõmissum crimen, & perpetuã pœnitentiã.

5 Delictum meum cognitũ tibi feci: & iniustitiam meam non abscõdi. Dixi, Confitebor aduersum me iniustitiã meam dño, & tu remisisti impietatem peccati mei. Sela.

Deo peccata confitenda & quomodo.

Non quidem ignorat deum omnia scire, etiam abstrusissimas hominũ cogitationes, bonas ac malas, multo magis facta improba, quamlibet hominibus occulta, tamen suam illam prævaricationem & graue peccatũ clementiæ diuinæ conquerendo proponit, humiliter confitetur peccatum suum, & uelut medico uulnus patefacit, non ut doceat, sed ut sanetur. Qui enim morbum abscondit, & prodere non uult, medelam non suscipiet, sed indies coalescente morbo fit incurabilior, & perditioni proximior. Dicere illud scripturæ modo, pro cogitare capitur & proponere uel instituere animo. Non aũt dominus opus habet loquelis uocalibus, qui cordium secreta & cogitatus aspicit & examinat. Eidem cogitare, idem est quod uel loqui uel agere. Totus enim homo interior & exterior de sorodomini est, & iudicandus uenit deo, nisi nosipsos ipsi iudicauerimus. Ideo hic Dauid contra se cõfitetur, sese accusat et redarguit de peccatis proprijs, & domino deo suo reum se sistit, & humiliter subijcit iudicio dei, mixto tamen cum clementia, sciens dei bonitatem nolle mortem peccatoris, sed ut conuertatur ac uiuat, non ignorans longè propensiorem dei gratiã ad condonandum, sed humiliatis et confitẽtibus, quàm ad damnandum. Ad id frequentius & uiuatius cogitandum, iterum Sela addit.

6 Pro hac orabit ad te oĩs sanctus in tempore oportuno. Veruntamẽ in diluuio aquarũ multarũ, ad eũ non approximabũt.

Sancti quoque peccãt & orant.

Nullus quantumlibet sanctus inuentus est, qui non aliquando necessariam habuerit dei indulgentiam, qui non se sciat & fateatur peccatorem esse, sicut & impij sciunt se impios. Verũ hoc interest utrisq; quod qui sine fide est impius, peccat sine timore iudiciorũ dei, non respipiscit, non implorat dei gratiam, quam uel non credit, uel non curat: sanctus autem & fidelis super custodiam suam semper stat, & omnia facta sua & cõscientiæ secreta expendit secum, peccata sua tam parua quàm magna domino conqueritur, confitetur & plangit, supplicibus precibus ambit indulgentiam dei, & in quacunq; accidente angustia, sicut & fratres Ioseph, semper primum cogitant sese dominum offendisse, & nusquam nõ inueniunt occasionẽ humiliandi se coram domino quantumlibet gratia dei pleni sint, & sancti corã deo & hominibus. Cui sic respipiscenti, & humiliter agnoscẽti culpam, non oberunt calamitates ingruentes, sed ut sanctis & dei electis omnis temporalis angustia & perturbatio in bonũ cedit, ac in profectũ insignẽ. Non enim contra dominũ murmurabit tentatus, non impatiẽter feret flagella dei, sed cõtinuo memorabitur peccatorũ suorũ,

& iustum Dei iudicium diliget, gratus amplectetur. Quod quidem egregie Dauid egit, cum Semeiam ferret iniquissimum calumniatorem, sed à domino illi immissum exercitatorem. Non, inquit, pertinget te uel inuoluet quæcunq; calamitatum fortuna ut perdat, sed humili oratione & resignatione animi tuebitur ab omni malo, proderitq; pio aduersitas ad gloriam, quæ impio inferret exitium & perditionem.

7 Tu es refugium meũ à tribulatione quæ circũdedit me: exultatio mea erue me à circundantibus me. Sela.

Tuti à quibus tandem.

Vere tuti à quibuslibet malis erunt, qui tuæ se clementiæ plena fidutia commiserint, qui tuam tutelam orarint seriò. Tu enim ô deus, ait, protectio mea es, ab infestame malo quolibet seruabis me, & sic eripies me ab aduersis undiq; incidentibus, ut omni gratia tibi rependenda me me inferiorem reperturus sim, qui longe propensior sis ad condonandũ, quàm nos simus ad offendendũ, quamlibet à pueritia mali, & ad mala inclinati. Infers quidem angustias pius pater, sed non inducis in tentationes, non finis mergentes submergere, & uacillantes corruere, quin & si corruant, supponis manũ tuam, ne collidantur & pereant. Exultatio mea erue me à circundantibus me: sic legit et trãstulit priscus ad sensum piũ. Nullo alio consolari possum pro peccatis anxius, nisi inte, si te mihi clementem ostenderis, & respexeris serenovultu tuo. Hoc autem fiet, si nõ obstantibus tot & tantis peccatis meis, eripueris me à tot meis crudelibus & fortibus hostibus, undiq; me obsidẽtibus. Hebræus legit, Exultationibus liberati circũdabis me. Quod quomodo clarius reddi potuit, Fac me euadere ab ijs qui ostrepunt mihi tu qui es exultatio mea? Vbi sine punctis legisse uidetur hirec pro cere. Sequitur Sela, ut diligentius consideretur cura dei circa suos.

8 Intellectum tibi dabo, & instruã te in uia hac qua gradieris: firmabo super te oculos meos.

Vertit sermonem ad unumquemlibet doctrinæ & monitionis sanctæ capacẽ. Docet autem ac monet ne obbrutescamus, parum expendentes iussa dei, & salutẽ quam adferunt male agnoscentes. Nam is qui animum probe intenderit, ultro in uia domini curret, ut qua sciat se ad beatam uitam peruenturum. Non autem alij uere & ad salutem illuminantur, nisi hi quos dominus deus suo spiritu instruxerit. Illo docente ad salutem edocti erimus, omnis alia eruditio ad illam cõparata, stultitia est & inanis. Solo enim uerbo dei et eruditione sacra instituimur de uia salutis, et de uerbo uitæ rebusq; diuinis, et de beatitudine hominum æterna, deq; innocentia uera, quæ domino placere potest, & ab electis exigitur. Ego magister tuus & dominus, imò pater, consulam tibi prouidentia mea, dispiciam & uidebo, & consulam quid tibi conducat, quo tuum iter deflectas, solicitus curabo de te, ne erres & incidas in perniciem. Id autem est firmare oculos super aliquem, diligenti cura prospicere de alicuius salute.

Illuminari ad salutem.

9 Nolite fieri sicut equus & mulus quibus non

nõ est intellectus. In camo & freno maxillas eorũ cõstringe (q) nõ approximãt ad te.

Hoc autem prospectũ uobis uelim, ut intellectu à deo donato probe utamini, et nõ stolidiores sitis, ô uos homines ad imaginem dei creati, quàm equus est & mulus, qui discernere inter iustum & iniustum nõ possunt, qui tamen præsepe dñi sui & benefactorem agnoscunt, & diligunt, sinuntq; se mansuefieri adigiq; ad opera, et infrenari ad oportuna hominibus officia, constringi freno & lupatis, ut morem gerant tibi, hominibus scilicet incensoribus. Sic, ô homines, ostensam uobis dñi uoluntatem diligenter sectamini, finiteq; uos timore dei cõstringi, ut in uia mandatorũ illius proficiscamini, ad dominũ deum uestrũ properetis, & ad nutum illius obediatis, ne recalcitretis illius instituto, quod ignorare non potestis, toties admoniti & intelligentia præditi.

10 Multa flagella peccatoris: sperantem autẽ in domino, misericordia circundabit.

Improbe dum quis uiuit, & brutis bestijs potius quàm hominibus deo studentibus similior esse studet, multis incommodis doloribus & flagellis dei affligitur, ut recipiscat, & affectibus non rapiatur improbis contra legem domini: quod nemo poterit, nisi qui se & creaturas uniuersas sine deo nouerit plane nihil esse, cupiat autem in primis adhærere domino, cui & confidat, à cuius benignitate & misericordia circũdatur, ut tutus sit in huius mundi flagellis & tentationibus, tales dominus deserere nunquam potest. Impij sine fructu percutiuntur, & non dolent ad resipiscentiam, sed ut Pharao potius induretur, desperant de eius gratia, & exitio præparantur.

11 Lætamini in domino & exultate iusti: & gloriamini omnes recti corde.

Commodum iustos & rectos corde ad gaudium lætitiam & exultationem inuitat. Cui enim hæc potius conueniant, quàm eis qui cum deũ habeãt propitiũ, beneficijs dei uallati sint, ut semper lætẽtur, non in se & proprijs meritis, uel sanctimonia, sed in dño, de cuius clemẽtia beneficijs admoniti nihil addubitant, & qui iusti sunt per fidem, uelut ex læta conscientia iuge conuiuiũ celebrãt, & lætantur in dño, laudesq; domino dicunt, nõ ex fictio neue uerbo, & uocali clamore, sed ex corde dño psallendo iam purificato per dei gratiã, omnibus affectibus improbis, nihil in hoc mundo gratius habentes, quàm sanctificare nomen domini illiq; probari?

PSALMVS XXXIII.

In finem Psalmus Dauid.

Vnde antiquis irrepserit hic titulus incertum est, cum Hebraica exemplaria titulo careant.

ARGV. Laus dei est & professio bonitatis diuinæ.

1 EXultate iusti in domino: rectos decet collaudatio.

Perpetuo & conformiter transfert prius רנן pro exultare, uocibus scilicet & animo laudes dicere, et testari gaudium gestibus quibuscunq;. Id soli possunt sanctificati per fidem, & domino toto corde adhærẽtes, certi de beneuolẽtia dei ad se, tanquam patris ad filios, sub cuius protectione & tutela desperare uel periclitari non possunt. Nec syncerior lætitia in hoc mundo contingit, ea qua pij & fideles in domino exultant, certi nihil ipsis incommodare posse totũ mundum si pro se dñm habuerint, qui suos negligere ut summe pius nõ potest. Non aũt gaudet de mũdo, in quo non est nisi cõcupiscentia carnis, & cõcupiscentia oculorum, & superbia uitæ, quæ cũ non sint à deo, non possunt fideles in talibus exultare, sed fugere & detestari. Recti uero habentur, qui ex bono & æquo agunt cum omnibus. Hi quia domini bonitatẽ intelligunt, ideo eam laudant, idonei laudatores, quibus nihil optatius accidere potest, quàm celebrare dei laudes. Lætitia syncera.

2 Confitemini domino in citharа: in psalterio decem chordarum psallite illi.

Excitare cupit Dauid rex sanctus in animis populi sanctos affectus ac religiosissimos, ut de diuinis beneficijs lætitiã adaugeret, non solum officio uocum, sed & organorum concentu. Decet siquidem in sacris cœtibus, & dum sanctis cũ deo negotiũ est, totum animũ in admirationem et laudẽ dei rapi. Ad id quantæ sit efficaciæ Musica, & ex facto Elisæi colligitur, qui animũ suum omni perturbatione dispulsa, Musica harmonia ad percipiendum sacrũ superni spiritus afflatũ apparabat. Instrumentorum aũt figuræ & nomina partim et pro hominũ industria mutãtur quotidie, ideo nihil de illis certi nec scitu necessarium dici posse crediderim, quin alijs hæc tractanda rerum talium studiosioribus sponte permiserim. Musica qualis in cœtu fidelium.

3 Cantate ei canticum nouum: bene psallite (ei) in uociferatione.

Laudandi dei innouatũ studium uoluit excitare, quod ex renouata diuinæ bonitatis propensione solet exurgere. De his sanè quæ homines summe afficiunt, & quorũ memoriã penitus cupiunt infigere, solent ferè nouas componere cantilenas. Sic Moses mari rubro transmisso, & extincto Pharaone, hymnũ cecinit, & Debbora occiso Sisara. Nemo uero huius studiosior fuit Dauide. Tubæ autem cantum in eo dixit, quod subiecit, Et bene sonate, suauem ædite harmoniã cum iubilo & clãgore tubæ. Insigne igitur crimẽ est Christiano homini cantica confingere de scortationibus, & hominũ calumnijs, æquale talibus spurcitijs sese oblectari, maxime uero puellas, quas in primis decet uerecundia, honestas, horror ad omne impudicum uerbum, multo magis sermonem uel carmen. Studium dei laudãdi

4 Quia rectum est uerbũ domini, & omnia opera eius in fide.

Incipit prædicare dominum à factis & operibus suis, quæ omnia necessario recta sunt. A summo enim bono non proficiscitur nisi bonũ, omnia summa cum æquitate & fide instituit, agit ac gerit. Ordo diuinæ prouidẽtiæ per omnia est irreprehẽsibilis, ut seipsum iure falsitatis redarguat, qui operibus dei detrahere tentat, cuius uoluntas inobliquabilis, ut impediri non possit. sic nec fallere, nec falli. In fide sunt opera eius, stabilia, uera et utilia ad pfectũ electorũ etiã id ignorãtiũ, ideoq; fidelibus grata esse debẽt, et absq; dubio sancta haberi & fidelia. Opera dei omnia recta

5 Diligit (iustitiam) misericordiam & iudicium: misericordia domini plena est terra.

Quæ deo placeant.

Complacet domino Deo, ut inter homines, quos ipse creauit & moderatur, uigeat iudicium & iustitia, æquitas scilicet & concordia, eatenus ut quod sibi quisq; fieri optat, id alteri ex animo deferat, ut conseruetur charitas & amicitia talis, ut pax & gaudium inter homines uigeat. Hæc est enim dilectio quã Christus mandauit discipulis, hæc finis totius legis, syncera charitas, ut mutuum diligant se homines, quemadmodum à domino deo suo diliguntur. Ad hoc docendũ & commendandũ dñs orbẽ terræ impleuit beneficentia sua, solem suũ oriri faciens super bonos & malos, omnia sapientissime disponens et amicissime, pro omnibus suis beneficijs nihil exigens, quàm ut homines sese diligant. Quicquid uspiam cõspicitur ab hoĩbus, nihil est nisi misericordia & beneficentia dei, in usum enim hominis uniuersa condidit & ordinauit, ut omnia illi seruiant, ipse autem creatori.

6 Verbo domini cœli firmati (facti) sunt: & spiritu oris eius omnis uirtus eorum.

Spiritu dẽ creata oĩa.

Vnico iussionis suæ uerbo, quod & sapientia dei est, & uerbum patris omnipotentis æque æternũ, cœli omnes facti & ordinati sunt, iuxta suũ ordinẽ influẽtes rebus inferioribus. Et spiritu ex ore illius procedẽte, id est sanctissima uoluntate sua & increata bonitate, quæ spiritui sancto appropriantur ut unica actione pater uerbum spiritus sanctus egerint unus deus, quicquid actũ & productum est in tota machina mundi, omnes scilicet stellæ, planetæ, sol et luna, ornatus et exercitus cœlorũ. Omnia enim quæ sunt in cœlo, terra, & in elementis omnibus, unius omnipotẽtis dei creaturæ sunt, ad hominis obsequiũ conditæ, ut ipse creatori seruiat, illis potissimum donis, quibus homo omnia antecellit corporea, intellectu, uoluntate, fide, spe, atq; charitate.

7 Congregans (sicut) in utre aquas maris: ponens in thesauris abyssos.

Miraculũ maris.

Miraculum diuinæ uirtutis, quo mare suo loco continetur, ne in terrã inundet, nunc explicat eleganti cõparatione abusiua, qd' dicit, uelut in utrẽ aquas collectas, & in suum locũ ceu thesaurũ repositas: ut ostendat dei immensam potentiã in tam uastum mare, qualem homo in pauxillũ aquæ, quã utre cõcludens reponit quo libet. Iudæi nunc tumulũ uel cumulũ exponunt, quod priscus interpres utrẽ dixit. Cuius ueluti thesauri sunt, hominibus numirum inuestigabiles, abyssus maris, ubi miracula naturæ maxima dñs operatur ad suã gloriã, sanctis tantũ in patria contẽplanda. Non enim tunc fideliũ felicissimæ animæ otiosæ erũt, intelligẽt enim nõ intuitione tantum diuinam essentiam, sed etiã omnipotẽtiæ diuinæ gloriosissima opera in cœlo & in terra ac mari.

8 Timeat dominũ omnis terra: ab eo autẽ comoueantur omnes inhabitãtes orbem.

Reuerẽtia ad dominũ.

Ad tam omnipotentis maiestatis diuinæ timorẽ & reuerentiã hortatur fideles, ut quẽ tanta posse intelligunt, eum studiosius excolant & plus illi cultus digni deferantur, & illius beneplacito diligentius obsequantur. Cum enim deus omnem aliã potentiã infinito excedat, ut qui nutu uel dicto cuncta efficiat, debuerat merito à nobis præ omnibus metui, coli & uenerari, à quo omnia pendent, ut à creatore, & conseruatore. Vnũ opus olim edidit omniũ creator, quo homines orbis habitatores terruit, & perpetuo formidare cõpellit diluuiũ uniuersale, quod quanquam promiserit nunquã iterandũ, nihil tamen uetat, quin sibi populi singuli timere debeant, obuiam cinitatem mariũ & fluminum, imbriumq; cataclismos, quales multæ gentes propter peccata sua non raro experiuntur, ut sine cessatione oporteat formidare.

9 Quoniã ipse dixit, & facta sunt: ipse mandauit, & creata sunt.

Quid ni reuereantur omnia illum deũ, qui uno uerbo condidit omnia, quandoquidem unico iussionis suæ mandato pariter omnia finire & delere æque potest. Dominus est enim ipsissimus ille autophies, à se solo habens essentiam, & omnibus esse præbens, cuius uoluntati resistit nihil. Omnia quæcunque uoluit fecit in cœlo & in terra, uirtute sua perstant omnia, ea scilicet qua et creata sunt, unica enim uoluntate et ea immutabili & æterna fecit omnia, qua & gubernat ea, & conseruat quoad placuerit, solius mandati uel uolitionis suæ nutu omnia in nihilum redacturus, si libeat.

10 Dominus dissipat consilia gentiũ: reprobat (autem) cogitationes populorum (& reprobat consilia principum.)

Gentilis ce celebrandus & colendus.

Vtcunq; unus sit omnium creator & gubernator uni rum consiliũ fuit plures colere gubernatores. Vnius ue ri dei cultores, gentium odium & persecutiones multas semper sustinuerunt, quibus magis semper placuit pariri honores diuinos multis, quàm unũ agnoscere omnia agentẽ in omnibus. Sed dissipat hæc et alia improbatium consilia dñs, & confundit stultã sapientiam huius mundi, & quicquid contrarium statuitur uerbo dei, ut semper tentatur ab impijs, tantoq; conuincuntur stultio res, quanto suo sensu magis annixi sunt emendare & corrigere præcepta diuina, & suo tantum sensu abundare. Adiectitiũ est, quod Latini habẽt, Et reprobat consilia principum: nõ inutile, sed diuino spiritu appositum ad declarationem prioris sententiæ.

11 Consilium (autem) domini in æternũ manet: cogitationes cordis eius in generatione & generationem.

Consilium dñi

Consilium dñi non tale intelligãt, ut dominus cogitando perquirat humano more quid agendũ utilius et oportunius: sed intelligitur prouidẽtia dei et ordo ab æterno institutus & impermutabilis, quandoquidẽ uno intuitu cognoscit omnia præterita, præsentia, & futura: nec est potestas creaturæ cuiuscunq;, quæ ordinẽ & consilium domini ualeat infringere uel modico. Est enim uoluntas dei ipse deus, et uolitionis actus à diuinitatis perfectione & potentia nõ differt. Omnia enim dei deus sunt, & infinitate perfectionis maxime eadẽ, æque immutabilia & æterna. Sed & qd' constituit de electis uel reprobis consilium dominus, nemo mutabit, et quæ per omnia sæcula futura sunt, magna opera uel parua, dominus cogitatione sua præordinauit atq; prouidit, & in finem sibi gloriosum ac fidelibus utilem ordinauit.

Beata

12 **Beata gens cuius est dominus deus eius: populus quem elegit in hæreditatem sibi.**

Missis curiosis & imperscrutabilibus mysterijs præ-
destinationis & prouidentiæ uniuersalis, id unũ fideles
cogitent summatim & certissimum, beatam esse & fe-
licem in præsenti tempore & futuro sæculo, eam gentẽ,
quæcunq; tandem talis sit, & ubiq; locorum, quæ non
aliam colit deum quàm omnipotentẽ creatorem omniũ,
cuius prouidentia omnia gubernantem sanctissime, etiã si
rationes operum illius assequi nequeat: qualis olim erat
sola illa gens Israëlitica, uel ab Abraham deriuata,
quam dominus elegit sibi peculium. Tales autem specia-
liter deo electi tunc quoq; erant, ut nunc omnes illæ gen-
tes uel personæ in populis omnium nationum, quæ per
dei gratiã tractæ sunt, ut scirent à deo omnia geri, proq;
ipsius uoluntate omnia perfici, qui & persuasi sunt deo
se haberi filiorum loco, quare utcunq; cadant res, tan-
dem in salutem sibi cuncta cooperatura nihil dubitant:
de quibus Dauid, Beata gens illa est, cui deus se tutorem,
seruatorem, summumq; bonum exhibet, & quam exco-
lit uelut hæreditariam atque præcharam possessionem.
Tales sunt filij Israël, non solum carne geniti, sed etiam
Abrahæ fide donati quicunq; ubique & semper. Qui
quales, ubi, et quando fuerint, quid de deo cognouerint,
quanta fide in deum donati sint, quanta dei gratia con-
donati & iustificati, deus nouit, nostrum est de nobis so-
licitari, ut quàm digne dominũ colamus et obsequamur.

13 **De cœlo respexit dominus, uidit omnes filios hominum.**

Pro immensitate quidẽ sua deus omnia implet, adest
omnibus creaturis, illas conseruando in essentia sua, per
fectissime cunctas & quasi sigillatim omnes aspiciendo,
omnia agendo in omnibus: in quo uiuimus, mouemur &
sumus. Quia autem maiestatis suæ excellentiam ostẽdit
mirabiliter in cœli perpetua claritate & lege, à quo
hæc omnia inferiora reguntur & permouentur, iuxta
dominũ uoluntatem, & semel assignatũ illis ordinẽ, ideò
dominus in cœlo uelut sedere intelligitur, et tamen inde
prospicere in omnia quæ ubiq; geruntur & fiunt. In pri-
mis autem aspicit eos, propter quos creauit omnia alia,
filios hominum, non oculis carnis, sed clementia uolun-
tatis, paratus adiutor & protector conseruatorq; &
beatificator. Eius enĩ aspicere est misereri et benefacere

14 **De præparato habitaculo suo respexit su per omnes qui habitant terram.**

Quia id difficile hominibus persuadetur, ideo repe-
tit idem asseuerando, sedere quidem deum in cœlesti ha-
bitaculo suo, omnium imperatorem & dominũ, circum
spicere tamen ad singula quæ geruntur in mundo, non
theorico tantum aspectu, sed practico, omnia agens in
omnibus, maxime autẽ habitatores orbis homines, quos
præfecit animalibus & cæteris omnibus creaturis, qui-
bus uterentur ad id tantũ, ut domino deo suo fruerẽtur.

15 **Qui finxit figillatim corda eorum: qui intelligit omnia opera eorum.**

Deus finxit formauitq; hominem, non secus atque fi-
gulus è luto uas fictile. Nihil igitur in homine esse po-
test, quod deum fallat, ipse totum per omnia scrutatur,
imò simpliciter clarissimeq; aspicit intima cordis huma-
ni, tantum abest ut opera illius omnia non contemple-
tur, quæ prostant magis, de quibus homines quoque iu-
dicare possunt patentibus. Hæc autem si certò homines
crederent, quanta quæso esset nobis in deum fiducia, o-
mnia nimirum & optime quidem disponentem? Quæ
enim sanctimoniæ cura uersantibus coram deo & con-
ditore nostro esse deberet, cui cordis nostri penetralia
magis quàm nobis ipsis patula sunt.

Deus non fallitur.

16 **Non saluatur rex per multam uirtutem (&) gigas non saluabitur in multitudine uirtutis (suæ.)**

Regis quidem maximæ copiæ sunt, quibus nihil non
confecturus uidetur, his enim potentia & uirtus regis
constat: sed nulla est comparatio fortitudinis regalis ad
diuinam, quin & totius militiæ suæ robur & uictoria,
non nisi à domino pendet. Non saluatur rex quiq; satelli
tibus, & propugnatoribus, corporisq; qualibuscunque
custodibus, nec cuiusquam uel fortissimi herois uirtus
quicquam iuuat sine domino, uel domino nolente, qui
funda lapidis uicit Goliath, Sisaram manu fœminæ, &
Holofernis exercitum muliebri fortitudine cum duce
confudit.

Diuina uirtus.

17 **Fallax equus ad salutem: in abundantia autem uirtutis suæ non saluabitur.**

Vtq; equus bellicosissimum animal singulari uirtute
præditus dicitur, ut saluti sit sessori, siue oppugnandus
sit hostis, siue fugiendum, nihil tamen saluti conducet.
Nihil omnino salutis sperandum est à creaturis. Inutilis
est & inefficax ad salutem, tam regis quàm equorum
fortitudo, quæ maxima creditur. Non satis firme nutitur,
qui in quicquam confidit aliud quàm in solum deum, à
quo omnis uirtus pendet fortium, ut saluare possit, bon
tas quoque & clementia ad suos credentes, ut uelit suc
currere non indignis.

In creaturis spes nulla.

18 **Ecce oculi domini super metuẽtes eum, & in eis qui sperãt super misericordia eius.**

Quanquam omnia nouerit & intueatur, non tamen
probat & suscipit gratos, nisi se timentes, & digne co-
lentes, prout illi complacitum est, & secundum uerbum
suum. Istis enim inuigilat, & continuo auxiliatur ad bo-
num, quando quidem non in alium sperant, nec fiduciam
totam iaciunt præterquàm in illius beneuolentiam &
gratiam. Quis enim assisteret ei, qui nullum sperat uel
precatur auxiliũ? Quis contrà uir bonus desereret ami
cum eum, quem sciret sibi deuinctissimum, et optime de
se sperantem, iam uerò de salute finaliter periclitantem?
Multo minus id faciet summa bonitas, & gratia incom-
parabilis diuina ad electos suos, quod non obmitteret pa
rens indulgentior ad filios.

Gratia dei electos.

19 **Vt eruat à morte animas eorũ, & alat eos in fame.**

Quoties etiam ingens periculum imminet suis filijs
dominus succurrit, quanto magis in minoribus uel con-
tra? A morte redimit suos dominus & author uitæ &
necis, qui solus potest in mortis periculo potenter succur

Dominus suis succurrit.

rere, et quibusuis calamitatibus remedia adhibere, qua-
lium maxima est fames, quam dominus dispellit, uiuifi-
catq; fame alioqui morituros. Ad hunc unicum patrem
& nutritium currendum nobis, qui solus saluare potest
animas in uitã æternam, & corpora cõseruare & ale-
re ad suam periodum, qui dat escam omni carni, & im-
plet aperta manu omnia benedictione.

20 Anima nostra sustinet dominum: quo-
niam adiutor & protector noster est.

Expectare dominum. Secure sancti dominum expectant, pleni fide, & cer
ta expectatione bonorum promissorũ, donec exhibeat.
Non autem in spe firma manere poterimus nisi dominus
adiuuet, in angoribus uirtutem administret fidendi do-
mino, in tot aduersis euentibus. Ipse autem dominus ad-
iutorium nostrum est, & scutum, quo protegimur à ia-
culis hostium, quæ excipit pro nobis, & sibi factum im-
putat quicquid ab impijs aduersi infertur fidelibus, sicut
scutum feritur non corpus eius quem protegit.

21 Quia in eo lætabitur cor nostrum: & in
nomine sancto eius sperauimus.

Gaudium electorum. Purum & stabile gaudium electis non est, nisi in
domino, dum interim impij gaudent in rebus peßimis,
nec pij gestiunt sæculari gaudio ac forensi corporeoq;,
sed in sinu, in corde, intra conscientiam, non sibi con-
sciam alicuius malitiæ, sed certa de domini benignitate
& gratia: cuius nomen semper sanctificari precantur
& optant sancti, & de sacrosancta uoluntate confi-
dunt, cuius nomen super se inuocatum agnoscunt &
uenerantur.

22 Fiat misericordia tua domine super nos
quemadmodum sperauimus in te.

Nomine totius populi dei precatur ultimo, ut dei bo-
nitas iuxta spem ipsorum in eos iugiter exeratur, quo
simul quomodo deus confidentes in se, et omnia ab ipso
Deus adiu- expectãtes habeat: docet nempe, quòd perpetuò eis ad-
tor perpe- esse soleat, iuuare & defendere, in omnibus consolari
tuus. & recreare, ut iugiter in ipso & de ipso gaudeant, iu-
xtaq; spem suam, sempiterna bonitate eius perfruantur.
Hæc autem sors non est omnium, sed tantum electorum,
& à dei prouidentia in omnibus pendentium. Non ta-
men æquiparatio intelligenda est, ut non magis misere-a-
tur quàm nos quandoq; speramus: sed uult dicere, Quan
doquidem nos more nostro speramus, sic tu tua infinita
gratia nobis adesse semper digneris.

PSALMVS XXXIIII.

Dauid cum immutauit uultum suum co
ram Abimèlech, & dimisit eum, & abiit.

Hic rex ad quem Dauid confugit Achis proprio no-
mine dicebatur. Sed quia Palæstinorũ rex erat in Geth,
ideò pro more regni Abimelech dicebatur, accommo-
dato regibus uocabulo, quos patrum loco esse decet po-
Vultum mu tare. pulo: historia legitur 1. Regum cap. uicesimoprimo. Vul
tum autem mutasse dicitur, quia totum habitum corpo
ris immutauit, et iudicium fefellit hostium suorum, inter
quos de uita periclitabatur, sed domini dei sui benigni-
tate exemptus est: cuius prouidentia contigit ut rex A-
chis Dauidem à se expelli iuberet tanquã insanientem:

à quo tanto periculo liberatus, hunc Psalmum cõposuit.

ARGVMENT. Gratiarum actio est deo pro-
exemptione à grauibus periculis. Est autem alphabeti-
cus deficiente litera Vau, quæ tamen in medio uersu po-
nitur, fortassis aliter olim distincto.

1 Benedicam dominũ in omni tẽ-
pore: semp laus eius in ore meo.

Non modicum indicium est seruilis di-
lectionis & proprij amoris, si quis domi- Laudandus
num tantum laudet in prosperis, & ipsum tunc inuocet etiam in ad-
uel agnoscat. Verè pij dominum collaudant in prosperis uersis.
& aduersis, omni tempore dominum benedicũt, ut Iob,
qui dicebat, Si bona recepimus, &c. Idcò exemplũ perfe-
ctorum Dauid exhibens, promittit se dominũ benedictu-
rum in omni tempore, & sine intermissione laudare do
minum non solum corde, sed ore et opere, quandoquidẽ
uerè fidelis nunquam non sentit beneficia dei, ideò mini
me cessat à laudibus.

2 In domino laudabitur anima mea: au-
diant mansueti, & lætentur.

Gloriantur sancti nõ in suis operibus sed diuinis, ob- Gloria sua
lectantur non tam in beneficijs à deo perceptis, quàm in deorum.
clementia et gratia donantis: suã iugiter indignitatẽ me
ditantur, & misericordiã dei circa figmentũ suũ et pec-
catores indignos, celebrãt pro uirili, cupientes similiter
gratulari in domino & lætari omnes in hoc mũdo male
affectos, sed et cum mansuetudine suscipientes, quicquid
dominus eis ferendũ immiserit in hoc mundo, ubi pressu-
ram habent electi, et male tractantur ab impijs, quia nõ
sunt de hoc mundo, à dño autem minime deseruntur, sed
singulari suo tempore lætitia perfunduntur, quam poten-
tes huius mũdi uel ignorant, uel minime curant sectan-
tur uel assequuntur, alias enĩ gaudiorũ causas inquirũt,

3 Magnificate dominum mecum: & exalte
mus nomen eius in idipsum.

Congratulamini mihi omnes qui deũ agnoscitis, qui
illius magnalia didicistis, scitis enim bonitatẽ & poten-
tiam eius qua succurrit famulis suis, in maximis despera
tionibus constitutis. Non mihi soli propitius auxiliatur,
sed omnibus in ueritate illũ inuocantibus. Omnes igitur
pariter dominum exaltemus, id est altitudinẽ iudiciorũ
suorũ, & beneficentiæ suæ admiremur et collaudemus,
agnoscentes illius gratiam, non fortunæ & humanæ pru
dentiæ ascribẽtes exemptiones à malis, sed beneficia do
mini esse agnoscamus, & gratias referamus.

4 Exquisiui dominum, & exaudiuit me: &
ex omnib⁹ tribulatiõibus meis eripuit me.

Longe benignior est & modestior, quàm ut humili- Benignitas
ter se orantes, & pro auxilio requirentes, non illico re- dei.
spiciat, et ad salutem exaudiat pater filiorum. Taceat il
lius laudes & gloriam, qui humiliter & fide dominum
inuocans non est exauditus. Id quod impie Bernhardus
iactat de beatißima quidem uirgine, quod illa minime
agnoscit, sed filio uult acceptum referri, non sibi uel ali-
cui creaturæ. Sed requirendus est oratione et confessio-
ne delicti, agnoscendæ causæ sunt propter quas uapula-
mus, & ad neminem suspicere, quàm ad unum deum, qui
respondet

respondet humilibus, & ex omni pauore inutili uel molesto liberat suos, non ut non timeant dominum, sed ut iudicia domini æquanimiter ferant, et sub onere aduersitatum huius mundi non succumbant.

5 Accedite ad eũ, & illuminamini: et facies (eorum) non confundentur.

Accedere ad dominum, est respicere plena fiducia ad auxilium domini, & de gratia illius illustrari, non secus ac luna globus illuminatur dum solẽ accedit, & de proximo respicit. Sic fideles illuminantur, dum propius deũ accesserint, & mandata domini diligenter inspexerint. Hebræus legit Accesserunt ad eũ, & accurrent uel confluent. Visa enim dei pietate tam clare demonstrata, nihil impedit quo minus festinent ad eam participandam, & sese committendum illius præsidio. Et facies eorum non confundentur, quia spe sua non fallentur, non pudefiet eorum uultus, sed à domino adiuti exhilarabuntur, uelut illuminati bona spe concepta, quasi luce dei læti fruerentur, omni prorsus animi cõsternatione adempta.

6 Iste pauper clamauit, et dominus exaudiuit: & ex omnibus tribulationibus eius saluauit eum.

Nedum Dauid, sed quisquis animo humili & contrito cum fiducia clamauerit ad dominum, non potest non exaudiri, pater enim est orphanorum et uiduarum, hoc est, omnium in hoc mundo per uiolentiam oppressorũ, quorum clamores in cœlũ ascendunt, & à domino pauperum querelæ & lachrymæ audiuntur. Nec solum audiuntur, sed & cõsolationem suscipiunt, ut ab omnibus angustijs liberẽtur, sed in latitudinem libertatis statuuntur, ut salui fiant: sic à domino non superbi meritis exaudiuntur, etiã si clament, sed inopes spiritu & nihil præsumentes, sed de paupertate spiritus sibi conscij gratiam orantes.

7 Immittet (castra ponit) angelus domini in circuitu timentium eum: & eripiet eos.

Castra sua circumponit angelus dominus in ministeriũ missus eorum qui electi sunt, hoc ueluti exercitu quodã tutus dei, omnes qui timent, id est colunt dominum, ne læsum ab hostibus. Ita promiserat Israëlitis deus, angelum se missurum qui eos præcederet, & in promissam terram introduceret. Et Dauid quoq; non nisi ministerio angelico ereptus est ab Achis. Non enim dormit qui custodit fideles, ne inimicus homo tantum pijs nocere possit quantum intendit & tentat, non ob merita fidelium, sed propter dei clementiam.

8 Gustate, & uidete quoniam suauis est dominus: beatus uir qui sperat in eo.

Huiusmodi tam benignam ac solicitam dei assistentiam tubemur gustare, sentire, experiri & animaduertere, ut tantis nos beneficijs deus obruit etiam indignos, & cõtinuo illi peccantes, ut clare ex nostra malitia perpendamus dei bonitatem, ut discamus fidere illo & nitì à quo pendet omnis facultas & fortitudo nostra. Omnis enim piorum uirtus à domino est. Et soli hi beati sunt ac felices, etiam in hoc mundo, qui sese totos domino committere possunt, & curam suam iaciunt in deũ optimũ.

9 Timete dominum (omnes) sancti eius: quoniam non est inopia timentibus eum.

Timor dei & spes.

Inde hortatur ad timorem dei & cultum. Non enim uerè sperat, qui non timet dominum, ut ab illius offensa cauere anxie desyderet. Præsumptio est enim & temeritas multum illi fidere, cui te beneficijs uel officijs commendare non uelis. Non itaque deo fidunt, nec cultũ dignum exhibent, nisi sancti sui, nisi hi qui ab omni diuina offensa diligenter cauere studeant, qui filiali timore uirtutis amore dominum reuerentur. Istis autem sanctis religiose deum timentibus nihil unquam deficiet, nullo uerè bono egebunt. Domino enim curæ sunt, ut parentibus filij, qui quæ prodesse possunt suppeditant filijs, nõ quæ incommodare. Ipse autem nouit quibus egeamus, non est ut illi commissi de necessarijs huius uitæ nobis procurandis simus soliciti, nec tamen otiosos fert suos.

10 Diuites egerunt et esurierunt: inquirentes autem dominum non minuentur omni bono.

Fortes leones & uiolenti quales esse consueuerunt diuites cũ pauperum iactura & oppressione, qui sibi rapiunt quanta possunt, & diuitias accumulant per fas et nefas, sine timore dei, hi tales omnes iudicio diuino suo tempore depauperabuntur, & necessarijs egebunt, ut etiam esuriant ac sitiant ad diuitis epulonis exemplum. Non sunt enim stabiles diuitiæ temporales, sed uera uirtus, ubiq; tuetur & supplet egestatem, sciens abundare & penuriam pati, in omnibus ditari, omnia possidere, etiam si nihil habeat. Tales autem facit dominus eos qui se timent, & quærunt illi probari per omnia.

Diuitiæ temporales.

11 Venite filij audite me: timorem domini docebo uos.

Quandoquidem sic dominus suos fouet, & omni bonorum genere ditat, non indigne etiã hortatur ad uitam deo gratam. Filios appellat, quod discipuli & auditores à præceptoribus sic uocari soleant, ut in Prouerbijs & Regibus, de filijs prophetarum, qui dicuntur discipuli & filij. Docere autem uult timorem dei, & ad illum assuefacere, id est, uerum dei cultum & uitam religiosam suadere quæ deo probetur, cuius timor & obseruantia fundamentum est, & initium pietatis et ueræ sapientiæ. Non docet autem uana spiritus domini, sed utilia et probata, non curiosa & falsa, sed necessaria & uerissima.

Filij sunt discipuli.

12 Quis est homo qui uult uitã, diligit dies uidere bonos?

Allicit ad timorem dei, id est, ad ueram pietatem spe promissorum, significans uitam & diuturnam omnisq; boni copiam expectandam à domino. Deus enim talium author, cui potius ea donaret quàm suis? Et certe ea seuerè colentibus affatim suppeditat, nõ solum ueteribus, qui cum puerorum instar erant sub legis pædagogo, his erant delinimentis ad pietatem alliciendi, sed & noui testamenti sanctis, qui ampliorem bonorum dei fauorem experiuntur. Quæ uerò felicior uita, quàm animo semper gaudere de beneficijs dei? Quæ expetibilior longæuitas, quàm saturum uitæ huius migrare in cœlum?

Spes promissorum.

13 Prohibe linguã tuam à malo, & labia tua ne loquantur dolum.

Timorem cultumq; dei, quem docet, in eo constituit, ut neminem uerbo uel facto lædas, beneficentiæ summopere studeas, pacem cum omnibus religiose colas, linguæ iniurias quæ ut faciles ita plurimæ sunt diligenter prohibeas, ut & ab iniuria manifesta & dolosa lubricitatem linguæ contineas. Hoc autem fit, non leui studio, sed admodum diligenti, ut quæ loquaris solicite expendas, ne offendas in lingua, quod nec sancti quidem et perfecti semper possunt.

14 Diuerte à malo & fac bonũ, inquire pacem & persequere eam.

Vt eradicare zizania seminare præcedit, sic à malo recedere, de peccatis resipiscere præcedit operationem boni, & plantationem uirtutum. Nec unum sufficit sine alio, non qui mala obmisit, sed qui bona fecit laudabitur. In uia uirtutum stare & non progredi, retrocedere est. Non uitabit mala qui se non exercitabit in bonis. Arbor bona non est, quæ nõ profert bonos fructus in tempore.

Pax studiose quærẽda.

Obseruandum quod dicit, inquire pacem & persequere eam. Nisi enim studiose quæras, ut in pace uiuas cum proximo, et totis uiribus incumbas, dum sese obtulerit occasio, frui ea non diu licebit. Tot incidunt quotidie inter mortales offensæ, tam uaria sunt hominum ingenia & iudicia, ut omnem pacis occasionem apprehendere Christianus debeat diligenter & fortissime retinere, ad quod necessaria est sui abnegatio, talis, qua non semper quæ sua sunt quærat, non alta sapiat, paucis stare possit contentus, tam honoribus quàm diuitijs, nihil antiquius ducens, quàm omnibus benefacere, omnium defectus ferre: hoc tandem est sese abnegare, talis perpetua pace frui potest. Id eorum tantum est, qui per Christum se sciunt esse in numero filiorum dei, nihil aliud satagentes, quàm ut patri suo huic gratificentur, eius ut boni filij bonitatem æmulantes.

15 Oculi domini super iustos: & aures eius in preces eorum.

Ab iniuria cauendum.

Causam reddit cur cauendũ ab omni iniuria tam uerbis quàm factis. Omni studio autem in id incumbendum, ut in pace cũ omnibus uiuentes, benefici simus in quoslibet. Oculi domini intenti sunt in iustos, ut eis ꝓspiciat, ne quo bono careant, sicq; inciderit calamitas, simul atq; inuocarint, audit eos, quia aures habet clamori eorum auscultantes. Placet enim patri ut quàm simillimos filios aspiciat: & ut nos mutuum benefecerimus, sic nobis benefaciet dominus. Non ergo despiciendi miseri sunt à nobis, nisi & nostram miseriam deum despicientem ferre possimus, diligenter circumspiciendum pijs, ubi beneficio eorum egeat proximus, ut pater noster in cœlis continuo prospicit fidelibus suis. Quòd si aures clauserimus pauperibus clamantibus pro sua necessitate, haud dubiũ quin & deteriora patiemur, non exaudiemur etiam si clamauerimus.

16 Vultus (*autem*) domini super facientes mala: ut perdat de terra memoriam eorum.

Vindicta.

Non nobis cogitandum de uindicta in eos qui male faciunt nobis, qui nos lædunt, facies enim dei illis intenta est, sed ut suo tempore eos de terra deleat, aboleatq; eorum memoriam. Facies Hebræis pro ira & furore accipitur. Iram igitur domini sentient, qui male agunt, qui leges charitatis aspernantur, facile propensi ad sibi uitilia, cum iniuria proximorũ, qui nec deum uerentur nec homines, qui bonum facere nesciunt. Tales domini iudicium durum experientur, non solum eorum apud homines memoriam perituram, sed æternaliter damnandos, quod est excindi de sanctorum consortio & felicitate.

17 Clamauerũt (*iusti*) & dominus exaudiuit (eos) et ex omnibus tribulationibus eorum liberauit eos.

Clamor iustorum.

Ad iustos refertur, cum proximus uersus de impijs loquatur, ideoq; pie & erudite priscus addidit, Clamauerunt iusti ad dominum, quod fortasse tunc scriptum erat in exemplari, nunc autem ab Hebræis, nescio quam ob ne, nõ scribitur. Clamantibus enim iustis dominus auscultat & succurrit: impijs autem auertit faciem, & aures obturat. Non enim nubes penetrat superborum oratio, sed religiosorum, quos ubi exaudire decreuerit, etiam allicit ad orandum. Certum est enim signum negandæ gratiæ dei, ubi nullam orandi gratiam largiri uidetur. Liberat autem eos deus, pios scilicet ab omnibus angustijs, quas non magnifaciunt, ubi iactura fit rerum corporalium, sed ubi decedit quippiam uel gloriæ dei uel profectui piorum & de ueritatis iactura et uirtutis. Nec tamen statim semper exaudit clamantes, quia non semper quæ meliora sunt pueri sibi petunt: pater nouit quando filij clamantes exaudiendi. Crudelis medicus est, qui exaudit hominem & parcit uulneri & putredini. Matres fricant in balneis ad salutem filios, interim inter manus clamantes, cum sint plenæ pietatis. Sic deus aliquando non exaudit filios, plenus charitate, ut sanet & parcat in sempiternum

18 Iuxta est dominus ijs qui tribulato (contrito) sunt corde & humiles spiritu saluabit.

Præsentia dei & auxilium.

Altus quidẽ dominus est, sed proximus humiliter sentientibus, electis suis et corde contritis, hoc est grauiter afflictis animoq; saucijs & consternatis, qui & pauperes spiritu dicuntur, quos ad se Christus uocat, quorum est regnum cœlorum: dei siquidem est iuuare secundum nomen suum. Quos autem potius iuuet quàm bonos & humiles, omni alio auxilio destitutos, & auxilio opus habentes? Tales sunt, qui uiuere pie instituunt, & in hoc sæculo persecutionem pati coguntur. Eos deo peculiariter curæ esse qui ab hominibus & deseruntur & iniuria præcipue afficiuntur, ut pauperes uiduæ & pupilli, quibus dominus adest, si in deo rerum suarum præsidium collocant. Nec requirit deus, ut suis mala non doleant, sed ne illos ab officio pietatis dolores distorqueant: tolerantes uult dominus non insensatos.

19 Multæ tribulationes iustorum: & de omnibus his liberabit eos dominus.

Miseriæ iustorum.

Iustus malis multis inuoluitur calamitatibus huius uitæ, non malis criminum, sed pœnarum: ideò erudite priscus transtulit Tribulationes. Exemplo sunt Abraam, Isaac,

Isaac, Iacob, Ioseph, Dauid, Ezechias, Iosias, prophetæ & dominus prophetarum Christus, cum omnibus apostolis: sed de his omnibus liberauit eos, non ut non immorarentur his malis, sed non uincerentur à malo, sed Dei gloriam magnificarent, & in gloriam dei transferrentur in cœlestia. Veniũt enim sancti à momentaneis uitæ huius angustijs in gaudia inæstimabilia & sempiterna. Non seipsos sancti eximunt, sed modeste ferunt domini manum, certissimam dei promissionẽ nacti & spem quæ non confundet.

20 Custodit dominus omnia ossa eorũ (eius) unum ex his non conteretur.

Ossibus corporis robur potissimum nititur, ideo domino curæ dicuntur sancti, quorum fortitudinem & constantiam seruat per suam gratiam, ut licet continuo alliduntur, non tamen conterantur uires piorum, sed subsistunt semper. Septies quidẽ in die cadit iustus, surget tamen semper: at improbus in malo corruet. In plurima pericula iustus incidet, at emerget: improbum uero mala quæ inciderit penitus extinguent. Etiam minima piorum facta dominus promouet, & in bonum cedere facit, & ex omnibus malis huius mundi pius sibi profectum & lucrum extrahit & parat, domino auxiliante & custodiente suos.

21 Mors peccatorum pessima: & qui oderũt iustum delinquent.

Differt no nihil translatio prisca ab Hebræo, quæ habet, Occidet impium malitia, & odientes iustum uastabuntur. Verũ æque literæ Hebraicæ, circũscriptis punctis, quadrat uetus interpretatio, & commodiore sensu. Mors certe impij miserrima est, & planè mala: finis etiam est iniquæ conuersationis, criminosæ uitæ, & imitiũ uitæ infelicissimæ, sicuti pretiosa est in conspectu domini mors sanctorum eius. Qui deniq; iustum odiunt æque reuera delinquunt uel delinquent, sunt osores iustitiæ, quam sancti diligunt & sanctus sanctorum, יהשמר. frequentius delinquent sonat (sicut & in sequenti uersu) quàm uastare, quod raro. Vide, si dabitur ab impressoribus tandem, Concordantiam nostram, imò non tam nostrã quàm optimi sacerdotis Marci Heilanderi, olim discipuli charissimi, nunc Decani sacerdotũ in agro Basiliensi, uiri dei & serui fidelissimi.

22 Redimet dominus animas seruorũ suorum: & non delinquent omnes qui sperãt in eo.

Serui domini in hoc mundo peruerso multa patiuntur à malis & à carne sua, & à conscientia, in multis omnes offendunt & semper, sed dominus redimit, uacillantes sustentat, cadentibus manum supponit. Et si quid delinquunt per fragilitatem serui dei, non tamen imputat eis ad mortem uel damnationem: siquidem si uere deo seruiunt, fide firma inbuti sperant in dominũ, à quo destitui non possunt, multo minus uastabũtur: si cui sententia Iudæorum placet. Non enim pij etiam si peccent uastabuntur à domino sed osores pietatis.

PSALMVS XXXV.

Huic Dauid.

ARGVMENT. *Oratio piorum est contra inimicos dei & ueritatis, profecta ex conscientia innocentiæ, comparatione facta ad impios.*

1 IVdica domine nocentes me: expugna impugnantes me.

Fuerat Dauid unctus à domino in regem dum pasceret iuuenis oues patris sui, minimus fratrum suorum. Vocationi illi non se ingesserat, & quia tempus nõdum erat definitum, non sibi ius quomodocunq; usurpauerat, salutem tamen regni & regis totis uiribus propugnauerat, nec aliud quàm dei gloriam illustrare quæsierat. Hac conscientia fretus non dubitabat deum in se iudicem appellare innocentiæ suæ contra Saulem & omnes hostes suos, utq; ipse dominus bellum uel concertationem suscipiat, armatus uelut clypeo & armis idoneis ad bellum gerendũ contra iniquos infestatores, dicens, O domine, constitue te aduersarium aduersarijs meis, age tu causam meam, oppugna eos qui me impugnare malitiose præsumunt, quasi inique quippiam molientem contra regẽ meum, & contra salutem populi Israelis, & contra regnum filiorum dei. Iudex innocentiæ deus

2 Apprehende arma & scutum: & exurge in adiutorium mihi.

Fictione humani moris affingit domino protectori suo arma militaria, clypeum & scutũ, hoc est oportuna arma belligerantium. Quasi dicat: O domine, utere pro salute & iustitia mea armis tuæ fortitudinis, id est, unico tuo nutu & uerbo aut uoluntate, uel si malis ministerio angelorum tuorum oppone te hostibus meis, & propugna iustitiam meam, & consurge in auxilium mihi, qui uiribus impar sum hostibus meis, à te defendar, in causa quæ tua est, quam tibi obediens arripui sine cuiuscunq; iniuria. Tanta est enim seueritas hostiũ, ut sine tua protectione nequeam euadere.

3 Effunde phrameam, & cõclude aduersus eos qui persequuntur me: dic animæ meæ, Salus tua ego sum.

Pergit sacro poëmate amplificare uerbis, quod conscientia sua maximum reputabat, omnipotentiæ diuinæ auxilium sibi à deo necessarium, dicens, Profer, ô domine, propugnator meus, lanceam tuam, seueritatem iustitiæ tuæ exerce contra æmulum meum, & contemptorẽ tuum, prodeas obuiam, ut inuincibilis & triumphalis heros, persecutoribus meis, quos uiribus meis opprimere, uel etiam effugere non possum, opportunitatem illorum persequendi & occidendi me tua bonitate intercludas & præpedias, nocendi ausus & studia dissipes, & consternato tot angustijs et ad te unicum seruatorẽ confugienti dicas consolatorium illud uerbum, Salus tua ego sum, ut minime sub tanta assecuratione & protectore cogar uel minimum trepidare. Quis enim noceat ei cui tu te salutem donaueris? Auxilium domini.

4 Confundantur & reuereantur quærentes animam meam. Auertantur retrorsum & confundantur cogitantes mihi mala.

Quin potius confundantur & pudore afficiantur

omnes persecutores mei, Saul, complices eius & omnes hostes mei, qui quæsierunt hactenus & quæsituri sunt perditionem animæ meæ. Vtcunq; consultent de perditione mea, quomodo me conculcent, & propellant, aut occidant ui & dolis, consilio & studijs, tua tamen gratia cogantur terga uertere, & opprobrio perfundi coram hominibus, et te deo meo ac intra suas conscientias, hi qui nihil aliud cogitant quàm perdere, nulla causæ iustæ habita ratione.

5 Fiant tanquam puluis ante faciem uenti, & angelus domini coartans (eos.)

Precatur ut quisquilijs uento expositis similes sint impi qui hostes sui, hoc est, nusquam queant consistere, nulla certa sequi consilia, sed continuo de malo in malum præcipitẽtur. Sed angelus domini inæstimabilis fortitudinis minister tuus, quo uteris ad omnipotentiæ tuæ gloriam, cuius unius robur prævalet omnibus hominum exercitibus, eius opera & mandatis impellantur imbecilles aduersarij mei. Situm est enim in simplici uoluntate tua, ut minima ministrorum tuorum legio prævaleat omnibus mundi exercitibus, ut fidenti tibi amico mihi nihil nocere possit.

Angelica uirtus.

6 Fiant uiæ illorum tenebræ & lubricum: & angelus domini persequens eos.

Eandem rerum perturbationem & iactationem sed alia imagine canit, nempe insistentis uiæ lubricæ & omni luce destituti, deniq; à persequente angelo dei exagitati. Eiusmodi sanè hominem cõtinuo cadere oportet ab institutis suis, omnia præter opinionem succedere, nihil uidere quod utiliter sequendum, omnia inauspicata cadere, omnia noxia experiri, qualia Pharao, Saul & Achas, atque alij impij principes experti sunt, & quicunq; deo carent. Ad tempus quidem dum sua bona hic recipiunt, uidentur impij rerum aliquo successu gaudere: at si quis animorũ perturbationem in eis intueri posset, obscurißimas cerneret ceu nebulas calamitatum, & simul iudiciorum dei æquitatem.

Casus impiorum.

7 Quoniam gratis absconderunt mihi interitum laquei sui: superuacue exprobrauerunt animam meam.

Orat ut hostes suos, quoniam immerito sibi insidias struunt, subita calamitate quam minime expectauerint, de qua ne quidem in mentem eis uenerit, opprimat: & in id mali præcipitet, quod parauerunt sibi. Non enim impij dei amicos, sed seipsos lædunt, dum perniciem intentant eis, quos dominus saluos uult & seruat. Hæc enim pulcherrima dei ordinatio passim uidetur, ut sibi conscisant mala homines improbi, dum pios persequi lædere & opprimere conantur, quod est capi in fouea alteri parata. Sunt autem tuti fideles ab istis technis impiorum, domino prospiciente sibi fidentibus.

Seipsum lædere.

8 Veniat illi laqueus quem ignorat, & captio quam abscondit apprehendat eum: & in laqueum cadat in ipsum.

Dum minime credunt uel suspicantur, repentinus superuenit interitus, eis, qui amicis dei & adeò ipsi deo obstrepunt, ut retibus illaqueentur, quæ pijs abscondentur & parauerant captiom. Similitudine utitur mutuata à uenatoribus, qui lupis et alijs bestijs foueas parant, & tegentes abscondunt, ut imprudentes ad expositam escam accurrentes, foueam incidant, & tum reti aliquo imposito, uel saltem foueæ altitudine capiantur.

9 Anima autem mea exultabit in domino: & delectabitur super salutari suo.

Hæc autem imprecata hostibus euenant mala quæ merentur. Ego autem in dominum sperans, & suæ cupiens uoluntati gratificari ex animo, lætari & exhilarari cupio, quod & fiet per dominu gratiam, qua ab omnibus malis saluabor, iuxta promissa, ut in illius solius bonitate gaudere mihi liceat, qui non permittit ut gaudeant impij de perditione iustorum, sed in tempore succurrit ac saluat sperantes in se.

10 Omnia ossa mea dicent, Domine, quis similis tibi? Eripies inopem de manu fortiorum eius: egenum & pauperem à diripientibus eum.

Totis uiribus dei ad me bonitatem laudare cupio & studebo, cuius ineffabilis est perfectio, secundum omnia quæ laudari possunt in omnibus rebus: quicquid enim perfectionis & laudis dignum inuenitur in omnibus & singulis creaturis, hoc in deo pariter & sine omni imperfectione inuenitur, imò cum maxima & immensa perfectione. Vt non solum nihil deo simile cogitari possit, sed quicquid uspiam bonum est, summe in deo bonũ intelligatur, sicut & ipsißima omnium bonorum bonitas est, deus ipse, author omnium bonorum. Nec tantum bonus es, sed & bonitatem ostendis tuam in omnibus, maxime autem pijs & fidelibus tuis pauperibus & afflictis, quos eruis à potentibus oppressoribus, & direptoribus egenorum, quorum unus tu bemgnißimus saluator es, & curator integerrimus.

Summum bonum.

11 Surgentes testes iniqui, quæ ignorabam interrogabant me.

Non solũ factis impij me crudeliter tractant, ubi possunt, sed etiam uerbis calumniam inurunt, falsißimis criminibus accusando, deferunt passim malitiose & mendaciter insimulant. Id Dauidi contigit apud Saulem, & pijs omnes cum nihil mali loquantur de proximis, ipsi tamen mendacijs proscinduntur ubiq; ab impijs. Falsi sane quidem testes inquirunt et rogant me de malis, propria confessione elicere satagentes, quorum mihi non erant conscius, undiq; occasionem quærentes ad mihi nocendum, si non ueris peccatis, ab ipsis ignoratis, saltem excogitatis calumnijs lacessendo hostiliter & falsò.

Calumnia piorum.

12 Retribuebant mihi mala pro bonis: sterilitatem animæ meæ.

Horum crudelitatem & singularem perfidiam incredibilem taxat, quod canit se malis ipsorum indoluisse, & adeò, ut pro eis tanquam iunctißimis atque charißimis, dum morbo laborarent, ieiunio, luctui, & precibus se dedederit, illos autem de sua calamitate summopere fuisse lætatos, & eam sannis & illusionibus auxisse, ac ita malum pro bono rependisse, solitudinem ac orbitatem animæ eius quantũ in ipsis fuit adduxisse: hoc est, in supremam miseriam,

miseriam, in qua uel maxime laborare solent rebus suis exuti, & ij qui nihil amicorum nullumq; patronum habent, proiecisse.

15 Ego aũt cũ mihi molesti essent, induebar cilicio, humiliabã in ieiunio animã meam, & oratio mea in sinu meo conuertetur.

Luctum maxime serium describit. Is constabat olim sanctis & hodie constat, primum ieiunio, sed ex summa animi ægritudine suscepto: unde ait, Cum mihi molesti essent ex malitia sua, uel molestiam aliquam uel ægritudinẽ ipsi paterentur, ego ieiunio me affligebam, habitu quoq; & gestu animi tristitiam ostẽdebam: sacco enim, hoc est, sordidiore ueste me induebam, aspergebam me puluere, iniq; terra sedebam: anxia quoq; & sedula prece dominum inuocabam pro salute illorũ, nõ alia, quàm qualem mihi optarem refundi in sinum meum, qualem & mihi clementissimus dominus præstare non differt.

14 Quasi proximũ, & quasi fratrẽ nostrum, sic complacebam: quasi lugens (matrem &) contristatus (sic) humiliabar.

Testatur nihil fuci in tali se luctu admisisse, non magis quàm si quis proximum & fratrem, imò & matrem lugeat. Ob nutricationis enim sedulitatem & maiorem leuitatem morum solent matres diligi tenerius à liberis q̃ patres, quare mortes earum ferũtur grauius. Hic autem Dauid queritur se pro huiusmodi officio pietatis in Saulem & alios malam gratiam accepisse. Hinc autem discamus hunc sancti candorem & humanitatem, malis etiã expositam æmulari & boni consulere, si quando male respondeant quibus nos amice fecerimus.

15 Et aduersum me lætati sunt, & conuenerunt: congregata sunt super me flagella, & ignoraui.

Queritur in specie quam pro his sanctis humanissimis studijs improbi illi retulerint gratiã. Quotiescunq; alicui quid aduersitatis mihi accidit, ut claudicaret uel moderatum fortuna mea & temporalis felicitas, dum nutaret status meus, uel in fuga hostium uel in incõmodo filiorũ, non aliter lætati sunt, quàm dum utroq; pede quispiam claudicans irridetur: nulla compassione permouebãtur hi, quibus ipse condoluisset in similibus. Nec tantum correptis lætati sunt, sed & iubilauerunt concurrentes, quotidie mihi imminebant flagella dei & hominum, quæcunq; calamitates & abiectorum hominum fraudes & insultationes, illis autem ridentibus & insultantibus ego uisimulaui, & quasi ignorarem omnia, nihil de uindicta cogitaui. Ipsi uero iusto dei iudicio dum de malo meo sibi gratulari eligunt & insultare mihi, dissipantur & conterruntur, silentio quoq; uti non possunt, sed querimonijs implentur pro risu suo, luctus illis ingeritur pro iniqua lætitia, sentire malum incipiunt, de quo mihi insultabant.

16 Dissipati sunt nec cõpuncti, tentauerunt me, subsannauerũt me subsannatione: fremuerunt super me dentibus suis.

Dum quæ Iudæorum Rabini tradunt in istis tam difficilibus locis, æque ut nobis ignota sint uel incerta, malo sequi priscum interpretem, qui hic aliter legisse uidetur quàm habeat textus Hebraicus בחנפי pro בחגרי Vt clarus sit sensus, Tentauerunt me, uel, probauerunt, hi qui subsannant me subsannatione. Quasi dicat, Exercitauerunt me illi hostes mei suis amaris & petulantibus subsannationibus, dentibus quoq; suis frenduerunt super me, ut totus illis risui fuerim. Hunc uersum iuxta Hebræorum literam quidam sic interpretati sunt, In adulatoribus subsannatores placentæ nudare contra me dentes illorum. Hieronymus, In simulatione uerborum fictorum frendebant contra me dentibus suis. Alius sic, Simulantes derisioneq; deridentes frendebant cõtra me dentibus suis. Alius sic, Cum impijs subsannatoribus qui indulgent uentri fremendo dentibus suis. Alius sic, Verbis deluforijs & superbis & derisorijs strinxerunt contra me dentes suos. Olim nobis sic uidebatur transferendum, Cum simulatoribus derisoribus subcineritiũ frendor super me dentium suorũ. Alius eleganter sic, Assentatores cum parasitis omnia subsannantibus infrenduerunt contra me dentibus suis. Campensis certe elegans, eruditus & fidelis interpres sic exposuit, Vnà cum scurris & irrisoribus frusto panis conductis non destiterunt frendere contra me dentibus suis. Alius quoque sic, Sed per hypocrisim simulant subcineritium quoq;, at interim frendunt in me dentibus suis. Adhuc alij aliter sese expediunt de hoc uersu, ubi cum certius nihil haberem, prisco accedere malui. Vnicuiq; ut hic, sic & in similibus locis dubijs liberum esto iudicium. Iudæorum autem Rabinos omnium minus curarim. Hieronym. Ioãnes Cãpensis.

17 Domine quando respicies? restitue animam meam à malignitate eorum, à leonibus unicam meam.

O domine, quandiu uidere poterunt oculi mundissimi tui & iustissimi tantas iniquitates, & iniurias inimicorum meorum, quibus nihil dulcius est, quàm subsannare me in miserijs meis? Restitue quæso meipsum in libertatem pristinam, ne semper hostes meos tantopere mihi insultantes cum blasphemia tui nominis ferre cogar: qui non aliter mihi insistũt quàm rapacissimi leones, ad hoc tantum intenti, ut deuorent animam meam, desertam alioqui ab omnibus, dum alius illi nullus succurrere potest, nec à tantis malis eruere. Restitui libertati.

18 Confitebor tibi in ecclesia magna, in populo graui laudabo te.

Nihil mihi gratius esset, quàm gloriam & beneficia tua, ô Deus, celebrare coram maximo fidelium cœtu ad multorum profectum, & ad sanctificationem tui nominis, id enim fides & deuotio in deum consulunt. Grauis autem populus intelligitur, qui firmiter domino inhæret, & non facile uincitur ab hostibus dei & fideliũ, qui fortis est cum deo, in quo omnia potest, cuius uirtuti nititur, qui non de errore in errorem uento flante permouetur, sed in deo subsistit, & uincit mundum cum cacodæmone. Non hic grauis populus intelligatur, qui glorioſus & illustris sit tantum meritis, sed qui animi fortitudine robusti sunt & ueri Israelitæ. Grauis populus.

19 Nõ supergaudeãt mihi qui aduersantur

mihi inique, qui oderunt me gratis, & annuunt oculis.

Precatur ne permittat dominus, ut de successu suo contra innocentem gaudeant inimici, & uoluptatem de malo suo percipiant, ad ignominiam omnium deum colere studentium: qui ubi deserti uidentur à domino, calamitatibus autem oppressi siniſtram confirmant de bonitate dei impiorum existimationem, quasi cultores suos iuuare nolit uel non possit, uel pij non sint, qui iuxta domini dei uerbum uiuere desyderant uel tentant. Talia enim mentiuntur impij de iustis, dum dicunt frustraneum esse timorem dei, qui nihil prosit pijs, sed miseros magis reddat in hoc mundo. Talia iusti ferre non possunt sine maxima tristitia, qui & frustra odiuntur à malis, quia sibi dissimiles, quantumlibet annuant oculis in fraudem uel fucum.

Gaudiũ inimicorum deprecatur.

20 Quoniam (mihi) nihil quidem pacifice loquebantur: & in (tranquillos) iracundia terrę loquentes dolos cogitabant.

Fingunt quidem non raro pacem impij, & loquuntur grata, non tamen reuera pacem intendunt fideliũ quos odium, sed perditionem, quorũ uerbis & operibus indicatur uita perfidorum, omnia autem agunt dolo contra amicos dei, & mansuetos terræ, nihil nisi aduersa cogitantes, & solicitantes contra dei cultores: qui ut sunt tranquilli, mites & pacifici, sic maxime exosi sunt ĩmpijs, quod tamen immane odium pro hypocrisi sua contegunt, & dolose fingunt amicitiam, tantum ut obsint.

21 Et dilatauerunt super me os suum: dixerunt, Euge, euge, uiderunt oculi nostri.

Vtcunque nonnunquam fingant dolose bonum, statim tamen ut sese obtulerit occasio malignandi atq; nocendi, ibi nihil tardatur nec obmittitur, quin uerbis quoque non temperatur, sed effuso ore irrident & calumniantur, gaudentq; de infortunio piorum. Et præ nimio gaudio dicunt, Vah, uah, quod diu optabamus nunc oculis nostris uidimus, nunc potimur optatis. Talem de Dauide triumphum agebant cum Absalom, talem Iudæi de Christo iam crucifixo & mortuo: sic de pijs gratulantur impij, si quid calamitatis incidant sancti in corpore, si occidantur pro ueritate & iustitia defensanda, quam oderunt impij, cupientes peruersitatis suæ firmari æstimationem ad iniuriam sanctitatis.

22 Vidisti dñe ne fileas: dñe ne discedas à me

Videt oĩa dominus.

Iudicium dei fretus innocentia conscientiæ suæ inuocat & appellat. Magna consolatio est & fiducia in uerbo Vidisti. O domine uniuersorum, utcunque hactenus prævalentibus mihi impijs uisus sis non uidere, quæ mihi iniqua & atrocia fecerunt, scio tamen te uidisse omnia, qui iam tandem iudicium facturus es de me, & ius meum uindicaturus. Non tamen cessat orare etiam tutissima fides dominum, ut assistat semper, & minime elongetur, quandoquidem illico cessante tutela dei concidunt quantumlibet pij homines: ideoq; apostolos docuit iugiter orare, & ut non inducamur in tentationem. Sine enim præsentia dei nihil est quæcunq; humana uirtus.

23 Exurge & intẽde iudicio meo: deus meus & dominus meus in causam meam.

Oratio proficiens.

Non minuitur ex fide & oratione affectus, sed augetur cõtinuo, ac sese excitat magnitudine periculi deprecanda. Ideo sine repetitionis uitio, quæ in oratione decorum tenet, iterum atq; iterum orat, ut non dissimulet dominus, sed quasi de somno euigilet & exurgat ad succurrendum fideli, & ad tuendum iustitiam ac æquitatem in causa pia, quæ non tam hominis iusti uidetur esse, quam dei, ne nomen domini blasphemetur.

24 Iudica me secundum iustitiam tuam dñe deus meus: & non supergaudeant mihi.

Vindicta dei.

Vindica me, ô dñe, ab hostium truculentia & odio non secundum mea merita, sed pro iustitia tua, ut ostendas te impietatis hostem, iustitiæ autem iustorumq; uindicem, qui tam bonus es, ut sine ordine iustitiæ nõ possit in mundo tuo consistere quæcunque iniustitia, quandoquidem nullum malum finis impunitum, dominus enim uniuersorum tu es, piorum autem pater & iudex fidelissimus. Ne ergo sinas gaudere impios de calamitate piorum, sed suis potius inuoluãtur, & sentiant iustitiã tuã in dãnis, quam in fauore tuo & successu nesciunt aduertere.

25 Non dicãt in cordibus suis, Euge (euge) animę nostrę: nec dicant, Deuorabimus eũ.

Nunquam eousq; procedat uotũ hostium, ut sese iacta re possint de perditione animæ meæ uel de gaudio suo scepto à malo meo, nec corde sentiant, nec ore diffãmẽt uictorias suas quas cupiũt, nõ satiẽtur libidine oppressionis nostræ, ut iactent deuorasse se iustos, & obtinuisse uictoriam: non permittas me impiorum libidini, nec tradas eorum desyderio.

26 Erubescant & reuereantur simul qui gratulantur malis meis. Induantur confusione & reuerentia, qui maligna loquuntur super me.

Afficiãtur pudore improbi hostes, frustrati spe sua, et irritis factis impijs eorum conatibus. Neque tamen tam topere uota canit, quàm in afflictione graui consolationem suam, quam certo futuram credebat. Iuste tamen proprijs affliguntur malis, qui proximorũ aduersis gaudere possunt. Indui confusione, est totum perfundi & operiri ignominia, ut nesciat quis quò se uertere debeat, undiq; opprobrijs & insultationibus irrũpentibus, sine quacunq; consolatione. Qui maligna loquuntur super me, uetus habet lectio, sed ut uidetur mendosa, cum dici debeat, Magna uel magna facientia uel præsumentia cõtra me: sed tũ in eundẽ sensum legi potest & intelligi.

Confusio.

27 Exultent & lætentur qui uolũt iustitiam meam: & dicant semper, Magnificetur dominus, qui uolunt pacem serui eius.

Ostendit etiam non defuisse pios nec defuturos, qui se quamlibet abiectum, adhuc ob iustitiæ studium dilexerint, & felicia sibi optarint, quos ut dei filios par erat pij uoti sui fieri compotes: quod cum oraret, & ipsum fiduciã sibi auxit. Pacis nomine omniũ rerum successus in scripturis significari solet, seruorũ autẽ dei pax et salus maxima est in hoc, ut sciant sibi propitiũ esse deũ, et quotidie magnificari gloriam dei, proficere uerã in orbe

Pax in bonis pijs.

be pietatem, utcunq; iuxta corpus aduersa immineant,
tantum ut salua sit dei gloria, & pia sit conscientia.
28 Et lingua mea meditabitur iustitiam tuã,
tota die laudem tuam.

Iugiter meditari in corde dei beneficia, fidem & iustitiam, summa est sanctorũ in hac uita felicitas, semper deniq; cogitare quomodo iuste & pie conuersetur corã deo, & in factis ac uerbis illi probetur. Linguã autẽ meditari, est orare & colloqui toto studio & deuotione cum deo, orare & gratias agere, legem domini legere & meditari, ut custodiatur. Tota die laudatur dominus, quum omni tempore bonis incumbitur & sacrosanctis exercitijs, dum omnia quæ aguntur, dicuntur, sentiuntur, ordinantur in gloriam dei, dum deus constituitur finis omnium studiorum.

PSALMVS XXXVI.

In finem seruo domini Dauid.

Satis manifestus est titulus.

ARGVMENT. Impiorum ingenium & audacia describitur, simulq; petitur ut pij dei pietate fruãtur

1 DIxit iniustus ut delinquat in semetipso, non est timor dei ante oculos eius.

Difficilior est sensus huius uersus secundum Hebraicum textum, ut nunc punctatur, quàm secundum prisci interpretis lectionem sine punctis, qui ר pro ד legisse uidetur, in fine ubi scribitur לבו. Dicere Hebræis est ut plurimũ cogitare & præsumere uel dicere. Iniustus autem hic dicitur, qui flagitia designare non timet, & de nulla impietate erubescit. Is solet crebro uoluere corde suo, & propensus esse ad impie agendum: sic enim assuetus est, aliud nõ didicit, quàm ut cum iniustus sit inique agat. Ab impijs enim egreditur iniquitas: & ut iustus iusta proponit, sic omne studium impiorum est male agere. Ratio autẽ illius est, quia nullo dei timore tenentur, quandoquidem sibi persuaserunt nullum esse deum. At elegans admodum sensus desumitur ab Hebræo, in hunc modum. In medio cordis mei audio mihi loquentem scelus: & ad impium, Bono animo sis, nihil abhorreas peccatum & omne nefas, omne quod libet licet, nõ est enim deus: ideo quamlibet quisquã multum peccet, non tamen deus aliquis metuendus est. Persuasum enim impij habent nõ esse deum, & reuera qui deũ perfectè credit deũ esse, is diu impius esse nõ potest.

2 Quoniã dolose egit (ad eum) in conspectu eius: ut inueniatur iniquitas eius ad odiũ.

Iniustus omnia insyncere & cum dolo agit, etiam si uelit uideri aliquid ad cultum dei digne agere, sine fide enim omnia prosequitur, & pro cõmodo proprio, non ad solam dei gloriam, seipsum quærit, non deum: hoc est proprium filiorũ dei, deum propter se diligere: filij autem hominum & ciues Babylonici omnia propter se faciunt, non propter deum pure, sunt enim hypocritæ & minime integri. Inde sequitur, ut maxime exosam Deus habeat huiusmodi iniquitatem. Cum enim ueritas ipsa deus sit & iustitia, non potest non maxime odisse hypocrisim, & dolose agentes semper dominus durissime castigauit. Mauult enim dominus humilem peccatorem, quàm superbum iustitiarium: confitentem ex animo publicanum, quàm pharisæum iustitias iactantem. Nec diu dominus latere patitur figmenta, sed ad lucem protrahit, & odio insigni prosequitur, & confundit impium iusta simulantem.

3 Verba oris eius iniquitas & dolus: noluit intelligere ut bene ageret.

Iniusti autem & peruersi hominis studia nũc describuntur, quorum primum est, quod nihil uerum ac syncerum unquam loquuntur. Vanitas est quicquid meditantur, leuia, libidinosa, mutilia, pernitiosa, odiosa, spurca, fallacias, errores & hæreses loquuntur, de corde enim impio & thesauro iniquitatis proferunt conscientiæ suæ testes: neq; etiam sustinent se ab aliquo erudiri, moneri uel corrigi, nihil enim illis prodest uerbum dei, sacras literas detestantur, ridiculo habent, fabulis delectantur & ludicris, imò potius mendacijs, detractionibus & scurrilitatibus, emendari nolunt quacunq; eruditione sacra, nolunt intelligere ut bene agant. Vanitas impiorum.

4 Iniquitatem meditatus est in cubili suo: astitit omni uiæ non bonæ, malitiam (autẽ) non odiuit.

Dum noctu cubitum itur, & in secreto cubilis maxime licet homini ad se redire, quia maxime tũc uacat animus, & tempus admonet meliora ut cogitentur, si etiam toto die inique uixisset. Sed ubi deest timor dei, omnia ad malum seruiunt. In lectulo ergo cogitant improbi, quomodo interdiu quosq; iniuria afficiãt, & sua cõmoda cum aliorum incõmodis augeant, prauis uiuendi rationibus insistunt, præsentia semper habent & in promptu peruersissima instituta, nihil mali auersantur. Ideo necesse est, ut cuncta impiorum cogitata, dicta & facta noxia sint & pestilentia: sine timore enim dei uiuunt, omnia fingunt, ad oculum seruiunt sibi similibus. Facta impiorum omnia mala.

5 Domine in cœlo misericordia tua, (&) ueritas tua usq; ad nubes.

Non sic filij dei, qui cœlestem suum patrem agnoscunt qui solem suũ oriri facit super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos. Is est qui totam cœli machinam condidit ad influentias salutares, hominibus et iumentis & mundi inferioris, unde promanant uiuentibus tua beneficia inenarrabilia: & ueritas tua à terris usque ad æthera pertingit. Respicis enim ante omnia fidem, qua & te deum coli præcipis, quam solam amplecteris, & qua mutuum homines conciliari mandas. Sunt qui nutritionem animantium, maxime autem hominum, de nubibus promanare à deo intelligant. Fidem deus respicit.

6 Iustitia tua ficut montes dei: iudicia tua abyssus multa. Homines & iumenta saluabis domine:

Vt pro eodem dicuntur cœli & nubes, bonitas & fides, sic quoq; iustitia & iudicia dei idem intelligantur. Non enim scrupulosum & nasutum amat scriptura lectorem. Iustitiam ergo dei parem facit altissimis montibus, quos modo scriptura nominat montes dei, id est, altissimos & pulcherrimos. Et iudicia dei abyssus multa, Lectio sacrorum.

rationem qua dominus mũdum gubernat, quibus omnia regit & moderatur, ut planè beneficiorum quendam Oceanum in creaturas effundat, qui abyſſo multo maxime recte aßimiletur. Et hæc ipſa eius beneficentia, iuſtitia eius, fides & bonitas eſt, omnia replens, ad cœlum & ultra eminens. Subijcit quoq; , Homines & iumenta ſaluabis domine, idem ſimplicibus uerbis dicẽs. Salutem iumentorum & hominum intelligit uitam, ſanitatem, uictum, actiones, & ingenia, quæ omnia à domino creatore dependent, quo aperiente manum, omnia implentur bonitate: auertente eo faciem, omnia turbantur, & reſoluuntur in pulueres.

7 Quemadmodum multiplicaſti (quàm pretioſa eſt) miſericordiam tuam deus. Filij autem hominum in tegmine alarum tuarum ſperabunt.

Miſericordia dei telucens.

Quàm pretioſa eſt miſericordia tua deus: quod priſcus retulit, Quàm multiplicaſti miſericordiã tuã deus, id eſt, uniuerſis creaturis glorioſiſſimam oſtendis bonitatem tuam: omnia enim participant, ſicut eſſe tuum, ſic & uiuere & operari, ueſtigium nanq; ſunt maieſtatis tuæ, & exemplaria beneficentiæ & potentiæ tuæ. Ex quibus creator agnoſci poterat à ſapiẽtibus, ſi pictas ad fuiſſet. Maxime tamen in ſanctos apparet clementia tua. Inde & de his qui eam uere agnoſcunt & percipiunt ſubijcit, Filij hominum in umbra alarum tuarum, ut pulli auium umbræ alarum matris ſe ſupponunt, atq; ſumma fidutia committunt, tuæ ſe fidei & tutelæ totos credunt, agnoſcentes ſcilicet tantam tuam bonitatem, qua omnia quidem fruuntur: hi ſoli autem qui fide ſe illi conſecrant, rite cognoſcunt & colunt.

8 Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ: & torrente uoluptatis tuæ potabis eos.

Pinguedo.

Vulgatum eſt in ſcriptura, pinguedine intelligi rerum omnium opulentiam. Quod autem dixit, pinguedinem domus domini, intellexit beneficia dei primi ordinis & propria, ſpiritum utiq; filiorum dei, qui ſanctos beatos facit, dum de dei erga ſe fauore certos reddit, & ut Pſaltes hic canit, ſatiat, nulla re alia ſatiabiles. Eundem ſpiritum & per flumen deliciarum dei ſignificat, quo ſuos deus potat.

9 Quoniam apud te eſt fons uitæ, & in lumine tuo uidebimus lumen.

Significat his uerbis deum huius uiuifici ſpiritus, ut omnis boni unicum authorem, quod ipſum & ſequenti particula dixit, In lumine tuo uidebimus lumen: hoc eſt, à te illuminati, tui cognitione donati, conſequemur felicitatem ueram & ſolidam. Lucis enim nomine felicitas deſignatur, ut afflictio per tenebras. Vtinam uero his fidem haberetur, q̃ prono pectore nos dei præſidio committeremus? cuius amore flagrantes deteſtaremur prauа, ſectaremur recta & iuſta.

10 Prætende domine miſericordiam tuã ſcientibus te, & iuſtitiam tuam his qui recto ſunt corde.

Prolonga ac protende beneficentiam tuam ad illos qui te cognoſcunt, fac ut miſericordiam tuam ſancti iugiter percipiant & aſſequantur, eoq; ad dei imaginem aſſurgant felicius, & da, ut iuſtitiam tuam recti corde æmulentur & diligant. Quicunq; enim deum uere cognouerit, is et amabit, eoq; recto & æquo corde erit, nihil ſibi, omnia autem proximis in gloriã dei quærente.

11 Non ueniat mihi pes ſuperbiæ: et manus peccatoris non moueat me.

Deprecatur uim malorum, quam per pedem ſuperbiæ & manum improborum ſignificauit. Orat enim, ne ſuperborum uiolentia opprimatur. Superbi, inquam, contra deum, cuius mandata cõtemptui habent, cui obſequi dedignantur, ſuo ſenſu abundantes contra iuſſa dei, tales ſua pertinacia aduerſantur omni eo quod deus ordinat, nullius momenti habita charitate, quin per fas & nefas ſua quærũt, & ſi quis impedire uelit, hunc prouiribus atrociter perſequuntur.

12 Ibi ceciderunt (omnes) qui operantur iniquitatẽ: expulſi ſunt, nec potuerunt ſtare.

Pœnas impij.

Quanquam impij externis bonis ad tempus æque ac boni, & plerunque plus quàm boni fruantur: tandem tamen dant impietatis ſuæ pœnas, & impelluntur, ut conſiſtere nulla ratione queant. Qui uero ſe trahi ſinunt funiculis charitatis diuinæ, & cancellis timoris dei continentur, hi perſiſtunt ſemper erecti ad dominum, & arrectis ſenſibus perſequi cupiunt dñi uoluntatem, cuius ut beneficia ſemper agnoſcũt, ſic obedientia et cultu ſanctimoniæ ſemper reſpondẽt pro uiribus, loco ſuo nunquã propellendi, ſed perſtituri in obſequio dei ſemper.

PSALMVS XXXVII.

Ipſi Dauid.

ARGVMENTVM. Admonitio eſt, ne impiorũ facinora propter felicitatem eorum imitemur. Depingit quoque interim tum piorum tum impiorum & ingenium & exitum.

1 NOli æmulari in malignantibus, neque zelaueris facientes iniquitatem.

Scandalum proxim.

Solent fidelium infirmiores dum uident florere impios turbari plurimum, & cogitare plerunq; deum nullam habere rerum humanarum curã, nullum eſſe pie uiuentibus operepretium. Hoſce ergo conſolatur & hortatur, ut in pietatis ſtudio ſtrenue pergãt. Ne inquit, ira commouearis contra maligna operantes, ne tibi bilem moueat eorũ felicitas, neue torqueat inuidia. Rationem ſtatim ſubijcit, quod illorum fluxa, caduca et fallax felicitas ſit, Sanctorum autem & à deo pendentium certa, perpetua, non umbratilis, ſed ipſiſſima felicitas. Proſtituit electis ſuis deus exempla ſanctorum Abrahæ, Iacob, Ioſeph, Dauidis, & Chriſtum ipſum cum apoſtolis, hos imitari oportet, non impios, & æquaminiter ferre prouidentiam dei circa humana, memoriter autem retinere, quæ dominus nobis agenda præceperit, & illis ſolis ſtudere.

2 Quoniam tanquam fœnum uelociter arescent: & quemadmodum olera herbarum cito decident.

Improbos

improbos similes facit gramini, quod illico resecatur, & herbæ quæ quamuis egregie nunc uireat & uernet, mox cum inarescit flaccescens decidit. Simile hoc in scripturis frequens occurrit, & Psalmista orat similes reddi hostes populi dei gramini tectorum, quod priusquam euellatur arescet. Non enim diu subsistunt impij, ut uidetur, dum enim maxime uiuere cupiunt, infeliciter auferuntur & cadunt, præscinduntur ut olus, & decidunt ut gramen mittendum in clibanum.

3 **Spera in domino, & fac bonitatem, & inhabita terram, & pasceris** (*in diuitijs eius.*)

Non est tuum sectari acta uel fortunas impiorũ, deum non colentium, sed quisquis prosperitate uera frui uelis, testi & vult electis benefacere. Nec sit otiosa fides illa, sed prodeat in opera bona, fac quod domino placere nosti, quod præcipit, non quod tibi libet: non fraudibus qui buscunq; insiste, non quenquam uiolentia opprimas, sed omnibus prodesse contendas. Id si feceris, commode, pacifice & feliciter in terra habitare poteris: non senties iniurias, si tu nullas alteri feceris, si studueris in bono uincere malum, omnibus prodesse, tunc enim fideli rerum successu perfrueris, nulla inopia laborabis, si deum libus enim feliciter cedũt suæ diuitiæ, quando impijs non uere fiumeris. Nec indocte priscus Diuitias transtulit: tam raro pernities fiunt. Fortasis Mammonam legit pro amuna, fide.

4 **Delectare in domino, et dabit tibi petitiones cordis tui.**

Sellatur infelices delicias huius mundi in caducis bonis, & horaria uel momentanea oblectatione: tu uero si sapis, in domino delectare, in eius bonitate quam sentis in omnibus creaturis, utere eis in opera uirtutum, ad laudem & gloriam dei, in profectum plurimorũ, ad quem tibi ipsum dominus cuncta contulit, & dabit tibi dominus quicquid postulaueris. Nihil enim impium & stultum orabis, sed ad sanctificationem sui nominis pertinens, sic enim & orare docuit, & sese donaturum postulata promisit. Quicquid desiderabis secundum conscientiam & fidem accipies à domino. Vult enim dominus & gaudet à fidelibus orari, & omnium bonorum fons et origo haberi indeficiens: stultus autem fatua postulabit, & impius impia.

5 **Reuela domino uiam tuã, & spera in eo: & ipse faciet.**

Si quæ tibi difficultas in agendis probis negotijs occurrat, unde te explicare nequeas, eam domino precibus deuotis commenda, explica ei, & commenda prouidentiæ ac bonitati illius tam opus quàm finem operis, & teipsum quoque totum. Et tota fidutia pende ex illius uoluntate animo resignato, ipse uero faciet quod optimum desiderare poteris, etiam si minus intelligas, olim autem senties dominum uotis tuis clementissime et fideliter adfuisse. Noli superflua te cura macerare, nihil proficies conatu tuo, sed si deum inuocaueris, tutus eris quomodocunq; res finiri uideatur.

6 **Et educet quasi lumen iustitiam tuam, & iudicium tuum tanquam meridiem.**

Qui nunc tibi hostiliter imminent, & ut impium accusant & infelicem, opprimere quoque & impedire conantur studia tua, propediem confusi desistent, proferet autẽ dominus propitius lucem, id est, felicitatem tuam, ostendetq; te sibi placuisse, fidei meritum patefaciet & sustinentiæ. Conspicietur enim clarissime iustitia tua, & uita dextre & integre instituta, quam non solum nemo poterit calumniari, sed dignissimos innocentiæ tuæ fructus clare percipies, declarabit dominus fauorem suum erga te. Tunc autem huiusmodi splendoris uera erit meridies, quando Christus dicet, Venite benedicti patris mei, possidete regnum, &c. Iustitia dei.

7 **Subditus esto domino, & ora eum. Noli æmulari in eo qui prosperatur in uia sua, in homine faciente iniustitias.**

Eadem canit quæ prius, ad affectuum intentionem, non esse causam cur bonis stomachum moueat prosperitas malorum, sed totum successum animi nostri & corporis domino esse committendum, interimq; silendum, & sabbathum celebrandum domino, qui omnibus prospicit, maxime fidelium fert curam qui confidunt illi, et expectant benedictionem de manu illius, nihil moratè successos impiorum uel aliorum piorũ. Nouit enim dominus quid cui ex suis proficiat, quid donandum in tempore, tantum impietatem, scelera & dolos detesteris, ueritatem diligas. Sabbathum in domino.

8 **Define ab ira, & derelinque furorem: noli æmulari ut maligneris.**

Vtcunque non possis impiorum improbitatibus non irasci qui pius es, & prosperis illorum inuidere cogaris, dum cedit in iacturam pietatis & gloriæ dei, tamen iram huiusmodi remitte & tempera, non efferuescas ut tibi obsis nonnihil, alijs nihil proficiens. Committe domino uindictam, illum irasci sinas qui modum nouit, & cum fructu iustitiæ irascitur, qui malum odit & impuni tum non sinit. Caue ne si forte alteri pro impietate nimium irascaris, tu quoq; saltem altero præuaricationis genere pecces & malefacias. Cogita tu potius & de his quæ tibi imputari possint cũ nemo sit sine peccato, ora potius pro iniquis ut iusti fiant. Ira remittenda.

9 **Quoniam qui malignantur exterminabuntur: sustinentes autem dominum ipsi hæreditabunt terram.**

Non tuum est obsistere malignantibus, & impietatem propagare studentibus, sed dei est & illius iustitiæ, à qua excindentur cum domino uisum fuerit sine dubio, dum uicissim uidebis pios & dominum expectantes feliciter uiuere in hoc sæculo, & certa expectatione frui possidenda terra uiuentium, de qua impij non cogitant, quandoquidem & illis nõ debetur. Tibi autem dabitur, & ea perfrueris ad satietatem, beati sunt enim qui esuriunt & sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur.

10 **Et adhuc pusillum, & non erit peccator: & quæres locum eius, & non inuenies.**

Non te mora affligat in impiorum uindicta, longanimis est dominus, quam & tu experiri cupis qui cõtinuo Longanimitas dei.

peccat, etiam si minus grauiter, quod tñ & ipsum gratiæ dei adscribendum est, non tuæ probitati: obligamur enim deo laudem, tam de obmissis criminibus sua gratia quàm remissis. Noli, inquam, impatienter ferre dilationem iudicij dei, statim aderit & impium auferet, ut putes eum nunquam uixisse: disquires locum illius & opera, & eccc omnia pariter euanuisse uidebis, ut nec reliquiæ prolis supersint, nec diuitiæ, tantis molestijs & multorum iniurijs congestæ.

11 **Mansueti autem hæreditabũt terram, & delectabuntur in multitudine pacis.**

Filij dei mansueti. Mansueti & humiles, nimirum filij dei, cui & consecrati sunt, quia electi & hæredes regni dei, illi possidebunt terrã cum pace suauissima conscientiæ suæ: qua fiet, ut huius mundi incommoda leuius sint laturi, & in diuinorum beneficiorum contemplatione assidua delicias sensaturi cum abundantia pacis, ad deum & homines. Mansueti enim cum omnibus pacem habent, et à nemine læduntur, contendunt enim beneficijs, & aliorum gloriam & quæstum non ambiunt, ideo pauciores inimicitias patiuntur.

12 **Obseruabit peccator iustum, & stridebit super eum dentibus suis.**

Mansueti nemini indignantur uel inuidẽt, sed sua sunt sorte contenti, omnibus meliora fauendo. Impij autem uelut mare feruent & tumultuantur, in primis quidem contra sanctos, quos odiunt ut sui dissimiles, à quorum uerbis & uita iudicantur, et erubescere coguntur, timereq; iudicium: quos licet, domino defendente, affligere quantum uellent non possunt, odiunt tamẽ & criminantur falsò, signis produnt impietatem ac inuidiam, dentibus frendendo ac stridendo, grauia minitãtes, & inferre cupientes, sed impediendi à domino.

13 **Dominus autem irridebit eũ: quoniam prospicit quod ueniet dies eius.**

Ridet deus impios. Dominus ridet impios, dum uellent pessima inferre pijs, quos coguntur non raro defendere à malis & honorare. Egyptij dona largiũtur Israëlitis, mox occidendi dum persequuntur. Nónne domino & sanctis ridiculus fuit Aman, dum Mardochæo seruus deputatur? sic ridet dominus dum impij falluntur in studijs suis maximis. Prospicit enim non tantum de propinquo, sed ab æterno præordinauit impiorum sortes & excidia, nouit uenturum illis perditionis diem, & adesse tẽpora, quibus decidant ab omnibus desiderijs suis, et cogãtur ferre quod omnium maxime nolint.

14 **Gladium euaginauerunt peccatores, intenderunt arcum suum, ut decipiãt paupe rem & inopem, ut trucident rectos corde.**

Exercicium piorum ab impijs. Non desinunt unquam mali exercere bonos, & non raro extrema intentant mala, ut euaginato gladio pios desiderent trucidare, nihil non tentant, quatenus odio satisfaciant quod gerũt gratis in humiles & pauperes, à quibus parum suspiciuntur, & audire ueritatem coguntur uel inuiti, & se contemni non ignorant. Arcum mortiferæ linguæ tendunt, & spiculus iniuriarum & calumniarum adoriuntur, deijcere omnino conantur & prostrare, quin & occidere rectos corde, cum sint ipsi deprauatissimi et hostes honestatis omniumq; uirtutum. Hic est mos mundi, non ut pij quempiam persequantur ad odium & occidant, impiorum hæc est consuetudo. Vt clarum satis signum innocentiæ sit, ex qua parte patientia steterit, ut uicissim iniquitatis indicium certum sit, ubi sitis sit sanguinis innocentum.

15 **Gladius eorum intret in corda ipsorum: & arcus eorum confringatur.**

Crudelitatis fructus. Sed quo fine concludatur tanta improborum crudelitas, patent exempla plurima de scripturis. Sed simpliciter hic dicitur, æquissima talionis sententia impiosiudicandos, ut gladius quem innocenti cuaginauerãt, intret in corda cædentium, crux quam extruit Aman Mardochæo, impium suscipit & strangulat lictorem. Arcus impiorum confringitur, dum nocendi studium impeditur. Multa sunt autem molimina eorum contra sanctos, multis instructi sunt arcubus, & plenis pharetris, sed scuto dominico non solum excipiuntur, sed etiam retorquentur in iugulum transijcientium.

16 **Melius est modicum iusto super diuitias peccatorum multas.**

Nituntur in hoc mundo impij diuitijs, fauoribus & potentia, quæ multa solicitudine conquiruntur, & ero gantur cum molestia: iustus autem habitis contentatur, censum magnum reputat frugalitatem. Nouit enim naturæ modestiam ut paucis utatur, quantumlibet tenuem facultatulam præstare nouit infinitis copijs impiorum, quorum opes ilico euanescunt, cũ iustorũ hæreditas fauente eis domino perpetua sit, nec possint ullo unquam bono destitui.

17 **Quoniam brachia peccatorum conteren tur: confirmat autem iustos dominus.**

Brachia impiorum quid. Brachia impiorum facultas dicitur & copia diuitiarum, & fauor magnatũ, quæ facile cum euanidis rebus confringuntur: uirtus uero corporis & animæ sic refoluitur domino ordinante, ut nihil possint nocere sanctis, quantumlibet multi sint & fortes, ac sese confirmantes. Longe enim fortior est piorum adiutor & protector, qui confirmat, sustentat & tuetur iustos, dominus omnipotens, suo nempe fauore suffulcit.

18 **Nouit dominus dies immaculatorum: et hæreditas eorum in æternum erit.**

Immaculati quid. Dominus agnoscit dies sanctorũ, hoc est uitæ eorum curam gerit, ideo hæreditas eorum & felicitatis possessio sempiterna sit oportet. Immaculati autem sunt & dicuntur simplices & integri ueri & fideles, horum dominus nouit fata, & approbat consilia, & irreprehensibiliter conuersari donat, speq; futuræ beatitudinis allicit et confortat: non sectantur mundi thesauros, et quos fur eripiat, sed futurã inquirũt & permanentẽ in cœlo.

19 **Non confundentur in tempore malo, & in diebus famis saturabuntur:**

Nunquam pudefient sancti necessarijs destituti, quantumuis aduersa tempora incidant. Quin & cum fame alij laborant, hi domino sese commendantes, & solicite obsequentes saturabuntur. Vt enim deus pater eorum nouit

nouit hisce rebus eis opus esse, ita cũ summe illos simul diligat, nihil eis deesse sustinet.

20 quia peccatores peribunt. Inimici uero domini mox ut honorificati fuerint & exaltati: deficientes quemadmodum fumus deficient.

Altera causa cur præstet paupertas piorum diuitijs impiorum, assignatur, quod perire oporteat improbos, nõ tam iustorum quàm dei hostes: & quo ostenderet quàm facile id futurum sit, ait consumendos uti adeps uel pinguedo ouũ igni imposita, quæ simul cum fumo ilico euanescit. Priscus retulit, Inimici uero dñi ut pretiosi uel honorati, & ut exaltati & eleuati finientur: sensu nimirum sacro, quandoquidẽ qui in hoc mundo pretiosi sunt honorati & ad alta contẽdentes, humiliabuntur tamen & consumentur ut pereant, & subito ut fumus euanescunt. Potuit mutata fuisse lectio sine periculo ueritatis, cum fructu pietatis.

21 Mutuabitur peccator, & non soluet: iustus autem miseretur & retribuet.

Canit consequenter deum timentibus omnia uitæ necessaria affatim adijci, ita ut sit quod et alijs largiter impertiant, oportere autem ut tandem egeant impij. Mutuo, inquit, impius accipiet ob paupertatẽ uel auaritiã, & non soluere poterit, uel iniquitate uel egestate adiutus: dum paratior est accipere quàm dare, nimirũ auarus & perfidus, ingratus et insatiabilis. Iustus facilis est ad opera humanitatis, propensior ad dandum, quia & coram deo felicior, ideo & liberalior, nulla immoderata cupiditate acquirendi deprauatus. Gaudet enim pius largiri propria, dum impius nititur inuadere aliena.

22 Quia benedicentes ei hæreditabunt terram: maledicentes autem ei disperibunt.

Tam charus est deo iustus & liberalis, ut & his bene esse oporteat qui ei benefecerint, perire autem eos, qui maledixerint: iuxta illud Abrahæ promissum, Benefacientibus tibi, & execrabor deuouẽtibus te. Quanquam & ad deum referri possit, de cuius inimicis hic dicitur, de quo in uersu uigesimo: ut sit sensus, Qui deum benedicunt & iusti sunt per fidem et charitatem, isti à domino benedicentur, & qui deum maledicunt exsecrabiles iudicabuntur. Quanquam primũ ueri similius sit, deum scili & declarare fauorẽ suũ ad eos qui sanctis benefaciunt, & singulari ultione desæuire in eos q iustos adflixerint.

23 Apud dominũ gressus hominis dirigentur: & uiam eius uolet:

Si quis deum timet, huius gressus à domino diriguntur, & uia eius peculiariter placet deo, dirigitur in uijs suis, quandoquidem iustæ sunt. Et bene cœptis deus assprare non desinit, dum interim impius nihil boni præsumit, & si quid tentat, ea hypocrisi utitur quã dominus detestetur, tantum abest ut prosperet negotia illius, nisi si quando in malũ cessurum sit impio: quandoquidẽ adboram successibus donat impios, ut ilico confundat magis ac de felicitate præcipitet. Dominum uelle uiam hominis, est approbare & iustificare agentem & opera eius boni consulere.

24 Cum ceciderit non collidetur, quia dominus supponit manum suam.

Septies, id est, sæpius cadit iustus etiam uno in die. In multis enim offendũt etiam iusti, sed nõ ad mortem, continuo enim resurgunt, sed & dum permissione dei cadere sinuntur, tamen deus supponit manũ ut non collidantur, non ad mortẽ cadant, ilico enim succurrit ut mater, & curat ut fidelis medicus, perq; gratiam suam ad electos fortiorem facit resurgere, & alios deniq; iubet confirmare: sicq; uult unius sancti casum esse alterius sancti resurrectionem. Septies pro care.

25 Iunior fui, etenim senui, et non uidi iustũ derelictũ, nec semen eius quærens panem.

Plenus est hic Psalmus sacris disciplinis & consolationibus. Dixerat, Nemo iustus sterni potest quocunque infortunio: nunc addit, nullũ iustũ necessarijs indigere, aut iusti liberos mendicare, hoc est, ab hominum sustentatione pendere, quibus aliunde prouidet dominus, ut necessarijs nullis fraudentur. Quandoquidem filij dei sunt quos egere nõ patitur, nec est infidelior sibi fidentibus, quàm quisquam pater suis filijs, cum tantũ distet patris cœlestis bonitas à terreni, quantũ cœlũ à terris. Verum tamen iustus non alia quærit uel cupit, quàm ut Paulus, uictum & quibus tegatur. Et semen iusti, filij sunt fidei Abrahæ, quorum sunt promissiones & felicitas uera. Iusti non pereunt.

26 Tota die miseretur & cõmodat: & semen illius in benedictione erit.

Iustus non cessat, quia fide uera pollet, & uult benefacere quibuscunq; potest, & quantũcunq;: tota die, id est, sine omni intermissione, gratis donat quibus carere potest, & mutuo dat, nihil inde petens, quod charitati quocunq; modo repugnet, pauperibus donat, ditioribus ad usum commodat, pro lege charitatis, & amicitiæ reddenda, ut multis benefiat, & quamplurimi pauperes ad iuuentur, sine quibus mundus nunquam subsistit nec subsistere potest, ut locum habeat uirtus, officium, opus & exercitium. Semen iusti si iustum fuerit & coluerit pietatem, & in timore dei fuerit à parentibus institutum, benedictione diuina locupletabitur, secus continget degeneri & notho semini. Beneficẽtia sanctorum.

27 Declina à malo, & fac bonum, & inhabita in sæculum sæculi.

Alia doctrina & exhortatio ad studium benefaciendi. Recede, inquit, à malo, ne quẽ lædas, ne onerosus sis cuiquam, ne fomiti naturæ corruptæ obtemperes, ne affectibus abducaris in præceps: malum est quicquid domino displicere ex sua lege cognoscitur. Et fac bonũ, beneficijs afficias quos potes, & bene quoque facias quod bonum est, ne benefactũ inficias iniquis modis, & circunstantijs operum. Hoc pacto fiet ut terrã habites, pace & uitæ necessarijs abunde fruens. Is enim solus suauiter uiuet in hoc sæculo, qui beneficijs & benefactis studiose incumbit, deum timens, & proximum diligens.

28 Quia dominus amat iudicium: & non derelinquet sanctos suos: in eternũ conseruabuntur. (iniusti punientur) & semẽ impiorum peribit.

Iudicium fieri. Præcepit dominus & uult fieri iudicium, ut recte & ordine omnia fiant, quicquid charitati & ueritati repugnat hoc odit. Aliud amare non potest deus, quàm quod est, iustitiam scilicet & æquitatem, iudicium sine iniuria & peruersitate. Denique deesse non potest deus bonitati studentibus, quare in æternũ custodiri ipsos oportet, sed impios exterminari de consortio electorum, & deum colere cupientium. Sicut dominus fauore suo prosequitur sanctos, & iustificatos suscipit in regnũ gloriæ: sic iustitia sua procaces & contemptores suos, ac legum suarum ex contemptu præuaricatores damnat, dignis quoq; pœnis addicit ac perpetuis. Ibunt enim electi patris à constitutione mundi in regnum ab æterno illis præparatum: impij autem cum diabolo ac angelis suis in supplicium æternum.

29 Iusti autem hæreditabunt terram, & inhabitabunt in sæculum sæculi super eam.

Sancti eius. Felicius hæc corporalis terra inhabitari à nullo potest quàm à sanctis qui deum in omnibus contemplantur, admirantur & gratias agunt de perceptis donis è terra, qui hoc mundo utuntur tanquã non utantur, qui amicitiæ & charitatis operibus studeant, horum semper & læta est conscientia, & affatim illis exuberat omnis sufficientia. Tales hic beate uiuunt, etiam in periculorũ medio, fide tuti in dominum, & resignati in omnem uoluntatem dei. Et ex hac imperfecta felicitate sustollentur in cœlestem suo tempore domino ordinante. Sed & clare uidetur impios non dimidiare uitam suam super terram, sed uiolenta morte intercipi, sine spe melioris uitæ, & cum horrenda morte. Sancti autem pleni dierum cum iucunda conscientia & fide in promissiones dei non amittunt uitam, sed commutant feliciter.

30 Os iusti meditabitur sapiẽtiam, & lingua eius loquetur iudicium.

Sanctorum felicitas. Prædicat aliam quoq; sanctorum felicitatem, nempe quod spiritu dei donati, sapientiam & iudicium, id est, recta & utilia semper loquuntur, idq; magno studio, ad profectum suum & aliorũ. Ideo aũt semper salutaria loquuntur pij, quia lex dei in cordibus eorum: hoc est, qđ nihil potius cogitant aut pluris faciunt, quàm uoluntatem domini probe cognouisse, & uitam iuxta eam diligenter instituisse. Dum enim impij cogitant quæ mundi sunt, quomodo superbiant & libidinentur, licenter uiuant per omnes cupidines, & satisfaciant concupiscentijs, iusti meditantur legem dei, quæ præceperit, exempla sanctorum discutiunt, exhortationes prophetarum attendunt, Euangelium & Apostolorũ dogmata discunt & docent, proq; huiusmodi studio parati sunt multa pati, & extrema in hoc mundo mala experiri: neminem decipere possunt nec uolunt, sed simpliciter uera prædicãt & persuadere sancta conantur.

31 Lex dei eius in corde ipsius: & non supplantabuntur gressus eius.

Non tantum de lege dñi loquuntur, & uerbis blatterant prolixe, sed ex corde illam diligũt, persuadere eam multis non cessant, ut plurimi dño lucrentur, seruiant et obediant, & quod uerbis docent, hoc facto & operibus comprobant. Non enim deflectunt nec ad latũ unguem à lege domini sponte & proposito, non enim peccant ad mortem. Quod si per fragilitatẽ labãtur, non iacent, sed pœnitendo resurgunt, & pro indulgentia dominum exorant, & uitæ emendationi pro uirili insistunt.

32 Considerat peccator iustũ, & quærit mortificare eum.

A malis quidem struuntur insidiæ sanctis, & uiolẽtia arctantur, uim patiuntur ut plurimũ: at dominus ita tuetur illos, ut non solum nihil incommodi ab improbis sentiant, sed ipsos uideant misere perire. Quamquam autẽ & iustus contempletur impium, sed ut cupiat illũ emendari, conuerti ad salutem & iustitiam, dolens uel animã deo perire, uel alios scandalum pati: sed non sic impius iustum uidet, sed ut mortificet eum. Non abhorreo ab Prisca uita idiotismis prisci interpretis iuxta Hebraicã simplicitatem. tem, quæ domino placuisse semel, eadem semper placere non dubito. Quanquã eruditorũ studia extra sacras literas amplectar, sed ut humana. Et hæc extra institutum.

33 Dominus (autem) nõ derelinquet eum in manibus eius: nec damnabit eum cum iudicabitur illi.

Non sinet dominus iustum ab impijs iudiciorum Dei hostibus opprimi. Dum enim aperte ui nocere bonis im- Sanctorum probi nequeunt, ad lites confugiunt, redemptisq; mune- oppressio. ribus, corruptisq; iudicijs illos diuexant: sed dominus eos tiam ab hac iniquitate suos seruat, nec sinit eos sceleratorum calumnijs opprimi. Quanquã uero nonnunquam uideãtur iusti opprimi iudicijs iniquis, & morte multa ri improba, pretiosa tamen tunc fit mors sanctorum, & non tam mors est dicẽda quàm mortis uictoria, fecisseq; de necessitate moriendi uirtutem triumphalem, quam sequitur ilico corona gloriæ, regnum cum Christo & sanctis, in sæculo animarum, donec omnia impiorum regna aboleantur, & Christi pedibus pro scabello subijciantur.

34 Expecta dominum, et custodi uiam eius, & exaltabit te ut hæreditate capias terram: cum perierint peccatores uidebis.

Hortatur iterum ad fiduciam in deum, & ad obseruan- Fiducia in dum uiam domini, hoc est, uitam proximorum commo- dominum. dis expositam, nõ humanis traditionibus inutilibus præbere auditum, sed scire & uelle quæ dominus mandat. Qui autem tales inuenti fuerint, terræ hæredes erunt, & uisuri sunt bona perfecta & fruituri. Inter quæ iucundissima bona uisuri sunt excidium atrocissimorũ hostium dei, & sceleratorum hominum iudicium æquum & iustũ. Ad hoc enim sancti cum Christo ad iudiciũ uenient, & uidebunt eos qui se angustiauerunt, & qui abstulerunt labores illorum, &c. Sed & in hoc sæculo sanctis uidere est, iustum dei iudicium contra tyrannos & oppressores piorum, de quibus omnes prophetæ.

35 Vidi impium superexaltatũ, & eleuatum sicut cedros Libani (laurum florentissimam.)

Experientiam subijcit. Vidi, inquit, improbum formi- Impiorum dabilem & spectatum, uelut late expansis ramis amœ- felicitas ad sam bencq; frondosam & uernantem arborem, impium lux. scilicet hominem, qui nec sibi nec alijs uideatur facile posse

posse euerti: at tam nihil habet stabile aut firmum, cui cunq; non fauerit deus, ut ilico perire et euanescere oporteat, & adeo ut nusquam appareat quicquam illius. Talis fuit Saul, Absalom & alij semper multi omnibus
36 seculis, & æque si non maxime nostro sæculo.

Et transiui, & ecce non erat: quæsiui eum, & non est inuentus (locuss eius.)

Magnam habet emphasim qd' dicitur, Et transiui, & ecce non erat. Sensus enim est, Iam uideram florentem, optime radicatum, & late patentem, ut sempiterna frui turus felicitate crederetur, & dū respicio iam euanuit, dilapsus est, ecce nullū amplius uideo, adeoq; disperijt, ut etiam inquirente me nusquam possit inueniri. Sic ue re euenit omnibus impijs, et citius omnium opinione, si modo iudicium dñi æquanimiter expectare possemus, et interim innocentiæ studere, orationibusq; instare.

37 Custodi innocentiam, & uide æquitatē: quoniam sunt reliquiæ homini pacifico.

Exemplum diuersum proponit, innocentis & recti, cum iubet obseruare & consyderare, ut in eo discamus quam præstet innocenter & iuste uitam instituere. Eius modi enim hominis postremum pax est, hoc est, tandem qui tales fuerint pace & felicitate fruentur, cum postremata sceleratorum & improborū exterminanda sint. Ma gnum est autem uidere rectum, & quid liquido in causa sit ut domino probetur, si sit scilicet secundum legē dei, & iuxta charitatis regulam, hoc non uidebit nisi integer & innocens, nullis prauis affectionibus deprauatus: iste tandē erit uir uel homo paeis, iste trāquilla conscientia uiuet, iucunda fidutia persistet in tribulationibus, et
38 ipsa morte, ubi pro ueritate quiddā ferendum fuerit.

Iniusti autem disperibunt simul, reliquiæ impiorum interibunt.

Prauaricatores autem & contemptores innocentiæ & iustitiæ qui carni uiuunt, & mundo placere uolunt, præsentia tantum amplectuntur, isti diuino iudicio patiter inuoluentur & uastabuntur, quorū postrema non sunt nisi excidium & perditio æterna cum damnandis, iuxta Christi sententiam promulgandam. Et in hac uita absq; timore dei uiuunt & agūt omnia, ut horrendo dei iudicio pijs reddantur spectabiles ac impijs.

39 Salus autem iustorum à domino: & protector eorum in tempore tribulationis.

Dominus autem iustitiæ studiosos seruat, à quo solo tam iustificari quàm saluari expectant & optāt: nō suis meritorijs operibus saluantur, sed gratia dei, qua factum est ut iusti essent & perseuerarent. Ab eo solo omnis est salus postulanda, sine cuius robore & auxilio subsistere
40 ne pius quidem potest, uel tentationes euincere.

Et adiuuabit eos dñs, & liberabit eos, & eruet eos à peccatoribus, & saluabit eos: quia sperauerunt in eo.

Vno eodemq; uersu, eadem sententia, multis formis loquendi exprimitur. Adiuuabit eos dominus, Liberabit eos: & iterum, Liberabit uel eruet eos, & saluabit eos, omnia autem toties replicata & promissa, quia speraue-

runt in eo. Nemo uero putet inanem esse hanc atq; similem uerbositatem, difficile enim credimus nos deo cure esse, ideo pluribus admonendi sumus & persuadendi, ideo nusquam satis dei in suos prouidentia celebrari potest. Sunt tamen uerius exhortationes, et ad fidutiam in deum collocandam impulsiones, & ingeminata adhortamenta spiritus, quem dominus inflammare dignetur in electis.

PSALMVS XXXVIII.

Psalmus Dauidis in rememoratione die sabbathi.

In Hebræo tantum dicitur Ad memorandum, de sabbatho nihil. Memoriam autem peccatorum suorum significare uidetur, quæ semper uiget in amicis dei, dum tam beneficum deum irritasse se recordantur grauibus peccatis suis. Quæ quanquā dimissa Dauidi erant à domino, quo ad imputationem dei, tamen pœna semper uigebat, iam in filijs, iam in subditis multa passus, ut Nathā prædixerat ei domino mandante.

ARGVMENT. Planctus est fragilitatis humanæ & conscientiæ abhorrentis peccata commissa, uindictā deprecantis non sine oratione ac fidutia.

1 DOmine ne in furore tuo arguas me, neq; in ira tua corripias me.

Tanta quidem peccata mea cognosco, ut quamcunq; pœnam à te mihi infligendam amplecti debeam, ô deus, sed tamen humiliter precor moderari eam iuxta clementiam & infinitam bonitatem tuam, ne par pari rependere pergas, & iusto furore mihi rependas malitiam meam de tam insolenti adulterio, & crudelissimo homicidio optimi Vriæ & fidelissimi serui: quam ego non merui castigationem? Sed si iniquitates obserues domine, quis poterit sustinere? Oro igitur clementiam & modū mihi tolerabilem in iustissima ira tua, ne ueluti in feruore me castigare pergas ut cœpisti: quasi dicat, Multa quidē sunt & magna quæ patior, quæso ut sufficiant. Incipitq; illa enumerare, deo satisfaciēs, offerēs ipsi illa quæ patitur, ne peiora patiatur

Orandum humiliter.

2 Quoniam sagittæ tuæ infixæ sunt mihi, & (confirmasti) super me manum tuam.

Multiplicibus me angustijs & miserijs afficisti, una calamitate aliam comitante foris, domi in conscientia sagittas iræ tuæ experior, præter eas quas improba caro & peccatum primorum parentū transgressio omnibus inflixit hominibus, & corporales miseras tentationum, solicitudinū, dolorū, morborū, odiorū & persecutionū, huiusmodi sagittis me impetis acutissimis & multis, ut tota tua manu omne pondus malorum mihi immisisse uidearis, adeò percussus sum iudiciorum tuorū iaculis, ut me perditū uelis uideri, destitutū omni solatio et auxilio.

Angustiæ piorū proprię.

3 Nō est sanitas in carne mea à facie iræ tuæ: non est pax ossibus meis à facie peccatorū meorum.

Nihil integrum est in corpore meo, sed omnia membra mea corrupta criminibus iacent, & non est præterte medicus à quo sanentur, tu uero dure me tractas, quasi immitis, tot me doloribus afficiens cordis & corporis

in propria persona filijs ac amicis. Nulla salus est in carne mea uel ossibus, firmitas nulla consistendi, in tuo iudicio, uel etiam excusandi fiducia carnalitatē meam. Tanta sunt enim peccata mea, ut continuo maiora me passurum propter ea metuam, sicut & iam cœpi sentire acerbissima & molestissima, cum opprobrio grauissimo coram regni mei æmulis & amicis.

4 Quoniã iniquitates meę supergressę sunt caput meũ, ficut onus graue grauatæ sunt super me.

Plura et grauiora sunt crimina mea, quàm ut ferre possim illorum conscientiam & reatum, etiam si leuioribus me pœnis tractares. Veluti profunditas aquarum supergressa est caput meum diluuium peccatorum. Et sicut grauissimo onere grauatus succũbo, ferre pondus iudiciorum tuorum non ualens. Hoc autem est discriminis inter sanctos peccatores & impios, quod illi sua peccata sentiunt, agnoscunt, dolent & plangunt, isti uero exultant in rebus pessimis, & nulla pœnitudine ducũtur, non cogitant de emendatione, sed quomodo semper proficiant de malo in peius.

Peccata sentiunt sancti.

5 Putruerunt & corruptæ sunt cicatrices meæ à facie insipientiæ meæ.

Potest quidem uideri morbũ aliquẽ corporis querulari, sed ut maiores sunt morbi animarum quàm corporũ, sic & mentis ægritudo talibus uerbis potuit designari, maxime quod corporales morbi raro nominatim descripti fuerunt à sanctis uel alijs perpessi. De Dauide autem nihil tale, præter extremæ ætatis infrigidatum corpus. Designat autem maximã mentis ægritudinẽ quam pertulit diu, non ilico resipiscens ad adulterium Bethsabee, sed donec puerulus nasceretur, & Vrias occideretur, & à propheta tardius fortassis admoneretur, tandiu enim periculosissime ægrotabat, lõge grauius quàm si quæcunque ægritudinum genera pertulisset, quas subindicat fœtore grauissimo ulcerum & cicatricum, & tabe purulenta, id est, horrore & dolore peccatorum, quæ peccauit ex stultitia insigni, summo malorum, qua cupiditatibus suis succubuit, & eã orbi prodidit uir sanctus, & tantopere à domino promotus in spiritualibus et corporalibus.

Ægritudo Dauidis.

6 Miser factus sum & curuatus sum usq; in finem: tota die contristatus ingrediebar.

Deprauatus sum plurimum, dum carnis desiderijs uictus nihil cogitare potui de domini uolũtate, gratia uel lege, tantum ut incentiua libidinum proficerent in opus turpe, & non parceretur cuicunq; crimini, tantum ut semel concepta stultitia perficeretur, & hypocrisis regnaret. Hæc est autẽ insignis malitiæ humanæ miseria, qua & incuruatus est uelut iumentum, non cogitans tunc de diuinis iudicijs, sed auertens cogitatum ad humum, terrena, corporea & turpia tantum animo reuoluens, obmissis interim cœlestibus. Multis autem diebus sic animo perturbatus incessit, non de peccato pœnitendo magis solicitus quàm contegendo & occultando illud alio grauiore peccato: propterea enim Vriam reuocauerat domũ: ut supposititio fœtu grauaret pium, quo non succedente, proditionem exercuit, tandemq; uxorem sumpsit, quam adulterio polluerat. Vt merito nunc pœnitẽs queratur se multis temporibus, id est, tota die tristem incessisse, nesciens præ angustia secum consistere.

Dauidis peccatũ.

7 Quoniam lumbi mei impleti sunt illusionibus, & non est sanitas in carne mea.

Lumborum illusiones dicere potuit uel intimas tristitias & desperatas conscientiæ angustias, uel libidinis impotentis incendia, quibus affectum fuisse se queritur. In tota carne non est illi sanitas, nusquam consolationem inuenit, angustias meras patitur siue deum offensum cogitans, siue famam honestatis perditam reputans, & scandalum subditorum. Corporis autem prætẽdit morbum, cum reuera angustias mentis immedicabiles lamentetur, nisi dominus insigni clementia illi succurrat, & abyssso miserationum obruat, quod & fecit.

Pœna peccati.

8 Afflictus sum & humiliatus sum nimis: rugiebam à gemitu cordis mei.

Repetitio sententiarum color est precationum, & cordis affectuum contestatio. Ad tantorũ criminum meditationem non mirum si totus cõciderit, & animo contrito humiliatus fuerit, plurimũ infirmatus & deiectus mente, unde rugitus quoque & amarissimus clamor & cordis gemitus oborti fuerint. Sanctis enim & electis maxime peccata displicent, & grauiora mala occurrere non possunt, in quibus tamen ad solius dei gratiam, confugere norunt, & plena fiducia orare ueniam eius, quem se offendisse sciunt.

Repetitio.

9 Domine ante te omne desideriũ meum: & gemitus meus à te non est absconditus.

In medijs autem conscientiæ angustijs succurrit pijs clementia dei infinita & bonitas, & quod nõ ignorare dominus posit figmentum suum, tentationumq; improbitatem, quam caro suggerit & concupiscentia: sed nec latere dominũ potest conscientia perturbata, desiderium ueniæ & reconciliationis diuinæ, quam dominus ipse suppeditat, non liberum qualecunq; arbitrium. Non autem aliud precatur, quàm ut uideat & agnoscat dominus miseriam humiliati & supplicis. Non necesse est uerbis multis detegere deo angustias mentis, quas ignorare non potest: sufficiunt enim pauca sed crebra.

Auxilium Dei.

10 Cor meum conturbatum est, dereliquit me uirtus mea: & lumen oculorum meorum & ipsum non est mecum.

Pergit adhuc in querelis interni hominis depromendis, quomodo propter peccata sua palpitat, & perturbatur cor suum, & uiribus omnibus totus destituitur, ut impotens sit resistere peccatis, nisi dominus denuo adiuuet & soletur. Sed & lumem oculorum meorum agnitio peccati, dum arderem libidine, totum destituit, quum à domino derelictus essem. Omnis enim malus ignorans est, & perstringit iudicium etiam sapientum libido incondita, sicut & Salomoni fidem.

11 Amici mei & proximi mei aduersum me appropinquauerunt & steterunt. Et qui iuxta me erant de longe steterunt:

Quamlibet multos haberet amicos & fautores fi-

delissimos

delissimos, qui pro se animas suas exponere decreuissẽt, nemo tamen in hac sua angustia succurrere potuit, nemo consolari, nemo intercedere, quin & Nathan durus ad illum nuncius mittitur à deo, & Ioab fortassis crimine deprehẽso per ipsum oneri magno erat, & uehementer angebat conscientiam Dauidis, tantorum criminum illum non latere negotia, qui literarum Vriæ conscius fuerat, cuius uxorem ductam cernebat, rediens de triumphatis Ammonitis, propter quod & non raro illi restitit, & Salomonis regnum odiuit, scandalizatus tanta sancti Dauidis præuaricatione, & animo tandem nonnihil alienatus, ut hic de longe stetisse, & inter amicos odisse dicatur.

12 & uim faciebãt qui quærebant animam meam. Et qui inquirebant mala mihi, locuti sunt uanitates, & dolos tota die meditabantur.

Nec id solum incommodũ passus est pro peccatis suis, sed alias quoq; grandes & multas passus est calamitates ab Absalom & Semei & Ammon, qui ut Saul quoq; animam, id est, uitã illius quæsierunt, occidere cupientes, laqueos ponentes & retiacula, omnibusq; modis promouere studentes miserias suas, non tantum factis indignissimis, sed etiam uerbis & maledictis minime ferendis, loquentes dolos ac fallacias, & de criminibus falso accusantes, quasi ambitiosus ad regnum, amicos Saulis iniuste occiderit. Plurima enim ualde passus est pijssimus Dauid, sed id omniũ grauissimũ erat, opinio & conscientia talia se pati propter peccata sua post factum Vriæ.

13 Ego aũt tanquam surdus nõ audiebam: & sicut mutus non aperiens os suum.

Suam aduersus tot mala insignẽ mansuetudinẽ canit, dicens se similem factum surdo & muto, quiq; nihil responsi, nihil cõfutationis contra inimicorum calumnias habuerit. Interim dicit: Ego obsurdescebam ob tantas detractiones & sycophantias, reputans me dignum qui talia audirem propter peccata mea. Ideo cum Semeias atrocissimis eum uerbis lapidaret luto, obticuit tamen, et domino commendauit causam innocentiæ suæ.

14 Et factus sum sicut homo non audiens, & non habens in ore suo redargutiones.

Eadem clarius explicat, parabolam exponẽs, quàm mature, nolluit rependere redargutiones, toto se pectore domino commendans, & sponte suscipiens iudicium super se dei, humiliter se deliquisse, & talia commeruisse confitens.

15 Quoniam in te domine speraui, tu exaudies me domine deus meus.

Causas adducit suæ tantæ mãsuetudinis. Prima & præcipua quod pendebat penitus à deo, quem non dubitabat sibi indulgentissimum patrem esse, qui sibi peccatũ indulsisset, & per Nathan prophetam securum reddidisset de gratia dei, qua transtulit peccatum, quo ad reatum culpæ, sed nondum pœnã remisisset. Exaudisset qui mens se eximendum non dubitabat, certus de promissionum diuinorum certitudine, & de fauore dei, & quod non per iram corrigeret se, sed ex gratia & cum prouentu, quo sustinere potuerit.

16 Quia dixi, Nequando supergaudeãt mihi (inimici mei) & dum commouentur pedes mei, super me magna loquuti sunt (magnificauerunt.)

Inter precandum quoq; sæpe dixerat & optabat crebro, ne lætarentur hostes sui, qui tamen insultabant cum nutasset spes eius, id est, in ruinam nonnihil inclinauerat. Sciebat se quamlibet nũc irato sibi deo charum esse, odio autem haberi hostes, non tam suos quàm dei. Orauit igitur, ait, ne lætentur impugnatores iustitiæ: id scio præstabit tandem dominus deus meus.

17 Quoniam ego in flagella paratus sum: & dolor meus in conspectu meo semper.

Ad flagra se paratum domino offert, perfecte resignatus amicus in gratiam dei, nunquam interim non recogitans iustum dominum, qui & præter iustitiam non flagellaret tot malis, quandoquidem tantis criminibus offendisset maiestatem dei, & iniquam uicem rependisset tam gratiose eligenti se dño ad regnum tale, & promittenti summa beneficia, quàm fidelissimo militi & seruo suo Vriæ: hanc putauerim plagam Dauidis fuisse, qua quoad uixit semper ægrotauit. Nunquam tamen excidere potuit à fiducia in bonitatem dei, & firma fide, quia ex electis erat illis per quos Dominus orbi dona maxima daturum promiserat, & seruare uolebat. Resignatio Dauidis.

18 Quoniam iniquitatem meam annuntiabo: & cogitabo pro peccato meo.

Iam prorsus agnouerat, & dudum indoluerat ex animo peccatum suum Dauid, illud confessus fuerat, quod iam per se sibi tormẽtum multo grauissimum erat, etiam si non propter illud tanta ferre coactus esset. Sic autem contritis cordeq; deiectis, non potest deus differre consolationem & auxilium. Quare & hanc causam subiecit suæ tolerantiæ tantum fidei & spei breui fore, ut responderet & annueret deus.

19 Inimici autem mei uiuunt, & confirmati sunt super me: & multiplicati sunt qui oderunt me inique.

Interim uero dum ego sileo, & humiliter fero manum domini, eius opem expectans, illi hostes mei, & indigne odientes uiuunt, & quasi peccatores non essent ualentes uiribus, & gaudẽt in hoc mũdo, cõtra me copijs augentur, causas inueniunt nocendi mihi & me persequendi. Quàm uero indignum id putarit, in eo exprimit quod dicit illos odio se prosequi immerito, pro bono rependere malum, aduersari pro eo quod ipsis bonum quæsisset summo studio, ideo dicit:

20 Qui retribuunt mala pro bonis, detrahebant mihi quoniam sequebar bonitatem.

Si hostis meus mihi malefecisset, non tam indigne tulissem, sed hi mihi mala rependunt multa & magna, calumniantur multis modis, quibus ego beneficia multa contuli: nimirum populus regni totus, pro cuius salute me sæpius exposui, qui tamen leui occasione oblata re- Patientia sanctorum.

labebantur ad persecutores meos. Et filij quoq; mei non pepercerunt patri facessere negotium exitiale & probrosissimum, idq; non semel, sed iterum & sæpius: & quos omni charitate & beneficio persequebar, hi mihi detrahunt quammaxime. Talia sanctus Dauid dicere de se potuit, multo autem perfectius Christus dominus, qui licet peccata non fecerit, omnium tamen fideliũ & electorum in se peccatorũ pœnas portauit in corpore suo super lignũ. Omnis uere fidelis hanc orandi causam non semel, sed persæpe inueniet, quorum omnium Christus caput est, & patientiæ exemplar absolutissimum.

Christus cõparatus Dauidi.

21 Ne dereliniquas me domine deus meus: ne discesseris à me.

Non cessat quamlibet perfectus et certus de fidutia orare dominũ, ut se non deserat in angustijs quibuscunq;, quandoquidem summum bonum ipse sibi sit, & deus optimus & clemens, cui proprium sit misereri & parcere, exaudire quoq; humiliter conuersos à peccato ad timorem dei, neq; differendo auxilium uideatur impijs deseruisse pium, ac sic frustra contendere omnes qui Deo probari desiderant. Vehemens est enim ea tentatio fidelium, dum uidere coguntur à deo negligi pios, & in persecutionibus fidelium prosperari impios, non pro commodo proprio, sed ne gloriæ & bonitati diuinæ aliquid decedat, ne infirmiores scandalum patiantur, quos pij mallent semper in fidei feruore profiteere.

Tentatio fidelium.

22 Intẽde in adiutoriũ meum, domine deus salutis meæ.

Vrget autem serio precando, ut quod facit faciat citius, non differat auxilium cum sit in mora periculum, & tota salus ab ipso tantum pendeat, quo dissimulante auxilium, actum sit de fideli. Qui ut alium quemcunq; inuocare non uult, ut non licet, sic dominus non differat bonitatis suæ gratiam, sed cito perfecte & benigne succurrat ac saluet.

PSALMVS XXXIX.

In finem pro Idithun canticum Dauid.

De Idithun nomine cuiusdam cantoris in libro Præteritorum legimus. Qua ratione autem huic titulo inseratur, uiderint qui possunt. Tam uaria & inconstantia de hoc Idithun Hebræi & nostri tradiderũt, ut præstet nihil dicere.

ARGVMENT. Oratio ne lingua peccemus ab improbis irritati, cum imploratione misericordiæ diuinæ, dum affligimur propter peccata nostra.

1 DIxi, Custodiam uias meas, ut nõ delinquam in lingua mea. Posui ori meo custodiam: cum (consisteret) peccator aduersum me.

Dicere Hebræis.

Dicere Hebræis frequenter est cogitare & intẽdere, ut non tam oris sit q̃ animi, proponere scilicet & desiderare. Omnino mecũ statui, me uelle obseruare ne quid effutiam, ut gloriæ dei aduersum, ita me indignum, hoc est, ne quid peccarem in lingua mea, dum me semio ab improbis hominibus & præsentibus impotentibus & indignis querelis affligi, quamlibet ardenter urgeat animus iniuriæ impatiens, & ad reclamandum importune æque ut opportune paratus. Quo enim sancti & suas uires & Dei bonitatem magis agnoscant, sinit interdum deus eos cruciari, & sibi aliquando excidere ad murmurandum contra deum, & indigne ferendum iudicia dei. At sicut pater filij amãtior dum sæuius illum cædit, non adeo grauiter fert impatientiora uerba, sed dolori condonat: ita amantissimus nostri deus non abijcit suos in atrocioribus cruciatibus indignius pro naturæ ingenio querulantes, & non tam iudicij quàm doloris uerba fundentes. Sic Dauid anxius & perturbatus secum statuit continere os suum, & imponere illi custodiam. Siue id frenum Iudæi dicant, capistrum uel fiscellam, à compressione nomen habet dictio, quam priscus maluit generaliter Custodiam transferre: cum adhuc scilicet subsistit impius contra me, dũ me flagellat suis uel blasphemijs in deum, uel opprobijs & calumnia in me.

Cruciatus sanctorum unde.

2 Obmutui & humiliatus sum, et silui à bonis: & dolor meus renouatus est.

Pertinaciter certe tacui et compressi labellum digito, etiam dum indignissime mihi obsisteret & flagellaret uerbis & factis impius aduersarius meus. Tanto autem silentio usus sum & silui, ut non solum mala, sed bona etiã tacuerim, ne forte laxato ore in bona, subinde proclaberetur in mala. Interea autem dum sic à querelis contineo, increduescit magis ac magis dolor, totusq; contumor & exasperor in animo indigne affecto, & proclivis ad indignationem.

Silentium sanctorum.

3 Concaluit cor meũ intra me: (&) in meditatione mea exardescet ignis. Loquutus sum in lingua mea.

Ita homini accidit, dum dolore affectus à querelis sibi temperat, & spiritum continet, qui sic compressus cale facit doloris incitabula, contracto introrsus calore, quo potissimũ uis doloris intẽditur. Dum itaq; sese à querelis contineret, ac inde spiritum quoque cohiberet omnia intra se excoquebat tanto uehementius, quanto uehementioribus se cogitationibus exercebat. Vnde sequitur, Et in meditatione mea exarsit ignis: nempe ex diutina spiritus cohibitione: Illud loquutus sum lingua mea: uidetur hunc sensum habere: Cum tandem non me possum amplius continere, in uerba prorũpo, ita ut fit, dum doloris incendium incaluerit, spiritibus diu contentis.

Ardor pectoris.

4 Notum fac mihi domine finẽ meum, & numerũ dierũ meorum quis est: ut sciam quid desit mihi.

Quando ita in me sæuitur ab aduersarijs, & sic mundi huius calamitatibus carere nõ datur, cupio ut notum facias mihi & significes, quisnam sit uitæ meæ finis, si perpetuo uel hæc mala pati oporteat, & si constantiam patientiæ sis mihi præbiturus, qua æquanimius ferã quæ ferre necesse sit, & numerus dierum meorum quis sit, mensuram & modũ uitæ quantam statueris, utq; sciam quomodo sim defecturus, quando destiturus à toi certaminibus: uel ut alij dicunt, quantum sit æuum meum, periodus uitæ meæ quando finienda sit: non quod desyderem scire tempus mortis, sed finem infelicitatis & calamitatis

mitatis tantæ quam patior interim, & euadere non possum. Vtcunque enim homo pius resignatus esse debeat ad domini uoluntatem, & dicere, Non mea, sed tua uoluntas fiat, non tamen carnis fragilitas in fidelibus à domino damnatur, sed boni cõsulitur, qui nouit infirmum nostrum.

5 Ecce mensurabiles posuisti dies meos: & substantia mea tanquam nihilum ante te. Veruntamen uniuersa uanitas: omnis homo (uiuens.) Sela.

Ecce mensurabiles posuisti dies meos, id est, minima et pugillari mensura annotasti durationem uitæ meæ, palmarem scilicet, aut uelut quatuor digitorum, hoc est uehementer breuem, quanquam nõ omnium breuissimam. Et substistentia, uel æuum meum, aut uitæ periodus, minima apud te est reputationis, & quasi omnino nihil sit, qui æternum habitas. Quid dicam? profecto nihil nisi, inane & nihilum sunt quicunq; hic uiuunt, quamlibet firmiter uideantur consistere. Quod rite expensum plurimum momenti habet ad persuadendum modestiã. Ideo adiectum est Sela.

6 Veruntamẽ in imagine pertrãsit homo: sed & frustra conturbatur. Thesaurizat: & ignorat cui congregabit ea.

Exprimit adhuc clarius uitæ huius uanitatem, in imagine, hoc est, uelut inanis umbra, uelut res nihili: nõ res, sed indicium & signum rei hic sunt omnes mortales. Inane est quicquid satagunt, quicquid turbantur, tumultuantur, interim enim pertranseunt instabiles, & festinant ad mortem. Eius conditionis cum sit omnis homo, tamen stulte molitur minutulis accessionibus rem familiarem augere, et multo labore ditari, rebus ilico peritura illis in uita sua, non tamen scit cui ea sit post futura relicturus, æque enim facile hosti cedent laboriose asseruata ut filio, fortassis degeneri & ingrato.

7 Et nunc quæ est expectatio mea? nõnne dominus, & substantia mea apud te est?

Post querulationem precem subijcit. Quæ, inquit, est expectatio mea? Quid mihi sperem, cum nimirum nihil sit nisi inanitas omnis hominum uita, & quicquid mundum hunc. Tu certe unus es, in quem spes mea recumbit, tu mihi unus sufficis, ex te solo pendeo, qui summum bonum es, & gaudes te à fidelibus participari, præter te nihil satiare potest rationalis animæ appetitum, donec tua gloria fruar non ero beatus, sed dum omnium rerum creatorem intelligere, amare & sine timore amissionis frui potuero. Hoc tu solus præstare potes, hæc unica ex spectatio & spes mea.

8 Ab omnibus iniquitatibus meis erue me: opprobrium insipienti dedisti me.

Ergo ab omnibus me sceleribus libera, ut & pœnis tandem illorum defungar. Agnosco enim meis hæc me mala meruisse sceleribus, et fortassis multo grauiora. Ne denique ponas me opprobrium hominibus uere stultis, id est, nequam & perditis, qui ilico ubi sancti homines seuerius à domino castigantur, eos tanquam frustratos spe sua in deum, & nullum fecisse pie uiuendo operæpretium irrident, & pro ludibrio habent. Id quum gloriæ dei deroget, infirmioribusq; offendiculo sit, iure ipsum deprecatur. Id autem quod Hebræi explicant negatione, Opprobrium insipienti ne ponas me: erudite in eodem sensu priscus reddidit, deprecatiue, & sub forma interrogandi.

9 Obmutui (&) non aperui os meum, quoniam tu fecisti:

Audiebat mansuetudinem & pietatem suam à perditis hominibus rideri, & sibi quoque falsa multa impingi. At cogitans suis sceleribus omnia deberi & grauiora, dominum uero esse cui peccasset, et qui pœnam infligeret, solusq; saluare ualeret, obmutuit ad omnia, & ne uerbulum quidem, nisi apud dominũ conquestus est. Nã tu, inquit, domine fecisti, tu tot me calamitatibus aggrauasti, tu solus eximere potes, id ubi feceris, gratiam habebo: sin minus, patiar donec uirtutem tuleris perferendi, alioqui uires nequaquã suppetẽt diutius patiendi.

10 amoue à me plagas tuas. A fortitudine manus tuæ ego defeci

Plangam igitur & peccatorum meorum uindictam, quam tu inflixisti, tu ipse item remoue. Non dico id ut facias, quod non commeruerim, at iam satis calamitatum sustuli: hoc dico, iam palga manus tuæ confectus, plura ferre non possum, fortior es enim uerberãdo, quam sim ego sustinendo, seuerius enim uideris super me agitare tuam manum, quam ut quisquam patiatur diu, ualidiore manu tua necessario consumor.

11 in increpationibus: propter iniquitatem corripuisti hominem. Et tabescere fecisti sicut araneam animum eius: ueruntamen (uane conturbatur) omnis homo. Sela.

Atrocitatẽ castigationis suæ propter peccata sua exaggerat. Per obiurgationes tuas, quibus ut iudex & medicus iniquitates hominum corrigis & emendas, uideris grauis adeo esse, ut plane homo tua pœna conficiatur, tabescat & euanescat, quicquid in eo fuerit desyderabile aut speciosum: omne robur omnisq; corporis uigor, non secus perditur et deficit, quàm ut à tinea uestis arroditur & consumitur. Hæc autem memorans iterum exclamat, inanitatem esse omnem hominem, & ideo Sela adiungitur. Animã autem dixit priscus, pro eo quod Hebræus, desyderabile, quia ubi thesaurus tuus, ibi & cor tuum uel animus. Alius transtulit carnem, alius corpus, alius desyderium: quare ergo non licuisset primo interpreti dicere pro חמודו animam eius?

12 Exaudi orationem meam domine, & deprecationem meã auribus percipe: lachrymas meas ne fileas: quoniam aduena ego sum apud te & peregrinus, sicut omnes patres mei.

Orat misericordiam consequi in tantis angustijs, & peccati abolitionem quo ad pœnas, uel gratiam sustinendi patienter correptiones dei, ne obsurdescat ad lachrymas. Vbique enim in scripturis lachrymæ uocem suam habere docentur, & plusquam gutturis uoces exaudiri clamant. Lachrymæ

à domino, ut de Agar & Ismaele, de Mose & Ezechia. Aduenam dicit miserabile hominũ genus, & destitutum amicorum solatio munerum uel diuitiarum. Apud dominum autem fideles aduenæ dicuntur, qui sola fide in deum sustentantur, sine proprijs quibuscunque meritis, siquidem pauperes se fatentur, & peregrinantur, donec ad dominum perueniant, ubi illorum patria est, hic interim exilium, donec in corpore uiuunt.

13 **Remitte mihi, ut refrigerer priusquã abeam: & (amplius) non ero.**

Meminit iterum uitæ breuitatis, orátque ut tandem dominus recedat ab instituto, tot calamitatibus afficiendi Dauidem pro peccatis, ne omnem uitam suam calamitosam experiatur, aut certe morbo absumatur. Hic uero discendum quicquid acciderit pijs, domini manum esse, qui solus & percutit & sanat, dum ei uisum, & nobis salutare fuerit.

PSALMVS XL.

In finem Psalmus Dauid.

ARGVMENTVM. Oratio est, offerentis se domino, & gratias agentis, contra inimicos quoq; deprecantis omnium fidelium, quales Dauid Christusq; passi sunt.

1 **EXpectans expectaui dominum: & intendit mihi. Et exaudiuit preces meas.**

Quanquam sæpe pluribus angustijs & magnis premeretur Dauid, non tamen fidei suæ in deum iacturam incidit, quin semper pertinaci fiducia opem domini præstolatus est, id indicauit, dicens: Expectando expectaui, ardenter, continuo & confidenter de proximo mihi affuturum speraui auxilium domini. Qui aurem suam inclinauit ad me, fide me firma assecurauit, de proximo adiuuando me per illum, ut magnanimiter interim perferenda sustineam, statim liberandus. Non potest dominus nõ exaudire clamores, cum fiducia multa precantium. Si enim exorari nollet dominus, non gratiam concederet fortiter sperandi, & feruenter orandi. Pulchre autem cum maximis hæret malis, sese inducit uelut ex profundo uociferatum ad deum, Deum uero ferentẽ opem, quasi ex alto se ad ipsum demisisse, & aurem ad uociferationem suam inclinasse.

Fides piorum profecit indies.

& eduxit me de lacu miseriæ, & de luto fecis, Et statuit supra petram pedes meos, & direxit gressus meos.

Volens mala in quibus fuit exaggerare, dicit se subductum è lacu miseriæ, de puteo calamitatis, & de luto fecis uel limoso, in quo homo nequit uel consistere uel inde sese expedire, sed anxie sine spe subsistẽtiæ laborare, & periclitari maxima molestia & horrore. Nec solum è limo eripuit, sed etiam statuit supra petram pedes meos, in qua firmus consistere possim, & solide expeditus ad gressum. Sic differenter se habet tempus quo suos deserit deus & quo iuuat, dum enim deserit ubique hærẽt, & perpetua quadam in morte uersantur, unde nullis se possint uiribus explicare: ubi rursum respicit & liberat, uelut immota petra consistunt, & succedunt omnia.

Mala sanctorum.

3 **Et immisit in os meum cãticum nouum, carmen deo nostro. Videbunt multi & timebunt: & sperabunt in domino.**

Per datum in os suum canticum nouum, intelligit obblatam sibi nouam materiam laudis Dei decantandæ, ob innouatam scilicet in se eius beneficentiam, ipse nouum beneficium noua agnoscit gratitudine, intelligens à quo omnia bona procedunt, à solo deo nostro, cui soli honor gloria & gratiarum actio. Fructum autem subdit pietatis suæ perue nisse etiam ad alios, qui agnito iam nomine eius, ucráq; religione affecti, & ipsi deum credent & colent. Canticum nouum.

4 **Beatus uir cuius est nomen domini spes eius: & nõ respexit in uanitates, & insanias falsas.**

Exclamatio est ex gestiẽte lætitia de lato diuinitus auxilio, eiusq; fructu, & apud alios inde ad fidem dei perductos profectu, qui neglectis uanis spebus in creaturas quascunq;, confidunt toti in domino, fortes in fide & gratia, qua deum omnis boni benignissimum largitorem suspiciunt & colunt, non declinantes in uanitates ac insanias falsas, non sectantes mẽdacia, ut quæ carni libenter sectentur stulta, et inanes rerum bonarũ umbras, quales sunt superstitiosi omnes, & deum non timẽtes, sed qua in mundo sunt appretiantes.

5 **Multa fecisti tu domine deus meus mirabilia tua: & cogitationibus tuis ad nos nõ est qui similis sit tibi. Annuntiaui & loquutus sum: multiplicatæ sunt super numerũ.**

Superioris exclamationis causa est, & noua exclamatio. Verè felix est, quisquis tibi, ô deus, fuerit confisus, plurima enim non mihi solum, sed omnibus tibi credentibus benigne & magnifica fecisti nunc antea ac semper. Nam eorum quæ mira nostri causa ædere soles facinora, consilia quoque dei de seruandis nobis, non potest iniri ratio, nec statui numerus ut ipsa à te proficiscãtur, superant enim omnem numerum, nec tibi in operibus et consilijs quisquam comparari potest. Omnem enim superant existimationem, diuinæ super nos benignitatis opera & consilia. Hæc autem cogitantibus pijs, omnia hæc inauspicata nõ ingrata redduntur, nihil enim odire possunt eorum quæ deo esse grata dinoscuntur. Nec id solum, sed annuntiant quoq; dei magnalia & beneficia, ac eloquuntur omnibus quibus possunt, quanta scilicet fecerit dominus animæ suæ. Vere felix.

6 **Sacrificium & oblationẽ noluisti: aures autem perfecisti mihi. Holocaustũ & pro peccato non postulasti:**

Vtcunque populo tuo ceremonias sacrificiorum multas imposueris, quibus ab illis coli uoluisti, nõ tamen hoc alia ratione egisti, quàm ut tam propensum ad idololatriam populum abstraheres, & tantis oneribus grauares, ne quid desyderarent de gentilium ritibus, qui proprios et elegantiores haberent ritus ac splendidiora sacra. Alioquin Ceremoniæ cur inibi tuæ.

qui

qui non illa tibi tantopere placere poterant, qui ſpiritus es, in ſpiritu quoque ac ueritate coli uis, in iuſtitia & ſanctitate, in obſeruantia fidei & ſpei ad deum unum et ſolum, charitate quoque ad proximum. Pro quibus mandata fidelibus dedit, duarum tabularum decem uerba, in quibus de huiuſmodi ſacrificijs & holocauſtis, libaminibus & feſtis reliquis nihil memoratur, nec ea à prophetis unquam inculcata leguntur, ſed tantum ea quæ decalogum reſpiciunt, quorum ſumma eſt fides in deum, & charitas in proximum. Aures autem perficere, hoc loco aliud non eſt, quàm ſecretò reuelare uel familiariter, in quibus à ſanctis illi uerè complaceri poſſit, quæ maxime exigat ab electis, plenam obedientiam perſuadendo, reuelando ſanctiſſimam uoluntatem ſuam, & præparando ad ueram pietatem, quod & aurem perfodere Iudæis ſignificare poteſt, ſi bene intendant. Quandoquidem & priſci ſancti patriarchæ ac prophetæ clare intellexerunt, nihil horum curare tantopere deum, quæ & aliquando cum templo & aris delenda eſſent, ut Paulus ad Hebræos teſtatur, tunc ſcilicet, quando ſyncerior dei cultus mundo per Chriſtum traderetur. Faceſſit enim quod imperfectum eſt, ubi aduenerit quod eſt perfectum. Vnde tam primi patriarchæ quàm deo pleni prophetæ taliũ ceremoniarũ cultum nõ curauerunt, ſed iuſtitiæ & ueritatis obſeruantiam, timorem dei, & mandatorum illius obedientiam. Peccatum autem quod hic dicitur dominus noluiſſe, intelligatur ſacrificiũ pro peccato, qualia olim offerebantur in lege, & holocauſta cum cæteris annexis libaminibus ac ſacrificijs.

7 **tunc dixi, Ecce uenio. In (uolumine) capite libri ſcriptum eſt de me.**

Tunc cum me plene erudieris, & de tot calamitatibus eripueris, ardenti ſtudio tibi gratias agam, eo modo & ordine uel ritu, quem tibi non diſplicere certò noui, ſcilicet ſecundum præſcriptum legis tuæ, quam ſeruari uoluiſti, & in populo tuo uigere, donec perficeretur ut ris omnium electorum tuorum. Venturum ſe pollicetur gis uiuat ac operetur, totum ſeſe deo ſuo dedat, atq; deuoueat illius beneplacito, quam ueram deuotionem ſignificabant ſacrificia & oblationes & ſanguinis effuſiones: non reddebant, ſed prænuntiabant uerum ſacrificium, & deuotiſſimam pro iuſtitia dei mortem, per Chriſtum ſolum innocentem pontificem offerendum, pro totius mundi ſalute. Id autem ſacrificium prænuntiatum & teſtatum eſt à toto uolumine libri, id eſt, à legge, prophetis & pſalmis: de me, ait, Dauide & ſemine meo Chriſto.

8 **ut facerem uoluntatem tuam: deus meus uolui, & legem tuam in medio cordis mei.**

Totum me deo addixi & conſecraui, eatenus ut lex dei, hoc eſt, omnia quæ à nobis requirit, ita impreſſa cordi ſit, & in affectum immiſſa, ut nihil æquè libeat, nihil maiorem afferat uoluptatem, quàm iuxta illam deum colere, & in ea meditari ſemper. Hic ſi deſit cultus, quis facile agnoſcet, quàm fruſtra tentetur placere deo ceremonijs, cum à ſeipſo inſtitutas quoq; tantopere abominetur, ubi iſta cordis deuotio defuerit.

9 **Annuntiaui iuſtitiã tuam in eccleſia magna: ecce labia mea non prohibebo, domine tu ſcisti.**

Ex uero ſtudio gratificandi deo, naſcitur continuo, ut homo nihil æquè cupiat quàm plurimis prædicare & commendare dei iuſtitiam, fidem, opem, benignitatem, ueritatem, quibus optima fide & charitate agit cum fidelibus ſuis. Hoc eſt autem euangelizare, id quod Chriſtus dominus patris iuſſu mundo exhibuit, annuntiando gratiam dei toto mundo per Chriſtum filium diffundendam, & omnibus communicandam: id autem eccleſiæ magnæ, catholicæ ſcilicet, & omnium fidelium congregationi. Non ſunt prohibenda labia fidelium, gratiam dei depredicantium, ſed aperienda. Ad id autem propenſiſſimum fuiſſe Dauidem teſtatur ſacra hiſtoria. Chriſtum autem toti eccleſiæ ſalutem dei & gratiã denuntiaſſe Euangelia teſtantur, & ipſe Chriſtus Eſaiam recitans in ſynagoga Galileæ. Studiũ deo gratificãdi.

10 **Iuſtitiam tuã non abſcõdi in corde meo: ueritatem tuam & ſalutare tuum dixi. Nõ abſcõdi miſericordiam tuam & ueritatem tuam (à concilio multo.)**

In primis prædicanda eſt dei iuſtitia, qua promiſſa ſeruat electis, & inſuper uult ſibi quoque debita officia non obmitti, ſed & quam præcipit legis iuſtitiam uult ſeruari, & à fidelibus ſic agnoſci, ut diligatur, & ex amore compleatur, non tantum in animo ſit & profeſſione oris, ſed & foris in opera iuſtitiæ prodeat, & uideatur ad gloriam dei & ad proximi tam ædificationem quàm conſolationem. Dicere ueritatem dei, eſt prædicare immenſam bonitatem & beneficia dei, non minora, imò maiora longe præſtita, quàm fuerant promiſſa. Quis enim patrum tanta dei ſui beneficia petere auſus fuiſſet, quanta nunc præſtita cernuntur à fidelibus? Salutem quoque dei prædicare, eſt Chriſti myſterium mundo perſuadere, quod pro ſuo modulo Dauid uoluit, ſed per apoſtolos & ſacras ſcripturas plenius orbi innotuit. Eadem autem repetit alijs uerbis, pro affectuum magnitudine, qui idem ſemel dixiſſe non ſufficere arbitrantur. Duplicem autem eccleſiam magnam dicit, ob Iudæorum & gentium fidem priſcam, & nouum populum, ſemen Iſraël ſecundum carnem & ſpiritum, legem & Euangelium. Iuſtitia dei. Dei ſalus prædicãda.

11 **Tu autem domine ne (prohibeas) longe facias miſerationes tuas à me: miſericordia tua & ueritas tua ſemper ſuſceperunt me.**

Quandoquidem uerò ſic animatum ſe reperit ergà gloriam dei amplificandam, ut nihil magis cupiat, ideo dominum iterum atque iterum orat, ut non impediatur ab inſtituto ſuo quacunque aduerſitate, ſed ſemper ſentire mereatur miſericordias domini, quibus ſemper cuſtodiatur ad uitæ innocentiam, fidem & ueritatem multis prædicandam. Ad id enim beneficia dei poſtulat, & agnitionem diuinæ ueritatis, ut in dei gloriam proficere penes multos plurimum & ſemper ualeat. Non enim ſancti beneficia dei exigunt, niſi ad gloriam dei, & ut Beneficia dei cur petuntur.

proficere poßint ad ſanctificationem nominis dei. Ad quam amplificandam cupiunt etiam per afflictiones & mortem penetrare, quibus nihil gratius eſt & expetibi lius, quàm ut dei bonitas digne agnoſcatur & colatur.

12 Quoniam circundederũt me mala quorum non eſt numerus: comprehenderunt me iniquitates meæ, & non potui ut uiderem. Multiplicatæ ſunt ſuper capillos capitis mei: & cor meum dereliquit me.

Exercitiũ piorum. Amplificat amplitudinem bonitatis dei ex magnitudine malorum, è quibus eum liberauerat: quæ ita eum uallauerant non ſemel, ut iudicio carnis euadere impoſſibile uideretur, & ſi quando emerſiſſet ex calamitate una, mox inſtabat & obruebat alia, & non raro grauior, ſic domino exercitante ſuos amicos: & ubi exteriores inimici ceſſaſſent, mox conſcientiam perturbauerunt multo maxime peccata, & ea non leuia, ſed & peccata ſuorum filiorum, quæ certe prouidere non poterat nec præuenire. Sic enim dominus ſtatuerat exercere amicum ſuum inſignem, omnibus fidelibus in exemplũ, ut & typus idoneus fieret Chriſti domini, qui maiora pertulit, & ipſam crucis mortem pro electis. Tantus calamitatum numerus continuo erat, ut iudicium & oculos falleret, plures quàm pili capitis euaſerant, tanto autem grauiora portatu, quanto ſibi earum plura non alia ratione quàm propter peccata accidiſſe ſciebat. Vnde & maxime perturbabatur corde, nullaq; illi conſolatio ſuccurrebat, præter ſolam fiduciam ad clementiam dei, qui ipſum elegerat, & promiſerat gratiam & gloriam.

13 Cõplaceat tibi domine ut eruas me: domine ad adiuuandum me reſpice (feſtina.)

Inuocat interim gratiã & bonam uoluntatem dei, ut liberare dignetur eum, non ſolum ab infortunijs tantis, ſed etiam ab iniquitate & prauitate animi quacunq;, qua ut infinita quotidie peccata admittebat, ita infinitis quoque malis ſeſe obnoxium reddebat. Hinc uero nobis diſcendum, quàm nos ſeruere deceat in commendatione bonitatis diuinæ, qua nobis peccata donauit in Chriſto, & cruci affixit omnia incommoda noſtra.

14 Confundantur & reuereãtur ſimul: qui quærunt animam meam ut auferant eam. Conuertantur retrorſum & reuereantur qui uolunt mihi mala.

Hoſtes ut repellendi. Oraucrat primum auxilium ſibi ferri, & quidem celeriter, nunc hoſtes repelli & ſuis conatibus deijci, ac ita opprobrio & ignominia affici, eiſq; dignam malitiæ eorum mercedem rependi: id autem uel maxime, ut à ſua malitia erubeſcant uel tandem, & cõfundantur ſuis malis conatibus, dum nihil aliud ſatagunt quàm occidere pios, & ſic delere, ut ſimul quoq; pietas euaneſcat. Hoc enim ſemper cupiunt impij, tollere exempla & monitores iuſtitiæ, ſed ſemper retroagũtur, & ab inſtituto impediuntur, orantibus fidelibus ex fide, ut ignominia tandem aſperſi, & confuſi apud ſemetipſos, & in mundo, deſinant mala uelle, qui ſolum poſſunt malefacere, reſipiſcant à perſequendo, quos nõ poſſunt aſſequi, ne proprijs malitijs ſeſe excidio præparent & inuoluant.

15 Ferant (confeſtim) confuſionem ſuam: qui dicunt mihi, Euge, euge.

Vaſtentur potius ut merentur pro mercede ignominiæ ipſorum, hoc eſt, in talionem ignominiæ, qua afficere bonos conati ſunt, & irridere. Vel potius obſtupeſcant iſti impij diuerſum ceßiſſe atq; decreuerant, non tantum potuiſſe ſe nocuiſſe pijs ut uoluerant, quin potius dominum ſtatuiſſe contrarium, ut qui impetere ſanctos conabantur, ſuo ſe iugulo occiderent, & caperentur foueis quas inſontibus præparaſſent.

16 Exultent & lætẽtur ſuper te omnes quærentes te: & dicant ſemper, Magnificetur dominus, qui diligunt ſalutare tuum.

Cogantur, ô deus, uidere uel inuitiſſimi impij, gaudentes fideles & pios omnes de ſua ſalute, & mihi quoque congratulantes: gaudentes autem propter gloriam tuã, & in te, non in ſeipſis, uel in me: omnes, inquam, qui te toto corde & plena fide inquirũt, hoc eſt, cupiunt prorum. Gaudia ſa bari tibi & placere per omnia pro omni uiri li ſua. Tales enim gaudia ſua omnia regerunt in gloriam dei, ut illi magnificetur, & ſanctus appareat in ſuis ſeruulis & electis, qui diligunt & deſyderant ſalutem dei mihi reſtitui, ut euadam tot anguſtias, impiorum pernicacia mihi illatas, & qui tui ſemper ſolius opem quærunt non aliorum, qui deo gratiſſimus cultus eſt, ipſum ſcilicet omnium ſeruatorem agnoſcere.

17 Ego autem mendicus ſum & pauper: deminus ſolicitus eſt mei. Adiutor meus & protector meus es tu: deus meus ne tardaueris.

Confirmatam canit ſuam in deum fiduciam. Eram, ait, inops, afflictus & pauper, dominus autem ſolicitus eſt mei, id eſt, cogitat iugiter de me, prouidẽtia ſua proſpicit mihi & conſulit. Inde quoque gloriatio ſequitur. Gloriatio ſanctorum Adiutorium meum & liberator meus, tu es deus meus, in tempore ſuccurris, & à malis eripis hactenus. Oro igitur, ut non deſinas nec differas in poſterum, quando quidem curæ tibi me eſſe toties experior, etiã in mediis aduerſis. Diſcimus humiliter ſentire de nobis, optime deo, ab eo ſolo petendum ſalutem, illi ſupplicandum, ſperandum, fidendum, gratias agendum ut ab omnibus malis eius auxilio liberemur.

PSALMVS XLI.

In finem Pſalmus Dauid.

ARGVMENTVM. Oratio contra eos qui ſine misericordia iuſtos perſequuntur, cum potius amare deberent ut dei amicos.

1 BEatus (uir) qui intelligit ſuper egenum (& pauperem) in die mala liberabit eum dominus.

O quàm felix homo ille, & pro gratia dei quam ſentiet tempore oportuno beatus, qui animad uertit et animũ apponit, ut uel amanter condoleat, uel ſi poßit, auxilium præſtet uel conſilium, ei quem pauperem, egenum & attenuatum rebus uel uiribus uiderit. Sanctorũ in Intelligit enim malũ quod hodie patitur proximus, cras ſcilicet ſibi

sibi quoq; obtingere posse: proinde talem se præstat illi, qualem simili in casu optaret sibi illum iuxta charitatis legem respondere. Cui proculdubio dominus, amator et exactor legis huius respondebit, & liberabit à malis supernenturis. Pauperum enim procurator & pater, sibi acceptum referet collatum egeno, & ut sibi præstitum remunerabit tam in præsenti sæculo quàm futuro.

2 Dominus conseruet eum, & uiuificet eũ, (&) beatum faciat eum in terra: & non tradat eum in animam inimicorum eius.

Si quis se tutorem & auxiliatorem egeno præstiterit, pauperi scilicet rebus uel sanitate, eum dominus haud dubie custodiet, & à simili uel maiori malo præseruabit. Viuificabit eum, id est, à morbo si quem inciderit, uel periculo mortis si accesserit imprudens, eũ dominus seruabit & sanabit, feliciter eum uiuere faciet in hoc mundo. Ad omnia enim ualet, & maxime deo assimilat eique placet indigentium cura, & beneficia collata in pauperes, qui ad hoc mundo donantur, ut iustis continuo & electis assit oportunitas exercendi opera pietatis, unde à iudice Christo olim sint laudandi & præmiandi æterna beatitudine. Denique periculis eximet malorum crudeliũ hostium, eos, qui gaudent beneficentia, dona à deo accepta liberaliter dispensando egentibus.

3 Dominus opem ferat illi, super lectũ doloris (eius) uniuersum stratum eius uersasti in infirmitate eius.

Etiam si misericors quispiam homo in stratum casu uel ordinatione dei inciderit, morbo grauatus, suffulciet eum dominus, consolabitur in conscientia, uel curandum suscipiet & sanandum, uel in melius commutabit sorte. Omnino enim fieri nequit, ut à domino deseratur, qui domino in suis seruulis et amicis sedulum se seruum exhibuerit. Quamlibet grauissime eum dolere permittat, uersabit tamen eatenus lectum, & sic parabit, conuerteq; uicem afflicti, ut prope tempus sit melius habitulum, uel leuius ferat morbũ, quo iam incolumis quiescat, ac sit commutaturus lectulum.

4 Ego dixi, Domine miserere mei: sana animam meam, quia peccaui tibi.

Et ego quoque cum omnium hominum miserrimus essem, hostibus iam uallatus ad mortem, iam criminibus meis & meorum infelicissime iactatus, nõ obmisi tuam implorare clementiam: & tantis meis malis medelam ab alio conferendam non sperabam, quàm à te solo clementissimo patre, pro eo quod gratiam à te mihi datam clementiæ & commiserationis non ignorabam. Quid igitur mirum si complacenti tibi pietatis operibus, tuam quoque clementiam nunquam sis negaturus: misericordiam enim promisisti eis, qui præstant misericordiam: et ueniam pro peccatis, eis qui peccantibus in se remittorum quoque meorum indulgentiam largiturus.

5 Inimici mei dixerunt mala mihi, Quando morietur & peribit nomen eius?

Longe aliter animatos homines improbos hactenus pertuli, qui me miserè afflictum, crudelius adhuc persecuti sunt. Primò enim mala de me multa locuti sunt, ut Semei cum maxime miser essem & attritus, & iam eleemosyna indigens, horrenda mihi mala uerbis & factis intulit homo improbus, cum suis cõplicibus sine numero. Ab omnibus enim uerè tunc destitutus eram, qui toto studio me ad mortẽ quærebant, & cõsultabant diligentissime, ne euaderem, & tollerer de hoc mundo cum ingenti opprobrio, cum iactura honoris & nominis, qua maior excogitari non potuisset, quàm quod in odium patris ad mortem promouendam filius uxores patris constupraret. Improbitas malorum.

6 Et si ingrediebatur ut uideret, uana loquebatur, cor eius congregauit iniquitatẽ sibi. Egrediebatur foras (&) loquebatur.

Si quis quoque uenisset ad me consolandum, ut Siba & similes, uana loquebantur, ut deciperent, & in corde uoluerent quæ uerbis simulatorijs palliabant. Iam enim totus Israël dereliquerat me patrem & regem, redemptorem & propugnatorem, pro quibus toties animam desponderam, qui iam tunc omnes me mortuum uoluissent, tantum abfuit ut à morte defenderent. Sed quis dubitat Adonam desyderasse mortem patris ægrotantis? cuius mortem expectare non ualens præoccupauit regnum. Is sanè, & similes illi fautores concursabant & mussitabant, optantes mortem eius, à quo susceperant uitam & gloriam, odientes patrem, regem & benefactorem, pariter cogitabant quomodo nocerent, & malis extremis inuoluerẽt innocentissimũ amicum dei. Vanitas fictiorum impiorum.

7 in idipsum: Aduersum me susurrabant omnes inimici mei: aduersum me cogitabant mala mihi.

8 Verbum iniquum constituerunt aduersum me (Nunquid) qui dormit non adijciet ut resurgat?

Dicebant nanque, Verbum iniquum, hoc est, Belial uel scelus aliquod grande adhæsit illi, uel prodijt ex ipso quod grandi ultione à domino exigitur, à quo nequeat liberari, ideo qui nunc succumbit tot malis, non adijciet unquam ut consurgere & in pristinum statum restitui possit. Nunquid enim tantopere abiectus, & inter mortuos computatus ad uitam & felicitatem resurgere unquam poterit? Quis enim unquam tot periculis attritus est, & attenuatus à iuuentute usque ad senum? à Saulis regni exordio usque ad Adonæ præsumptionem, quoties desperatum est de uita mea & gloria?

9 Etennim homo pacis meæ in quo speraui, qui edebat panes meos: magnificauit super me supplantationem.

Tanta autem passus sum, non tantum ab hostibus, sed etiam ab intimis amicis & consiliarijs, quos putaui fidelissimos: imò & à filijs & fratribus, amicis & propinquis, in quibus fiduciam collocaueram, & quos mense sodales & consortes susceperam, quos beneficijs multis affeceram, & redemeram illorum fidem multipliciter, ut mihi essent familiarissimi. Quicunq; autem tales Passus David ab amicis.

fuerint, ut fuerunt multi, certe Iudæ Iscariotis umbram

Christi passio. prætulerũt, sicut & Dauid Christi. Proinde dominus docebat hunc uersum completũ fuisse in se & Iuda, quandoquidem quicquid in ullis sanctis bonũ unquam illuxit, id ut opus Christi, ita & admonens eius umbra quædam fuit ac typus. Sic itaque quæ indigna & propter deum quisquam unquam passus est, ea quæ passurus erat Christus præfigurauit, sicut & quæ adhuc usq; ad finẽ mundi sancti patiuntur, eorundem imagines quædam existunt. Addens autem, Magnificauit super me supplantationem, uel extulit contra me calcaneum, aliud nõ uult, quàm struxit mihi insidias, iuit, et circumcursauit ad me perdendum, noxium mihi dolum ostendit.

10 **Tu autem domine miserere mei, & resuscita me: & retribuam eis.**

Vtcunq; uerò indignissima patiar, & tantopere passus sim, tu tamẽ semper misertus es mei, aspexisti ad mansuetudinem meam, quam tu dedisti, & reddenti mihi tot ties bona pro malis retribuisti bona pro bonis. Nõ enim dubito me restituendum à te in regnum & gloriam, in

Constantia sancta. sanutatem & pacem. Tunc autem mei perpetuò similis ero, rependam illis quod rependendum agnouero, ab innocentia mea non recedam, uincam eos mihi digna & tibi grata uictoria, non ero immemor tuæ gratiæ, qui ut angustias immittis, sic etiam consolaris: non est hostis mihi quispiam nisi te subordinante, omnia tu agis in omnibus: hostibus meis nocere non magis uel dignus possum, quàm si in innocentia mea te donante perstetero.

11 **In hoc cognoui quoniã uoluisti me: quoniã nõ gaudebit inimicus meus super me.**

Vindicta pro pijs. Hæc mihi unica uindicta solatio sit & sufficiat, quod intelligo originem calamitatum mearum fuisse prouidentiam tuam, per quam tamen præuenisti me semper, ne iubilaret & gratularetur sibi hostis meus de perditione mea, coactusq; est cernere & indolere, quod tu me diligeres, et ad amplissima bona præordinasses, idipsum & cõfiteri eos, et probare uel inuitos, abundè uindictæ loco mihi suffecerit. Aliter enĩ tua gratia donatus sum, aliter tua lege institutus, quàm ut malum rependam pro malo, sed potius uincam in bono malum, imitator bonitatis tuæ, qui solem tuum donas malis & bonis. Non ergo decet fidem & institutũ meum, ut par pari rependã.

12 **Me autem propter innocentiam (meam) suscepisti: & confirmasti me in cõspectu tuo in æternum.**

Ego in perpetua innocentia & integritate mea consistam, in qua tu me semper suffulcies, in qua tibi placebo, quam & suscipies & coronabis, meq; inter electos tuos perpetuò tibi præsentem, & bonitate tua perfruiturum constitues, & in sæcula sæculorum conseruabis. Non patieris unquam excidere me à perfectionis uia, et à iustitia quam donasti semel non deijcies, sed eam confirmabis in æternum, & perficies cum sanctis.

13 **Benedictus dominus deus Israël à sęculo & usq; in sæculum: fiat fiat.**

Optimus maximus & omnipotens agnoscatur & laudetur ab omnibus creaturis, deus ille solus, unicus et uerus, qui est deus patrum nostrorum Abrahæ, Isaac & Israël, qui facit mirabilia magna solus, & perduret illius tanta gloria apud electos omnes in omnia tempora & ætates, donec non fuerit unquam finis, ut sit in laudibus diuinis mea æternitas, & sine fine gloria & honor tuus in sæcula, Amen amen, hoc est, hoc firmũ sit & permaneat sine fine approbatum ab omnibus. Hic Iudæi assignant finem primi libri Psalmorum.

LIBER SECVNDVS.

PSALMVS XLII.

In finem intellectus filijs Core Psalmus.

Quanquam parum admodum certi possit tradi de rationibus titulorum, uerisimile est tamen hunc Psalmum & alios quosdam filijs Core inscriptos, dictatos esse à primoribus, ex eo cantorum ordine qui Coritæ dicebantur, qui & à Dauide ad decantandum sacros hymnos constituti sunt, eodem numirum spiritu quo & Dauid, uel à Dauide cantandos admissos, tanquam dignos ad gloriam dei & mystica dogmata continentes.

ARGVMENTVM. Meditatio, & exhortatio suijpsius ad sperandum in domino.

1 **QVemadmodum desyderat cervus ad fontes aquarum: ita desyderat anima mea ad te deus.**

Cum iuxta testimonum dei Dauid homo fuerit secundum cor dei, dubium nõ est, eo tempore quo extra tentationes carnis uixit, perfectissimo deum amore dilexisse, & suauissime gustasse in spiritu bonitatis diuinæ dulcedinem, unde & contigit non potuisse eum desperare de clementia dei, quamlibet sciret se uehementer peccasse. Impeditus tamen plerũq; fuit ab huiusmodi contemplatione dei, uarijs ex casibus, ad quam tamen statim conatus est reuerti, maximo desyderio expertæ suauitatis, quam licet intelligere ex Psalmis passim, sicut & hic confitetur, uel ipse Dauid uel iuxta Davidis spiritum & fidem sanctus Coritarum præsul, author fortasis huius Psalmi, dicens, pluſquam dici possit ingen. Desiderium æstuasse se desyderio contemplationis diuinæ, simile de syderium inducens illo quo cerua uel infestata canibus & fatigata, uel post uoratũ serpentem maximè sitiens, cupidissime confugit ad aquas: sic, inquit, desyderat ardentissime spiritus meus ad expertam bonitatis tuæ contemplationem, & deuotissimam laudum tuarũ cantionem, in congregatione fidelium, uel in auditu magnalium dei pro suo illo populo: cui rex erat præpositus electione diuina certissima.

2 **Sitiuit anima mea ad deum fortem, uiuũ: quando ueniam & apparebo ante faciem dei?**

Absq; similitudine simpliciter dicit, quod sub figura in priore uersu, nempe animam suam æstuasse siti spirituali prædicto: magnoq; affectu addit, Quando tandem tempus appetat ut uenire possim ad comparendum in loco, quem pro gloria & charitate sua ad populum dominus statuit prope arcam dei, & sacrum illud sanctuarium, & ad iucundam illam contionẽ collectam coram domino

dominо iuxta legem? à qua tam tẽpore Saulis & Samuelis quàm Absolomis prohibebatur ad tempus hominum malignitate impeditus. Deum uero nominat, & addit, fortem uiuum: ubi lectum est hactenus perperam Fontem uiuum, non certe damnoso errore si solus extasset.

3 Fuerunt mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte: dum dicitur mihi quotidie, Vbi est deus tuus?

Ita se doluisse canit, ut nihil æquè libuerit, quàm lachrymari per dies & noctes, ut lachrymas iam pro cibo haberit, non minus cupide illas effundendo, quàm quis uescatur cibo, omnu desyderio cibi per nimiam animi ægritudinem profligato. Semper sonabat istud in auribus eius quod iactare sciebat hostes suos, Vbi nunc est deus tuus, cuius auxilium tam confidenter iactabas, in cuius ceremonijs tanta cura adsistebas & multus eras? Hoc ferebat tanto grauius quanto cupiebat dei bonitatem celebrari præclarius, quod sane ita cupiebat ut nihil æquè. Time ergo, quod angoribus impedicbatur non parum à contemplatione dei, & sciret dei bontatem ab impijs tanto opere blasphemari, tanto discruciabatur dolore.

4 Hæc recordatus sum, & effudi in me animam meam: quoniam transibo in (locum) tabernaculi admirabilis usque ad domum dei, In uoce exultationis & confessionis sonus epulantis (festiuantis.)

Ejiciebam semel omnem coram domino animi æstum, querelis & precibus totus deditus, cum mecum reputarem quomodo iterum aliquando transiturus essem ad tabernaculum gloriæ eorum, in quo dominus ad gloriam & etiam gentis suæ habitare se uelle promiserat inter eos, & adesse omnibus obsecrationibus eorum, qui locus reuera esset & haberetur domus dei, in quo non sine deuotissima alacritate resonabant uoces diuinæ laudis, & magnalia dei cum eorum patribus celebrabantur, eũ deuotissimis orationibus & Psalmis adsistente turba peculiaris populi dei, & celebrantes lætissima solennia, non sine sacris epulis de sacrificijs pacificorum secundum legem. Priscus interpres legit אערם, longe ueresimiliùs quàm Iudæi nunc satis dissonanter אדרם: quid enim cuomere diceretur hoc loco? & quomodo quadrat cum Tacere, quod Hieronymi temporibus Iudeis placuit, uel incedere quod alijs? quasi non facile ר mutetur in ד, & quasi tempore prisci interpretis Psalmi non fuerint maxime in usu & noti fidelibus, magis quàm Neotericis Iudæis. Epulas autem accipi pro festis creberrimum fuit etiam Hieronymo interpreti.

5 Quare tristis es anima mea? & quare conturbas me? Spera in deo, quoniam adhuc confitebor illi: salutare uultus mei,

Consolatur seipsum super dilatione desyderij, dum à cupitis abstinetur, & aduersis anima premitur. Quid, inquit, deiecta es anima mea? Hac metaphora summam pœ incuruari graui imposito onere. Quare conturbas me, uel infremis in me? Id efficiunt diu contenti dolore spiritus, ut concutiatur totus homo præ horrore, & uoluti desyderio efferuescat. Vehementer potius & magnanimiter spera ô anima mea in deum, quandoquidem adhuc senties, & cum gaudio celebrabis eum exhibentem tibi beneuolentissimam ac hilarem faciem suam, & salute multiplici te consolabitur, præsentissima gratia sua, quam & hostes mei frementes conspicient, qui nunc ad desperationem adigere me conantur.

6 deus meus, ad meipsum anima mea conturbata est: propterea memor ero tui de terra Iordanis, & Hermonijm à monte modico.

Iterũ canit quomodo eum excruciarit recordatio dei, & mirabilium suorũ meditatio, dicens, O domine deus meus, quare iam tantopere anima mea consternatur, humiliatur atq; incuruatur? cum ego potius memor esse deberim beneficiorũ dei, quæ exhibuisti populo tuo trans & citra Iordanem, ac in ipso Iordanis trãsitu, sed & in montibus Hermonijm, Basan & Galaad, deuictis regibus Basan & Esebon, alijsq; regibus Amorrhæis & habitatoribus minorũ montiũ, quales sunt Iudææ montana, quæ cum gratia & robore subdidisti, mihi quoque meos hostes facile uincere dabis et facies. Difficilis est hic uersus, proinde cuiq; suus sensus permittendus. Trans Iordanẽ regio.

7 Abyssus abyssum inuocat in uoce cataractarum tuarum. Omnia (excelsa tua) & fluctus tui super me transierunt.

Componit præsentem calamitatem, quæ continuo cumulabatur prioris felicitatis recordatione, quã semper multipliciter augeri sentiebat, immanibus imbribus, & apertis cœli cataractis, & malorum maribus ac procellis, quæ super eum inundabant, proximeq; ad exitium adducturæ uidebantur. Dicit autem, Abyssus abyssum aduocat, hoc est, calamitas calamitatem inuitat ac adducit. Aquarum inundationi passim in scripturis infortunia assimilantur. Quod uerò canit, In uoce cataractarũ tuarum, uel canalium, inducit deum immensam super se demisisse uim aquarum, unde inundarint abyssi aquæ scilicet imperuiæ & immensæ, tamq; procellis tempestuosæ, ut nec naui euadere illas liceret. Sic descripsit mala, quæ illi continuo accumulabantur, felicitatem autem pristinam, dum collecto ad se uniuerso populo, eoq; sibi ex animo addicto festa celebraret subinde decantat. Infortunia abyssus.

8 In die mãdauit dominus misericordiam suam, & nocte canticum (eius) apud me oratio deo uitæ meæ,

Benignitatem suam deus curabat populo suo obuenire amplissime, ut de nocte quoque non solum in die prouocatus fuerit carmen sibi canere, hoc est quod dixit, Et nocte canticum meum mecũ. Idem uerò tempus & precibus maxime appositum est, unde subijcit, Oratio ad deum uitæ meæ. Salutem meam ab alio postulare non potui uel uolui, quàm ab eo qui est deus meus, à quo omnes & pariter ego uiuimus, mouemur & sumus, illũ continuo oro & inuoco, à quo pendent omnes sortes meæ, qui solus dare potest uitam & pacem.

9 dicã deo, Susceptor meus es, Quare oblitus es mei? & quare contristatus incedo,

dum affligit (me) inimicus?

Tantis autem inuolutus miserijs dominum orans aliud dicere nõ potui, quàm ut inuocarem eum qui est omnis fortitudo, & ad quem solum tutò refugium suscipitur, qui petra est omnium confugientium. Dico autem ei, Quare tanto tempore oblitus mei uideris, & non cogitare de amico tuo, de me electo tuo, sustinens tot calamitatibus me opprimi, quasi de me tibi cura nulla esset, dum tot mihi continuo hostes insistunt à me inuincibiles, ut cogar tristis & ater incedere, nusquam consolationem sperans inter tot aduersarios et calamitates, quibus oppressus succumbo?

10 Dum confringuntur ossa mea: exprobrauerunt mihi qui tribulant me (*inimici mei*) dum dicunt mihi per singulos dies, Vbi est deus tuus?

Quare me perpetuò hostis obterit, & cogor continuo indulgere lamẽtis. Ex habitu enim luctus luctum et dolorem significat, dum illi impij opprobrium obiecerunt, dum infortunio premeretur, ut illi dicerent hostes, Vbi est deus tuus? Dicitq; id sibi fuisse meram carnificinam, desæuientem in ossa sua, ueluti gladius cædens & cõficiens. Nihil autem æquè dolet atq; secari ossa. Quo itaque ostenderet omnem cruciatum excessisse dolorem quem ei inferebat illa hostium insultatio. Vbi est deus tuus? dicit sibi eam fuisse ceu sectionem in ossibus quo eũ opprobrio affecerunt.

11 quare tristis es anima mea? & quare conturbas me? Spera in deo, quoniam adhuc confitebor illi: salutare uultus mei, & deus meus.

Iterum consolatur animam suam, ut usu uenit sanctis, crebro contristatam & humiliatam, solo respectu diuinæ gratiæ consolandam, pro quo & gratiæ domino sint reddendæ. Idem autem est cum quinto uersu prædicto et exposito.

PSALMVS XLIII.

Psalmus filijs Core.

Is unde irrepserit titulus, & quid diserte uelit nescio. Apud Hebræos legitur hic Psalmus sine titulo.

ARGVMENT. *Oratio contra hostes pietatis.*

1 IVdica me deus, & discerne causam meam de gente non sancta: ab homine iniquo & doloso erue me.

Audiens amicus dei & iustitiæ quotidie studium religionis, cui deditus fuit, frustraneum censeri, dum uidetur à deo negligi, animam suam coram domino effundit, orans ut causam suam iudicet secundum se & defendat, quandoquidem ipse se in tanta colluuie hominum impiorum tueri non posit, nec causam suam quantumlibet iustam & sanctam. Quid enim sancte decernerẽt? quomodo pro timente deo definirent quidpiam, qui sancti non sunt? imò sanctimoniam uellent profligatam in exilium, omnia per dolum & inique agentes, à quibus se cupit eripi & saluari, à domino qui solus nouit iudicare iustitiam, & à persecutione impiorum eruere innocentes & amicos dei.

Causa piorum.

2 Quia tu es deus fortitudo mea: quare me repulisti? quare tristis incedo, dum affligit me inimicus.

Cum fueris hactenus, ô deus, uindex meus & robur meum, per quem omnia mala deuici, quare me nunc depellis? quare luctuosum, sordidum & funestum desistuis? A quo solo pendet omnium piorum prosectus & fortuna, quos ubi repulisse uideris, quomodo non tenebrosi & tristes incederent? qui sine te sunt mundi fordes & quisquiliæ, omnibus odio & contemptui, imò & ubi possunt impij, opprimuntur quotquot tibi placere student. Omnes enim qui uiuere pie studene, persecutiones patiuntur, & perferre coguntur hostes. Vbi dissecuum mus, nihil beatius secura conscientia, quæ dei iudicium audeat appellare: deinde dominum malis bonos subimde permittere, at non concedere totos.

Secure conscientia.

3 Emitte lucem tuã, & ueritatẽ tuam: ipsa me deduxerunt & adduxerũt in montem sanctum tuum, & in tabernacula tua.

Tenebris obuolui dicuntur qui impiorum persecutiones sustinent in hoc mundo, nullum inuenientes præsidium, sed à deo sibi demitti orant & impetrant lucem auxilij diuini ut illis affulgeat quo è periculis eximantur. Eandem lucem dei ueritatem uocat, quia ex eo quod deus stat promissis suis, & spei suorum amplissime respondet, erat hanc opem isti seruo suo laturus. Ipsis ueris bis ueritatis orat se deduci, hoc est negotium suum expediri, nihil suis uiribus arrogãdo. Ad montem, inquit, sanctum dei, ad habitacula dei, ad solidam & claram agnitionem gratiæ & gloriæ dei, mysteriorumq; prouidentiæ dei, qua omnia iustissime & clementissime administrantur, ne quis sanctorum imò nec impiorum conqueri iuste possit de quacunq; iniuria, siue dispensationem dei recogitet in hoc mundo, siue in futuro. Siue id malis ad illud tempus intelligere, quando sanctam festiuitatem in monte Zion, ubi tabernaculum domini erat, ubi & ara dei, quam adire cupiebat cum hostijs suo more, deũ lætitiæ gaudij sui authorem, unde lætaretur & gestiret celebraturus, qui lata ope faciem suam exhilarasset, seq; deum suum beneficijs declarasset.

Obscura reddit.

4 Et introibo ad altare dei: ad deum (lætitiæ gaudij mei) qui lætificat iuuentutem meã. Et cõfitebor tibi in cithara deus deus meus:

Nihil sancto hominu etiam secundum hominem gratius, quàm cultui dei digno & alacri adesse, ceremonias his modis, quos deo nouit placere, à quo & eos uoluit institutos, quales eo tempore erant sacrificiorum ritus, in ara holocausti, in atrio, & in ara incensi, intra sanctum, quæ fiebant ministerio sacerdotum dei de filijs Aaron. Ad quod gaudium piorum & mente deo deuotorum nonnihil faciebat sanctorum carminum cantio à Leuitis cantoribus, qui ori & musicis organis se & auditores ad dei laudes & gratiarum actionem, corde, uoribus & sensibus incitabant. Nihil ibi sine intellectu aut fide agebatur, uulgata & patria lingua domino deo sanctaq;

Celeri ad zelum.

prosancta carmina concinebant, & permouebant eccle siam ad fidem & studium pietatis & innocentiæ. Ad quod excitandum ceremoniæ si prosunt non sunt contemnendæ: sin minus, tantumq; aurium & uisus oblecta tionem et gaudium sæculare promouere illis contingit, alioloco, si uidebitur, hominibus exultatio & recreatio procuretur, nõ in loco sacro uel diuino cultui dedicato.

5 quare tristis es anima mea? & quare conturbas me? Spera in deo, quoniam adhuc confitebor illi: salutare uultus mei, & deus meus.

Dominum deum meum celebrabo, propterea quod assert salutem faciei meæ, hoc est, uere præsentem & solidam, quam sentiam & unde læter, consolatus interim de irrisione & calumnia infidelium, qua dicere solebant, Vbi est deus tuus? Videbatur enim his hostibus Dauidis, deum longe abesse à facie & conspectu Dauidis: ideo nunc denuo dicit, Celebrabo eum adhuc ob salutem faciei meæ, id est, quam coràm sentiam, quæ sit in facie mea, quam certo experiar, indeq; uerum ipsum deum meum esse sentiam. Idem bis dictum Psalmo præcedente.

PSALMVS XLIIII.

In finem filijs Core ad intellectum.

Credi potest non unum tantum ex filijs Core scripsisse psalmos, si non omnes Dauid scripsit. Verũ nõ omnes eadem gratia & elegantia uerborum scripti uidentur. Nec spiritus sanctus uerborum exactor est, sed piorum sensuum, cum summa simplicitate, quos alij uix eruditione præclara assequerentur. Insignem resipit elegantiam hic Psalmus præ alijs quibusdam.

ARGVMENTVM. Pia expostulatio cum deo, qua petitur, ut iuxta fœdus cum patribus initum auxilium ferat satis afflictis.

1 DEus auribꝰ nostris audiuimus: patres nostri annuntiauerũt nobis opus (quod) operatus es in diebus eorũ, in diebus antiquis.

Commemorantur hic cogitationes uerorum Israelitarum, qui dominum deum uere colere cupiunt & obsequi mandatis illius, interim tamen libidini impiorum ex positi, & modis omnibus diuexati, reputantes secum ut magnifice olim deus suos uindicauit. Dum enim procul opem domini abesse sibi sentiunt, in mentem eis uenit, quàm præclare illa adfuerit ueteribus olim patribus, id quod à patribus narratum filijs in perpetuam rei memoriam, posterioribus semper sæculis significandum est, & prodendum memoriæ, quod dominus notum uoluit omnibus gentibus.

2 Manus tua gentes disperdidit: & plãtasti eos: afflixisti populos, & expulisti eos.

Hoc opus & memoriale est, quod de deo patres filijs suis narrarunt, deum scilicet sua sola uirtute & bonitate primum gentes Chananeas expulisse de suis finibus, & occidisse, terrámque inhabitandam dedisse Israeli, eumq; ibi omnibus opibus & potentia fecisse florentem. Prius planeare, posterius germinare posuit, ut par est, male enim germinantia eradicanda sunt, ut fœcundiora plantentur: sic afflixisti, ut meriti iam dudum fuerant, impias gentes, & dimisisti eatenus, ut posthac ferre cos, benefacere & tueri nolueris.

3 Nec enim in gladio suo possederunt terram, & brachium eorum non saluauit eos, sed dextera tua, & brachium tuum, & illuminatio uultus tui: quoniã complacuisti in eis.

Electis autem tuis Israelitis sorte dedisti illorum terram, ut iure hæreditatis illam possiderent. Hoc autẽ non factum est robore militum, & uiolentia armorum, fortiores enim erant istæ gentes, genus gigantum, arces & urbes fortissimas habitantes, & multo maiori numero quàm Israelitæ, ut humanis uiribus illos Israelitæ uincere non potuerint: sed dextera tua, ô deus omnipotens, et brachio fortitudinis tuæ, cui nihil potest resistere, ne uni uersa quidem uirtus creata, & illuminatio uultus tui, hoc est, serenitas beneuolentiæ tuæ, fauor & clementia tua ad patres nostros, & ad fidem eorum, propter quam tibi unice præ omnibus gentibus placuerunt. Sors electorum.

4 Tu es ipse rex meus (&) deus (meus) qui mandas salutes Iacob.

Alium præter te regem meum, ô deus, non agnosco, id autem gratia electionis tuæ, qui sic me liberũ uiuere ad tuam uoluntatem uoluisti. Regem enim à te nobis datum, tuo nomine agnoscimus, qui & tibi subiectus, nos ducit ad pascua tua & regit, non tam dominus noster existens quàm consul & patronus. Tu Deus mandas, hoc est, disponis & curas felicitatem & salutem Israelitarum tuorum, nempe tibi dedito populo. Te ergo præcipiente salutem, nemo obruet exitio siue damno. Salutes Iacob dicit, ob multas uictorias & hostium infestationes sæpe deuictas. Rex fidelis

5 In te inimicos nostros uentilabimus cornu (&) in nomine tuo spernemus insurgentes in nobis.

Obtinuimus, & semper ueluti cornibus impetemus omnes hostes nostros, non aliqua uirtute nostra, sed in te, id est, per te, à quo pendet omnis actio nostra, & in tuo nomine conculcabimus & opprimemus eos, qui insurgere contra nos unquam præsumpserint. Si uero nomen tuum non fuerimus uenerati, si non in tuo nomine solo confisi, non mirum si superabimur, etiam ab infirmioribus nostris persecutoribus: sic enim habet pactum quod nobiscum contraxisti, aliud de te sperare non possumus, nec meremur. Fiducia contra hostes.

9 Non enim in arcu meo sperabo: & gladius meus non saluabit me.

Plenus est doctrinis sacris, & hic docet totam fiduciam fideles iacere debere in deum, non arripere inconsulto Deo arcum uel gladios, & si iussi arripuerimus, non tamen in illis sperandum, sed in domino, si tamen illum pro perfidia nostra & impia uita non hostem habuerimus. In primis iusta causa necessaria est in bello fidelium, & ut iuxta legem inchoetur, non tentetur dominus, non desint orationes, quin et fiducia in deum primas habeat partes, qui saluare consueuit amicos, & de Spes in dominum.

ſua bonitate legittime præſumentes.

7 **Saluaſti enim nos de affligentibus nos: & odientes nos confudiſti.**

Salus fidelium.

Vt olim ſic modo fideles tuos & ſemper ſaluas ab infeſtatione impiorum, ab his qui anguſtijs premunt & inſtant iniurijs, & ex corde propter fidem noſtram in te nos odio proſequuntur, nihil meritos, ſed tantum tui odio, qui noſter es dominus & protector, quia tantis nos tuis magnalibus glorificaſti, & ad æmulationem perduxiſti, propter deorum ſuorũ errores, quos abominamur, & cultuum & religionis diſparitatem, ſed ſemper à te confuſi ſunt hoſtes noſtri, & ſemper confundentur, te fauente nobis.

8 **In deo laudabimus tota die: & nomẽ tuũ confitebimur (*in ſæcula.*) Sela.**

Glorificandus deus in omnibus.

Sic per deum præclare adiuti, & hoſtibus noſtris ſuperiores facti, de hoc deo noſtro tam præſente ſeruatore noſtro gloriabimur: & nomen ipſius celebramus non noſtrum. Non nobis domine non nobis, ſed nomini tuo gloriam dabimus omni tempore, & maieſtatem tuam reuerebimur corde primum & fide, deinde confeßione & obedientia, cupientes alios quoque peruenire ad tuam agnitionem & glorificationem, ut te unum, uerum & ſolum deum ſuum colant, fide, ſpe & charitate. Ea autem cum ſumma tunc eſſet populi fidelis felicitas & religio, ſtatim autem & leui occaſione diuerſum ſuſcipi poßit & credi, non abs re Sela adiectum eſt.

9 **Nunc autem repulſiſti, & confudiſti nos: & nõ egredieris (*deus*) in uirtutibus noſtris.**

Queruntur his uerbis ſancti, omnia ſecum in diuerſa mutata. Antea ſic egrediebatur inter ſigna populi ſui deus, ut hoſtes ſuos uelut cornibus uentilarent, & plane conculcarent, eoq; ſpolijs eorũ potirentur, ſemperq; ob uictoriam domino laudes decantarent: nunc deplorant ſe à domino repulſos, non egredi unà ad prælium, quod illis nedum cedat in exitium graue, ſed etiam in ignominiam intolerabilem. Quis enim hoſtium uerebitur nos aggredi, ô deus, ſi audierit te nos tua deſtituiſſe gratia & aßiſtentia?

10 **Auertiſti nos retrorſum poſt inimicos (*noſtros*) & qui oderunt nos diripiebant ſibi.**

Terga uertere.

Non ſine demeritis noſtris & ingratitudine factum eſt aliquando et fit, quoties te deum negligimus, ut compulſi fuerimus terga uertere, & ſuperari à noſtris hoſtibus iuſto tuo iudicio: ſed & tractandos nos crudeliter tradidiſti impijs oſoribus noſtris, ut nos conculcent, & diripiant bona noſtra, & omni genere iniuriarum nos obruant. Id quoties & qua ratione, & quibus factum, notius eſt ſacra legenti, quàm ut pluribus repeti debeat.

11 **Dediſti nos tanquam oues eſcarum: & in gentibus diſperſiſti nos.**

Ita in manus hoſtium iuſto tuo iudicio traditi ſumus, & cædi hoſtium deſtinati, ut ſolet grex ouium, quẽ quis ab his quas ſtatuit alere ad progeniem & lanificium ſeligit, ordinéque ſingulas mactat, tum qui cædem ex eis euaſerunt eos diſperdit diſtrahendo & uendendo ignotis: ſic nos diſperſi ſumus propter peccata noſtra in omnes gentes, ut ibi in miſerijs domini dei noſtri recordemur, qui felices in patria, deo noſtro obedire contemſimus.

12 **Vendidiſti populum tuum ſine pretio: & non (*auxiſti*) fuit multitudo in commutationibus eorum.**

Iustitia dei.

Ethnicis uenditi ſumus pro nihilo, ut illis miſerrime ſeruiamus, & uiliſſimi habeamur, ſic, ut tanta fuerit noſtrorum captiuorum copia, ut defuerint qui magno nos redimere uoluerint. Hanc uero rerum noſtrarum uicißitudinem debemus peccatis noſtris, quæ tu iuſte punis, et quæ ne pateremur paterne toties lege et prophetis nos deterruiſti ab omni iniquitate, ſed nec quicquam emendati ſumus, ideo digne nos uendidiſti populum tuum, utcunq; male tractemur, ut meruimus, populus tamẽ tuus ſumus, & à ſpe miſericordiæ tuæ nondum excidimus. Quod autem priſcus dixit, Non fuit multitudo in commutationibus eorum, hunc habet ſenſum: Non auxiſti pretium, cum eos diſtraheres uendẽdo, nõ ditior factus es, nec auxiſti poſſeßionẽ ex pretio quo eos uendidiſti: id eſt, uiliſſimo pretio uenditi ſunt: & nullius pretij reputati apud gentes.

13 **Poſuiſti nos opprobriũ uicinis noſtris, ſubſannationem & deriſum his qui ſunt in circumitu noſtro.**

Habemur omnibus uicinis gentibus noſtris ludibrio et irriſioni propter nomen tuum, quia unum ſolum te dominum credimus & colimus. Et uſque hodie ueri iſraelitæ inter impios ignominia afficiuntur, & ſubſannantur, uelut ſtulti & inſipientes. Non enim notitia dei uera Cultus dei. *ri & timor, uel dignus cultus generaliter erat nuſquam in lucem, præter Iudæa uel Iſraelitarũ terris: cæteræ enim gentes ridebant, imò abominabãtur eos q nõ multos ſibi delegiſſent deos, ſed unicum ſolum deum, id quod & interim impij credunt & inſaniendo contendunt.*

14 **Poſuiſti nos in ſimilitudinem (*parabolam*) gentibus: cõmotionem capitis in populis.**

Feciſti nos abominandos, ut non haberent hoſtes noſtri grauius probrum quàm noſtram ſortem. Sic ſane ſub Antiocho Iudæorum, & poſtea ſub Romanis dius Chriſtianorum nomen habitum eſt, nec habetur aliter & hodie apud Chriſti hoſtes minime paucos, qui longe caut. tamen uerbis aliter profitentur, & ſe Chriſtianiſſimos uideri uolunt & religioſiſſimos, hi enim ſuos quicq; dicuos inuocant & colunt, ac uenerantur ſolennijs. Memnit etiam motionis capitis in hoc, ut uideatur, quatenus oſtendat impios tanta populi dei calamitate fuiſſe ſingulariter delectatos, qua denique cauſa Iudæi capita mouebant Chriſto domino crucifixo.

15 **Tota die uerecundia mea contra me eſt, & confuſio faciei meæ cooperuit me.**

Non ad horam & breui tempore hanc pertulimus ignominiam, ſed omni die, multo tempore, ſine fine, & iugiter perſtrepentibus huiuſmodi conuitijs quæ inimici tui & noſtri propter te, promerentibus tamen interim peccatis noſtris, nobis obijciunt. Quod ubi patimur exterius, longe tamen in conſcientia atrocius affligimur, cogitan

cogitantes hæc omnia iuste nos pati, propter ingratitudinem, & durissimam ceruicem nostram, ut sic coram deo conscientia et mundo infelicissimi inueniamur propter peccata.

16 à uoce exprobrantis & obloquentis, à facie inimici & persequentis (ulciscentis.)

Lætant quoq; inimici nostri & æmuli dignam damnationem nostram, qui religione nostra singulares simus, & alias omnes contemnamus, tuam quoq; gloriam, legem & populum blasphemantes, & ubicunq; possunt affligentes nos iniuriosis factis ac uerbis propter nomen tuum. Cui tamen blasphemiæ nos occasionem præstitimus, sicut & satis fideliter per legem tuam dudum præmoniti fuimus, ut nunc præ nimio pudore attollere faciem minime audeamus, sed tegere potius eam si licuisset libuisset, qui scilicet summus est pudefactorum miserorumq; affectus.

17 Hæc omnia uenerunt super nos, nec obliti sumus te: & inique non egimus in testamento tuo,

Initium & fons totius pietatis est timor Dei uiuus & efficax, quo ille semper ob oculos habetur à pijs, quamlibet intolerabilia alioqui & calamitosa occurrãt. Ideo fideles canunt se dei minime oblitos, sed semper Deum religiose coluisse, non perfide se habere in fœdere eius, sed ut decet eos qui deo nomen dederunt, nempe ex præscripto illius uiuere: semper enim religiosius coluerunt deum & colunt fideles, infortunijs admoniti, & disciplinati, quàm prospere rebus usi, felices ac glorioſi.

18 non recessit retro cor nostrum: & declinasti semitas nostras à uia tua.

Cor non deflexisse, est dignum Deo amorem nequaquam in alia trastulisse. Gressus quoq; à dei semitis non declinasse, est in omnibus tum dictis tum factis sic institutum esse, ut proximis usui & deo essent gloriæ. Quò tamen contendentibus pijs, sæpe occurrunt mundi & carnis tentationes & delicta, ut non omnia pro uoto pio succedant, sed nihilominus in multis offendant, qui tamen laudem apud dominum consequuntur, ut sine quærela conuersari pronuntientur, & electorum laudẽ sortiantur, cum nec Ioannes quidem à Christo dilectus, præ alijs discipulis se audeat sine peccato fateri.

19 Quoniã humiliasti nos in loco afflictiõis (draconum) & cooperuit nos umbra mortis.

Contriuisti nos & comminuisti, id est humiliasti nos in loco draconum, id est, grauissima seruitute, inter impios huius mundi, inter crudeles hostes ueræ pietatis, qui truculentia & ardore nocẽdi draconibus similes sunt. Hoc simpliciter priscus transtulit, locum afflictionis, fortassis תנים pro תניים legit. Eandem autem angustiam umbrã mortis uocat, morte enim durius est, per omnia libidini impiorum expositum esse, audire continue blasphemias Dei, damnari omnem pietatem: hoc est enim mortalibus tenebris obtegi, & umbra mortis cooperiri.

20 Si obliti sumus nomen dei nostri: & expandimus manus nostras ad deũ alienũ.

Inter hæc omnia tanta mala quæ patimur propter pietatem, quanquam & propter peccata nostra, nolumus tamen à deo uero diuelli, qui secreta cordis ut nouit, sic quoq; testabitur afflictionibus nos in pietate magis promouisse, quàm dum prosperitate frueremur, quando quidem ex electis nos esse confidimus, quibus omnia bene cedunt. Longe enim in terra hostium & idololatrarum immuniores fuimus ab idololatria, quàm in hæreditaria nostra. Et nũquam Christiani perfectiores inueniuntur, quàm dum cruce exercitantur, & sub tyrannorum persecutionibus semper creuit ecclesia fide & moribus.

21 Nónne deus requiret ista? ipse enim nouit abscondita cordis.

Tantis malis non pauci à Deo uero depelluntur eorum qui fidei radicibus carent alte fixis, putantq; dum deus in suos tanta hostibus suis permittit, non esse deum, ideo & opem alienorum implorant, dicut enim: Si id sancti admisissent nequaquã laturos fuisse impune: Dñi enim est scrutari omnia, & nosse secreta cordis, quæ & prodit in tempore, & remunerat. Nihil enim opertum quod non reuelabitur, nec malum quod non à iustitia dei punietur.

22 Quoniam propter te mortificamur tota die, æstimati sumus sicut oues occisionis.

Queruntur sancti se propter pietatem quotidie usque ad mortem trahi & occidi. Propter te, inquiunt, nõ propter malefacta nostra, sed propter tui nominis & gloriæ confessionem: sic ut pro nihilo ducant impij occidisse pium, & suæ impietatis osorem uel accusatorem, unde & iustiores trahuntur ad uictimam, ut agnus ad macellum, etiam si nihil designarint criminis, quibus crimini datur uel hoc solum, quod criminosis non applaudẽt, & sese uitibus & fauoribus impiorum non muniunt. Non possunt impij bene animati esse in pios, sed inquirunt potius occasiones criminandi, & protrahendi ad tribunal pestilentium, dum interim iusti malũ iniuriam pati, quàm cuiquam inferre, oues inter lupos nemini nocentes, sed expositi improborum maleuolentiæ. Querela sanctorum.

23 Exurge quare obdormis domine? exurge & ne repellas in finem.

Dum adeo suos deus premi sinit, dormire uidetur, & auertisse suam faciem uel odisse, sicut & euigilasse dicitur, dum impijs prostratis, suos eripit & conseruat. Id ut faciat dominus fideles iugiter precantur, anxie feruentibusq; affectibus, ad hoc enim bonorum illis cedit crudelitas persecutorũ, ut ardentius orent dominum, & exaudiantur citius. Orant autem, non ut prorsus immunes sint à tẽtationibus & pressuris, quæ prosunt magis, sed ne à dño ueluti irato repellantur & negligi uideantur, & idipsum nimis diu & perpetuo, quod est in finẽ reꝑbari, alioqui sciũt sibi prodesse mala huius uitæ, sed si non in finem illis dominus iratus insistat. Dormire Dei.

24 Quare faciem tuam auertis? obliuiscéris inopiæ nostræ, & tribulationis nostræ?

Non ignorant propter peccata sua se affligi à domino, & ad gloriam dei, sed loquutione utuntur fidelium filiorum, iuste quidem cupientiũ se corrigi, sed non in ira & perpetuo, non cum indignatione & auersione uultus,

quasi posthac non illorũ gratiam resumpturus, sed oblivioni daturus miseros & humiliatos ab oppressoribus, à quorũ uiolentia sese proripere nullatenus possint. Semper orandus nobis est gratiæ dei respectus, & ut nostri non obliuiscatur, sinendo improbo arbitrio hostium nos exponi.

25 Quoniã humiliata est in puluere anima nostra: conglutinatus est in terra uenter noster.

Queritur animã suam depressam in limũ, id est, morti proximã, similitudine mutuata ab homine prostrato in lutũ, cum uẽter iam terræ hæret cessante omni fulcro et subsidio aliorum & propria uirtute sese erigendi, dum scilicet desperationi anima proxima est, & non nisi ira tum dũm meditatur, & malignitatem hostiũ, dum nihil nisi extremũ mortis articulũ intueri potest, et de clementia dei nõ sperat: hoc est animã & uentrẽ terræ hærere.

26 Exurge (dñe) adiuua nos: & redime nos propter nomen tuum.

Dominum tandem inuocant sancti, & nõ alium, cuius auxilio solo nituntur, & eius sola misericordia saluari et redimi orant. Quamlibet pietate synceri & flagrantes sint atq; inculpati, non tamen deflectũt cor à semita dei, nihilominus per ultroneam bonitatem dei tantum se iuuari ac redimi orant. Hic Psalmus proprie his competit, qui pro Christi nomine sustinent aduersa, quos charissimos deus habet, cui fidem sanctissime colũt, quos tamen sinit plurima pati ab impijs, ad declarandam uirtutem regni sui, & gratiæ, quam illis tandem ostendit & beatos reddit, alijs ad exemplum & eruditionem, ut discãt fidem, spem & patientiam cum constantia.

PSALMVS XLV.

In finem pro ijs qui cõmutabuntur, filijs Core ad intellectum, canticũ pro dilecto.

Non sine causa priscus transtulit, Pro his qui commutabuntur, sine punctis tantum literas secutus. Verum Iudæi שששנים lilia uel rosas dicunt, ut & nostri musici uiolas habent & uirginalia atque regalia: & quis cuiq; ætati sua musicalia instrumenta uere explicet? Carmen autem pro dilecto uel dilectionum dici potuit, quia dilectionem Christi ad ecclesiam cantat.

ARGVMENT. Laus est regis & reginæ, Christi scilicet & ecclesiæ, sponsi & sponsæ.

1 Eructauit cor meum uerbũ bonum: dico ego opera mea regi. Lingua mea calamus scribæ uelociter scribentis.

Carmẽ pro Messia & ecclesia.

Præfatur se propheta carmen cantaturum, quod non in ore sed corde natum sit & præcogitatum, nõ tepido spiritu, sed ardenti affectu, quandoquidem magnũ sit & admirabile mysteriũ dei, per Christum Meßiam in mundo cum ecclesia electorum exhibendum, cuius sacramentum fuit in regno filij Dauid Salomonis, qui ut domini dilectus dictus est: sic unigeniti sui filij regnum præfigurare corporali regno suo in spiritu debuit exhibẽdum. Dico ego, id est, decãtabo hoc carmine meo, opera mea, id est, cogitationes de dei mysterijs, & dictamina deuotissimi spiritus. Studium autem canendi in eo testatur, quod linguam suam stilo cõparat scribæ expediti, nam ut expedite ita cupide quoq; se laudes regis cantaturum hoc dicto significauit, Regis Meßiæ, qui futurus sit summa gloria dei, populi Israelis & regni Dauidici. Quis autem tem cum tædio & tepore huiusmodi mysteriũ uel cogitaret uel eloqueretur, cõscriberet, caneret uel audiret?

2 Speciosus forma præ filijs hominum, diffusa est gratia in labijs tuis: propterea benedixit te deus in æternum.

Incipit à laudibus regis, & primo à dignitate formæ, Laudes regis & gratia eloquentiæ, nobilioribus enim animis gradus regenti, & formæ præstantia pollere solent. Vnde & hic noster poëta, uolens Christum amplissimis à deo offectũ natũq; beneficijs prædicare, nõ iniuria formæ dignitatẽ illi tribuit, unde & duplicato & emphatico uerbo ipsius est, ad intendendum significatũ elegantiæ, quæ ut nec in Salomone, nec in Christo laudata legitur, certum tamen est, utrisq; fuisse insignissimam corporis pulchritudinẽ. Christo autẽ omnis pulchritudo intrinsecus est, ut tuis scilicet, & omnium gratiarum, ideoq; & uiti se comparat, humili quidem forma, sed dulcissimi fructus & copiosissimi, simul & gratissimæ actionis. A gratia quoq; sermonis commendat, qua utiq; ut nihil est diuinius, ita nihil quoq; fuerit gratiosius. De orationis gratia in Salomone sacra refert historia eam reges & principes admiratos. De Christi eloquentia hostes iudæi & gentiles secundum Euangelium sunt testati, & conuersio orbis ad ueritatis confessionem per Christi doctrinam. Quid autem mirum cum uerbum dei fuerit & dicatur? Propter tantam uerbi diuini gratiam benedixit eum dominus in æternum, hoc est gloria & decore suo repleuit Meßiam suum dominũ nostrum, data potestate illi in cœlestia & terrena. Verba quoq; uitæ æternæ habebat, loquens apostolis, & Euangelio mundum docens, quo omnium fideliũ mentes ad se mirifice pellicit, beatificat & tinetq; in sempiternum.

3 Accingere gladio tuo super femur (tuum) potentissime. Specie tua et pulchritudine tua,

Hic prædicat regis fortitudinem, quæ summæ laudi datur regibus & principibus, quæ qualis in Salomone fuerit, pax regni sui uniuersalis testatur, in Christo autem clarior potestas agnoscitur à toto mundo, quem uerbo oris sui sibi subdidit, & legitimo cultu seruire cogit, eliminata spurcitia idolorum omnium, & omnis superstitionũ erroribus, ut omne genu illi curuetur, cœlestium, terrestrium & infernorum, & omnis lingua confiteatur & celebrat eum dominum uniuersorum. Est aũt is gladius Christi biceps, penetrabilior omni ancipiti gladio, eius fortitudo heroicam superat omnium hominum, gloria quoq; & maiestas tanta est, ut ad illius pedes summi monarchæ & omnes gentes sine confusione procũbant, & illius gratiam ambiant & auxilium. Gladius Christi.

4 intende prospere, procede (& regna.) Propter ueritatem (uerbum ueritatis) & mansuetudinem & iustitiã, & deducet (docebit) te mirabiliter dextera tua. Successum

Successum prædicat & splendorem regni utriusque, & summam felicitatem, quæ constat fide, mansuetudine & iustitia, quibus Salomonis regnũ glorioſum fuit & plenũ maiestate, ut curribus ueheretur & mulis, ius diceret & imperaret, quicquid fieri uoluisset id nemo potuerit impedire, quibus sibi maximã dignitatem & populi amorem incredibilẽ conciliant reges. De felicissimo autem successu regni Christi per fidem, mansuetudinẽ, et iustitiã, quibus mira adeo facinora perfecit, ipsa Christo dicturi clamant omnia, cuius ad fines orbis regnum ideo prolatũ est, quod in sempiternũ beatos reddat credentes, דדר sine punctis etiam intende significat.

5 Sagittæ tuæ acutæ (populi sub te cadent) in corda inimicorum regis.

Sagittæ, id est, omnia arma tua, quibus hostem adoriris, si decreueris, suum officium peragent, aptissime disposita ad sternendum inimicos, propterea nullus populus tibi obedientiam negare audebit, sed suppliciter tibi uota soluent, tributa pendent, & mandatis omnibus acquiescent. Omnium inimicorũ reges corda transfigentur & humiliabuntur, trepidabunt ad illius potentiam: multo acutiores sunt sagittæ Christi, uerba doctrinæ euã gelicæ: quibus infideles coguntur uelint nolint cedere et transfigi, fideles uero admoneri, & ad salutem accendi, ut imperata sponte subeant, & colla subdant uerbo salutis, quod factum nemo inficiabitur, etiam Iudæus, cuius cor transfigitur, quoties Christi gloriam perfidi audiunt, quam delere non queant.

6 Sedes tua deus in seculum seculi uirga directionis uirga regni tui.

Regis & regni prædicat æternitatem, & eum insuper אלהים nominat deũ, quod præter morem ad myſterij significationem facit. Vtcunq; enim regnũ Salomonis dei regnum fuerit, quia in populum deo peculiarem, & adeo institutũ, quod et per multa esset sæcula durasturum. Magis tamen proprie et magnificentius de Christi ueri Salomonis & Dauidis filij regno intelligitur, qui ut Messias est, & æternaliter regnaturus dicitur, et est prædictus dudũ multipliciter à prophetis, sic & deus dicitur, quia unicus dei patris filius, & uerbũ dei deus ipse, qui olim locutus est patribus & prophetis, tandem trabea carnis indutus, & coronatus charitate inæstimabili usq; ad mortem, etiã pro inimicis, nunc & in omnia secula sedet in dextera dei patris, regnat in excelsis super omnia quæ in cœlo sunt & in terra. Cuius sceptrũ, id est regalis dignitas, & diuinæ maiestatis infinita potentia, dirigit omnia, & regnum posſidet in omnia, ut deus & homo.

7 Dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatem: propterea unxit te deus deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis.

Omnis recta & æqua regni administratio prouenit ex amore iustitiæ, & improbitatis odio: hæc uero fuisse in Salomone ex gratia dei dicitur, per hoc quod subinfertur, Propterea unxit te deus deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis. Læta enim unctione institutus est à Dauide, quæ non regem solum, sed uniuersum Israëlem lætificarit, idq; non obstantibus alijs suis fratribus natu maioribus, ut patet ex historia. Quomodo autem uel iustitiam dilexerit, uel inæternum regnauerit, sacra historia similiter loquitur. Christi solium æquabilisiuũ sine fine persistit. Et ipse uere iustitiam amat & iniquitatem odit, unctusq; est cœlesti unctione, spiritu scilicet, totius gaudij fonte præ omnibus dei filijs, suis cõsortibus, quos fratres habere dignatus est humanitate indutus, & similis per omnia factus excepto peccato. Quicquid denique gratiarũ & donorũ quisq; habet fideliũ, per hunc unicum habet à patre luminum, qui Christi domini nostri deus est & pater, à quo & unctus est, & nobis cõmen datus rex & magister. Hic, inquiens, est filius meus dilectus, in quo mihi complacui, ipsum audite.

8 Myrrha & gutta, & cassia omnia uestimẽta tua à domibus eburneis: ex quibus delectauerunt te

Splendorem canit uestium & ædium. Ex uestimentis, inquit, tuis redolent omnia fragrantia aromata, diuina quadam suaueolentia animum recreantes, qualiacunq; ea habeantur aromata Iudæis, siue myrrham siue guttã uel aloës, siue cassia, species enim pro generibus numerat, explicare cupiens suauissimam fragrantiam uestiũ, sicut & eburneum thronum auro intextum, ad maximam regis maiestatem & gloriam, unde lætificentur omnes amici illius & subditi, maxime autem uxores & filij ac filiæ. Nostram autem & omnium regis Christi suauissimam dictorum & factorum sanctitatem, cœlestes opes, cœlestemq; regiam quis referat? quæ in Christo ipso & sanctis eius perpetuò applauditur. Vestes ecclesiæ.

9 filiæ regum in honore tuo. Astitit regina à dextris tuis in uestitu deaurato, (circundata uarietate.)

Intra insignissima maiestatis tuæ palatia & triclinia suscipiũtur cũ maximo decore, nõ unius, sed multorum regũ & magnorũ principũ filiæ, ut ex tam sapientissimo felicissimoq; & benedicto rege, posteritatis proles multa habeatur ad regni & regnorũ felicitatẽ: Inter quas tamen una nobilissima coniunx primaria & imperatrix regi assistit prærogatiua insigniore, filia scilicet regis Aegyptiorum, amicta pretiosissimo ornatu & pompa. Quantũ autem felicitatis & laudis, imò & synceri gaudij Salomon habuerit ex tot talibusq; uxoribus aut concubinis, satis explicat scriptura. Christi autẽ dñi uxores animæ sunt fidelium in primis, deinde collectiones prouinciarũ & regnorũ sacrosanctæ ecclesiæ uarijs ornamẽtis fidei, charitatis et morum uenustate ornatæ. Quarum una speciosior et auro pretiosissimo ornatior: quid mirum si apostolorum & primorum martyrum Christi ecclesia designetur? peculiariter amata regi propter ardentissimam charitatem, qua ad mortem usque domino placere conantur, & simili deuotione per omnia sæcula Christo sociantur uita & morte. Christi domini uxores.

10 Audi filia, & uide, & inclina aurem tuã: & obliuiscere populum tum, & domum patris tui.

Audire regem & uidere, est probe intelligere sem-

perq; prona aure excipere quæ rex Salomon filiæ Pharaonis & unicuiq; reginæ & amatæ uxori de uera dei bonitate cultuq; documenta tradebat. Quibus rite perceptis merito sese totam quælibet domino dedicare, populiq; sui & paternæ domus obliuiscì debuit, dei populo iam coniuncta: sic gentium ecclesiæ quælibet Christo coniunctæ audire iubentur non iam philosophorum & magorum quorumcunq; dogmata, nec ritus uel ceremonias gentiũ uarias & deo odibiles, & à Christo damnatas ac semel eiectas, quas à patribus suis & domi susceperant, quibus & inoleuerant ab antiquo. Omnino enim postquam aurem uerbo dei præbere & inclinare inceperant, illorum tam dogmatum quàm rituum obliuiscì in uniuersum iubentur, & solo uerbo dei institui, præber aurem, credere & adhærere.

11 **Et concupiscet rex decorem tuum: quoniam ipse est dominus (deus) tuus, & adorabunt eum.**

Religio uera. Pollicetur conthorali, si regi ueram religionem docenti auscultet, & impiæ gentis suæ atq; originis obliuiscatur, eximium regis amorem: simulq; inculcat ipsum dominum esse eius & solum, quem iure debeat colere, supplicemq; illi exhibere. Et quomodo rex ecclesiæ totius & omnium ecclesiarum, imò & animarũ, non magis inuenietur amasse fidem & charitatem earum, pro quibus & ipse primum mortuus est & crucifixus, suo sanguine abluit earum conscientias ab operibus mortuis & peccatis omnibus? et ipsæ uicissim pro suo sponso sese obtulerunt fideles sponsas ad gloriam sponsi sui, non ad ignominiam, ut concubinæ Salomonis, propter quas maculas suscepit in totam gloriam suam. Adorauerunt quoq; hæ sponsæ suum sponsum Christum, & adorant ut redemptorem regem sponsum deum & dominum.

12 **Et filia Tyri, in muneribus uultũ tuum deprecabuntur (omnes) diuites plebis.**

Filia Tyri, id est, Tyrus ipsa, regnum eius & rex, peculiari amicitia iuncta fuit Salomoni: nec ea sola, sed & quæcunq; opulentiora regna, qualia fuerunt Aegyptiorum, Syrorum, Sabeorum, muneribus te certatim honorabunt. Aliorum quoque populorum ecclesiæ, non tantum Græcorũ, sed omnium regnorum, & ipsæ similiter Christi complexu fruuntur, & fide deuota charitateq; perfecta usq; ad mortem colunt & digne adorant dominum deum suum, & regem uniuersorũ Christum suum sponsum & fratrem, de quo in Canticis.

Ecclesiæ gentium.

13 **Omnis gloria eius filiæ regis ab intus, in fimbrijs aureis circũamicta uarietatibus.**

Promittunt ei fore, ut in interiore regia semper assideat regi proxima, aureis ornata uestibus, & intus in eius cubiculo, quod alijs nõ licebat, nisi certis adire temporibus, perpetuo uersetur. Ad synagogã solam se Christus dominus missum dixit, ut eam ueluti amantissimam sponsam in primis diuina quadam dispensatione adiungere sibi uideretur, quod et factũ est de electissimis illius gentis beatisq; reliquijs, de quibus assumendis prophetæ omnes prædixerunt. Et quæ illi ecclesiæ illustrior gloria & ornatus contingere potuisset, q̃ per eam & suos apostolos euangelizari omnibus gentibus maiestatẽ uanius ueri dei, & quem misisset ex tribu Iuda filium Dauid regem sæculorũ omnium? Nec solum eosdem sic mitti, sed etiam felicissime proficere in doctrina ueritatis et iustitia, quæ ut in omnem terram per illos exiuit, sed & profecit in omnibus gentibus ad gloriam dei israël, quã unice patriarchæ omnes & prophetæ & prædixerunt & desideranerunt, et pro uoto perfecte sunt consequuti, uiderunt & gauisi sunt. Habet hæc ecclesia ornatum suum in uerbo dei, in sacris literis, & ab intus ueluti ex ornata intricationibus aureis sanctissimorũ dogmatum et mysteriorum, exemplorum quoq; fidei et charitatis, quibus instituantur & exornentur etiam cæteræ omnes ecclesiæ, ut domino deo placere possint & adhærere, ut sponsæ gratissimæ amorosissimo sponso.

14 **(In auri phrygiatis) adducentur regi uirgines post eam: proximæ eius afferẽtur tibi.**

Taliter & eisdem redimitæ & exornatæ acupictorũ uestium ornatibus regi adducentur puellarum sodalitia et pedissequarum chori. Per apostolicum enim chorum uel ecclesiam primitiuorum adductæ sunt deo sponso et Christo filio suo omnũ gentium ecclesiæ, toto orbe, amicæ, & agnatæ patriarcharum, quarum gentium & consanguinitatem ad Abrahæ filios diligenter scriptura testatur. Quæ omnes factæ sunt filij fidei Abrahæ, cũ prius tantum essent iuxta carnem cognatæ. Omnes enim per uerbũ domini illatæ sunt catholicæ ecclesiæ, & uniuersali cœtui electorum, ut sponsæ dei gratissimæ: cui et recta idololatria, unice & perseueranter inhærent, ubi uerbum domini & auriphrygiati operis decor negligendus non fuerit.

Apostolorum opera per spiritũ sanctum.

15 **Afferentur in lętitia & exultatione: adducentur in templum regis.**

Afferentur autem regi pacifico cum lætitia & exultatione ad regis palatium. Quomodo autem ecclesiæ dei Martyria Christo adductæ sint, testantur martyria ecclesiarũ omnium, quæ cũ gaudio & exultatione professæ sunt gloriã sui sponsi, ut et ecclesia primitiuorũ apostolica ibat gaudens à conspectu concilij, quia digni habiti fuissent pro nomine Iesu contumeliã pati, cupientes sponsi sui per omnia sectari uestigia, qui pro illis crucifixus est et mortuus, pro quo et sponsæ paratas se exhibuerũt ad nuptias tuus, pro quo et sponsæ paratas se exhibuerũt ad nuptias agnu à sæculo occisi, quẽ sequuntur electi sine numero.

Ecclesiarũ ecclesiarũ.

16 **Pro patribus tuis nati sunt tibi filij: constitues eos principes super omnem terrã.**

Salomonis felicitatem prædicant ex liberis et eorũ dignitate. Et simul anagogiã explicant ad Christũ filium Dauid uerum Salomonem, cuius filij apostoli & apostolici uiri uere principes terræ loco patrum, regũ et prophetarum constituti sunt, quod certe de Salomonis filijs uerum perfectéq; completum ostendi non potest, cum ius Roboam primus filius semel fere omnia perdidit, sapientiam, diuitias, famam & gloriam, ne quis Dauidi magnalia promissa uere & perfecte in Salomone exhibita crederet & perfecta. Typus tantum erat Salomon Christi & Messiæ domini, ideo uaticinia & promissiones dei de filio Dauidis his uerbis attemperatæ sunt, ut

Filij prophetarũ.

Spõsa Christi ecclesia.

in

in Salomonem quidem competant, at in Christo domino primum perfecte implenda intelligantur, imò quædam non nisi in Christum quadrent. Sic sunt quæ de his filijs Salomonis dicuntur hoc loco. Neq; enim Salomon post se quoscunque filios reliquit, qui sapientia, potentia & felicitate patrem retulerint, aut principatu in omni terra potiti fuerint.

17 **Memor ero nominis tui (domine) in omni generatione & generationem. Propterea populi confitebuntur tibi in æternum, & in seculum seculi.**

Quis hæc sanæ mentis Salomoni tribueret? De uno enim filio eius Roboam successore legimus, qui stulta arrogantia sua regni meliorem partem amisit, quam nec posteri recuperarunt, imò tandem non tantum regno, sed omni potestate ac dignitate spoliati sunt. De filijs quoq; seruorum Salomonis apud Ezdram quædam memorantur, de filijs nihil uel parum. Donec tandem temporis plenitudine appetente, Christus filius Dauid uerus, quem in solio Dauidis sic pater collocauit, regemq; sanctorum constituit, ut regni eius nullus unquam finis expectandus sit. Huius discipuli, id est, filij fuerunt iamdiu & erunt in posterum loco patrum uere doctores & sacerdotes, hoc est, principes uel magistri in omni terra, per quos Christus nomen patris sui uere illustrauit, & non cessat illustrare laude sempiterna. Quandoquidem uidemus memoriam Dauidis, Salomonis, apostolorum, maxime autē Christi, cum maiestate maxima prædicari iam tot sæculis sæculorum per omnes gentes, populosq; certatim confiteri gratiam dei maximam, patribus antiquis promissam, atq; exhibitam in filijs suis & nepotibus sine fine per omnia sæcula.

PSALMVS XLVI.

In finē filijs Core pro arcanis Psalmus.

Quod pro arcanis dixerunt Græci, hoc Iudæi Alamoth instrumentum Musicum exponunt, uel tonum alicuius carminis.

ARGVMENT. Gratiarum actio est ecclesiæ, de protectione dei ab inimicis infidelibus.

1 **Deus noster refugiū & uirtus: adiutor in tribulationibus (quæ) inuenerunt (nos) nimis.**

Ecclesia quidem fidelium in hoc mundo multa semper patitur, ut & omnes qui pie uiuere cupiunt, cuius exemplū Christus extitit. Tamen quia deus & dominus omnia nouit & dispensat, qui unica spes esse uult fidelium, & se iubet in omnibus angoribus inuocari, & est insuper ipsissima fortitudo, cui nemo resistere potest, ut sic intelligatur à pijs uelle & posse succurrere, ideo semper est à fidelibus inuocandus in omnibus, quantumuis magnis angustijs incidētibus: paratum enim semper præstat auxilium, uel liberando ab angustijs, uel gratiam donando magnanimiter sustinendi.

2 **Propterea non timebimus dum turbabitur terra, & transferentur montes in cor maris.**

Etiam si tota terra inuertatur, cœlum terræ miscea-

tur, omniaq; cōuertantur & confundantur in idipsum, id est, omnes impij pariter extrema & pessima moliantur, etiam si cōcutiatur eatenus terra & loco dimouea tur suo, ut ubi nunc montes sunt & urbes uel regna, ibi per diluuium speciale incipiat esse mare: hoc est, etiam si omnia exitium minitētur, in domino tamen fidens non deserar.

3 **Sonuerunt (&) turbatæ sunt aquæ eorū: conturbati sunt montes in fortitudine (superbia) eius.**

Etiam si tumultuentur & horribiliter intonent & intumescant aquæ: hoc est, quantumlibet populi & regna concitentur in odium & prælia contra fideles, etiam si quicquid magnum, altum, forte & superbum est in hoc sæculo, sæuum quoq; et crudele, Israël tamen cui deus fauorabilis est, & quicunq; domino fidunt, minime peribunt. Sela, hoc est, tanta potest fides in deum.

4 **Fluminis impetus lætificant ciuitatē dei: sanctum taberaculum (suum) altissimi.**

Fidutiæ in deū causæ.

Causam canit tantæ fidutiæ in dominum omnium electorum & amicorum dei, primum sub allegoria riuuli, deinde simpliciter. Fluminis riuuli, inquit, lætificant ciuitatem dei: hoc est, refrigerium continuum dominus inducit electorum conscientijs, ut cogitent de clementia dei, & de mediatore hominum & dei, promisso generi humano de remissione peccatorum per Christum impetranda. Is est enim riuulus unicus, recreans conscientias piorum ac deum timentium, non secus ac riuulus Gion urbem recreat Ierusalem, perenni fluxu suo, ut aquæ illi nunquam deficiant. Quanquam & spiritus sanctus in prophetis populi dei consolator continuus credentibus scilicet dici potest riuulus lætificans sanctos, inuoluens autem & obruens incredulos & submergens. Sanctuarium autem habitaculorum dei nominat ciuitatem dei. Ex omnibus enim locis Israël, quæ omnia dei habitacula erant, quia ubiq; deus cum suis agit, selecta fuit Ierusalem, ut in ea locus est primarius ceremonialis cultus dei: ita quoq; qui fide prouectiores, & in spiritu deum colere didicerunt, ampliore quoque dei bonitate perfruuntur & sanctificantur uelut sacrarium, ob præsentiam diuinæ consolationis & influxus per gratiam.

Ierusalē ciuitas.

5 **Deus in medio eius nō commouebitur: adiuuabit eam deus mane diluculo.**

Templum dei.

Quid mirum si templum spiritus sancti, quod fundat altissimus, si cor hominis possessum à diuina gratia, si conscientia dei fauore consolata, neutiquam commoueatur à quamtumuis grauibus tētationibus huius mundi, dæmonis & carnis? Quis enim dei fauori resistet? quis petram dominum inhabitantem loco mouebit? Siquidem animam fidelem dei habitaculum, auxiliabitur potentia & influxus diuinus ante tempus periculi, satis mane, ante diluculum inchoatum. Non negligit sperantes in se bonitas diuina.

6 **Conturbatæ sunt gentes, (&) inclinata sunt regna: dedit uocem suam, mota est (defluxit) terra.**

Pergit consolando fideles, utcunq; semper contra dei

amicos in hoc mundo sæuiant gentes multæ, et ueræ religionis hostes idololatræ, & contra pietatis professores quoscunq; commoueantur omnia regna mundi, domino tamen deo, cui se pij committunt, uocem dante, et iram suam iustumq; iudicium quod non negligit, exerente & producente, defluere, cedere & disperdi cogitur tota terra, omnes orbis habitatores. Vt enim unico uerbo suo condidit uniuersa, sic nutu suo homines & orbem ipsum pariter dissipare non habet difficile.

7 Dominus uirtutũ nobiscum: susceptor noster deus Iacob. Sela.

Id cum ita sit, non mirabile est, ut domino deo exercituum nobiscũ, hoc est, cum credentibus existente, omnes qui filij Iacob & Israël sumus, domino fœdus seruantes, & firmiter credentes dominũ deum, ipsum fortissimum semper habituri sint refugium, protectionem & susceptaculum. A nobis stat auxilium omnipotentis, ipse nobis arx est & perfugium, quo non modo tuti, sed & superiores hostibus semper erimus. Huiusmodi gloriatione utuntur uere fideles, præconio scilicet summæ bonitatis maximo, ideo adiectum est Sela.

8 Venite (&) uidete opera domini, quæ posuit prodigia (uastitates) super terram:

Opera dei contẽplanda.

Pro tantæ fidei fomento & confirmatione inuitantur sancti ad contemplationem operũ dei cum sanctis: quorum nullus unquam deo fidens derelictus est, quandoquidem potius regna & gentes uastare uoluit, q̃ non seruare promissa. Aegyptum dissipauit & prodidit propter fidem Mosis, & Chananaicos tot reges propter fidem Iosue, reges quinq; propter Abraam, & nunquam non uastauit & seuerius iudicauit persecutores fideliũ, in charitate & cultu suo persistentium: idipsum faciet semper, id experiuntur pij, & credunt omnes electi.

9 auferens bella usque ad finem terræ. Arcum conteret & confringet arma: & scuta (currus) comburet igni.

Pax fideliũ in ecclesia.

Aufert & cessare facit dominus bella à fidelibus suis, quos donat uictorijs dum illis prodest, pacẽq; largitur, dum placet bonitati suæ, & dum impij oppressi succubuerint, uel conuersi fuerint. Ipse est in cuius manu sunt omnia, omnium terrarum imperia, ad cuius nutum pax & bella ordinantur: qui cum sit dominus exercituũ superiorum & inferiorum, nullius arma uerebitur, arcus confringit, & præscindit hastas hostiũ dum impios persequitur, pacem quoq; tutissimam & diuturnã largitur, iuxta prophetas fidelibus suis, ut nusquam arma compareant, nec currus nec curribus præliantes: omnia castra Assyriorum unius angeli gladio, imò unica illius face conflagrauit atque combussit dominus, similia semper agens iudicia, non tamen simili modo, ubi similes quoque causas inuenerit.

10 Vacate & uidete quoniam ego sum deus: exaltabor in gẽtib⁹, (et) exaltabor in terra.

Ex tam insignibus factis, quibus suos deus adeo magnifice defendit semper, utiq; cognoscendus est, q̃ possit unus omnia, infinitisq; præcellat fortibus: imò nulla est nisi ab ipso fortitudo, ne quis amicos fideles suos persequi tentet. Hortatur igitur Psaltes, ut remittãt cõatus suos impij contra populũ dei, desistant ab eis impugnandis, quos ipse propugnat: hortatur ut agnoscant omnipotentiam dei, ex tam ingentibus miraculis. Quicquid circunquaq; populorum fuit, qui arma contra dei amicos corripuerant unquam, omnes extincti sunt, deleti sunt, cum suis quamlibet immanibus armis. Hinc tãdem uexatione erudientur, ut sciãt me dominum deum Israël solum esse omnipotentem & uerum deum, ut humero uno pariter aliquando me sint adoraturi.

11 Dominus uirtutũ nobiscum: susceptor noster deus Iacob. Sela.

Repetitur septimus uersus simili affectu & uerbis. Iam si fidei nobis oculi sunt, quicquid unquam deus egit cum suis, id putemus nobiscum quoq; egisse & cõtinuo agere. Nec alio nobis animo cogitãda sunt omnia, quàm ut gratias agamus, & fide bonitatis illius orando, et obsequẽdo uerbo suo, semper in anteriora promoueamus, certi semper dominum stare à nobis, & esse deum nostrum, ut fuit fidelium patrum semper, quos nũquam deseruit, semper autem protexit.

PSALMVS XLVII.

In finem pro filijs Core Psalmus.

ARGVMENTVM. De ascensione & glorificatione Christi, exhortatio ad omnes populos de illustribus uictorijs fidelium in deo.

1 OMnes gẽtes plaudite manibus: iubilate deo in uoce exultatiõis.

Ad dei cultũ uocantur.

Aduocat spiritus sanctus propheticus non iam tantũ Iudæos uel Israëlitas ad nostram, fidem, cultum & gloriam dei, sed omnes populos, uniuersas gentes: ut scilicet suo tempore plaudant, clangant, ouentq; domino deo uno uiuo & uero, qui cultores fuerant idolorum uanorũ: uero, inquam, deo, qui se iam regem totius terræ declarauerit. Hæc quidem adumbrata sunt in magno illo festo, quo templum dedicauit Salomon: at uera plenaq; perfecta, cum passim recepto euangelio, & per illud uita æterna percepta, omnes gentes tanta lætitia sunt perfusi in domino & salute: ut id non iam uocibus, sed tota uita, quin & morte testati sint, & quotidie testentur quotquot uere Christo credunt, indeq; agnouerunt, quàm celsus, tremendus & magnus sit rex super omnem terram.

2 Quoniam dominus excelsus, terribilis, rex magnus super omnem terram.

Deus in re be nouã.

Celsitudo dei satis nunc claret toto orbe, cuius maiestas cernitur in oĩbus creaturis suis, & in dispensatione gratiæ suæ, qua errores idololatriæ alienosq; deos eliminauit, & quotidie eliminat uerbo uirtutis suæ quicquid mendaciorum pater ab antiquo, inimicus homo zizaniarum superseminat. Terribilis quoq; tyrannis & impijs, quos opprimere uidetur, & manu potentiæ suæ iudicare & finire. Rex magnus, quia rex regũ & dũs dominantium, cui subsunt, & quem dominũ agnoscere coguntur omnes potentissimi monarchæ, sed & elementa & orbis totius regna & nationes maximæ cum minimis. Nec est gens aliqua, quæ ueritatẽ diuinitatis unius dei,

tel, & gratiam eius mundo datam per Christum non audierit, & aliquando susceperit: quanquam hominum malitia & antiqui serpentis astutia ad exercitium pio-
rum lapsus maximi semper contigerint, & contingant ubique.

3 Subiecit populos nobis: & gentes sub pedibus nostris.

Edicto suo sempiternaq; ad sanctos charitate dominus statuit quæ promisit, ut multæ gentes subijcerentur in terra Chanaan Israëlitis suis fidelibus & cultoribus, potentiæ piorum & uerbo dei credentium subderentur: quod factum quidem est sub Mose, Iosue, Dauide & alijs, multo autẽ perfectius & illustrius per Christi Euangelium & apostolicum spiritum, per reliquias gentis Israëliticæ: qui uerbo ueritatis & prophetarum fidei, & apostolicæ doctrinæ subiugauerunt omnes gentes: & exterminauerunt omnes errores & impietates. Fidem unius dei, propter quam plurimæ gentes sanctos persecutæ fuerant Israëlem & cultores ueri dei, eandem ipsæ concordi deuotione susceperunt in gloriam dei, & sanctorum patriarcharum & prophetarum, imò omnium filiorum dei ex gente Israëlitica, quæ & ob hoc peculium dei habita fuit & dicta.

4 Elegit nobis hereditatem suam: speciem (superbiam) Iacob quem dilexit. Sela.

Gratiam electionis agnoscũt Israëlitæ, qua præ alijs omnibus populis ipsos ad magnificandum multiphariam gloriam diuini nominis exercuit mundum, quibus manifestauit iudicia iustitiæ suæ, & reuelauit uoluntatem uerbis, factis & scriptis, glorificauit uictorijs et miraculis, ut scirent omnes gentes gratiam omnipotentis dei ad illum populum, ubi acquiescerent uotis suis, iustitiam autem & iudicium ubi præuaricarentur. Hæc ergo fuit superbia & magnificentia Iacob, qua à domino deo exaltatus est in suis posteris, et dilectus magis quàm Esau, quos ad tantam gloriam ebuccinandi diuina mangalia elegerat. Ex quibus secundum carnem nasci, & cum quibus in terra conuersari uoluit & prædicare uoluntatem patris, & factis ostendere, ut non sine causa adiecta uideatur contemplationis nota, Sela.

5 Ascendit deus in iubilo, (&) dominus in uoce tubæ.

Ascendisse quidem deus dici potest cum iubilo, quando arca fœderis reposita est cũ maxima pompa in templum Salomonis, de qua 3. Reg. 8. & 2. Paral. 5. Sed longe sacratior, gloriosior, & mundo utilior est ascensus arcæ fœderis, Christi scilicet dñi corporis, in gloriã patris sui ad dexterã gloriæ dei in excelsis, uidentibus electissimis reliquijs Israëliticæ gentis, & aspiciẽtibus eum ascendentem in cœlũ, unde & profecti prædicauerunt ubiq; gloriam dei, imulgato passim euangelio dei: quando & alia ascensione uera fœderis arca, uerũ propitiatorium, uera diuinitatis sedes, ipse mediator dei & hominum, homo Iesus Christus in uiua templa illatus est, actibus adfidẽ ipsius adductis, in quibus ipse æternũ patris uerbum, & dilectus per omnia filius, spiritu suo immortalia sibi patriq; sacraria extruit, parat ac ornat.

6 Psallite deo (nostro) psallite: psallite regi nostro, psallite.

Ad quatuor partes mundi unico uersu quater canere iubentur omnes populi, ad unius dei cultum uocati: utq; psallant animo, sono, uerbis & factis gloriã omnipotenti deo. Non enim huiusmodi laudes alteri quàm deo canere fideles iubentur, & regi nostro Christo domino Messiæ nostro, redemptori & saluatori nostro. Ne quis uerò Salomoni regi canendum arbitraretur, subditur cui regi canendum.

7 Quoniam rex omnis terræ deus: psallite sapienter.

Regi uniuersæ terræ canendum dicitur. Soli deo uni & uero omnis debetur gloria & honor, cum filio & spiritu sancto, uni & simplici deo & domino: qui ut omniũ creator est ante sæcula, sic ab omnibus amandus, timendus & uenerãdus hominibus. Canendus tamen est rex ille uniuersorum cum erudita deuotione, ut bonitas illius, potentia & maiestas probe agnoscatur, & digna deuotione celebretur, nõ tantum uocis sono, sed mentis pietate & fide, ut decet cultores dei ueri, qui spiritus est, & spiritualiter digneq; uult coli atq; laudari cũ industria sancta, ne lingua & labijs laudetur tantum, operibus autem & studio morum blasphemetur in gentibus nomen dei. Deus canẽdus.

8 Regnauit deus super gentes: deus sedet super sedem sanctam suam.

Ideo tam studiose & circunspecte digneq; canendus est deus, quia rex est omnium gentium, nõ solum Iudæorum: sedetq; in solio sancto suo uere augusto, quia cœlesti, in cœlo cœlorum, qui nec ipsi capere tantã possunt maiestatem, quanto minus oraculum illud uiginti cubitorum, & arca trium? Regnat autem in omnibus gentibus, nihil uspiam est fortitudinis & potestatis, sapientiæ & beneficentiæ, nihil deorum super quæ non regnet dominus deus exercituum deus Israël.

9 Principes populorũ cõgregati sunt cum deo (populus dei) Abrahã: quoniã dij fortes (protectores) terræ uehementer eleuati sunt.

Vbi is dominus deus noster regnat, ibi sancti possident uitam æternam, solidam iustitiam, & quicquid omnino optabile. Eius regnu pomeria canuntur hic, totius terræ præsides esse & magistratus, optimates & plebes, qui per principes & clypeos designantur, scuta terræ uel protectores: propterea quod defendere debent suos, & auertere ab illis mala: sese opponere pro eis contra hostes, ut scutis iacula auertuntur, & seruantur quos illa tegunt, qua ratione et deus sæpe à Dauide scutum suum dicitur. Quàm rari sunt autem huiusmodi principes, in uenti tamen sunt in regno Christi, sancti scilicet apostoli & episcopi, qui sese exposuerunt pro ecclesijs suis, quales multi in ecclesia gentium semper inuenti sunt, qui fidem dei Abrahæ prædicauerunt, & sese pro sua doctrina sacra exposuerunt morti, quorum studio & fide multum profecit semper religio uera, fides in unum deum, hodie quoq; proficit & proficiet. Principes in ecclesia.

PSALMVS XLVIII.

Psalmus cantici filijs Core (secũda sabbathi.)

Annotationes ad initia Psalmorum quorundam pro prima uel secunda sabbathi, factas crediderim ex aliqua obseruatione Iudæorum: sicut & apud Christianos prima sabbathi, id est, dominica die, inchoabatur Psalmorũ liber: secunda sabbathi, quæ & nobiscum feria secunda, dicebantur Psalmi à uigesimo septimo usq; ad trigesimum nonum. Sic tertia feria, quæ et tertia sabbathi, id est, post sabbathum, consequenter alij Psalmi usq; ad absolutionem hebdomadæ. Sic uideri potuisset hic Psalmus quadragesimusoctauus initium fuisse Psalmorũ, qui secũda sabbathi, id est, die Lunæ Iudæis canẽdi fuissent, sicut et uigesimusquartus eorum primus uideretur, qui prima sabbathi dicendi annotantur ibidem, ut & sabbatho ipso primi uigintiquatuor Psalmi dicti putentur. Sed obstat huic existimationi, primo quod Psalmus septuagesimussecundus annotatus non est pro tertia sabbathi, quaquã pro quarta sabbathi inueniatur Psalmus nonagesimusquartus intitulatus. Obstat quoq;, q, quinta sabbathi octogesimus Psalmus prætitulatur, & sexti sabbathi, quæ & ante sabbathum proxima dies, prænotatũ habet Psal. nonagesimumtertiũ. Diei uero sabbathi Psalmum attributũ uidemus nonagesimum secundum. Fit igitur ut nihil certi de hac re tradere potuerimus, nisi hoc solum, quod & aliâs liquet, additamenta multa contigisse initijs Psalmorum apud Græcos Iudæos, uel à primitiuis Christianis, quæ difficultatem afferant studiosis ob temporum & rituum uariationem, ut præstet huiusmodi dissimulasse nobis.

Tẽpus psallendi psalmos.

ARGVMENTVM. *Eximia laus est urbis Hierosolymæ, quæ typus est ecclesiæ, & cuiuslibet fidelis animæ, & de incremento fidei in orbe per Christum.*

1 MAgnus dominus & laudabilis nimis in ciuitate dei nostri (*in*) monte sancto eius.

Ingens quidem gloria est Hierosolymæ urbis, præ omnibus mundi ciuitatibus & locis ibi quòd constat dominũ habitationem suam elegisse, & cultũ uiguisse iuxta uoluntatẽ dei et præscriptũ legis, ubi et pro fidelibus tãta deus mirabilia crebro operatus est, quæ et ob pietatẽ multa aduersa pertulit, et pro impietate sua neglectaq; religione grauia sæpe passa, tandem ad orbis totius exemplum euersa est. Sed quia hæc omnia in typo fiebant ecclesiæ, quæ toto orbe interim disseminata est, & eundem dei cultũ quanquam in spiritu eidẽ deo optimo maximo defert, & ueræ pietatis studiosos ciues ubique continet, pro ueritate multa semper patitur, & fide in deum conseruatur, uerbo dei pabulo propheticis & apostolicis scriptis pascitur, & pacifice felicitérque agit dum obsequitur uerbo dei: confunditur uero & grauissimos errores & aduersitatũ incommoda patitur semper, statim ut à uerbo dei recesserit. Ideo digne ecclesia fidelium deo credentium & uere colentium, Ierusalem dicitur, & eisdem quibus ea urbs prædicatur laudibus celebratur: quia scilicet nobilissima sit urbiũ, in qua sola habitaculum sibi gratum elegit magnus dominus, et

Gloria ecclesiæ.

nimium, id est, supra modum laudabilis: magnitudinis eius ut non est finis, sic nec laudis. Et est ciuitas Dei nostri, ubi fideles ciues fideliter & per fidem uiuam deo seruiunt, nimirũ non nisi electorũ, per quam non transit incircuncisus corde & polluta conscientia homo, sed omnes à deo docti sunt illius ciues, fide, spe & charitate domino deo in spiritu & ueritate seruientes. Mons autem sanctus is dicitur, in quo cõstitutum est templum domini, in monte Sion uel Moria electus à domino, & ostensus tam Abrahæ quàm Dauid. Humanitas Christi est utrisque promissa, qui sicut est sacerdos, sacrificium & ara, ita & templum & sanctuarium reuera dicitur, in quo diuinitas corporaliter habitat, & in eo ac per ipsum digne colitur ac ueneratur.

2 Fundatur (*elegans regio*) exultatione uniuersæ terræ: mons Sion, latera aquilonis, ciuitas regis magni.

Hierosolyma gloriosa.

Elegãtissima regio est uel clima urbs et nympha hæc Hierosolyma, spiritualis iucunditas omnium fidelium, tam prisci populi Iudaici, quàm Abrahæ secundum fidem filiorum, et seminis Israëlis in spiritu. Id priscus interpres ut subobscurũ certa sententia retulit, exordium ibi esse maximi & uerissimi gaudij in toto orbe. In ea enim urbe deus ingentia miracula ædidit, donec in ea tantum fideles persliterunt. Vbi autem gloria illius & laus toto orbe diffusa est, & ciues disseminati in omnẽ terram, gaudium quoq; animarum electarum in eadem urbe obortũ est pro tota terra, ut prædicetur in primis & ante omnes mons Sion, qui situs est ad aquilonarem plagam urbis Ierusalem. Iste mons dicitur sacrosanctum habitaculum dei, ecclesia fidelium, ciuitas regis magni, in qua deus habitat & sanctificatur, dicitur q; soliũ gloriæ dei in terra, & Christi domini ueri Messiæ sacrosancta & spiritu sancto consecrata basilica.

3 Deus in domibus eius cognoscetur: cũ suscipiet eam.

Locus deo gratus.

Non sine magnis miraculis agnitum est eum locum in toto mundo deo gratum esse, & gratissima esse illi patratia huius urbis, quam suscepit ad suum cultum, quam toties defendit ab hostibus, cuius uisitatiom in bonum et pœnam tam solicite ut galina pullis insteterit, ciuesq; suos ueluti fortissimum refugium defendit & protegit, pro altis mœnijs & amplis palatijs quibus exornatur. Per quæ intelliguntur fidelium nunquam expugnatæ conscientiæ & apostolici uiri, ac sacrosanctæ ecclesiæ in toto mundo, quibus uera pietas & dei cultus uelut turribus defensatur ab impijs, illã sine cessatione impugnantibus. Fidelibus enim dominus intra ecclesiam pro arcet est & firmo subsidio.

4 Quoniam ecce reges (*terræ*) congregati sunt: conuenerunt in unum.

Congregati in unum.

Conuenerant non semel contra Ierusalem multi reges, ac obsiderant totam, pariter eam expugnaturi, ut testantur sacræ historiæ. Sed & ecclesia fidelitũ uni deo seruire cupientium, nunquam non à mundi erroribus, tyrannis, principibus, sacrorum pontificibus infestata est, et inuasa est multipliciter, sed nunquã superata, quin potius

potius uicti sunt & oppressi, plurimiq; eorũ sunt ad pietatem conuersi, humiliatiq;, ut essent ciues sanctorum et domestici dei.

5 Ipsi uidentes, sic admirati sunt, cõturbati sunt, commoti sunt:

Senserunt uirtutem dei suos cultores propugnantis, inde stupuerunt attoniti ad inopinatã uim dei Israëlis, toti perterriti & consternati, nescij ob animi stuporem quid agerent. Sic per omnia reges gentium cõcussi sunt uerbo dei & prostrati, manus dare compulsi euangelio & magnalijs diuinis, quibus tracti sunt ad unius dei cultum, et idolorum repulsionẽ, conuersi ad meliorem mentem, ut ex prosequutoribus fierent propugnatores.

6 tremor apprehendit eos, ibi dolores ut parturientis:

Trepidatio apprehendit eos & dolor parturientis, is ubicunq; mulierem corripuerit ibi detinet: sic & hostes fidelium facultatem fugiendi sibi ademptam senserunt, quamlibet metu ad fugiendũ impellerentur. Longè autem id clarius uisum est in mundi huius potentibus & sapientibus: qui utcunq; multa semper molirentur cõtra catholicam fidem, & pro suis superstitionibus, nihil tamen profecerunt unquam, ecclesia ipsa decertante armis suis, uerbo dei, fide, charitate, patientia, constantia & perseuerantia contra omnes hostes pietatis, qui semper & ubiq; deuicti sunt & deuincuntur.

7 in spiritu uehementi conteres naues Tharsis.

Hostes fidelium non raro incredibili terrore & dolore perculsi sunt atq; deiecti, ueluti dum Eurus orientalis tempestuosissimus uentus naues confringit, subuertit montes et palatia. Immensa enim potentia dei in suos hostes fideliumq; suorum desæuit, in bonum eorũ qui gloriam deo dabunt electi à domino, sed in damnationẽ impiorum & infidelium. Naues Tharsis significare possunt magnificentiam gentilium, qua totam terram peruagantes, fidelibus persecutiones maximas mouerũt, omnes tamen spiritu ueritatis deictæ & contritæ: sicut exercitus regum, Ierusalem infestantes, dum deũ colerent ut debebant, sub Iosophat scilicet & Ezechia.

8 Sicut audiuimus sic uidimus in ciuitate domini uirtutũ, in ciuitate dei nostri: deus fundauit eam in æternum. Sela.

Promiserat dominus præsentem se adfore populo, in sancta urbe, ubi præcipuus erat ceremoniarum locus. Id præclare sæpe experti sunt fideles, ut rectè cecinerint se ista uidisse & expertos esse, ex recitata ibi continuo lege dei, ut nunquam rituram urbem crederent certo, si cut ex ore & scriptis prophetarum promissiones regni Christi, & exaltationem ecclesiæ fideles didicerunt, audierunt, uiderunt, & experti sunt. Sicut enim promissa sanctorum. In ciuitate dei nostri, quæ cœpit Hierosolymis, & orbẽ impleuit uniuersum, fide prædicati euangelij per Israëlis reliquias sacrosanctas, apostolos. Cuius Christi regnum fundauit deus in æternum, ut nunquam corrumpatur. Nunquam enim uerbo suo dominus deerit ecclesiæ & spiritui sanctorum, ideo additur Sela.

9 Suscepimus deus misericordiam tuam in medio templi tui.

Beneficia dei in & ex templo.

Suscepimus scilicet animo & estimatione, et maxime appreciati sumus, ô deus, bonitatẽ tuã et suspeximus usque ad miraculum beneficia tua fidelibus collata, in loco sancto tuo, de oraculo testimonij, unde exaudiebas preces ex fide orantiũ, ubi præsens semper aderas fidelibus, speciali gratia et dignatione, donec eo loci dominus ipse mysteriũ incarnationis & corporalis præsentiæ suæ exhibuit in Christo domino, qui locũ et templum præsentia corporali consecrauit, & excessum ibi peregit ineffabilis charitatis diuinæ ad omnes electos, Euangelicam legẽ docens, pro genere humano patiens et crucifixus, resurrexit quoq;, & ascendit ad cœlos, spiritu sancto misso, omnia Hierosolymis peragendo, unde & orbi uniuerso resplenduit ueritas, & error ademptus est fidei & morum, secundum prædicationes omnium prophetarum.

10 Secundũ nomen tuũ deus, sic & laus tua in fines terræ: iustitia plena est dextera tua.

Sicut nomen tuum diuulgatum & prædicatũ est per prophetas, ita cumulatim omnia à te percepimus: eoq; respondet iam laus tua de percepto auxilio, prædicatione nominis tui, & de ferendo auxilio uirtutis tuæ. Laudis huius summa est, Iustitia plena est dextera tua, hoc est, quicquid ubiq; gentium & nobiscum geris semper, nihil nisi iustitia est, nempe summa bonitas, idq; cognoscitur nunc in extremis finibus terræ, ut sese nemo à calore solis huius iustitiæ abscondere possit. Laudis deũ summa.

11 Lætetur mons Sion, & exultent filiæ Iudæ: propter iudicia tua (domine.)

Sic iudicat regitq; omnia hic rex iustitiæ, ut nihil non salutem suis promoueat & felicitatem adaugeat. Obseruandum est autem operum dei ordinem hic indicatum: quippe primum prædicari dei bonitatem, inde fide eam expectari, postea reipsa illam percipi, ultimo gratias agi summa cũ lætitia. Opera dei uera sunt & solida, ueroq; gaudio, & germana lætitia perfunduntur, quotquot ea planè percipiunt, ad quod plurimũ confert aduersis exerceri. Mons Sion, id est ecclesia fidelium, de mysterijs illic peractis gaudet, & ecclesiæ cunctæ fideliũ in orbe gratulantur sibi, de uberibus consolationis huius matris Hierosolymæ, de uerbo ueritatis, quo totius mundi errores iudicantur & produntur fuisse sacrilegia & superstitiones. Opera dei.

12 Circũdate Sion, & complectimini eam: narrate in turribus eius.

Docetur consideranda circumquaq; Ierusalem, mœnia & palatia eius, externam scilicet & internam magnificentiam, quod ea tanta sit ut nunquam sit eius memoria intermoritura. Id de terrena illa urbe dudum toties solo æquata, quis intelligat? Typus ergo hic aperitur, & Ecclesia Christi, cuius nec mœnia nec palatia, id est, nec inuicta cõtra quoslibet hostes munimenta, nec uitæ excultæ ad uirtutes ornamenta satis mirari quisquã possit.

13 Ponite corda uestra in uirtute (eius) & di-

stribuite domos eius, ut enarretis in progenie altera:

Ecclesiæ profectus promouendus.

Ponite corda uestra, id est diligentius cõsiderate fortitudinem ecclesiasticæ charitatis & fidei, quam firmissima sint palatia sancti spiritus, corda sanctorum in ecclesia, quibus tota mundi potentia non præualet, sed succumbit. Vel, Exaltate et illustres reddite ciues huius sanctæ urbis, ut enarretis usque ad finem mundi magnalia dei, et uerbi dei potentiam in Sion, uel ecclesia. Semper enim perseuerabit sacra historia, spiritu sancto conscripta, ad ædificationem, & firmamentum ecclesiæ, & ad electorum salutem, ut inde discatur fides prouidentiæ bonitatisq; diuinæ, qua ad omne opus sanctum reddantur fortes, & muniti, electi à domino.

14 Quoniã hic est deꝰ, deꝰ noster in æternũ, & in seculũ seculi: ipse reget nos in secula.

Prouidentia dei circa ecclesiam.

Docemur hic ueræ Hierosolymæ ecclesiæ fidelium dominum deum suum nunquam abesse, nullos hostes ei posse præualere, iugemq; esse in ea dei laudẽ, ut illa eius prouidentia & beneficijs semper fruatur: eoq; sempiterno quoq; gaudio de deo suo exultat, omnia huius mundi gaudia & oblectamenta detestatur potius, & solius dei sui gratia oblectatur, quam credit, & semper sibi ad futurã præsumit syncera fide et immutabili. Tales quoque in ecclesia fideles dominus dirigit et moderatur per gratiam sancti spiritus, quo nunquam destituuntur, donec ad felicitatem æternam perueniant. Priscо interpreti, de finali dictione magis crediderim, quàm opinionibus Iudæorum nouitiorũ. עלמית enim etiam sæcula significare potest sine punctis, quanquam & Vsque ad mortem, cui succedit felicitas sanctorum non inepte dicatur, secundum eandem translationem.

PSALMVS XLIX.

In finem filijs Core Psalmus.

ARGVMENTVM. Exhortatio est ad mundi contemptum, & ad desiderium uerorum bonorum.

1 AVdite hęc omnes gẽtes: auribus percipite omnes qui habitatis orbem,

Grandiloquentia in scriptura.

Nihil altius homini carnali infixum est quàm corporalium rerum & mundi huius cupiditas, et eorum quæ sunt in hoc mundo. Hoc autem disuasurus, & ad mundi contemptum adhortaturus, grandiloquentiam quandam arripit, & ad audientiam captat animos auditorum, ut non negligenter audiant dicenda, nedum Iudæi, sed omnes etiam gentes, quæ nihil ferè nisi munda admirantur, ucram ignorantes beatam uitam, & cœlestem gloriam. Aures arrigite, quotquot aliquando in toto orbe propagando euangelio, uerbũ domini & præcepta diuinæ sapiẽtiæ audituri estis. Nominat autẽ habitatores חלד: id est sæculi aut mundi, ætates enim hominum incertas & ut plurimum non diuturnas significat.

2 Quiq; terrigenæ & filij hominum simul in unum diues & pauper.

Terræ filij.

Tam filij hominum, id est priuati & subditi, quàm filij uiri, id est nobiles & præsidentes, uel ut priscus erudite intellexit, qui de terra genuti estis, & filij hominum appellamini, hoc est, omnis conditionis homines, magna tes & uulgus, diuites & pauperes, pariter audite dicenda, ex æquo uobis hæc omnia animaduertenda proponentur. Non enim diu durabit uestra inæqualitas, prope tempus uel horã similis uos omnes sors et cõditio apprehendet, quo minus superbiatis, & mutuum opprimatis.

3 Os meum loquetur sapientiam: & meditatio cordis mei prudentiam.

Sapientia dei & hominũ.

Nominat quæ dicturus est, sapientiam & prudentiam, quia uerbum domini sunt, & proficiscuntur ex spiritu sancto, qui solus dat recta sapere, prudenter omnia iudicare ac instituere. Humana enim sapientia animalis est & diabolica, docet enim amorem sui, diligere mundum, commoda, diuitias, honorem, libidines: uera autẽ sapientia docet hæc spernere, nõ uirtutes suadet post numos, sed præferre sapientiã auro & thopazio, cui nihil ualeat cõparari. Sapiens nihil cogitat quàm iusta, æqua, pia. Hæc est sapientia digna probo uiro, non uanitates, libidines, imposturas, auaritiam sectari & diligere.

4 Inclinabo in parabolam aurem meã, aperiam in psalterio propositionem meam.

Audiendus spiritus dei.

Audiam quid loquetur mihi spiritus dei, quasi per parabolam, tectius scilicet, ne passim etiam ab ingnis intelligatur: grauiores scilicet sententias, quæ reconditum aliquid habent, & collatione indigent, atq; adeo enarratione apud imperitiores requirunt. Loquar enim ænigmata priscorum temporum, quæ scilicet deus electo populo suo olim exhibuerit, certè paupertatem & uitæ huius incommoda non esse timenda, opes & copias non admirandas aut quærẽdas, fide soli deo adhærendũ, post hanc uitam pauperem & miserandam, beatam succedere & perpetuam. Illud quouis ænigmate obscurius est, hominibus spiritu dei non afflatis. Citharis autẽ uel aliis musicis instrumentis aut humanis uocibus canere sentẽtias sapientum, sacras historias, laudes uirtutum, beneficia dei, abunde pulchrũ est & sacrum, utile et iucundũ.

Musica sacra.

5 Cur timebo in die malaꝫ: iniquitas calcanei mei circundabit me.

Aduersitates non timendæ.

Non sunt timendæ aduersitates huius sæculi, non habenda cura de crastino. Si enim ingruant, & uitari commode non possunt, magnanimiter ferendæ sunt, exemplo magnorum, qui talibus exercitati magni euaserũt coram deo & hominibus: dominus uniuersorum gubernator inuocandus est, unde uenit omne bonum, & etiã malum in ciuitate: imò nihil aduersitatis malum est uiro fideli & bono, omnibus enim utitur ad profectum. Cogitandum potius, ut iniquitas si quæ est in me emendetur, cuius merces & compensatio est calamitas inter homines sui amatores. Meretur aduersa nostra iniquitas, dum quod mihi fieri nollem, alteri facio, occasio etiam præstatur proximo similiter mecũ agendi, unde prouenit mihi aduersitas. Alioqui nemo læditur nisi à seipso.

6 Qui confiduntin uirtute sua: & in multitudine diuitiarum suarum gloriantur.

Fidendum deo solo.

Hortatur carmine, ne quis fidere pergat in suas diuitias, substantiã uel potentiã, sed in dñm deũ, qui dat & accipit cui quando & quantum illi placet, à quo pendet omnis

omnis hominũ felicitas & facultas. Nõ ergo iactet quantumlibet diues diuitias suas, nõ sunt enim in potestate sua ut utatur pro uoto suo, quando & quantum uelit. Cadu ea sunt hæc omnia, & dum maxime eis indigemus, tunc maxime succurrunt.

7 **Frater non redimit, redimet homo? non dabit deo placationem suam.**

Non potest dum uult & exigeret necessitas quamlibet ardua quisquam fratrem suum redimere, de quacunque calamitate, quamlibet diues sit, & iactet substantiã huius mundi: uel enim non uult pro fratre amittere diuitias, quia insipiens est, & stultus, nimiũq; auarus, quod non raro cõtingit, quandoquidem nõ raro euenit, ut propter diuitias corradendas & conseruandas mortis se discrimini permittat: uel ea cõditione frater uel proximus est, & periculo obrutus ut diuitiæ etiam expensæ non prosint, ut in naufragijs, morbis, & criminum noxis, uel pœnis. Non ergo diuitijs, sed uirtuti opera nauãda erit: hæc est sapientia uera. Nec deus diuitijs placatur, sed pura mente, fide, charitate & merito unici redemptoris mundi, dignis & deo gratis sacrificijs, & misericordia, ut proximo indulgeamus, si uelimus nobis quoq; nostra remitti peccata.

8 **Et pretium redemptionis animæ suæ: & laborabit in æternum.**

Non obtinebit quispiam à deo uel hominibus, quantũcunq; diuitijs suis ut animam suã redimat à morte. Omnibus enim etiam totius mundi monarchis & sæuis tyrannis ac locupletissimis æque mors instat & interitus, ut cuiq; de uulgo, quin maioribus exitij occasionibus expositi sunt, ut plurimũ diuites & gloriosi in hoc sæculo quàm humiles & modesti. Non ergo data quacunq; pecunia, obtinebit ut quiete agere possit in hoc sæculo, et non mori, uel euadere calamitates. Non enim pax & salus diuitijs acquiruntur, sed timore & cultu dei, ueraq; sapientia.

9 **& uiuet adhuc in finem. Non uidebit interitum,**

Nec tota huius mundi substantia iuuare quenquã potest, ut uitæ suæ periodũ superet & transgrediatur, diutius uiuendo quàm deus ordinauit, utq; euadere possit interitum illum, quem ei deus destinauit. Non enim hæc causa uitæ & mortis nummis et diuitijs emitur uel redimitur, sed prouidentia dei, qui author est solus uitæ & necis. Non igitur curandum est homini cuicunq;, ut mortem euadat, sed ut optime moriatur, & cum gratia dei: hoc autem fiet, si bene & religiose uixerit. Non potest infeliciter mori qui pie uixerit.

10 **cum uiderit sapientes morientur: simul insipiens & stultus peribunt. Et relinquẽt alienis diuitias suas:**

Non solum diuitiæ, sed nec sapientia quæcunque hominem eximit à necessitate moriendi: uel in hac uita felicem facit, nisi sapientia uera rerũ diuinarũ. Hæc enim uera religio & pietas hominem format, & sic instituit, ut mori nõ timeat, sed lucrum putet, et per omnes huius mundi calamitates, tutò semper & sine perturbatione pertranseat. Siue autem sapiens quis fuerit siue stultus, non tamen illi proderunt diuitæ nisi in hoc mundo sapienter dispensami. Alioqui non sequuntur hominem post fata, sed relinquuntur sicut & præcesserant hominẽ ingredientem in hunc mundum. Sæpe quoq; contingit, ut congestas diuitias molestissima solicitudine, eis post mortem cedant ad improbam libidinem quibus omnium minime fauisset, omnino quoq; ingratis uel alienis.

11 **(&) sepulchra eorum domus illorum in æternum. Tabernacula eorum in progenie et progenie, uocauerunt nomina sua in terris suis.**

Domus ultima sepulchrum.

Qui sic in diuitijs suis gloriantur, aliud certius non assequentur, nec etiam melius & optatius impijs, quàm ut domum aliquando nanciscantur sepulchrum, in quo perpetuo commorentur, cibus uermium & abominatio aspicientium, sine quocunq; fauore, nisi si sinantur sic perpetuo iacere misera certè felicitate. Qui quidẽ dum uiuerent nedum glorioſi erant diuitijs, sed famam quoque per multa sæcula prorogare cupiebãt, potentiã ambiebant in terra, fastum inter homines, & nomen æternum, sed inania hæc omnia sunt & caduca. Sic priscus interpres per metathesim legit קִרְבָּם, ubi hodie legitur קִרְבָּם intimum eorũ. Vt sit sensus, Tantopere sibi placent ex rebus nihili, qualia sunt temporalia hæc, ædificia, diuitiæ, fama & potentia.

12 **Et homo cũ in honore esset non (intellexit) permansit: cõparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis.**

Priscus legit רִבֵּן pro יִלִּין & uerbum ultimũ æque assimilationem significare potest, ut interitum uel silentium cessationis. Non multũ interest sententiæ, siue quis dicat, Honor & fastus hominis facit sui negligentem et sese non cognoscentem, plura promittere audentẽ quàm possit præstare: & omnino reddit hominem similem bestijs et iumentis, tantũ corpora curantibus et præsentia de cœlestibus spiritualibus et æternis nihil solicitũ. Siue secundum aliam literam, Homo in diuitijs & gloria sua & splendore fortunæ non perstat diu, & nominis sui memoria tota abolebitur, non minus quàm iumentorũ, qui de temporalibus contenti, æterna æque non cogitant, ut iumenta.

13 **Hæc uia illorum scandalum ipsis: & post eos in ore suo complacebunt. Sela.**

Sapientia uera & falsa.

Hoc ipsorum institutum & studium est sicut & omnis sapientia eorum, qua sese magnos arbitrantur & superbiunt, quã & posteris suis uelut sæculi ueram prudentiam tradunt, iuxta quam & loquuntur & uiuunt, ut scilicet opes sæculi huius rebus omnibus præferant, ac in primis quærant, quibus habitis mundo frui possint & oblectationibus, si dijs placet. Hanc miseri sapientiam arbitrantur, rident autem sanctorum sapientiam, qui post aurum non abeunt, nec sperant in pecuniæ thesauris, sed munditiam cordis sectantur, paupertatem spiritus, pacem conscientiæ etiam in medio calamitatum huius mundi. Quid autem æque miserum ut isti mundani cum sibi felices uidentur. Hinc ob istorum infelicita-

tem quo diligentius consideretur, appositum est Sela.

14 Sicut oues in inferno positi sunt: mors depascet eos. Et dominabuntur eorũ iusti in matutino: et auxilium eorum ueterascet in inferno à gloria (domicilio) eorum.

Impiorum finis. Finis impiorum hic canitur esse inferorum miseria, qua uelut oues colliguntur, morte eos pascente, hoc est ipsis dominante, ut contigit diuiti epuloni: tales enim uoluerunt in hoc sæculo experiri grata felicia & delitias, contra uerbum dei, & iudicium domini minime pertimuerunt, ideo nunc mala experiuntur, & sentiunt iustitiam dei. Mane autem ubi uita corporibus fuerit restituta in extremo dierum, tunc dominabuntur illis recti. Tum enim cum hi Christo ponentur scabellum pedum, etiam regnantibus cum Christo rectis subijciẽtur, à quibus nunc iniurias multas pati coguntur, illis tandem fit domicilium tartarus: quibus dominus dicet, Ite maledicti in ignem æternum. Hoc autem iustorum super illos dominiũ est, quod unà cum Christo eos iudicabũt. Continet hic uersus uelut ænigma filijs huius sæculi, nempe de aurora uitæ nouæ, qua exorta iusti dominaturi sunt impijs, id est, eos cum Christo suo condemnaturi.

15 Veruntamen deus redimet animã meam de manu inferi cum acceperit me. Sela.

Immortalitas piorum. Suis deus dabit immortalitatem, reliquis tantum in hoc sæculo bonis perfrui nõnunquã cõcedit. At deus inquit, redimet animã meã de manu inferi, hoc est, mortis, uitam quoq; corporis felicem secundũ mentẽ, dum corpus humo demandatum & esca uermium factum, resuscitatum ad immortalitatem beato consortio dei fruiturum restituet. Huius autem felicitatis dum causam reddit, prædicat eandem omnibus credentibus communem. Ait enim: Quia suscepit me, hoc est elegit ad uitã, suum donat spiritum, ut nunquam sint gustaturi mortem, in nouissimo die ad uitam & gloriam resuscitandi. Interim autem mentibus sua gaudia donabit in cœlis, ideo et Sela adijcitur.

16 Ne timueris cum dites factus fuerit homo: & cum multiplicata fuerit gloria domus eius.

Bona uera. Hortatur fideles, ueriore felicitate donatos, ne metuant malorum potentiam, nec iracundia irritẽtur, dum malos ditari uiderint, & propter opes dignitate afficiuntur. Nihil enim secum tollent, dum uita functi descendent ad inferos, non comitabitur eos splendor temporalis & gloria mundana. Cogitent potius uirtutum diuitias, quæ durant & ualent coram deo & hominibus, & si quas diuitias assequuntur, quomodo ex eis faciant sibi amicos, qui se recipiant in æterna tabernacula: familiæ quoque suæ gloriam non æstiment à diuitijs, sed à iustitia & probitate, ab innocentiæ fama, quæ durat & iuuat.

17 Quoniam cum interierit, non sumet omnia: neq; descendet cum eo gloria eius.

Via huius uitæ. Certissime se moriturũ assidue meditetur, hanc uero uitam semitam esse ad patriam sanctorum, ubi non locum habebit gloria diuitiarum, sed iustitiæ & uirtutum præmia percipientur. Præter sepulchrum & sepulchra nihil possidebit: relinquet fructus molestissimarũ negotiationum suarum alijs, etiam ingratis: fauores, famã, diuitias & honores post se relinquet, exercitiorum tamen piorũ fructibus perfruetur, & obedientiæ dei præmia reportabit.

18 Quia anima eius in uita ipsius benedicetur: confitebuntur tibi cũ benefeceris ei (tibi.)

Diuitiæ sæpe commodã etiam. De diuite loquitur, cui diuitiæ commodo tantum sunt in hoc mundo, & nulla alia ratione celebrem faciunt, quàm quòd materiam præbeant libidinandi, & sibijpsi uel posteris oblectamenta procurandi. Id quod de diuite euangelico legimus, cui post mortem cruciato apud inferos responsum fuit, Memor fis te bona tua in uita tua recepisse. Quandoquidem quum felix uideretur & diues, multos habuit laudatores, qui pro perceptis muneribus, multos habuit laudatores, qui pro percipiendis magnifica loquuntur de diuitibus & potentibus.

19 Introibit in progenies patrum suorum: & usq; in æternum non uidebunt lumen.

Diuitum in procul ab interitu. Cum sibi in hoc mundo diuites uidentur felices esse, et subito arripiuntur à fato mortalitatis, & transire coguntur uiam uniuersæ carnis, & ad felicitas. generationes patrum suorum apponuntur, quibus fiunt simules: sic ut donec mundus finiatur, & ueniat consummatio, non uisuri sint lumen, sed in puluere terræ iacebunt secundum corpus, suscitandi aliquando tunc ad uitam uel miseriarum, uel felicitatis æternæ.

20 Homo cum in honore esset nõ intellexit: comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis.

Homo cui deus præclaram fortunam dedit, nec id ipse intelligit authoremq; eius non agnoscit, ille in morte corporis semel omnibus bonis in sempiternum spoliatur, nõ secus atq; bestiæ, nisi quod ipsum cruciatus excipient infernales, secundum animam, ubi pœnas ingratitudinis et impietatis soluet, sed nunquam persoluet. Idem uersus is ultimus est cũ duodecimo, nisi quod hic Hebræus legit Hebræus. יבין cum supra ילין. Id certe quod priscum interpretem latere non potuit, qui fortassis utrobiq; similiter legit, non dissimiliter hic & alibi.

PSALMVS L.

Psalmus Asaph.

De Asaph principe cantorum multa leguntur in libro Præteritorum.

ARGVMENTVM. Docet respiscẽtiam à falso dei cultu, ad sacrificia uera deo accepta.

1 DEus deorum dominus locutus est: & uocauit terram. A solis ortu usq; ad occasum (eius.)

Cum totus mundus positus esset in maligno, non solum quo ad iniquitatem in moribus, sed etiã quo ad errores innumeros in religione & fide, plenus Euangelij quoque esset orbis idololatria, essetq; silentiũ ueritatis, exortus & nox obscurissima ignorantiæ & impietatis: tunc locutus est dominus, exortum est euangelium, collecta est electorum ecclesia, & apparuit humanitas & benignitas salua

tus saluatoris dei, quæ quia maior est omni æstimatione humana, ideo tam magnificis eam uerbis celebrat, tanta congeric appellationū dei. Qui enim multifariam olim loquutus fuerat in prophetis, nunc proprio suo ore & uerbo loquitur sanctis de ecclesia. Vocasse ait terrā ab ortu solis, intelligitur per apostolos, in orbē uniuersum missos ad prædicandum ueram religionē, & ad congregandum filios dei qui fuerāt dispersi in unitatē ecclesiæ.

2 ex Sion species (consummatio) decoris eius. Deus manifeste ueniet:

Id primo fieri cœptum est Hierosolymis, ibi enim spiritu dei perfusi, ad hoc munus primum ablegati sunt apostoli. Propter tam beatū autē humanæ salutis initium in monte Zion auspicatū, unde & exijt lex dei in mundū totum, iure dicitur Ierusalem ornamentum elegantissimum, & lampas clarissima mundi, illic enim ea primum effulsit, indeq; in mundum totum peruenit agnitio prouidentiæ dei ueri & unius, charitas quoque dei diffusa est in corda omnium electorum, ut qui prius tantum in Iudæa notus esset, & digne colebatur, is tunc apparere inciperet & innotescere toti mundo.

3 ueniet deus noster, & non silebit. Ignis in conspectu eius exardescet (deuorabit) & in circumitu eius tempestas ualida.

Appetente plenitudine temporis, dominus Deus noster nouo & inenarrabili modo aduenit, & cum hominibus cōuersabitur in terra uidendus, sed inter suos non agnoscendus. Non tamen continebit se, nec tacebit, sed uerbo uirtutis suæ & euangelio regni & salutis resonabit in omnem terram. Ardor autē diuini spiritus imbuet electorum corda & cōscientias immutabit, reddetq; ex impijs fidelissimos. Sed impetu fortissimæ ueritatis conterentur & subuertentur idola omnia, & falsitas euangelica face eliminabitur & cessabit, quia tam inuicto ueritatis uerbo, tantisq; simul apostolorum & apostolicorum uirorum portentis, principes mundi huius maligni feliciter à domino sunt expugnati.

4 Aduocauit cœlum desursum: & terrā discernere populum suum.

Per cœlum & terram intelligit superos et inferos, cœlestia omnia & terrena. Hæc siquidem omnia adhibuit deus ad uindicandum populum suum. Nam præter prodigia quæ in cœlo & in terra pro sanctis ædebat dominus, simul tam cœlestes mentes quàm mortales in hoc sæculo illis inseruire fecit, quo satanæ tyrannide eriperentur, quicunq; ad uitam erant præordinati.

5 Congregate illi sanctos eius: qui ordināt testamentum eius super sacrificia.

Ad hoc à domino missi sunt in orbem apostoli, ut congregarent electos dei in unitatem ecclesiasticæ charitatis & fidei, & in uniformem cultum dei, qui constat in spiritu & ueritate, in fide, spe & charitate sanctorum, quæ sunt deo placita sacrificia, qualia exigit, mandat & amplectitur sola. Hi sunt uere sancti & deo probati, qui in spiritu illi seruiunt, qui populus illius esse cupiunt, & pactum dei cum humano genere initum per Christum, signis deo sacrificijs protestantur. Vera autē sacrificia fidelium sunt gratiarum actio, & fides in Christum, sermel pro omnium hominum peccatis oblatum in cruce, noui fœderis et testamenti autorē. Priscus pro Iod ubiq; ferè hoc uersu Vau legit, non ignorans interim personæ mutationem familiarem spiritui diuino.

6 Et annuntiabūt cœli iustitiam eius: quoniam deus iudex est. Sela.

Curate, ô apostoli et apostolici uiri, ut bonitas dei passim imulgetur in omnes gētes, ne quis ignoret, omnibus nota fiant magnalia dei circa electos: quoniā deus ipse iudex est omnium, qui unus omnia gubernat, huius quoq; iustitiam omnia prædicant. Hoc tam multis sæculis fuisse neglectum, & pluribus ignoratū mysterium, Euangelij autē reuelatione gentibus adnuntiatū, summa dignū est admiratione, ideo additur Sela, ad mentis eleuationem. Officium apostoloꝝ.

7 Audi populus meus, & loquar: Israēl, & testificabor tibi: deus deus tuus ego sum.

Sacrificiorum fiducia reijcit, Iudæis loquens, euangelij persecutoribus, & eorum abolitionem prædicit, inducens dominum Israēli loquentem, ut sese audiant solito attentius, quia illius peculiaris populus sint, & cultores, qui alium deum ignorare debent. Adhuc tibi loquar de sacrificijs tuis, præter ea quæ per Mosen scripta audisti: & contestatū tibi perpetuo uolo, ut semper memineris me tuum esse deum, solum unum & uerū, cuius tantū legibus parere debeas, & soli seruire secundum legem tibi traditam, soli, nō gentibus, quas in cultu huius modi æmulari nequaquam debeas. Sacrificia.

8 Non in sacrificijs tuis arguā te: holocausta autē tua, in conspectu meo sunt semper.

Olim tu & patres tui sancti fidelium patriarchæ populus meus eratis, quando nulla sacrificia offerebatis, sola fide uera & uiua contentus & placatus: sic & in lege uera, quæ tota generaliter in decalogo cōtinetur, nihil de sacrificijs mandaui, qualia & non exegi, nisi ubi uidi similia alioqui idolis deferenda, idq; solum in terra hæreditatis tuæ, nec alibi quàm in Iudæa uel Hierosolymis, & donec uel tabernaculū extaret uel templū. Sed & tunc morosus exactor non eram, quin specialibus amicis prophetis meis Samueli, Dauidi, Heliæ, Helisæo, liberū feci de externo cultu, sicut & toti populo, si tantum me suum dominum & deū coluissent, decalogumq; præceptorū meorū studiosius conseruassent, fide & charitate mihi placere uni cupiētes. Et in uniuersis prophetis neglectum sacrificiorū non corripui, sed fidei & charitatis obliuionem & præuaricationem, quæ summam esse uolui & docui legis meæ: et qđ idolis sacrificia facere uobis magis libebat. Quanquā si secundū leges meas et ex fide uera sacrifices mihi, grata esse nō dubites. Verū sine fide mihi nemo quibuscūq; operibus placuerit. Sacrificia non mādanda fidelibus

9 Non accipiā de domo tua uitulos: neque de gregibus tuis hircos.

Tempus ueniet ut nec suscepturus sim sacrificia tua huiusmodi, cum cessabit sanctuariū & sacerdotiū, quin & modo nō tam tua cupio mihi præberi quàm teipsum. Non expiatur iniquitas tua quocunq; cruore animaliū tuorum, sed resipiscentia ex uero timore dei & fide in Abolita sacrificia.

bonitatem illius, maxime uero in sacrificium unicũ illud futurum, Christi dñi, iuxta prædictiones omniũ prophetarum, & promissiones factas patriarchis. Iuuencũ quidem & hircum uel arietẽ exigam, sed non de tuis caulis uel præsepibus, sed de genere Dauidis filium meum unicum, quem in hoc unũ destinandũ proposui, ut omnium electorum crimina abstergat unico sacrificio innocentissimi corporis sui, ex summa charitate offerendi.

10 Quoniam meę sunt omnes feræ syluarũ, iumenta in montibus, & boues (mille.)

Quare sacrificia iustitiæ. Alioqui si animalium cruore oblectarer, non à te postularem, non tua, cum sint omnia mea, animalia quæcũq; in syluis & montibus, iumenta & feræ quæcunq;, munda & immunda omnia animalia, sed carnibus non uescor, nec sanguinem poto. Tui gratia hæc olim ordinaui & permisi potius quàm præcepi, qui ceremonijs talibus carere, ut rudis adhuc nolebas, & de futuro sacrificio admonendus eras, cuius merito purgaberis per fidẽ.

11 Cognoui omnia uolatilia cœli, (montium) & pulchritudo agri mecum est.

Vsus rerũ. Noui ego omnium creator, nedum hæc mihi oblata animalia, & approbo eorum usum & mores, sed & aues omnes habeo pariter in mea potestate, mihi suo modo seruiunt. Ingenia sua seruãt meo munere, & per omnia uotis meis obsequuntur, sicut & quicquid in genere uiuentium in terra elegans est & admirabile, totũ meum est, & notum mihi. Non ineleganter dixit, Volatilia cœli, pro uolatilibus montium, nihil mutato sensu, sed ad alia loca scripturæ conformiter.

12 Si esuriero, non dicã tibi: meus est enim orbis terræ, & plenitudo eius.

Spiritus est deus, non caro & defectibilis, cibo non eget, non esurit, non absumptæ per naturã substantiæ partes resarcit. Quin & si esuriret deus, nihil à te cibi peteret, ô homo, cuius sunt omnia, qui uerbo cuncta condidit, & sua bonitate nutrit omnia uiuentia & cõseruat, Meus est totus terrarum orbis & plenitudo eius, quicquid cœli ambitu continetur. Semper & studiose uetus interpres addit terrarum nomen ad dictionem Hebraicam תבל, ne quis orbes superiores intelligeret.

13 Nunquid manducabo carnes taurorũ? aut sanguinem hircorum potabo?

Non sum ut homo uorax, & cibi appetens, cui nulla perfectio deest, nec adest defectio. Delicatior nimirũ potus & esca ad manum esset, si talibus indigerem: & si operibus iustitiã humanam parari uellem mundiora & gratiora designassem. Horridam autem huiusmodi cruoris effusionem, & innoxiorum animalium occisionem, aliud significare uolui, & ut ingenio humano aduersa, quod uite condidi, in cultum meũ admisi, quo rarius deferretur & moderatius.

14 Immola deo sacrificium laudis: & redde altissimo uota tua.

Sacrificium fidelium. gratiarum actio. Si omnino sacrificare domino delectat, à quo omnia accepisti, qui bonorum tuorum non eget, cui nihil rependere potes, id unum deo tuo sacrifica, Gratiarum actionem pro beneficijs acceptis, Cõfessionem laudis diuinæ & transgressionis propriæ. Agnoscere bonitatem Dei homo potest, rependere nihil, nisi uitulos labiorum, & obedientiam mandatorum. Vota quoq; si quæ uoueris, non idolis uel dijs alienis uoueas, obsequia scilicet grata aliqua opera pietatis, sed altissimo tantum deo sancta opera uel sacrificia uoueas, et ubi noueris imple, & perficias, & debitum soluas quod libere promiseras.

15 Et inuoca me in die tribulationis: eruam te & honorificabis me.

Confessio laudis. Laudem & confessionem deo tunc commodius reddimus, quãdo à calamitatibus nostris per dei gratiam nos liberatos agnoscimus, & illius bonitatem facto experti sumus. Quanquam autem pater noster dominus deus sit & propensissimus ad succurrendum filijs, non uult tamen nos desides esse, sed seriosius & ex animo orare, inuocare illius bonitatem, & bene sperare de eius gratia. Iubet igitur ut inuocemus eum, promittit insuper exauditionem, & liberationem ab aduersis, sed & glorificationem exigit à nobis, ut nobis nihil tribuamus, nec hominibus per quos nos liberat, sed sibi uni dño & deo nostro, cui soli adscribenda est quæcunq; subleuatio nostra malis, illi soli debetur honor & gloria, sacrificiũ laudis soli offerendũ dño, non sanctis uel diuis quibuscũq;.

16 Peccatori autẽ dixit deus, Quare tu enaras iustitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum?

Contra hypocrisim. Vehementer dominus detestatur hypocrisim, quæ est impietas. Vult deus non nisi ex animo coli, & à religiosis mentibus: nec laudem amplectitur cuiusuis, nisi promanantem ex deuotione cordis: non probat multiloquium, non uult appellari domine domine, nisi ex fide & reuerentia digna. Grauiter ergo se dominus ostendit iratum, qui præsumit cum impius sit laudes deo dicere, commendare bonitatem dei, & illius præcepta, maxime autem ceremonialia, quæ ut plurimum per hypocrisim ab impijs iactantur, & sæpe obseruantur studiosius, interim de moralibus præceptis et uera iustitia fidei & morum nihil solicitis. Sed & impij non raro uerbis & prolixis sermonibus multa de dei circa homines testamento blaterant, & in ore habent legem domini, nihil opere testantes, hi duplici iudicio subiacebunt quia scienter præuaricantur.

17 Tu uero odisti disciplinam: & proiecisti sermones meos retrorsum.

Ostendit quem improbũ dixerit, cum scilicet qui nullam admittit correptionem, mala sua agnoscere nõ uult, sed uerba dei abijcere, ne innocenter uiuere cogatur. Nõ oblectatur nisi improborum societate de domini uerbo & uoluntate nihil audire sustinens, sibi dicenda uel ponenda, paratus tamen alios docere bona, ne existimetur impius, nihil autem agere.

18 Si uidebas furem, currebas cum eo, & cũ adulteris portionem tuam ponebas.

Mala duo. Duo mala nominatim perstrinxit, alterum perse libidinis, alterũ iniquæ cupiditatis habendi: quibus duobus, furto scilicet & adulterio, totam reliquam scelerum sentinam complexus est. Talia enim moliuntur impientes

lentes disciplinæ & uerbum domini posthabentes. Li-
bidini incumbunt per omnia, ad quam diuitijs cum opus
sit, eas per fas & nefas assequi student.

19 Os tuum abūdauit malitia: & lingua tua
concinnabat dolos.

In improbo consequenter notatur studium nocendi
fraudandiq;. Primum quidem uerbis iniurioſis & per
calumniam, ut pijs deroget hominibus authoritatē, con
cinnando per dolum mendacia in proximum, uel exag-
gerando fragilitates humanas, corradendo ubicunque
potest occasionem detrahendi, & onerandi simplices et
reflos corde, uolens iustorum derogationibus arrogare
suis criminibus defensionem, sese meliorem habendum
arbitratus, si bonis inusserit neuum & diffamiam etiam
falsam, quam tamen dolo ueram suadere conatur.

20 Sedens, aduersus frarē tuū loquebaris, &
aduersus filiū matris tuę ponebas scādalū:

Nec impij illi proximis parcunt & fratribus, imò
nec uterinis & germanis: quin sedent & studiose exco-
gitant mendacia perniciosa pijs quibuscunque, nemini
parcentes etiam cōiunctißimis: obfirmant se contra fra
tres suos, si disciplinam adhibere conentur, & fraterna
correctione sanare: non parcunt inurere calumniam &
diffamiam omnibus.

21 hæc feciſti & tacui. Existimasti inique
quōd ero tui similis: arguam te: & statuam
contra faciem tuam.

Hæc tot & tanta peccata tua sunt, quæ designare nō
ceſſas, persuasus me talia non curare, quia tandiu diſſi-
mulare me cernis, quasi ignorantem humana, & non ni
si manifesta scientem. Talis est enim impiorum consum-
mata peruersitas, ut persuadeant deum nullam habere
suorum scelerum rationem, eo quod ultionem differt.
Non, inquit, tibi similis sum, impietatis amicus. Arguam
te suo tempore, & sic ulciscar digne & palàm, ut tuo
quoq; quantumuis iniquißimo iudicio cōtestaturus sis,
iustum me, & te digniſſime condemnatum. Nemo enim
impiorum quamlibet ad uicia pronus sese in dei iudicio
poterit excusare, conscientia propria contestante, nihil
coactum feciſſe, nec ex ignorantia mali, sed tantum, quia
fidem uerbis dei habere noluit, & suis concupiscentijs
omnia deferre maluit quàm domino obedire.

22 Intelligite hæc qui obliuiscimini deum:
ne quando rapiat, & non sit qui eripiat.

Monet tandem impios & hypocritas, ut iam nunc tan
dem hæc intelligant & cognoscant. Deum mature ad-
huc omnis prauitatis pœnas exacturum, quo corripien-
te nemo eripiet. In tempore reminiscantur iustitiarum
dei, non obliuiscantur iudiciorum dei, quæ uident & au
diunt quotidie. Non aliter cum illis dominus aget quàm
pro more consueuit cum omnibus impijs & tyrannis.

23 Sacrificium laudis honorificabit me: & il
lic iter quo ostendam illi salutare dei.

Si quis me digne honorare uoluerit nō pecuinis hostijs,
sed gratiarum actione et laude bonitatis ex fide me cele-
bret. Non enim hæc est uia cōplacendi mihi, & assequen
dæ salutis, mactare iumenta, & cruorem effundere, uel
cornibus ararū illinire, sed confiteri domino suā bonita-
tem, credere ueritati, obedire præceptis dei, ex illo pen-
dere, & optare eius gratiā. Qui tales fuerint, salutē do-
mini sentient, & feliciter perfruentur bonis semper.

PSALMVS LI.

**In finem Psalmus Dauid, cum uenit ad
eum Nathan propheta, quando intrauit
ad Bethsabee.**

Quando ueluti ad portum fidutiæ Dauid peruenit,
post uictoriam de grauißima desperatione, qua tentatus
fuerat propter peccatum grauißimum, quod non antea
digne ponderauit, tanta carnis libidine alienatus animo,
non breui tempore, sed post scriptam epistolam, & ten-
tatum pariter ac occisum Vriam, donec ingrederetur ad
eum Nathan propheta, propter peccatum quod admise-
rat in Vriam, ingressus fedo concubitu ad Bethsabeam,
tunc primum resipiscens cecinit hunc Psalmum. Quan
tumlibet enim sanctus sit aliquis, & homo secundū cor
dei, si sibi permittitur, & dei gratia non præuenitur, non
solum grauiter peccat, sed etiam non resipiscit, nec corri
gitur. Hic itaq; consideranda in primis est clementia dei,
qua seruum tanta impietate peccantem, & tam diu non
resipiscentem, non tamen abijcit pœnitentem, à prophe
ta domini admonitum. Si quis igitur Dauidem peccan-
tem cogitans, & dominum miserantem, prætexere pec-
catis suis uelit, is pariter Dauidis pœnitentiam consy-
deret perfectam, & quas pro peccatis calamitates mode
stißime deinceps tulerit semper. Miris autem affectibus
flagrat hic Psalmus, siquidem luctum & dolorem expri
mit, cum oratione feruente, humili, ac certa fidutia.

ARGVMENTVM patet ex iam dictis.

1 MIserere mei deus secundum (ma-
gnam) misericordiam tuam. Et se
cundū multitudinem miseratio
num tuarū dele iniquitatē meā.

Beneficentiam tuam & benignitatem, ô deus, à puc-
ro semper sensi in corporalibus periculis & tentationi-
bus, & eam maximam semper expertus sum, præter o- Deprecatio ingratitudi-
mnia mea merita. Nunc autem tam ingratus tibi depre- nis.
hensus sum, & tam horribiliter criminosus, ut gratiam
tuam maximam implorare cogar & misericordiam, qui
te offendi plurimum & supra modum. Magna miseri-
cordia tua iam nunc indigeo, quā humiliter & cum fide
confeßioneq; bonitatis tuæ & peccati mei nūc imploro,
non prouoco ad quæcunq; opera mea, sed ad abundan-
tiam gratiæ tuæ, qua præuaricationes meas non unam
sed multas sic deleas & abstergas, ut ad odium & dam-
nationem nunquam amplius illarum uelis recordari.

2 Amplius laua me ab iniquitate mea: & à
peccato meo munda me.

Multus esto in abluendo me ab iniquitate mea. Vehe- Confeſſio.
menter enim pollutus sum & abominabilis factus in con
spectu tuo, ꝓpter tot simul cōmissa mea crimina, ut præ
fœditate conscientiæ meæ uix me ferre queam: sed tuum
est clementißime pater, iterū abluere sordes tantas ini-
quitatum, magisq; ac magis laua me, & ab ingenti fla-
gitio meo me denuo expurga, nō imputando ad odiū &

gratiæ tuæ abnegationem, sed fidem & fidutiam repone, qua tibi placere ualeam & emundari.

3 Quoniam iniquitatem meam ego cognosco: & peccatũ meũ contra me est semper.

Causam indulgentiæ secundam post gratiam dei allegat pius, Quia agnosco, ait, & cõfiteor me plurimũ deliquisse, et miserrimum me sentio, quoties cogito tantam tuam bonitatem me uehementer indignißimeq; irritasse & offendisse. De quo nunc uehementer sic doleo, ut nihil præ cordis mei pœnitudine cogitare liceat uel libeat, mecũ iugiter pertractando quàm incondito crimine adulterium auxerim fidelißimi amici homicidio, & tanti temporis impœnitentia, donec tua me præuenires admonitione & gratiæ promißione ad primam tanti criminis agnitionem & humilem confeßionem.

4 Tibi soli peccaui, & malum coram te feci: ut iustificeris in sermonibus tuis (& sanctus fias) uincas cum iudicaris.

Verbi dei contẽptus.

Peccauerat quidem in fidelißimũ Vriam, & in totum exercitum, sed unum illud queritur, & amarißime deflet, quod uerbum domini contempsisset, bonitatem irritaßet, non illico resipuisset, pœnitentiam distulisset, peccatum peccato auxisset, & abusus fuisset bonitate dei, etiam illa qua peccatum illud potuerit occultare, & ea dißimulatione dei non permotum se ad tempestiuam pœnitentiam: nunc autem admonitus per prophetam à domino, orat ut uel ea ratione indulgeat, quatenus bonitate dei suum malum uincatur, & ita occasione peccati sui, dei iustitia, bonitas, gratia & clementia ad gloriam dei illustrior reddatur, dum illud sibi tantum peccatum indulserit, ut cum promißiones dei cum facto collatæ fuerint, omnes cognoscant te pœnitentium susceptorem, quamlibet grauiter peccauerint. Ob id tamen nemo gloriæ dei zelator præsumet peccata admittere, quo deus illa condonando euadat glorioßior, sed potius nulli rei ex animo studeat, quæ non sit iusta, sancta & dei legi conformis: de quo Paulus ad Romanos ex hoc loco.

5 Ecce eñ in iniquitatibus conceptus sum: & in peccatis concepit me mater mea.

Corruptelã peccati.

Tanta corruptela peccati contaminata est natura humana, dum concipitur & fingitur, ut cõtinuo & statim illam occupet peruersitas, quam omnes sentimus, & expugnare tota nostra uita lege cogimur. Eam sanctus queritur sibi quoq; imposuisse, seq; uicisse, ut non leui delicto sed grandi crimini ipsum impulerit, quam nunc dominus remittere uel ea ratione dignetur, quod nõ ex malitia & contemptu, sed ex fragilitate carnis & horrore diffamationis tanti mali permotus fuerit ad designandũ peccatum tam prius quàm posterius.

6 Ecce eñ ueritatẽ dilexisti: incerta (intimis) & occulta sapientiæ (tuæ) manifestasti mihi.

Cum ad malum propendeant omnes sancti, qui ab eo quod ficti sunt praui sunt & impuri, merito inuocandus est deus, ut nouo suo spiritu imbuat pectora ipsorum, ut certa & solida iustitia intima electorum obtineat, ut nulla praua cogitatiuncula locũ obtineat uel sedem, ueritas autẽ in intimis cogitationibus & affectibus regat omnia, spargatq; omnes reliquas uires suas in animum, ut fructus tandem iustitiæ proferatur. Quod Hebræi interpretantur intima uiscera hominis, alij Renes, id priscus pie reddidit ad iustam sententiã, inuisa, incerta, & quod sequitur Abscondita, quæ eadem sunt, per spiritum sanctum à domino sanctis reuelanda & discenda.

7 Asperges me hyssopo, & mundabor: lauabis me, & super niuem dealbabor.

Huic doctori deo sese aliquandiu subduxerat, et á firmitate uirtutis defecerat, totusq; fuerat commaculatus, ideo nunc dominum orat pro plena remißione peccati, quam significare instituerat dominus, aspersione illã legalẽ, in solemni sacrificio pro peccato, ubi hyssopus adhibeatur, & aqua lustrationis ex cinere oblati hirci pro peccato. Reuera autem intelligebat meritum hirci illius Christus hircus. sanctißimi Christi domini, cuius solius aspersione sanguinis emundantur peccata omniũ electorũ, & super niuẽ dealbãtur cõscientiæ, nullius reatus maculis denigratæ.

8 Auditui meo dabis gaudium & lætitiam: (&) exultabunt ossa humiliata.

Gaudium pœnitentis.

Vera animi puritate consecuta, plena scilicet remissione peccatorũ, restitutoq; fauore dei, indicibili gaudio animus exultat, adeo ut & per omnia corporis membra gaudium peruadat, quod est exhilarari ossa, nullius occulti criminis conscientiã ferre, sed syncera pectoris innocentia tutum esse. Nec aliter fideliũ conscientiæ consolantur, nisi audientia & credulitate uerbi dei syncerioter prædicati, pro quo dominus sit solus exorandus, quo absente nihil efficient humanarum traditionum obseruantiæ superstitiosæ quæcunque.

9 Auerte faciem tuam à peccatis meis: & omnes iniquitates meas dele.

Eandem precem gemminat, quò animi sui ardorem significet, & quàm nobis dolere peccata debeant, docet. Abscondere deum faciem à peccatis, est dißimulare fragilitates peccantium, & non irasci, uel uindicare duriusuelle transgreßiones fideliũ propter fidẽ & pœnitentiã ex fide. Delere iniquitates, est non imputare ad pœnam.

10 Cor mundum crea in me deus: & spiritũ rectum innoua in uisceribus meis.

Remißio peccatorũ.

Canendo docet quæ sit uera peccatorum remißio uel ablutio, & quo pacto fiat. Dum enim cor purũ deus donat, qui solus potest, à quo solo petendum, & spiritũ rectum ac rectum, quo non libeat unquam, nisi quod sanctum est, quod deo gloriæ, & proximis sit saluti, in nos innouat, uerè peccatis abluti erimus, nõ nostris operibus quæ quantumlibet bona sint de genere uel circunstantijs, habẽt tamen aliquid impuritatis, & resipiũt amorẽ sui, & à iudicio dei ueniunt improbanda: quanquã per dei clementiã, meriti quoq; ratione non careãt, non tutate quacunq; operis, sed gratuita acceptione diuina.

11 Ne proijcias me à facie tua: & spiritum sanctum tuum ne auferas à me.

Reuocatio ad dei.

Renouati per dei gratiam non solum non proijciuntur à facie domini uel condemnantur, sed in numerum potius filiorum dei cooptantur, donati spiritu adoptionis, & fidutia conscientiæ in bonitatem dei per Christi merita,

meritâ, quo ſpiritu non tantum clamant Abba pater, ſed opere quoque perficitur domini ſacroſancta uoluntas, idq; perſeueranter. Non enim qui uere ſpiritũ ſanctum aſſequũtur, denuo incidere poſſunt in damnationem, ut pereant unquã ad mortem. Exemplum fidelibus poſitus eſt Dauid fidelis electus, quanquã peccator nõ uulgaris, ſed cooperabantur ei omnia, etiã peccata, in bonũ, quia electus & ex filijs dei per fidẽ, quam et perfectã habuit.

12 Redde mihi lætitiam ſalutaris tui, & ſpiritu principali confirma me.

Is autem ſpiritus filiorum dei rectus & firmus conſcientiam ſanctorum lætificat, nõ ad gaudium carnis, ſed ad fiduciam certiſſimã mentis, qua ſe ſaluandum per dei gratiam non dubitat, ut de meritis quoq; ſuis nihil præſumit. Qui & liberalis dicitur, ſingulariq; facilitate, decoro, miraq; gratia, dicta & facta ſanctorũ abſoluit & expedit. Principalis quoq; dicitur, quia hominem facit ſui iuris, & cupiditum noxiarum dominum, liberum et alacrem, ut ad omne opus bonum, etiã carne reclamante perrumpat magnifice. Tali ſpiritu nimiũ diu & uoluntate Saul deſtitutus erat, uerbum domini contemnendo, Dauid autem ad horã egre deſtitutus, precatur nunc ſibi eum reſtitui, quo & ſuſtenteur, & in omni bono confirmetur, quo abſente nimirũ reprimitur uigor et alacritas ad opera ſancta, ſtupet mens, lãguet animus, iacet omnis bona actio, ſed et corpus ipſum inerti grauedine torpet. Iungit aũt ſalutis lætitiã cũ ſpiritu liberali, quia fructus ſpiritus eſt gaudium de bonitate dei ſine trepidatione.

13 Docebo iniquos uias tuas: & impij ad te conuertentur:

Hoc eſt, Dabo operam, ut uias tuas & beneplacitum, non ſolum ipſe ſecter & impleam, ſed et alios in eas adducam, citraboq; ut ad te cõuertantur, quoſcũq; adhuc peccata abs te alienauerint. Aptior enim ero doctor peccantium & pœnitentiũ, quàm ſi nunquam peccaſſem, ſicut & apoſtoli Petrus & Paulus.

14 Libera me de ſanguinibus deus, deus ſalutis meæ (&) exultabit (cõcinet) lingua mea iuſtitiam tuam.

A reatu ſanguinis quo Vriam te alios neci dederat ad tegendum flagitium ſuum, magno affectu orat liberari: grauiſſimus eſt enim reatus, ſanguinis innocentis effuſio. Hinc eſt illa gemminatio, Deus deus meus. Et exultabit lingua mea, id eſt, maximo affectu hinc tuam bonitatem prædicabit lingua mea, dum hoc me reatu abſoluerit. Deprecatur autẽ non omnem pœnã tanti reatus, ſed mortis, qua opus dñi qđ inſtituerat fuiſſet interceptũ, et maxima impiorũ ſucceſſiſſet lætitia, et ſcãdalũ electorũ.

15 Domine, labia mea aperies, & os meum annuntiabit laudem tuam.

Temeritate noſtra aperimus labia ad uanos ſermones & noxios, uerã autem & deo dignam laudem effari nõ poſſumus, niſi ipſe labia noſtra aperiat, pro quo & ſemper orandus. Semper quoq; ſtudendum pijs ut ex uerbis eorum fructus prodeat & utilitas, in gloriã dei & ædificationẽ proximi. Fortaſis iam longo tẽpore Dauid ſenſerat ſe ineptũ ad dei laudes, quem cogitare ſine horrore nõ poterat, nec niſi præuẽtus dei gratiã pro uenia digne exorare, ſic ipſum domino etiã per peccata exercitãte: nunc uero poteſt orare talia, quia exaudiẽdus iam erat.

16 Quoniam ſi (non) uoluiſſes ſacrificiũ dediſſem (etiam ſi dedero utique) holocauſtis non delectaberis.

Si cognouiſſem tantopere te exigere & ſerio pro peccato meo ſacrificia pecudum, facilè plura reddere poteram, etiam de proprio rex tantus: ſed id ſciebam, ut omnes ſancti & uere fideles, non te magnificare huiuſmodi cultum & operas. Noui autem quod tibi in primis placet ſpiritus contritus & humiliatus: & ſacrificio laudis te uis & obedientia prompta placari, non etiam multis uerbis & pollicitationibus uel uotis.

17 Sacrificiũ deo ſpiritus cõtribulatus: cor contritũ & humiliatũ deus non deſpicies. Spiritus cõtritus.

Placet tibi ſacrificium ſpiritus contriti & humiliati, & cordis deiecti, nimirum ob peccatũ & offenſam dei, non timore pœnarum. Ex huiuſmodi autem contritione, cum fide uera, naſcitur ſacrificiũ laudis. Bonitatẽ enim dei nulli alij uerè percipiũt, quàm qui fuerint ante probe afflicto & contrito ſpiritu, ideoq; nec digne eam poterunt prædicare. Tantæ uero bonitatis & clementiæ deus eſt, ut non poſſit non reſpicere ſuper contritum, & trementem ad ſermonem ſuum, ſuper dolentem ſe peccaſſe, & indulgentiam poſtulantem.

18 Benigne fac dñe in bona uoluntate tua Sion (ut) ædificentur muri Ieruſalem.

Quaſi iam illico ſpiritus ſacer redierit, ſicut & eodem carmine hoc cecinit, ſic prophetaſſe uidetur de futuris Chriſti temporibus, quibus uerè Ieruſalẽ ciuitatis muri extruendi erant, maxima cum gloria dei, & Dauidis filij Chriſti domini, eccleſia ſcilicet fideliũ in ſpiritu fide & charitate digne colentium deum: cuius gloriæ typum gerebat Hieroſolyma, templum, ſacrificia, regnum, & maieſtas. Quæ omnia pariter perdenda formidare poterat Dauid propter peccatũ ſuum, ſicut uiderat Saulem propter leuiora peccata reiectũ. Orat igitur nunc, ut nõ obſtantibus peccatis ſuis, regnũ, populus, urbs, & promiſſio Chriſti, nõ male habeant propter ſe, ſed clementi bonitate ſua dominus proſequatur Zion ciuitatẽ Dauid & ſtatum diuini cultus. Vt ædificentur muri, id eſt, perficiantur & confirmentur munimenta ſui populi, pax quoq; & ſalus ciuibus conſeruetur. Pœnitentis ſpiritus ſanctus.

19 Tunc acceptabis ſacrificium iuſtitiæ, oblationes & holocauſta: tunc imponent ſuper altare tuum uitulos.

Denique orat, ut ſacrificia piorum, tam tunc carnalia, quàm ſpiritualia offerenda à populo nouo: uituli ſcilicet labiorũ, & ſacrificia iuſtitiæ, clementer ac fauorabiliter ſuſcipiat, et grata habere dignetur, tam pro ſe quàm pro populo dei uniuerſo. Quandoquidem aliud offerre non poſſunt, niſi obedientiæ affectũ, obſeruantiam legis ſuæ, & reuerentiã ad uerbum illius: ea ſacrificando, quæ dñs præcepiſſet, & boni conſulere ſtatuiſſet, holocauſta ſcilicet & ſacrificia totaliter deo concremanda, & boues, donec in Chriſto dño oĩa abſoluãtur tempore deſtinato. Sacrificia piorum.

PSALMVS LII.

In finem intellectus Dauid, cũ uenit Doeg Idumæus, & annuntiauit Saul, & dixit, Venit Dauid in domum Achimelech.

Impiißimus fuiſſe deſcribitur Doeg uerbis & operibus, cum tamen religioſis ceremonijs ſeſe delectari oſtenderet, & loco ſancto frequentior cæteris adeſſe ſcribatur. Cum enim audita innocentia Achimelech, nemo ſatellitum Saulis manum mittere uoluiſſet in domini ſacerdotes, hic Doeg quos unus accuſauerat, unus omnes crudelißime occidere auſus eſt: primum quidem octoginta quinq; ſacerdotes, deinde cunctos oppidanos, uiros, mulieres, & paruulos, crudeli regi miniſter crudelior. Interea tamẽ mentiebatur pietatem factis, reuera autem ſeruum domini Dauidem apud Saulem conſilijs & ſtudijs ſemper perſequebatur, naturam oſtendens hypocriſis, quæ tum maxime in innoxios ſæuit, cum uideri uult ſingulariter religioſa. Idumæus dicitur, uel quia inde natus, uel aliquando conuerſatus, aut alia ratione.

ARGVMENTVM. *Inuectio eſt contra infeſtatores iuſtorum: quorum Chriſtus & Dauid exemplar, Doeg autem & Iudas impiorum ſunt figuræ.*

1 QVid gloriaris in malitia, qui potens es in iniquitate? Tota die,

Aliter quidem Hebræi nunc diſtinguũt & legunt, cum tamen priſcus interpres ſecundum ſuam lectionem & eruditionem perfecte tranſtulerit, religioſa ſententia. Gloriabatur quidem Doeg impius de peracta cæde ſacerdotum, & magnifice ſibi de ſucceſſu rerum ſuarũ placebat, pro quo hic à Dauide traducitur, qui cõtra uiciſſim gloriatur de dei bonitate, dicens ſecundum Iudæos: Quid gloriaris in malo ô potens, beneficentia dei tota die? Quaſi dicere uolens: Qui tibi uideris omnia poſſe contra nos innoxios, tuæ et tui ſimilium libidini ad tempus expoſitos, dei tamẽ bonitas & gratia omni die nobis præſto eſt. Dictio autem חסד non raro etiam uicium, crimen, uituperium ſignificat in Lege, Prouerbijs, & Iob, quo ſenſu erudite ſatis hic priſcus tranſtulit Potentem in iniquitate, uerſuq; aliter diſtincto addit, Per totam diem iniuſtitiam cogitauit lingua tua &c. Ne quis credat imperitũ fuiſſe priſcum interpretem, cuius temporibus fortaßis ſuo more legebatur, citra tamẽ ſententiæ corruptelã perniciosam fidei.

Vetus interpres.

2 iniuſtitiam cogitauit lingua tua: ſicut nouacula acuta feciſti dolum.

Quod canit linguam impij noxia meditari: quod proprie cordis eſt linguæ tribuit, eo quod per linguam pernitioſæ cogitationes proferuntur & produntur. Addit facere fraudem uelut nouaculam acutam, quæ ſcilicet ſi uel leuiter eam contingas grauiſſime uulnerat, ita quem ille dolis ſuis aſſequi potuit, eum prorſus internetioni exponit. Sic ex perſecutoribus Dauidis Doeg non parum incubuit ad perditionem, ut uideatur cum Abner fuiſſe cauſa furiæ Saulis contra electum domini.

3 Dilexiſti malitiam ſuper benignitatem: iniquitatem magis, quàm loqui æquitatẽ. Sela.

Nedum Doeg ipſe, ſed impij omnes & detractatores, totos ſe malo dedunt, ut ſi nihil etiam referat, gratis omnes malint nocere quàm benefacere, mẽtiri quàm iuſta loqui. Quæ quia immanis & ſtupenda peruerſitas eſt, ideo adiectum eſt Sela.

4 Dilexiſti omnia uerba præcipitationis, lingua doloſa:

Quicquid proximum quamlibet innocentem & immeritum præcipitare poteſt & perdere, damnis ue grauiſſimis inuoluere, hoc tibi placet, id diligis, huic malitiæ ſtudes, totus impius & crudelis, nec aliud ore profers, quàm detractiones, dolos, diffamias, & calumnias. Aliàs tam perniciosam linguam & mentem, ſepulchro aperto ad omniũ deuorationes comparauit. Eſt enim infernorum centior, qui non niſi à domino digne iudicatos arripit, impij aũt illi nõ niſi innocentißimus imminẽt ad damnũ.

5 Propterea deus deſtruet te in finem: euellet te, & emigrabit te de tabernaculo (tuo) et radicem tuam de terra uiuentium. Sela.

Vitio impij.

Memorat ultionem de hoc improbo ſumendam, quam iam tunc præuidebat, cum contra eum indubie dominũ precaretur, audita ſacerdotum crudelißima ſtrage. Voluit ipſum cum omni ſua poſteritate abſumendum canere, qui tot patres cum filijs & infantibus trucidaſſet, à deo electam & conſecratam familiam, ideo tam uehementibus metaphoris demolitionis et abolitionis utitur. Summa enim dei bonitas ſumme execratur nocendi ſtudioſos, ac tandem penitus abolet. Id uoluit Dauid ſua compia, & hiſce præduris translationibus exprimere, quod ait, E tabernaculo, è domo & familia ſuperſtitẽ nullum tibi relinquet, ſed radicitus extirpabit, tam ſanguinolentam progeniem, propterea denuo Sela iungitur.

6 Videbunt iuſti & timebũt, & ſuper eum ridebunt (& dicent:)

Poſt ſumptam ultionẽ de ſcelerato, nunc canit promotionem iuſti, & ſtudioſorum iuſtitiæ in timore dei, et reuerentia, & iuſtam materiam dat ridendi improbos. Quaſi dicere uelit, Suo autẽ tempore ſtabunt iuſti in magna conſtantia, aduerſus eos, &c. Interim tamen etiam illorũ pœna ſibi occaſionem timendi arripient, quo minus eiſdem aliquando comparentur & aßimilentur, ſed alieno malo cautiores reddantur, ne quos nunc ridere poſſunt, aliquando æmulentur & probent.

7 Ecce homo qui non poſuit deum adiutorem ſuum, Sed ſperauit in multitudine diuitiarum ſuarum (&) prꝙualuit in uanitate ſua.

Verba recitat, quibus riſerint illum, qui opibus ſuis & dolis plus quàm deo fuerit magis fiſus: quaſi dicerẽt, Ecce quantus nũc ille eſt potentißimus olim dux et princeps paſtorum, gratißimusq; tyranno ſatelles, qui nihil prorſus curauit de deo, ſed fiduciam collocauit in fortitudinem ſuam, in diuitias, in truculentiam, & in dolos ſuos, & atrocitate ſua ualuit tantopere contra innocentes? Videtur enim hic prædictum tam atrox & publicum exterminium impij illius ac inſigne, ut in publicum ſermonem abierit, & in exemplum ſingulare.

Ego

8 Ego autem ficut oliua fructifera in domo dei, speraui in misericordia dei in æternũ, & in seculum seculi.

Seipsum commode opponit improbo, ut qui domini bonitate fuerit perpetuò confisus, nunc non aliter se habeat quàm frondosa olea, fecundißima baccis, plantata in domo domini. Quanquam enim Doeg & sui simules religionem simulent, frquẽtes in loco orationis, ut appareant hominibus orantes, non tamen fructus aliquos pietatis unquam proferunt ueros, ideo tandem extirpantur. Dauid autem semper uirens & florens per seuerãs, fructus suos profert in tẽpore, sic radicatus in domo dei, ut excindi non possit, nempe de numero electorum. Habitare autem in electorum ecclesia, aliud non est quàm confidere in gratiam dei, & à spe illa nunquam excidere, sed usq; in finem perseuerare, ut saiuus fiat.

9 Cõfitebor tibi in seculum quia feciſtis: & expectabo nomẽ tuum, quoniam bonum est in conspectu sanctorum tuorum.

Dum sic perit impius in se & posteritate sua, pij celebrant dominum, uindicẽ ueritatis & iustitiæ, indiesq; proficiunt in timore dei, & spe, totiq; pendent ab illius uirtute ope fauore & gratia. Eo quod bonus cum sit, et fons bonitatis, semper expositus est ad benefaciendũ in se confidentibus sanctis, quantumlibet aliquando eos tentari sinat in ipsorum commodum.

PSALMVS LIII.

In finẽ pro Mahalat intelligentia Dauid.

Differt hic titulus ab eo qui præmittitur Psalmo quartodecimo, cum Psalmus ferè idem habeatur, pauciſſimis uerbis mutatis, sed non sententijs. Quid uero Mahalat dicatur, dũ nihil certi Iudæi tradant de eo, non est ut multum laboremus. Sunt qui musicum instrumentum sic dictum asserant.

ARGVMENTVM. Impios omnes esse qui dei timorem simulant potius quàm habeant, salutem autem piorum esse à domino.

1 DIxit insipiens in corde suo, Non est deus. Corrupti sunt & abominabiles facti sunt in iniquitatibus: non est qui faciat bonum.

Qui reuera stulti sunt, quamlibet sibi sapientes uideantur, hi sibi persuasum habent in conscientijs, et efflare non erubescunt, nullum esse deum qui omnia moderetur, & rationem habeat eorum quæ fiunt ab hominibus. Ideoq; mirũ non est, si toti corrupti sint, et omnia perperam agant, & quicquid de deo, uirtutibus, & pietate dicitur, hoc abominantur et floccipendunt, nihili habentes, & abominabilem omnibus pijs & sapientibus hominibus uitam agunt: legum prœuaricatores, & oppressores omnium quibus possunt prœualere: tantum abest, ut quicquam boni agere uelint uel possint, fide & humanitate destituti.

2 Deus de cœlo prospexit super filios hominum: ut uideat si est intelligens (aut) requirens deum.

Non sic impij non sic, Dominus est uniuersorum, solus à se habens esse, omnibus existentiã dans, et actionẽ, à quo pendent omnia. Is posuit in cœlo solium suũ, et sceptrum tenet terram totam pedum suorũ. Vt uero altißimus sit, omnia tamen implet, & humilia respicit etiã in terra. Hic prouidentia sua omnia contemplatur & ordinat, specialiter autem hominum uota & actiones intuetur et prospicit: animaduertitq;, si quid bene fiat aut perperam, si quis intelligat se unde sit, & à quo pendeat, cuius beneficio uiuat, et omnia possit quæ agit, si quis ex creaturis tam insignibus creatorem agnoscere uelit & possit, & pro uiribus colere cum pietate. Prouidẽtia dei.

3 Omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt: non est qui faciat bonum, non est usq; ad unum.

Prospiciens autem per singula, in primis autem nobilißimam creaturarum hominem, quem quidem à principio rectum cõdiderat, sed legẽ domini prœuaricatus, sdeclinauit ab originali iustitia, et per singulas potentias naturales corruptionem incidit sua culpa, ut proprijs iam uiribus nihil prorsus boni peragere possit, quicquid agit polluitur fascino proprij priuatiq; amoris. De qua male dictione primi hominis, nemo exceptus purus homo inuenietur, ne unus quidem. Omnes enim quantũ ad naturã huiusmodi egent gloria dei, ut illis misereri dignetur.

4 Nónne scient (omnes) qui operantur iniquitatem, qui deuorant plebem meã ut cibum panis? Deum non inuocauerunt:

Vtcunq; nunc impij negent deum & prouidentiam summam, olim tamen experimento discent, & scient se nunc esse operatores iniquitatis, dũ proximos suos contra communem sensum, contra rationem et charitatem, persequũtur, et longè secus tractant fratrẽ, quàm uellẽt tractari ab alijs. Maxime uero innocentes opprimũt, & mansuetos, qui sunt spirituales filij dei & pacifici, quos non sinunt uiuere quietos, minime lacessiti ab illis: quiq; dum hæc agunt, deũ nec timent, nec colunt, nec inuocãt.

5 illic trepidauerunt timore (ubi) nõ erat timor, Quoniã deus dissipauit! ossa eorum qui hominibus placent: cõfusi sunt, quoniam deus spreuit eos.

Omnis illorum solicitudo est tantum in bonis externis, sanitate, uita, diuitijs, gloria, honore, & fauoribus: quarum omnium nihil est in eorũ potestate, sed ab alijs imò à deo hæc omnia pendent, quem omniũ minime metuunt, quem unice reuereri deberent, cuius prouidentia omnia moderantur. Qui & huiusmodi hominum fiduciam & institutum, robur & fortitudinẽ, substantiã & statum, unico suo nutu dißipat, factoq; se esse ostendit impijs, quod nunquam credere uoluerunt, & cum tuto se agere omnia credunt, & progrediuntur in peßimis studijs, subito deus confundit illos, non tantum coram hominibus in hoc sæculo damnandos & maledicendos, sed & ipse dominus abominatur illos, & interitu sempiterno iudicat atq; condemnat. Fiducia in temporalibus.

6 Quis dabit ex Sion salutare Israel? cum conuerterit deus captiuitatẽ plebis suæ, ex ultabit Iacob (&) lætabitur Israël.

Tales impios hodie mundus totus fouet, qui nihil aliud cogitant quàm supplicium imposturas & oppressiones, ut quisq; pietati magis studuerit, tanto ab impijs magis ridetur, affligitur, & calcatur. O utinam aliquando per uerbum domini erudiatur sic sæculum, ut si nõ omnino deesse possunt impij in hoc mundo, saltem non imperent pijs, uel impediant ueritatem uitæ & doctrinæ, ut Israëlitæ ueri secundum fidẽ in unitate charitatis & fidei congregentur, et ecclesia dei eripiatur à captiuitate errorum, ut totus fideliũ populus aliquando pariter gratuletur de generali salute, toti mundo præstãda, per Saluatorem mundi Christum domini.

Vt non sint impij.

PSALMVS LIIII.

In finẽ in carminibus intellectus Dauid cum ueniissent Ziphęi, et dixissent ad Saul, Nónne Dauid absconditus est apud nos?

Præ cunctis alijs hostibus Dauid Ziphæi Carbonarij ipsum periculo maiori exposuerunt non semel, ut patet ex primo libro Regum 23. 26. Non igitur mirum si è tantis periculis diuina ope ereptus, de huiusmodi euasionibus tam miraculosis sacra carmina cecinerit non raro. In his quoq; typum Christi prætulit, indeq; exemplo est Christianis, quos simili ratione dñs subinde exercet.

ARGVMENTVM. Oratio iusti aduersa patientis, & exauditio.

1 **DEus in nomine tuo saluum me fac: & in uirtute tua iudica me.**

Quandoquidẽ sentio me destitutũ omni humano præsidio, dum omnia quæ circum me sunt mortem mihi intentant, & fiducia operum & iustitiæ non solatur, nihil superest, quàm ut te dominum deum meum inuocẽ, ut propter gloriam tui nominis, tua me uirtute salues, & fortitudine tua potentior sis hostibus meis, deq; ipsis me uindices & iudices causam meã, quam illis quidem comparatus ferre potero, non autem simpliciter iudicio tuo & innocentiæ meæ meritis expendendus.

Vires humanæ.

2 **Deus exaudi orationem meam: auribus percipe uerba oris mei.**

Clementiam tuam appello, ut inuocantem amicum tuum & electum exaudias & deprecantem, & non dissimules tantum periculum sed auribus percipe, & ausculta eloquia oris mei, ut succurras misero, et tibi meas angustias animi & corporis conquerenti.

3 **Quoniam alieni insurrexerũt aduersum me, & fortes quæsierunt animam meã: & non proposuerũt deum ante conspectum suum. Sela.**

Alienos queritur contra se insurrexisse, cũ illi Israëlitæ essent, sed tantum carne, uerè tamen hostes, & usque ad mortem persecutores: unde subiunxit, Non posuerunt deum in conspectu tuo: hoc est, nullam habuerunt rationem uoluntatis diuinæ. Deũ nanq; credidisse, eiusq; metu teneri, non finit innocenti negotium facessere, ne dum quærere ad mortẽ. Vt ergo inexplicabile malum, omniumq; scelerum fons est, non habere ob oculos deum, ita Sela hoc quoq; loco ascribitur.

4 **Ecce (enim) deus adiuuat me (&) dominus susceptor est animæ meæ.**

Consolatio Dauidi fuit, quòd & ipse sciret se dei esse, & aduersarios nosset alienos à deo, & immanes persecutores, ideo de adiutorio dei certus canit, qui sustentaturus sit sine dubio uitam suam, & ab omni periculo liberaturus. Dominus, dicit, susceptor est animæ meæ, clarosensu & simplici, cum Hebræus legat, Dominus cum sustentantibus animam meam: hoc est, cum paucis illis, qui ipsi bene uolebant, dominus futurus erat, ut ipsum suffulcire potuerint & tueri.

5 **Auerte mala inimicis meis: & in ueritate tua disperde illos.**

Contra impios quo modo orandum.

Repende impijs osoribus meis malitiam suam, qua contra me machinantur. Hoc enim orare potuit ad illorum exercitum, si quo modo admoniti resipiscerent, & desisterent à persequendo. Sed in futuro tempore legi potest, quasi prædicendo malum, quod illos suos hostes esset suo tempore oppressurum. Omnino enim dei circa se gratia dubitare non poterat, promissáq; æternæ ueritatis excidere, quibus necesse erat impios aliquando exterminari & perdi. Dicuntur autem hic hostes שוררים, qui diligenter circumspiciunt ad omnẽ oportunitatem nocendi.

6 **Voluntarie sacrificabo tibi (&) cõfitebor nomini tuo domine quoniam bonum est.**

Spontanei sacrificij.

Spontanei sacrificij meminit, quod erat gratias agentium de suscepta salute & beneficio dei, & nihil sibi prorsus uult arrogare meritorum, sed tantum confiteri bonitatem dei, illamq; omnibus spectatam reddi, ut omnes fideles pariter illi semper fidant, seipsos dedant, in quo digna erga deum gratiarũ actio sita est, quæ per sacrificia illa pacifica et salutaria testabatur, sicut & nũc sacrificio Christi, in quo illa perfectè exhibita est, & impetratus spiritus sanctificationis, quæ & in nobis ut locum habeant præludebant.

7 **Quoniã ex omni tribulatiõe eripuisti me & sup inimicos meos despexit oculꝰ meus.**

Perfecta fide cernebat gratiam circa se dei, qua & de præsentissimo periculo eximebatur mirabiliter, taq; fiducia fruebatur, ut despiceret omnes aduersarios, certus de euasione omnium malorũ, cui à domino tanta esset regni gloria repromissa, seq; nondum sensisset excidisse à fide in deum, qua extante pius periclitari non posset. Videre oculis, est etiam Hebræis dispicere, et mala imminentia præuidere.

PSALMVS LV.

In fine in carminibus intellectus Dauid.

ARGVMENTVM. Generalis quædam est querela de malitia impiorum, iustos persequentiũ: quod David multipliciter contigisse tota historia testatur, per omnem ferè suam uitam, ut & Christo domino, de quo huiusmodi omnia per anagogam exponuntur.

1 **EXaudi deus orationẽ meã, & ne despexeris deprecationẽ meam.**

Aures dei clementiã exprimunt, qua ad nos inclinata et adiuuante miseros, dñs nos audire

audire & exaudire dicitur orationes fidelium. Anxie ergo dominum inclamat, & ardorem uehementẽ precationis exprimit ad dñm, utq; non se gerat uelut homo occultans & abscondens faciem à deprecante, sed aspiciat potius sereno uultu placatus. Quanquam uero dñs nunquã auersetur preces piorũ, quandoquidẽ deo tantum digna postulant, & instinctu diuini spiritus agitati, tamen non minus orandus est, quia orare nos iussit, & docuit quomodo orandum. Dominus est enim & pater, utq; talis à nobis uult reuereri & inuocari.

2 intende mihi & exaudi me. Contristatus sum in exercitatione mea, & conturbatus sum.

Aliter sæpe priscus distinxit, & ut alicubi uidetur, commodius uersus Psalmorum quàm nunc Iudæi legunt: non facientes distinctionem titulorum à corpore carminis, ut hoc loco & sæpius alibi. Oro ut non dissimules necessitates meas, sed attende ad me calamitosum hominem, & responde flebilibus uotis meis. Quandoquidem præ nimio angore spiritus non possum uno consistere loco sed querulosa circumuagatione & assiduo ciulatu et perturbatione mecum colluctor, & uehementer perturbor: idipsum sane est quod dixit, Contristatus sum in exercitatione mea, & conturbatus sum.

3 à uoce inimici, (&) à (facie) tribulatione peccatoris. Quoniã declinauerunt in me iniquitates: & in ira molesti erant mihi.

Memorat indicibilẽ illam animi sui perturbationem, trepidationem, & mixtũ terrori dolorem, quo ferè examinabatur non raro propter hostium insultus tam Saulis quàm aliorũ faucium Sauli, quales erant ciues Ceilæ & Ziphei, qui declinauerãt ad firmandos hostes pravis consiliis, & ad subuertendum innoxium, quem onerant falsis calumnijs & accusationibus, ut iram prouocent regis alioqui irritati, & ex animo odientis & insanientis Saulis.

4 Cor meum cõturbatum est in me: & formido mortis cecidit super me.

Exaggeratio uera est terroris & angustiarum, quibus corda concutiuntur et tremunt, & metus mortis instantis, quem sæpe expertus, hic domino queritur, tam pro Saule quàm Achitophele acerrimis suis persecutoribus.

5 Timor & tremor uenerunt super me: & contexerunt me tenebræ (horrores.)

Timeo propter peccata mea grauia derelinqui à bonitate tua manibus iniquorũ, dum sic undiq; tremor apprehendit, ut qua euadam imminentes persecutiones nõ uideam, horror & angor totum me operiunt, ut præter solam in te meam fiduciam nihil superesit boni, nec euadendi consilium uel facultas.

6 Et dixi, Quis dabit mihi pennas sicut columbæ? (&) uolabo & requiescam?

Optat pennas columbæ, forte quod ea auis uolatu sit maxime pernici, ut eam accipiter assequi non facile possit, ut ex tantis malis in foramine aliquo tutior ualeat commorari. Quale aliud præter prouidentiã & gratiã circa se dei non inueniebat, quod & sufficiebat abunde, & omnibus obuium est fidelibus quamlibet anxiatis conscientijs.

7 Ecce elongaui fugiens (&) mansi in solitudine. Sela.

Coactus aula secedere, & syluis ac montibus refugiũ, & id denique incertum inquirere: dum aliud non datur quàm horridum desertum, habitatio ferarum, ut contra ferales hostes regem ac cõplices confugere cogar, ad consortium ferarum animalium, ut ursorum & luporum. Id quàm sit miserabile, uix potest exprimi uerbis, cogitatione tantum æstimandum, ideo Sela adiungitur. Quis enim uiri dei, & amici secundum cor dei tantas non admiretur angustias? Si enim sanctos hæc perferre oportet, quo iudicio deus improbos castigabit? Exiliũ Dauidis.

8 Expectabam eum qui saluũ me fecit à pusillanimitate spiritus (&) à tempestate.

Adhuc magis idem exaggerat periculum in quo fuit, cum uim & potẽtiam furiosam Saulis comparat uento extirpanti arbores, & omnia proterenti, ut nisi maxime festinetur non liceat effugere.

9 Præcipita domine, diuide linguas eorũ: quoniam uidi iniquitatem & contradictionem in ciuitate.

Tu domine deus age mecum pro tua potentia, præcipita cogitationes & consilia impiorũ contra me, siue Saulis, Doeg, Achitophel, siue aliorum, ne mihi nocent tanti hostes mei, diuide illorum linguas, discordias inter eos suscita, quo minus conspirare possint ad meum exitium: non secus atq; olim disturbasti institutum uanorum hominum, cum turrim Babel extruere tentãtes, diuisi sunt per linguas, ut mutuũ concordare nequiuerint. Nihil enim in societate hominum improborum locum habet, nisi iniuria & calumniæ. Contra linguas maledicas.

10 Die ac nocte circũdabit eã super muros eius: & iniquitas & labor in medio eius,

Siue Ceilæ ciues, siue Hierosolymæ cogites, intolerabili iniuria affecerũt Dauidem, illi quidem liberati à seruitute Palæstinorum, isti multipliciter exculti, & in gloriam exaltati regno Iudaico uelut metropolitani. Vtriq; uero fatali odio persequuti benefactorẽ innocentissimũ, idq; sine intermissione interdiu & nocte, quasi nullus ibi habitarit sensatus uel integer, sed mera calamitas & molestia.

11 (&) iniustitia (in medio eius.) Et non defecit de plateis eius usura & dolus.

Facile perpenditur neminem adfuisse pium, sed omnes fuisse ad fraudes, dolos, usuras, & pauperum oppressuram propensos, qui Dauidem agnitum uirum dei & amicum gentis, propugnatorem fidei & fidelium, non ueriti sunt tradere in manus crudelium hostium, & eijcere à regno sine omni causa, tanto tempore iustissime præsidentem sine cuiuscunque ciuis iniuria uel incommodo.

12 Quoniã (si) inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem (utiq;). Et (quoniã) si is qui oderat me, super me magna locutus fuisset: abscondissem me (forsitan) ab eo.

Videtur id de Achitophel proprie dictum, qui execrabilißima malignitate consuluit opprobrium grauißimum filio contra patrem, à quo nunquam fuerat ut hostis habitus, sed intimus consiliarius, & à secretißimis regi Dauid. Tanta, inquit, proditionis malignitas si accidisset mihi ab hoste, sustinuissem utique æquanimius. Quid enim aliud mihi fuerat ab hostibus expectandum quàm hostilia? Quæ si incidissem, nõ sine præuio timore faciem auertissem, uel me admonitus abscondissem ab ingruenti malo, & euasissem tanta discrimina.

13 Tu uero homo unanimis, dux meus & notus meus.

Plangit uicem suam indignam, qui cum consiliarium illum Achitophel in magno pretio habuerit, primariũq; amicum, & æqualem paremq; ut præceptorem & directorem digne coluerit & magnifecerit, iamq; nihil ei secretorum non crediderit, quandoquidem consentaneus per omnia uideretur, eiusdemq; tam instituti quàm ordinis, cui se totum ut familiarem concrediderit.

14 Qui simul mecum dulces capiebas cibos (secretum) in domo dei ambulauimus cum consensu.

Communio piorum.

Pariter condulcorabamus secretum, dulci uoluptate communicabamus mutuũ secreta. Is enim amicitiæ præcipuus fructus est, habere quo cum omnia audeas sic loqui ut tecum: & poscit hoc uera amicitia, ut amicus amicum nihil prorsus cælet. Habẽt amici omnia communia, & est amicus alter idem. Nec in prophanis tantum rebus, sed etiam in diuinis adeo coniunctus uixerat, ut domum dei in præcipuis festiuitatibus, & aliâs studio religionis priuato petierit, illi se potißimum adiunxerit orationis comitem, uel de rebus sanctis congerronem et consentaneum. Typum is perfectißimum prætulit Iudæ proditoris, & omnium qui cum sanctis perfide agunt.

15 Veniat mors super illos: (&) descendant in infernum uiuentes. Quoniam nequitiæ in habitaculis eorum in medio eorum.

Vltio in inimicos.

Precatur his uerbis inimicis suis ultionem & mortem, non animæ, sed corporis, ut ueniat siue feratur aut sit super eos iudicium dei iustum, & commodum gloriæ diuinæ, ut scilicet uiui infernum petant: hoc est, ut eos terra absorbeat, ne semper negotium faciãt super terram pijs uiuentibus, ut Core cum cõiuratis suis. Causam subijcit, Quia malum in conuenticulis & in intimis eorum, hoc est, planè deplorati sunt. Dum enim tales conueniunt, pernicioſum est quicquid commentantur, tantum enim malum alunt in animis.

16 Ego autẽ ad deum clamaui: & dominus saluabit me.

Dum nihil nisi perniciem ab istis expectare posset, ijq; tunc primores essent in populo, consequens fuit, ut dei solius opem pro more contra illos imploraret. Id canit hisce uersibus, & quidem magno ardentiq; studio, quia omni tempore firma fide consolatus se auxilium capessurum à domino, qui solus potest, & præsto est fidelibus in uocantibus bonitatem suam.

17 Vespere, & mane, & meridie narrabo & annuntiabo, & exaudiet uocem meam.

Orationis tempora.

Tempora quæ hic exprimit, sanctis ad precandum semper peculiaria fuerunt & sunt, ut intelligi poßit, certa & solita sua ad precandum tempora hic significasse, in quibus iam nihil aliud quàm ab hoste liberationem orare potuerit, & cum fremitu ingenti animi afflictione expressa, qua periculi significauit magnitudinẽ, statim consolatione consequente orationem fidei, quum cognouit in tempore sibi dñm affuturum, & hostes deiecturũ.

18 Redimet in pace animam meã ab his qui appropinquant mihi: quoniam inter multos erant mecum.

Reddita mihi ab hostibus pace redemit me dominus. Significare quidem potest bellum dictio קְרָב, sed rarius & per translationem: proprie enim & generalius signat appropinquare in bonam & malam partem, hic uero in malam, ut hostes accedere & cominus pugnare solent, à quibus se redimi optat & confidit. Qui demiq; aduersarij mei non pauci uel soli, sed cum multis nimiũ auxiliarijs copijs me sunt persecuti.

19 Exaudiet deus & humiliabit illos, qui est ante sæcula, Sela. Nõ enim est illis commutatio, & non timuerunt deum:

Fiducia & cautio.

Vtcunq; multi sint & fortes hostes mei, tamen oratem me exaudiet deus meus & fortitudo mea, respondebitq; illis iusta compensatione & uindicta illis digna. Is scilicet q tẽpus expectare potest, qui in cœlo æternitatis sedẽs, omnia ordinat, qui intuetur humilia in cœlo et in terra, idem semper manens, & prorsus immutabilis ac omnipotẽs, clemẽs & iustus, cui nemo se se subtrahere potest, nec temporis decursu obliterari nequitia, uel negligi uindicta. Hic quidem Sela ponitur præter morem Hebraicum in medio uersus, ubi rationabilius uersus finiendus, ueluti priscus interpres suo utitur habuisse in codice, fortaßis correctiore quàm Iudaici sint ab illo tempore in præsens. Verum codicum Iudaicorum lectionem in distinctionibus sectari maluimus, quæ ut plurimum certior habetur, sed non semper, etiam Hebræorum testimonio. Non est illis commutatio, non uidentur unquam mores & consilia hostes mei emendaturi, uel mutaturi in melius: nõ enim timent iudicia dei, humiliari se propediem non credunt.

20 extendit manum suam in retribuendo. Comtaminauerunt testamentum eius,

Notat adhuc hostium suorum perfidiam & blãditias. Perfidiam quidem, qui contra publicam fidem manum suam miserint uel nocituri extẽderint in pacificos suos, familiarißimos scilicet amicos suos, proditorio animo et studio persequendi quos debuerant defensasse. Polluit quoque hostis fœdus suum, infideliter egit, periurus & mendax. Facile est ostendere scripturis & historia, ubi & per quos Dauid hæc passus sit. Priscus hoc loco longe aliter legisse uidetur, ignorantia ei imputari non poteſt. Fortaßis רֵעַ pro רֵעֶיהָ, & pro singulari uerbo prophetico more plurale transtulit.

21 diuisi sunt ab ira uultus eius: & appropinquauit cor illius. Molliti sunt sermões eius

eius super oleum: & ipsi sunt iacula.

Hebræa habent, Blanditi sunt præ butyro ore suo. Ita scilicet uerba sua ad audientium animos & placita attemperarunt, sic pro cuiusq; uoluntate suauiter cadētia uerba adornarunt, ut oleo & butyro leuiora & sequatiora uiderentur, nihil scilicet habentes in se asperum, nihil quod offenderet, cum animo nihil nisi bellum moliretur, & ipsas suas blanditias uice gladiorū haberent, quibus quosq; perdere solebant. Priscus legit א nō post ב sed ante ם, scilicet אבירי pro בירי. Iacula dixit propter apertionibus, quia gladijs & ensibus corpora discinduntur & uulneribus diuiduntur.

22 Iacta super dominū curam tuam, & ipse te enutriet: non dabit in æternum fluctuationem iusto.

Seipsum consolando alloquitur uel animum suum, ut abijciat onus, curam, molestiam, metum & omnem cauſam in dominum, qui suffulciet eū ne cadat in manus hostium. Non sinet deus ut usquam pij uacillent, rerumq; suarum sint incerti & periclitantes: sinit quidem mergi, sed non submergi, præstat uires & sapientiam fidelibus ubi necesse fuerit, uictum denuq; & uitæ necessaria non negat, etiam si ad tempus tentet, & cōmoueri permittat, non tamen in æternum, non semper.

23 Tu uero deus deduces eos in puteum interitus. Viri sanguinum & dolosi non dimidiabunt dies suos, ego autē sperabo in te (domine.)

Prædicit uel precatur deijciendos in infernū ante tempus hostes suos præmatura morte rapiendos. Id enim significat per nō dimidiare dies suos, deploratos enim esse in spiritu agnoscebat. In his omnibus consyderandus est diligēter in Dauide Christi & Christianorum typus, quos ad eundem modum exercent filij satanæ: liberat autem & ulciscitur dominus.

PSALMVS LVI.

In finem pro populo qui à sanctis longe factus est, Dauid in tituli inscriptione, cū tenuerunt eum Allophyli in Geth.

Non parum aliter legitur in Hebræo, Ad uictoriam super columbam mutam in remotis, Dauidis insigne dum tenerent ipsum Philistijm in Geth. Vtriusq; intellectum non capio solide, nec Iudæi satisfaciunt, nisi quis Dauidem existimet se dixisse columbam mutam, & longe à se uel suo populo auolantem, ad Philistæos scilicet hostes. Priscus qd legerit nō satis diuinare possum, nisi quod pro אלם legit aliter punctatum לאם.

ARGVMENTVM. Oratio sancti Dauidis periclitati inter hostes, & de passionibus apostolico more gloriantis potius quàm querulantis.

1 Miserere mei deus, quoniam conculcauit me homo: tota die impugnans tribulauit me.

Quæ potuisset Dauidi contigisse cerrior mors q̄ cum agnitus est in aula regis Palæstinorum? quibus ducenta præputia abstulerat in gratiam Saulis cuius nunc iram fugere cogitur ad Philistæos? Sed suo more dominum fide firmissima inuocat, eiusq; gratiam implorat & assequitur. Absorptionem uocat summum incidisse periculū, quod priscus dixit Conculcationē & contritionem insignem, hominis maxime periclitantis, & sibi prospicere nō potentis. Sine intermissione se oppugnari & opprimi queritur, à Saule scilicet & assentatoribus, ut atrocissimos hostes ferre leuius habeatur. Summum periculum

2 Conculcauerūt me inimici mei tota die: quoniam multi bellantes aduersum me (ab altitudine)

O domine deus excelse, non est quem præter te nunc inuocare liceat, quandoquidem totus conculcatus et absorptus calamitatibus nunc mihi uideor ab his hostibus meis, qui diligentissime discutiunt & perquirūt omnes latebras Iudaicæ terræ, ut euadere illorū manus non sit spes aliqua ex homine. Multi sunt impugnatores innocentiæ meæ, quos nullis meis uiribus declinabo.

3 diei timebo: ego (uero) in te sperabo.

Vltimum prioris sententiæ nomen priscus retulit ad huius uersus initium, non incommoda sententia, quasi dicere uolens, Ab altitudine diei timebo, id est, in medio omnium prosperitatum, uel tota die, omni tempore, à mundi huius potentibus & clarissimis statibus mortaliū timebo, uel cogor timere, dum cogito potentiam aduersariorum & impiorū in hoc mundo. Verū in te sperabo, ut non confundar, sed in te uincam omnem potentiā satanæ & ministrorū eius. Hebræi uersum exponunt supplendo, ut dicant, Die quo timebo ego ad te sperabo: id est, in quacunq; calamitate formidabili recurram ad te, de cuius fide & gratia nihil dubito.

4 In deo laudabo sermones meos, in Deo speraui: nō timebo qd faciat mihi caro.

Omnis mea gloriatio est non in meritis uel iustitia, sed in uerbo dei, in promissis mihi à domino per Samuelem, quod magnifica mihi dñs beneficia exhibiturus sit, q̄ regnum præstiturus in sæcula sæculorum. Quid igitur obstat sperare in eundem, cuius uerbum ueritas est, & qui fallere nequit nec falli, in quālibet desperatissimis negotijs? Non ergo timebo mala domino mecum existente. Et carnem brachij humani non moror, quia dominus mecum. Cuius beneuolentiam perpendens uirtutem & ueritatem, periculis nullis perturbor ad desperationē, sed omnis à conscientia formido euanescit.

5 Tota die uerba mea execrabantur: aduersum me oēs cogitationes eorū in malum.

Quotidie illi hostes mei execrabantur & uilipendebant, imò damnabant tam uerba mea q̄ opera. Omnia mea studia in partem pessimam interpretabantur, studiumq; totum illorum in hoc erat, ut mihi obessent & malefacerent.

6 Inhabitabunt (&) abscondent: ipsi calcaneum meum obseruabunt. Sicut sustinuerunt animam meam,

Collatis omnibus suis studijs conuenientes insidias posuerunt ad me capiendum, diligentissime obseruauerunt semitas meas, inuestigando secessus meos, & fugæ meæ

secretiores semitas, seduloq; expectant & incumbunt contra animam meam, ut opprimant uitam, disperdant innocentem & benefactorẽ, unice desiderauerunt mortem & confusionem meam, egerunt ut nuspiam tuto consisterem.

7 pro nihilo saluos facies illos: in ira populos confringes deus, uitam meam anuntiui tibi.

Arbitrati sunt se euasuros omne periculum & infortunium, si me quomodocunq; tulissent, & peccando occidissent, salutem sibi speraucrũt ex mea miseria & perditione. At tu deus iusta seueritate impios istos populos omnes deijcies, & digne tractabis, iustum iudiciũ tuum impij persecutores mei experientur & ferent. Non ex ingnorantia puto, sed ob punctorum uariationem trãstulit Pro nihilo.

8 (Fugas meas enumeraſti tu) posuisti lachrymas meas in conspectu (utre) tuo. Sicut in (commentarium tuum) promissione tua.

Fugas meas enumeraſti tu ô domine deus, non ignorans quoties propter uerbum tuũ, quia me regem inunxisti, non mea culpa tyrannidem Saulis fugere coactus sum, tot tantaq; miseriæ quoties mihi amarissimas la-
Lachrymas collectas in utrem. chrymas excusserũt, quas tu numeratas guttatim reposuisti in lagunculã tuam, opportuno tempore cõpensaturus eas gaudio & iucunditate perfecta. Operantur enim supra modum in cœlis beatitudinem, pro gloria dei hic perpessæ calamitates. Priscus legisse uidetur פ נדדי fuga mea, חיי quod dicitur uitã meam: hoc est enim conuersationem meam, & quicquid in omni uita mea miseriarum pertuli, siue fugæ fuerint siue lachrymæ, uel alia grauiora pericula sanctorum.

9 tunc conuertẽtur inimici mei retrorsum, in quacunq; die inuocauero tetecce cognoui quoniam deus meus es.

Tandem impones finem malignitatis hostibus meis, miseratus patientiam meam, & innumeras calamitates. Conuertentur enim retrorsum, & peruersa spe sua omnes frustrabuntur, non enim non potes exaudire humiles preces meas, quas tu quoq; orandas suggessisti. Non fallitur unquam fides & spes fidelium in tuam bonitatem. Teipsum tuis negare non potes, certo certius mihi est, excidere non posse promissiones tuas, & gratiam tuam fidelibus negare non potes.

10 In deo laudabo uerbum, in domino laudabo sermonem.

Expertus Dei opem, & compos factus uotorum suorum ex certa fidutia de promissa ope, nũc iactat ad eundem modum se cum laude memoraturũ oracula dei, atq; de uerbo domini gloriaturum, nihilq; formidaturũ, cum fortiter nixum se sentiat deo. Vnica sanctorũ gloriatio est de ueritate uerbi dei, de infallibilitate & certitudine promissorum dei, unicum impiorum crimen & damnatio, est perfidia & negatio contra uerbum dei, quæ radix est omnium peccatorum.

11 In deo speraui, nõ timebo quid faciat mihi homo.

Non tam iactat suam fidutiam in deum, quàm docet hoc carmine omnes sanctos maxime placere deo, si illi fidatur, & credatur uerbo suo. Admit enim formidinẽ spes certa gratiæ dei, quæ & non confundit, certum reddens neminem excidere à salute per hominum quamlibet impiorum atrocitatẽ, cui dominus adiutorem se præstiterit. Non timendus est homo ei, cui dominus propugnatorem se præstiterit.

12 In me sunt deus uota tua, quæ reddã laudationes tibi.

Meum est statuere tibi digna uota, quibus oblecteris, & secundum uerbũ tuum, quæ proficere possunt ad sanctificationem tui nominis, sacrificia legalia ex fide & cum deuotione, non uota humana de rebus uel superuacaneis uel impoßibilibus, uel ad pietatem non pertinentibus. Reddam autem confeßionem bonitatis tuæ & celebrationem beneficiorum: reliquorum enim bonorum nostrorum non indiget, & non sibi per alia seruiri iussitnet, quàm quæ nobis perficienda commendauit.

13 Quoniã eripuisti animã meam de morte, & pedes meos de lapsu, ut placeam coram deo in lumine uiuentium.

Causam uotorum & gratitudinis adiũgit, quod à præsentißimis plerunq; periculis liberauerit, dederitq; gratiam uiuendi coram domino in omni iustitia & felicitate, tanquam in præsentia dei certo illius fauore frui per fidem firmam, & uicißim flagranti eius studio teneri. Et hi soli qui ita coram Deo agunt, ueram uitæ lucem obtinent.

PSALMVS LVII.

In finem ne disperdas, Dauid in tituli inscriptione, cum fugeret à facie Saul in spelunca.

Hoc quoq; loco Commentator Iudæus fatetur ignota sibi esse nomina inserta titulis Psalmorum. At certũ est, hunc Psalmum esse gratiarumactionem de gratia Dei, qua adiutus potuerit continere manus suas ab occisione Saulis regis à deo instituti & uncti, cum incidisset facilima uia & opportunitas. Non enim id humanis uiribus potuisset Dauid, & sine insigni beneficio dei, ipso Saule agnoscente inusitatißimam clementiã fuisse Dauidis, parcentis crudelißimo suo hosti, à quo ad mortẽ tandiu perquirebatur, cui tãtas locasset toties insidias. Pro hac animi celsitudine à deo sibi concessa, & simul pro liberatione à tot periculis, hoc Psalmo gratias agit, præmittẽs uno uerbo summã negotij, Ne disperdas, hoc est, pro eo quod non permissus est disperdere Saulem cum incidisset occasio, de qua legitur 1. Reg. 24.

ARGVMENTVM patet ex iam dictis.

1
Miserere mei deus, miserere mei, qm̃ in te confidit anima mea. Et in umbra alarum tuarũ sperabo, donec trãseat iniquitas.

Tantum abest ut glorier insolenter de opere perfectissimo uincendi meipsum, & de parcendo hosti truculentißimo superbiã, quasi id uiribus meis præstiterim, ut ea-
tiam dei clementiam mihi atq; misericordiam imprecer, qua

qua me dominus à peccatis tueatur, et signum bonitatis & beneficentiæ suæ non incassum susceperim, male illius misericordiæ respondendo, offendendo scilicet peccatis meis eum, à quo tanta susceperi bona. Nihil autẽ prætendit crebrius, quàm gratiam dei, qua totus illius bonitati fidere potuit, & pendere totus ex deo, inq; medio angustiarum sperare in beneuolentiam dei, & sub umbra protectionis diuinæ non aliter tutũ se credere, quàm pulli sub alis gallinæ à ferocitate milui uel accipitris, qualis fuit Saulis malitia contra Dauid, á qua tamen dei liberatus est beneficio suo tempore, sine manuũ suarum pollutione quacunq;.

2 Clamabo ad deum altissimũ, deum qui benefecit mihi.

Quem alium inuocarẽ in tantis periculis, quàm eum qui altissimus cum sit & deus, humilia respicit in terra, & dispensat etiam minima quæ fiunt prouidentia sua, non spernens humilia, sed amplectens? Eidẽ me totũ contradens, & mecũ quiescens sacro sabbatho, sentio illũ omnia mea absoluentem, expedientem ad optatũ finem perduceneem: hoc est, per omnia mihi benefacientem.

3 Misit de cœlo & liberauit me: dedit in opprobrium cõculcantes me. Sela. Misit deus misericordiam suam, & ueritatẽ suam,

Vi feria & ex fide nata precatio consolationem ilico nacta sit, statim prædicat, dũm scilicet è cœlo misisse mirum angelos suos, & uirtute cœlesti se seruasse. Opprobrio quoq; affecit cõculcatores meos, q sic me perdere conabantur, ut absorptus omnibus malis uiderer. Nõ dubium est uerbum שׁאה tempore prisci interpretis in usu fuisse pro conculcatione, sic semper uniformiter in Psalmis translatum uidemus. Sela quoq; hic positum illius tẽpore habebatur, ut uidetur, finis uersus. Interim Hebræorum punctuatione huiusmodi multa mutata putantur, unde apud illos codẽ contextu sequitur, Mittet, id est, mittebat, deus misericordiam suam, fidẽ & bonitatem suam, lato auxilio cœlitus ad me declarabit.

4 (& eripuit) animã meam de medio catulorum leonum: dormiui (conturbatus) cum inflammãtibus. Filij hominũ, dentes eorũ arma et sagittę: & lingua eorũ gladius acutus.

De maxima atrocitate, quæ & leonina dici potest, qua quicquid animaliũ occurrit deuoratur ilico, tu deus animam meam exemisti et saluasti. Cum ego accũberem prostratus, & expectarem imminentẽ mihi direptionẽ & dilaniationẽ, ueluti si quis in mediũ laci leonũ fameliconum proijcitur, perculsus uel totus animo conturbatus, propter furentes bestias imminentes, quales sunt homines mei, filij quidẽ hominũ, & ad mansuetudinem à deo conditi, toti tamen contra me efferati & crudeles, ut dentes eorũ non iam humani uel etiã canini aut aprorum sint, sed instar lancearũ & sagittarũ acutissimarũ. Linguaq; eorũ ut acutissimus gladius. Quibus nihil nisi pertinacissimũ odiũ illorũ, studiũ & conatus perdendi se atrocissimos taxare uoluit, assentatorum scilicet delationes & consilia in aula Saulis, quibus Dauidi bonisq; alijs malorum incendium continuo excitabant.

5 Exaltare super cœlos deus: & in omnem terram gloria tua.

Orat deum ita potentiam suã declarare, ut ab omnibus metuatur & colatur. Eo enim eius gloria extollitur super omnem terram & ultra cœlos, quod non humanis fit uiribus, ut digne scilicet deus ab hominibus colatur, sed gratia & dispensatione ipsius dei, qui per eos quos eligit solos colitur & glorificatur. Non enim omnes hoc munere & honore dignatur, qui dominus est & figulus, nos homines & figmentũ, prædití tamen ratione & instructione, multipliciq; instinctu pietatis, quæ negligentes excusationẽ nullã prætexere poterimus.

6 Laqueum parauerunt pedibus meis: & incuruauerunt animam meam. Foderunt ante faciem meam foueam: & inciderunt in eam. Sela.

Insidias paßim parauerunt ad capiendum Dauidem in urbibus, syluis & montibus. Vsq; ad extrema pericula humiliauit ipsum, ut nusquam tuto consisteret, sed morti ubiq; expositus timere cogebatur, uix manibus persequentium elapsus. Exitium mihi statuerunt, ueluti dum fouea aperitur transeunti & ignoranti: sic lapsum meũ procurauerunt, sed dominus custodiuit et sustentauit nẽ corruerem, quin potius ipsi inimici mei perniciem inciderunt, qua me perdere statuissent, mirabili iudicio suo contra impios, & gratia ad me suum seruũ, illi toto cor de confidentẽ. Pro quo mirabili beneficio addit suo more propheta Sela. Insidiæ sanctorum.

7 Paratum cor meum deus: paratum cor meum: cantabo & psalmum dicam.

Confirmatum cor suum ac spe optima instructum gloriatur, & laudes hinc dei sese cantaturũ magnis affectibus pollicetur. Quid ni caneret domino liberatori suo post tot singultus angoris, & pericula mortis, unde Dei clementia sola se liberatum agnoscit? Aliud enim referre deo non possumus, quàm de beneficijs ex fide gratias agere, & proximis benefacere propter deum, à quo bẽneficia indigni suscipimus.

8 Exurge gloria mea, exurge psalterium & cithara: exurgam diluculo.

Iucundo & eleganti sermone & plane poëtico simili seipsum inuitat ad dei laudes. Gloriam Dauidis exurgere & euigilare, est sacra quadam harmonia & poëtica incitari ad gloriã dei, qua nihil sanctus ducit antiquius & pretiosius uel honorabilius. Quæ enim maior gloria quàm timere & glorificare dominum, ut gloria quoquè pro gloriatione capiatur, quam prosequitur non tantũ corde, uerbis & dictatu, sed etiam articulis manuum, et musicis instrumentis pro tempore, locis & personis uariatis multipliciter. Diluculo autem expergefieri, est omnibus reliquis occupationibus præponere gloriã Dei, & laudes dignas, uel singulis diebus dictare carmina in exercitium fidelium, & ad imbuendum corda piorum, studio admirãdi celsitudinẽ dei, & beneficia creatoris. Gloria maior.

9 Confitebor tibi in populis domine: psalmum dicam tibi in gentibus.

Idipsum tunc pro deuotissima in deum fide desydera-

Desyderiũ sanctorum.

tum à Dauide, ut scilicet in toto mundo deus uerus agnosceretur, coleretur & laudaretur sacris carminibus: q̃ feliciter euenerit testantur Dauidici Psalmi, iam dudum à tot annorum centenarijs in omnibus terræ angulis in dei gloriam decantatis, & indies maiori cum fructu & attentione concinendis. Cernimus hanc suam prophetiam clarißime completam, interim enim Dauid suas resonat cantiones domino per ora omnium populorum, ut gentes omnium linguarum loquelis domino psallant ex fide.

10 Quoniã magnificata est usq; ad cœlos misericordia tua, & usq; ad nubes ueritas tua.

Confitentur nunc post idolorum abiectionem & exetirpationem errorum omnes populi, quod magna sit misericordia & beneficentia dei super cœlos. Et usque ad nubes uel æthera ueritas dei increbruit, quam corporeæ creaturæ & spirituales, terrestria & cœlestia reuerentur & colunt, & mirabili sua conditione & actione testantur.

11 Exltare super cœlos deus: & super omnẽ terram gloria tua.

Desyderat toto corde pius Dauid & fidelis quicunq; ut gloria dei repleatur cœlum & terra, ut sicut omnia cœlestia domini uoluntatem sacrosanctam exequuntur sine cunctatione: sic quoq; omnes homines in terra sanctificent nomen dei, & agnoscant beneficia bonitatis eius. Alioqui gloria dei siue in terra siue in cœlis maior fieri non potest, quæ est infinita sine omni mensura, & superans omnem laudem, semper tamen fideles cupiunt inter homines augeri dignum dei cultum, & pro uirili nituntur.

PSALMVS LVIII.

In finem ne disperdas Dauid in tituli inscriptione.

Vtcunq; intelligitur ex dictis ad præcedentẽ titulum.

ARGVMENT. Adhortatio est piæ mentis, ne uerbum ueritatis contemnatur à superbientibus tumore mentis, & quis impios maneat exitus.

1 SIuere utiq; iustitiam loquemini: recte iudicate filij hominũ.

Primi uersus difficultatem Iudæi exaggerant, propter אלם quod manipulare & mutum aliaq; significat: sæpius autem Profecto uel utaq;, quod prisco placuit interpreti. Vt sit simplex sententia talis, O uos filij hominum, profecto uobis & reuera incumbit, & proculdubio à uobis exigitur per diuinum iudicium & exigetur, ut non iniustitiam loquamini uel definiatis pro officio uestro, non nisi cum ueritate quid iustum est pronuncietis, atq; in causis mortalium, quibus præfecti estis loco dei, æqua postulantibus non nisi iustißimas sententias decernite in iudicio. Hoc autem nunc in causa mea fit minime, qui pro benefactis blasphemor, proscriptus sum à populo, cuius salutẽ procuraui periculo capitis non semel, sed frequentius.

2 Etenim in corde iniquitates operamini in terra: iniustitias manus uestræ concinnant (appendent.)

3 Alienati sunt peccatores à uulua: errauerunt ab utero, locuti sunt falsa.

Sed interim uos immemores uestri officij, omnem in hoc cogitationem consumitis, ut quæ praua sunt & iniqua designetis, & defendatis: uiolentiam manus uestræ committunt ad innocentes, & post discussionem causarum cum libratis uel expenditis iudicium ut pronuncietis ex authoritate à deo cõmissa uobis potestate uestra abutimini, & idipsum appenditis libræ uestræ quod iniurioſum est innocentibus, tam abest ut ueritatem & iustitiam, quæ uestræ partes erant colcretis & tueremini. Eundem sensum uulgata æditio satis explicat clare. Talium impiorum tam iudicum quàm aliorum hominũ natura & ingenium est, facere malum, impietates sectari, ut nascuntur homines mali ex utero: statim enim ut in hanc lucem æditi sunt, alieni quoq; fieri incipiunt à familia filiorũ dei, mancipia mali spiritus, qui illos adquæcunq; peßima semper agit, inde uerbis factisq; eorũ nihil potest fingi nocentius, pernicioſis mendacijs negotium facessentes pijs & doctrinis & doctoribus. Ingenium impiorum.

4 Furor illis secundum similitudinem serpentis, sicut aspidis surdę & obturantis aures suas,

Similitudine nocentißimi ueneni fingit impios, qui pariter quoq; sunt mendaces. Nullo enim remedio occurri potest illis improbis delatoribus, quos nemo audeat monere, & si moneantur nõ audiunt, pleni præsentißimis aconitis, instar aspidis & reguli ipso halitu, imò uisu interficientis ad exitium. Ex diabolo enim patre mendacij nati sunt mendaces, à qua malitia non possunt aliquatenus reuocari.

5 Quæ non exaudiet uocem incãtantium, & uenefici incantantis sapienter.

Carminibus cogi serpentes occulto dæmonum pacto & opere, atq; aspides, ut uirus ponant & mansuescant, celebre est non tantum usu gentium, sed etiam apud scriptores. Comparat ergo improbos istos aspidi obturanti aures, & obsurdescenti ad incantationes, quòd nulla prorsus monitione potuissent à studio lædendi depelli. Malitia immedicabilis. Qua adhibita similitudine tantum exprimere uult mali proboru tiam improborum, non quod etiam probaret usum carminum magicorum, quæ nominatim lege dei interdicta legimus, ubi incantatores & magici damnantur: est enim superstitio & sacrilega scientia, non uera sapientia, sed sic falso nominata.

6 Deus conteret dentes eorum in ore ipsorum: molas leonũ confringet dominus.

Prædicit & imprecatur ultionem hostibus suis, postquam nulla ratione reduci in uiam potuerunt. Per dentes uerba nocentia & innocentes homines laceranti intelligit: quodq; exaggerare uult eorũ crudelitatẽ, leonum dẽtes talibus tribuit. Quos dñs confringet, quando adimet illis facultatem nocendi fidelibus.

7 Ad nihilũ deuenient tanquã aqua decurrens: intẽdit arcum suũ donec infirmẽtur.

Quod liquescendo resoluitur in aquas, ad nihilum reducti et disperdi uidetur: sic omnis uis et potestas nocendi ad

di adimitur per deū hostibus pietatis, ut fiant non tantū imutiles, sed etiā pernucioſi in tempus ſuum. Sicut quoq; arcu extenſo conatus iacere ſagittas in ipſa extenſione diſſiliunt ſagittæ & arcus, & contortæ confringūtur: ſic ſtudium irritatur impiorum.

8 Sicut (cera) limax quæ fluit auferentur: ſicut abortiuum mulieris (ſupercecidit ignis) & non uiderunt ſolem.

Denuq; ſicut procedendo lente limax contabeſcit & reſoluitur, defluit & cōculcat itinera ſua, ut deprehēdatur, & ſicut abortiuū mulieris quod perijt priuſquā hāc lucē aſpexerit: ſic ſubito impij pereunt antequā nocere poſſint. Quod uero uulgata dicit, Ceram fluere, cadere ignē, & nō uidere ſolē: arguit interpretē doctū ſine punctis legiſſe, et ante ea ſuā cōfeciſſe translationē. Et certe defluunt impij ut cera liqueſcens, nō potentes cōſiſtere in ſuis mendacijs. Supercecidit quoq; ignis ultionis diuinæ, ut ſolem ueritatis & iuſtitiæ aſpicere non poſſint.

9 Priuſquam intelligerent ſpinæ ueſtræ rhamnum (ollæ ueſtræ ſpinam) ſicut uiuentes ſic in ira abſorbet eos.

Antequā uel conualeſcāt & progerminent ueſtræ ſpinæ in rhamnū: id eſt, antequā pungendi uires & fortitudinem nanciſcantur impij, dum adhuc creſcere uidētur, à domino abſorbentur & exuruntur. Vel aliter, Anteq̄ intelligāt uel ſentiant ollæ ueſtræ ignē ex rhāno ardente ſuppoſito & ueluti uirente: ſic ſubito ſuperueniet ira dñi corripiens impios et diſperdēs. Videtur in ſumma dicere celeriter iudicio dñi impij et mēdaces pdentur: idq; uerbis eloqtur, ſuo fortaſſis tēpore adagij loco uſitatis.

10 Lętabitur iuſtus cum uiderit uindictam: manus ſuas lauabit in ſanguine peccatoris.

Iuſti ut deum & ſuam gloriā toto corde diligūt, ita nihil illis maiorē affert dolorē, quàm ſi conculcetur pietas et ueritas, fides et uirtus: ſic uicißim uoluptatem affert maximam, ſi nomen dñi illuſtretur cū pernicie hoſtium pietatis. Parentes nanq; uxores et liberos præ deo ſi reſpoſſeat odio habent & negligunt in totū: ideoq; in perditione eorum hominū quorum ſalus cum dei gloria clarefcere nequit ſumme lætantur. Huiuſmodi ergo iucunditatem futurā prædicit, cum extincti fuerint improbi ueritatis perſecutores, & patroni mendaciorū. Paſſus ut pro pedibus capi poteſt, ſic manus lauari in ſanguine impiorum aptius uidebatur dici quàm pedes, eadem ſententia reddita, quæ eſt, Gaudēdum ad profectum fidei, cum impij opprimuntur: etiamſi occiſi, ubi conuerſionis nulla extet fiducia.

11 Et dicet homo, Si utiq; eſt fructus iuſto: utique eſt deus iudicans eos in terra.

Tunc homines dicere poterunt hæc cernentes, tunc uulgo hoc iactabitur, Vtiq; manet iuſtū ſuus fructus, Vtiq; eſt deus, qui terrā ſic iudicat, ut malū nō ſinat impunitum & iuſtitiam conculcari non ſinit ab impijs in perpetuum. In futuro ſiquidem deus uerū & ſolidū iudiciū faciet, hic non omnia cōpenſat: inde impij ſibi ſæpe perſuadent nō eſſe deo curā de præſentibus. Dum itaq; inſignē aliqua malorum ultione deus ſe declarat orbis iudicem, confirmatur piorum fidutia, & fides prouidentiæ dei: ſimulq; terretur improbitas peruerſorum, ut metuere deum uelint nolint cogantur.

PSALMVS LIX.

In finem ne diſperdas, Dauid in tituli inſcriptione, quando miſit Saul, & cuſtodiuit domum eius ut interficeret eum.

Hoc titulo Ne diſperdas, refertur fortaſſis ad Dauidē orantem, ne tunc ſe diſperdat dominus per furiam Saulis: ſed liberum eſt dubitare de huiuſmodi.

ARGVMENT. Oratio eſt pij hominis, contra aduerſarios pietatis ac ueritatis, in ſua impietate deſerendos digneq; puniendos.

1 Eripe me de inimicis meis Deus meus: & ab inſurgētibus in me libera me.

Quandoquidem iam manibus hoſtiū tenebatur crudeliter occidēdus, ſiue infirmus eſſet ſiue ſanus corpore, niſi montus ab uxore, deo uiā faciēte fugiſſet: ideo ſine quacūq; præfatione ſtatim currit ad ardentiſſimas preces, petēs à dño deo ſuo de tā atrocibus hoſtibus liberari, et ab inſurgentibus cōtra ſe defendi, uelutq; in alterū euadere laqueos, uel arma bellica perſequentiū, ſurſumq; attolli ceu in quoddā præſidiū, quo confugitur dum undiq; hoſtis imminet & ſpes nulla eſt reſiſtendi.

2 Eripe me de operantibus iniquitatem: & de uiris ſanguinum ſalua me.

Cauſam addit cur deus eripere debeat, quia hoſtes ſint operarij iniquitatis, id eſt iniquitati deditti, uiriq; ſanguinum & cædi intenti. Qui non contenti inique & cum proximorum iactura, & in deum perfide agere, etiam ad homicidia & innocentium ſanguinis effuſionem anhelant qualibet ex cauſa.

3 Quia ecce ceperunt animā meam: irruerunt in me fortes. Neq; iniquitas mea, neque peccatum meum domine:

Inſidijs, numero, uiribus, magno conatu oppugnatū ſe queritur ab hoſtibus, idq; nihil cōmeritum. Id quia permitteret deus, domire uidebatur. Orat igitur ut euigilet & ſuccurrat. Id uerbis multis eloquitur more orantium ex affectu, ubi non habet locum aliquod grāmaticale uitium, quod dominus magis comprobet cor q̄ uerba. Ecce, ait, ô dñe, attende paterno affectu tuo, quomodo undiq; obſeſſus ſum hoſtibus, et inſidias patior circūquaq;, ꝓpter animā quā mihi adimere decreuerunt. Fortiſſimi ſunt et attroces, qui cōuenerunt cōtra me, et irruūt horribiliter, cū nihil unq̄ tale meruerim, nō tantū non peccauerim in regem atq; regnū, ſed uſq; ad mortē decertādo periculoſiſſimis agonibus uindicaui utrunq; ac à perditione & confuſione populum tuum aſſeruaui, omnium teſtimonio qui me nunc inique & immeritū pſequūtur.

Grammatica orantiū dominum.

4 ſine iniquitate cucurri & direxi: Exurge in occurſum meum & uide:

Præter omnem meam culpam & iniquitatem hoſtes mei feſtinabant & præparabant ſe, ad perdendū ſcilicet me, & ad mortem Sauli offerendū. Qua ratione priſcus dixerit Cucurri & direxi, diuinare non poſſum: pia ta-

men ſententia dixit, Innocẽter & abſq; peccatõ cucurri in ſtadio uitæ meæ, & præparatus ſum cupiens omnia dextre peragere, quæ cõmittebantur mihi. Sed nunc dũ quærunt ad mortem, ô domine euigila, qui ad cuſtodiam meam obdormiſſe uideris & expergiſcere, ut fugienti hoſtium perſequutiones, tu mihi unicus pater & ſaluator occurras, aſpicias periculum, & agnoſcas filium.

5 & tu domine deus uirtutũ deus Iſrael intende ad uiſitãdas omnes gentes: nõ miſereris oĩbus qui operant iniquitatẽ. Sela.

Cum ſis æquiſſimus iudex fidelium, & potentiſſimus propugnator, ô domine deus exercituum, id eſt omnipotens, cõtra omnes huius mundi inſtantias, quemadmodũ conteſtatus es uerbis & factis, prodigijs & ſpectris populo tuo Iſraël multipliciter. Te nunc domine deus inuoco & obteſtor, nolis amplius dormitabundus uideri ab infidelibus, euigila tandẽ, & non ſolũ mihi ſuccurre, ſed omnibus fidelibus, ut gentes quaſcũq; perfidas uiſites digna & frugifera ultione, ut cõuertantur uel diſpereant, quod ſi qui eorũ data opera præuaricari elegerint, & ſpernere cõtinuo perrexerint æquitatẽ & legẽ tuam, tu nolis huiuſmodi miſereri, & gratiam largiri, ſed magis eos in exemplũ proponas electis, quos adhuc quamlibet peccatores toleras & expectas. Vt uero inſignis eſt hic ſenſus & attente conſyderandus, ideo Sela apponitur.

6 Conuertẽtur ad uerſperã, & famẽ patientur (frement) ut canes: & circũibunt ciuitatẽ.

Truculenti illi & peruicaces hoſtes tuæ gloriæ & fidelium tuorum eant ac redeant, uagentur ut alter Cain inſtabiles tota die, ut noctu quoq; & ad ueſperã cunctẽtur de ſalute ſua. Tumultuando circumcurſitent furioſi uelut canes, & ubiq; inquirant in quos graſſentur pios ciues Ieruſalem, & eccleſiaſticas perſonas, nec tamen quietem inueniant, nec in quem occurrant uaſtando, nõ tantum lædere ualeant quantum uellent.

7 Ecce loquentur in ore ſuo, & gladius in labijs eorum: quoniam quis audiuit?

Lingua gladius. Nihil hos loqui delectat niſi uel uana atque ſtulta, uel mendacia contra pios, diſceptationem contra ueritatẽ. Quin & non leuia loquuntur contra dei amicos ac iuſtos, ſed nephanda comminiſcuntur, nec aliud linguæ eorum effutiunt quàm mortalia & lætalia uenena. Veluti gladij ſunt labia eorum, quibus occidunt & animaduertunt in iuſtos & innocentes, ſibijpſis perſuadentes dominum non audire neque ſcire, quod ipſi in ſecreto commentantur, cogitant & ſubornant.

8 Et tu domine deridebis eos (&) ad nihilum deduces omnes gentes.

Tu uero domine pro omniſcientia & bonitate tua homines tam impios deridebis, omnes gentes idololatras et ſua ſacrilegia ſectantes, uerbum tuum abijcientes, & leges tuas odientes, ſic ſubſannabis & in furore argues, ut in pœnis aliquando ſentiant, quod gratiæ tuæ miraculis, & prophetarum tuorum exhortationibus amplecti & credere noluerunt. Fruſtrabunturq; per omnes ſuas peſſimas uoluntates, ut pijs plurimum nocere uelint, minimum autem poſſint, deterriti digna uindicta tua, in omnes impios. Pro ſubſannare, priſcus dixit ad nihilum deducere, fruſtrare uoto.

9 Fortitudinem meam ad te cuſtodiã, quia deus ſuſceptor meus es:

Fortitudinem meam ad te cuſtodiam. Priſcus legit conformiter ad uerſum ultimũ, & eſt ſenſus planus, cui & Syrus concordat: Fortitudo mea ſcilicet es tu deus meus, te obſeruabo, tibi ſoli innitar & me commendabo. Tu enim ſolus es refugium meum, ubi ſaluari confido, qui ſolus es omne bonum meum. Vel ergo codices Hebræorum alicubi mendas continere concedas, uel tantos interpretes argue ſtoliditatis & perfidiæ. Et tamen Vau & Iod non raro permutantur, ne ſcrupuloſiores ſimus, ob literam unam obfuſcantes ſentẽtiam à priſcis traditam & probatam. Interpretes

10 deus meꝰ miſericordia eiꝰ præueniet me. Deus oſtendit mihi ſuper inimicos meos,

Deus meus is eſt, ait Dauid & quiſquis fidelis: clementia uel bonitas eius præueniet me: diuinitus me iuuandum non ambigo contra omnes hoſtes meos. Vbi Iudæi חסדו per Vau ſcribunt & Iod legunt, & hunc ſenſum exprimunt: Deus bonitatis meæ præuenit me: id eſt, eius bonitatis quæ mihi fit ab illo, qua deus illum dignabatur. Nihil enim proprie de eo mereri poſſum, cui omnia debeo quæ poſſum, ſed gratia ſua anteuertit omne bonum deſyderium meum, magis autem omne opus bonum, ne quis hominum glorietur in alio quàm in deo & ſua bonitate & gratia. is iſte deus, mihi clementiſſimus, faciet uidere me hoſtes meos, hoc eſt, deſpicere & eorum infelicitatem cum dei gloria & ſanctorum gaudio contemplari. Mereri ac quid domino.

11 ne occidas eos: nequando obliuiſcantur populi mei. Diſperge illos in uirtute tua: & depone eos protector meus domine:

Non poſtulo domine ut occidas ſubito perſecutores et oſores meos, uel tuorum fidelium, proſunt enim tam ad gloriam tuam, qui quantumlibet eximie malis ſanctẽ uteris, & ad optima, etiam ad exercitium fidelium, ut meliores continuo fiant, ne ad aliquam inertiam perducantur, ſi nullus impetat uſpiam hoſtis. In fugam potius uertite illos, & turpiter cœptis malis contra me deſiſtere coganturſentientes potentiam & bonitatem tuam. Detrahe magis eos à ſua ſuperbia & fortitudine, ut humilientur & infirmentur, ut fidelibus tuis poſthac obſtrepere nec uelint nec ualeant. Sentientes unicum te deum noſtrum eſſe ſcutum & protectorem credentium tibi, & in te ſperantium. Quomodo orandũ contra malos.

12 Delictum oris eorum ſermonem labiorum ipſorum, & comprehendantur in ſuperbia ſua. Et de execratione & mendacio annuntiabuntur.

Nolim occidi hoſtes tuos & meos, ô domine, ſed hoc potius oro, ut prouidentia tua capiantur illi in peccato oris ipſorum, ut olim cogantur agnoſcere ſe mentitos. Capiantur uerbo labiorum ſuorum, ut omnes audientes blaſphemias illorum, ſimul quoq; iudicium tuum iuſtum circa illos intueantur ſuo tempore, utq; in ſuperbia ſua capiantur

captiantur miserè, & digna calamitate humiliandi & opprimendi. In fabulam uertatur periurij illorũ & mendaciorum crimen, cui assidue student, ueritatem uero loqui & modestia uti nescierunt.

13 in consummatione: in ira consummationis, & non erunt. Et scient quia deus dominabitur Iacob, & finium terræ. Sela.

Postquam uero impleuerint mensuram criminum, blasphemiæ & mendaciorum, contra ueritatem & iustitiam tuam, póstque infructuosam pœnitentiam sine fide & spe, quam semper irriserunt, tu deus pro iusto iudicio tuo destrue & consume eos: & sic absume, ô domine, iustus & pius, ut non amplius supersint oppressores fidelium, sed digna mercede tractentur, & protrudantur in iudicij tui locum destinatum impijs. Ibi autem scient & experientur in pœnis æquissimis, quia dominus deus Iacob & omnium credentium & uerum deũ colentium digne, imperium habeat & exerceat in pios & impios. Idq; sciatur & decantetur aliquãdo per omnes plagas mundi, per Euangelium regni, prædicandum in omnem terram. Id quia pij omnes anxie precantur et sperant, ideo additur Sela.

14 Conuertentur ad uesperam, & famem patientur (frement) ut canes: & circumibũt ciuitatem.

Interim uero dum sic imperium tuum in illos exercebis damnatos & reprobos, fac obsecro, ut etiam in hac uita ad exemplũ pijs et impijs affligantur suo modo, mentis & corporis instabilitate, qua discurrant tumultuosi, omnia allatrent & criminentur, & lacerare moliantur pro incondita ira sua, & inanibus consilijs ac adinuentionibus suis multa procurantes mala, nihil autem perficientes, tota urbe uel ciuitate fidelium famosi, & propositi ad exemplum & fabulam.

15 Ipsi dispergentur ad manducandũ: si uerò non fuerint saturati, & murmurabunt.

Age, ô domine, cum impijs illis fidelium tyrannis, ut aliquando uagabundi fiant pro cibo, & inde non ualeant satiari, nec habeãt quo diuertant ad tutũ uel amicũ uel locũ, nec etiam quietem inuenant nocturnam: ut ita duplici malo intelligantur affecti, inopia cibi et hospitij.

16 Ego autem cantabo fortitudinem tuam, & exultabo mane misericordiam tuam.

Dum illi sic digne ut merentur à tua iustitia tractantur, ego magna animi lætitia gratias agam, & laudes canam de lato pijs auxilio, & iuste damnata punitaq; malitia, unde omnibus patefiat maxima fortitudo tua & clementia, qua simul tyrannos opprimis, & subleuas tibi deuotos.

17 Quia factus es susceptor meus, & refugiũ (meum) in die tribulationis meæ.

Tu es enim solus robur & præsidiũ fidelium tuorum, dum ab impijs in hoc sæculo indigne tractantur, quam id sensus carnis & amatores seculi intelligere uel credere nolint, sine timore dei & iusti iudicij, donec modo prædicto suo malo cogantur confiteri tuam bonitatem, sed non sentire.

18 Adiutor meus tibi psallam, quia deus susceptor meus es: deus meus misericordia mea.

Donec uixero semper tibi psallam, tuam gratiam quã susceptì, & auxilium quod expertus sum, quia omni beneficiorum genere me cumulasti, qui te toties ostendisti esse omne robur meum, sine quo possum nihil, & deum bonitatis meæ uel misericordiæ meæ, quam mecum egisti & quam agis cum fidelibus.

PSALMVS LX.

In finem pro ijs qui immutabuntur, in tituli inscriptione Dauid in doctrinã, cum succendit Syriam Mesopotamiæ, & Syriã Soba, & cõuertit Ioab & percussit Idumæã in ualle Salinarum duodecim millia.

Hebræus sic habet ad uerbum, Ad uicloriam pro Susan testimonij, uel, Pro lilijs decoris Michtam ipsi Dauid ad docendum, cum bellum gereret cum Syria fluuiorũ, & cum Syria Soba. Et reuersus est Ioab, & percußit Edom in ualle Salis duodecim millia. Difficultas iterũ ex titulo, quam nondum uidens ego ab alijs certò superatã, cum alijs componatur ignorãtijs nostris, uel antiquariorum negligentijs. Certũ tam ex phrasi Psalmi, quàm ex sacra regum historia potius sectemur. Ad primi & fortissimi pariterq; felicis regis Israël Saulis miserandũ tandem occubitum, antequã stabiliretur regnum Dauidis, miserabilis erat ualde conditio Israëlitici populi, propter insignem uictoriam Palæstinorum, non in regione Philistæa triumphantium tantum, sed etiam in media regni Israëlitici terra, ad montes Gelboe in tribu Ephraïm uel Manasse, unde & defluxerat totus populus, & oppressus ex maxima parte uidebatur, donec Dauid insigni exercitu suo, & ducibus fratribus Ioab & Abisai, Syros Moabitas & alios omnes hostes cum Philistæis plene opprimeret, occisis decem & octo millibus ab ambobus ducibus, et alijs uicibus multo pluribus, in Edom & Ammon. De quibus omnibus hic titulus indicat fusius descripta 2. Reg. 8. & 10. & 1. Paralip. 18. Ignorantia confitenda.

ARGVMENT. Oratio est pro misericordia dei implorata & præstita.

1 DEus repulisti nos (&) destruxisti nos: iratus es (&) misertus es nobis.

Quid aliud totus Israël cogitare potuisset, à Philistæis et reliquis hostibus ipsos iuuãtibus occiso rege Saule à domino illis cõstituto, et tãto profligato ac in nihilũ redacto exercitu Israëlis, quàm sese totos iã à dño repulsos esse, & destructos irreparabiliter, irãq; domini dei iam irrecõciliabilẽ incidisse collapso regno, & subiugato ab Allophilis, cunctis quoque reliquis in circuitu hostilibus nationibus fidutia minustrata Israëlẽ totum conculcandi, nisi dominus Dauidem substituisset, & aduuuisset stipatũ uiris fortißimis, fideliſsimis ac peritißimis propugnatoribus populi dei à domino præparatis & adiutis, indiciũ sane clementiæ dei, & fauoris, quo denuo conuersus uidebatur ad peculium suum.

2 Commouisti terram, & cõturbasti eam:

sana contritiones eius, quia commota est.

Exaggerat calamitatem populi iam hostibus traditi et oppressi, canendo terrã et habitatores eius à domino concussam & uastatã, perruptam quoq; et horribiliter diuisam studijs partiũ, ut aliqui cõfugerent in Syriã uel Moab, alij sese dederent Philistæis, pauci filio se Saulis regi sinebant, una tantum tribu & ea iam uastata à Philistæis, Iuda scilicet, Dauidem amplectente. Vnde & precatiunculam suo more interserit narrationi, ostendens quid tum fuerit pijs orandum. Sana, inquit, ô domine cõtritiones tantas hæreditarij populi tui: sic enim perturbata est terra, confusa & commota, ut tua tantũ gratia restitui egeat & possit.

3 Ostendisti populo tuo dura: potasti nos uino compunctionis (*toxico.*)

Ostendisti indignationis tuæ signum graue ac durum, tantum permittendo hosti triumphum, cum tanta ignominia & iactura totius populi tui, & abiectione regis & regni. Mortifero ueneno uel horribili insania potasti nos, & pauidos reddidisti, ausum autem præbuisti diriora tentandi omnibus circum nos hostibus, gentibus & regnis. Tantis enim malis obrutos nos uidimus, ut omnium rerum nostrarũ incerti simus uel fuerimus, adeoq; perturbati, ut ubique uelut furore perciti impingere uideremur, deserti à domino, & iam altera uice dum arca amitteretur percussi, nunc regno nuper inchoato exuti, & redacti in nihilum.

Potus amaritudinis.

4 Dedisti metuentibus te significationem: ut fugiant à facie arcus:

Sed non totos nos, ô domine, repulisti, dedisti enim gratiæ tuæ & spei nostræ signum feliciorum temporum, & sperandarum iterum uictoriarum, per Samuelem me ungendo in regem super populum tuum: id minime egisses, si populum tuum deserere statuisses, & perpetuo tradidisses opprimendum à gentibus. Erexisti enim me regem ueluti signum, ad quod residui palantes & fugitiui conuenant & denuo colligatur exercitus domini, et regnũ domini redintegretur, & quò confugiant qui fugantur ab hostibus & uicti opprimuntur. A facie ueritatis legunt Hebræi, cum dictio קשט ueritatem significans potius Syriaca habeatur, & hic ט pro ת legi prisco placuerit & quibusdam Iudæis. Quanquam & ueritas promissionũ dei reuera causa sit restituendi regni Israëlitici, post casum tam grauem regis & gentis. Sela adiungitur, pro fide roboranda.

5 Vt liberentur dilecti tui: saluum fac dextera tua, & exaudi me.

Iterum miscet orationem, non dubitans sibi seruanda promissa, non deserendum populum Israëliticum, specialiter dilectum, ideò mox orat, Serua, ô deus, per dexteram manum tuam, per inuictam potentiam & omnipotentiam tuam, electos tuos, & annue mihi etiã nunc minume diffidenti, et tuam pro populo opem implorãti, ad gloriam tuam, ne gentes putent temere nos tibi confidere, & te dilectos tuos non posse liberare à suis manibus, qua in re exaudiri cupio, non ad gloriam meam, sed tuam, & populi tui salutem.

6 Deus locutus est in sancto suo, Lætabor (&) partibor Sichimam, & conuallem tabernaculorum metibor.

7 Meus est Galaad, & meus est Manasses: et Ephráim fortitudo capitis mei. Iuda rex meus.

Memorat nunc quanta sibi deus bona promiserit, de quot gentibus impijs, quantas uictorias, quales iam aliquas ædiderat, & in posterũ semper dei uirtute habiturum se credebat pro populo dei, cui à domino pastor, consul & protector assertorq; constitutus erat. Non solum ergo tribui Iudæ præficiar legislator & princeps, sed cã domino uisum fuerit, totum mihi regnum Israëliticũ subijciet, Sichem prouinciam, & urbem, & totam uallem Succhot, Galaad quoq; ultra Iordanẽ, & quicquid ubiq; possident terrarum omnes filij Ioseph, Ephraim, Beniamin & Manasse, quibus legifer de tribu Iuda dux atque rex promissus est, dudum à Iacobo morituro, cuius imperium non esset finiendum, donec ex Iuda nasceretur filius Dauid in æternum regnaturus. Hæc spei meæ ancora est, & certa fides, nõ deserendum hunc dei populum quamlibet nunc calamitosum & proximum perditioni, ut uidetur perfidis hostibus.

8 Moab olla spei (*lotionis*) meæ. In Idumæã extendam calceamentum meum: mihi alienigenæ subditi sunt.

Tam Moabitæ quàm Edomitæ sicut & filij Amon, redacti sunt in dominum Dauidici regni, sicut et Philistæi omnes, omnes exteræ nationes et proximæ subiectæ sunt illi, id quod & credebat futurũ ex prædictionibus Mosis & Samuelis. Moab autẽ dicit ollam lotionis suæ, quo illã seruiliter sibi subdendam exprimeret, sicut & de Edom loquitur, sordidam denotando subiectionẽ suo loquendi more. Nunc super regnum meũ & me nouum regem iubilat Philistæa, quasi triũphale concinens carmen contra populum dei, sed statim suo tempore subditum erit mihi præ alijs, ad quod occasionem præstabunt primi adoriendo imperiũ meum, et in initijs resistendo, sed inaniter, & uincendi. In utrãq; sententiã dici potest, tu quoq; Philistæa sup me uel iubilabis uel affligeris, quod priscus non indocte dixit, Mihi alienigenæ subditi sunt.

9 Quis deducet me in ciuitatem munitam? quis deducet me usque in Idumæam?

Quis impedire me poterit, te me promouente, quo minus incidam & dominũ assequar in munitissimas quasque harum gentium urbes, etiam in montem Seir munitissimum? Nullo præter te, ô deus, auxiliatore indigeo ad obtinendum has omnes prouincias iam nominatas, sed in primis Idumæam quam prolixius tenuit subiectam regnum Iuda, & posteritas Dauidis.

10 Nónne tu deus qui repulisti nos: & non egredieris deus in uirtutibus nostris?

Non obliuisci poteris, ô domine, promissionum tuarum, ad tuum peculium & gentem tuam & meipsum, quem regnum iamdudum manet tua gratia, quo minus hanc præsentem repulsionem tuam perpetuò uel diutius duraturã confidam, quandoquidẽ ut prius semper prouredi

gredi cõfueras cum exercitibus nostris Israëliticis, debellãdo hostes omnes tam Aegyptios quàm Amorrhæos & Chananaicos: sic nunc quoq; magnifice exeres brachium potentiæ tuæ contra hostes fideliũ tuorũ, de quo minime nobis sit dubitãdũ, ut mẽtiri nõ potest summa ueritas, nec dissimulare miserias nostras summe misericors.

11 Da nobis auxilium de tribulatione: quia uana salus hominis.

Non mea uel exercitus & uirorum meorum fortitudo prævalebit hostibus nostris, sed gratia tua & fauor auxilio nobis erunt cõtra tot hostes nostros in circuitu impugnantes. Nullius enim momenti sunt omnia humana præsidia, proinde in tuam bonitatem & potentiam toti propendimus, & te solũ auxiliatorem inuocamus. Maledictus enim qui confidit in homine. Verum, tuum est docere manus nostras ad prælium, &c.

12 In deo faciemus uirtutem: & ipse ad nihilum deducet tribulantes nos.

Per deum faciemus uirtutẽ, fortiter bellum geremus, magnis animis pugnabimus, quãdo ita tibi deo nostro uidebitur, nõ ut putemus hostes nostros nos posse deijcere, sed ipsum deũ scimus illos conculcaturũ, & nobis subiugaturũ, cui nos operam nostrã intrepide interim addicemus. Non dissimile est dictũ istud Ioab ad fratrem, Forti animo esto, & agamus fortiter, pro populo nostro, &c.

PSALMVS LXI.

In finem in hymnis Dauid.

ARGVMENT. Oratio in aduersis, & gratiarum actio pro liberatione, in typum Christi.

1
Xaudi deus deprecationẽ meã: intende orationi meæ.

Vtcunq; persuasus sim, sicut & omnes fideles, propensissimum te dominum ad benefaciendum, placet tamen tibi, & iubes orare, simulq; causas immittis orationum, quales & nunc cum extento precor ut exaudias preces meas, quas ædita quoq; uoce ex affectu pronuntio, ardenter cupiens, ut attendas propitius orationi meæ.

2 A finibus terræ ad te clamaui, dum anxiaretur cor meum: in petra exaltasti me (suprame) Deduxisti me,

Non tantum in præsentia arcæ tuæ Hierosolymis uel alibi, sed ubicunq; terrarum fuero, nõ ignoro te præsentem & aspicientem necessitates meas, ideoq; ubiq; ad te clamo dum anxior à multis subinde hostibus, Saule & alijs innumeris. Tu uerò ubi succurrere decreuisti, nemo offendet: superiorem enim me statues quàm ut ad me appropinquare possit quæcũq; perditio uel aduersitas. Videris enim mihi sustulisse me uelut in altissimã rupẽ uel arcẽ, ad quã proprijs nõ potuissem uiribus cõscendisse. Sic & hostis quoq; apprehendere me illic nequaquã ualebit, quo tutior sim, & iugi meditatione tibi deuotior.

3 quia factus es spes mea: turris fortitudinis à facie inimici.

Fuisti enim certissima spes mea, et præsidiũ mihi, quod nullus hostis accesserit, robustissima turris, nullis unquã machinis deijcienda uel cõcutienda, cui nullus quãlibet instructus hostis fortissimus præualeat. Huiusmodi autẽ fiduciam præstat mihi ueritas uerbi tui, & promissionum certitudo.

4 Inhabitabo in tabernaculo tuo in sęcula: protegar in uelamẽto alarum tuarũ. Sela.

Commorabor et uersabor in tuo tabrnaculo ad quod nullum poterit unquã approximare malum. Et in protectione alarũ tuarũ sperabo semper, certus me semper cõsistere in ipso conspectu dei mei, me tuentis & defendentis, quo nullũ est latibulũ tutius. Sicut in castris regijs, nemo securior est eo, cui in ipso regis tabernaculo conceditur conuersari, quales sunt qui dei bonitatem sibi prospicientis & se ducentis plenius agnouerunt. In hoc uitã æterna sita est, ideoq; adscripsit Sela.

5 Quoniam tu deus (meus) exaudisti orationem (uota) meam: dedisti hæreditatem timentibus nomen tuum.

Orationem transtulit pro uotis. Vota nempe nõ sunt semper uel intelliguntur, præmissa deo, siue sacrificia, siue corporis obseruantiæ, multo minus opera supererogatoriæ, quam somniant, perfectionis, sed quæcunq; sacra desyderia, quæ & orationes proprie dicuntur, & uota fideliũ, quæ dominus non solũ exaudit, sed etiã suscitat in sanctorũ cordibus, cuius solius est quicquid boni uel cogitamus uel desideramus. Dedisti quidẽ hæreditatẽ Israëlitico peculio tuo, terrã promissionis Chananaicã, sed longe feliciorẽ promisisti fidelibus sempiternã omnũ bonorum possessionẽ, quam iam dedisti patribus fidei nostræ, & uasis misericordiæ tuæ, Abrahæ, Isaac, Iacob, & reliquis omnibus timentibus nomen tuũ, id est, fide, spe & charitate, digne colentibus maiestatem tuam. Vota quæ sint.

6 Dies super dies regis adijcies: annos eius usq; in (diem) generationis & generationis.

Longo quidem tempore continuabis regnũ meum in me & filijs, sed longe diuturnus præparabis secundo Dauidi, filio Dauidis, Christo domino, cuius regni nullus est finis, ut qui uere corã deo patre potestatẽ acceperit regnandi in cœlo & terra, & Dauid ipse, deo suo totus deditus regnum populi dei fideliter administret, & post hos dies uitæ præsentis, futuri sæculi dies æternos coram domino sit feliciter uicturus.

7 Permanet in æternũ in conspectu dei: misericordiam & ueritatẽ eius quis requiret?

Assistet & assidebit Dauid & fidelis quicũq; semper domino, omnia sua uerba & facta sic agit, ut sciat dominum cuncta intueri & iudicare, cui soli probare se cupiat, & à quo solo pendeat: sic & Christus aduocatus fidelium deo patri semper assistit. Tu uero, ô deus, in regno Dauidis constitue & præpara semper misericordiã & ueritatẽ, ut nihil in eo locũ inueniat quàm gratia & fides, beneficentia & ueritas, deuotio & charitas. Priscus aũt pro מִן interpretatur מִה, quod et aliàs inuenitur, ut alio locutionis filo idem dicatur, Quis requiret uel obseruet absentẽ in regno illo probitatẽ et ueritatẽ? quæ abesse neutiquam potest regno utriusq; Dauidis.

8 Sic psalmũ dicam nomini tuo in sæculũ sęculi: ut reddam uota mea de die in diem.

Vota laudis. Vota gratiarum & laudis quæ sola deo grata sunt sacrificia proponit se persoluturum, hic & in futuro sæculo. Non curabo unquã de magnificentia nominis mei, sed humiliter de me sentire cogit ipsa conscientiæ meæ humilitas, sed tuo tantum nomini gratias agam, tuã gloriam zelabo & celebrabo semper, & quicquid tibi gratum fore inciderit ut ex gratia tua uelim, id studiose auxilio tuo perficere quotidie studebo, quandoquidem et beneficia tua nunquam non experior.

PSALMVS LXII.

In finem pro Idithun, Psalmus Dauid.

Opinio est Dauidem quidem ædidisse hunc & similes Psalmos, sed cantoribus quibus inscribuntur cantandos tradidisse, ut hic Idithun & ipsius socijs.

ARGVMENT. Oratio est ad deum cum ingruunt aduersarij more suo mendacijs & blasphemijs.

1 **Nonne deo subiecta erit aia mea: ab ipso enim salutare meum.**

Quoties in hac miseriarum ualle calamitates incidunt, utique non ad aliud uspiam respiciẽdum est fideli præter quàm ad deum, sed animã quæcunq; deo credens trãquilla semper consistat, bonu consulens sortem suam. Hoc est eam habere silentiũ, ac quiescere, æquanimiter ferre manum domini, & in patientia possidere animam. A solo enim deo salus confertur, non quocunq; humano brachio uel naturæ uiribus.

2 **Nam & ipse deus meus, & saluatoris meus: susceptor meus, nõ mouebor amplius.**

Equidem profecto ipse scilicet deus rupes mea est, et locus tutissimi confugij, et petra altior accessu hominũ. Transtulit אך in principio per Nónne, hoc loco per Equidem uel Nam, sensui nihil decedente, non nimium scrupulosus de uerbis. Tradunt Hebræi etiam hanc dictionem הוא deum significare cum alijs diuinis nominibus, quale est צור, quorũ alicubi septuaginta duo enumerant. Salus mea est, inquit, deus, et susceptor confugientium ad se, dum hostis urget & persequitur, non mouebor multũ uel amplius. Cum enim sanctis omnia prosint, nunquam uere labascunt, etiam si secus iudicetur ab hoc mundo.

Nomina dei.

3 **Quousque irruitis in hominem? interficitis uniuersi uos: tanquam parieti inclinato, & maceriæ depulsæ?**

Irruitis, dixit, in hominem, pro quo Hebræi dicunt insidias ponere, uel cogitare dolos, ponere offendiculum, subruere, quod est urgere ad interitum. Insultat autem impijs, conantibus bonos lædere, nõ autem potentibus, sed tantum sibijpsis perditionem ascisc entibus. Pro hac enim malitia ad quã studio satanæ permouentur, dominus tradit eos interneciõi ut pariter omnes occidãtur, proximi iã exitio, non secus atq; paries quæ se inclinat, & maceria impulsa fortius, quorum casus ut instat proxime, sic uehemẽtia sua in minutissimas partes finitur.

4 **Veruntamen pretium meum (exaltationem eius) cogitauerunt repellere (cucurri in siti, amabant mendacium) ore suo benedicebant, & corde suo maledicebant. Sela.**

Exaltatio dei & hominum.

Ingenium impiorum magis explicat, Exaltationem eius, inquit, consultant deijcere: hoc est, quos deus euehit eos conculcare student, uel callide consultant, & mendacijs onerant cum ueritate obesse illis non possint. Hebræi quidam exponunt aliter. Quia deus pro exaltatione sua circa cardines cœli habitare uideatur, & non curare terrestria, quòd tarde puniat improbos, ideo cõsulentant pariter de opprimendis fidelibus, & excommunicandis à cœtibus suis. Priscus transtulit, Honorem meũ, Iod pro Vau, cum quidam Hebræi dicant Excellentiam suam, quod non abludit à prima interpretatione. Pretiũ autem reddi non potest ex Hebraico sicut ex Græco. Cucurri in siti, Hebræo non quadrat, nec diuinare possum unde receptum. Ore suo benedicebant, conscientia autẽ sua & intimis desyderijs & cogitatu maledicunt, falsi & mendaces corde, uerbo & opere. Memorandam autem sententiam, qua dicitur deus conatus impiorum cõtra pios cõuertere in impios, significat appositum Sela.

5 **Verũtamẽ deo subiecta esto anima mea: quoniam ab ipso patientia mea.**

Iterum canut suam nobis in exemplum fiduciam, repetitq; animæ suæ silentium & sabbathismum, conscientiæ scilicet tranquillitatem, qua solida fide sua sancti pendent à domino, cuius continuo expectant fauorem beneficium atque salutem, interim sua sorte contenti, resignati animo, deoq; commissi.

6 **Quia ipse deus meus & saluator meus: adiutor meus, non emigrabo.**

Is uersus cum præcedente ueluti intercalaris, secundo nunc ponitur eodẽ sensu, sine uitio repetitionis, quod locum non habet in orationibus ad deum, sed decorum & deo placens desyderium.

7 **In deo salutare meum, & gloria mea: deus auxilij mei, & spes mea in deo est.**

Consolatio piorum.

Non est iucundior consolatio homini pio, quàm si sentiat in se fidem & perfectam fiduciam in deum, qui solus sit saluator & salus, in quo solo possit gloriari, firmiter subsistere, uelut in petra inaccessibili, omnem fortitudinem suam habere à domino, qui sit omnia potens, qui solus explere ualeat quicquid animus humanus desyderare possit. Hac consolatione fraudantur, hac fide destituti sunt qui idolorũ & diuorum solatia perquirunt, qui & semper inquieti nusquam anchoram spei & syncera gaudij inuenunt, quamlibet sedulo discurrẽdo perquirant.

8 **Sperate in eo omnis (tempore) congregatio populi, effundite coram illo corda uestra: deus adiutor noster (in æternum.) Sela.**

Hortatur ad fidendum deo, & ne metuamus ab hominibus, qui sine deo nihil sunt & possiunt, ne prauã eorum studia sequamur. Canit igitur, Illo uero deo nitamur omni tempore, etiam cum mali uidentur regnare, ô populo dei, quod non sine affectus nota suppressit. Nisi fortassis olim pro עת scriptum fuerit עד, quod cœtum signare potest, ut priscus intellexit & transtulit. Quia autem molestia pijs est malorum felicitas, cum oppressione innocentiũ, ideò subijcit, Effundite coram illo cor uestrum,

uestrum, illi æstus doloris uestri querimini, unde certa uobis consolatio proueniat, qui solus fiduciæ uestræ finis ut est, ita & habeatur, ideo additur Sela.

9 Veruntamen uani filij hominum, mendaces filij hominũ in stateris: ut decipiant ipsi de uanitate in idipsum.

Opponit perfectionibus diuinis uanitatẽ humanam, ne quis metuat homines uel æstimet felicitatem impiorum, quæ planè est ipsa inanitas et nihilum: mendacium quoq; id est res fluxa, & omnem de se expectationem fallentem, ut quibus ipsum eorum nihilum præpõderet, si quis eos trutina explorans, in alteram lancem illos, in alteram nihilum ponat. Quis igitur istos metuat, imitetur, uel colat, aut etiam in eos spem collocet aliquam? Prisci certiorem sententiam uidit, significans nullam esse in hominibus integram fidem, quin mutuum sese decipiant, per omnes modos contractuum, uani enim sunt & mendaces omnes.

10 Nolite sperare in iniquitate, & rapinas nolite cõcupiscere: diuitiæ si affluant, nolite cor apponere.

Dehortatur ab opibus cum iniuria, fraude & rapina congerendis, quæ quamlibet etiã iusteacquisitæ homines seruare non possunt, imò totũ inanẽ faciunt, si quis illis incumbat immoderatius, & nimia solicitudine agglutinetur animo, uel cum iniuria proximorum, atque adeò cum exitiali offensa dei. Ideo hortatur spiritus sanctus, ne si ultro diuitiæ affluant, cor nequaquam adijciatur, non enim permanent, sed fluxæ sunt, facile auferuntur ac pereunt.

11 Semel locutus est deus, duo hæc audiui: quia potestas dei est.

Semel explicauit dominus uoluntatem suam ad homines, ut scirent in quo domino complacere possent, & deberent, scilicet in monte Sinai, in tabulis decalogi duabus. Eam iam semel & secundo, sæpius scilicet audiuimus in lege & prophetis, cuius summa sit, uno domino deo esse robur, ut saluare possit, & bonitatem, ut uelit: quod consyderantes attentius, illi uni se homines commendent atq; deuoti sint, creaturarum solatia & auxilia prorsus negligendo.

12 Et tibi domine misericordia, quia tu reddes unicuiq; iuxta opera sua.

Concludit addendo iam dictis deum unicuiq; pro suis meritis repensurũ, ut & malos male perdat, & hypocritas diuidat in portiones, abijciendos ad impios. Verũ, omnia facturum deũ, citra demeritum puniendo, & supra merita præmiando pro sua clementia infinita.

PSALMVS LXIII.

Psalmus Dauid quum esset in deserto Idumææ.

Mendum librariorum etiam prisco irrepsit operi, ut Idumæam legamus pro Iudæa. Quanquam & desertum Ziph non admodum distet ab Idumæorum regione, fortassis in limitibus utriusque, in quo diu Dauid delituit.

ARGVMENT. Oratio est & consolatio iusti in solitudine mentis et corporis ad deum, cum interim impij sese mutuo perdunt & pereunt.

1 DEus deus meus (tu) ad te de luce uigilo. Sitiuit in te aia mea, quã multipliciter tibi caro mea. In terra deserta, inuia, & inaquosa.

Nihil æque cupiebat Dauid pro pietate sua quàm interesse sacro cœtui colentium iuxta legem dei dominum deum Israel, quod per tyrannidẽ Saulis illi non licebat, dum esset in eremo Ziph, cum suis illis perfidis carbonarijs, ut quidam uolunt. Ideo orat ardentissime, dicens, O omnipotens deus, conditor omniũ, quem coluerunt sancti nostri patriarchæ, & à quo sunt beneficia maxima & promissiones consecuti, deus meus tu es, & nemo alius. Diluculo ad te laudandum consurgo, omnibus meis studijs tuam præpono gloriam, feruétque toto desyderio anima mea, & sitit scire & posse peficere uoluntatem & legem tuam. Concupiuit cor meum & caro mea proficere ad laudem nominis tui, & ad profectum in uera pietate plebis tuæ, cui me præposuisti. Nunc autem in siticulosa & arida terra, procul abesse cogor à sacris conuentibus, uel discentium legem tuam, uel concinentium gloriam tuam. Sacri cœtus.

2 sic in sancto apparui tibi: ut uiderem uirtutem tuam & gloriam tuam.

Hac demonstrationis nota significat energiam ad præsentem tunc illi sortem. Quasi diceret, Vide domine in quali nunc sim sacrario, scilicet in uastissima solitudine, uagus et uitæ incertus ac pauidus: attamẽ quasi si in ipso sacro fœderis tabernaculo, in medio populi tui essem, sic contemplabor te, ut uideam quoad licet uirtutem tuam & gloriam. Arca alioqui fortitudo & gloria dei dicebatur, propterea quod ex ea suam per caliginem nonnunquam & per responsa uirtutem & magnificẽtiam præsentem exhibebat.

3 Quoniam melior est misericordia tua super uitas: labia mea laudabunt te.

Vtcunq; nunc externa mecum habeant, quicquid periculorum circumstet, tua tamen me consolatur bonitas, cuius cõsyderatio deuota, quauis felici & amœna uita potior est et mihi optabilior, uita siquidẽ æterna est, omnibus numeris beata, tantum eius possidetur quantum uera cognitione percipitur: proinde etiam in hac sorte, qua impij nihil putant miserius, labijs tamen meis laudabo te cordis deuotione permotus.

4 Sic benedicam te in uita mea (&) in nomine tuo leuabo manus meas.

Cum sola uera laus dei oriatur ex solida contemplatione bonitatis dei, recte subdit, Quãdiu uixero, utcũq; habeam, in nomine tamen tuo, hoc est, laude nominis tui attollam manus meas, id quod flagrantis animi indicium est. Ad hoc uero uiuere delectat, ut non solum me, sed et alios multos ad reuerentiam & amorẽ gloriæ tuæ perducam, omnibus modis, eleuans manus meas ad gloriam tuam in omni mea actione. Laus dei uera.

5 Sicut adipe & pinguedine repleatur anima mea: & labijs exultationis laudabit os meum.

Eam uoluptatem ac cœlestium bonorum satietatẽ canit animæ suæ obuenire, statim atq; serio de deo cogitationem instituerit, qualis esse solet, quæ nocte remotis alijs negotijs in animo uersatur, ut in exultatione labia, & os in laudẽ soluere cogatur. Adipem et pinguedinem dixit pro summis sed spiritualibus delicijs animi.

6 Sic memor fui tui super stratum meũ, in matutinis meditabor in te,

Oratio etiã in stratu.

Quandoquidem non tantum interdiu & mane, sed et super stratum recumbens ad quietẽ noctu, mens mea suspensa est ad memoriam bonitatis tuæ & beneficiorum, promissionumq; tuarum ad me perpendens magnitudinem stupendam, perq; singulas custodias nocturnas per somni intercapedinem tu mihi solus & super omnia occurris meditandus. Hic quidam uigilias quatuor commiscuntur, alij tres, quidam duas, de quibus nihil ad rem: toties quoties euigilat homo uere deo deuotus, in primis cogitat eum qui non dormit neq; dormitabit custodem fideliũ, electorũ & Hierosolymæ sanctæ ciuium.

7 quia fuisti adiutor meus. Et in uelamento alarum tuarum exultabo,

Ex te enim solo perfectissime noui pendere omnẽ fortunã meam, uitam & operationẽ, tu solus me adiuuare potes, & hactenus uoluisti, proinde non tam in fidelissimorum cõmilitonum lacertis & fide collocaui fiduciam salutis meæ, quàm in umbram alarum tuarũ, quibus me tueris à rapacissimis aquilis. Vmbram autem dicit tuitionem & protectionem, qua clementissimus dominus Dauidem tam mirabiliter eripuit.

8 adhęsit anima mea post te: me suscepit dextera tua.

Discimus contemplatione fauoris diuini Deum nobis semper auxilio esse, & perpetua nos securitate gaudere sub ipsius tutela, qua ita nos fouet, ut aues solent pullos suos. Quam si uere sentiamus, necesse sit iugiter & laudare deum, & tota animi deuotione illi adhærere perfecta fide, uicissimque ab illius dextera in omnibus huius mundi periculis, fidelissime suffulciri.

9 Ipsi uero in uanum quæsierunt animam meam, introibunt in inferiora terræ,

Ipsi uero tanti ac tot persecutores impij in uanũ quæsierunt hactenus uitam & animam meam, frustra tot in fidijs insteterunt, quibus me dominus ad manum non tradidit neq; tradet, quin potius ipsi me quærentes ad mortem, exterminium incident, detrudendi potius ad inferna. Occisus est enim Saul per animi impotentiã à seipso, ne haberetur contemptui, & locũ cesßit regno ei quem uoluit perditum.

10 tradentur in manus gladij: partes uulpiũ erunt.

Tradentur uel incident in manus gladij. De Saule peculiariter intelligit & prædicit. Aciem & uim gladij proprij sentiet & feret: ut partes, id est præda uulpium sint futuri omnes sui hostes occidendi in bello, & sepultura carituri ut uulpes, bestiarum cibus & præda futuri. Quibus uidetur prædicere omnium eorũ cædem, qui pios iniquiter persequuntur.

11 Rex uero lætabitur in deo, laudabuntur omnes qui iurant in eo, quia obstructum est os loquentium iniqua.

Gloriatur sibi & pijs omnibus, nempe qui iurant per iurandum deum, uere scilicet & ad dei gloriam, ad omniscientiam deum protestandam, & quia deo nihil habeant augustius, summam sibi fore de deo lætitiam, laudandiq; eius bonitatem materiam amplissimam, ad obstruendum os loquentium uana, quales ipsius hostes erant. Hinc est discenda piæ precationis natura, & fructus consyderationis operũ diuinorũ, et ne in alio lætetur pius quàm in gratia & fauore dei, inq; laudibus diuinis, in innocentis uitæ conscientia, & in exaltatione ueritatis et bonitatis diuinæ, utq; summopere uitetur omnis sermo iniquus, fallax & mendax, quo pijs et deo dilectis cum iniuria derogatur.

PSALMVS LXIIII.

In finem Psalmus Dauid.

Vel ad exhortandum, aut ad conatum in laudibus diuinis explicandis, magis quàm digne perficiendis.

ARGVMENT. Oratio contra timorem impiorum cum consolatione adiuncta.

1 EXaudi deus orationẽ (uocẽ) meã cum deprecor: à timore inimici eripe animam meam (obserua uitam meam.)

Ideo nonnunquam pericula immittuntur fidelibus, ut Pericula immittuntur pijs. dei recordentur, & feruentius illi fidere, & precibus pijs adhærere discant, necessitate compulsi. Sic enim exercitandi sunt sancti continuo in hac uita, ne insolescant, et sine intermissione corde deus inuocãdus, et ubi causa urget, etiã uoce, sed ea ex meditatione procedẽte interpellandus. Semper autem dum uiuimus hostes patimur, dæmonem, mundum, carnis concupiscentias, & amorem nimium sui, à quibus omnibus liberari à domino precantur fideles: & qui nesciunt hos hostes, pij non sunt, & qui in his periculis nõ clamant ad dominum, fideles non sunt.

2 Protexisti me à cõuentu malignantium: à multitudine operantium iniquitatem.

Instantiam quotidianã, & falsos fratres & publicos fidei hostes etiam Paulus deprecatur: sic omnes electi cupiunt à domino deo suo abscondi et protegi à cœtu, conuentione, consilio, uiolentia uel dolis conspirantium impiorum, qui mala tantum sectantur, et inferunt mala nõ sibi similibus sed pijs. Sunt autem caterua nebulonum et concursantium ad publicam iustitiam impediendam, tantum ad maleficia propensi, ideo operarij & auctores iniquitatis dicuntur, à quibus se pij uix defendere possunt, imò nõ possunt, nisi oratione, cõstantia et patientia. Studia malignantium. Locum.

3 Quia exacuerũt ut gladium linguas suas, intenderunt arcum rem amaram.

Studia malignorum indicat, acuere dentes suos, paratas semper habere calumnias in ore contra innoxios, & mortiferis accusationibus & falsis delationibus uelut gladio occidere innocẽtes, parati semper ad lædendum, & tristia uerba ac amarissima iaculãdum in proximos, innocuos & fraudis expertes homines. Quos pij præ-

scire

ſcire & propellere nequeunt, uelut iacula arcus de longe uibrantia ad præſentem perniciem improuiſi.

4 ut ſagittent in occultis immaculatum. Subito ſagittabunt eum & non timebunt:

Studium impiorum eſt tendere arcus, ut ſagittis iaculentur incautos & integros, qui ut nemini obeſſe cupiunt, ſic non ualde timent ſibi ab impijs, ut ſeſe præmuniant, quin & dolis impiorũ in abſcõditis ſautiantur, ut remedio nullo ferè illis ſuccurri poßit, niſi tantũ innocẽtiæ cõſcientia liberãdi. Subito fideles incautos aggrediuntur impij, nihil deũ timẽtes neq; iuſta illius iudicia: nõ eſt enim penes eos timor dei, nulla religio uel pietas.

5 firmauerũt ſibi ſermonem nequam. Narrauerunt ut abſconderent laqueos: dixerunt, Quis uidebit eos?

Calumnias improborum uocat uerbum malum, quod ſortiter iaculantur, & infigunt innocuis, quibus ſimplices reſiſtere non didicerunt. Cogitando & conſultando mutuum colloquuntur & narrant, quomodo aggrediantur pios, ut lædere poßint homines ſimplices: ſi tamen non peiores ſunt ex uſu malignandi, quàm ut conſultare indigeant, & tam crudeles ut mutuum non expectent, ſed pro ſe quiſque uim inferat quantum libeat ac poßit. Non eſt enim apud tales fides prouidentiæ dei, uel timor iudicij iuſti, & uindictæ impiorum. Vel etiam refẽrendo ad laqueos dicunt, Quis deprehendet noſtras fallacias & tendiculas noſtras contra fideles?

6 Scrutati ſunt iniquitates: defecerunt ſcrutantes ſcrutinio. Accedet homo ad cor altũ (Et etiam intimum hominis & cor profundum)

Ad ſummam diligentiam dolos concinnandi ſingulari ſtudio calumnias excogitãt, & exaggerant adeo, ut exactiſſimam perueſtigationem non obmittant, ſi quo modo crimina obtendenda inueniant, contra innoxios excitiales calumnias cõminiſcendo, & incendia famæ & honoris inueſtigando, etiam quæ occulta ſunt cordium & intentionum uitio dant, & eruere falſis coniecturis conantur, ut anſam habeant perdendi fideles.

7 & exaltabitur deus. Sagittæ paruulorum (ſubitaneæ) factæ ſunt plagæ eorum,

Dominus hos impios ſcrutatores & malignos ſagitta ſua feriet de improuiſo, ut proſpicere ſibi nequeant. Subitaneæ erunt plagæ eorũ quibus afficientur iudicio domini, ij qui linguas ſuas ceu ſagittas intendiſſent in innocuos, diras ſcilicet & peſtiferas calumnias. Alium ſenſum ſecutus eſt priſcus interpres, ſine punctis legendo ר pro ד, transferendo paruulos, & aliter diſtinguendo uerſum cum priore: dicens, Accedet homo ad cor altũ, id eſt profundum, & exaltabitur deus, primum Vau legendo pro Iod, aliud ante cor pro ל facili ſcriptorum opera. Sed ſenſus Hebræorum & lectio germanior forßis uidetur.

8 & infirmatæ ſunt cõtra eos linguæ eorũ. Conturbati ſunt omnes qui uidebant eos:

Facient ſeipſos impingere, impij ſcilicet, linguis ſuis. Cum minimum putarent ſuis ipſorum linguis præcipitati ſunt, & perditi, adeò, ut ſtupori et terrori fuerint cernentibus. Nam quicunq; eos conſpexiſſent, ij præ metu mox defluxerunt, uidercq; eorum calamitatem minime ſuſtinuerunt.

9 & timuit omnis homo. Et annuntiauerunt opera dei & facta eius intellexerunt.

Ex huiuſmodi ultione diuina de improbis ſumpta, gloria dei illuſtrabitur. Dominum enim deum timere & reuereri incipient mali, ſibiq; periculum imminere formidabunt, aliorum exemplo, cernentes dei opus eſſe perditionem improborũ, bonis interim iuſta dei iudicia deprædicantibus, & de bonitate eius, qua ſola nitũtur exultantibus, quod in ſequenti uerſu notatur.

10 Lætabitur iuſtus in domino, & ſperabit in eo: & laudabuntur omnes recti corde.

Gaudebit iuſtus de æquitate dei, etiam ab impijs ſuo malo confitenda: qui enim recto & æquo ſunt corde & animo, recte de iudicijs dei ſentiũt, erga proximos quoq; recta afficiuntur fide, & dilectione, ſolidi feruentesq; in uera pietate.

PSALMVS LXV.

In finem Pſalmus Dauid.

Idem qui in priori Pſalmo.

ARGVMENTVM. De profectu eccleſiæ per uerbum dei, poſtquam inualuerant peccata in orbe.

1 TE decet hymnus deus in Siõ: & tibi reddetur uotũ (in Ieruſalem.)

Ineffabilis, ſtupenda & omnem æſtimationem excedens tibi laus debetur, ô domine deus, in eccleſia fidelium, in qua ſola laudari appretiaris & mandas: & tibi reddãtur placita uota, ſacrificia, & obſequia cordium, linguarum & operum, non alibi quàm in cœtu fidelium, qui nunc Sion, nunc Ieruſalem nominatur. Vbi olim tantum erant ſummi dei cultores grati, & electi antici ad cultum, iuxta præſcriptum diuinæ legis: nunc uera agnitio legis & legislatoris peruaſit omnes gentes, ut humero uno glorificent uerũ deum.

2 Exaudi orationem (meam) ad te omnis caro ueniet.

Laudat primum & prædicat dei bonitatem, à facilitate & propenſione ad benefaciendum omnibus, & aurem præbendi orationibus, qua preces quorumlibet exaudit. Adeò enim exorabilis deus eſt, ut ad ipſum ſeſe recipere audeat omnis caro, hoc eſt omne genus hominũ. Quo aperte admodum de regno Chriſti uaticinatus eſt, in quo cœleſte illud propitiatorium & oraculum, dominus Ieſus Chriſtus, toti mundo per Euangelium propoſitus eſt et innotuit, cum olim ſolum in Iudæa notus eſſet, & in Ieruſalem magnum nomen eius: nunc Chriſti myſterium fructum ſuum habet in toto mundo per fidem gratiæ dei in Chriſto. Tum quoq; omnis caro, id eſt creatura humana, ſaluandi quiq; fideles et electi ex omnibus nationibus, ueram Zion Ieruſalem ſupernam montem ſanctum adire cœperunt. Chriſtus propitiatorium.

3 Verba iniquorũ præualuerũt ſuper nos (&) impietatibus noſtris tu propitiaberis.

Celebrat bonitatem dei à clementia, in eos qui ipſum offenderunt. Verba, inquit, iniquitatum præualuerunt

nobis, moles ipsa prauitatis fomes, qui omnium scelerum parens est, oppresserat nos, & malis grauissimis obnoxios fecerat. Hanc, ait, condonabis, quod & ipsum in Christo seruatore singulariter mundo praestitum est. Ipsius nanq; sanguine, quod diuus Paulus tam praeclare ubiq; praedicat, uera constat peccatorum expiatio, solidaq; ab ira dei redemptio, dum merito mortis illius eo spiritu donamur, quo remissionem consequimur cum odio mali, & amore studioq; boni.

4 Beatus quem elegisti & assumpsisti: inhabitabit in atrijs tuis. Replebimur in bonis domus tuæ: sanctum est templum tuum,

Beatus is est, qui à diuina in primis prouidentia ac bonitate electus est, ut in atrijs domus domini habitaturus sit, id est, fide integra inter sanctos cœli ciues uitam actu rus, cœlestibusq; bonis, quæ sunt bona domus dei, eiusq; templi in quo sunt credentium animæ, scilicet uera iustitia fidei & pietas, cum cæteris spiritus sancti fructibus, qbus pater cœlestis glorificat sanctos suos perfruiturus.

5 mirabile in æquitate. Exaudi nos deus salutaris noster: spes omnium finium terræ, & in mari longe.

Si, ô domine deus, iuxta peccata nostra nobis respondere nolueris, non poterimus sustinere, terribilia enim sunt nobis iudicia iustitiæ tuæ, ut cõscientiæ nostræ contremiscere cogantur, & procul esse à beatitudine. Verumtamen fidutia bonitatis tuæ freti, inuocare te audemus dominũ & deũ iustitiæ nostræ, qua fide saluamur, ut terribilem iudicem te non simus experturi. Quin & non solum noster uel meus saluator es, sed totius mundi spes, & omnium finium terræ, & quaquauersum protenditur latissimum mare. Omnium enim hominum deus agnoscēris, et saluator adoraberis, in remotissimis quoq; insulis & finibus maris.

Inuocant sancti.

6 Præparans montes in uirtute tua, accinctus potentia:

Ideo autem sperabunt in te omnes gentes, quia agnoscent te solum deum esse omnipotentem, qui uirtute uerbi tui omnia condidisti, etiam altissimorum montium magnitudines statuisti in suo ordine & decore, cui nihil est impossibile, qui nutu suo omnia moderatur, penes quem est omnis potentia, & quicquid uirium & facultatis est ab eo solo pendet, siue in hominibus siue naturis rerum quarumcunq;.

7 qui cõturbas profundum maris, sonum fluctuum eius. Turbabuntur gentes,

A duobus se ostendat dei omnipotentiam prædicare, ab eo scilicet quod sæuum & tempestuosum mare cum illi libet sedare potest, omnemq; fluctuum fastum & procellarum, quæ comprimit ui sua, alioqui nemini cedentia. Et ab eo, denique, quod populorum quoque qui instar commoti & feruentis maris sæpe fremunt & exitium minantur, tumultus domat & furores, ut quantũlibet multi sint & fortes, nihil tamẽ sine sua ualeant potestate, apud quem est omnium uictoriarum alea & prouentus.

8 & timebunt qui habitant terminos, à signis tuis: exitus matutini & uesperæ exultabis (delectabis.)

Toto terrarum orbe homines habitantes, sed à deo electos per gratiam, stupenda per Christum & apostolos facta miracula & prodigia permouerũt ad resipiscentiam. Exortum solis diluculo, & occasum uesperi, orientalem & occidentalem orbis partes, imò totũ mundum delectabis & canere facies bonitatem, sapientiam & potentiam tuam, totúmque orbem nunc idolis seruientem, & ad confessionem fidei in deum uerum perduces.

9 Visitasti terram & inebriasti eam: multiplicasti locupletare eam. Flumen dei repletum est aquis: parasti cibum illorum quoniam ita est præparatio eius.

Secundum primæuas atque sempiternas promissiones tuas, patriachis factas, in tempore uisitabis mundum, et mittes saluatorem Christum, qui fluentis Euangelicæ doctrinæ & apostolicæ irrigabit mundum, & plurimum ditabit nouis thesauris gratiarum et doctrina ueritatis, eliminatis erroribus. Vnde & redundabũt in mundum uniuersum riuuli sancti spiritus catholicæ eruditionis, et scientia uerbi dei, quæ nunquam deficiet, sed plena uberitate perfundet uniuersa. Nec tantum irrigatio felix aderit terræ, sed semen quoque sanctum, & lætissimæ segetes facient in tempore fructum centesimum & uberrimum. Sic enim tu eam terram tuam præparare potes & uoles, nobilissimus agricola, ut bona terra semen sanctum suscipiens fructus germinet optimos & multos.

Riuuli diuini spiritus.

10 Riuos eius inebrians, multiplica genimina eius: in stillicidijs eius lætabitur, germẽ eius benedices,

Sulcos eius terræ, & riuos hortus ecclesiasticiirriga & inebria ubertim, cordibus fidelium contritis & humiliatis, ueluti areolæ dispositis, per spiritũ sanctum illabere, & ad fructus spiritales fœcundare non cesses. Comprime glebas eius, cõplana & æqua, quicquid prauum est in conscientia omnium uerbo tuo. Imbribus liquescere fac eam, ne perpetuo maneat natura sua dura intractabilis & infrugifera conscientia. Germini eius benedices, ut latissime & ubertim floreat omnis iustitiæ fructus. Quod autem priscus transtulit Multiplica genimina eius, intellexit nihil aliud, quàm insigne semen uel radices more hortulanorum in ualleculas & areolas uo mere exaratas, ut tanto frequentius multiplicentur germina. In stillicidijs lætabitur germinans, intellexit perminutissimas imbrium guttas ut læta seges promoueatur accedente nimirum benedictione dei.

11 coronasti annũ benignitatis tuę: & campi tui replebuntur ubertate.

Coronasti annum benignitate tua, cum omnium rerum prouentum uberem largitur liberalitas dei. Et semitæ tuæ stillabunt pinguedinem, prouidentia tua quæ benedicis populis, & uisitas clementer, fructus salutis plurimos producens, per idoneas pluuias ordinatione tua demittendas. Hoc est per dei benedictionem annum coronari, & campos ubertate repleri.

Pinguescent

12 Pingueſcent ſpecioſa deſerti: & exultatione colles accingentur.

Vbi magna difficultate homines in deſerto habitabant, ibi per dei ſtillicidium & gratiam frugifera omnia erunt, & in dei paradiſum uertentur. Colles quoq; accingeneur gaudio, omni genere fructuum delectabunt aſpicientes & exhilarabunt. Vbi nihil ſperabatur boni, ibi dominus ſpiritualium gratiarum largietur copiam. Gentium arua infœcunda per infidelitatẽ, colenda uerbo dei per fidem Chriſti pulchre fructibus abundabunt. Suppeditabit campus paſcua, et innumeris fidelibus per dei uerbum eccleſia redundabit.

13 Induti ſunt arietes ouium, & ualles abundabunt frumẽto: clamabũt, etenim hymnum dicent.

Campi illi prius ſteriles, dei munere ueſtientur arietibus, agnis & ouibus, gregibus copioſis. Et ualles operientur frumento, omnium bonorum maxime terræna ſcenteium inſigni affluentia redundabunt, ut omnia uelut canendo & ridendo domino deo ſuo, hymnum canere uideantur. Sic quoque iuſtorum animi de benignitate dei foris gaudiũ teſtabuntur, & ſonum gratiarumactionis ex cordis iubilo concinent omnia.

PSALMVS LXVI.

In finem canticum Pſalmus Dauid.

Satis ex dictis patet.

ARGVMENT. Gratiarumactio pro redemptione piorum à tyrannide improborum, & laus dei canitur per omnia beneficia ſuſcepta.

1 2 IVbilate deo omnis terra, pſalmum dicite (gloriæ) nominis eius: date gloriã laudi eius.

Nihil deſyderare Dauid pro fide ſua ſa cratius potuit, quàm quod & ſperabat, & in promiſſis receperat, de ſemine ſuo regem regum, & ſuper omnes gentes dominaturum, in maximam dei gloriam, quam nunc nos impletam abunde conſpicimus, ut Chriſtũ dominum filium Dauid, omnium gentium principes agnouerint regem æternum, & caput omnium filiorum dei. Ideoq; tam crebro in oratione præuolat, hoc tam ſacro ſuo deſyderio, dilatandæ gloriæ dei in totum mundum. Ideo hic quoq; incipit ex gratiarumactione, non ſolum à Iudæa ſibi deferenda, ſed ab omni terra ab eccleſia fidelium toto orbe diſperſa. Omnes electos adhortatur ad glorioſe pſallendũ maieſtati diuinæ, ad ſanctificandum nomen dei ore, corde, & uocibus, utq; gloriam ſuam aliam & maiorem non ponant uel æſtiment, niſi in laudibus dei, cui debetur omnis honor & gloria.

3 Dicite deo, Quàm terribilia ſunt opera tua (dñe) in multitudine uirtutis tuæ mentientur tibi inimici tui.

Cupit inſtructas uera fide omnes gentes, ut credant & intelligant incomprehenſibilia eſſe opera ſapientiæ & potentiæ dei in creatione mundi totius, & ordine prouidentiæ ſuæ, ut diſcant reuereri dominum & ſuſpicere, ſi prudẽter diſpiciant magnitudinem operum dei, ex quibus creatorem æſtiment utcunque, qui cuncta facit, diſponit & conſeruat. Fiet enim ſuo tempore, ut ſeſe omnes idololatræ gentes mendacium poſſediſſe confeſſuræ ſint: & qui fuerant populi increduli & impij, conuertendi ſint ad te dominum colendum & reuerendum, eatenus, ut etiam ſi animo non credat, minime tamen audeat ſuam confiteri perfidiam, quiſquis fuerit impius.

4 Omnis terra adoret te, & pſallat tibi: pſalmum dicat nomini tuo. Sela.

Omnes enim terræ coloni, omnes gentes in ſpiritu & ueritate te generaliter colent: ſapientiores inquam & meliores, uel electi ex omnibus, non ſine fide uel mendaciter ut hypocritæ impij & in omni gente deo exoſi. Ego quoque tibi pſallam, & in confeßione tui nominis me exercitabo & recreabo, impenſißime cupiens id fieri ab omnibus gentibus: quod ut hodie mirabile uideatur, tamen certißime fiet, ideo additur Sela. Omnes enim ſanctificabunt ſacroſanctam bonitatem tuam, quã mundo exhibiturus es & oſtenſurus in myſterio Chriſti domini. Orbis fidelis.

5 Venite & uidete opera dei: terribilis in conſilijs ſuper filios hominum.

Hortatur mortales omnes, ut conſyderent magnifica dei omnipotentis opera in Iſraelem, non ſolum admiranda, ſed plane terribilia, quæ pro illis ædidit. Recte autem opera ea uocat, ſuper uel in filios hominum. Quod enim iſtis Iudæis fecit, non ideo fecit, quod Iudæorum tantum deus eſſet, eſt enim & gentium deus, ſed ut in his demonſtraret, quid de ſe uniuerſum hominum genus ſentire & ſperare debeat, intelligere ſcilicet & credere, quomodo improbos abijcit, fideles fouet, exercet, liberat & exaltat, & quomodo conſilia ſua inſcrutabilia circa homines ſunt. Opera dei.

6 Qui conuertit mare in aridam, in flumine pertranſibunt pede: ibi lætabimur in ipſo.

Explicaturus opera dei admiranda circa electos ſuos, duo præcipue memorat miracula, Vnum diuiſionem maris rubri: alterum Iordanis, quo uiam præberet populo ſuo, uel fugienti Aegyptios, uel inuadenti Chananæos, unde mirum in modum de deo populus Iſrael tam inſigniter in ſe dei bonitatem expertus fuerat & lætatus. Sic quoque in Chriſti regno fideles euadunt pericula huius mundi, quæ utcunque alijs nociua ſint, ipſis tamen proſunt. Ibi lætabimur, inquit, tali tranſitu per aquam & nubem ſpiritu gaudebimus in liberatore noſtro. Miracula duo.

7 Qui dominatur in uirtute ſua in æternum, oculi eius ſuper gentes reſpiciunt: qui exaſperant, non exaltantur in ſemetipſis. Sela.

Potentiam dei proponit omnibus in toto mundo gentibus formidandã, ut qui omnes regat, omniũ corda noſcat, cunctoſq; ſit iudicaturus. Quare ei quod cecinit dominari deum ſæculo & in æternum, hoc eſt, toti orbi, & intentos habere in gentes oculos, recte ſubiecit, Qui uero dominum exaſperant, ab eo deficientes, minime exaltãdi ſunt: id eſt, nequaquã ſuperiores futuros unquam Potentia dei.

quanquam ad tempus impij dominari amicis dei uideantur. Hoc autem quia ægre credunt filij huius sæculi, ideo adiecit Sela. Rebelles & præsumptuosi reijcientur à domino, non proficient contra electos, sed peiores semper erunt sibijpsis, ut quandoquidem sordent, semper magis sordescant atque magis.

8 Benedicite gentes deum nostrum, & auditam facite uocem laudis eius.

O uos omnes populi terrarum, qui nunc singulis nobis singulos deos præstituitis atque appropriatis, benedicite potius, ueneramini, credite & inuocate dominum deum omnipotentem, creatorem cœli & terræ, qui est deus noster. Reiectis idolis falsis adorate deum uerum, & diuulgatum illius regnum uniuersale, & Euangelium Christi gratulabundi suscipite, acclamationibus deuotis celebrate, & confitemini gratiam eius mundo exhibitam.

9 Qui posuit animam nostrã ad uitam, & non dedit in cõmotionem pedes nostros.

In medijs hostibus & calamitatibus quibus ferè ad unum omnes fuissemus deleti, illius bonitate liberati sumus, ut memorat liber Iudicum & Regum, illiusq; miraculo in uitam nos posuit, id est, uitam seruauit, nec permisit ut laberetur pes noster, ut caderemus in mortem & exterminium, quod imminebat: & hinc quia extrema illis deus mala immiserat, & nihilominus seruauerat, iure canunt se uelut argentũ igni excoctos & exploratos. Nihil enim igni uoratius est, at cũ quæuis alia consumat, argentum tamen & aurum reddit purius. Ita mala quæ deus immiserat Israëli, quemlibet alium populum planè internecioni dedissent, at Israëlem etiam puriorem melioremq; reddiderunt.

Ignis natura.

10 Quoniã probasti nos deus: igne nos examinasti, sicut examinatur argentum.

Vt pater filium nos exercitando & erudiendo probasti per multas angustias, & mortificasti nos sensu carnis in spiritu renouando & purificando corda, sicut argentum igne purgatur.

11 Induxisti nos in laqueum, posuisti tribulationes in dorso nostro:

Paruis & leuiculis aliquando nos periculis exposuisti, ueluti dum in laqueum inciditur facile rumpendum: sed & nonnunquam inuincibilibus angustijs corpora nostra & animas irretiuisti, quibus euadere humana uirtute non poteramus, non secus atque si quis catenis astringatur ex dorso & coxendice, uel præ immensitate laborum quibus opprimitur, non possit consistere.

12 imposuisti homines super capita nostra. Transiuimus per ignem & aquam: & eduxisti nos in refrigerium.

Equitare in capitibus.

Imposuisti tyrannos ceruicibus nostris, quod Hebræi dicunt, Equitare fecisti homines super caput nostrum: hoc est, ita hostes nostros nobis imposuisti, ut instar iumentorum sibi subiectis nobis abuterentur, ac uelut bestijs uel equis insiderent. Demum mala quæ perpessi sunt in summam contrahens, dicit, Duxisti per ignem & aquam, qubus homines necantur certius cum prævalent & acerbius, sed eduxisti nos in refrigerium, uictorijs hostium promouẽdo, terra fluente lacte et melle donando. Celebris ille locus, mala diuinitus immitti credentibus, & in bonum ipsorum, sicq; eos tandem malis omnibus liberari, ut leue & momentaneum afflictionis pondus, gloriæ cœlestis præmium operetur.

13 Introibo in domum tuam in holocaustis: reddam tibi uota mea,

Holocausta pinguia.

Instituam gratias agere pro tam beata redemptione, ex gratitudine spiritus exterioribus secundum legem cæremonijs, aditurus domum dei, ut illic coram cœtu piorum celebrem bonitatem Dei ad instaurandam multorum pietatem, quandoquidem tu eas probas & suscipis oblationes & sacrificia, præcipue autem uota, quæ in afflictione promiserant. Nam hostias tantum ad commendandas dei laudes pro temporis ratione adiungebant. Deuotioni ergo meæ quam proposui secundum uoluntatem tuam, ò deus, satisfaciam, tibi ex animo gratificaturus.

14 quæ distinxerũt labia mea, & loquutum est os meum in tribulatione mea.

Vocalia labia.

Quæ in angustijs positus promisi tibi grata obsequia, utilia proximo, non impossibilia mihi, opera de genere bona, & secundum legem domini instituta, ut uoluj sic liberatus exoluam, gratias tibi agẽs omnibus modis, quibus id tibi placere cognouero. Proferre labijs & loquiore, locutione Hebraica, significat promittere uota. Id maxime fit in angustijs, sine præmeditatione & iudicio iusto: quod tamen seruandum est, si rationabile sit, & dei uerbo non aduersum.

15 Holocausta medullata offeram tibi cum incenso arietum: offeram tibi boues cum hircis. Sela.

Holocausta medullata & pinguia ac delicata offerre domino, est præcordiorum fidelium religiosum affectum offerre domino. Incensus autem arietum, est opere exteriori testari mentem deo dicatam & gratam. Tunc autem domino placebat iuxta legem sacrificiorum in templo oblatio, nunc uero in spiritu & ueritate uult coli. Facere boues cum hircis, aliud non est, quàm offerre ea deo, tropo Hebraico, sicut & Virgiliano. Quasi dicat: Nihil negligam eorum quibus secundum legem te placare confidam, dum tibi sic fers seruiri, usq; ad tempus sciicet correctionis. Quod in primis notandum iudicat ad iunctum Sela.

Oblatio ritualis.

16 Venite, audite: & narrabo omnes qui timetis deum, quanta fecit animæ meæ.

Ex affectu fidei & charitatis transfert sermonem à deo ad homines uniuersos, quos omnes cupit æque imbui charitate & reuerentia ad deum. Non est enim zelotypus amor dei, sed omnino syncerus, quia propter amatum non amantem. Aduocat igitur magnopere omnes, ut accedant ad timorem dei, quotquot afflicti sunt conscientijs, ex corruptis moribus & doctrinis, ut primum audiant & credant bonitatem dei, ex magnificis beneficijs suis, ut discant amare: proinde promittit sa-

Timor.

pius

pius ubiq; semper & omnibus deũ timentibus narrare quæ illi dominus fecerit, ut similia sperent sibi quoq; cõferenda si postulent quanta fecerit animæ meæ, quantis bonis me fuerit prosequutus prædestinando, creando, alendo, instruendo, trahendo, conseruando, liberando, redimendo: & quid non habet homo uel potest aut boni operatur, quod non à deo acceperit? Iugi ergo gratitudine, beneficiorum memoria, & mandatorum obedientia illi est respondendum.

17 Ad ipsum ore meo clamaui, & exaltaui sub lingua mea.

In speciali commemorat de innumeris beneficijs quædam, quomodo scilicet exauditus sit orans, non ex meritis, sed quia sperauit in illum, & in aliũ neminem. Non tantum ore se clamasse dicit, quando deus cor respicit & exigit, sed ex fide cordis ore conqueritur necessitates. Et sub lingua exaltatus est, incessit mihi mira uoluptas prædicandi nomen domini, ut nihil aliud loqui libeat, nisi quod pertineat ad gloriam dei, cuius continuo laudes extuli lingua mea.

18 Iniquitatem si aspexi in corde meo: non exaudiet dominus.

Inter orandum non spectaui in corde iniquitatem, non sensi in conscientia hypocrisim uel infidelitatem, nõ respexi tantum ad bonũ meum, sed ad uoluntatem & gloriam dei. Non enim exaudit dominus eos qui ficte orãt, & sinistram intentionem habent in pectore. Nec tantum nõ exaudiet, sed magis ut contemptorem bonitatis suæ iudicat. Orandus est enim dominus non aliter q̃ docuit: ut sanctificetur nomen suum: unde recte dicebat cæcus, Scimus quia deus peccatores non audit, quorum scilicet animus prauitatem fouit & perfidiam.

19 Propterea exaudiuit deus: (&) attẽdit uoci deprecationis meæ.

Candide & cum fide orantes ut oportet, dominus sine dubio exaudit semper. Talis enim est oratio à spiritu sancto, in quo sancti clamãt, & dominus quod orari docuit, hoc fieri & explere prius uoluit, sed non nisi exoratus. Attendit autem clementer ad orationes eorũ quos orare instigat, qui ex fide orãt, & timent deum. Vocem orationis dicit, non quod uocalem oporteat ædi, sed uocis & clamoris instar est domino omne desiderium uotumq; & affectus piorum.

20 Benedictus deus, qui non amouit orationem meam, & misericordiam suam à me.

Gloriatur se à domino fuisse auditum, & gratias agit, cum significatione auxilij splendidi, unde & in laudes dei erumpit, eiq; confitetur, quod suam precem non respuit, nec ipsius bonitatem amouit, imò longe plura reddit semper dominus, quàm quis etiam fidelis audeat sperare uel petere.

PSALMVS LXVII.

In finẽ in hymnis Psalmus cãtici Dauid.

Hebræi sic: Ad uictoriam uel deuotissimum conatum collaudandi bonitatem dei etiam per organa musicalia carmen hoc editum est, scilicet à Dauide.

ARGVMENTVM. Oratio est prophetica pro mysterio Christi complendo, & manifestando in totum mundum.

1 DEus misereatur nostri, & benedicat nobis: illuminet uultum suum super nos, (& misereatur nostri.) Sela.

Orat populus fidelis, semen Abrahæ secundum carnem & fidem, per quos cunctæ nationes diuniora illa beneficia iuxta dei promissiones perceperunt, ut gratia dei, fauor, misericordia uel clementia, qua deus sua fidelibus beneficia non ex meritis largitur, resplendeat super fideles, ut non illis quæcunque imputentur peccata, sed potius benedicat, hoc est, donis gratuitis promoueat gloriam suam in electis, sine cuius gratia omnes homines miseri sint & maledicti propter peccata, quæ naturæ humanæ ex primæua corruptela inhærent, ut sint propensi ad amorem priuatum, originem peccati, & fundamentum Babylonici regni. Faciat quoque lucere serenissimum uultum suum super pios, non lumine rationis & humanæ sapientiæ edocendos, sed gratia & ueritate uerbi sui per Christum illuminandos. Pro quo indicando dei fauore iungitur Sela. Vota fidelium.

2 Vt cognoscamus in terra uiam tuam: in omnibus gentibus salutare tuum.

Deum uerum digne cognouisse, certum & flagrantem eius amorem gignit, qui tum impellit, ut nihil prius curemus, quàm eius bonitatem, nedum sciri à nobis, sed in omnes homines manifestari uias dei, id est, consilia instituta & opera, quibus tuis amicis tam amanter consulis, tam largiter benefacis, tam potẽter defendis. Etenim nihil aliud sunt uiæ domini, quàm bonitas & fides, sicut uiæ hominum sunt mendacium & peccatum. In omnibus gentibus salutare tuum, id est, salutẽ quam præstas, ut totus mundus agnoscat gratiam dei in Christo, qua sibi mundum reconciliauit, & uerbi claritate disputit tot errores hominum, etiam electorum dei. Noſce deũ.

3 Confiteantur tibi populi deus: confiteantur tibi populi omnes.

Non iam soli Israëlitæ & Iudææ coloni uel Palæstinæ, sed omnes pariter nationes orbis uniuersi celebrabunt nomen tuum, & adorabunt omnium creatorem deum omnipotentem, hactenus ignoratum uel neglectũ, nunc uero cognitum & honorificandum, siquidem bonorum omnium fontem. Confitebuntur autem nedum uerbis et canticis, sed perfecta charitate, qua parati erunt pro illius gloria & fauore sese totos impendere, à quo exemplo Abrahæ patriarchæ summi pendere audeant & oppetere mortem, si causam deus dignam aduerterit, sua quoq; fide incitaturæ sint gentes ad æmulationem & zelum ipsos Iudæos, & secundum carnem Israëlitas, quos deus olim orbi posuit in exemplar potentiæ, gratiæ, & iustitiæ diuinæ ad homines uniuersos. Adorare creatorem.

4 Lætentur & exultent gentes, quoniam iudicas populos in æquitate, & gentes in terra dirigis. Sela.

Gentiũ uocatio & salus.

Lætentur, inquam, cæteræ quoq; gentes, quæ erunt procul & nihili, quarum nec lex erat neq; patres, neque testamentum. Istæ lumen reuelandum eis cum gaudio amplectentur, credentq; pariter & scient deum iudicare, hoc est regere & moderari cunctos populos, ut deorum suffragio uel substitutione nihil indigeant: & id quidem in æquitate & indulgentia, ut qui ipsi fidunt seseq; illi ducendos committunt, nullo unquam sint bono caituri. Ducentur autem euangelica doctrina & beneficijs dei per Christum & miraculosa potentia, ut errare nõ possint quandiu à uerbo uitæ, quod habet Christus, non recesserint. Sunt enim promissiones dei non sine conditionibus promulgatæ, ut si promissis frui libeat, sciamus oportere etiam fœdus mitum nõ irritare, propter quod & additur Sela.

5 Confiteantur tibi populi deus, cõfiteantur tibi populi omnes:

Repetitio.

Eadem uerba & idem sensus cum uersu tertio repetito non sine causa ob felicitatem tantam, & tam eximiam latissimeque propagandam, ob quam cuncti populi tantopere deum debeant celebrare. Sedulitatem ergo laudis hæc repetitio indicat. Quo autem bonitatis dei cognitio latius creuerit, crescet eius quoque perfruitio, indeque summa animi lætitia, cui nulla potest maior uoluptas excogitari, quàm laudare passim deum, in quo iam uitam æternam & beatam uiuit huiusmodi fidelis anima.

6 terra dedit fructum suum, Benedicat nos deus deus noster,

Sicut cœlum clausum fuisse uidebatur ob defectum pietatis & ueræ iustitiæ: sic nunc rorante desuper cœlo & nubibus pluentibus iustitiam, terra dabit germen, fructũ, annonam & benedictionem suam. Ortus est flos de radice Iesse, produxitq; immaculatã superbenedictæ

Benedictio promissa.

uirginis terra primogenitũ tam suum quàm totius creaturæ, Christum expectationem gentium, & Messiam Iudæorum. Benedicat ergo nos deus ille solus omniscius & omnipotens, qui est deus noster, ea benedictione quam promisit promanaturã de semine Dauid Israël & Abraam omnibus gentibus, qui tunc Iudæorum deus, suum populum benedixit: sed quia pro non modica portione sese Israël indignũ fecit benedictione, præter paucas reliquias quæ saluandæ dicebantur. Quia enim pax illis imprecata à Christi discipulis, non suscepta est à Iudæis, ideo conuersa est, & locum obtinuit apud gentes, de quo dicitur consequenter.

7 benedicat nos deus, & metuant eum omnes fines terræ.

Benedicat nos deus eo pacto & fœdere, ut metuant eum, id est, uera pietate colant eum omnes fines terræ, omnium in orbe angulorum & insularum fines, ut deuotissima fide amplectantur, confessione orthodoxæ ueritatis, & dignissimi diuini cultus initiandi in ecclesiam electorum, per nomen dei patris, filij & spiritus sancti, unitate perfecta & infinita perfectione indistinguibiles personæ in una essentia deitatis.

PSALMVS LXVIII.

In finem Psalmus cantici Dauid.

Expositio huius tituli patet ex prioribus.

ARGVMENTVM. Gloriatio fidei est, quæ se super deo suo iactat, illius facta canit, & fore commintur, ut gentes manus suas & obedientiam daturæ sint domino deo uero. Quod equidem Christo per orbem prædicato factum esse dignoscitur. Quanquam Iudæorum qui dã eum de exercitu Sennacherib exponant, qui obsedit Ierusalem tempore Ezechiæ. Alij uero de exercitu Gog & Magog iuxta suas fabulas: reuera autem exponitur de Antichristianis, perpetuo Christi ecclesiam & fidem impugnaturis.

1 EXurgat deus, (&) dissipentur inimici eius: & fugiant qui oderunt eum à facie eius.

Inuitat ad prædicandam uirtutem dei, præmisso proœmio sex uersibus primis. Hæc autem uerba Moses dixisse legitur, quoties in deserto arca domini transferabatur. Quæ & Dauid dixisse creditur, quoties exercitum instructum fidelis populi deus educere uoluit contra hostes pietatis & sui regni. Eadem sententia ecclesia Christi canere potest, ut dicat, Exurgat deus. Arca quidem ueteris testamenti præfiguratur contra idololatras, & Christi corpus crucifixum & mortuum, in quo deus corporaliter longe augustius habitaculum habet quàm olim in aurea illa arca fœderis. Illud, inquam, Christi corpus de morte iterum resurgat, glorificetur & exurgat, ut dissipentur inimici eius hostes fidelium, & persecutores Christi & uerbi dei, imò totum imperium satanæ, quod non cessat persequi regnum Christi. Fugiant autẽ, id est, reuera fugient confusi & uicti omnes qui oderunt eum à facie eius. Non poterunt sustinere impetum spiritus Christi omnes aduersarij ueritatis, qui oris sui spiritu interficiet impium, & potenter triũphabit de nequitijs spiritualibus in cœlestibus, & humanis in terra.

Arca fuit typus Christus.

2 Sicut deficit fumus deficiant: sicut fluit cera à facie ignis, (sic) pereant peccatores à facie dei.

Sicut dum dissipatur & confunditur propulsus fumus deficit, ut statim minime compareat, quia consistere ad uento nequeat: sic quamlibet superbi hostes fidelium & Christi subito non comparebunt, quamlibet per superbiam exaltati. Sicut defluit & liquescit cera à facie ignis, sic confundatur & pereat omnis gloria inanis & mundi huius. Quicquid se contra Christum & ueritatem erigit, opprimetur & expirabit. Omnes sanctorum persecutores simul atque suam potentiam extulerint à Christo uindicante impietatem illorum dissipabuntur & euanescent.

3 Et iusti epulentur, & exultent in conspectu dei: & delectentur in lætitia.

Desiderium sanctorum.

Vt nihil æque cupiunt sancti ac gloriam dei inclarescere, sic ultione impiorum, & exterminio hostium pie tatis singulari gaudio perfunduntur, & ad contemplationem

tionem iustitiæ & ueritatis diuinæ, quieti interim & iucundi in conscientijs suis exultant, & gaudēt de dei circa se gratia quam agnoscunt, & in meditatione uerbi dei, unde consolantur in medio hostium ueritatis.

4 Cantate deo, psalmum dicite nomini eius: iter facite ei qui ascēdit super occasum: Dominus nomen illi, exultate in conspectu eius (turbabuntur à facie eius)

Nec secum ipsi priuatim gaudent tantum de bonitate dei, sed ad eam passim prædicandam & persuadendam multis, summopere extimulantur, hortando quos possunt exemplo & uerbis, ut domino canant, ei accepta referant quicquid boni perceperunt, gaudendo & iubilando de beneficijs dei omnia gubernantis, & polorum alta conscendentis, & insidentis in gloria cœlesti æterna, & omnium maxime triumphante. Hoc est eleuari in suggestum iter, inequitanti gloriosissima pompa & regali laude, omnium creaturarum imperatori. Ascendere super occasum, secundum Iudæos quoque est inscendere tenebrosa latibula gloriæ dei, ubi à nulla creatura naturaliter intelligi & aspici possit, nisi lumine illustrantis gratiæ edocta diuinitus & adiuta. Occidit enim contemplationi hominum immensitas perfectionum diuinarum. Quanquam & solitudines quidam interpretentur in eandem fermè sententiam, sed Iter facite intelligunt ad deum contemplandum per pœnitentiam et spem remissionis. Additur autem, Cum domino nomen eius. Deus est qui electos saluat, idem cum patre uerbum. Exultare autem coram eo, est fide ipsius gratiæ cō solari peccatores, certos se non damnandos, id quod impij nō possunt. Quod additur in uulgata æditione, Turbabuntur à facie eius, duplex lectio Græcorum est, cui in Hebræo nihil respondet.

5 Patris orphanorum, & iudicis uiduarū, Deus in loco sancto suo:

Psallite, inquit, ei, qui præter immensam maiestatem ex omnibus creaturis, & ineffabilem bonitatē, hoc quoque habet, ut esse & dici uelit atq; haberi pater orphanorum, & iudex uel uindex uiduarum, quoties eos oppressi uiderit, & humano auxilio destitutos, contemni & contristari, quantumlibet sedem suam habeat in excelsis, humilia tamen respicit etiam in terra, quin & humiliora gratiosius intuetur & suscipit. Vulgatam enim in scripturis hanc sibi laudem dominus arrogat, ut fauorabilis pater habeatur pupillorum, et uiduarum uindex & patronus.

6 deus qui inhabitare facit unius moris in domo: Qui educit uinctos in fortitudine, similiter eos qui exasperant, qui habitant in sepulchris (siccitatem.)

Alia quoque laus dei, ut ab alijs derelictos & unicos sedentes suscipiat, soletur, & protegat, familiaresq; habere dignatur, quiq; fideles suos in hoc mundo peregrinos & exules, mundoq; exosos liberat à peccatis et hostibus, cum sibi uisum fuerit opportunum. Vel aliter, Facilia insigni & populosa donat deus eos, qui absq; liberis sunt aliquandiu, ut Abraam & Annā, afflictis opem fert benigniter. Reprobis simul suum canit iudicium, habitaturos in uastitate, misere uitam acturos in deserto, omnium bonorum inopes: nam in uijs illorum contritio est & infelicitas. Sicut contra, ubicunque boni agunt, ibi paradisus est, quia timentibus deum nihil potest boni deesse.

7 Deus cum egredieris in conspectu populi tui, cum pertransieris in deserto. Sela.

Cum hic canere uellet propheta, deum sibi & suo populo præcipuo uirtutis suæ miraculo adfuisse, & plane sese exhibuisse quem fuerat pollicitus, tunc quādo data lege fœdus cum Israële in mōte Sinai percussit, quemq; inibi pro suo more admodum terrifica tempestate declarauerat, hanc ipsam memorare instituit hoc loco. Egredi uero deum ante populum, est ipsum pro illo suam exerere uirtutem, qua subito omnia dum uelit immutare possit, terrere, & numinis sui præsentiam pijs in consolationem, impijs ad formidinem ostētare. Quia autem summe memoranda res est, deum ita se hominibus præsentem exhibuisse, ideo hic Sela additur. Egredi deū

8 Terra mota est, etenim cœli distillauerūt à facie dei (qui in) Sinai, à facie dei Israël.

Cum primum dominus legis datione populum sibi peculiarem assumeret, magno terræmotu illos ad obedientiam terrere uoluit, terræmotibus horrendis subtus, & cœli sursum imbribus, nubibus, fulguribus & tonitruis in monte Sinai, ubi tunc populum Israëliticum redemptum à seruitute hominum, suo obsequio subdere incepit, & sese legislatorem ostendere cui obsequerentur. Apparere enim in Sinai, periphrasis est legislatoris.

9 Pluuiam uoluntariam segregabis deus hęreditati tuæ: & infirmata est, tu uero perfecisti eam.

Meminit iam ante pluuiæ terrificæ, ideo nunc subijcit de imbre tempestiuo & uoluntario, qualem scilicet homines, si liceret, deligerent & optarent, qui sponte sensim placidéque distillet, non ui & impetu decidat super hæreditatem suam, hoc est, populum, quem ceu agrum hæreditarium, & peculium excolendum susceperat, creauerat, & bonis omnibus fœcundauit. Laborantem quoque inedia uel infortunio quocunque instauras, præparas ac reficis, idque tunc, quando depulsis fractisque hostibus, pace frui & bonis omnibus affluere dedit.

10 Animalia tua habitabunt in ea: parasti in dulcedine tua pauperi deus.

Populum dei uocat animalia in huius mundi deserto habitantia, de quibus dixerat, Velut in pascuis oues, credentes uerbo dei, qui & sunt hæreditas ipsa domini, quibus præparauit bonitate sua deus gratiam & doctrinam pauperibus scilicet spiritu, & afflictis corde propter peccata præterita.

11 Dominus dabit uerbum euangelizantibus uirtute multa.

Deus noster & dominus ipse dabit, hoc est, mittet, annunciationes pacis & salutis, quæ totum mundum

robore uirtutis suæ & cœlestium exercituum ministerio uincent & conuertent sæculum, non armis carnalibus, sed uerbo suo & spiritus sancti perfusione in credentes, cui nulla mũdi potentia resistere posit. Annunciatrices autem uerbi dicit fœminino genere, pro eo q; mulierum fuerit publicas uictorias celebrare. Quæ uero sequuntur ipsum carmen sunt, de uictoria populi dei cœlitus parta.

12 Rex uirtutum dilecti dilecti: & speciei domus diuidere spolia.

Victoria fidelium.

Reges exercituum qui contra fideles producunt maxima agmina, & pessundare & prosternere cupiũt ac decreuerunt ecclesiam electorum & filios Israël, isti à deo patre fidelium sic perturbabuntur & confundentur, ut profligandi sint, fugituri, & terga hostibus Israëlitis & fidelibus concessuri, prosternendi & occidendi. Ipsi uero filij dei & ecclesia sanctorum, quæ dicitur hera domus, uel ornamentum familiæ, hoc est, turba electorum dei, quibus ex electione ius patriæ cœlestis acquiritur, hostium spolia diuidet, superior erit impijs. Cuius typus gerebatur in uictorijs Dauidis, qui reges & regna domuit, & spolia Hierosolymam inuexit, & in gloriam dei ordinauit.

13 Si dormiatis inter medios cleros, pennæ columbæ deargentatæ, & posteriora dorsi eius in pallore auri.

Felicitas piorum.

Felicitatem populi dei ex uictorijs assimilat candori, ut subinde miseriam atro colori. Cum, inquit, accubueritis inter finitima & terminos legis & gratiæ, ueteris & noui testamenti, timoris & amoris, aduersitatis & prosperitatis, sicut pennæ columbarum eritis, candidi, festiui, & læti, quasi sint opertæ & exornatæ argento, columbina simplicitate domino placentes, clare tunc eluceſcet ueritas eloquiorum dei. Et posteriora columbæ, id est, scapulæ, & alæ eius in pallore auri refulgebunt, proferet ad proximorum frugem & promotionem opera perfectæ charitatis. Hebræi exponunt, Si tristes & pullati iacueritis, & desperati propter hostium afflictionem hactenus, eritis posthac candidi, festiui & læti, sicut columbarum pennæ quasi deargentatæ.

14 Dum discernit cœlestis reges super eam, niue dealbabuntur in Selmon:

Exponit quando & quomodo omnia illis felicia contigerint regibus impijs diuino iudicio exterminatis, tam prope uel intra Ierusalem in typo, uel in Christi ecclesia, uel in bonam partem reges in ecclesia dealbati sunt ut nues in Zalmon, id est, ad sapientiæ et innocentiæ studium reuocati per spiritum scripturæ sacræ. Quãquam enim non sit perfecta sapientia sine omnibus erroribus in ecclesia uniuersali collecta ex pijs & impijs, in umbra tamen Christi fideles instruuntur à uerbo domini et Christi Euãgelio, qui solus est perfectus doctor ecclesiæ.

mons dei mons pinguis, mons coagulatus mons pinguis:

15

Mons domus dei.

Habent quidem montana Ierusalem suam fertilitatem eximiã, decorem quoq; cum utilitate multa, sicut mons Basan laudatus ob pinguedinem pascuæ. Omnes tamen

isti montes non æquant laudem montis domus dei, qui sustentat ecclesiam, qui nobis Christus est fons & origo omnium gratiarum, qui dicitur & mons excellentißimus & altitudinum, uel pinguißimus à caseis & butyro: excedit enim dignitate, fructu, gratia & gloria quicquid magnum est & altum in mundo, & inter homines commorantes in terra.

16 ut quid suspicamini montes coagulatos? Mons in quo beneplacitum est deo habitare in eo: etenim dominus habitabit in finẽ.

Quare, ô uos cæteri montes, inuidiosè aspicere uidemini hunc altißimum & iucundißimum montem, quasi nolitis munoris æstimari q̃ ille sit? et uos in populo dei primores, quid gloriam ambitis eam, quæ soli Christo debetur, non uobis? Quem montem dominus inhabitare desiderat, olim templum & sanctum sanctorum illic ædificandum ostendens: interim uero Christum solum inhabitat plenitudo sapientiæ, in quo corporaliter inhabitat diuinitas. Etenim dñs inhabitabit æternaliter: regnum enim gloriæ Christi stabit semper. Id quomodo Iudæi exponant de sua Hierosolyma & monte Zion, ipsi uiderint. Quamobrem & Iudæorum Rabini maximi agnoscunt huius Psalmi difficultatem & multiplicẽ sensum, quibusdam exponentibus eum de datione legis in monte Sinai, alijs de bello Dauidis contra incircumcisos.

Mãs Christi.

17 Currus dei decẽ millibus multiplex, millia lætãtium (abundantium) dominus in eis in Sinai in sancto.

Triũphus Christi.

Vehitur deus & exaltatur ad maiestatem celebrandam exercitu angelorum, adorantium & lætantium de gloria dei & beneficijs. Sed & Christus triumphat contra omnes principes tenebrarum, continet innumerabilia millia ministrantium suorum, quæ significantur per bis, id est sæpius repetita decem millia. Non est enim numerus militũ dei. Dominus cũ eis Sinai in sancto. Omnibus istis millibus angelorum, & sanctarum animarum dominator est Christus dominus, olim quoq; hos suos milites secum habuit in monte Sinai apparens, & in sanctuario habitans. Vbiq; autem & semper exercitu sanctorum ornatur, & utitur præsente sibi qui ubiq; est.

18 Ascendisti in altum, cepisti captiuitatem: accepisti dona in hominibus: Etenim non credentes inhabitare dominum deum.

Ascendisti quidem in typo declarando miraculis tuis ad filios Israël uirtutem tuam, captiuos duxisti, ut loco hostiarum essent omnes qui tibi aduersabantur, & parere tibi coegisti in tuam gloriam nationes. Sic in Christi humanitate uictor impiorum & assertor & liberator fidelium ascendisti cœlos cum exercitu sanctorum, captiuasti qui fuerant captiui, liberasti à peccato & damnatione uel reatu Adæ, & mortem uicisti sanctis, doncuisti dona homines, dedisti spiritum sanctum, qui doceret omnem ueritatem, & beneficia dei humano generi præstita. Etenim rebelles quoq;, & nolentes credere Iudæos & gentes idololatras, spiritus Christi docebit & persuadebit, quomodo deus sit omnia in omnibus, & Christum habere potestatem in cœlo & in terra. Acce

pisti,

piſti, inquit, dona in hominibus, hoc eſt, ea chariſmata, quæ tu donaſti fidelibus ea cum fructu & fœnore recepiſti: non enim niſi tua in pijs dona coronas, tibi omnia noſtra bona referenda ſunt accepta, nobis nihil niſi confuſio facierum.

19 Benedictus dominus (die) quotidie: (proſperum iter faciet nobis) deus ſalutariũ noſtrorum. Sela.

Sine intermiſſione glorificandus eſt dominus pro beneficijs utriq; populo exhibitis, ueteri & nouo, quos omnes ſemper paterne ſupportat, ſicut in gremio paſtor agniculum, & mater in ſinu filium, ne quid mali patiatur in uia, & periculis huius mũdi, quibus expoſiti ſunt fideles. Ipſe enim ſolus eſt piorum ſaluator, ſine quo miſeri ſunt & perditi omnes homines, ideo Sela hic quoque adijcitur.

20 Deus noſter deus ſaluos faciendi: & domini domini (uarij) exitus mortis.

Nedum deus eſt & omnium creator, ſed & deus noſter eſt, dicunt & credunt omnes pij, certi de optima uoluntate dei ad ſe ſecũdum fœdus. Vult enim deus eſſe fidelium, deus quoq; ad ſaluandum propenſiſſimus: non uult enim mortem etiam peccatoris, ſed ut conuertatur & uiuat, multo minus deſerere credentes ſibi uult uel poteſt. Saluationum autem deus dicitur, quod uarijs modis ſalutem ſuorum operetur, multis uijs ſeruet. Habet quoque dominus deus ipſe multas uias ad mortem perducendi impios, & digne uindicandi domini contemptores & perſecutores ſanctorum. Quanquam & de periculis uarijs piorum intelligi poteſt, quos deus multiphariam educit & liberat.

21 Veruntamen deus confringet capita inimicorum ſuorum: uerticem capilli perambulantium in delictis ſuis.

Dominus deus iuſto iudicio ſuo cõfringet capita, principes ſcilicet & duces malorum in hoc mundo, ipſorum inſtituta & rationes nocendi, & omnes perſecutores Chriſti & ſuorum fidelium, atq; adeo ueritatis, etiam ſi id aliquando tardius aggredi uideatur, non tamen obmittitur. Denuq; capillos euellet ex uertice impiorum, opprobrio & impotentia nocendi afficiet impios continuo peccantes, & in malitia proficientes, quod eſt perambulare in delictis, ſemper ſe fieri peiorem, uno peccato ſemper propellente ad aliud & grauius, donec in profundum peccatorum perueniens contemnat.

22 Dixit dominus, Ex Baſan cõuertam, conuertam (ex) in profundum maris.

Dixit dominus, cuius uelle dicereq; eſt facere nullo prohibente, cui credere neceſſe ſit, Ex Baſan conuertã: aggrediar impios populi mei inuaſores, ut olim feci cum Ogrege Baſan, & Seon rege Amorrhæorum, quos unà cum populis eorum penitus deleuerat, terra eorum pernutus tradita fidelibus poſſidẽda. Conuertam de profundo maris, maximas illis tempeſtates cõmouebo, ut olim Pharaoni impio in mari rubro, cum exercitu impiorum ſubmerſo. Sic & Aſſyrijs feci & Aethiopibus, & reliquis, quos uelut undis maris ſubito obuolui & occidi.

23 Vt intingatur pes tuus in ſanguine, lingua canum tuorum ex inimicis ab ipſo.

Eatenus tractabo illorum exemplo hoſtes meos, & populi mei, ut præ effuſione maxima cruoris pedes tuos in ſanguine tingere, & rubros facere poſſis, & ex eo canes lingua ſua lambere poſſint ſanguinem, ab inimicis tuis digne effuſum. Perſonarum autem crebra mutatio facit, ut alicubi incertior ſit ſententia. Hactenus decretum domini recitauit aduerſus impios, nunc pompam triumphalem.

24 Viderunt ingreſſus tuos deus, ingreſſus dei mei, regis mei, (qui eſt) in ſancto.

Agnouerunt populi & regna itinera tua deus, legem, myſteria, iudicia & beneficia tua, & à ſæculis priſcis promiſſa & reuelata patribus. Agnouerunt & crediderunt, certatimq; profitentur operationes dei in benedicta incarnatione Chriſti, & uerbi incarnati, qui ſanctus ſanctorum eſt, & rex Meſſias, mundo promiſſus olim & exhibitus. In cuius typo olim quoque ordinem & progreſſum diuinorum iudiciorum mundus aſpexit, ſenſerunt ſuo malo impij duritiam ſuam, fideles autem cum gaudio & conſolatione de fauore ad ſe dei contra hoſtes. Fides in mundo.

25 Præuenerunt principes cõiuncti pſallentibus, in medio iuuencularum tympaniſtriarum.

Ad uerbum, Poſt magnalia dei oſtenſa pijs, exarſerunt animi credentium ad laudandum deum, utroque ſexu annitente, quòd utriuſq; ſit conditor. Quicquid ergo animum incitare potuit, omne ſcilicet genus inſtrumentorum muſicalium, adhibuerunt ad laudandum deum, præeuntibus cantoribus, & ſequentibus etiam puellis pulſantibus tympana: nunc interim uero fideles toto orbe laudant dominum ore & manuum articulis, corde & animo, opere & ſpiritu, ubi nullus ſexus erit ab his laudibus exors: iuuenes ſcilicet & uirgines laudant gratiam domini. Laus dei.

26 In eccleſijs benedicite deo, domino de fontibus Iſraël.

In magna frequentia populorum, cum conſenſu alacri ac deuoto omnes populi, maxime autem experti beneficia ſingularia dei, laudate iuſta iudicia dei. Dominum de origine Iſraël, uos qui eſtis ſemen Abrahæ & filij fidei ſanctorum laudate dominum, uos enim ſolos decet laudatio qui fideles eſtis. Omnes uos electi & in ſpiritu Iſraëlitæ, laudate deum ueſtrum ſimul puſilli & magni, perfecti & imperfecti, non enim aſpernatur affectus etiam infirmos fidelium.

27 Ibi Beniamin adoleſcẽtulus in mentis exceſſu. Principes Iuda, duces eorum: principes Zabulon, principes Nephthalim.

In tanta carminis obſcuritate cum nihil certius dici & aptius uideamus, Primum in laudibus dei, & in buccinis euangelicis præcentorem in gentibus, placet Paulum intelligere, præ admiratione magnalium dei raptum uel proſtratum. Sed & de reliquis tribubus duces regni Chriſti apoſtoli multi fuerunt & apoſtolici uiri, de tri- Difficultas carminis.

bus Iuda, sicut & de Galilæa non pauci erant, uerisimiliter de tribubus Zabulon & Nephthalim, omnes eximij anteſignani eccleſiæ, & eccleſiarum apoſtolicarum patriarchæ & plantatores, quamlibet multa pro nomine dei paſsi à gentibus & Iudæis. Ad quod referri poſsit, ſi quis רגמיהם lapidationem applicare uelit, quod æque congregationem & cœtum ſignificat.

28 Manda deus uirtuti tuæ: confirma hoc deus quod operatus es in nobis.

Deus operatur in nobis.

Præcepit deus tuus fortitudinem tuam, ordinauit, ô eccleſia apoſtolica, ut fortiter agas ſua ipſa diuina uirtute, qua omnia potes in eo qui te cõfortat. Confortare cõtra Iudæorum peruicaciam, & gentilium idololatriam in Iudæa & ubiq; terrarum. Et tu deus cõfirma tuos, noli deſerere fideles tuos, cito fortiterq; ſuccurre. Nihil enim, ô deus, quamlibet uolẽtes perficere poſſumus, ideo quod tu in nobis feciſti, hoc ſtabile reddas. Tua enim uoluntas & operatio eſt, ut fideles ſancte operentur, & indigna patiantur ab impijs.

29 A templo tuo in Ieruſalem, tibi offerent reges munera.

Extra templum Hieroſolymitanum, toto ſcilicet orbe terrarũ, olim plura & ſanctiora ſacrificia tibi ubiq; deferentur à gentibus in omni terra, quàm fuerint uel ſint quæ Hieroſolymis nunc offeruntur. Vbiq; enim agnoſcetur & adorabitur ſanctiſsimum nomen tuum in ſpiritu & ueritate, coleriſq; à regibus uniuerſis & regnis dignis tibi muneribus, poſt multorum fidelũ tuorum martyria.

30 Increpa feras arundinis (lanceæ) congregatio taurorum in uaccis populorum: ut excludant eos (ut dilatent ſe) qui probati ſunt argento (cum portionibus argenti). Diſſipa gentes quæ bella uolunt,

Fera arundinis.

Seuero iudicio tuo & iuſto corripe & increpa feram arundinis. Crudelem quamcunq; gentem lanceis ferocientem beſtiã, Iudæi exponunt exercitus gladijs pugnantibus & prolixis haſtis, quæ olim cannis apparabantur: qui ſcilicet ueritatem uerbi tui & gloriam regni tui impugnant armis potentiæ ſuæ, & ſuperbiam ſuam ac faſtum defendere conantur, & quæſtum parare cum aliorum omnium iniuria. Simulq; uindica in cœtum taurorum, hoc eſt, principes ducesq; crudelis illius beſtiæ maiores & minores, qui cœtus, uel quod collegium non ſtudet niſi dilatare ſe, & aſſerere authoritatem & potentiam ſuam per fragmenta argenti, quæſtum ſectatur magna libidine ad ſuam tyrannidem cõfirmandam, ad gloriam non dei, ſed ſuam: qui cum id nequeant ueritate et iuſtitia, id moliuntur perficere armis & uiolentia. Sed tu, ô domine deus, diſsipa omnes eas gentes cũ ſuis principibus, quorum omne ſtudium eſt bella fouere & gerere, diripere prouincias, & ad libidinem occidere reſiſtentes ſine urgente cauſa, propter auaritiam, & ſitim ſanguinis innocentum.

31 uenient legati ex Aegypto: Aethiopia præueniet manus eius deo.

Venient per dei potentiam humiliãdi quoq; poſt beſtiam calami etiam magnates, craſsi & potentes ex regno Aegypti, fidelium & ipſi oppreſſores, & erudientur uexatione intellectum dante. Aethiopia quoq; præcurret manu ſua, turma ſcilicet populorum, & agmine maximo fidelium ad dominum deum ſuum colendum, ut fiat ſic unum ouile, paſtor unus, & unum deo pareatur regnum toto orbe terrarum. Siue quis manu ſua munera ferentes, intelligere malit uenturos ad unius Dei culturam.

32 Regna terræ cãtate deo: pſallite domino. Sela. (Pſallite deo,)

Prædixerat feram calami, Romanos ſcilicet uel Græcos peruenturos ad humilem agnitionem dei ſui & cultum, cum illorum ſatrapis & regulis: ſic & de Aegyptijs & Aethiopibus. Quia uero omnium regnorũ gentes prolixum erat enarrare, quarum nulla exors uocationis diuinæ futura eſſet, ideo cõſequenter paucis complectitur omnes. Regna, inquit, terræ cantate domino, agnoſcite omnium ueſtrum creatorem & gubernatorem, iudicem quoq; ueſtrũ. Cantate non ueſtras victorias Cantate domino. & potẽtiam, ut olim Sennherib, nec nomina idolorum ueſtrorũ, quæ nihil ſunt & pariter cõcident, ſed unum ſolum uerum deum ac dominum unice cantate & laudate. Id quod & facietis proculdubio, uocandi pariter ad gratiam dei per Chriſtum in prædicatione Euangelij, pro qua tanta dei gratia & admiranda additur Sela.

33 qui aſcendit ſuper cœlum cœli: ad orientem. Ecce dabit uoci ſuæ uocem uirtutis,

Pſallite, inquam, ei deo qui conſcendit cœlos cœlorum, ab initio creationis gubernat, & dirigit illorũ tam motus quàm actiones. In quorũ operibus patefacit creaturis rationabilibus ſuam maximam maieſtatem. Cantate Chriſto interim Chriſto ſuo domino noſtro, qui ſedet ad dexterã patris in excelſis, qui dat uoce ſua uocem uirtutis, manens & faciens, uolens & efficiens ab initio uniuerſa, interim Euangelica uoce, & uerbo ſacratiſsimæ ueritatis, & uera fidei, reficiens omnia per Chriſtum & pertis, & uera fidei, reficiens omnia per Chriſtum & perficiens, animas quoq; conuertẽs ad pietatem, poſt idolorum culturam ſubuerſam in orbe toto terrarum. quoq; cantadum.

34 date gloriam deo ſuper Iſraël: magnificẽtia eius & uirtus eius in nubibus.

Quicquid mirabilium operum in cœlo factum eſt uniquam, uel in terra, & omnibus creaturis, non alteri adſignandum eſt quàm uirtuti diuinæ. Non prædicatorum uerbis uel induſtria hæc fiet mundi renouatio, ſed dei omnipotentis uirtute & gratia. Super Iſraël magnificentia eius, glorificabitur uirtus & bonitas dei in credentibus ueris Iſraëlitis, et filijs fidei Abrahæ amici dei ſummi. Fortitudo quoq; dei reuelabitur & patefiet in æthere & nubibus, gratiæ ſuæ dona defluet & depluet per nubes, qui currunt ad irrorandum corda omnium fidelium, quales numerum ſunt apoſtoli & apoſtolici uiri omnium ſæculorum, cœleſtia ſectantes, & ueluti roranmundi & nouatio. do docentes eccleſias, ad fructum ſalutis producendum.

35 Mirabilis deus in ſanctis ſuis, deus Iſraël ipſe dabit uirtutem & fortitudinem plebi (ſuæ) benedictus deus.

Tremendus

Tremendus est dominus & reuerendus, non minus in hominibus pijs, & sanctis sanctorum doctoribus & apostolis, peregrinantibus in hac lachrymarum ualle, quàm in istis quos contemplamur orbibus cœlestibus ornamentis astrorum, & uirtutibus quas sentimus. Omnia autem hæc & tãta magnalia non alius facit & moderatur quàm deus Israel, is solus & unicus est omnipotens, & omnibus uirtutem dispartiens prout uult ad gloriam suam, & ad populi electi sui profectum & exercitium, unde omnes sancti perpetuo illi canunt gloriam, dicentes, Benedictus deus. Amen.

PSALMVS LXIX.

In finem pro his qui commutabuntur Dauid.

Hebræi dicũt, Super lilijs: quo nomine Sosannim intelligunt musicum instrumentũ, de qbus aliorũ sit iudiciũ.

ARGVMENT. Oratio est hominis fidelis in summa diuturnáq; angustia, quæ Christi passionum & membrorum suorum typus est.

1 Saluum me fac deus, quoniam intraueruntaquæ usque ad animam (meam.)

Grauissimas angustias animum ipsum inconsolabiliter obruentes comparat aquis uehementibus iamiam hominem suffocaturis, in quibus fidelis tantum clamat ad dñm, qui solus eruere potest. Nõ homines nec angeli inuocandi, sed deus, qui solus nouit perfecte angustias, et mederi potest pro potentia, et uult pro bonitate, debetq; pro ueritate promissionum suarum si credant.

2 Infixus sum in limo profundi: & non est substantia. Veni in altitudinem maris: & tempestas demersit me.

Auget uerbis periculũ, dum demersum se clamat limo profundi, hoc est altissime, in quo non sit fundus: deniq; alto fluuio, in quo et medius fluxus cursusq; rapiat, obruat & obtegat. In quibus similitudinibus augetur mire rerum difficultas quam queritur. Satis erat periclitari in aquis, etiam quibuscunq;: iam addit tenax lutũ: nec id simplex, sed altũ: demũq; adijcit, aquas profundas atq; ultra rapidi fluminis, unde se explicare dum nititur magis inuoluitur. Id est in summa, obruor malis mihi ineuitabilibus.

3 Laboraui clamans: raucæ factæ sunt fauces meæ: defecerunt oculi mei, dum spero in deum meum.

Queritur se tandiu opem clamando imploraſſe, ut clamãdo defatigatus sit & raucus factus, oculiq; suspicientes defecerint, id quod accidere solet anxie opem à cœlis expectantibus, præ expectatione ad dñm deum, cuius operiatur auxilium. Vbi discimus non frigide & negligenter aut breuiter orandũ, sed nec desperandum facile, sed in oratione etiam Christi exemplo pernoctandum.

4 Multiplicati sunt super capillos capitis mei qui oderunt me gratis. Cõfortati sunt qui persecuti sunt me inimici mei iniuste: quæ non rapui, tunc exoluebam.

Hyperbole apta sic excruciatis, quòd plures queritur fuisse qui se nihil commeritum persecuti sunt, quàm pios habuerit capitis. Cõmemorat sine causa illos odiũ in se exercuisse, eo & innocentiã suam testatus est, & uim doloris ob tantam iniuriã expressit. Ad idẽ pertinet & quod subiecit, Quæ non rapui rependi, quo nihil aliud quæstus est, q̃ pœnas dedisse eius qđ non admiserat, aduersis affectum ab illis quibus magis profuit, ut Christus quoq;, quẽ perdere conati sunt impij et mẽdaces magno numero, qui et pertulit peccata nostra innocentissimus, sicut & pij ab impijs patiuntur & innocenter. Hostiũ crudelitas.

5 Deus tu scis insipientiam meam: & delicta mea à te non sunt abscondita.

De Christo quoq; uere dicta sunt, qui gentibus & Iudæis stultitia factus est, imò & maledictũ, quando quidẽ omnium peccata pertulit in corpore suo super lignũ, ut à peccatis omnibus liberaret electos, iustus pro iniustis occisus. De Dauide sine difficultate intelligitur: quasi dicat, Nosti, ô deus, nihil me ita stulte & praue admisisse, ut isti hostes mei uideri uolunt, eoq; sine causa & immeritum tanta insectantur atrocitate.

6 Non erubescant in me qui expectant te domine: dñe uirtutum. Non confundantur super me qui quærunt te, deus Israël.

Periculum certe erat, ut infirmiores in fide tantũ dei cultorem uidentes tantopere affligi impijs prævalentibus, offenderentur in cõscientijs, ideo precatur, Ne quæso cedat in ruinam passio & calamitas mea fidelibus, & de te cõfidentibus, nõ sit scãdalo pusillanimis, nõ confundantur in me quærentes te, deus Israel, non ex infelicitate mea tali scandalũ patiantur, quã pro te sponte & in fide patimur. Nõ enim pijs usuenit, quod uulgo creditur, his scilicet qui deo probantur debere omnia ex sententia cedere, præcipuis dei uiris nõ tam aduersa contingere, sed omnia feliciter, ut tuto se illis infirmiores adiũgerere possint, hoc nõ sperandũ in hoc mũdo, q̃ non est patria uel amicus piorũ, sed odit potius, ideo deprecantur huiusmodi aduersa etiam pij, ne offendantur infirmi. Scandalum in sanctis.

7 Quoniam propter te sustinui opprobrium: operuit confusio faciem meam.

Quanquam peccatis suis persecutionẽ quam ferebat non cõmeruerit, propter deum tamen & eius solius causa conculcari se queritur, quia deũ colere studiosius solitus fuerit, adeoq; ludibrio & contemptui habitus sit, ut propè coram nullo hominũ attollere ausus fuerit suam faciem. Quia enim pro te loquor (ait) & ago, abijcior etiam à fratribus, & ignominiam fero, erubescere me cogunt indignitate uerborum & factorum. Confusio piorum.

8 Extraneus factus sum fratribus meis: & peregrinus filijs matris meæ:

Hæc uero ignominia tanta fuit, ut etiam extraneum me habuerint fratres mei, abiectus & excommunicatus fuerim ab amicissimis, & peregrinus filijs matris meæ, ut incognitus & externus reputatus sum. Id Dauidi in Christi typo contigit, ambobus derelictis à necessarijs & amicis, ut etiam excõmunicarentur à synagoga ludæorum, qui Christi doctrinæ fidem habuissent.

9 Quoniã zelus domus tuæ comedit me:

& opprobria exprobrantium tibi cecide-
runt super me.

Odij causa contra pios.

Causam cur tanto odio ipsum impij insectarentur magis exprimit. Erat erga domũ domini, hoc est uerã religionem, cuius peculiare domiciliũ erat domus dñi, zelo singulariter flagranti, huius neglectum non ferebat, contemptumq; dei sua ducebat opprobria. Quæ sane etiam experiebatur, simulatq; cõtra impios ueram religionem asserebat, typo Christi dñi similiter dicentis, Non potui sustinere æquanimiter abusus peßimos ecclesiæ tuæ, & quod tu tam contemnaris ab impijs, ideo omniũ illorum iniquitates & in te iniurias ego sentiebã corde amaro.

10 Et operui (& defleui) in ieiunio animam meam: & factũ est in opprobrium mihi.

Præ amaritudine cordis contra prauißimos homines qua memetipsum contristabã, & mœstus deplorabã im pietates hominum, comedere non poteram, sed ieiunabam mœstus. Eadem autem hæc mea mœstitia mihi pro opprobrijs imputabatur: cum enim ob dignum zelũ populo charior esse deberem, utpote salutis eorum tam ardẽter cupidus, hoc populi principes magis irriserũt me.

11 Et posui uestimẽtum meum cilicium: & factus sum illis in parabolam.

Veste lugubri corpus affligebam, sacco indutus me humiliabam, foris & intus gaudere non poteram, præ zelo gloriæ tuæ prorsus neglectæ: interim ob id illis sui derisui, & de me concipiebant prouerbiũ, fabulam & carmina iactauerunt.

12 Aduersum me loquebãtur qui sedebãt in porta: & in me psallebãt q bibebant uinũ.

Fabula impiorum sunt pij.

Siue pro ipsis impijs, siue ex dolore propter uiolatum nomen dei, & sua liberatione hic uir dei fleuerit, ieiunauerit, saccoq; se uestierit, id probro ei impij uerterunt, & in publicis cõuentibus suis quos habebant in portis, & in compotationibus garrulabant: iudices scilicet & otiosi obloquebantur, falso condemnabant innoxium. Eram enim ebriosorum fabula & ridiculum, cantilena bibentium siceram, quibus sese oblectabant. Sicera uero putatur omnis potus confectus alicubi ex pomis palmarum, uel ex alijs ad hilaritatem & temulentiam prouocans immoderate bibentes.

13 Ego uero orationẽ meã ad te dñe: tẽpus beneplaciti de⁹. In multitudine misericordiæ tuæ exaudi me: in ueritate salutis tuæ.

Omnibus his præfatis incõmodis & uexationibus dissimulatis & obmißis, ad te dñe confugio, te inuoco & interpello humili prece plenaq; fiducia. Tempus nũc sit beneplaciti tui, ô deus, iam nunc placeat bonitati tuæ ut me exaudias, ut misericordiã tuam mihi impendas egenti. Exaudi me per ueritatẽ tuã, qua mihi promisisti salutem, & omnibus tuam clementiã inuocantibus: nõ salutem uel pacẽ quam mũdus dat, sed tuam & durabilem.

14 Eripe me de luto, ut non infigar: libera me ab his qui oderunt me, & de profundis aquarum.

De luto angustiarum quo hæreo, tua gratia adiuua, ne prorsus immergar, de grauibus cõscientiæ angustijs succurre, ne desperare cogar de tua salute, libera me ab hostibus meis, ne tamũ mihi molesti esse & nocere posßint quantũ uellẽt, & de profunditatibus aquarũ, ut nõ supergrediãtur caput, nec obruãt ad exitiũ et desperationẽ.

15 Non me demergat tempestas aquæ, neq; absorbeat me profundũ: neq; urgeat super me puteus os suum.

Ne tot & tam immani fluctus & tribulationum tempestates obruant & inuoluant me miserum & anxium, neq; absorbeat me profundum, ne desperationis ultimum malorum & profundus infernus me teneat, si periclitanti minime occurras. Et non obstruat super me puteus os suum, neq; mors & sepulchrum, neq; infernus & odiũ dei comprehendat animam meam.

16 Exaudi me domine quoniã benigna est misericordia tua: secũdum multitudinem miserationum tuarum respice in me.

Deprecanti ex animo & angustijs, tua mihi benignitate respondeas, qui natura pius es, beneficus & misericors, ipsißima enim bonitas & humanitas est quicquid agis cum electis tuis. Secundum abundantiam miserationum tuarum respice ad me, ostendendo mihi benignam faciem tuam, consolare in aduersis, non propter quæcunq; merita mea, quæ nihil sunt comparatione demeritorum meorum & gratiæ tuæ.

17 Et ne auertas faciem tuam à puero tuo: quoniam tribulor, uelociter exaudi me.

Oratio ad spe. renitatis.

Quamlibet multis & magnis peccatis oneratus sim, & inuisus propterea bonitati tuæ, nec tamen faciem se-
uerit, ut sentiri, ut seruulo tuo non digneris succurrere pijßimus dñs. Tribulatio enim nũc mihi imminet undiq; pro multitudine hostiũ & impiorum hominum insidias ponentium, & palàm infestantium, responde uotis meis et promißis tuis, idq; sine mora, ne obruat periculum.

18 Intende animæ meæ & libera eam: propter inimicos meos eripe me.

Contra impios inuo.

Consolatur se ab hostium atrocitate, quæ eò peruenerat, ut nõ minus ipsi deo, q̃ sancto dñi seruo ferri posset. Ideo prope sibi esse dñm confidit, & insuper orat, ut auxilium præbeat sibi, qui deserẽdo uidebatur abesse prorsus & negligere: id autem non tam propter fidẽ & intẽpatientiam propriam, quàm propter inimicos, ne si me derelictum uiderint, in sua impietate roborentur, & te blasphement, quasi non potentem me liberare, uel nihil curantem de sibi credentibus & pijs hominibus.

19 Tu scis improperium meum, & confusio nem meam, & reuerentiam meam: in conspectu tuo sunt omnes qui tribulant me.

Tu cum omnia noscas & modereris, scis omnia quæ patior, & aspicis quomodo me subsannent, rideant, spernant, illudant. Omnes persecutores mei coram te sunt, æque uides malitiã illorũ ut meam miseriã, tibi peccant dum mihi insistunt, tuum iudicium non euadent, sed sentient & dolebunt. Dum enim fidem suam sanctus firmat in domino, non dubitans deum uidere quæ ab impijs patitur, de liberatione sua iam diffidere non potest. impro-

26 improperiũ expectauit cor meũ & miseriam: Et sustinui qui simul contristaretur, & nõ fuit: & q consolarẽtur, & nõ inueni.

Memorat diuini nominis opprobrium, et contemptum cor suũ cõfregisse quammaxime, ad summũ quoq; dolorem nullamq; prorsus consolationem à quoquam percepisse, quamlibet desyderio magno expectatam & quæsitam, foris & in conscientia perturbatũ ob hominum calumnias in deum & sanctos. Et cum effugere contenderem, nõ potui, nec remedij quicquam ex hominibus consecutus sum, quod nemo misereatur, nemo solatium adferat, sed undiq; perferre cogar instantes angustias.

21 Et dederunt in escam meam fel: & in siti mea potauerunt me aceto.

Non solũ destitutus extraneorum solatio, sed à quibus iure expectare consolationem debuerat necessarijs suis, ab ijs fuisse magis afflictũ, ut si quis esurienti amara præbeat, ut fel, & sitienti acetũ: ut Christo dño contigit, cui reuera sitienti acetum propinatũ fuit, super conuicia ab omnibus fere accepta. Iure igitur hic locus in ipso impletus dicitur ab Euangelista. Significatur autem in genere auxisse hostes miserias homini pio in spiritu & corpore omnem exercuisse malitiam suam, & inhumanissime tractasse usq; ad mortem crudelissimos homicidas.

22 Fiat mensa eorum coram ipsis in laqueũ: & in retributiones & in scandalum.

Sancti non agnoscunt ueros hostes suos, nisi quos nouerint deplorate malos, et ppetuos dei inimicos: his iustũ dei iudiciũ imprecando simul prædicunt. Tales fuerunt quos hic deuouet, quibus impẽdio beneficerat, eoq; iure ab eis beneficia expectanti, quicquid potuerant malefic iorũ inferebãt. Imprecatur ergo eis pernicie inde, unde optata sibi quærebãt. Id per allegoriã dicit, dũ optat mensam eorũ eis in laqueũ fore, ut ibi capiãtur in exitiũ unde delicias sibi petẽdas putabant. Simplicius fuerit dicere, ut amici & pacifici eorũ sint eis pro tendiculis.

23 Obscurentur oculi eorum ne uideant: & dorsum eorum semper incurua.

Precatur hostibus dei & suis adimi omne rectum iudicium, quod oculis tenebrosis indicatur, ut manifestã ueritatem non agnoscant, inuidia excæcati, utq; nutet semper fortitudo & institutũ ipsorum, ut nũc huc, nunc illuc adigantur errabũdi, & onera infelicitatis à deo illis imponenda ægre ferre cogantur, & collabascere, prorsusq; humiliari ad pœnitentiã cogitandã et arripiendã.

24 Effunde super eos iram: & furor iræ tuæ comprehendat eos.

Copiose obrue tam pertinaces & malignos hostes pietatis, indignationis tuæ uindictis & pœnis, ut effugere nõ possint, nec abijcere. Et ira furoris tui eos apprehendat, ne euadere queant, qui nolunt resipiscere, indeq; exemplum sumant ad timorem dei tam pij quàm impij, & ut agnoscatur iustitia tua nõ deesse hominibus in hoc mundo, sed sic dominum omnia intueri, ut impios non sinat impunitos, nec fideles perire.

25 Fiat habitatio eorum deserta: & in tabernaculis eorum non sit qui inhabitet.

Perdant impij persecutores iustitiæ locum atque gentem, & fiat patria illorum uastata, qui sibi cum iniuria piorum arripiebant quicquid effugere non poterat illorum manus, qui sibi in hoc mundo famam & titulos parabant & successores, hi palabundi tuo iudicio uagari cogantur per alienas ædes, relegari in exilia, ut amittãt propria, qui alienis inhiabant. Deleatur illorũ cognatio & posteritas, ne simul quoq; illorum nequitia propagetur in homines. Omnimodam ipsorum deletionem orat, & totius generis sui exterminium. Perdi impios.

26 Quoniam quem tu percussisti, persecuti sunt: & super dolorem uulnerum tuorum addiderunt.

Eo animo me sunt persequuti, quasi tu id iussisses, ut quicquid mali tu inferres fidelibus, id illi facerent te approbante, putantes non ipsos, sed te nos persequi & cedere. Id quod uerum quidem putabant, sed falsum erat, quod ab irato ea nobis deo talia inferrentur. Precatur igitur uir dei, ut deus ultione sua declaret aliquando, quàm non ex sententia sua impij facerent ipsum persequendo, & causa iniqua. De Christo domino aptius intelligitur & de Iudæis, cui dominus nõ pepercit quidem, sed eum morti tradidit, eum illi mala uoluntate percusserunt & crucifixerunt, blasphemantes insuper eum, qui ipsorum miserias plãgebat, commiseratione supportabat, & pro eorum salute sese superimpendebat. Persecutio indigna.

27 Appone iniquitatem super iniquitatem eorum: & non intrent in iustitiam tuam.

Excæcati impij pietatis persecutores, iusto tuo iudicio ruant ab iniquitate ad iniquitatem, de scelere in scelus, uel pœnam decerne dignam illorum criminibus. Non enim intrabunt in iustitiam tuam, nunquã credent tibi, ut à peccatis liberati saluentur, & euadant ultionem. Non enim credunt uerbo tuo, nunquam instituunt pœnitentiam, sed continuo pergunt accumulare crimina, donec in abyssum perditionis prolapsi desperent & contemnant dei gratiam, quam non credunt.

28 Deleantur de libro uiuentium: & cum iustis non scribantur.

Delebuntur de libro uiuentium, expungentur de numero saluandorũ, non sunt enim de consortio electorum tuorũ. Declarabitur ex uerbis & factis illorũ, non esse ascriptos in librum prædestinatorum ad uitam, quandoquidem uocationis suæ & iustificationis signa non apparent. De quo libro deleri, idem est quod sic abijci, ut pateat nunquam fuisse inscriptos. Quandoquidẽ uel semel ascripti & annumerati electis excidere nõ possunt: sunt enim de his qui à patre Christo donati sunt, cuius de manu nemo rapere potest quenquam. Et possunt nihilominus hi uersus precatorio modo exponi non absurde, ut contra eos dicantur à sanctis, qui in spiritum sanctum peccant, & iustam scelerum suorum mensuram impleuerunt, ipsiq; sibijpsis dei ultionem ascisc unt, cum se totius pietatis hostes constituerint. Liber uiuentium.

29 Ego sum pauper & dolẽs: salus tua deus suscepit me.

Assertus ex ea calamitate & ærumna in qua erat, &

ex qua sola dei ope euasit, nunc explicat uota suã gra-
Gratias agere. tias agendi deo, & celebrandi bonitatem dei. Ego, in-
quit, pauper & dolens ob nimias persecutiones, à mun-
do conteptus & ultima passus, & à te solo liberatus et
saluatus sum, alioqui derelictus & afflictus ab omnibus.
Tua me salus suscepit, excepit me fluctibus impulsum
iamiamq; submergendum tua salutifera manus, & de-
fensauit me à præsentissimo excidio.

30 Laudabo nomen dei cum cantico: & ma
gnificabo eum in laude:

Laudabo & gratias agam corde & lingua, omnibus
quibus potero modis, & celebrabo bonitatem tuam, &
magnificabo, id est, magnũ fatebor nomen tuũ confessio
ne miserationũ tuarum. Cum enim omnis honor, uirtus
ac salus à solo domino sit, ei soli quoq; laudes & carmi
na decantanda sunt, non miseris hominibus, multo mi-
nus impijs pro facinoribus suis turpibus, ut perperam
hodie mundus solet ad irritandũ iram dei, & procliui-
tatem humanã alioqui propensam ad flagitia omnia.

31 Et placebit deo super uitulũ nouellum
cornua producentem & ungulas.

Laus hæc mea & confessio quoq; peccatorum, indul-
gentiæq; dei imploratio deo placebit magis quàm omne
sacrificiũ legis ueteris de irrationabilibus animalibus do
mino deo oblatum, & omnis ille Iudaicus ritus exter-
nus, qui sine cordis cõtritione ex fide dño non placebat.
Quod uero uitulũ cornutũ & ungulatũ addidit, dicere
uoluit, sacrificiũ maturum, atq; iustæ selectæq; ætatis.

32 Videant pauperes & lætentur: quærite
deum, & uiuet anima uestra.

Deuota gratulatione exhilarabũtur, & gaudio singu-
lari perfundentur mãsueti omnes, qui sese deo consecra
runt, sæcularia desyderia abnegantes, spiritu pauperes,
qui deũ fide, obediẽtia & deuotione inquirũt. Viuetq;
cor uestrũ, exhilarabitur mens in cognitione & amore
dei. Iuge enim conuiuiũ et gaudiũ, est cõsciẽtia freta gra
tia dei, & optime sentiẽs de illius gratia, humiliter aũt
de seipsa, fide confirmata uerbi dei & promissis.

33 Quoniã exaudiuit pauperes dominus:
& uinctos suos non despexit.

Quid ni humiles lætarentur, cum dñm se sciant habe-
re propitiũ? qui pauperes exaudire consueuit, spiritu sci
licet, nihil præsumentes de seipsis, nihil se esse agnoscen
tes, nisi quod sunt per dei gratiam. Et uinctos suos, erro-
ribus, peccatis & traditionibus friuolis hominũ ligatos,
gratificat, & resoluit cõsolatorio uerbo suo, paterniscq;
promissionibus bonorum omnium quorum indigent.

34 Laudent illum cœli & terra: mare & om-
nia reptilia in eis.

Omnis creatura pariter cum sanctis deum laudet, con
gratulando clementiæ dei ad electos. Cœlum, terra, ma-
re, & quicquid in illis omnibus continetur, seruiat san-
ctis ad dei gloriam pro quorum salute dñs uniuersorum
tanta fecit, ut & carnem indueret humanã, & se unum
ex pauperũ cœtu faceret stupenda gratia, Euangelioq;
suo mundum uniuersum consolatus est, contra insultus
hostium pietatis & satanæ, cui seruiunt improbi.

35 Quoniam deus saluam faciet Sion: & ædi
ficabuntur ciuitates Iudæ. Et inhabitabũt
ibi, & hæreditate acquirent eam.

Vltimis his uersibus ecclesiæ instaurationem plenius
prædicat uates. Ea enim uera est Zion, Ierusalem & Iu-
da, cuius ciues & filij sunt semẽ & posteri qui deo cre
dunt, quam Christus fundauit & ædificauit, ciuitas Iu-
da, hoc est, multas suscepit in orbe uniuerso congrega-
tiones fidelium, deum confitentium: & habitabunt ibi
fideles per Euangelium generandi, pacifice & in chari-
tate uiuent intra ecclesiam. Et hæreditabunt eam ceu fi
lij dei & hæredes donorum cœlestium.

36 Et semen seruorum eius possidebit eam:
& qui diligũt nomen eius habitabũt in ea.

Et semen, hoc est, filij & posteri apostolorũ & mar-
tyrum, in ea ecclesia augmentabuntur, & fidutialiter
agent. Et qui diligunt nomen eius, habitabunt in illa deũ
amantes: & pij pertinent ut legitimi ciues ad ecclesiam
Christi, nõ impij & contemptores ueritatis & iustitiæ.
Est autem nihil aliud hæreditaria illa terra filiorum dei,
quàm uiuere ex fide dei læta cõscientia, ac spe certa pa-
triæ cœlestis, & gratiæ dei interim. Qualis uita quodli-
bet desertum huius mundi paradisum reddit, & omnia
sanctorũ imperio & usui subijcit, facitq; bono esse uni-
uersa. Hæc per afflictiones ut in Christo, ita & Christia
nis omnibus indicibili successu promouentur.

PSALMVS LXX.

In finem Dauid, in rememoratione, eo
quod saluum me fecit dominus.

Satis apparet Iudæos priscos omnes, quotquot in Sy-
riacam, hoc est, uulgatam linguam transtulerunt sacram
scripturã, in dubijs locis recurrisse ad Græcam transla-
tionem: & nonnunquam, ut hic uidere licet, addidisse
quædam, quæ in exemplarijs nostratium Iudæorum non
leguntur, ut cum hic Syrus interpres reddit additamen- Syrus ibi
tum Græcorũ, Pro fasciculo thuris, pro eo quod illi ha- interpres.
bent, Eo quod saluum fecit eum dominus.

ARGVMENTVM. Idem cum eo quod est præ-
cedentis: oratio scilicet fidelium, pro liberatione à malis
per deum, qui solus potest & uult.

1 DEus in adiutoriũ meum (intende)
dñe ad adiuuandum me festina.

Quandoquidem nunc uehementer ur-
get periculũ, ideo precatur deũ accelerare
auxilium, eripiendo per misericordiam à malis, & pro-
mouendo per bonitatẽ suam in bonis, neutrum enim ho
mo suapte uirtute poterit.

2 Confundantur & reuereantur qui quæ-
runt animã meam. Auertantur retrorsum
& erubescant qui uolunt mihi mala.

Hostes pietatis qui animam meam præcipitare cupi-
unt & seducere, illi uel à malitia sua resipiscant confu-
si, & confusionem quam parauerunt mihi, ipsi ferre co
gantur potentia tua. Retrorsum abeant, impediantur
cum sua confusione ab intentatis mihi malis, ut cogãtur
quiescere à persequutione pietatis, & à nocumentis
quibus instant fidelibus supplantandis uel diuexandis.

Auertantur

3 Auertantur statim erubescentes: qui dicunt (mihi) Euge euge.

Retrocedant & conuertantur, digna ipsis confusione rependatur iusta ignominia, æquam mercedem reportent confusionis, impediendi in crudeli proposito suo. Quod priscus interpres simpliciter reddidit, Auertantur statim, quasi euestigio erubescentes: qui dicunt, Euge euge, mendaciter & subdole adulãdo & ridendo dicane, Gaudeas & læteris, bene habent res tuæ.

4 Exultent & lętẽtur in te omnes qui quęrunt te: & dicant semper, Magnificetur dominus, qui diligunt salutare tuum.

Omnes pij & fideles propter te mihi fauentes gaudeant ac lætentur, per te consolentur, quem in omnibus intendunt. Et dicant semper, magnificetur deus: omnia ordinans in gloriam dei, quam præ omnibus cupiũt clarã & longißime propagandam. Qui diligunt salutem tuam, qui magnopere desyderant redemptionem tuam.

5 Ego uero egenus & pauper sum: deus adiuua me. Adiutor meus & liberator meus es tu: domine ne moreris.

Ego in conscientia mea pauper & inops, nihil boni mihi conscius ex carne, sed malorum multorum, & circundatus fragilitate carnis, quæ deprimit continuo spiritum: sed tu domine citius succurre periclitãti, quod sit in mora periculum, festina ad me, quia tu solus mihi necessarius es, & abunde sufficis ad saluandũ de imminentibus malis. Domine ne moreris, non differas in longinquum iuuare me, sed adiuues cito, alioqui uires me deficient. Hic breuis Psalmus in fine habetur eisdẽ penè uerbis psalmi trigesimiquinti, quò & Lector diuertere possit, si hæc breuia non sufficiant.

PSALMVS LXXI.

Psalmus Dauid filiorũ Ionadab, & priorum captiuorum.

In Hebræo nullum legimus titulum, propter quod & Hebræi quidam arbitrantur hunc pertinere ad proxime præcedentem, ut nobis quoq; de talibus quæstionibus diuersa sentire liceat, & non sine causa Græcos titulum hunc habere uel confingere uoluisse crediderim. Sed uerum exemplariorum discrimen suspicor fuisse, quod interim studiosis displicuit, nescio quo spiritu uel adẽptis quibusdã, uel additis, quod ad titulos attinet Psalmorũ.

ARGVMENTVM. Generalis est oratio pro dei auxilio, ut adsit piorum angustijs.

1 IN te domine speraui non confundar in æternum:

Quanquam, ô domine deus, ad horam me exercendo propter peccata mea, sed bono animo sum, & fide bonitatis tuæ certior redditus, non me in perpetuum deserendum, neq; confundendum coram illis, qui audent pronuntiare, frustra te dominum deum coli ab hominibus, qui tuis fidelibus succurrere nolis uel nequeas. Nec potest oratio deo gratior à peccatore effundi, quàm fidei & spei feruore decorata, non elegantia quacunque uerborum, quæ locum habeat suum apud homines. Coram deo simplicitas ualet conscientiæ, & affectuum syncerus, non pharisaicus feruor.

2 in iustitia tua libera me & eripe me. Inclina ad me aurem tuam: & salua me.

Tantum abest ut obtẽdere possim iustitiam operum, quæ sunt ut pannus menstruatæ coram te, ut prorsus detrectem forũ iudicij tui, quẽ nolim introduci, & tñ iustitiam obtẽdo, non meã sed tuã, in tuã bonitatẽ confido, iustitia Christi domini nobis omnibus succurrat, & saluet à peccatis & hostibus. Tu ergo quẽ attingere clamore nõ possum, inclina aurẽ tuã, clementer exaudias preces meas, & omni humana ope destitutũ adiuua per clementiam tuam. Satis his locis discimus operũ nostrorum insufficientiam, si homo secundũ cor dei Dauid non præsumit de suis operibus tã perfectis, ut pro amore dei atrocißimis hostibus reddere potuerit optima pro peßimis. Iustitia operum.

3 Esto mihi in deum protectorem, & in locum munitum (quò semper perueniam mandasti) ut saluum me facias. Quoniam firmamentum meum, & refugium meum es tu.

Tot & tantis hostibus persequutus, ut ceruus, & seruus fugitiuus á domino crudeli, non habeo cõfugium quò euadam, nec arcis cuiuscunq; fortitudinẽ, uel asylũ, ubi tuto consistam, nisi te deũ meum. Tu me suscipe confugientem, & da apertã ingrediendi facultatem, quoties sic opus est, ut in omni angustia illac diuertere queam, sicut promisisti credentibus se tibi, ut saluare uelis. Omnino enim unicum munimentum tu es, & petra firmißimæ arcis, ubi tuto consistere, & ab incursatoribus defendi posßim & saluari.

4 Deus meus eripe me de manu peccatoris (&) de manu contra legẽ agẽtis & iniqui.

Exposita fide, qua ad deum captatur beneuolentia in oratione, nunc additur oratio, Si non propter iustitiam meam audeo orare ac deprecari salutẽ ex inimicis, saltem propter manifestißimã impietatẽ persecutoris mei, qui nullo æquitatis respectu, sed furore tantum debachandi in pietatẽ, & tyrannico robore præualere se putat fidelibus tuis, ablegato omni timore tui, de huiusmodi hoste non tam meo quàm tuo libera, ô deus, fidelẽ tibi.

5 Quoniam tu es patientia mea domine: domine spes mea à iuuentute mea.

Omnis enim sustinentia & expectatio qua utor & fruor tu es: qua certus sum quidem non fraudandus, sed non sine tua clementia & gratia, quã nunquam negasti pijs, quandoquidem & me quoq; à iuuentute mea usq; nunc semper & mea omnia clementer curasti, & ordinasti per gradus uocationem meam, & ex periculis maximis adolescentem eripuisti, multo magis nunc senioren. Si Saulem regẽ euadere dedisti mihi, quomodo non magis ab Absolone uel alio quocunq; hoste?

6 In te confirmatus sum ex utero: de uẽtre matris meæ tu es protector meus. In te cantatio mea semper:

Vt sum tua prouidentia & bonitate formatus, alitus & conseruatus in utero matris, ubi præter te nemo iuuare poterat uel seruare, sic tibi soli nitor nullis præsidijs Soli deo niti tendum.

alijs ab ipso matris meæ partu de uentre genitricis, unde me tu extraxisti saluum, cui ab eo tempore debeo omnem uitam meam, qui semper ades & seruas, in cuius nutu stant omnia mea consilia & opera, salus & perditio, qui semper ades, inspicis & adiuuas. Beneficia ego tua agnosco semper, corde & labijs profiteor bonitatẽ tuam & gratiã, quæ sola iacto, non quicquam aliud uel alium quemcunq; auxiliatorem uel diuum.

7 **tanquam prodigium factus sum multis, & tu adiutor fortis.**

Queritur se portentum factum multis, tam pijs quàm impijs, eo quòd plane uideretur desertus à deo, à quo fuerat inde à puero tam præclare semper adiutus. Vt autẽ mirifice semper erigit imploratio deuota auxilij diuini, ilico sese confirmãs subiecit, Et tu adiutor fortis, uel præualida protectio mea, nunquã labefactanda in quacunq; tribulatione, salus mea & fiducia unica.

8 **Repleatur os meũ laude: ut cantem gloriam (*tuam*) tota die magnitudinem tuam.**

Laus post angustias.

Pro multis huiusmodi & magnis beneficijs tuis iustũ est, ut pleno ore & profusa laude glorificem bonitatem tuam, nec unquam cessem à tuis laudibus, quem à donis conferendis sentio non cessare: proinde tota die omni tempore decorẽ, gloriam & splendorem maiestatis tuæ non desinam celebrare plenis faucibus & magnifica deuotione. Duplex lectio fuisse uidetur, dum idem Hebraicum duplici eloquutione Græca & Latina tentauit exprimere pius interpres.

6 **Ne proiicias me in tempore senectutis: cũ defecerit uirtus mea ne derelinquas me.**

Qui me intra & extra uterum matris tanta gratia præueniisti, & hactenus per iuuentutis discrimina saluum perduxisti, ne me senem nunc & uiribus deficientem destituere uelis, ne charitatis in me & fidei feruorem minui patiaris. Cum uirtus mea defecerit, ne quæso derelinquas me, ne uel tædio boni aliquando deficiã, sed magis proficiã iam sapientior, & in tua uoluntate prosequẽda eruditior, ad multorũ profectũ & tuã gloriam.

10 **Quia dixerũt inimici mei mihi: & qui custodiebant animam meam, consilium fecerunt in unum.**

Cogitauerunt de me hostes mei, & secum contulerũt consilium contra me, mutuis technis adoriri me cupientes quomodo me ipsum obruerent, putantes à te me dẽre lictum, quem uidebant plurima passum indigna nimium, à Saule, filijs & subditis, incommoda multi generis: occasiones ergo uenantur me pariter obruendi & exterminandi senem.

11 **Dicentes, Deus dereliquit eum: persequimini, & comprehendite eum: quia non est qui eripiat.**

Huiusmodi consilio sese contra me armabant, Dũs in quo solo confidit Dauid, sine quo nihil potest, de cuius fauore se iactat semper, is eum nunc dereliquit, destituit omni auxilio, infensus est ei, quia impius est, & à deo proiectus, in eum nunc frustra confidit, ideo nunc est nobis opportunitas illũ persequendi, derelictũ & solũ nos facile obruemus, non est qui eum liberet. Sic quoque in cruce dixerunt Christo impij, blasphemantes & irridentes, sic semper de fidelibus impij loquuntur & sentiunt: sed tandem quoq; se semetipsũ falsos, & delusos suo malo.

12 **Deus ne elõgeris à me: deus meus in auxilium meum respice.**

Quicquid illi sentiant ac loquantur, ego certus sum de præsentia, de fauore tuo, qui nunquam me destitues, nec elongaberis, etiã à peccante, quin potius uirga in ordinem rediges me, non prorsus abijcies. Non fiet quod illi cupiunt, tu causam intueberis, non personam, tu ueritati tuæ succurres, et gloriæ nominis tui, nõ rationẽ habebis iniquitatũ mearũ, tu deus meus es nunc, ut semper fuisti, ideo de salute periclitãti clientulo tuo festinus succurre, ne me impij cõprehendãt ut uellẽt, et in bono impediãt me, uel ipsi in sua perfidia prosperẽtur uel confirmẽtur. Deus meus seu.

13 **Confundantur (ס) deficiant detrahentes animæ meæ: operiantur confusione & pudore, qui quærunt mala mihi.**

Longe diuersa mihi eueniant atq; sibi de me impij polliceantur, unde & pudefiant & deficiant in suis conatibus, uideanq; statim se uane mihi struxisse insidias, coganturq; cessare à persequutionibus, q detrahũt animæ meæ, et odiũt sine causa, quẽ deus nõ odit. Operiãtur opprobrio confusione et ignominia persecutores mei: irrideãtur à te in cœlo, et à pijs omnibus in terra, et in proprijs suis conscientijs confundãtur aliquãdo, qui malitiosè resistũt ueritati, fidelesq; impetũt iniurijs & damnis.

14 **Ego autem semper sperabo: & adiiciã super omnem laudem tuam.**

Non cessabo interim ruminare eximia beneficia tua, & promissiones tuas ingentes sperare non desinam, & expectare auxiliũ gratiæ tuæ in his aduersitatibus, qui meliora promisisti. Et ut illi magis me derelictũ iactitãt, sic ego fortius adhærebo tibi, & in laudibus tuis feruentior ero & perseuerãtior, omnes laudatores tuos conabor excellere, uerbis & operibus cognoscam beneficentiam tuam, sciens tibi innumeras debere me laudes.

15 **Os meum annuntiabit iustitiam tuam: tota die salutare tuum. Quoniam nõ cognoui literaturam,**

Non desinã etiam in angustijs cordis ore meo laudes tuas canere, & iustitiam qua reddis promissa, et in operibus sanctitatem, qui optimo consilio omnia geris cum electis, tota die quotidie fruor iustitia tua, & adeo cumulate ut dinumerari tua erga me beneficia non possint. Infinitæ sunt laudes tuæ & beneficiorũ casus, quæ nunquam assequar prædicando pro dignitate.

16 **introibo in potẽtias domini: domine, memorabor iustitiæ tuæ solius.**

Prisci interpres.

Priscus interpres aliã secutus est uersuũ distinctionẽ, qua id quod dicitur, Non cognoui literaturã, uidẽtur pro-sci doctores ad sequentia retulisse, quasi dicere uolẽtes: Quandoquidẽ literas non magnopere didici uel curaui, de post fœtantes pastor assumptus in militiã, et sic inrecognũ: nõ multã eruditioni sæculari operã nauare potui, tñ ingressus sum in potentias dñi dei, opera dei magnifi-

ca

cæ etiã rusticus agnoui, omni creaturæ impoßibilia contemplando, maiore diligentia opera uirtutũ proſequendo, quàm literas & doctrinas ſolas, in quibus perfectio non conſiſtit. Quam tuam potentiam contemplando, admiror: ſed iuſtitiam tuam magis mihi propoſui memorandam, ut mihi magis neceſſariam, qua tot me indignũ beneficijs affeciſti. Iudæi exponunt ut dictum eſt, Non noui numeros ſcilicet beneficiorum tuorum, ueniam autem ad fidendum in tuam potentiam & iuſtitiam.

17 **Deus docuiſti me à iuuentute mea: & uſque nunc pronuntiabo mirabilia tua.**

Non me docuerunt literæ & libri, nec caro & ſanguis mirabilia tua: ſed ipſa experiẽtia potẽtiæ et ſapientiæ tuæ: tu ipſe à iuuentute elegiſti me, & docuiſti quæ ignorabam, & ſcire expediebat: animumq; addidiſti, ut ſcirem quæ deſyderare & diſcere deberem, & docuiſti ſupra captum humanum, ſpiritu reuelãte magnifica dei opera, & ad agnoſcendum beneficia dei, & fauorem, ut nunquam defuerit mihi etiam adoleſcenti cauſa gratias agendi & laudandi bonitatem tuam.

18 **Et uſq; in ſenectã et ſeniũ: deus ne derelinquas me, donec annũtiem brachiũ tuũ generationi oĩ quę uẽtura eſt: potentiã tuã,**

Vt me à iuuentute ſemper tuis es beneficijs, ſequutus et doctrina ſpiritus tui, ſic oro, ut uſq; ad ſenectã & ſeniũm nunquã derelinquas me, ſed ſpiritu tuo imbuas, ut ſciã et uelim cõplacere tibi per omnia, & dignus habear & perſeuerem promißionibus tuis, ut annuntiem quantã feceris animæ meæ, potentiam brachij tui, iuſtitiã & ueritatem tuam depredicem, omnium ſæculorũ hominibus, non iactem quaſcunq; uires meas, uel hominum reliquorum, ut uſque ad finem mundi permaneant cantica Laudis tuæ, quæ tuo ſpiritu reuelante cantaui & cano, omni ſæculo futuro potentiam mirabilium tuorum.

19 **& iuſtitiam tuã deus uſq; in altiſſima quę feciſti magnalia: deus quis ſimilis tibi?**

Quã præmiſit diuinæ erga ſe bonitatis recordationẽ, eam nũc per exclamationẽ exprimit, cũ admiratione, altitudinẽ bonitatis et ueritatis, qua & intelligit immenſitatem ſecundũ longum latũ & profundũ: ingentia ſiquidem ſunt quæ patraſti. Et quis, inquit, ſicut tu? Nemo uſquam tam ingentia, tam æqua, tam ſalutaria perficere poteſt, nemo tibi conferendus potentia, iuſtitia, & abſolutiſſima bonitate, unde & incomprehenſibilia ſunt humano ingenio opera prouidentiæ tuæ & gratiæ.

20 **Quantas oſtẽdiſti mihi tribulationes multas & malas (&) conuerſus uiuificaſti me: & de abyſſis terræ iterum reduxiſti me:**

Oſtendiſti mihi, id eſt, experiri feciſti me afflictiones multas ac difficiles, erudiſti me tentationibus multis, cõtra me regẽ Saul, & cõplices, ſed & propriũ filium, & regni primores & cõſiliarios, & totũ populum concitaſti: ſed reſtituiſti & cõſolatus es me, ſpiritũ refrigerando, recreando et exhilarãdo. Hæc uerò tanta mala, abyſſos terræ, id eſt altiſſimas profunditates uocat, quia emergere ab illis humanis uiribus nunquam potuiſſet.

21 **Multiplicaſti magnificentiam tuam (meam) & conuerſus conſolatus es me.**

Augebis ſemper me, & proficere facies magnitudinẽ meam, de bono in melius promouebis, & ampliore dignitate clarificabis, conſolaberis quoque me undiq; circundando, fouẽdo, ex omni parte uel latere defendendo ab hoſtibus, & ſolatium immittendo ab amicis. Priſcus retulit ad deum, cuius magnificentiam & gloriam canit ad augendam apud fideles, ſi quando homines pios circundando conſolari dignabitur, ut pro more conſueuit.

22 **Nam & ego confitebor tibi in uaſis pſalmi ueritatem tuam deus (meus) pſallam tibi in cithara ſanctus Iſraël.**

Non ſolũ ego ipſe, omnibus modis, hoc eſt corde, uotis, uoce, & muſicis inſtrumentis confitebor ueritatẽ et fidelitatem tuam, ſed alijs quoq; in exemplum celebrabo bonitatem tuam, ô deus meus. Pſallam autem lingua & labijs, inſuper & cithara, toto conatu & uiribus, omnibus creaturis tuis utar ad tuum obſequiũ, amorem et laudẽ: quæ omnes aliud mihi nihil agere uidentur, quàm uiribus & actionibus cõclamare, Quàm magnifica ſunt opera tua domine, omnia in ſapientia feciſti, &c. Laudandus deus omnibus modis.

23 **Exultabunt labia mea cum cantauero tibi: & anima mea quam redemiſti.**

Totus ſemper ero in tuis laudibus: opere, ſermone, corde & ore deuotus ero tibi: non ſine affectu fidei labia tantum mea cantabunt tibi pſalmos, ſed & anima ipſa grata beneficijs & redemptioni ſuæ, quam intelligit & appretiatur, gratias tibi aget.

24 **Sed & lingua mea tota die meditabitur iuſtitiam tuã: cum confuſi & reueriti fuerint qui quærunt mala mihi.**

Sed & lingua mea nihil propriũ unquam iactabit, ſed ſemper & ſolam tuam gratiam & iuſtitiam agnoſcet et fatebitur. Meditari autem linguam, eſt apud ſemetipſam loqui, & ex propenſione animi ueluti per affectum continuum loqui de dilecto. Quia cõfuſi ſunt hoſtes mei, nõ ceſſit pro libidine illorum, ideo fruſtrati erubeſcunt & iuſtum ferunt opprobrium omnes aduerſarij mei et tui.

PSALMVS LXXII.

(Pſalmus) Salomoni.

Vel ſecundum alios: In Salomonem Pſalmus Dauidis. Et id ſimplicius mihi uidetur, quandoquidem alios Salomonis pſalmos non legimus: et in fine huius inſuper adnectitur, Finem habent laudes Dauidis filij Ieſſe. Maximum autem omnium uotorum Dauidis erat, ut Salomonis regnum per omnia promoueretur, & ſub eius typo regnum Chriſti filij Dauid ſucceſſu ac felicitate fruerentur, ad gloriam dei, & promißionum dei claritatem.

ARGVMENTVM. Orat aduenire regnum dei per Chriſtum, de cuius amplitudine, æquitate, felicitate, & diuturnitate multa uaticinatur, omnia autẽ ſub typo regni Salomonici.

1 **DEus iudicium tuum regi da: & iuſtitiam tuam filio regis.**

Orat à domino Salomoni filio, Dauid pater deuotißimus deo & iuſtißimus, ut iudiciũ & iuſtitia conſeruetur & uigeat, in regno fide-

Orandum pro regib.

lium sub iusto rege, sine quibus imperia non sunt nisi latrocinia & tyrannides, nec tantũ pacem & salutẽ suo desyderat tempore populo dei, sed etiã sub successore filio regis, ut & ipse præsit in iustitia et iudicio. Orat aũt ardentius Dauid pro regno Christi, cuius gloriæ et membris omnipotens pater tribuat gratiã iudicandi iuxta spiritum dei de omnibus, nõ humana prudentia sed diuina, & secundũ uerbũ dei, & ut Christus rex electos suos liberet, cui iudiciũ omne dedit in manus, utq; in iustitia fidei seruiamus Meßiæ regi iustitiæ. Solius aũt Christi est uera iustitia, et uerũ iudiciũ, et eorũ qui sunt in Christo.

2 Iudicare populum tuũ in iustitia: & pauperes tuos in iudicio.

Officiũ regum.

Vt iudicet æquißimo æquilibrio iustitiam populo dei. Hoc cum præcipuum iusti regis officiũ sit, ab uno Christo præstetur, omnibus alijs regibus effigiẽ tantũ imperfectã regis ueri exhibentibus, aut si quid huiusmodi præstant à Christo mutuantibus, qui solus credentes iustitia sua protegit, non armis: et pauperes, ait, tuos in iudicio, qui sibijpsis nihil confisi, ex solo deo pendent, & sub regis sui umbra iustitia, bonitate, fortitudine & fide tutos se agere non dubitant. Pauperes autem dicit eos, qui afliguntur à malis hominibus, quos rex iustus & uerus uindicare debet, redimere et seruare, quibus Christus totus incumbit charißimis suis, siquidem electis dei, & uero populo, pro quibus deceat iustum regem excrere potestatem suam. Qui uero ex populo dei & uere fideles non sunt, ut sese tantum amant, ita perpetuò in alios iniurij sunt, eoq; à iusto rege non seruandi, non uindicandi, sed reprimendi & tandem delendi. Iam regis hæc prima laus & proprium munus, defendere innocuos, seruare oppressos à malis. Hoc sic præstat suis rex Christus, ut nihil in mundo prorsus eis queat nocumẽto esse, sed bono cedant quæcunq; inciderint.

3 Suscipiant montes pacem populo: & colles iustitiam.

Pax in ecclesia.

Sicut montes & colles in annis fertilibus pleni solent esse frugibus, ita omnia undique pacem exhibebunt & iustitiam pijs hominibus, omnia occupantibus & moderantibus iustis magistratibus. Huius typus regnante Salomone in eo refulsit, quod pace felici & diuturna cum rerum omnium abundantia populus fruebatur. At tum uere cuncti montes & colles uelut fructus suos pacem intulerunt & iustitiam, quando prædicatum Euangelium omni creaturæ, fructum pietatis ubique protulit, fidem & dilectionem, iustitiam & æquitatem: de quo Paulus suo iam tempore gloriatus est.

4 Iudicabit pauperes populi (&) saluos faciet filios pauperum: & humiliabit calumniatorem.

Hæc causa pacis est, dum nimirum oppressi eripiuntur, & uindicantur & retundũtur oppressores, id quod proprium boni principis officium est, punire improbos, defendere innocentes. Et in spirituali regno Christi, uerbo crucis mortificatos ipse Christus uindicabit de impijs, & saluabit per gratiã, quos per Euangelium filios & humiles uocauit, damnabit denique quicquid coram deo pios posset accusare, conscientiam scilicet peccati, & timorem gehennæ.

5 Et permanebit (timebunt te) cum sole & ante lunam (in) generatione & generationẽ.

Regnum Christi eiusq; diuturnitas.

In illo regno homines te deum agnoscent, timebunt, id est, colent, & uenerabuntur ut patrem, donec sol & luna durarint (Diuturna enim esse oportet, quæcunq; diuina sunt) sic regnum illud in quo uere arcentur mali, defenduntur boni, perseuerabit quandiu sol lucebit. Sic quoq; habent, qui per Christũ semel deo fuerint uerè adducti, non soli Iudæi, sed per omnes generationes & omni tempore, ubiq; & in toto terrarũ orbe. Omnes enim uno humero glorificabunt dominũ deum, & quem misit in hunc mundum filium, ut in eo mundus reconcilietur, & regatur uerbo ueritatis, & exemplo operũ Christi.

6 Descendet sicut pluuia in uellus: & sicut stillicidia stillantia super terram.

Christus medio quoad fit.

Vt rebus humanis nihil potest aduenire gratius, quàm si pluuia descẽdat super resecatã herbã, refrigerat enim & crescere facit herbã denuo: sic Christus, gratia & salute sua mundo arido illabetur, sicut & olim Gedeonis tempore ros in uellus decidebat, idem quod hic dicitur, Christi significans mysterium, de cœlo descensurum ad fructificandum in spiritu electos (Ideo & priscus interpres uellus reddidit. ιγ. quod detonsum & resecatũ uel raſum significat.) Et sicut rorulẽtus imber per stillas decidens, terrã magis germinare facit, et plantas crescere, & agros fermentare.

7 Orietur in diebus eius iustitia & abũdantia pacis: donec auferatur luna.

Pax Christi.

In hac similitudine perstans subijcit: Florebit in diebus regni illius iustitia, multiplicabũtur uirtutũ fructus, & tranquillitas corporũ & animorum proficiet, fideles & spirituales homines tunc multi erunt. Et pax non tã mũdi huius, sed Christi, quæ exuperat omnẽ sensum, quæ est serenitas conscientiæ, & gaudiũ in spiritu sancto, perseuerabit usque ad consummationẽ sæculi in electis, quod significabatur per pacificũ illud Salomonis regnum filij Dauid, cuius sanè pax nõ tandiu duravit, sed quadraginta tantũ annis, et adhuc uiuẽti excitauit deus aduersarios plures illi. Certa nota hũc Psalmũ de regno Christi canere sub typo Salomonis imperfectiore.

8 Et dominabitur à mari usq; ad mare: & à flumine usq; ad terminos (orbis) terrarum.

Amplitudo regni Christi.

Canit amplitudinem regni Christi, potentiam & felicitatem. A mari, inquit, usq; ad mare, ij termini quidẽ sunt regni Salomonici, mare rubrum, & mare Palæstinæ, desertum magnum, flumen Euphrates. In eo autem quod Salomon ad ultimos usque terminos promissæ terræ regnum obtinuit Christi typum gessit, cui pater subiecit totum orbẽ, imò & cœlos: subsunt enim ei omnia regna, ab oriente usque ad occidens, ab aquilone et austro, omnes agnouerunt gratiam dei per Christum.

9 Coram illo procident Aethiopes (Zym) & inimici eius terram lingent.

Vltimarum gentium & incolarum deserti subiectionem canit summam, quam per curuari & linguam lingere uel

uel terram significat, quod prostratis, oreq; terram contingentibus usuuenit. Quanquã & hodie mos sit orientalibus regẽ adituris, aliquoties terrã corã eo deosculari. Inimicorũ nomine Amalechitæ, Madianitæ & Ismahelitæ dicuntur, indomitæ gentes, & ferales deserta Arabiæ incolẽtes, quæ hostilibus semper incursionibus Israëlitas uexarunt. Quæ omnes, et reliquæ in toto orbe gentes Christo domino subijciendæ prædicũtur, quibus Paulus & cæteri apostoli prædicauerunt gloriã Christi, & uerbum ueritatis persuaserunt cum fide uera.

10 **Reges Tharsis & insulæ munera offerẽt: reges Arabum & Saba dona (honoraria) adducent.**

Constat multarum regionum principes & reges Salomoni munera uel honoris gratia, uel tributi nomine obtulisse, maritimas scilicet, quincias, quæ Tharsis nomine intelligi possint, ut est Cicilia, cuius metropolis Tharsis est, ad aquilonẽ Iudæis, et insulæ Tyrus et Cyprus, Creta & Græcia. Arabes quoq; & Sabæi ad austrũ sitæ, felix scilicet & ditissima auri Arabia, uel Sabbathæa prouincia, gloriam & magnificentiã Salomonis uenerati sunt, et muneribus contestati. Id certè quod præludiũ erat huius uaticinij implendi in Christo, cui magi ab orinte uenientes, aurũ, thus, & myrrhã Christo regi regum obtulerunt. Cui tandem omnium terrarũ regna cum regibus supplices facti sunt, & ueræ fidei, spei, charitatis, obedientiæ & resignationis pretiosissima munera obtulerũt, seruatorem Christũ dominum adorantes. Imò quicquid orbis uniuersus præclarũ habuit et illustre, ut fuit totum Romanum imperium, Christo subiectum est, & omnes orientales tam insulæ quàm regiones, quanquam diuersis ritibus, fide tamẽ & charitate Christo deuoti populi.

11 **Et adorabunt eum omnes reges terræ: omnes gentes seruient ei.**

Clarius explicatur gloria Christi, quæ Salomoni soli conuenire nõ potest. Non enim Salomonem adorauerũt omnes reges, sed admodũ pauci. Non oẽs gentes seruierunt ei, sed paucissimæ. Quanquã Iudæi nõ uerecundentur mentiri Salomonẽ fuisse monarchã orbis. Id uerò nos Christũ filiũ Dauid uerum Messiam nõ tantũ credimus, sed uidemus ex omnibus historijs, quomodo omnes gentes peruaserit Christi Euangeliũ, fides, gloria & gratia, etiam si multi sese indignos reddiderint, id quod & Dauidi in suo regno contigisse legimus, ut multos maxime in se impios perferre coactus fuerit: sic sunt in omnibus regnis etiam nomine Christianis, qui Christũ dominum non adorant, ut dignũ esset nõ colunt, ne quid miremur, si in remotissimis regionibus & gentibus inueniantur qui Christi nomen blasphement.

12 **Quia liberabit pauperem à potente (obsecrantem) & pauperem cui non erat adiutor.**

Multas quidẽ gentes Salomoni seruituras canit, ea ratione, quia iustissime imperaturus sit, iustitiã ac iudiciũ exhibiturus, eatenus ut liberaturus sit authoritate sua regali, sapientia & iustitia pauperẽ, qui suppliciter implorat misericordiam, & à potentibus oppressus queritur calamitatẽ suã, huiusmodi quoq; Christus uindicat & asserit: simulq; quotquot ubiq; gentium sic destitutĩ sunt egeni & inopes, ut nullũ inueniant alium saluatorem. Hæc Christo maxime cõueniunt, Salomoni per partes modicas comparatione.

13 **Parcet pauperi & inopi: & animas pauperum saluas faciet.**

Clemens erit & mitis, in primisq; curam suscipiet egenorum & pauperũ. Amat enim Christus pauperes spiritu & humiles corde, etiam si quando per fragilitatem cadant & peccent si resipiscant: & animas pauperum suã miseriã agnitã deo cõquerentiũ saluas facit, & deo patri reconciliat, seseq; pro illis sacrificiũ impendit, quo perfecta charitas eius cognoscatur, et colatur syncera fide.

14 **Ex usuris & iniquitate redimet animas eorum: & honorabile nomen (sanguis) eorũ coram illo.**

Christus pro pauperibus.

Non modo clamantes ad se pauperes audit semper & eripit, sed ultro, quicunq; laborant, ære alieno grauati, & onerati peccatis, ad se eos inuitat, adeò charos habet, tanto erga eos affectu tenetur, ut animas eorum redimat à uiolentia, et misericordiæ affectu permoueatur in simplices turbas, & humiles quoscunq;, cum uiderit destitutos uelut oues nõ habentes pastorem. Maximi autem facit sanguinẽ pauperum iniuste fusum, quibus pro momentaneis quas hic perferunt afflictionibus, uitam in regno suo donat sempiternam.

15 **Et uiuet, & dabit ei de auro Arabiæ, et adorabũt de ipso semper: tota die benedicẽt ei.**

Gentium fides in Christum.

Canit hic uersus studia omniũ gentiũ in hunc quidem regem Salomonẽ imperfectius, in Christũ aũt perfectissime, ut qui ultro ei quicquid præstantissimũ haberent essent oblaturi (ea siquidẽ per aurum Arabicũ significat) tum deũ quoq; pro eius salute precaturi, & ipsum certatim laudibus euecturi, ita ut solent qui regẽ suũ impense colunt et amant. Auget hoc gentium studiũ, quod ait, Semper pro eo precaturas, ut illi ipsæ probentur quàm maxime, quotidie eum laudaturæ. Omnes enim ubique homines studiose quærebant uidere Salomonem, ut audirent sapientiam eius, & munera quoque offerebant pretiosa. Quæ maxima Salomonis gratia umbram Christi prætulit, qui longe gratiosior & amabilior est cunctis non hominibus modo, sed & angelis: eas diuitias sapientiam & potentiam habens & largiens, unde electis suis constat uera felicitas, quam ipse uiuit & quæ fruitur. Hinc eum cognoscentes, animas suas & uitam magna cum uoluptate offerunt, oranq; sedulo pro cunctis membris suis, pro successu & profectu regni sui, quod & quotidie prædicant, omnia sua uerba & facta instituentes in illius gloriam & honorem.

16 **(Et) erit firmamentum (pugillum frumenti) in terra in summis mõtium, superextolletur super Libanum fructus eius: & florebunt de ciuitate sicut fœnum terræ.**

Hic uersus uarie intelligitur. Priscus interpres pro פסת בר firmamentum transtulit. Iudæi particulam frumenti exponentes, semen frumenti paratũ, quantum capere potest manus, quod in tantam multitudinem excre

scet & augmentum sumet, ut montes uix ferre possint. Alij exponunt tortam panis, quæ in diebus Messiæ multiplicabitur, nimirum sacramentalis iste panis qui & Eucharistia dicitur, corporis Christi et sanguinis sacramentum memoriale propriũ gratiæ mundo collatæ per Christi corporis fractionem in cruce oblationem pro salute mundi. Alij dicunt, idem esse quod gratia uel bona uoluntas. Alij dicunt frumenta producent in diebus Messiæ: de quo hunc Psalmum exponunt, placẽtas, sicut est plenitudo uolæ, seu palmi unius. Turgescet sicut Libani fructus eius, quoniam frumenta cõcussione sua deijcient similam suam in terrã, ut ueniens inde capere possit plenitudinem uolæ secundũ refectionem suam. Alij Hebræi dicunt designare panem & uinum, de quibus legitur in Genesi de Melchizedech, per quem intelligunt Messiã, de quo Zacharias, Ecce rex tuus uenit tibi iustus & saluator. Consentiunt autem primò in hoc, ut dicant modũ loquendi esse de maxima abundantia & multiplicatione omnium uictualium corporalium & spiritualiũ tempore Messiæ, propter fœcunditatem terræ, ut ex pugillo seminis, tantæ segetes enascantur, ut & montes undique repleantur, ut earum à uentis agitatio decidere faciat panes sine labore. Sicut enim hoc rege regnante, apud omnes uigebit dei timor, ita beata quoq; rerum necessariarum abundantia aderit. Ea quidem fuit Salomonis temporibus admodum ingens et iucunda sufficientia cum pace, sed in Christi regno omnia longe uerius euenient, quibus nihil boni deesse potest, regnum dei & iustitiam eius quærentibus. Vt is simplicior sensus uideri possit, Erit placenta uel torta frumenti, unde confirmatur cor, id est uirtus corporis humani in terra, dum Messias regnauerit, id est, panis uitæ, uerbum dei purum & certum, cibus salutis, quo animæ fidelium reficiuntur et sustentantur, in capite montium, in magna gloria et æstimatione, & conspicua omnibus. Et ad literam Christus docuit Euãgelium salutis in montibus, & Hierosolymæ, uel etiam in apostolicis uiris, regibus spiritualibus, populos dirigentibus, & fideliter docentibus. Is fructus uitæ florebit et fructificabit, turgescet ut Libani fructus eius, promouebitur augmentabitur centesimus fructus seminis uerbi dei, in bonam terrã suscepto semine sacro. Non quiescet & inutilis erit, sed commouebit terram, & florebunt de ciuitate sicut fœnum terræ, fideles ex fructibus spiritus sancti exundabunt, florebunt, ornabunt ecclesiam sanctorum, & Christi domini honorem & gloriam exaltabunt. Agnoscent omnes dei gratiam & beneficia, gratias agent corde, uerbis, signis & operibus, beneficia dei complectendo & celebrando, cum laudibus diuinis, & profectu animarum piarum.

De pane sacramentali.

Messiæ in regno sufficientia.

Christus cibus animarũ fideliũ.

17 **Sit nomen eius (benedictum) in sæcula: ante solem permanet (filiabitur) nomẽ eius. Et benedicentur in ipso (omnes tribus terræ) omnes gentes magnificabunt (beatificabunt) eum.**

Sempiternitas nominis eius & uirtus ad saluandum, quicunq; ei sese dediderint, canitur cõsequenter. Sanctitas & gloria nominis eius, Christi scilicet nõ delebitur, sed glorificabitur sine cessatione & fine, donec perseuerabit sol. Per omnem posteritatẽ obtinebit celebre nomẽ: & secundũ Hebræos filiabitur nomen eius ante solem. Filius enim altissimi uocabitur, natus ante sæcula, lumen de lumine, deus uerus de deo uero, in cœlo & terra rex æternus, donec durauerit mũdus. Et benedictiones fient per eum uel in eo, sicut in Abrahæ promisso semine et filio. Omnes gentes beatificabunt eum, ipse enim erit benedictio & expectatio omniũ gentium, salus & legifer iuxta prophetiã Israëlis ad Iudam. Sempiternis enim et cœlestibus bonis benedicentur, quicunq; in ipsum crediderint, quorũ benedictio est, ut spiritu dei renati, quæ recta sunt & cognoscunt & sectentur. Ex hoc loco clarũ est, præter typũ Salomonem prophetã cecinisse de Christi regno. Parum enim beneficiorum per Salomonem ad gentes peruenit, at per Christũ salus æterna ad ultimos usq; orbis fines uniuersis allata est gentibus. Soliti sunt enim prophetæ oracula canere, nunc quæ typo, nunc quæ antitypo proprie competunt.

Nomen Christi æternum.

18 **Benedictus dominus deus (deus) Israël, qui facit mirabilia solus.**

Gloria Patri per Christũ

Glorificetur ab omni creatura & ab omnibus populis semper sacrosancta diuinitas, quæ frequenter in scripturis tribus nominibus pariter iunctis enũtiatur, ut hic quoq; & plurali nomine, ut non sine causa etiam Iudæi cogitare debuerint de trinitate in diuinitate nõ naturæ & substantiæ, maiestatis aut deitatis (quæ simplicissima est & maxima unitate una nõ plures) sed proprietatũ, quas Christus dominus explicauit, & prisci Iudæi quoq; eruditi nominibus patris, filij & spiritus sancti. Dicit autem, Collaudandus & benedictus dominus deus, qui est deus Israël, & omnium mirabilium unicus patrator, maxime uero eius, quo uerbum æternum quo conditum est sæculum totum, carne induta uisibile inter homines apparuit, & mysterium promissæ salutis perfecit.

19 **Et benedictum nomen maiestatis eius in æternum, & replebitur maiestate eius omnis terra, fiat fiat.**

Eadem fere repetens, optat, ut passim agnoscatur & celebretur decus, maiestas & gloria nominis eius, quod unum nobis datum est sub cœlo, in quo saluari nos oporteat. Idem est quod subijcitur, Et repleatur omnis terra gloria eius, hoc est, ubique seruator adoretur. Amen & Amen, fidelissima hæc sunt & omnia quæ præscripta sunt, & finis scripturæ sacræ.

20 **Defecerunt laudes Dauid filij Iesse.**

Finiunt, quia post hoc carmen fortassis cessauit à carminibus ædendis, ut fuerit fortassis ultimum, certe præcipuum uotorũ suorum testimoniũ, & ultima uota Dauidis, ut & Salomonem filium & regem, uirtute, gratia, sapientia, & felici successu faceret dei gratia administrare regnũ populi dei. Et insuper mitteret suo tempore filium Dauid aliũ sanctiorem, cui omnẽ in cœlo & terra potestatẽ traderet, daretq; cœlesti spiritu permoueri, et ad æternam uitã produci cunctos in illum credituros, & felicitati æternæ destinatos. Hic iterum Iudæi signãt obiter initiũ tertij libri Psalmorũ, pro eo q; præcedens proxime Psalmus desinat in repetitionẽ dictionis, Amen.

LIBER III. PSALMORVM INCIPIT.

PSALMVS LXXIII.

Psalmus Asaph.

Notum est quis Asaph fuerit.

ARGVMENT. Exercitium fidei est in fidelibus, ex felicitate impiorum, nõnihil scandali passis, cum uera consolatione spiritus.

1 QVàm bonus Israël deus his qui recto sunt corde:

Volens propheta referre personam hominis fidelis, nonnihil tentati cogitationibus circa prouidentiam dei, dum cernit felicitatẽ impiorum, et piorũ miserias, quasi deum impijs quàm pijs esse fauentiorem, aut utrosq; negligere, recte simul utrosque retulit, ut fides in sanctis contra iacula huiusmodi confirmetur, ait: Attamen reuera bonus est deus Israëli, utcunque externa ista cadant, benigne tamen agit cum omnibus, qui ab ipso pendent, quibus solis fide corda purificantur quantalibet miseria laborent, impijs interim omnia ex animi sententia cadentibus.

2 Mei autem penè moti sunt pedes: penè effusi sunt gressus mei.

Parum abfuit quin scandalum passus, de impiorũ prosperitate & calamitate mea desperassem, à studio probitatis excidissem, & à fidutia in deum, id enim per lapsum pedum & effusionem significat. Penè uacillauerunt gressus mei, uix euasi grauissimum casum in uita et conscientia mea. Quanquam enim perfecti in fide non scandalum patiantur, tentatur tamen non raro fides etiã firma, ut crescat: et donec uiuimus nõ cessant tẽtationes.

3 Quia zelaui super iniquos: pacem peccatorum uidens.

Inuidia permotus sum & impatientia iuxta carnem & spiritum contra pacem et prosperitatem impiorum, quos indolui confirmari in sua malitia contra fideles, ubi se ob felicem successum in malitia sua proficere cum fiducia conspexi, & nihil solicitos de fauore uel lege dei: quandoquidem uidi eos usq; ad mortem prospere agere, ut multi putarint satius esse improba sectari illorum studia, contempta dei cura, quàm difficilẽ ingredi uiam uirtutis, & fermè nihil succedere ijs qui deo student fidere, impijs autem omnia, et quidem cõtra sanctos quoq;.

4 Quia non est respectus morti eorum: & firmamentum in plaga eorum (robustum.)

Describit successum improborum, unde & fastus sequitur, arrogantia, uiolentia, & petulantia. Non sunt attenti ad mortem suam, non præmeditantur, non terrentur, nec alligantur eius consyderatione, ideoq; non conturbãtur, nec prolixa ægritudine tenentur ad diem mortis eorum. Ducunt enim in bonis dies suos, & in puncto descendunt ad inferos. Et firmitas est in uestibulo eorũ, domus illorũ et familia feliciter subsistit et durat in opulẽtia, ut nihil desiderẽt in omni uita sua. Quod uero prius interpres in plaga eorũ transtulit, uidetur אורגם legisse, pro ארלם. Alij exponũt, Et uiuidũ ac recens est robur eorũ: molliter enim et trãquille uiuere uidẽtur, et nõ raro sine nodis, id est, morbis acerbioribus moriuntur.

5 In labore hominũ non sunt: & cum hominibus non flagellabuntur.

Non solũ prospera fruuntur ualetudine impij, sed & alia illis quoq; succedũt ex sententia, nulla ut cæteri homines molestia præmuntur, nullis calamitatibus cædũntur, diuitijs, dignitate & potentia euehuntur, etiã non nunquam impij, prouidentia dei, ut pijs sit materia exercendæ fidei, utq; discant nihili ducenda externa ista & temporaria, quæ bona non sunt, sed bonorũ simulachra, & ut iudiciũ domini formidetur, dum illos grauius contigerit deijci, & ueluti cedros excindi, ut ubi fuerint nusquam appareat. Prosperitas impiorũ

6 Ideo tenuit eos superbia: operti sunt iniquitate & impietate sua.

Ideo fastus & superbia tenet eos, ueluti torque aliqua ligatos, seseq; efferũt super alios omnes. Compositio ornatuum illorũ, & decus externum, acquisita sunt de rapina pauperũ, & ad libidinem suam omnia tentant, ut superbiant contra deum & homines. Nunquam sine uiolentia pauperũ uiuũt, hoc est, nunquã exuere ferocitatẽ possunt, & ceu ueste aliqua amiciri solent uiolentia.

7 Prodijt (quasi) ex adipe iniquitas (aspectus) eorum: transierunt in affectum cordis.

Notat insolentiam & tumorem, ob niniam corpulentiam & opulentiã, præq; successu rerum, ut ueluti oculi euanescere uideãtur, et uix uideri præ pinguedine, quando nimium genæ pinguescunt. Priscus pro oculo iniquitatem legit, עקבי pro עיני. Transgressi sunt affectiones cordis, plus assequuti sunt quàm desyderabant. Ad luxũ omnia disposuerunt, uel transgressi sunt modum, quicquid affectarunt assequuti sunt.

8 Cogitauerũt (colliquescũt) & locuti sunt nequitiã: iniqtatẽ in (de) excelso locuti sunt.

Nullis putant se legibus teneri, ideo propensi sunt & defluunt ad omne malũ, ab omni ratione uitæ, sine uerecundia loquuntur quæcunq; mala, quomodo circumueniant cum fraudulentia bonos & simplices. Iactant se deuersutia et noxa, qua innocentibus negotium faciunt cũ successu, non deũ ueriti neq; homines. E sublimi loquuntur in excelso, tanquam omnibus supereminẽtes. Vel de excelso loquuntur, suo more, de deo etiam mentiri non uerentur, nec blasphemare timent sanctum nomen eius.

9 Posuerunt in cœlum os suum: & lingua eorum transiuit in terra.

Neq; superis neq; inferis parcunt hi superbi & impij, in omnes uenenatam linguam suam exerunt, omnia contemnunt. Non enim dei prouidentiam credunt, nec iustitiam metuunt, sed tantum ex præsentibus & temporarijs suis fatis omnia metiuntur, de futuro nihil soliciti, uerbo domini non credentes.

10 Ideo cõuertetur populus meus (eius) hic: & dies (aquæ) pleni inuenientur in eis.

Propterea qui populus dei esse debebant, scandalizantur huiusmodi fortunis impiorum, fiuntq; complices ad similia, attracti & solicitati prosperitate temporali: sed suo tandem tempore affluenter bibent aquas de calice uindictæ diuinæ. Interim tamen tam impij quàm pusilli

in fide proficiunt in malo & scandalum uiget in seductoribus & seductis. Facile fuit in Hebræo dies pro aquis intelligere & legere antiquarijs.

11 (Et) dixerunt, Quomodo scit deus, & si est scientia in excelso?

Vtraque pars dicere non raro consueuit, Quomodo deus hæc nostra omnia cognosceret in excelsis? Nihil nobis statuendum de prouidentia dei circa hæc inferiora. Nulla deo in cœlis circa homines mortales cura est, alioqui non ita temere iniusta fieri sineret ab impijs, prospere omnia & pro libidine agentibus.

12 Ecce ipsi peccatores & ambundãtes in sæculo: obtinuerunt diuitias.

Ecce illi impij homines cum sint, & omnibus appareant, contra deum & eius uerbum, crudeles quoque in proximos, fortunati tamen sunt, & tranquillitate temporum felices, abundantes omnibus bonis, quæ in hoc sæculo appretiantur, obtinuerunt diuitias quibuscunq; modis, per fas & nefas, & tamen interim cum salute possident & cum gloria, quæ deus cum iustus sit, & ipsissima bonitas non ferret si cognosceret.

13 (Et dixi) Ergo sine causa iustificaui cor meum: & laui inter innocentes manus meas:

Tentatio fidelium. Profert alteram de scientia dei dubitationis rationem, quia non tantum mali bene habent, sed insuper boni à malis affliguntur, & uiuere miseram coguntur uitam, quod iustus deus admissurus nõ fuerat, si sciuisset. Vtiq;, inquit, quisq; qui hac tentatione exercetur, frustra in innocentiæ studui, nam quotidie affligor, & singuli dies cũ exortu suo incommodi aliquid adferunt: inuacuum iustus esse contendi ex corde, & frustra abstinui à prauis operibus & iniquitate.

14 Et fui flagellatus tota die, & castigatio mea in matutinis.

Tota die flagellatus crucem portaui iugiter cum pijs, spe meliorum & fauoris diuini: & increpatio uel castigatio mature mihi & mane occurrit: à pueritia solicite & quotidie meipsum iudicabam de omni opere malo, si quod imprudentior admisissem, non tantum uesperi, sed tota nocte, & usque diluculum affligebat me conscientia praui operis interdiu admissi: sic domino complacere uoluissem, sed, ut uidetur, gratis omnia, quandoquidem omnia uideo feliciora apud impios quàm mihi similibus, uel etiam me melioribus.

15 Si dicebam, Narrabo sic: ecce nationem filiorum tuorum reprobaui.

Si ad istum modum ut iam præmissum est loqui perrexero, & in ista mea cogitatione perstitero, ô deus, iniuriam fecero toti nationi filiorum tuorum, reprobam iudicauero conditionem fidelium tuorum, quos omnes eo quod diligis castigas, & à creaturis ad te reuocas per aduersitates. Dicere enim studiũ pietatis esse inane, cui illi boni incumbunt, & pios huiusmodi à deo perpetuo negligi, & infelicem esse uitam colentium deum, utique atrox iniuria est, & contumelia in deum & sanctimoniam totam: cum certo certius sit, fidelibus omnia cedere in bonum, & plusquam paternam curam in suos gerere deum patrem cœlestẽ, iustissimũ & clementissimũ.

16 Existimabam ut cognoscerem hoc: labor est ante me.

Cupiebam igitur perueστigare causas prouidentiæ diuinæ, iudiciorum dei, & actionum huius uitæ, & consuum huius mundi. Sed hoc mihi cessit in laborẽ & molestiam non ferendam, quandoquidem rem excedentem humanas uires hoc negotium reperiebam. Conatus istiusmodi perueστigandi arcani quamlibet se huius causa animus curiosus torsisset inanis fuit.

17 Donec intrem in sanctuarium dei: & intelligam in nouissimis eorum.

Ingressus sacrarij dei pro perceptione diuinæ erudi- Sacrarium dei quid. tionis accipitur, dum abstractus à creaturis animus, uoluntati diuinæ discendæ & amplectendæ totum se sancta contemplatione addicit. Id ubicunq; sancti faciunt, ibi sacraria dei ingrediuntur, & docentur conditionem improborum, minime à præsenti splendore sed ab infelicissimo potius exitu æstimandam. Hoc cum sancti agnoscunt, non modo non inuident impijs, sed potius sortem eorum deplorant, & sibi plurimum gratulantur, quamlibet aduersis exagitentur, ut quos dignetur deus paterna castigatione corripere, ne cum mundo damnentur.

18 Veruntamen (propter) dolos posuisti eis: deiecisti eos dum alleuarentur (in uastitates.)

In sanctuaria ergo dei ingressus, uidi tales positos in lubrica uia, in qua perfacile quis cadit: sic consideraui caducam & fluxam esse improborum felicitatem, nihil prorsus habentem stabile, utcunq; feliciter habere aliquandu uideantur, certe fecisti eos proximos casui & incertos, dũ nihil minus cogitauerint subito casuros. Deiecisti eos dum alleuarentur, dum conantur maxime sese exaltare & eleuare, et iamiam sublimes alios præ se despicere, & per tyrannidem subditos opprimere, tunc proximi sunt ruinis diuino iudicio prosternendi in multa incommoda animæ & corporis. Sic enim blanditur dominus & imponit sæpe hostibus suis, dum in lubricũ positos eleuat & sic subito euertit ac uastat.

19 Quomodo facti sunt in desolationem subito, defecerunt: perierũt propter iniquitatem suam (ab horroribus.)

Cum enim iamiam se regnare putarent improbi illi, Impiorum casus. repentino iudicio suo deus illos eatenus præcipitat, ut prorsus desolentur, subito deficiant, & euanescant tam ipsi quàm fallax eorum felicitas & iactantia: consumuntur enim & pereunt, propter iniquitates suas affecti terroribus non ferendis, & formidine anxia instantis ruinæ. Non enim necessarium deus ignem habet & gladiũ corporalem, facile immittit improbis mentem, tantis turbationibus æstuantem, terroribus perturbatum & angoribus, ut nihil grauius in mundo putẽt potuisse sibi inciderе, habet iudicij sui innumera & lætalia arma, & mirabiles modos affligendi impios, ut uehementer horribile sit incidere in manus dei uiuentis.

20 Velut somnium surgentium, domine in ciuitate (tua) imaginem ipsorum ad nihilũ rediges:

Eleganti

Eleganti admodum simili exprimit, quàm nihil sit omne quo beati sibi mali uidentur, somno eius qui iam euigilarit, quo nihil est inanius quanquam dormientem uidetur oblectare: ita dum improbi fruuntur secundis rebus, beati sibi uidentur, cum sint infelicissimi, deo scilicet destituti & illius fauore, post hãc uitam uoluptatibus exactam cum euigilarint de præsenti stupore, qui animum eorum captum tenet, sentient se inanes omnium bonorum fuisse & esse, nõ aliter atq; si quis esuriens somniarit se edere, sitiens bibere, qui euigilans, non solum nihil tale fuisse sentiat, sed simul magis cibi potusq; desyderio affligatur. Quo simili usus est & Isaias. Id cũ deus facit, rectè dicit, Imaginem eorum in ciuitate reddes despicatam, & in nihilum rediges, id est, dignitatẽ & æstimationem, & apud homines memoriam quæ nihil sunt, nisi umbra quædam, & inanis imago.

21 **Quia inflammatum est cor meum, & renes mei commutati sunt:**

Quoniã exacerbatũ est & acetosum factũ cor meum huiusmodi cogitationibus, æstuaui & inquietus fui, & impatiens ex animo, & renes mei immutati sunt, & alterati à suis quoq; affectionibus, intra & extra perturbatus sum, non rectè perpendendo iudiciorũ tuorum iustitiam, & animo multipliciter afflictus sum, totus mihi ipsi dissimilis factus, pro improborũ prosperitate amaricatus, & ueluti pũcturis extimulatus ad impatientiã.

22 **& ego ad nihilum redactus sum, & nescii. Vt iumentum factus sum apud te,**

Hanc autem afflictionem & impatientiam animi stultitiæ suæ tribuit, fassus se stultũ, omniq; intelligentia ceu brutum pecus destitutum, sed nihilominus fuisse apud dominum, hoc est in eius cura & protectione. Eam autem curam duobus sequentibus uersibus magis explicat.

23 **& ego semper tecum. Tenuisti manũ dexteram meam:** (&)

Vtcunq; uarijs mecum cogitationibus conflictarer de sorte aliorum felice uel calamitosa, semper tamen quoties ad meipsum redij & quid mecum semper egisses animaduerti, & ruminaui: semper sentio te esse partem & hæreditatem meam, etiam si quãdoq; me periclitari finas, semper tamen solatium tuum & auxilium persidem nondum amissam experior. Tenere enim consuesti manu tua dexteram m[illegible]n, ut pater infantem, ne caderem destitutus, præoccupasti per gratiã ne desperarẽ, & uacillantẽ iugiter apprehendis, ne cadam ad mortẽ.

24 **in uoluntate tua deduxisti me: & cũ gloria suscepisti me.**

Inspiratione consilij tui, & spiritu sancto tuo docuisti me, & direxisti in omnibus, ne à fide uerborum tuorum deciderem, & per errorum pernicioſorum auia aberrarem deduxisti me, & semper deduces. Et postquam tu in me saluato fueris glorificatus, iterum me errantem suscipies ut per breui adflictione eruditus, ingenti gloria tua honorari me cõtingat. Ad hoc est quod deus in præsenti ad tempus uisitat suos momentanea adflictione, ut supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus in eisdem operetur, & ut homo interior renouetur intẽrim de die in diem, & per multos gratiarum actio abundet in gloriam dei.

25 **Quid enim mihi est in cœlo: & à te quid (tecum nihil) uolui super terram?**

Spes in deũ

Perpẽso sic dei erga se fauore, fidelis & charitatẽ amplissima exultabundus animo inquit, Quis mihi in cœlis præter te arrideat? quis tecum collatus placeat in terra? Iam omnibus rebus posthabitis in hoc mundo te unũ sitio, te ardeo, quem uideo unum & esse, & largiri uniuersa, cui totus insistam, à quo auocabit nulla creatura cœlestis uel terrena.

26 **Defecit caro mea & cor meum: deus cordis mei, & pars mea deus in æternum.**

Præ nimio desyderio adhærendi deo defecit caro & cor meum, ut nihil carnale & tibi ingratum libeat cogitare, etiã si nõ cessent impugnare. Tu uero interim propugnatorẽ meum te exhibeas, & patrem, portio quoq; mea sis, qui unicus defendere potes, & largiri quibus indigeo affatim. Solus enim deus & dominus animam hominis fidelis & conscientiam firmare potest, & præter eum sancti nihil magnopere cupiunt.

27 **Quia ecce qui elongant se à te, peribunt: perdidisti omnes qui fornicantur abs te.**

Canit & ab improbis causam habere se cur tantopere de domino exultet. Qui enim à deo se subducunt, sine dubio peribunt, fontem aquarum uiuentium dũm derelinquentes merito siti deficiunt: sine deo omnibus essentiam largiente nihil in mũdo subsistit. Perdidisti omnem fornicantem abs te, uerbum ueritatis & tuũ deserẽtem, aliquid supra te amantem, & fide uera nõ adhærentem.

28 **Mihi autem adhærere deo bonum est: ponere in domino deo spem meã: Vt annuntiem omnes prædicationes tuas** (*in portis filiæ Sion.*)

Deo coniungi.

Coniungi me deo, & affectum fidei & charitatis confirmari optimum est mihi, omnem meam fiduciã ponere in solum dominum, & illius gratiam ac bonitatem, non in iustitias operum uel humanas quascunq;, non in uiribus, sensu, opinionibus uel uerbis, sed omne bonum quo fruor agnosco profectum à domino, cuius solius in me opera laudare possum, non quia mea, sed quia in me per tuum spiritum operata, ex fide non uacua, uerũ tuo munere, & ad tuam gloriam non meã qualemcunq;, qualia sancte ac iuste semper agis in gloriam tuam, et ad salutẽ electorum tuorum, pro quibus sempiternis tuis beneficijs, gratuitò susceptis in æternum quoque tuam obligor celebrare bonitatẽ, laudibusq; attollere, à quo solo omne bonum. Id autem olim fiebat Hierosolymis in atrio sacerdotum, quod priscus fortaßis non de suo adiecit.

PSALMVS LXXIIII.

Intellectus Asaph.

Prophetia est & admonitorium populi Iudaici, ut conuertantur ad dominum toto corde, ne si pergant suo more semper sectari impietatem & idola pariter colere, templum dñi & dei præsentiã gratiosam aliquãdo perdituri sint, destructo non solum loco prophano urbis Ierusalem, sed etiam tẽplo per gentes. Id quod certissime fu-

turum prædicit, non alio ſtilo quàm ſi factum fuiſſet, ob certitudinem prophetici ſermonis, more aliorum ferè omnium prophetarum, qui populi malitiam incorrigibilem uidentes, & odiũ prophetarũ dei, quos mane conſurgendo mittebant, certiſſime prænuntiauerunt futurũ excidium, quod lege Moſis dominus dudum prædixerat, & pphetis alijs poſterioribus imminere reuelabat. Fuit autem author huius Pſalmi non Aſaph ille primus cantor tẽporibus Dauidis, ſed aliquis de familia Aſaph, quæ excreuit in multas perſonas, inter quas multi prophetæ & cantores eruditi & pariter zelo dei prædti, et uerbi dei prædicatores egregij, qualis hic fuit.

ARGVMENTVM. Oratio fidelium ad deum cõtra uaſtatores populi dei, et cultus diuini legitimi per ſequutores, utq; ſancti uindicentur, & gentes impiæ digna ultione reprimantur.

1 VT quid deus repuliſti in finem: iratus eſt furor tuus ſuper oues paſcuæ tuæ?

Ira dei etiã in electos.

Grauibus noſtris peccatis nos tuus populus à te electus, ſed electioni non reſpondentes pro merito, cauſam præbuimus iræ tuæ, & iuſto iudicio tuo, quo nos tandem inobedientes prophetis tuis repellis & abijcis. Sed cum extent adhuc fideles tui nõ pauci in populo tuo, quibus dolet generalis iniquitas totius gentis ingratæ, & adhuc non retractæ ſint promiſſiones tuæ patribus factæ pro tota gente Iſraelitica, proq; reliquijs ſanctorum: ideo oramus, ut ſaltem non in finem traſcaris nobis, non in perpetuum quaſi negligere nos & reijcere uidearis & iraſci, omnino implacabilis factus. Quan diu fumabit ira tua, uel naris, in gregẽ paſcuæ tuæ? quouſque ſpirabit furorem grauiſſimum contra nos tua iuſtitia in peculium tuum?

2 Memor eſto cõgregationis tuę (quam) poſſedifti ab initio. Redemiſti uirgã hæreditatis tuę: mons Sion in quo habitaſti in eo.

Oratio piorum.

Memineris per miſerationes tuas charitatis tuæ priſtinæ ad amicos tuos patriachas noſtros, & eius congregationis quam elegiſti tibi in Aegypto, imò quam ab æterno prædeſtinaſti tibi in populum ne dum Iudaicũ ſed electorum omnium, Chriſti ſanguine & morte olim redimendum, & iam redemptum per fidem patrum & promiſſiones tuas. Memineris eius eccleſiæ, quam ueluti peculiarem tibi populum aſſumpſiſti ex gratia ſine meritis, tribus hæreditatis tuæ, per quas ſingulariter oſtendere mundo uoluiſti tuam bonitatem & potentiã, iudiciũ & ueritatem. Sed & memineris montis tui Zion, quem elegiſti locum cultui tuo, pro fidelibus tuis & electis, ut tu et nemo alius in eis deus coleretur, ubi præſentiæ tuæ ſacramentum ſtatuiſti, fixum locũ gratiæ tuæ ſuper propiciatorio arcæ tuæ. Ne illud ſic repellas & abijcias, quaſi pœniteat te tuæ hæreditatis & electionis, ſi eã impiorum tyrannorum libidini permiſeris.

3 Leua manus tuas in ſuperbias (eorũ) in finem: quanta malignatus eſt inimicus in ſancto.

Exalta uiciſſitudines tuas, uel horribiles inceſſus tuos, ad irreparabiliter uaſtandũ hoſtes pietatis, ueniaſq; illis tremendus iudex & percuſſor, eorum ſcilicet qui uaſtauerunt uel ſunt uaſtaturi templum & populum, cum uanius ueri dei cultu, iniqua uoluntate ſua erecturi falſorũ deorum culturam. Omne malũ egit hoſtis ille tuus & populi tui in ſanctuario tuo in contemptũ tuum & populi tui & religionis ueræ, omnia pphanauit ſacra tua, prætulitq; ſacrilega idolorum ſuorũ portenta gloriæ tuæ & ſanctuario quod tibi præparari iuſſiſti.

4 Et gloriati ſunt qui oderunt te: in medio ſolennitatis tuę. Poſuerũt ſigna ſua, ſigna,

Templum impiorum.

Sacrilegi iſti hoſtes tui nec loco detulerunt nec tempori, in medio ſolennitatis cũ ad colendum te legitime conuenire debuiſſet plebs tua, irruerunt prophani homicidæ cum rugitu barbarico & incondito clamore in ſanctuarium tuum, omnibus crudeliſſime abuſi ſunt ad ſuã libidinem ac auaritiam. Signa ſua in loca publica propoſuerunt & ſtatuerunt pro tropheis: in locũ deo ſoli conſecratum ſuũ faſtũ in tuum contemptũ erexerũt, ad fidelium tuorũ irritationẽ, qui totius diuini cultus, ſuam & dei gloriã collapſam cernere compulſi ſunt, & leonum inſtar rugitũ ædere in loco orationis et audientiæ uerbi dei conſecrato, illuc poſuerunt ſigna uictoriæ ſuæ, ubi antea fuerant omnia plena ſignis beneuolentiæ diuinæ.

5 & non cognouerunt (cognitum eſt) ſicut in exitu (perueniens) ſuper ſummum.

Quaſi in ſylua lignorum ſecuribus.

Templum cruciora.

Obſcurus admodum uerſus cum ſequẽte in Hebræico, ideo & priſcus quoq; uariat. Videtur legiſſe כמבריא, ubi interim ſcriptũ eſt במבריא, ut dixerit, Sicut in exitu: ubi Hebræus dicit: Sicut inferens ſcilicet domũ. Vt ſit ſenſus ſecundum Hebræos: Olim Salomonis tẽpore æſtimabatur throno dei in cœleſtibus quippiã ornamẽti addidiſſe, qui pro templi ſtructura rupem aliquam infregiſſet pro lapidibus, uel arborem incidiſſet pro trabibus inferendis templo domini: tam habebatur religioſum munus adiutrices porrexiſſe in ſanctuarium dei. Nunc uero abſq; omni dei timore, ſolium illud gloriæ dei, aureũ templum & ſanctuarium dei, funeſtis manibus Chaldæi uel alij diripiunt, excindunt ſecuribus, & reſoluunt colligaturas uel commiſſuras trabium in templo, ut abſtrahant aureos ſcilicet clauos & laminas, per totũ illud ſacroſanctum ædificium, quod auari & crudeles inimici ſpoliant & uaſtant. Nullam agnouerunt in loco illo excellentiam, nec reuerentiam deferendam templo arbitrati ſunt, quo minus ſecuribus inciderent trabes ſanctuarij, ueluti ligna alia quæcunq; ſyluarum. Hoc ſenſu uidetur reddidiſſe priſcus, & non inerudite nec impie.

6 exciderũt ianuas eius in idipſum: in ſecuri & aſcia deiecerunt eam.

Deniq; ianuas quoque templi propter aurum auferendum & ne ſupereſſet clauſura & dignitas templo, bipenni & ſecuribus concuſſerunt, uel ſecundum alios prominentes ſculpturas, & ueluti apertas flores aureas ſuis malleis certatim comminuerunt & confregerunt, omnia ornamenta deſtruentes, & aurum rapinæ decernentes prophaniſſimo militi. Talis enim conſueuit eſſe mili-

militum furor in despoliandis locis sacris & auellendis ornamentis pretiosis.

7 Incenderunt igni sanctuariũ tuum in terra: polluerunt tabernaculum nominis tui.

Templum dedicatũ.

Abstractis pretiosis quibusq; in templo, & omnibus prophanatis & direptis, sacrũ illud templũ impij Chaldæi tandem immisso igne exusserunt in uniuersum, donec muri, parietes, porticus, & quicquid pertinebat ad templum decideret in tumulum, & ueluti pollutißimum locum iniquißime tractauerunt, eliminare prorsus cupientes cultum istum dei unius optimi & maximi, & plurium deorum suorũ erigere sacrilegia, in dei Israelis contemptum & populi sui, ad laudem uero sceptilium suorum, quibus uictoriæ illius felicitatem referebant acceptam, ut & Philistæi & Romani dijs suis.

8 Dixerunt in corde suo cognatio eorum simul, Quiescere faciamus omnes dies festos dei à terra.

Non inerudite transtulit priscus, Cognatio eorũ, pro quo scribitur in Hebræo נִינָם. quod posteros eorum significat & familiam unius generis. Verum potest & à uerbo יָגַר quod affligere signat & depopulare, dici hoc loco, et fortassis cõmodius, Depopulemus eos pariter, id est exterminemus. Vt sit sensus, Cogitauerũt isti hostes dei in animo suo, Exterminemus & conficiamus eos pariter, id est semel religionẽ istã, illius numinis, illi populo & loco auferamus, ut ardeant omnia, & absumantur ignibus, cessentq; conuentus eorum, & celebritates, & loca sacra in tota illa terra, si quo modo etiam religio ista deficiat, & non sit qui colat dominum deum Israel, sed ad ritus ethnicos deficiant filij Israelis.

9 Signa nostra non uidimus, iam non est propheta: & nos non cognoscet amplius.

Queruntur se solitis & in lege promißis auxilijs & solatijs destitutos in hac summa eorum calamitate, ut antea nunquam. Non enim tempore captiuitatis Babyloniæ pro eis rursus dominus faciebat portẽta, non occidebat hostes Assyrios, ut olim sub Iosaphat & Ezechia, non supererant prophetæ qui auxiliũ domini certo pollicerentur, sed qui exitium uaticinarentur, quos & non habebant pro prophetis, sed male tractauerunt, ut Ieremiam ferè unicum. Denique non erat inter illos qui ex spiritus reuelatione sciret, quomodo tantis malis occurrendum esset, uel euadendum, non enim sancto Ieremiæ uel alijs credebatur. Iam enim à tempore Esaiæ miracula cessauerant dei circa populum Iudaicũ, & miseriæ illius continuo augebantur.

10 Vsquequo deus improperabit inimicus: irritat aduersarius nomen tuum in finem?

Blasphemia à demonijs.

Quanquam tantas calamitates crimina nostra meruerint, uerum ratio tibi habenda uidebatur tui nominis & honoris, ut non parceres tam improbe opprobria iaculanti in tuam gloriã, quasi impotens sis ad uindicandum locum tui unici cultus, ut nos tuos cultores defendere nequeas, uel non uelis. Sicq; blasphematur impune nomen tuũ, ut id tibi ferendũ minime nobis uideatur. Sic quoq; sancti orant contra ueritatis aduersarios, & persecutores piorum, ut id non illis diutius liceat, sed citius humilientur & absterreantur, ne hostes tam blasphemi & scelerati, sine diuina iusta ultione euadant.

11 Vt quid auertis manum tuã & dexteram tuam de medio sinu tuo in finem?

Manus in sinu.

Inertes & nihil agentes in sinum manum recondere solent: sic ubi satagere deum pius orat pro defensione pietatis, clamat ut prohibeat deus dexteram suam de sinu suo, imq; hostes istos tam impios exerat, ut non differat uel cesset ab ultione in hostes, & prohibere iniurios. Sic enim deus patitur nostros loquendi modos, secundum affectus humanos depromptos: nouit enim infirmũ nostrum, & figmentum suum, & impatientiam fideliũ pro dei gloria uindicanda boni consulit, si ex fide & nõ ex personarum odio proficiscatur.

12 Deus autem rex noster ante sæcula: operatus est salutem in medio terræ.

Solenne est Psalmis & quibuslibet sanctorum precibus, quod memorant apud se potiora beneficia dei circa se & suos: deinde declarant potẽtiæ dei facinora prisca in hostes. Primũ ergo hic mentionem facit, deũ ab initio fuisse suũ regẽ, & in medio terræ hoc est patentißime opẽ sibi tulisse. Quod enim quis in media urbe, in media regione perficit, necesse est eum sic esse instructum, ut à nemine possit impediri, sicut & à nemine latere.

13 Tu confirmasti in uirtute tua mare: contribulasti (cõtriuisti) capita draconũ in aquis

Miracula dei.

Potißimum canit de terra Aegyptiaca, in cuius medio ita exerebat olim potentiam suam deus, ut quamlibet inuitos, supplices illos sibi redderet per Mosen, tandemq; deduxit populum suum per mare Rubrum, suffocatis in eo Aegyptijs, quos uocat dracones. Quanquam etiam soleat nonnũquam dei potentia & ex eo prædicari qđ ut condidit & alit, ita solus quoq; conficiat dracones, & alias beluas hominibus inuictas. Priscus dixit, Confirmasti mare, hoc sensu, quasi intra muros ex lateribus aquarum confirmatos & erectos, locum dedisti maioribus nostris transeundi sicco pede per mare Rubrum. Pro contribulasti, dixerat olim cõtriuisti, ut mendum sit scriptorum Latinorum non Græcorum.

14 Tu confregisti capita (draconis:) dedisti eũ escam populis Aethiopum (Zym.)

Tu confregisti capita draconis, ubi Hebræi Leuiathan dicunt, proceres scilicet regis Aegyptiorum inimicos fidelium, uel ipsum potius regem cum pompa regni. Hũc dedit deus in cibum populo incolenti desertum, dum Israelem fecit potiri eius spolijs. Cæterum Leuiathan nomen ab additione habet, significatq; cete & quaslibet immaniores beluas marinas.

15 Tu dirupisti fontes & torrentes: tu siccasti fluuios Ethan.

Tu sitienti populo tuo in uasta solitudine & inaquosa scidisti fontem, id est de petra aquas produxisti et Iordanem postea diuisisti. Tu siccasti flumina Ethan. Solita quidem, sed non minus miranda beneficentia sua, in toto orbe petras secat, fontes et flumina inde emanare iubet. Contra quoque, potentia alicubi flumina sorbet & ces-

ſare facit à fluxu. Per flumina Ethan maris rubri tranſitum ſignificare uidetur.

16 Tuus eſt dies, & tua eſt nox: tu fabricatus es auroram & ſolem.

Ordo rerũ conditarũ. In tua poteſtate & ordinatione eſt motus ſolis & lunæ, pro tuo iuſſu & ordine fit dies & nox, prolõgantur uel abbreuiantur iuxta uoluntatem tuã, tu omnia moderaris, qui creaſti omnia. Tu beneficiũ lucis omnibus præſtas, & ſeruata luce Iſraelitis olim in Aegypto, tenebras interim reliquæ Aegypto immiſiſti. Tu lunam, ſolem & ſtellas ordinaſti, & influere imperaſti, ut tuæ placuit ſapientiæ & bonitati.

17 Tu feciſti omnes terminos terræ: æſtatem & uer (hyemem) tu plaſmaſti ea.

Tu ſtatuiſti terris ſua climata, prouintiarum diuiſiones ſecundum montes flumina & maria ordinaſti ac linguas. Aeſtatem & hyemem tu creaſti: in manibus tuis ſunt tempora noſtra: commoditates omnium rerum tu ordinaſti: maieſtatis tuæ potentiam ex magnificis operibus tuis toti mundo reuelaſti, eis ſcilicet qui aſſurgere poſſunt per tuam gratiam ad agnitionẽ creatoris à creatura mundi, & ordine illius pulcherrimo.

18 Memor eſto huius, inimicus improperauit domino: & populus inſipiens incitauit nomen tuum.

Deſyderia piorum. Memineris oro potentiæ tuæ & gloriæ uniuerſalis dominij tui, ne ab impijs homunculis cõtemnatur. Non obſurdeſcant aures tuæ ad contumelias & opprobria, quæ improbi iaculantur in tuam gloriam. Læſam maieſtatem tuam digne ulciſcere, de tuis creaturis, de populo ſtulto ſua culpa, quem tu intellectualem condideras. Ipſi ſacro ſanctum nomen tuum blaſphemant, quod uniuerſa creatura ſuis laudibus cõſequi non poteſt. Aiunt perfidæ hæ gentes hoſtes populi tui te eſſe uel impotentem, uel inuidum, uel infidelem & non ueracem, dum illis parcens & uictorias largiens, peculium tuum uaſtari ſinis, qui religionem noſtram improbant, quam tuo nobis uerbo commendaſti. Incitare dixit erudite pro prouocare ad iram, & blaſphemare.

19 Ne tradas beſtijs animas confitentiũ tibi, & animas (uitam) pauperum tuorũ ne obliuiſcaris in finem:

Non ſinas opprimi ſtudioſos uoluntatis tuæ, & filios eccleſiæ tuæ, ſimplices & innocentes. Turturem ſe uocat, qua nihil eſt imbecillius & magis innocuum. Priſcus legit ך pro ך, & forte melius, Cõfitentium deo gloriam & non blaſphemiam. Et uitam uel animam pauperum tuorum nolis perpetuo obliuiſci, humiliũ ſcilicet ſpiritu et manſuetorũ de ſe nihil præſumentiũ, ſed tibi ſimpliciter confidentiũ propitius agnoſcas & ſemper reſpicias.

20 Reſpice in teſtamentum (tuum) quia repleti ſunt: qui obſcurati ſunt terræ domibus iniquitatum.

Conſolatio ſanctorum. Præcipua ſanctorum eſt conſolatio, fœderis dei cum ipſis initi conſyderatio: quod irritare deus non poteſt, nihilominus tamen deum orant, & ſeipſos admonent, ne quando fiat iuſtum impedimentum fœderis, & cauſa incidat rumpendi teſtamenti propter hominum peccata, & inſtabilitatem, cum ſub cõditione ſeruandæ fidei ſtet lex fœderis inter deum & ſanctos. Adijcitur de uiolentia hoſtium, ad quam nequeat diutius conniuere deus iuſtus. Eam ſignificat, dum queritur omnia plena eſſe uiolentia improborum contra afflictos, pauperes & innocentes, plena eſſe omnia uiolentis carceribus & tenebroſis tyrannorum: hoc eſt, non iuſtitiam regnare ſed tyrannidem, uel plena eſſe habitacula miſerijs terrenis, palatia tyrannorum plena ſunt ſpolijs, & pauperum iurijs uel piorum.

21 Ne auertatur humilis factus cõfuſus: pauper & inops laudabunt nomen tuum.

Non reuerti cogatur humilis precator à conſpectu tuo confuſus, nõ fraudetur deſiderio ſuo qui orauit ad te humiliter afflictus & oppreſſus ab impijs. Et qui confunditur apud ſemetipſum de propryis peccatis uel aliorum, is tibi gratus fiat. Egenus & afflictus cum fiducia orantes à te clementer exaudiantur, gratias agent ac ſemper laudabunt, quod ope tua confiſi, non ſunt repulſi, ſed in ſua fide & ſpe potius confirmati.

22 Exurge deus, iudica cauſam tuã: memor eſto improperiorum tuorum, eorum quæ ab inſipiente ſunt tota die.

Spes auxilij à deo potiſſimum eò nititur in pijs, quod ſciant hoſtes ſuos dei eſſe oſores, ideo toties allegant illorum blaſphemias & opprobria in maieſtatẽ dei, ideoq; orant, ut cauſam ſuam dominus contra illos agat: cumq; ſit pauperum adiutor deus, non ſinat diutius durе illos opprimi in hoc mundo, ne ſinat multos eos, qui diuina omnia nihili faciunt, non timent deum, non colunt, nec obſequuntur ſed blaſphemant.

23 Ne obliuiſcaris uoces inimicorũ tuorũ: ſuperbia eorũ q̃ te oderũt, aſcẽdit ſemper.

Vindica gloriam nominis tui, confunde blaſphematores tuos & ueritatis tuæ, mendaces cõtra uerbum tuum corripe, & ne obliuiſcaris peccata hoſtium tuorum, ut ipſi non ceſſant magno tumultu aduerſari tibi, moliuntur ſemper impia, quos tu tua maieſtate opprimas, ut uel nolentes & confuſi abſterreantur à criminibus, & ab oppreßione fidelium, quibus ſunt infenſißimi.

PSALMVS LXXV.

In finẽ ne corrumpas Pſal. Aſaph cantici.

Fortaßis aliud hoc loco ſignificat, Ne diſperdas, quam in quibuſdam ſuperioribus titulis: niſi utrobiq; capiatur pro oratione, qua dominus exoratur, ne fideles corrumpantur ab infidelibus, & ut conatus impiorũ ad differendum pios impediatur.

ARGVMENTVM. Oratio eſt contra ſuperbos fidelium oppreſſores, ut tandem iudicio diuino corripiantur, qui iuſtitiam illius non credunt.

1 CONfitebimur tibi deus, confitebimur: & inuocabimus nomen tuũ. Narrabimus mirabilia tua:

Chriſtus unà cum pijs omnibus membris iure ſuo exultans apud patrem, profitetur ſe laudaturũ bonitatem eius, qua contigit ut proxima humano generi ficret

fieret sacrosancta diuinitas in Christo deo & homine, & omnibus inuocãtibus nomen dei, afflictis & miseris prope esse nomen dñi, uirtus scilicet & gratia, ab ipsius bonitate pendentibus. Enarrabunt sancti mirabilia tua, toto orbe terrarũ agnoscunt beneficia dei, maxime quæ per Christũ tunc futura sperabantur, nunc autẽ in Christi regno cernuntur & laudantur clarius.

2 quum accepero tempus, ego iustitias iudicabo.

Tempus & cœtum significat dictio מועד, ut uideatur esse sensus. Captabo temporis opportunitatem ad iudicandũ, et tunc ego dñs rectitudines iudicabo: etiam ea quæ uidentur iusta & recta iuxta sensum carnis, dijudicabo, palàm declarabo qualia sint, summa æquitate iniquitatem profligabo, pietatis studiũ & innocentiam omnemq; uitæ decorem adserã. Credentes donat suo spiritu, improbos iudicat ut merentur, iudicium prædicit, & exercere incipit, in futuro illud sæculo consummaturus.

3 Liquefacta est terra, & omnes qui habitãt in ea: ego cõfirmaui colũnas eius. Sela.

Terra ipsa & quicquid in ea est, omnes scilicet habitatores eius diffluent uelut metu, & colliquescent, dum deus cœperit exercere iudicium suum. Quod filio suo dedit. Tunc soli illi subsistent qui non sunt de terra, qui spiritu regenerati, diuinæ & cœlestis naturæ euaserunt participes. Vnde subiecit, Ego fixi columnas eius, Nam sicut propter filios dei condita sunt omnia, ita hi quoq; orbem uelut columnæ sustinent: sicut econtra, regnantibus malis nutant fundamenta terræ. Sela autem adscriptum monet, ut cogitemus Christi unius esse mundum restituere, qui illum & condidit.

4 Dixi iniquis, Nolite inique agere: & delinquentibus, Nolite exaltare cornu.

Monet piorum rex Christus eos, qui sibi aduersantur per summam stultitiam & pernicioſum errorem, ut non exaltent & erigant sua cornua, id est eam quam uidentur habere potentiã in mundo, nec contra se efferantur, qui potestatem solus habeat largiẽdi suis uitã æternam, & abijcere contradicentes sibi in gehennam.

5 Nolite extollere in altũ cornu uestrum: nolite loqui aduersus deũ iniquitatem (in collo duro:)

Replicat cornũ eleuationẽ, quæ uehementer domino exosa est, sicut humiles corde amplectitur et exaltat, illos uero superbos deijcit. Nolite loqui aduersus deum iniquitatẽ, sic reddidit priscus, quod Hebræus legit, Ne loquamini in collo uel ceruice ueteri, Intelligit uetustissimam illam antiqui serpentis superbiã, qui primos parentes docuit loqui contra dei uerbum & præceptum, & murmurare contra ordinationes diuinas: sicut et ceruix uetus dicitur Israelitica ista ceruicositas, qua murmurauerunt contra deum, Mosen & legem. Quæ quanta fuerit corã iudicio dei iniquitas, testatur multiplex uindicta, & omnium eorum excidium in deserto.

6 Quia neq; ab oriente, neq; ab occidente, neq; à desertis montibus:

Tam exosam sibi superbiam & murmurationem dominus rigide uindicat in omnes, cuius iustum iudiciũ non euadent impij quocunque tandem fugiant: non enim salus erit illis ab ortu uel occasu, non ab angulis orbis, sed ab extremis solitudinibus deus suo illos iudicio persequetur, ne quò effugiant manum domini.

7 quoniam deus iudex est. Hunc humiliat, & hunc exaltat:

Deus enim uniuersorum iudex est, omnia cernit clarissime, & iustissime iudicat: hunc qui sibi uisus uel soli fuerit, etiã pharisaica humilitate modestus iudicatus ab hominibus, ipse iuste humiliat: hũc uero exaltat, q se se humilem habebat & cornua nulla gerebat. Sic enim dñi est deprimere præsumẽtes, gratia sua agnoscere humiliatos.

8 quia calix in manu domini uini meri plenus mixto. Et inclinauit ex hoc (in hoc) ueruntamen fex eius non est exinanita: bibẽt omnes peccatores terræ.

Vltionem superborũ, & aduersantium pietati & ueritati nominat calicẽ plenum turbido uino, quem illis dñs porrigit & propinat, illũ prorsus ebibituris, ut etiã feces infimas sint fucturi. Quæ uero hoc uersu uates cecinit experti sunt Iudæi, qui dixerãt de dño, Nolumus hũc regnare super nos, & ideo cruci ipsum affixerunt, cum atrociter adeo per Titũ excisi fuerũt, ut nullũ excidium uiderit hic sol atrocius. Biberũt postea & Romani, Græci, gentesq; aliæ ex eodẽ calice, horrendis cladibus deiectæ, & bibituri sunt quotquot uerbo dei aduersabũtur. Vltio impiorum.

9 Ego autem annuntiabo in sæculum: cantabo deo Iacob.

Dum improbi contra regnum dei insaniunt, & ob id pœnas partim exoluunt, partim expectant ut penitus confringantur, Christus cum sua piorum ecclesia gratias deo agit in sæculum sine fine, psallitq; deo Iacob, cui fideles credunt, cui fide, spe & charitate seruiunt, cuius gratia tanta mala euadunt: quem coluit Iacob et omnes sancti patriarchæ & prophetæ, qui solus est & unus deus, omnipotens & iustus.

10 Et omnia cornua peccatorum confringã (& exaltabuntur cornua iusti.

Semel omnis olim impiorum potentia confringetur, regnumq; perfectum Christo domino continget uocatis omnibus credentibus ad plenũ consortium felicitatis coelestis. Hic quoq; semper orandum est, & pro uirili conandũ, ut iustitia, uirtutes, opera uere bona, fides in deũ, radices agant in terra uniuersa, in omnibus hominibus ad ueritatis agnitionem uocatis, multis modis & adhuc latius uocandis. Hæc autem quia ex sola dei gratia proficiscuntur, ideo semper manebunt & proficient.

PSALMVS LXXVI.

In finẽ in laudibus, Psal. Asaph canticũ.

ARGVMENTVM. Gratiarumactio est, pro beneficijs diuinis & uictoria.

1 NOtus in Iudæa deus: in Israel magnum nomen eius.

Non solum à fidelibus agnitus est deus habitare in Iudæa, in Ieruſalem, & in templo, sed etiam à gentibus, & eis quoque impijs, uerum

ſuo magno malo, ex victorijs ſcilicet diuinitus collatis, Ezechiæ, Ioſaphat, et Dauidi cõtra Ammonitas, Aethiopes, Aſſyrios & Græcos. Iudæa aũt à Iuda dicitur, à confeßione ſcilicet ueritatis, unde fideles dicuntur, quibus notus eſt deus, quiq; illum confitentur & laudant, & ſunt ſemen benedictum Abrahæ, ſecundum ſpiritum & fidem. Et in Iſrael magnum nomen eius. Ipſis enim manifeſtauit iudicia ſua deus, ab illis ſanctificatus ceremonijſq; legalibus celebratus, idq; tantum Hieroſolymis ſecundum legem uſq; ad Chriſtum, per quẽ dei nomen ſanctificari cœptum eſt, non tantum in Iudæa, ſed in omnes fines terræ & ab omnibus gentibus.

2 Et factus eſt in pace (Salem) locus eius: & habitatio eius in Sion.

Præſentia dei.

Salem pacem ſignificat, & urbem Ieruſalem ad montem Sion ſitam, ubi & templum à Salomone eſt conſtitutum, eo loci ubi à domino Abrahæ & Dauidi oſtenſa eſt ſacrificij ara extruenda, ubi & propiciatorium, ſupra quod dominus promiſit ſe ueluti præſentißimum affuturum omnibus inuocationibus fidelium, in ſancto ſanctorum, quod erat illi uice tabernaculi, in quo habitare crederetur, ubi & quodam ſpirituali modo eſſendi aderat, quo modo nuſquam alibi, quamtumlibet totus orbis eum capere nequeat, habeatq; ubiq; præſentem, omnia uidentem, manu tenentem & conſeruantem. Et habitatio eius in Sion, quia ibi tantũ coli uolebat ceremonijs, qui ubiq; in ſpiritu uoluit & potuit à fidelibus adorari & in ueritate, permiſſo aliquandiu rudi populo legali cultu, ne illegitimis ſacrilegijs pro ſua propenſione nimia inuolueretur.

3 Ibi confregit potentias, arcum, ſcutum, gladium, & bellum. Sela.

Gloria diuini nominis.

Ideo autem magnum factum eſt nomẽ dei in Ieruſalem & Iudæa, quia ibidẽ à populo ſuo abſtulit omnẽ uim hoſtium, quos ibidem magna gloria ſui nominis proſtrauit in gratiam ſui populi, quotieſcunq; peculium ſuum eſſe ſtudebant, quibus & ipſis non pepercit, ſi fidem fregerunt, & ſcandalo fuerunt cæteris gentibus. Confregit autem potentia ſua deus Iſrael ignita iacula hoſtium, id eſt totum conatum impiorum, pace donata ſibi fidentibus, quibus pacem commendauit & adeſt per gratiam. Nec ipſi enim ſancti qui ſoli uerè Ieruſalem ciues ſunt inter ſe belligerantur, nec alijs ad id dant occaſionem, ſed patrem imitati, pacem potius ubiq; reſtituunt, paratiores ad uincendũ mala in bono. Ideo Sela hic additur, poſt commemoratum ablatum bellum, clypeum et arcum aduerſariorum.

4 Illuminans tu mirabiliter à montibus æternis (prædæ:)

Iſtorum ciuium habitatio & urbs, ubi pax regnat, illuſtrior longe eſt & clarior, magnificentior, & admirabilior mons Sion, ubi digne deus colitur, quàm ſint omnes cæteri illuſtrißimi & celeberrimi montes, qui claris fulgent nominibus, unde nobilium tyrannorum ſtemmata & imagines: qui montes potius dicuntur habitacula leonum, luporum, urſorum & aquilarum, uulpium & accipitrum, crudelium, rapaciumq; prædonum & ferarum, quàm fidelium & eccleſiæ domicilia. Tu, inquit, mons dei illuminas clarius, et celebrior es quàm ſint montes illi prædonum, qui de æterno ſuo nomine gloriantur. Sic priſcus intellexiſſe uidetur, & certo.

5 turbati ſunt omnes inſipiẽtes corde. Dormierunt ſomnũ ſuum: & nihil inuenerunt omnes uiri diuitiarum (in) manibus ſuis.

Impietas.

Longe aliter euenit illis gigantibus & prædonibus Iebuſæis, Hethæis, Amorrhæis, & cæteris tyrannis caſtella in montibus poßidentibus ad tutandas ſuas prædas, ſortes quàm uoluerant. Ipſi enim omnũ prædatores etiam deprædati ſunt, et ferociſſimæ gentes iudicio dei per Iſraelitas paßim in terra Chanaan exterminatæ ſunt et prædis exutæ & occiſæ: ſicut et uiribus exuuntur omnes hoſtes fidelium. Dormierunt ſomnum ſuum, experti ſunt ſe nihil potuiſſe contra deum, occiſi & mortui euanuerunt, & deleti ſunt ab Iſraele, iuſſu dei. Iſti quãlibet potentes huius ſæculi, ſæui ſtrennuiq; tyranni, non ſeſe tueri potuerunt cõtra ſententiam dei, non inuenerũt quid agerent. Omnes uiri qui diuitias colligunt ui & iniuria, prædanturq; fideles, ſuo enim tempore opprimuntur et ipſi à manu domini.

6 Ab increpatione tua deus Iacob dormitauerunt qui aſcenderunt equos.

Fortißimas has Chananæorum gentes, & tyrannicos nobiles, in montibus cubilia parantes, quamlibet inſtructos ad bella equis & curribus, ſola ſua increpatione deus Iacob conſopiuit & occidit in gratiam fidelũ ſuorũ: iuſto ac terribili iudicio ſuo, diutißime toleratos tandem exterminauit, & loco cedere iußit filijs patriarcharum & Iſraelitis. Huiuſmodi ferociſſimos gigantes, & populorum prædones deuicit uirtute dei Ioſue, Caleb et Dauid, qui terram purgarunt huiuſmodi latronibus.

7 Tu terribilis es, & quis reſiſtet tibi? ex tũc ira tua.

8 De cœlo auditum feciſti iudicium: terra tremuit & quieuit.

Verbi dei uirtus.

Hoſtium cædem ſolo uerbo dei, & increpatione iræ illius perfectam, admirabundus exclamat propheta dicens: Tu ipſe formidabilis es, tu es qui talia potuiſti, cui nemo reſiſtit irato. E cœlis enim profert iudicium ſuum in impios, cœleſti uirtute depugnat cum tyrannis. Inde oſtendis cum uidebitur iram tuam, qua fit ut ſe iam mouere contra nemo audeat in terra uel poßit. Ad enim eſt quod adiecit, Terra tremuit & quieuit, id eſt homines terræ uim inferentes, qui ſeſe iactabãt aliquid poſſe contra dominum deum exercituum, ſed inuenerunt exterminium.

9 Cum exurgeret in iudicium deus: ut ſaluos faceret omnes manſuetos terræ. Sela.

Terribilem autem ſe deus exhibet impijs, pro ſeruandis manſuetis terræ, id eſt, qui deo ſe totos conſecrauerunt ad omnem calamitatem parati. Pro his enim ſurgit in iudicium dominus, ad deijciendum ſuperbos, & reprimendum humiles, digno utroſq; iudicio donaturus: ideo adiectum eſt Sela.

10 Quoniam cogitatio hominis cõfitebitur tibi

tibi: & reliqæ cogitatiõis diẽ festũ agẽt tibi.

Indignabunda cogitatio, & furor hostium intractabilis contra te, ô deus, in laudem tibi cedet. Fatebuntur enim hostes ipsi & quicunque tua pro nobis magnalia opera audient, te deum & omnium iudicem, eorũ uero qui tibi fidunt certum seruatorem: hi autem quos redemisti aliud nõ studebunt quàm efferre & celebrare maxime nomen tuum. Reliquias autem indignationis, & quicquid superest hostium penitus conficies & abuteris eorum exterminio in laudem & celebritatem tui nominis: alligabisq; reliquos, ne quid audeãt deinceps contra populum tuum. Priscus interpres legit התגרר pro eo quod Iudæi nunc תתגרר.

11 Vouete, et reddite domino deo uestro: omnes qui in circũitu eius, qui affertis munera. Terribili (& ei)

Pro hac tanta dei in suos beneficentia iubet uota nuncupari & solui. Vota, inquit, laudis, uerum quæ debebunt suo tempore exolui nõ sine hostijs. Vouere autem, est etiam orare quæ ad dei gloriam pertinent, & desiderare ea, quibus gratificari deo possit, et ostendere se gratum beneficijs. Vnde & monendi sunt homines, ut deo non aliud uoueant quàm quod illi gratum nouerint, ut est uera innocentia, officiũ charitatis, quo lex dei impletur. Ea uouenda quidem sunt, id est, proponenda in animo iugiter & uouenda non tanquam supererogatoria, quasi deo donanda, sed humiliter complenda pro uiribus, & ubi uires deficiunt, dei gratia imploranda. Non sunt ergo uouenda quæ non habes in tua facultate, nec dei promissione. Dei sumus, & omnes uires nostræ creatori obnoxiæ sunt & debent quicquid possunt, contra cuius uoluntatem nihil licet uel uelle uel facere.

12 qui aufert spiritum principum: terribili apud reges terræ.

Causam reddit cur deo nuncupanda sint uota & soluenda uel offerenda munera. Excellit enim cunctos reges & principes, adeo ut spiritum eorum eripere possit dum libuerit, & ueluti cohibere, dum non permittit eos implere suas malitias, et conatus crudeles restringit. Cor enim regis in manu domini est. Terribilis est regibus terræ, qui uelint nolint, illius iustum suo tempore iudicium sustinebunt, & tyrannide impia exuentur, dignaq; factis recipient præmia, ut discant cæteri unius solius dei uoluntati acquiescere.

PSALMVS LXXVII.

In finem pro Idithun, Psalmus Asaph.

Dictatus fortassis est hic Psalmus ab aliquo propheta de familia Asaph, & datus ad canendum cantoribus de familia Idithun: uel aliud uerisimilius dicatur, in tanta rerum incertitudine, quantũ attinet ad negotiũ titulorum.

ARGVMENTVM. Oratio fidelis hominis & tentati, cum consolatione adiuncta ex prouidentiæ diuinæ contemplatione digna.

1
Oce mea ad dñm clamaui: uoce mea ad deum, & intendit mihi.

Repetitio clamoris ad deum exprimit fidem certissimam, ad unicum illum suum deum. Non ad aliquam quamcunque creaturam in toto mundo sibi confugiendum decreuit, sed ad deum suspirando clamat, toto corde et ore. Ad deum, inquit, qui solus iuuare potest, non ad sanctos uel principes. Et auscultauit ad me, non aspernatus est, quantumlibet peccator essem, sed attendit indigentiam respicientis, & sperantis in bonitatem dei. Vnde discimus etiã uoce tenus orandum, non quod nõ uideat uota cordis omniscius, sed quia oranti augetur affectuosus cogitatus ex uocali oratione, non sic ex nimijs cantilenis.

2 In die tribulationis meæ deum exquisiui, manibus meis nocte contra eũ: & non sum deceptus. Renuit consolari anima mea,

Ad summum dolorem animi, & auxilij necessitatem, dominum deum suum inquirit, nõ cunctatus seueritatẽ, pro qua non audeat deum optimum & summum cum fiducia accedere, quandoquidem pariter eum clementissimum esse non diffidit, sed humiliter inquirit eius gratiã, quam & facilè assequitur deuota oratione et syncera fide: unde & proficit in externas ceremonias, tota nocte expandendo manus ad clementiam dei, sine aliqua remissione affectus uel laxatione. Orandus est enim dominus perseueranter, & ex animo uacuo mundanis curis, qualis esse solet noctu. Priscus interpres pro נגרה legit נגרה incertum quid uerius, sine tamen mutatione notabili sententiæ, & ח mutata in Vau. Diligenter uero annotandum animã piam nolle quacunq; ratione in aliquo consolari, & fiduciã salutis quærere, nisi in solo deo uno & uero, non diuis uel idolis quibuscunque. Orandus quomodo deus.

3 memor fui dei & delectatus sum, & exercitatus sum: & defecit spiritus meus. Sela.

Permittit nonnunquam deus, ut sancti extrema pati & citra spem remedij laborare sibi uideantur, quo inexpectatius deinde ferens auxilium illis magis dulcescat, et eos sibi arctius deuinciat. Sic nũc queritur fremuisse & locutum se esse ex animi magno dolore, in medijs tamen angustijs memorem fuisse saluatoris & patris sui dei, à quo tamen se diligi non dubitabat, quamlibet exagitatũ & implicatum uarijs angustijs spiritus sui. In quas sine bona dei gratia se peruenisse non dubitat, ideo Sela adiungit. Pro eo quod dixit, Delectatus sum, aliud legisse uidetur fortassis אהמה pro אהמיר

4 Anticipauerunt uigilias oculi mei: turbatus sum, & non sum locutus.

Tantam canit fuisse mentis perturbationem, ut somnum excluserit penitus, & ademerit loquendi copiam. Tenuisti, inquit, oculos meos, excussisti somnum ab oculis meis, præuenerunt somnium uigiliæ oculorum, ut per uniuersas noctis custodias uigilare oportuerit anxium, quando dici non potest quæ & quàm molestæ cogitationes subeant infelicem hominem, post secunda tempora immutata. In uerbo turbatus sum, priscus ח legit ע eodem fere sensu, ut non sit necessarium uertere in contusionem uel processionem.

5 Cogitaui dies antiquos: et annos æternos

Memorat se prisca tempora & annos superiores secum reputasse, ac recordatum, quomodo olim dei laudes

carmine modulatus fuerit, gratias agens ob amplißima eius beneficia, cum nunc totus sit in deploranda miseria, totis etiam noctibus, simulq; iudicia dei mira & terribilia discutere tempore ocioso, ad augmentum doloris. Id se feciſſe canit cum subiungit, ſpiritum ſuum perueſtigaſſe, utiq; dei conſilium ſuper ſe, calamitatumq; modum & cauſas. Hinc ergo ſubierũt querelæ quæ ſequuntur. Quod uero ſcopare ſpiritum dixit, Hebraice eſt ſcrutari, inquirere, & inueſtigare.

6 in mente habui. Et meditatus ſum nocte cum corde meo (&) exercitabar, & ſcopebam ſpiritum meum.

Sic uult dicere, præ nimia anxietate ceſſaueram à laudibus domino cantandis, ſed reſumpta ſpe promißionum dei canam iterũ miſericordias dñi, quas experior etiam in medio calamitatum mearum. Cum corde meo loquar, hoc eſt, corripiam puſillanimitatem conſcientiæ meæ & fiduciæ. Et perſcrutabitur ſpiritus meus & conſiderabit iudiciorũ dei benigniſſimam diſpenſationẽ circa ſuos, nõ enim ſemper terribilẽ ſe exhibet, ſed cõſolatur uiciſſim.

7 Nunquid in æternum proiiciet deus? aut non apponet ut complacitior ſit adhuc?

Spiritu edocti & fide non poſſunt credere ſe omnino à domino deſerendos, et de mora tantũ queruntur, certi interim ſe non ſemper proijciendos à domino, etiam ſi aliquantiſper ab impijs perturbentur, & ſe relictos timere cogantur à domino, cuius tamen ſe nouerunt & creaturas & filios. Nunquid non iterum complacentia ſua ad me permouebitur? nónne denuo mihi pater clementiſſimus reconciliabitur?

8 Aut in finem miſericordiam ſuam abſcindet à generatione in generationem?

Nónne ſic putabitur dominus iratus homini quem condidit & elegit, ut ſemel iratus pro peccatis, illi nunquã clementiam ſuam rependere ſtatuerit, & conſolationem oraculorum ſuorum quibus ipſum crebro uiſitauerat in mediis anguſtijs poſthac finire, & per omnes generationes & tempora negare decreuerit? Non ſic durus eſt dominus, ut ſemel iratus reconciliari non uelit, uel placari, aut colloqui cum electis, etiam ſi quando per infirmitatem labantur & peccent.

9 Aut obliuiſcetur miſereri deus? aut conti nebit in ira ſua miſericordias ſuas? Sela.

Non poteſt obliuiſci miſereri deus, ſicut nec natura mutari, cuius propriũ eſt miſereri & parcere, totus benignus & ſuper malitia etiã hominũ præſtabilis. Nõ cohibebit unquã miſericordias ſuas, nunquã ſeueritatis iudiciũ ſupergredietur, ut opprimat infinitas miſericordias dñi. Id alta mente reponendum fidelibus, qui in hac uita peccatis carere nõ poſſunt, ſignificatur per additũ Sela.

10 (Et dixi) Nunc cœpi: hæc mutatio, dexteræ excelſi.

Poſt timoris anguſtias perpeſſas, & per dei conſolationem deuictas, proponit fiduciam ampliorem capeſſere de dei erga ſe gratia, qua de nouo dño adhærere, & in illũ fidere uelut ex initijs cupiat, nõ proprijs quidẽ uiribus, ſed mutatione dextræ excelſi, à qua ſit adiuuandus, & de nouo inſtituendus in amorẽ dei, & fidẽ bonitatis illius, qui eum in anguſtijs reſpexerit, & non deſtituerit omni ſolatio, ſed poſt deſperandi tentationes, uiciſſim iucunda confidentia in clementiã dei donandus ſit. Nõ temere priſci interpretis iudiciũ præterire poſſum, cuius uerſio ab Hebræo minime abhorret, quanquã & Iudæi non ſine cauſa reddant: Et dixi ægritudo mea eſt annorũ dextræ excelſi. Quã ſententiã difficilius explicãt, et uerbum חלל admodum per puncta uariatur à Iudeis ad uaria ſignificanda. Et in tam uetuſtis ſcripturis, imõ omniũ antiquiſſimis, nos quædam præterire nõ eſt miraculum.

11 Memor fui operũ domini: quia memor ero ab initio mirabilium tuorum.

Non eſt notum ſanctis poſt triſtia à deo donari lætitia, ra, gratiã poſt pœnas. Tales enim ſunt admoneteones dei ad ſuos electos, & exercitamenta fidei & humilitatis, quibus pij deo maxime placent & proficiunt. Solitus eſt ſiquidẽ poſt mala deſperationis inſperata bona conferre humiliatis. Sic enim ab exordio hominũ mirabilia ſua diſpenſauit mirabilis in omnibus operibus ſuis dñs, ut poſt extrema excidia & pericula, ſuauiſſimis gaudijs fideles ſuos recreauerit ſemp, ut patet per oẽs ſacras hiſtorias.

12 Et meditabor in omnibus operibus tuis: & in adinuentionibus tuis exercebor.

Pariter ruminabo crebrius mecũ cum iuſta ſeueritate etiam pietatẽ dei, quæ relucet in omni opere dei, quam fideles experiuntur in ſuis actibus et ſtudijs, ut in diebus malorum ſumma fide ſperare debeant ſucceſſura meliora: quandoquidem & Chriſtum pati oportuit, & ita ingredi in gloriã, id omnibus uſu uenit, ante Chriſtũ et poſtea, qui Chriſti fuerũt et ſunt. Hæc diligenter fidelibus cõmemoranda repetuntur nõ paucis uerbis, quia ſumme neceſſaria ad fidei conſtantiam, qua pij ſaluantur.

13 Deus in ſancto uia tua: quis deus magnus ſicut deus (noſter?)

Quanto tua ſtudia ſtudioſius meditor, tanto te ſanctiorem inuenio, ſcilicet ipſiſſimam ſanctitatem eſſe & iuſtitiam omnes uias tuas. Quicquid agere ſolitus es cum pijs & impijs, ſanctũ eſt & irreprehenſibile, etiã ſi uulgus ſapientium huius mundi intelligere non poßit, ſicut nec meretur uel debet, à quibus dñs abſcondit cõſilia ſua, reuelat autẽ paruulis. Quis eſt enim, ô deus, magnus ut tus? Tanta etiã eſt tua bonitas, omnia enim tua tu es, & infinita perfectio totus es. Non eſt præter te quiſpiã deus, et ſi eſſent dij plures, ut nuncupantur inter homines dij & monarchæ ac iudices, nullus aũt deus eſt, ut tu, qui ſolus omnia cõdidiſti, noſti, ordinas, et cõſeruas potentia tua à qua nomẽ habes, ut deus, hoc eſt אל et אלהים dicaris. Sanctã deí opera.

14 Tu es deus qui facis mirabilia. Notam feciſti in populis uirtutem tuam.

Eadem potentia tua quæ & uerius omnipotentia dicitur, tu deus facis quicquid mirabile contingit & magnificum in toto mundo. Tu nedum creaturas omnes condendo miracula poſuiſti ſine numero in creaturis conditis, ſed etiam recreando, & hominem reformando per letis, ſed etiam recreando, & hominem reformando per legem & gratiam, infinita exhibuiſti ſupra naturæ facultatem opera, propter electos tuos redimendos & conſo- Potẽtia dei

laudos

landos, olim in Aegypto, eremo, & terra hæreditaria, quin & per Christum & apostolos apostolicosq; uiros sine mensura & numero. Quibus omnibus notã fecisti in populis omnibus fortitudinem omnipotentiæ tuæ, cui non potest quæcunq; creata uirtus comparari, multo minus æquari, etiam si pariter adnumerẽtur. Non est enim hodiæ gens & natio sub cœlo, quæ omnium conditoris dei gloriã non confiteatur & cupiat pro uirili sua creatorem suum colere, quanquam nõ tanta id diligentia studeatur ut cõueniret. Omnes enim iam dudum audierunt miracula omnipotẽtiæ suæ ex sacris literis & uerbo domini, cuius sonus exiuit in orbem terrarum uniuersum.

15 redemisti in brachio (tuo) populum tuũ, filios Iacob & Ioseph. Sela.

In specie canit potentias dei, quàm scilicet potenti brachio deus quanquã mirandis prodigijs fideles suos uindicauerit à seruitute Aegyptiaca, ut dominus in columna ignis & nubis respiciens exercitũ Aegyptiorum, illum concusserit, rotas curruum eorum auerterit, egeritq; in profundum. Omnia hæc contra omnium hominum opinionem tua uirtute patrasti. Filios tuos Israël, qui & Iacob, quos omnes nutrierat in Aegypto ut suos filios sacerrimus patriarcha Ioseph donec uixit, quo tamen mortuo non perijt prouidentia dei circa electos suos, sed in tempore respectu domini cõsolati sunt, et redẽpti magnifica potentia dei, inuitis omnibus impijs. Et hic quoque Sela significat insignẽ circa suos gratiã cõtemplandam.

16 Viderunt te aquæ deus, uiderunt te aquæ (&) timuerunt, & turbatæ sunt abyssi.

Aquæ deniq; maris Rubri uiderunt, hoc est, senserũt, potentiam dei, & quasi metu quodam perculsæ ausugerunt, uiam cesserunt electis omnipotentis dei, quibus omnia seruiunt. Trepidauerũt abyssi, ne opprimerẽt amicos dei, sed reuererentur & cõmouerentur ad imperiũ dei, iustos excipiendo plausibiliter fugientes homicidas Aegyptios, impios autem inuoluentes et occidentes horribiliter, omnibus modis obediendo nutui diuino, ut faciunt creaturæ omnes præter homines, qui id omniũ maxime deberent ratione præditi & uoluntate.

17 Multitudo sonitus aquarum: uocem dederunt nubes. Etenim sagittę tuę transeũt:

Exprimit tempestates immissas, nõ tantum Aegyptijs, sed etiam fidelibus, iuxta montem Sion in datione legis: ubi multipliciter ostendit potentiam suam deus, quam prædicat hoc Psalmo. Et nunquam non omnipotentiam suam ostendit ad omnes homines tonitruo & nimbis extra densaq; nube demittendo, ut fieri solet in tempestatibus, grandinemq; spargit, & micat fulguribus, prosternitq; & conterit petras, & quicquid fortißimum habetur, totam aliquando simul terram concutiendo. Quibus omnibus deus & beneuolentiam ostendit erga suos, & indignationem contra improbos.

18 uox tonitrui tui in rota. Illuxerunt corruscationes (tuæ) orbi terræ: commota est & contremuit terra.

Vox tonitrui tui in rota uel sphæra ætheris uel cœli demittitur ad tuum placitũ, & corruscationibus illuminas ac perterrefacis homines terrigenas, quibus iram ostendis ad impios, salutarẽ metum & reuerentiã tuis electis.

19 In mari uia tua, & semitæ tuæ in aquis multis: & uestigia tua non cognoscentur.

Semitæ dei.

Præbuisti uiam ad nutum tuum, & ad ostensionẽ uirtutis tuæ populo tuo quem redemisti, aquas maris rubri siccando, ut transirent liberati. Et semitæ iudiciorũ tuorum tunc toti orbi inclaruerunt in aquis illis multis, quibus obuoluisti Aegyptios, quin & in aquis Iordanis: & eis deniq; in aquis, quas è petra durißima exire populo tuo præcepisti, miraculo grandi & perpetuo, donec indigerent. Et in aquis angustiarum, & in abyssо tribulationum soles magnifice saluare tuos, & modis supra naturam mirabilibus, quorum uestigia cognosci non possint, ratio quoq; humana iudiciorum dei iustitiam & rationem assequi pertimescat.

20 Deduxisti sicut oues populum tuum in manu Mosi & Aaron.

Tu ipse dominus deus noster deduxisti ueluti fidelißimus pastor credẽtium populũ tuum peculiarem, eorum utilitatibus per omnia consulens, sine ipsorum cura. Id autem fecisti per manum, id est, officio et periculo Mosis & Aaronis, quos tu illis doctores tradidisti et ductores, secundum cor tuum omnia agentes & iuxta uerbum tuum. Sic tamen, ut tu principalis eorum ductor & rector, rex & dominus esse uolueris, fidelium tuorum, ut interim semper es & in æternum existes.

PSALMVS LXXVIII.

Intellectus Asaph.

Eruditio est ad resipiscentiam populi, ex enarratione magnorum beneficiorum dei, et ingratitudinis repensæ, qua tamen non obstante, dñs illos clementißime promouerit in regnũ Dauidis et Christi, et hoc quoq; argumentum est huius prolixioris carminis, sed elegantißimi.

1 Attendite populę meus legẽ meam: inclinate aurem uestram in uerba oris mei.

Bonitas & potentia dei ex operibus cognita, efficit in primis, ut in uno deo fidutiã homo collocare posit, & uitam instituere iuxta eius uoluntatem & legem, quod est uera pietas, sicut & horum neglectus impietas. Ad hoc ergo sermonem instituens prophe ta, ad suam populum in fide instituendum & obedientia mandatorum hortatur simplicibus uerbis, ut diligenter audire & percipere cordi uelit quæ docturus sit, si tamen populus dei esse uelit. Ad uerba oris sui uates audienda, repetitione minime uitiosa utitur.

2 Aperiam in parabolis os meum: loquar propositiones ab initio.

Parabolæ quid dicatur.

Parabolam uocat grauem sententiã & fœcundam sapientiæ, non paßim omnibus satis clarã & faciliter perueſtigandam. Talibus dictis promittit se suũ populũ allocuturum, ut impij audientes non intelligãt, ne credentes emendentur, & pij ex eis exerceantur et instruantur simul ac cõsolentur. Eloquar et eructabo ænigmata prisca sanctorũ, quæ dudũ patriarchæ sancti factis & reuelationibus uerbisq; et scriptis posteris memorãda tradiderũt.

3 Quanta audiuimus et cognouimus ea, et patres nostri narrauerunt nobis?

Aenigmata et parabolas aiũt sibi à patribus uelut per manus traditas, idq; per multa iã sæcula, ut agnoscerent grati magnalia dei, præcepta et iudicia eius, quibus anniterentur firmiter cõsistere in fœdere dudũ inito, quo sese dominus illorum deum & patrem futurum promiserat, ea conditione, ut & illi coram ipso ambularent perfecto corde, in sanctitate scilicet & iustitia.

4 Non sunt occultata à filijs eorum in generatione altera, Narrãtes laudes domini, & uirtutes eius, & mirabilia eius quæ fecit.

Licet cantatißima in populo semper hæc fuerint dei magnalia, rite tamen à solis electis percepta, & animo grata ac suauia extiterunt, adeo sunt tectæ parabolæ, et obscura ænigmata, spiritu dei destitutis lectoribus uel auditoribus. Laudes enim dei sunt, quas celebrant quicunque ex fide miracula dei & magnalia memorantur, in quibus suam ostentant uirtutem. Qui itaq; sanctitati student, & electos se credunt & gaudent, liberos quoque suos & domesticos sibi commendatos de talibus instruũt & ad timorem dei modis omnibus quibus conuenit diligenter instituunt, ut sciant quibus in rebus & actionibus domino deo suo probari possint, quanta maioribus suis deus beneficia contulerit, quibus malis eripuerit, quid illi uicißim obligentur. Est enim in casu paterfamilias sacerdos domus suæ, & senior uel presbyter, episcopus quoque familiæ suæ, obligatus scire, discere, & docere, quæ prosint commendatæ familiæ, uel inuigilare diligenter, ut ab alijs hæc discantur, sciantur, curentur, & perficiantur.

Laudes dei celebrandę.

5 Et suscitauit testimonium in Iacob: et legem posuit in Israel. Quanta mandauit patribus nostris nota facere ea filijs suis,

Hanc instituendorum liberorum legem canit dudum in gente Israëlitica obseruatam, sicut et à lege Mosis acceptam in Deuteronomio. Custodi, inquit, temetipsum, et animam tuam solicite, ne obliuiscaris uerborum, quæ uiderunt oculi tui, & ne excidant de corde tuo, cunctis diebus uitæ tuæ. Docebis ea filios & nepotes tuos, diem quo stetisti corã dño deo tuo, ut discant timere me omni tempore, quo uiuant in terra, doceantq; filios suos, &c.

Institutio liberorum.

6 ut cognoscat generatio altera: Filij qui nascentur & exurgent, & narrabũt filijs suis.

Solicite admonet posterorum curam studiose suscipiendam, ne unquam excidat memoria legis diuinæ et intelligentia, beneficia quoque & promißiones. Fideliter instare debent ad hoc munus docendi patres pro filijs, alioqui transgressionis illorum rei habebuntur, & in filijs punietur crassa ignorantia, & qui ignorat ignorabitur. Et Heli maledictione opprimentur, ci similes in studio educandi filios.

7 Vt ponant in deo spem suã, & nõ obliuiscant operũ dei, & mandata eius exquirãt.

Scire oportet filios docentibus maioribus, ut deo credere debeant memores semper quid ille iam pro suis fecisset, ut et deinceps facturum omnia sperent, tum se in uicem ament iuxta legem dei, totum cogitatum suum eò dirigant, ut toti à domino pendeant, & non obliuiscantur beneficiorum dei circa se & suos olim patres, sed uoluntati illius diligenter obtemperent.

8 Ne fiant sicut patres eorũ, generatio praua & exasperans. Generatio quæ non direxit cor suum, & non est creditus cũ deo spiritus eius.

Generationem hanc praua & exasperantem eos uocat, qui ex Aegypto egressi, propter incredulitatẽ suam qua toties dominum tentauerũt, præter Caleb & Iosue in deserto omnes periere, quod dominus iuramento decreuerat. Causa autem omnium malorum illis fuit, quia cor suum non dirigebant ad deum, non confirmatum spiritum habebant ad dominum, non de eo rectè sentiebãt, non fidebant, quia quid posset & uellet non cognoscebant, quanquã plurima iam in Aegypto & deserto portenta eius uidissent.

9 Filij Ephrem intendentes & mittẽtes arcum conuersi sunt in die belli.

Causa reprobationis.

Incipit memorare in quam impietatem & subinde ea lamitatem inciderint cum primis tentationibus, quando scilicet increduli Israëlitæ, inter quos nominat tribum Ephraim, qui contra uerbum domini prælium aggressi contra Chananæos cæsi sunt, & retrocedere deliberarunt, quando Gethæorũ pecora abigere instituissent inobedientes Mosi. Hoc non scribitur in lege, sed in libro Præteritorum. Quanquam alijs dici uideatur de strage illorum, dum caperetur arca domini in Silo posita.

10 Non custodierunt testamẽtum dei, & in lege eius noluerunt ambulare.

Hæc causa erat, quod stare contra hostes nequibant, nempe quia fœdus dei uiolauerãt. Non ipsum unũ deum colentes, & legi eius uiuentes, id quod recepta lege in monte Sinai promiserant. Non credebant promißionibus, beneficia accepta non reputabant, excæcatiq; postot miracula, dominum prorsus abijcere ausi fuerunt, quod uersu sequenti dicitur.

11 Et obliti sunt benefactorum eius, & mirabilium eius quæ ostendit eis.

Tanta facta dei & tot pro se in Aegypto & eremo toties obliti sunt, ut nemo fidelium satis admirari possit, durißimam ceruicem & admirandam ingratitudinem, quam dignißime illis improperat Stephanus. Quæ nulla gentium aliarum, humano more loquendi, tam leuia assi massет, uel reiecisset in obliuionem, ut uideri luculenter posßit hanc gentem toti mundo positam in exemplum.

12 Coram patribus eorum fecit mirabilia in terra Aegypti (in) campo Taneos.

Perstringit summatim miracula ædita in Aegypto, in territorio uel agro Zoan urbis regiæ, ubi coram rege Moses & Aaron ædiderunt multa miracula, quæ legere posteri poterant in Exodo, patres autem illo tempore uiderant, & filijs cognoscenda per ordinem narrauerant, ad perpetuam tantarum rerum memoriam.

13 Interrupit mare & perduxit eos: & statuit aquas quasi in utre.

Canit

Canit constitutas aquas ueluti in aceruũ, quando transeuntibus filijs Israël per mare Rubrum aquæ illis erant ceu murus à dextris & sinistris percusso eo ex uirga Mosis, & uiam pedestrem permittendo transituris, ut habet Exodus 14. capite.

14 Et deduxit eos in nube diei, & tota nocte in illuminatione ignis.

Præsentia & ductus angeli, qui & uerbum dei, persona Christi, nube per diem & igne per noctem describitur. Quo utiq; semel dominus demonstrauit, quantam suorum curam habeat, & ut illis ducendis suos angelos nullo unquã tempore abesse patiatur, qui illis bona cuncta adducãt, et pericula quæuis depellant. Omnino enim figuræ sunt, quæcunque huic populo deus exhibuit, in quibus dei super nos consilia delineata consideremus.

15 Interrupit petram in eremo, et adaquauit (eos) uelut in abyssо multa.

Miraculum aquarum, quas è petra populo dominus eduxit, legitur Exodi 17. Cuius & Paulus meminit, uocans eam spiritualem, ut ad dei gloriam contigisse agnosceretur Israëlitis, qua & Christus repræsentatus est, et adumbratus. Vt enim ex illa petra dei populus, qui siti alioqui periturus fuerat, abunde refrigeratus est et potus: sic in hoc mundo, animarum fideliũ sitim nihil extinguet, nisi spiritus Christi, et gratia remissionis in sanguine Christi.

16 Et eduxit aquam de petra: & eduxit tanquam flumina aquas.

Petram eam in deserto contra naturam, solitam proferre ignem, ut excutitur de silice, fecit omnipotẽtia sua effundere aquas ingenti multitudine & copia, uelut flumina usui tanti populi & iumentorum: neq; idipsum ad horam, sed donec populus indigeret.

17 Et apposuerunt adhuc peccare ei: in iram excitauerunt excelsum in inaquoso.

Tot miraculis instructi de bona uoluntate dei circa eos, & de sanctimonia ducis Mosis, tantis æditis miraculis, perrexerunt semper ingrati & cæci tentare deum, murmurare contra fidelissimum suum seruũ. Ausi quoque sunt prouocare magis ac magis deum, pro gratiarũ actione reddendo blasphemiam, quod accidisse scribitur in Numeris, in sepulchris concupiscentiæ.

18 Et tentauerunt deum in cordibus suis ut peterent escas animabus suis.

Tentare deum, est cum manifesto contemptu dei & promissorum eius irrisione, uirtutis eius experimentum poscere. Sic cum scriptura memorat illos dominum tentasse in Raphidim, narrat dixisse, Est ne dñs inter nos, an non? Quasi dicerẽt: Prædicas tu Moses perpetuo deũ nobis adesse, nostriq; curam agere, cur igitur sinit aquæ inopia tantopere nos affligi? Si est inter nos deus, demonstret id suppeditando aquas, nec sinat enecari siti, & c. Ad hunc modũ omnes sane tẽtationes populi describuntur. Hinc intẽpestiue petere diuinæ uirtutis declarationem, est tentare deum, prouidentiæ dei non credere, pro se solicitari, promissionibus diuinis non credere.

19 Et (male) locuti sunt de deo: dixerũt, Nunquid poterit deꝰ parare mẽsam in deserto?

Contra dominum deum suum ingrati & perfidi locuti sunt, blasphemando omnipotentiam dei, procaciter dicendo, Nonne poterit nobis deus mensam scilicet carnium & panum parare in hac uasta solitudine? ut manducemus & bibamus delicatiora, sicut in Aegypto omnis nobis talium rerum abundantia suppetebat. Qui si tam bene in Aegypto habuissent, indigne tam amaro animo clamauissent, ad dominum, tantopere omnibus oppressi modis in uita multo magis in uiclu. Ingratitudo

20 Quoniam percussit petram, & fluxerunt aquæ, & torrentes inundauerunt: Nunquid & panẽ poterit dare, aut parare mensam populo suo?

Refert ut uidetur uerba & facta populi contra dominum murmurantis, accusando eum maximæ impietatis, ut qui expertus dei bonitatem & uirtutẽ, in data aqua de silice, adhuc non solum dubitare, sed etiã irridere ausi sunt. Panem hic pro quocunque cibo accipit, etiam pro manna, quod iam pridem depluere illis dominus cœperat, populus autem illud fastidiebat, uulgarem cibum petens etiam carnium, quibus non sufficiebat uerbum domini, & præsentia certissima, & accepta iam tam beneficia quàm portenta, ideo indigna de domino cogitabant & loquebantur, cuius sine intermissione beneficia sentiebant. Murmur cõtra deum.

21 Ideo audiuit dñs, & distulit: & ignis accẽsus est in Iacob, & ira (dei) ascendit in Israël.

Murmurationes contra prouidentiam suam dominus ignorare non potest, qui nouit uiam & præsens est omnibus. Audiuit querelas indignas, & uindictam dignam instituit, quod est dominum irasci blasphematoribus. Et ignis est accensus in Iacob, Grauis uindicta in impios. Incendio enim ambussit extremas partes castrorũ, & carnium uoratores insigni clade percussit, utrunq; sanè eodem loci, ut patet undecimo Numerorum. Non enim domino confidebant, ideo sequitur.

22 Quia non crediderunt in deo, nec sperauerunt in salutari eius.

Non crediderunt domino post tot miracula & beneficia quod uellet uel posset necessaria præstare peculio suo omnipotens, & non sperauerunt se posse saluari à domino, qui eos de Aegypto post tot signa per Rubrum mare eduxerat, & in terram dudum patriachis promissam sese introducturum pollicitus fuerat. Ex perfidia autem cum peccata plurima oriantur, sicut ex fide iustitia coram deo, ideo & rigide punitur, ut intelligatur quantum displiceat domino. Incredulitas.

23 Et mandauit nubibus desuper, & ianuas cœli aperuit.

Domini mandato creaturæ possunt quicquid iubentur, ideo ad iussum dei nubes obediunt, cœlorum ostia aperiuntur, quæ solo illius uerbo condita, iuxta arbitriũ suum & subsistunt & mouentur & influunt. Nubes dicit & æthera superiorem regionem aëris, uel totum aërem. Ianuas autem cœli intelligit influentias & cataractas, unde dñs desuper beneficia largitur terrestribus, Nubes & æthera.

unde inferiora gubernantur, & uires accipiunt producendi terrænascentia, ut mater semen à patre, & materia formam ab efficiente.

24 Et pluit illis manna ad manducandum: & panem cœli dedit eis.

Ostendit factis quanta bona præstare posit, dum uult gratis & ingratis, in copia multa depluens cibum tanto populo sufficientem. Coniungit uero propheta miraculum dati man, miraculo cothurnicum, cum non simul contigerint. Non enim ratio ordinis habetur in lege, multo minus in huius carminis narrationibus, non enim uates narrare intendit historiam datæ mannæ, sed ingratitudinem populi fastidientis beneficia domini, nolētisq; fidutiam discere in dominum tam beneficū illis patrem. Arescit, inquiunt, anima nostra, nihil uidentibus oculis nostris nisi Man. Frumentum uel triticum, id est, panem cœli dedit eis, optimum scilicet & suauissimum cibum, insperato & affluenter tradidit.

Miracula deserti.

25 Panem angelorum manducauit homo: cibaria misit eis in abundantia.

Volens magnifice hoc dei donum celebrare, uocat panem angelorum, robustissimarum creaturarum cibum, quorū unus sufficit percutiēdo exercitui centū millium militum. Non quod cibo uescantur angeli terrestri, sed quod è cœlis angelorum domicilio descendisse uideretur, de cœlo uulgato more loquendi & cogitandi hominibus rudibus. Dum enim nihil possumus animo cōcipere, cui non locū aliquē tribuamus, supernas interim deo & beatis mentibus sedes assignamus, quæ tamen loco nō circumscribuntur, cum non sint eatenus corporei, quan quam suo modo & substantiæ sint, & corporales dici possint, nō tamen locum occupantes. Significabat autem is cibus fidelium uerbum domini, in quo uiuit homo, & ipsum sanè Christum dominum, cuius fide et masticatione roborantur semper fideles contra aducrsariorū bella ac insultus: tunc incarnandum Christum sanctus fidelibus salutis cibum & conscientiarū fidutiā, & reatuum persolutionem in cruce offerendam significans, ut hodie quoq; panis sanctificatus eundem proponit & cōmendat exhibitum ad gratiarum actionem, & animarum fidelium nutricationem, in charitate & fide, ad quæ repræsentanda institutus est, & ut sacramentum ecclesiasticum ordinatum à Christo ipso domino nostro. Viaticum autem dicitur, quia pro toto tempore quo peregrini in deserto ambulabant, ubi de terra se nutrire non poterant, in abundantia illis desuper per miraculum tradebatur per quadraginta annos.

Panis angelorum.

Cibus fidelium.

26 Transtulit austrum de cœlo, & induxit in uirtute sua Africum.

Omnipotenti uirtute sua uentum orientalem, qui consueuit esse fortissimus & impetuosissimus, cōcitauit pro nutu suo, qui ut scribitur Numeri undecimo arreptas cothurnices, quas solo iussu suo creauerat & parauerat in hunc usum, attulit trans mare, & in uirtute sua Australem alium induxit uentum ad populi sui consolationem. De generibus, situ, nominibus, & numero uario uentorum, non est ut hic tractetur, habet hoc negotium suos tractatores et locā, unde liberaliter instituantur, qui uerbum domini sic intelligere cupiunt, ut illud ecclesijs non solum utiliter, sed etiam cum oblectamento & plausibili ter proponere possint. Sic & de pluuijs & alijs metheorologicis impressionibus, naturis quoq; lapidum, & omnium quæ crescunt, quorum omnium cognitio aliunde petenda erit.

27 Et pluit super eos ficut puluerem carnes: & ficut arenam maris uolatilia pennata,

Significat per hyperbolam maximam copiam irruisse auium, quas carnem uocat, non tam pro necessitate cibi, quem suppeditabat manna, quàm pro oblectamento gulæ & edacitatis, quod & sequentibus uerbis poëtico more eleganter repetit. Auiculas optimi saporis, suauissimi uictus, & ad omnem sufficientiam, imò tandem impijs inter eos ad nauseam.

28 Et ceciderūt in medio castrorum eorum: circa tabernacula eorum.

Proiecit auiculas uento opportuno intra castra Israēlitica, ut sine quacunq; molestia discursuum colligerentur à populo, tam à pueris quàm à senioribus. Et circum, nō dicit castra et regionem, sed tabernacula eorum. Omnia intra castra affatim cibo replebantur, ut uiderent indigne se murmurasse cōtra omnipotentiā & bonitatē dei.

29 Et manducauerūt & saturati sunt nimis, & desiderium eorum attulit eis:

Nihil de gratiarumactione dicitur, nullum carmen canitur, sine confessione diuini beneficij comederunt & saturati sunt ualde: ut etiam hoc uerbo abundantiā et excessum notare uoluerit, quandoquidem statim historiam claudit satietate & uindicata concupiscentia. Matura enim uindicatur impia postulatio, & donorum dei abusus sine multa gratiarumactione. Quo & monemur non semper beneuolentiæ esse, si cupita dominus largiatur, sæpeq; iræ potius quàm fauoris esse documentum, exteris bonis abundare, maxime si legitima gratitudo et moderatus usus obmittatur, ut in diuite epulone discimus. Et qui æterna respuunt, tamen aliquando temporaria bona suppeditat ne nihil à bonitate eius percipiant.

Ingratitudo

30 non sunt fraudati à desiderio suo. Adhuc escæ eorum erant in ore ipsorum:

Desiderio ipsorum quamlibet iniquorum satisfactum est, accepto cibo, omne delectamentum in se habente, & omnis saporis suauitatem, ut sapiens confitetur. Substantiam, inquit, tuam & dulcedinem, quam in filios habes ostendebas, deseruiens uniuscuiusq; uoluntati, ad quod quisque uolebat conuertebatur. Quia uero mali & ingrati erant eorum quàm plurimi, ideo cum adhuc esca esset in illorum ore, cum masticaretur, nondum traiecta in stomachum, hoc est, illico.

31 & ira dei ascēdit super eos. Et occidit pingues eorum, & electos Israël impediuit.

Furor dei iustus & ultio apprehendit eos, ob murmur ingratitudinem et blasphemiam præcedētem, quam nihili pendebant, timore domini destituti ad præsens, interfecitq; sine delectu impinguatos, crassos et principales uel maiores inter eos, qui numerati fuerāt in egressu de Aegypto

de Aegypto. Et impediuit, ne assequerentur quod cupiebant, humiliauit eos, & in exemplum posteris interfecit, ne contra dominum murmurare auderent.

32 In omnibus his peccauerũt adhuc: & nõ crediderunt in mirabilibus eius.

Flagella im peccata. Quamlibet multis flagellis eorũ crimina reprimerentur à domino in deserto, & postea in possessionis suæ patria, non tamen destiterunt peccare in dominum, & legem, ceruicosi & increduli, non crediderunt ob tanta miracula propter eos facta bonitati suæ nec promissis, sed perpetuo sui similes, specimen intractabilitatis fuerunt & scandalum gentibus in circuitu, & intolerabilis molestia pijssimis ducibus, maxime uero mansuetissimo ac fidelissimo Mosi.

33 Et defecerunt in uanitate dies eorum: & anni eorum cum festinatione.

Notat murmur populi & seditionẽ, quæ excitata fuit cum exploratores terram Chanaan renuntiassent, optimam quidem, sed inuictam & minime obtinendam, quo murmure sic deus offensus est, ut populum totum delere uoluerit, nisi placatus fuisset ad preces Mosis, iurauit tamen nemini aspiciendam eam terram, qui signa sua in Aegypto uidissent, quiq; numerati fuissent à uiginti annis & supra.

34 Cum occideret eos quærebant eũ: & reuertebantur, & diluculo ueniebant ad eũ.

Prædicat dei bonitatem, qui populum subinde ueniam orantem denuo receperit, quanquã continuo ad ingeniũ redirent, & promissa sæpe resipiscentia, & fœderis renouatione fallerẽt, nec diutius illi supplices essent, quàm ad id diris cruciatibus compellerentur.

35 Et rememorati sunt quia Deus adiutor est eorũ, et deus excelsus redẽptor eorũ est.

Ex punitione frequenti, & non citius, more improborum seruulorum, paululum emendati, cœperunt aliquando agnoscere sua peccata, & dei clementiam, qui eos redemisset de grauissima Aegyptiaca captiuitate gloriosa potentia sua, cui seruire promisissent & deberent, sine cuius fortitudine & auxilio nihil possent, cuius quotidianis beneficijs cœlitus alerentur, & ab hostibus uindicarentur.

36 Et dilexerunt eũ in ore suo, & lingua sua mentiti sunt ei.

Adulatio. Solo ore & labijs nonnunquam dominum pro beneficijs collaudabant, & sese eum diligere simulabant, reuera aũt decipere moliebantur, & multa promittẽtes nihil obseruabant, imò inter promittẽdum increduli, corde aliud uolutabant, & mentiebantur domino, sed non impune: omnia se seruaturos promittẽtes quæ præcepisset, statim relapsi sunt.

37 Cor autẽ eorum nõ erat rectum cum eo: nec fideles habiti sunt in testamento eius.

Declarat quomodo mentiti fuerint, uerbis fictis, & animo infideli domino respondebant, seruanti religiosissime pactum suum, illi nihil obseruabant. Non enim ex animo & fide, sed uel propter beneficia, uel timore pœnarum, aliquandiu acquieuerunt monitis Mosis, sed sine constantia & firmitate: non enim fideles & firmi erãt, promissis non credebant, mandata minime obseruabant, cum dominus sola fide & synceritate delectetur, & sibi uelit seruiri.

38 Ipse autẽ est misericors, & propitius fiet peccatis (eorum) & non disperdet eos. Et abundauit ut auerteret iram suam: & nõ accendit omnem iram suam.

Ingens fuit populi impietas, qua ita deum irritabant continuo, ut incomparabilis fuerit indulgentiæ, non statim perdere, sed pœnitentiam tam tardam expectare, et non sicut meruerant disperdere. Magnopere sedauit dominus iram suam, multus fuit miserando, magna clemen tia sua superauit deus insignẽ dementiã populi, non rependit illis uicẽ legitime, citra condignũ puniuit eos. Cũ enim decẽ, id est, ualde multis uicibus irritassent dominum, ut dicitur Nume. 14. iram tamen suã ueluti ui quadam repressit, & meritam ultionem auertit. Clementia dei.

39 Et recordatus est quia caro sunt: spiritus uadens & non rediens.

Fragilitatem figmenti misericors dominus consydera uit, carnẽ eos esse & non spiritũ, ab adolescentia tamen pronos ad malum. Spiritus quidem uitalis tantũ uadens & non rediens, hoc est nullarum uirium, & nullius firmitatis, semper ad deteriora prolabitur, & à malo sese uindicare non potens, sine gratia & spiritu dei.

40 Quotiens exacerbauerunt eum in deserto: in iram concitauerunt eũ in inaquoso.

Adhuc pergit canendo impietatẽ populi, etiam adhuc errantis in solitudine, idola colendo, murmurando, Mosen persequendo, non credendo etiam prodigijs & signis. Conteristauerunt eum toties rebellando, & signa edita in Aegypto paruifaciendo.

41 Et conuersi sunt, & tentauerunt deum: & sanctum Israel exacerbauerunt.

Reuersi sunt, de eo dictum est, quod semper quamlibet admirandis ostentis dei uirtutem & bonitatem experti essent, ad ipsum tamen tentandum atq; irritandum redirent perpetuo. Sanctum Israel circunscripserunt, uel deliniauerunt, fingendo sibi imaginem uitulinam, aut limitem posuerunt robori suo, non credentes omnipotentẽ. Priscus trastulit exacerbauerunt, Syrus conculcauerũt, alij reiecerũt, ob raritatẽ uerbi Hebraici חתרו, & incertitudinẽ radicis, nõ honorauerũt digne nec timuerũt.

42 Non sunt recordati manus eius, die qua redemit eos de manu tribulantis.

Horrendissima captiuitate ferrei fornacis in Aegypto, & crudelissimo infanticidio & homicidijs, perpetuo memorari debuerunt eam horam, qua magnifica dei sui manu fuissent cum maximo honore & gaudio liberati, submersis hostibus in eorum oculis, quando mare transierunt siccis pedibus: sed nequicquam, non tantum immemores beneficiorum, sed blasphematores quoque erant nominis sui.

43 Sicut posuit in Aegypto signa sua: & prodigia sua in campo Taneos.

Quædam iterum enumerat signa dei pro ipsis edita,

quæ contempsissent, quæ ut cantatissima tum fuere: ita nõ habuit necesse illa recẽsere eo ordine quo acciderãt, eaq; in Metropoli Aegypti, & coram rege, primoribusq; regni, in regione Zoan, quam Taneos nominarũt Syri, ut patet in Targo, qui scripsit Tanes, sequutus suo more Græcos sicut omnes quoque Syriaci Iudæorum interpretes.

44 Et conuertit in sanguinẽ flumina eorũ: & imbres eorum ne biberent.

Aqua in sanguinem. Primum ponit, lacus Aegypti uersos in sanguinem, quales fossas Aegyptus multas habet, Nili riuos recipientes, ad irrigandũ agros fœcundissimis aquis, ut ferè ubique nauigabilis sit Nilus, & circumgyrantes riui, de quibus Strabo et Plinius. Versæ sunt autem aquæ in sanguinem, ne potum inuenirent homines & animalia, sed aquarum defectu anxiarentur, ut aquis præfocauerant infantes Israelitarum, & reos tanti effusi sanguinis sese contemplarentur, ex iudicio dei iusto & horrendo.

45 Misit in eos cynomyam, & comedit eos: & ranam, & disperdidit eos.

Muscarum ægnum. Mixtionem uel muscam, hoc est malum uenenatarum muscarum immisit (quarto loco & ordine pœnarum, de quibus Exodi octauo) & comedit eos. Infimæ creaturæ dei superbissimos Aegyptios inuaserunt ineuincibiliter, qui dei amicos malignissime afflixerunt. Ranam quoque, secundo ordine in plagis, quibus disperdi potuerunt homines & terrænascentia, & aquæ infici uenenno pro domini uoluntate, etiam ad penetralia domorum ingressis.

46 Et dedit ærugini fructus eorum: & labores eorum locustæ.

Exterminauit quæcunque florentia & uiridia, ne an nonã colligerẽt Aegyptij, bruchis uel ærugine: hoc malum in ordine quem Exodus habet septimum fuit, unde omnis laborum fructus absumptus est.

47 Et occidit in grandine uineas eorum: & moros eorum in pruina.

Grandinis miraculum De uineis in specie memorat, quæ ut multum commodi & gaudij afferunt, sic magnis consueuerunt laboribus plantari, & non sine graui calamitate ferunt iacturam laborum, & omnis iucunditatis, quas hic cum reliquis terrænascentibus bruchus & ærugo & grando uastasse notatur. Sicut & ficus suo quælibet morbo tacta possessores destituerunt annona. Decorticatæ sunt enim arbores & arrosæ, ut fierẽt steriles, et semper quod priorem plagam euaserat, absumptum est à posteriore. Genus aliquod ficorum etiam morus dicitur.

48 Et tradidit grandini iumenta eorum: & possessionem eorum igni.

Grandinis plaga sexta narratur in Exodo, quo nedum iuxta prædicta uineæ & ficus uastatæ sunt, sed & iumenta, quæ non fuerant domum reducta uel protecta sed sub diuo relicta fuerant: de qua plaga ad longum capite nono Exodi. De igne ibidem dicitur, quum de fulguribus & fulgetris ac tonitru mentio fit, quibus sine dubio etiam conflagrationes cõtigerunt, grando enim & ignis pariter miscebantur, unde & quæ ad horrea contraxerant absumpta sunt. Non enim uidentur hæc omnia portenta plagarum uno anno completa, sed pluribus, diu durante induratione iniquissimi regis, ut multis admonerẽtur plagis & diu, quo minus excusationis & magis culpæ obtenderetur utrinq;.

49 Misit in eos iram indignationis suæ: indignationem, & iram, & tribulationem: immissiones per angelos malos.

Pestis pœna. Hæc pestilentia quinta plaga narratur, admodum sæua, ideo eam multis uerbis exaggerat. Mirabile enim faciebat dominus inter animantia Aegyptiorum & Israelitarum, ut nihil periret Israelitis, nihil quoq; saluaretur Aegyptijs. Ira autẽ indignationis domini erat, quia crudelissime filios Israel occiderant in ipsa natiuitate. Vocat quoque immissionem uel legationem angelorum nocentium, pestem & grauissimas pœnas, quas exequuntur ministri dei, non propterea mali, sed quia punitis hominibus impijs mali dicuntur, cum sint ministri iustitiæ diuinæ. Quãquam & per satanam quoq; iudicia quoq; sua prosequatur dominus uniuersorum, cui nihil malum est, sed omnia seruiunt ad ipsius gloriam.

50 Viam fecit semitæ iræ suæ, & non pepercit à morte animabus eorum: & iumenta eorum in morte conclusit.

Nulli pepercit per iram suam, sed processit semel instituto itinere percutiendi, hoc est, magis ac magis continuo aggrauauit iram suam contra Aegyptios rebelles, & contẽptores diuinæ maiestatis. Non pepercit à morte, sed optimos quosque, hoc est nobiliores & amicissimos, primogenitos scilicet interfecit. Animas eorum occidit, id est, corpora. Iumenta quoque eorum lætaliter affecit, uastauit & in mortem conclusit, hoc est penitus intercepit & in totum traditum est internecioni ceu uinclusum eius manibus cui traditur, ut excidere uel euadere non possit.

51 Et percussit omne primogenitum in terra Aegypti: primitias omnis laboris eorũ in tabernaculis Cham.

Primogenitorũ plaga. Hæc interfectio primogenitorum decima plaga fuit, de qua Exodi undecimo, quando una nocte electissimos Aegyptiorum, omnes ad unum ocidit dominus, à filio rege usque ad filium infimi seruuli primogenitum. Primitias autem laboris eorum significat dolorosissimo partu enixos filios, primogenitos scilicet Aegyptiorum, qui dicuntur filij Cham, qui à Mizraim unde Aegyptij nati sunt originem duxerunt ex maledicto filio Cham propter illatam patri ignominiam.

52 Et abstulit sicut oues populum suum: & perduxit eos tanquam gregem in deserto.

Beneficium ad pios. Post digne punitos hostes fidelium, hic canit beneficiũ eductionis filiorum Israel de Aegypto, & deductionis per desertum certe horribile & admirandum, ubi omni humano præsidio destituti erant. Abstulisse autem dicitur populum suum uelut oues, hoc est, compulit exire de domo seruitutis pacifice, & ut pastor deduxit & curauit solicite gregem pascuæ in solitudine, in qua tantum

exeo

ex eo fideles pendere debebant, & fidutiam discere in prouidentiam dei sui.

53 Et deduxit eos in spe, & non timuerunt: & inimicos eorum operuit mare.

In spe & tuto cum multa fidutia in deũ deduxit Moses eos per mare, quanquam hostes horribili exercitu imminerent, quos operuit & oppressit mare. In quo deus eximie demonstrauit, qua suos soleat cura moderari, quàm benigne tutari, atq; bonis omnibus etiam cumulare, eo loci ubi incultum desertũ est, & necessariarum rerum omnimoda egestas iuxta naturam. Non timuisse dicuntur, quia non passi sunt quippiam mali ab hostibus, timere non debuerunt, & inter eos sancti plures pro fide sua gaudebant & minime formidabant.

54 Et induxit eos in montẽ sanctificationis suæ: montẽ quem acquisiuit dextera eius.

Terram Chanaan sanctam uocat, & à deo peculiariter possessam, quia decreuerat deus in hac nominis sui celebriorem cultum & solẽnem instituere. Ita ut huic religione Abrahæ, Isaac & Iacob olim præluserit. In hanc ergo terram adduci singulare erat beneficium dei, extremum malum inde eijci, id quod in Iudæis luce clarius apparet. Nunc uero dei notitia orbem peruasa, perinde est ubi habites, quamũ quidem ad locum attinet. At pio nihil optatius, quàm degere inter sanctos, qui ubicunq; fuerint, in terra sancta & dei possessio erunt. Montem istum quem possedit dextera dei, montana sunt Iudææ, inter quæ mons Sion electus, ubi templum & legitimus cultus consistere ex dei uoluntate ad tempus debebat.

Sancta terra.

55 Et eiecit à facie eorum gentes: & sorte diuisit eis terram in funiculo distributionis. Et habitare fecit in tabernaculis eorum tribus Israel.

Agri funiculis & sorte missa diuidi solent, hinc mittere sortem & funiculos sæpe usurpatur pro tradere possessionem. Beneficium autem magnum fuit, gentes fortissimas, uetustissimos colonos, & optimæ patriæ possessores in gratiam Israelis expellere, & hunc in illorum possessionem adducere, eam propriam donare, propter iam completa crimina impiissimorum tam tyranno rum quàm idololatrarum. Tabernacula dixit magnificas urbes, arces & regna, etiam munitissima quæque loca pro habitatione à Chananæis filij Israel domino uolente possederunt.

Tabernacli re gnis.

56 Et tentauerunt & exacerbauerunt deum excelsum: & testimonia eius non custodierunt.

Post tanta & tot beneficia immeritis collata, non uereri adhuc sunt, post ingressam hæreditatem et possessam pacifice, tentare clementiam dei suis malitijs, & ad iracundiam prouocare omnibus modis peccãdi contra deũ & homines. Deum, inquit, altissimum & solum uerum & omnia potentem, cuius potentiam & bonitatem senserant maxime, & testimonia eius, fœdera, pacta, ceremonias, & legem tabularum minime seruauerunt, & promissa dona tantæ gratiæ non æstimauerunt, sed contempserunt.

57 Et auerterunt se, & non seruauerunt pactum: quemadmodum patres eorum, conuersi sunt in arcum prauum.

More patrum suorum in deserto sub duce Mose, filij quoq; & nepotes auersi sunt à domino, & blasphemauerunt, uerbis prophetarũ contradicendo, & idola erigendo, ubi in summa innocentia deo suo tam benefico et terribili seruire debuerant. Sed uersi sunt in arcum prauum, dolosum, & fallentem inter eiaculandum sagittas, qui ilico uertitur, ut aliud feriat quàm fuerat expectatum. Sic filios Israel alios quàm promiserim sese exhibuisse canit.

58 In iram concitauerũt eũ in collibus suis: & in sculptilibus suis ad æmulationẽ eum prouocauerunt.

Contra toties repetitam legem de non ædificandis excelsis, sed diligentissime destruendis, ipsi pellecti semper moribus gentilium, quos contra domini præceptum non eliminatos sectabantur libentius, auxerunt etiã loca externi cultus in montibus et collibus, in uallibus apud fontes, sub omni ligno frondoso, in syluis, et sub lucis ad hoc plantatis idola coluerunt, & suas sunt in uniuersum libidines sectati, unde ad iracundiam prouocatus est eatenus dominus, ut multis flagellis illos erudierit. De quo totus liber Iudicum, & in libris Regum multa.

59 Audiuit deus, & spreuit: & ad nihilũ redegit ualde Israel.

Deus populum suum tunc magnificare & magnificeere agnoscitur, cum benigne ei consulit. Vbi ergo sub Eli sacerdote arcam fœderis, singularem sedem nominis sui, quam & uirtutem & fortitudinẽ imò ipsum deum alicubi uocat, eo quod salutem & auxilium populo suo ex propiciatorio promisisset & exhibuisset, Philistæis permisisset, ac eo uelut numinis sui præsentiam & præsidium negasset, populum sanè supra modum contemnere, uilemq; habere uidebatur.

60 Et repulit tabernaculum Silo, tabernaculum (suum) ubi habitauit in hominibus.

Et repulit tabernaculum Silo, arcam suam primitus ibi dem habitantem capi permisit à Philistæis, & locum uastari, gloriã gentis transferri fecit, tentoriũ summi domini ubi omnipotens cœli cõditor inter homines habitare dignatus est, consuetam suam gratiam ad electum populum aliquandiu negauit, & destituit infideles deo suo. Nam eò arca nunquam relata fuit, sed uastatus iste locus intelligitur, & nunquam restitutus in integrum.

Silo repulsa.

61 Et tradidit in captiuitatem uirtutem eorum: & pulchritudinem eorum in manus inimici.

Robore fidei sanctis erat promissa præsentia dei super propitiatorio. Non est enim fidelibus robur contra mundum & hostes quosq;, præter fidem prouidentiæ diuinæ circa electos, quam dominus eo tempore sacramento dominicæ arcæ, & responsis angelicis uoluit ostentare et fouere. Eam suam fortitudinem uicisse uidebantur Philistæi, dum arcam caperent, sed statim suo maximo malo experti sunt eius omnipotentiam & sanctitatem.

Arca capta.

Pulchritudo fidelis populi erat sanctuarium, de quo unice gloriabantur, quod admirabantur, & præ cunctis in orbe corporalibus rebus reuerebantur, non ob aurum et lignum, sed quia dominus ita instituerat, & fœdus inierat gratiosæ præsentiæ suæ, & exauditionis certissimæ, si quis ad arcã deuotius orasset & confugisset, quandiu eam dominus superesse uoluit, ut pædagogum, ad intellectum ueræ maiestatis diuinæ, qua replet omnia, sedens in cœlo, & pedibus ceu scabellum premens totam terræ mirabilem magnitudinem.

62 Et conclusit in gladio populum suum: & hæreditatem suam spreuit.

Philistæorum bellũ.

Sæuissimum bellum erat Philistæorum contra Israel, dum Philistæi arcam domini cepissent, & summus sacerdos occubuisset cum duobus filijs sacerdotibus, & Silo uastaretur irreparabiliter, unde fideles maxime attoniti, in fide tentari poterãt, qui maxime iam deo uidebantur odiosi, qui tãtam potestatem dedisset gentilibus idololatris contra sanctuarium suum, & sanctificatos omnes, & in totam hæreditatem suam, in electum locum suum, & in gloriam suam inter homines maximam.

63 Iuuenes eorum comedit ignis: & uirgines eorum non sunt lamentatæ.

Vorauit ignis diuinæ ultionis, id est, horribilis uis belli iuuenes & electos dei, filios summi sacerdotis, ministri dei & curatores maiestatis supremæ, arcæ sanctuarij. Et uirgines eius populi tam deo dilecti non sunt laudatæ, uel etiã lamentatæ pro more gentis: sponsos enim suos bellum absumpserat. Sed & obsessis non permittebatur sepulturæ facultas, & lamentatio nulla mortuorum locum inueniebat, præ multitudine occisorum.

64 Sacerdotes eorum in gladio ceciderunt: uiduæ eorum non plorabantur.

Sacerdotes quoque interempti sunt, & uiduæ eorum non plorabantur, quia audita maritorum morte cum captiuitate arcæ, ipsæ pariter interierunt præ dolore, ut legitur de uxore filij Eli Phinees. Quorum sacerdotum abusus in sacris, & diuino cultu iuste puniti sunt. Tanta autem inuasit uniuersum populum trepidatio, ut felices haberẽtur interfecti in obsidionibus, uel quia maiora mala imminere timebant.

65 Et excitatus est tanquam dormiens dominus: tanquã potens crapulatus à uino.

Dormire dei.

Dormire uidetur dominus, dum sibi credentibus non succurrit. Euigilauit autem post bellum & uictoriam impiorum Palæstinorum, & misereri cœpit, quamlibet indignis Israelitis auxilium præstando. Placuit enim ei digna uindicta tantarum impietatum, quas filij Eli commiserant, & Israelitas ad peccandum prouocauerant, & iam uexatione eruditis & recognoscentibus suam culpam, & emendantibus uitam, denuo conciliatur & accurrere uidetur oppressis, quod est fortem à uino occupatum liberari iterum, & euigilare ad opus.

66 Et percussit inimicos suos in posteriora: opprobrium sempiternum dedit illis.

Solet dominus sic impijs uice uirgarum ad castigandum suos uti, ut mox ipsos suæ uirtuti omnia adscribentes penitus deleat. Ita & Philistæos, dijs suis eam uictoriam referentes sempiterno opprobrio affecit, cæsis cunctis Philistæis in partibus pudendis, sicq; compulit arcam remittere. Vsus est autem præcedenti uersu similitudine uiri sopiti à uino, qui excitatus, impetu & cum uociferatione ruit in hostes: sic enim nihil tale expectantibus, & secure triumphantibus, subito ultionem immisit, qui antea uisus erat dormire, & nullam suorum habere rationem.

67 Et repulit tabernaculũ Ioseph: & tribum Ephraim non elegit.

Arca fœderis à Philistæis reddita, prouidentia dei, nõ est per uaccas reducta in Silo locum iam desolatum, qui erat in tribu Ephraim, sed mansit usque ad regnum Dauidis in Cariathiarim urbe tribus Iuda, unde suo tempore translata est in domum Obededon, et tandem in Sion. Primum enim propter peccata idololatriæ regnum Israel transferendum erat in Assyrios, & tribus Ephraim regem impium Ieroboam habitura, ideo in eius dominio locum arca domini habitura non erat.

68 Sed elegit tribũ Iuda: montẽ Sion quem dilexit.

Domus Salomonis.

Sed elegit tribum Iuda, in qua perpetuum domicilium sibi dominus elegit, templum Salomonis opera extructum, & fundatum, ut terra quæ nunquam mouetur, in quo est de ecclesia Christi uaticinium. Ex electione autem non ex meritis stant uel non stant populi, & promissiones diuinæ excidere nulla temporum iniuria possunt, ideoq; regnum Iuda, & locus cultui diuino electus manebant tribum Iuda, & progeniem Dauidis, iam ex prisco tempore & promisso. Amauerat enim mons Sion à tempore Abraham, quum Isaac illic offerendum mandaret, & loco nomen imponi faceret, ubi & templum postea ædificatum, & unicum pro totius mundi salute sacrificium oblatum in cruce, extra urbem, ut ruæ uaccæ mysterium quoque impleretur.

69 Et ædificauit sicut unicornium sanctificium suum, sicut terram: quam fundauit in sæcula:

Templum Christi.

Extrui ordinauit sanctuarium suum in excelso illo loco ad hoc electo, instar aliorum excelsorum, sed quod unicorni sibi unice seruiret, toto orbe spectabilẽ reddidit monitem Ierusalem, & Sion regno Dauidis & cultu diuino, temploq; Salomonico, imò dominico, in typo Christi, summi sacerdotis, qui eo loci seipsum obtulit, & toto orbe spectabilem reddidit, templum nobilissimum diuinitatis habitaculum, humanitatem Christi, templum quod esset simul sacerdos, ara, & hostia, pro omnium peccatis electorum. Eius loci & templi gloriã, ac regni Christi æternitatem fundauit dominus, cuius maiestas est maiestas æterna.

70 Et elegit Dauid seruum suum, & sustulit eum de gregibus ouium:

Canit Dauid de sua & ouium pastura, & ad regnum exaltatione, non ex meritis, sed mera electione & gratia præueniendo, qua placuit Dauid domino ad regendum

dum dei peculiarem populum ad sancte uiuendum, uel saltem digne pœnitendum, & perfectæ fidei & uirtutis exempla mundo præbendum. Ideo de caulis ouium accepit ipsum, de statu infimo ad supremum, de miserijs ad regnum.

71 de post fœtantes accepit eũ pascere Iacob seruum suum, & Israel hæreditatem suam.

Qui oues fœtas sequebatur, hoc est maxime humilem animo & studijs, eum clementia & prouidentia dei ascisuit in regnum & gloriam, Christum quoq; usq; ad despicacissimam crucis mortem & iniuriam humiliatum, exaltauit in gloriam patris, & fecit sibi nomen super omne nomen, &c. Vt pasceret uterq; Dauid, populum sibi de deo acceptum, populum Israeliticum, hoc est digne regeret, instituereret saluaretq; commissum gregem, quæ est dei hæreditas, ecclesia sanctorum, à primo iusto usq; ad ultimum.

72 Et pauit eos in innocentia cordis sui: & in intellectibus manuũ suarũ deduxit eos.

Gubernauit quidem suo modo Dauid, & pauit regnum suum exemplo, & doctrina iustitiæ, & pœnitentiæ, & fidei, unde et secundum cor dei uir à domino est appellatus. Longe autem uerius, clarius & perfectius Christus filius Dauid promissus & præstitus, spiritu suo sancto, & salutis doctrina, reuelatione salutiferi uerbi, pascit credentes. Et in intellectibus suis deducit, in uere deo dignis ritibus deo seruire docet, & gratissima Deo opera uerbo & exemplo cõmendauit. Multis sæpe uerbis Dauid meminit humilitatis suæ, qui à cura gregis & opera sedula selectus fuerit ad dei populum gubernandum: sic Christus dominus noster, uerus homo, instaurator humani generis & rex factus est hominum electorum & angelorum, ad dexteram patris exaltatus. Qua uero ratione principes subiectos regere debeant, ultimo exprimitur, corde scilicet syncero, nihilq; quàm populi commoda spectante, & prudentia manuum, id est omnibus quæ gerenda sunt institutis prudentissimis. Sed hæc Christi propria sunt, igitur à solis Christianis principibus præstabuntur.

PSALMVS LXXIX.

Psalmus Asaph.

Vel ab aliquo de familia Asaph æditus, uel à Dauide secundum aliquos æditus, & Asaphitis canendus in templo domini peculiariter commendatus. Sed absq; præiudicio Lectorum hæc accipiantur, ut incerta, ut ferè omnia circa titulos dicta.

ARGVMENT. Querimonia est piorum contra hostes dei & suos.

1 DEus uenerunt gentes in hæreditatem tuam, polluerunt templũ sanctum tuum: posuerunt Ierusalem in pomorum custodiam.

Regio Israelitarum ex omnibus regionibus orbis electa ad suum tempus à domino est, ut in ea inuocaretur cum ceremonijs paucis nomen dei, ideo dicitur peculium & possessio domini hæreditaria. In hac metropolis Ierusalem erat, ubi templum, ubi habitaculum dei, & promissa præsentia. Sancta igitur cum essent, sancte excoli debebant, non pollui, nec uastari ab Ethnicis, uel impuris. Id tamen non raro factum est, nec à paucis, sicut & Christi domini peculium, & omnium electorum sacrosancta ecclesia, & speciales piorum ciuitates & collegia sancta, domini sunt, & sanctificanda: sed perpetua satanæ & complicum suorum instantia multipharia semper in hoc mundo infestatur ecclesia, & non raro commaculatur, & indignissima patitur, nec nisi cœlestis regis sui Christi potẽtia, si sese illi credat, liberabitur ab impijs. Quanquam etiam si patiatur multa, non tamen ideo sese derelictam putabit, sed tanto sperabit & orabit feruentius, & gloriosiori triumpho donabitur. Sic autem domino conqueritur ecclesia uetus & noua suas miserias. O deus omnipotens & clemens, irruerunt infideles, non te timentes, in pios & electos tuos, uarijs immunditijs fœdauerunt locum habitationis gloriæ tuæ, Hierosolymam, hoc est, sacrosanctam ecclesiam reddiderunt multis modis sibi perquam dissimilem.

2 Posuerũt morticinia seruorum tuorum escas uolatilibus cœli: carnes sanctorũ tuorum bestijs terræ.

Exposuerunt crudeliter à se occisos seruos tuos insolita crudelitate escam rapacibus bestijs deuoratoribus, à quibus sese uirtute humana uindicare non possunt. Carnes & corpora sanctorum tuorum bestijs terræ permiserunt, hoc est, pro sua libidine oppressерunt pios, occiderunt quoque, & in prædam impijs exposuerunt. Ea enim consuetudine uiuunt sancti ut obsint nulli, sed omnibus benefaciant quibus possunt, patiuntur tamen multa & grauia ab impijs innocẽtes, à quibus odiũtur quasi dissimiles, & operum suorum damnatores. Sanctorum patientia.

3 Effuderũt sanguinem eorum tanquam aquam in circumitu Ierusalem: & nõ erat qui sepeliret.

Non raro populi dei, quanquam propter peccata sua, indignissime tamen tractati sunt à longe peioribus, domino dispensante, sic ut Hierosolymis intra urbem fame et peste mori cogerentur, & circum Ierusalem omnia plena essent cadaueribus ciuiũ. Sic passim in ciuitate Christiani populi, toto orbe, sancti olim & hodie occidũntur, & innoxiorum sanguis effunditur à perfidis & impijs amatoribus huius mundi, sanctos & totam pietatem odientibus, uerbum domini aspernentibus, & omnes qui secundum illud uiuere annituntur & cupiunt, uel docere annituntur ecclesiam iamdudũ deprauatam multis abusibus. Nec erat qui sepeliret, ex contemptu sanctorum, & ad exemplum deterrendi à pietate nõ sinunt sepeliri, nimia crudelitate, uel cæsorum multitudine, nimia sæuitia debacchãdo in eos, qui sese omnibus beneficos præstare in uita studebant, adeò ut sepultura quoque illis negetur. Christiani passi ob ueritatem.

4 Facti sumus opprobrium uicinis nostris: subsannatio & illusio his qui in circumitu nostro sunt.

Quos nobis uicinos coluimus, & beneficijs promereri studuimus, sola pietatis causa quam odiunt & fidei,

facti sunt atrocißimi hostes nostri, ut tanto acerbior sit dolor noster, quanto pro pietate nostra minus offendimus quoslibet. Sic enim satanæ studia promouentur contra fideles. Subsannatio facti sumus & derisio, pro eo quod in te dominum deum unum & uerum solum credimus, & fidutiam collocauimus, idolorũ omnium commenta diabolica antiquum deceptionis fiscum dæmonis abhorrendo, interim illis credentibus te nobis hostem factum, & nos uel esse sine deo, uel te non nos uelle defendere uel posse.

5 Vsquequo domine irascéris in finem: accendetur uelut ignis zelus tuus?

Peccauimus quidem tibi, & uerbo non obediuimus, prophetas persequuti sumus & odiuimus: sed iam digna pœna eruditi resipiscimus & fidem in tuam clementiam te donante resumpsimus. At tu quandiu resipiscentibus de integro non reconciliaris? Vsquequo uoles irasci nobis? Num in perpetuum? nos quidem corporaliter affligendo, peccata nostra purificando & erudiendo, inimicos autem nostros insania & truculentia nobis importabili percellendo.

6 Effunde iram tuam in gentes quæ te non nouerunt: & in regna, quæ nomen tuum non inuocauerunt.

Animæ immortalitas.

Sunt istæ gentes sic animatæ ut de uirtutibus ueris, de uera iustitia, fide et charitate, deq; uitæ innocentia resti tuenda, prorsus nihil audire uelint, tuam circa humana prouidentiam negant, imò non esse deum dicere non formidant: iudicia tua nõ pertimescunt, quin omnia metiuntur ex temporaria felicitate rerũ mundanarum, animæ immortalitatem uix conuicti rationibus & authoritate credere resumunt ecclesiæ pontifices et doctores, ut patuit nuper in concilio isto pulchro Lateranẽsi, à quibus nos te & uerbum tuum reuerentes blasphemiamur & irridemur, imò & persecutiones patimur. Hos tales quos nosti impios, & minime emendandos ira tua tangas, & iusto iudicio tollas è medio, quandoquidem te nosse nolunt, & in ea regna terrarum, ubi nulla fidei & charitatis ratio habetur, sed omnia tyrannide peraguntur, in ea regna, ô domine, non in Dauidis regnum effundas iram tuam.

7 Quia comederunt Iacob: & locũ eius desolauerunt.

Illi ipsi hostes æque tui ac nostri, hactenus nos populum tuum filios Israel carne & spiritu, multifariã deuorauerunt. Ita enim iudiciũ tuum à domo & familia tua cœperat, per impios deum ignorantes, ideoq; quauis re potius quàm sacro nomine dei confidentes. Sic omnibus modis impetimur, ut uesania ipsorum ex mala conscientia sua in nos tibi fideliter seruientes debacchati fuerint crudelißime & odiose, ut nos tuos fideles & locum nostrum, imò tuum uastauerint.

8 Ne memineris iniquitatum nostrarũ antiquarum: cito anticipent nos misericordiæ tuæ: quia pauperes facti sumus nimis.

Vtcunque praua illi nos uoluntate persequantur, & animo sæuiendi & opprimendi, nos tamen agnoscimus peccata nostra multa & magna, quibus tuam iustitiam ad rependendam uindictam instigauimus, & ueluti coegimus. Nec nos soli peccamus, sed patrũ quoq; nostrorũ iniquitati reatuiq; & moribus iniquis succesßimus, odientes pariter, ut ipsi, legem tuam & iustitiam, unde & duplici pœna non indigne plectimur. Sic nunc eruditi paterna ferula tua resipiscentes agnoscimus peccata tam nostra quàm parentum nostrorum, eorum ut nos humiles recordamur, sic tu clementißimus obliuisci dignaris: idq; non differas in longinquum, sed anticipent iustum iudicium tuum misericordiæ tuæ, quia omnino sic præsenti periculo succumbimus, premimur & affligimur, uita & rebus spoliamur, ut si distuleris auxilium gratiæ tuæ, toti annihilandi simus & perituri. Patrum peccata.

9 Adiuua nos deus salutaris noster (et) propter gloriam nominis tui dñe libera nos, & propitius esto peccatis nostris propter nomen tuum.

Tu solus ut succurrere potes, sic uelis iuuare, qui deus noster es, penes quẽ posuimus omnem spem nostrã, tanquam in præsidiũ salutis nostræ, non in aliquibus operibus fidẽtes. Non propter merita sanctorũ quorũcunq; non propter nos qualescunq; sumus, sed propter gloriã nominis tui succurre nobis, tantũ ut glorificetur & sanctificetur sacrosanctũ nomen tuum: quod nunc interim blasphematur inter gentes, ob nostrã calamitatẽ, qui utcunq; plurimũ & grauiter peccauerimus, nomẽ tamen tuum nunquam negauimus. Libera ergo nos, & propitiare peccatis nostris, ut tu prædiceris iustus ac bonus, qualis es, & ut hostes ueritatis & fidei confundantur, uel ad bonum suum uel ad gloriam iustitiæ tuæ. Exandiã deus pro sua gloria.

10 Ne forte dicant in gentibus, Vbi est deus eorum? (&) innotescat in nationibus corã oculis nostris ultio sanguinis seruorũ tuorum qui effusus est.

Quomodo enim semper patereris impiorum tantas familias, contra gloriã tuam & ad scandalũ infirmorũ electorum tuorũ? Vnde potißimũ impugnatur & labefactatur religio, cũ uidẽtur cruciari & interimi, qui sunt ueri serui dei, ut iure impij dicere uideantur & audeãt, Vbi est deus illorum fidelium? tam impotens, ut non poßit, uel tam inuidus ut nolit iuuare, sicut blasphemabat Rabsaces, et eius discipuli omni tẽpore. Oramus potius, ut ostendas dignißima uindicta tua te esse omnipotentẽ deũ, et fidelißimũ in uerbis et operibus tuis, fiatq; idipsum iudiciũ tuũ in impios citius, ut clare aspiciamus & gratulemur de tua gloria, et de cõfusione pestilentiũ hostiũ tuorum ac tuorũ fideliũ. Appareat clare temporibus nostris ultio sanguinis seruorũ tuorũ, ne qs posthac seruitio se tuo aliqua ratione subducere uelit uel tentet. Oratio piorum.

11 introeat in conspectu tuo gemitus compeditorum. Secundum magnitudinẽ brachij tui possíde filios mortificatorum.

Gemitus ac suspiria eorum qui uinciuntur, & in compedibus tenentur secundum corpus uel animũ fidelium tuorum, ingrediatur et perueniat intra auditorium iustitiæ iudicij tui, ut aliquandò fiat iustitia digna de inimicis iu-

stitiæ

ſtitiæ tuæ, ut uexatione digna intellectus detur, ſi ſint medicabiles: interimq; piorum reliquiæ te uindicante conſolentur, cernentes magnitudinem brachij tui, credentibus te ſibi non abeſſe, ne tantum nocere ſemper pergant quantum cupiunt, ne filij mortificationis ſoli habeantur electi.

12 Et redde uicinis noſtris ſeptuplum in ſinu eorum: improperium ipſorum quod exprobrauerunt tibi domine.

Familiaribus hoſtibus noſtris & uicinis maleuolis, & ad omnē occaſionē accurrētibus ad perſequendū, et ſeſe exitialibus noſtris hoſtibus adiungentibus, nihil à nobis leſis, ſola noſtra fide in te offenſis. Iſtis abundanter rependas quod merentur, ne ſemper peiores fieri & intra fiabiliores ac ſæuiores pergant. Septuplum repende illis malitiam ſuam, ſi quo modo tandem ſibi reddantur, reſipiſcant, & dent tibi deo noſtro gloriam, & agnoſcant iuſtum iudicium tuum, & deſinant perſequi fideles. Septuplum autē dicit pro ampla repenſione & digna criminibus non ceſſantibus, ut tandem ſentiant ſe indigne blaſphemaſſe, & opprobria iaculaſſe in æquiſſima iudicia tua, ut diſcant cæteri te timere, colere, & laudare.

13 Nos autem populus tuus & oues paſcuæ tuæ confitebimur tibi in ſeculum, in generatione & generationem annuntiabimus laudem tuam.

Interim ſic nobiſcum age, ut luculenter etiam fragilioribus appareat, te non dereliquiſſe humiles tuos, ſed ſeſe intelligant certo, quod dudū ſperabant, eſſe gregem paſcuæ tuæ, quos peculiariter elegeris, docueris, rexeris, & cuſtodire non deſinas. Nec tantū credant, ſed ad gloriam tuā confiteantur ſemper & ſine fine beneficia tua, tam præſentia q̄ futura. A generatione in generationē, donec ſæculū ſubſiſtat, & deinceps æternaliter, ut perſeuerent magnificare & prædicare beneficia clementiæ tuæ. Ingens autē conſolatio eſt, poſſe gloriari ſe eſſe dei populum, & gregem paſcuorum dei. Ea uero in deo humilis, & non ſuperba eſt gloriatio, ſigillo electionis confiat & ſpiritu filiorum dei.

PSALMVS LXXX.

In finem pro ḡs qui commutabuntur, teſtimonium Aſaph, Pſalmus.

Hebræis ſic accipitur, Ad uictoriam ſuper lilijs (id eſt, muſices inſtrumento) decus Aſaphi Pſalmus. Circa quæ ſeſe pius exerceat, ſi uidebitur, donec inueniat quod dingne doceatur.

ARGVMENT. Oratio eſt ex captiuitate aliqua corporea uel ſpirituali ad deum facienda, liberationem poſtulando exemplo captiuitatis Aegyptiacæ.

1 Vi regis Iſraël, intēde: qui deducis uelut ouē Ioſeph. Qui ſedes ſuper cherubim, manifeſtare

Vt idem eſt re ipſa paſtor, rector, rex et conſul, ſic Hebræis quoque uno מלך nomine dici poteſt. Orat igitur fidelis, ſed afflicta anima ad dūm, nominans eum paſtorem Iſraëlis, omniū ſcilicet fidelium, & eorum qui filij ſunt fidei Abrahæ, quos cura ſua defendat ac nutriat, lupos coërceat ſolicitudine, illi ſoli ſimplex ouicula commendat neceſſitates ſuas, uti uelut paſtor iuuare dignetur, & deducere uelut oues Ioſeph, id eſt regni Iſraëlitici fideles, ad parata illis paſcua. Tu qui dominus es deus eorū & dūs exercituū, uti ſedes ſuper Cherubim, qui præſentia tua conſolaris ac protegis cultores tuos, dūs omniū ſpirituum, qui deus uerus coleris, & intra oraculū ſancti ſanctorū reſpondere conſueuiſti ſanctis tuis amicis & prophetis: oro inquā ut reſplendeas & manifeſteris, ac multa in omnes gentes gloria illuceſcas, maxime autem peculiari populo tuo, quem ſuſcepiſti illuſtrandum, & aliquando ex eis carne aſſumpta ſanctificandum præ alijs omnibus.

2 coram Ephraim, Beniamin, & Manaſſe. Excita potentiam tuam, & ueni: ut ſaluos facias nos.

Orat ut ſingularis amor & dignatio dei agnoſcatur, et digne colatur, præcipue à populo Iſraele, unde poſtea & ad alias gentes propagetur illius gratia & fides, quē Iſraëlem nominat Ephraim, Beniamin & Manaſſen, poſteros Iacob ex Rachele omnes præcipua uxore, uolens intelligere omnes filios Iſraël extra & intra Iordanem, qui cum alijs tribubus primi erant capiendi in Aſſyrios, & in gentes ſpargendi. Excita fortitudinem tuam, ut ſaluemur ab oppreſſoribus, & ad omne bonum inſtitue omnes, ſpiritu & carne ſaluandos.

3 Deus conuerte nos: & oſtende faciem tuam, & ſalui erimus.

Precatur ex aucta fiducia inter orandum, ut affulgeat gloria ſua, excitetur potentia ſua, exhibeat præſentem opem: quod & ipſum eſt faciem eius illuceſcere, quo populus dei reſtituitur & ſeruatur, utq; ſpiritu ſuo attrahatur ad amorem iuſtitiæ, & ſerenitate uultus ſui gratioſe uiſitet miſeros, & à periculis eruat atq; ſaluet. Hic uero uerſus ferè intercalaris eſt, tertiò repetendus.

4 Domine deus uirtutum, quouſque iraſceris ſuper orationem ſerui tui?

Tu qui ſolus dominator es, & potentiſſimus imperator exercituum ſupernorū ac cœleſtium, atq; etiā terreſtrium & inferorū, qui omnia ſolus potes & diſpenſas, ſine quo nihil poſſint fortiſſimi quiq;, uſq; quo iraſceris tandiu mihi ſeruo tuo, ſuper cultoribus tuis, repellendo precem humilium, & non compeſcendo libidinem impiorum, populum dei diuexantium?

5 Cibabis nos pane lachrymarū: et potum dabis nobis in lachrymis in menſura?

Queritur tanta calamitate populum dei preſſum, ut dies noctesq; tantum lachrymari libeat, potius q̄ delicatis cibari uel potari. Quod autem addit Hebræus Tripliciter, indicare uult menſuram copioſiſſimam lachrymarum: uel quoties orare uacauerit, mane ſcilicet, meridie, ac veſperi: hoc eſt ſemper, uolens dicere ſe plurimū fudiſſe iugiter lachrymarū, quoties ſcilicet cibus ſumendus erat uel orandum.

6 Poſuiſti nos in contradictionem uicinis noſtris: & inimici noſtri ſubſannauerunt nos (eos.)

Eam sibi sortem prouenisse plangit, ut omnes uicini sui iugiter cum eo contendant, & subiugare sibi conentur, si ualeant, occasiones & auxilia quærendo semper, sed & inuicem contendunt de nobis, qui quibus seruiamus. Pariter enim uetusto et amaro odio subsannant nos propter te, qui nobis ius hæreditatis contulisti in hanc terram, qui dominus es cœli & terræ. Affixum autem Pronominale mutari ferè potest per omnes personas, ut dicantur subsannare eos uel seipsos, uel patres nostros, uel nos in eis persequi & irrideri.

7 **Deus uirtutum conuerte nos: & ostende faciem tuam, & salui erimus.**

Cum igitur tot & tantos tamq; uicinos & iugiter imminentes nobis hostes patiamur, ô domine, primum conuerte nos per fidem & timorem ad te dominũ deum nostrum, ut sic digni reddamur aspicere placabilem uultum tuum, uel præueniente gratia tua fac nos legis tuæ obseruatores, & mitte quem missurus es Christum promissum saluatorem, ut per eũdem saluemur, sicut olim, quanquam imperfectius per Mosen.

8 **Vineam de Aegypto transtulisti: eiecisti gentes, & plantasti eam.**

Similem facit populum Israël uiti, sicut & Isaias & Christus. Quæ tunc radicem egisse intelligitur, dum reiectis indigenis Amorrhæis, uel decem gentibus Chananaicis, firmam illi sedem in eadem terra dedit sub Iosue & Mose, ut esset electissima & nobilis uinea, unde fructus dulcissimus & optimus expectaretur.

9 **Dux itineris fuisti in cõspectu eius: & plãtasti radices eius, & impleuit terram.**

Tuo ductu, auxilio, cura & gratia transtulisti tantam gentem pergens ante eam, & uiæ tramitem ostendens, terrendo prius habitatores terræ, ut resistere non potuerint. Radicasti radices eius, & repleuit terram, in tuto positos firmaq; radice fidei iacta, multiplicasti fideles super omnem numerum, quandiu legitimis tuis aurem præbuissent & animum.

10 **Operuit montes umbra eius: & arbusta eius cedros dei.**

Vocat hunc populum glorioſum cedros dei, hoc est, pulcherrimas, procerissimas & maximas, quas hæc uitis umbra sua sicut & montes amplitudine sua obtexerit. Exaltati enim sunt in gloria magna & fama, fortitudine & gloria. Et rami eius, hoc est, tribus & cognationes eximiæ propagatæ sunt & eleuatæ ut elegantissimæ cedri.

11 **Extendit palmites suos usque ad mare, & usq; ad flumen propagines eius.**

Comas & palmites suos Israël olim ille secundum carnem extendit usq; ad mare, ad occidentem scilicet, & ad flumen Euphratem, quod Hebræis per antonomasiã flumen dicitur. Longe autem latius propagatum est semen Israël secundum spiritum & fidem, per discipulos ueritatis & prædicatores fidei, quibus in omnes terras disseminatum est Euangelium regni.

12 **Vt quid destruxisti maceriam eius: & uindemiant eam omnes qui prætergrediuntur uiam?**

Sepes huius uineæ perrupta fuit cum sublata sua protectione, & transgressis diuinis legibus & disciplinã cœlesti, deus illos impijs gentibus diripiendos permisit, Israëlitas illos quidem: sic & in Israël secundum spiritũ Christianis, hostes ueritatis & fidei exterminauerunt quicquid electum plantatum fuerat, & mera libidine mentiendi ac nocendi à multis dirupta est uinea, ut pro botris electis labruscas attulisse uideatur, pro timore dei hominum pauores tyrannicorum, & pro uerborum dei sacrosancta scientia locum acceperit humanarum traditionum temeritas. Sepes dirupta.

13 **Exterminauit eam aper de sylua: & singularis ferus depastus est eam.**

Apri de sylua nominatim meminit & ferarum agri, quia solent uineæ ab his maxime depasci. Dixit aprum pro apris, uti & feram agri pro feris: ne quis putet de singulari aliqua fera sibi philosophandum, ut Iudæi fabulantur, post Rabi Iudam filium Simeonis, qui ridiculum figmentum adducit de ראם maxima aui, cuius alis si expandantur obfuscetur globus solis: nisi allegoricũ uelit, quod nõ ualde male explicari posset. Sed de his otiosi quærant. Impij sanè multi porci & apri uastauerunt tam prioris populi ecclesiam quàm noui, ut de speciali aliqua bestia disputari facile sit. Singularis fera.

14 **Deus uirtutum conuertere: respice de cœlo, & uide, & uisita uineam istam.**

O fortissime omnium deus exercituum, huic tanto malo uastatæ pietatis tu solus succurrere potes, uinam cito uelis. Conuertere, oro, & respice necessitates ecclesiæ fidelium tuorum. De cœlis uide & miserere, ut fecisti olim ad seruientes durissimis laboribus Aegyptiacis. Visita eodem modo nunc quoq; uineam istam tuam, & uindica à depascentibus feris. In eam sententiam & uerba nunc quoq; & semper orãdus dominus, ut mittat custodes & uigiles idoneos in uineam suam, & operarios in messem. Quandoquidem subintrocunt ferè multæ & rabidæ plurimúmque feroces in uineam domini dei sabaoth.

15 **Et perfice eam quã plantauit dextera tua: & super filium hominis quem confirmasti tibi.**

Et præpara uel perfice aut corrige in melius uineam istam tuam, quam scilicet plantauit dextera tua, uarijs in figuris uerbum domini prophetis loquens in ueteri, nouissime in filio suo, per quem fecit & sæcula, qui sua obedientia pro salute illius uineæ ab agricolis infidelibus occisus est extra uineam, nõ alia ratione, quàm quia filius erat illius maximi patrisfamiliâs. Hebræi hic alium sensum tradunt, quibus displicet quicquid dicitur de uinea domus Israël deserta, & Christi plantata ecclesia, & de ueritate promissorum dei citra suam corporalem gloriam, quam semper anhelant, assequentur nunquam, nisi in Christo. Notas aliquas Iudæi habent in his duobus uersibus non sine mysterijs, sed de dubijs affirmare nil ausim nec libet. Vinea deserta. ni ecclesia.

Incensa

Incensa igni & suffosa: ab increpatione uultus tui peribunt.

Perstat in similitudine uineæ exustæ & suffossæ, excisæ uel uastatæ, cui populus Israël comparatur, idq; propter iram dei, qui nimirum ita de peccatis ipsorum pœnas sumet. Quàm fuerit enim & sit discerpta synagoga doctrinis mendaciorum, & conculcata feris crudelium hostium suorum, non necesse habemus multa scribere lectoribus sacras historias & propheticas satyras. Adiungit autem mutata persona, Ab increpatione uultus tui peribunt, per seueritatem iustissimam duri iudicij tui in eum populum perpetuo contumacem peribunt plagis temporalibus & magnis. Israëlitæ soli secũdum carnem de carne sine fide gloriantes, qua sola fide Abraham placuit deo, & iustificatus est, etiam nondũ habens filium.

17 Fiat manus tua super uirum dexteræ tuæ: (&) super filium hominis quem confirmasti tibi.

Quomodocunque hic Iudæi deflectant, simplicius habetur, Virum dexteræ tuæ, intelligi filiũ dei redemptorem Christum, regem Dauid in spiritu & æternitate, quem ab æterno prædestinauit pater sæculi æternus, pro salute hominum manus porrigere, satisfacere, mori, crucifigi, resurgere, & ad se suos omnes trahere, qui pater est & sponsus ecclesiæ, rex & sacerdos, qui & se hac fortassis ratione toties filium hominis nominauit, quum non rapinam arbitratus esset se quoq; æqualem deo esse.

18 Et non discedimus à te: uiuificabis nos, & nomen tuum inuocabimus.

Per fidem quotquot electi sumus semper tibi, ô deus, adhærebimus: uerba enim salutis habes & uerba uitæ, unde & nos uiuificabis de morte legis, & morsu conscientiæ, & metu inferni. Et in solo tuo nomine salui erimus, quod non sit aliud in mundo nomen, in quo nos saluari oporteat, in quo & per quem salutem speramus et accipiemus.

19 Domine deus uirtutũ conuerte nos: (&) ostende faciem tuam, & salui erimus.

Eadem sunt quæ pro affectus magnitudine sæpius orare delectat, & interim cogit necessitas, ut dominus uirtutum eatenus fideles suos quotidie emendet, & ad meliora conuertat, ne euacuentur eorum demeritis promissiones dei, & fœdera omnia sub conditione contracta. Nec aliud anxie magis omnes sancti optarunt, quàm ut mitteretur statim qui fuerat mittendus, Christus, certè facies, similitudo, & natura dei patris, perfecta imago substantiæ eius, per quem ut mundum creauit, sic & saluare instituit & peregit. Quasi dicere uelit propheta, Verbum tuum mitte Christum promissum, faciem tuam redde, & nihil præterea desyderabimus.

PSALMVS LXXXI.

In finẽ pro torcularibus (Psalmus) Asaph, (quinta sabbathi.)

In Hebræo sic legitur, Ad uictoriam super torcular uel hagithith, id est, cithara ab urbe Gath Asaphi. Syrus transtulit, In laudem cithara allata ab urbe Gath per manum Asaph.

ARGVMENTVM. Consolatio & gratulatio fidelium est, in solennitate aliqua de auxilio dei, qua monentur deum omnia affatim suppeditaturum, si se ad uoluntatem suam composuerint.

1 EXultate deo adiutori nostro: iubilate deo Iacob.

Non uestris uiribus, ô homines quamlibet pij, quicquam tribuatis, sed de dei uestri tantum gratia & auxilio instituite alacre carmen, ut uos mutuum prouocetis ad confessionem laudis diuinæ, quam in primis teneatis in cordibus, deinde testimoni ore et uocibus ad testimoniũ proximo. Soli deo quem coluit Iacob & patriarchæ sancti, & electi à deo populi attribuite omne bonum uestrum, & agnoscite beneficia omnipotentis.

2 Sumite psalmum, & date tympanũ: psalterium iucundum cum cithara.

Corripere Psalmum & apponere uel apparare tympanum, est omnem animi deuotionem intendere, & sese ad dei amorem excitare, omnium creaturarum dei contẽplatione & usu, pulchritudine, insigni ordine & proportione, quibus maior hominum sensui probari nõ potest, quàm per musices uarias harmonias, miracula aëris, & proportionis numerorũ in rebus omnibus. Citharam, ait, iucundam cum cheli uel nablo, quod alij psalterium appellant, de quibus uiderint alij: nobis interim suggeritur his uerbis & rebus, admoneri hominem uel populum pium, ut omnem creaturam dei ordinet in laudes dei religiosè contemplati prius & cogniti, imò magis admirati, ut nihil negligere uelit ad cordis gratitudinem & deuotionem necessariam testandam. Deuotio cũ musica.

3 Buccinate in Neomenia tuba, in insigni die solennitatis uestræ (nostræ.)

Frequentior autem post sabbathum Neomenia solennitas agebatur, non sine buccinis clangentibus ad sacrificia, quo populus domini admoneretur, qui cum legem illi daret, & fœdus pangeret tubarum sonitus audiebatur in nubibus. Quarum calendarum solennior erat in mense Septembri, quando pro lætitia festi tabernaculorum, & quiete post exactos labores comportandi fructus terræ iucundiores erant. Quod & eruditior fortassis Syrus uidit, cum transtulit, Clangite per lunam Septembris cornu uel buccina, in mense qui coopertus est die solennitatis nostræ. Hoc est, mutuũ hortamini ad uere digneq; deum colendum, in festo tabernaculorum, in operimento umbraculorum iucundissimorum. Quod memoriale institutum erat requiei in domino redemptore post labores Aegypti, & squalores solitudinis. Kalendæ principales

4 Quia præceptum in Israël est, & iudicium deo Iacob.

Ritus, institutum & ceremonia celebrandæ solennitatis in hoc instituta erant, ut populus beneficiorum dei admoneretur, dationis legis, liberationis de grauissima seruitute, acceptæ quietis in optima terra, patribus promissa & filijs donata, cuius memoria religionis studium in populo merito accendere debuit.

5 Testimonium in Ioseph posuit illud, cũ exiret (de) super terra Aegypti: linguã quã nõ nouerat audiuit (labiũ quod nõ noui audiui.)

Testimonium in Ioseph patriarcha dominus posuit clementiæ suæ ad istum populum: cum exiret scilicet de patria à fratribus uenundatus Aegyptum, de materna lingua ad incognitam, quam cum suo malo discere cogebatur in domo seruus, et in carcere captus. Amoui ab humero suo dorsum eius, seruitutis iugo exemi amicũ meũ: manus eius à furno calamitatum transierũt, ut ipse cum suis fratribus euaderet miserias graues. Vtcunque uero sic posit intelligi locus iste, Hebræi tamen per Ioseph intelligunt totum genus Israëliticum non semel, idq; satis indicant, quæ consequenter in hoc Psalmo dicuntur.

Ioseph pro Israel.

Quin & dictio יהוסף quibusdam uerbum adijcendi esse uidetur, sed hoc minus probabile. Sic igitur Hebræi hunc locum exponunt, Dominus ipse talem posuit legem Israëlitico populo, qui hic Ioseph dicitur, quia populũ in Aegypto auxerat atq; saluauerat, cum deus ipse prodiret contra Aegyptum, ut suos ulciscereturlinguã tunc audiebam quam ignorabam, inter gentiles habitabant, non linguam Aegyptiacam, sed suam Hebræam ac paternam loquebantur.

6 Diuertit ab oneribus dorsum eius: manus eius (in) cophino seruierunt.

Inducit deum memorantem, ut ab onere tam duræ seruitutis humerũ illius subduxerit: & subijcit, Et à furno, in quo scilicet lateres excoquebantur, transierũt manus eius. Hebræi dicunt Israëlitas non tantum lateres, sed & ollas & alia uasa lutea conficere coactos, quicquid scilicet ex luto fingitur, sicut scribitur, Ad amaritudinẽ perducebant uitam eorum seruitute dura, in luto & lateribus, ac omni opere agresti.

7 In tribulatione inuocasti me, & liberaui te, exaudiui te in abscondito tẽpestatis: probaui te apud aquam contradictionis. Sela.

Cum tantis oneribus & iniurijs grauareris ab exactoribus operum, & rege Aegyptiorum, ad me unice confugiebas, & eripui te de fornace angustiarum, et seruitutis Aegypti, secundũ id quod dicitur in Exodo, Vidi afflictionem populi mei qui est in Aegypto, & clamorem eorum audiui, &c. Annui quoq; tibi in arcano tonitrui mei, quo exercitum Aegyptiorũ conturbaui, cum persequeretur Israëlem usq; ad mare rubrum. Huiusmodi auxilium secretum suum nominat, quia prouidentiæ suæ & iudiciorum diuinorum ratio hominibus sciri nõ potest, nisi desuper reueletur. Volens uero simul populum admonere incredulitatis, præcipue meminit unius tentationis loco omnium, in qua deprehẽdit eum ingratum ac rebellem, quem tamen sustinuerit. Sela adiectum monet considerandã bonitatem dei, & ingratitudinem rebellium.

8 Audi populus meus, & contestabor te: Israel si audieris me

Inducit dñm obtestantem populum ut sibi auscultet: quem suum appellat populũ, quia creauit, auxit, liberauit & gubernat. Quod si faciat, bonis sit omnibus abundaturus, sin minus, permissurum se illum proprijs constlijs, quibus seipsum sit perditurus. Si, inquit, uerbis meis plena fide adhæseris.

9 non erit in te deus recens, neq; adorabis deum alienum.

Neminem unquam alium deum credes, amabis, timebis, non inclinabis te ad deum alienum, honorem mihi debitũ alteri non impendes. Ego enim omnibus sufficio, & bene uolo, unde & שדי appellor. Sic sane se habẽt res humanæ, ut sæpe quamlibet impij & sine deo, diffisi tamen rebus quas uidẽt, ad inuocandũ numen cõuertuntur inuisibile: longe uero id agunt religiosius pij, qui spiritu renati, deum uerũ agnoscũt, & uiuere illi studeant.

10 Ego (enim) sum dominus deus tuus qui eduxi te de terra Aegypti: dilata os tuum, & implebo illud.

Suipsius deus solidam requirit cognitionem & obedientiam, per quam consequuturus sit homo omne bonum: unde ait, Late aperias os tuum: hoc est, pete quid uis & accipies. Nulla nanque inopia laborare possunt deo dediti. Gaudet enim dominus ut pientissimus pater, benefacere filijs, precibus fatigari, et exaudire delectat, uult quoq; fideles suos toto corde posse fateri beneficentiam suam.

11 Et non audiuit populus meus uocẽ meã: & Israel non intendit mihi.

Inducit dominum conquerentem ingratitudinem sui populi, quod audire uocem suam, hoc est, suis parere iussis, quæ sola salutifera ei erant, populus ille semper detrectat, non attendit, credit, nec obsequitur legi diuinæ, sed magis abominantur non solum legem, sed & ipsum dominum: dicit enim, Israël non uoluit me, displicent ei omnia uerba & opera mea, quin et beneficia ipsa agnoscere nolunt, & odium interpretantur dei ad se execrabili pertinacia.

12 Et dimisi eos secundum desideria cordis eorum, ibunt in adinuentionibus suis.

Ideo suis cum populum cõsilijs permisi, quo nihil hominu perniciosius, sunt enim ut plurimum perturbata et perplexa, semperq; ex mala causa deteriorem facientia. Decet sanè, ut uiuentes iuxta sua consilia, consilijs item suis in malum suum fruantur, ut rideat sapientia dei impios tales in interitu illorum: sinitq; comedere fructus uiæ suæ, suisq; saturari consilijs.

13 Si populus meus audisset me: Israel si in uijs meis ambulasset:

Memorat quantis seipsum populus spoliarit bonis, dũ auscultare domino renuit post tot beneficia accepta, pro pensior ad sua propria mendacia. Quid autem dignius agere potuissent, q̃ per omnia morẽ gerere omnipotenti deo, cuius coram uidissent tam beneuolam maiestatem, & stupenda pro se portenta, stragem quoq; hostiũ suorũ, quos sine ipsius auxilio effugere minime potuissent?

14 Pro nihilo (forsitan) inimicos eorum humiliassem: & super tribulãtes eos misissem manum meam.

Prope erat ut præclara uictoria eos de hostibus sti-

tim

dem in initijs exornassem, & paucis diebus dotassem nobili hæreditate terræ Chananaicæ, & tot onera illis ægre portabilia abstulissem, & sine tam horribilis eremi colonia tam diuturna duxissem breuissima uia in suam patriam: & subito subiecissem illis crudelissimos hostes suos, uel disperdidissem ad unum omnes.

17 **Inimici domini mẽtiti sunt ei: & erit tempus eorum in secula.**

Odientes dñm negabunt eum, ex cõtemptu uerbi dei, & iustitia iudiciorũ eius, quæ uelint nolint ferre cogentur, etiam impij, cuius manum effugere nequeunt, id solum quod possunt agent, odire scilicet & blasphemare deum: & id non diutius q̃ domino ferendum uisum fuerit, subito percellendi propediem. Erit enim tempus eorum in sæculum. Semper quidem ofores dñi perseuerabunt ad exercitium piorum, sed & suam quoq; sortem & ultionem nunquam non experientur.

16 **Et cibauit eos ex adipe frumenti: & de petra melle saturauit eos** (te.)

Impijs percipientibus mercedem suam in hoc mundo ut plurimum, semper autem in futuro sæculo: pij interim à domino nutriuntur, omniũ rerum beata copia. Per adipem enim frumenti, id est, medullam tritici, & delicatissimi fructus, atq; mel è petra, omnis rerũ delicatarum abundantia significatur. Magnam siquidẽ oportet eius regionis felicitatem esse, ubi apes in petris mellificant. Est autem hyperbole incomparabilis fœcũditatis, adeo ut in saxis quoq; proueniant, quæ aliás uix in miti solo prouenire solent. Discimus nos uero hinc, ibi esse paradisum, ubi timor dei: desertũ uero, ubi dñi cõtemptus.

PSALMVS LXXXII.

Psalmus Asaph.

Alicuius scilicet de familia cantorum, quorũ patriarcha Asaph erat, uel ipsiusmet Asaph, qui Dauidis tempore uixit, uel secundũ quosdam Dauidis dictamen est, sed Asapho & suo ordini canendũ traditũ, de quo aliás.

ARGVMENTVM. Exhortatio ad iudices, ut iustitia sua Christi regnum exornent.

1 **Deus stetit in synagoga dei** (deorũ) **in medio autem deos dñudicat.**

Omnino diuinum quiddam est, hominem in homines uitæ necisq; habere arbitrium, & ingens miraculũ, tam multos sese amantes magis quoque omnes alios, & sui honoris & commodi zelatores, uni tamen homini ac sæpe tyranno parere. Ob hanc ergo dignitatem & potestatem maiorem quàm ferat humana conditio, scriptura principes & iudices deorum nomine dignatur. Illi autem ferè ac si nulli altiori potestati subiecti essent, pro libidine sua putant se posse subiectos regere, & omni genere iniquitatis diuexare. Monet ergo eos, ut credant deum inter ipsos adesse: & paulo post de uiolentia eorum pœnas sumpturum, quia iudex eorum sit, & iuste iudicaturus sit.

2 **Vsquequo iudicatis iniquitatem: et facies peccatorum sumitis? Sela.**

Quandiu improbis pro gratia uel muneribus deferetis, ad iacturam piorum et iniustas feretis sententias deprauando iudicium & iustitiam condemnando. Sumere facies, est personarũ acceptione moueri ad iniquum, pro diuitijs uel fauore, contra conscientiam agere & loqui, uel affectu sic deprauari, ut iustum agnoscere non possit. Sela hic adscriptum monet execrandum omnibus pijs tantum iniquitatis malum, quod difficile etiam à iustis uitatur.

3 **Iudicate egeno & pupillo: humilem & pauperem iustificate.**

Hortatur ad officium iudices & potentes, quod est tueri pauperes & pupillos, eos scilicet, qui quod seipsos nequeunt defendere, iniuriæ impiorum obnoxij sunt. Talem se dominus prædicat, & uult haberi, uindex scilicet & propugnator imbecillium oppressorum, quos nõ uult sperni uel auxilio destitui à suis ministris, & sub delegatis primoribus quibuscunq;, quin unicuiq; de proximo mandauit iuuando si indigeat: id autem non spe munerum, sed gratia pietatis, sine personarum respectu. Officium principum.

4 **Eripite pauperem: & egenum de manu peccatoris liberate.**

Monentur iterum atq; iterum principes populorum, ut tueantur innocuos, arceant nocentes. Hoc est deum quendam inter homines agere, curare ut homines ordinate inter se uiuant: propter quod & olim sacerdotes dicebantur iustitiæ cultores, æqui & boni notitiam profitentes, æquum separãtes ab iniquo, licitum ab illicito, bonos non tantum metu pœnarum, uerum præmiorum quoq; exhortatione efficere cupientes.

5 **Nescierunt neque intellexerunt, in tenebris ambulant: mouebuntur omnia fundamenta terræ.**

Queritur eos qui deos quosdam hominibus præstare debebant, nihil horum quæ sui muneris sunt aduertere, nihil consyderare: inde miscentur & perturbantur omnia, adeo, ut terræ fundamenta subuertãtur: hoc est, omnis humanæ uitæ ratio & ordo confundatur, quæ non nisi fide consistit & iustitia, unde diuina ultio merito prouocetur, qui cum sit ipsa iustitia, ferre non uult nec potest iniquos seruos & nequam, sed portionem illorum ponit cum impijs.

6 **Ego dixi, Dij estis, & filij excelsi oẽs** (uos.)

Dixi, id est, statui, & serioſe ordinaui hominem esse debere deum proximo suo, maxime uero iudices, ut secundum uerbum meum præsint, quibus gladium quoq; meum, iustitiam secundũ leges administrandam & uindicandam commisi. Et uolo ut sint filij dei altißimi, illius iustitiam, ueritatem, clementiam & beneficentiam æmulare studeant, ut sint iusti, æqui, pij & perfecti, sicut pater eorum qui in cœlis omnia uidet.

7 **Vos autem sicut homines morieminí & sicut unus de principibus cadetis.**

Vtcunq; diuinam assequuti desuper potestatem à domino, si aliter egerint atq; iussi sunt, nedum non computabuntur inter filios dei, sed quanto maiores à domino facti, tanto grauius & potentius puniẽtur, si uiolenter & iniuriosè subditos tractauerint. Erit grauis admodum

talium ruina & magna: non enim soli peribunt qui secum suo iudicio seduxerunt plures.

8 Surge deus, iudica terram: quoniã tu hęreditabis in omnibus gentibus.

O tu domine deus, qui uides nostros tot & tam iniquos iudices, qui cũ patres esse debuerint, lupos se ostendunt. Tu ipse surge contra eos, & uindica de illis tuos pauperes, uerbo tuo et iudicio iudica, instrue autẽ pios, consolare & redime. Tu enim hæreditabis in omnibus per omnes gentes. Non solus Israel & Iuda peculiũ tuum erit & dilecta hæreditas secundum carnem, sed magis secundum fidem & spiritum, quæ sola placent domino. Tu solus eris redemptor noster & uniuersalis doctor, dominus & rex super omnem terram, præter te nemo dominus erit conscientiarum nostrarum. Discunt hinc interim Christiani, apud unum deum iusta iudicia fieri, quo æquanimius ferant in mundo affici iniurijs.

PSALMVS LXXXIII.

Canticum Psalmus Asaph.

ARGVMENTVM. Oratio fidelium contra hostes coniuratos pietatis, ac bellum instituentes.

1 DEus quis similis erit tibi? ne taceas, neq; compescaris deus.

O domine deus, non est uspiam deus uel magnus, qui tibi sit similis, tu enim solus omnipotens es, omnia nosti & moderaris. Is sensus non abhorret ab Hebraica litera, quando דמיה etiam similitudinem significat: &, ut uidetur, aptius dicitur quàm quod Iudæi, Deus ne fileas tibi: quanquam satis commode sequatur post utrũq;. Non taceas uel obmutescas: hoc est, ne conniueas, & ne conquiescas deus, noli continere uirtutem tuam, qui es & diceris ipsissima fortitudo, non sinas impios hostes quoscunq;, & quocunque tempore grassari atrociter in populum tuum. Vehementer autem orat, quia eis extrema intentabantur à gentibus multis, tempore tam Dauidis quàm aliorum.

Tacere domini.

2 Quoniam ecce inimici tui sonuerunt: & qui oderunt te extulerunt caput.

Notat insolentiam & arrogantiam, studium quoque & conatus hostium multorum tumultuantium, nihil intentatum relinquentium, quo fideles dei cultores perderent. Extulerunt enim caput osores tui, superbe sese erigunt contra deum Israël, & ueram pietatẽ, & quicquid iustum est & innocens, quasi non uel subsint illius potentiæ uel scientiæ iusti & pij.

Studium impiorum.

3 Super populum tuum malignauerũt consiliũ: & cogitauerũt aduersus sanctos tuos.

Maligno consilio suo, & collatis omnibus neruis malitiæ suæ impij semper impugnant fideles, & coniurando concordant aduersus absconditos dei, fidelem populum sic dictum, quod tutela dei mundo abscõdita fruantur, & quod tam quid modo apud dominum sint, & in suis conscientijs atq; fide, quàm quid futuri sint coram omnibus, nunc omnino lateat. Vel ad consilium domini referri potest de istis impijs, qui nesciant consilium domini de prostrandis hostibus piorum.

4 Dixerunt, Venite, & disperdamus eos de gente: & nõ memoretur nomẽ Israël ultra.

Statuerunt secum firmiter (quod est dicere Hebræis & cogitare) ut sanctorum corpora, uitam, famam, possessiones auferant semel, tanquam illis inuisissimi, non contenti rapere prædas, sed & personas occidere & delere gentem: quin & nomen Israëlis cupiunt de sub cœlo deleri & obliterari, ne quis uerã pietatem audeat confiteri timore mortis. Consolatio est autem insignis piorum, si ex conscientia sua dicere possunt deo, Hi hostes tui sunt, nos populus tuus, nos absconditi & thesauri clementiæ tuæ.

5 Quoniã cogitauerunt unanimiter: simul aduersus te testamentum disposuerunt

Numerum & nomina canit fortissimorum hostium, qui in typo semper impugnauerunt ecclesiam dei, Israëlitas, regnum Dauidis, Ierusalem ac Iudam, qui icto fœdere semper contra dominum conspirauerunt, & neruos uirium ubicunq; poterant tetenderunt: & qui pro iniquitate sua pacem mutuam seruare nõ poterant, contra pios concordibus consilijs arma sumebant.

6 tabernacula Idumæorum & Ismahelitæ, Moab, & Agareni.

Orientales Iudæis.

Cunctæ fere orientales proximæ Iudæis nationes, & meridionales, ut Idumæi, Ismaëlitæ, Agareni, Arabes omnes nulla alia habitacula habẽt quàm tabernacula, sicut & Moabitæ. Isti nõ raro nec leuibus congressionibus molestarunt filios Israël, inuidentes illis hæreditariam à domino datam terram Chanaan, & maiestatem domini dei sabaoth, quem fideles contra idola illarum gentium iactitabant, ex animo odiebant, simul quoq; barbaricis criminibus, & iniustitia non ferenda polluti, & iudicio dei adiudicati dudum ad exterminium erant.

7 Gebal, & Ammon, & Amalec: alienigenæ cum habitantibus Tyrum.

Nominum propriorum enucleatio.

Qui fuerint Gebal non satis liquet, ob nominum mutationem frequentem regionum & urbium. Verisimile est confines fuisse cæteris hic nominatis populis, quando & confinium interpretatur. Ammonitæ indigno odio æmulabantur filios Israël, quibus ob Loth debuerant fauisse magis. Amalechitæ causam habere uidebãtur, quia damnati iudicio dei per Israëlitas suo tempore sumendo, & sumpto tandẽ temporibus Saulis & Dauidis ob crimina illorum domino abominandissima. Philistijm numquam non iuuerunt partes impugnantiũ Ierusalem, uicini pernicioſissimi Iudæorum. Tyri quoq; non semper fauebant. Semper omnes impij cõclamant cõtra fideles.

8 Etenim Assur uenit cum illis: facti sunt in adiutorium filijs Loth. Sela.

Etiam Assyriorum regnum non raro irrupit tam in regnum Israël, quàm Iudam, eo pernicioſiores quo fortiores, qui & suppetias ferebant semper alijs nationibus, quibuscũq; uolentibus inuadere Israëlitas. Quin & Iudam contra Ierusalem irritauit non semel, & Ierusalem contra Iudam, sicut & Syriæ reguli, qui Assyriaco tandẽ imperio & Babylonico incorporati sunt: sic semper miserrima conditione gentes idololatræ infestabunt uere fideles, & una gens auxilio erit alteri, ad conculcandum

eandem fidem & ueritatem. Vnde & Sela adiungitur, quod talis maneat in hoc mundo sors electos.

9 Fac illis ficut Madian & Sisare: ficut Iabin in torrente Ciſſon.

Precatur populus dei dignam à deo de hostibus ultionem, quales & recitat dudum factas de Chananæis, & Madianitis, qui cogebant populum dei sese recipere in speluncas & antra petrarum, donec uincerentur à domino per manum Gedeonis: quorum principes occidit, ut patet Iudicum 6. & 7. Antea fuerant attriti uiginti annis Israelitæ per Iabin, cuius princeps Sisara fœmina percutiente occubuit, deleto exercitu, ut Iudicum quarto legitur. Percute nunc, inquit, eos, & in opprobrium deijce sempiternum, sicut olim feciſti: ſic nunc ut faciat dominus sancti orant ad gloriam dei.

10 Disperierunt in Endor: facti sunt ut ſtercus terræ.

Endor non memoratur in libro Iudicum, sed Dauidis tempore multæ adhuc extabãt ueterum historiæ præter sacram scripturam. In Iosue uero locum sic nominatum legimus in tribu Manasse, fortaßis prope fluuiũ Ciſſon. Facta autem fuerunt corpora occisorũ hostiũ simus & ſterquilinium terræ, cum inhumati computruiſſent.

11 Pone principes eorũ ficut Oreb & Zeb: & Zebee, & Salmana. Omnes principes eorum,

Fac, ô domine, illis nunc nostris persequutoribus, sicut feciſti istis nunc nominatis inimicis fidelium, olim Israelem infestantibus. Sicut Oreb & Seb, & sicut Sebea & Salmuna, cum sint nominibus ipsis suis malitiam et atrocitatẽ testantes, latrones, lupi, mactatores, et umbra abominabilis. Omnes principes eorum inimicorum, qui ut cunque iustas prætexant causas, crudeles tamen sunt.

12 qui dixerũt, Hęreditate possideamus sanctuarium dei.

Omnino instituerunt disperdere et polluere templum domini, ciuitatem sanctam Ierusalem propter cultũ dei, uasa pretiosa & deo dicata, populum quoq; dei. Volebant enim uastatum cultum ueri dei, & suos deos coli, semelq; fidelium opinionem deleri.

13 Deus meus pone illos ut rotam, & ficut ſtipulam ante faciem uenti.

Deus meus cui ego credo, & in spiritu seruio, & nũc suppliciter insto ad tuam gloriam, pone eos ut rotam, summe perturbentur, & spiritu uertiginis rotẽtur, præcipites ruant in omne malum instabiles, & sicut stipula coram uento non subsistant in conatibus suis improbis, nec unquam præualeant pijs, sed raptentur uento, ut uilißima quæq; ac leuißima entia, & nihili homines, qui contra uirtutem & deum omnipotentẽ belligerari præsumunt.

14 Sicut ignis qui comburit ſyluam, & ſicut flamma comburens montes.

Vt non possunt euadere arbores cõflagrantiam ignium in syluas immissorum: sic se quoque impij defendere nequeant, sed potentiam indignantis domini uidere: horrere & sentire cogantur. Et sicut flamma succensa in montibus, quæ quãto altiori in loco, tanto citius flante uento exuruntur, sine spe aquarum & imbrium.

15 Ita persequeris illos in tempestate tua, & in ira tua turbabis eos.

Sic inquam tuo iudicio, ô domine, persequaris hostes tuos & nostros terroribus iusti ac manifesti iudicij tui, & uindictæ tuæ potentißimo turbine uertes eos in tumultum, ut præ mentis conturbatione nesciant quid facto opus. Exaggerat pio affectu hostium calamitatem, ut obtineat fidelium tranquillitatẽ, & ueræ pietatis professum & salutem gentis, quæ est peculium domini.

16 Imple facies eorum ignominia: & quærent nomen tuum domine.

Precatur apertioribus uerbis, ut iusta illis ignominia perfundantur facies, ut ebrij uomentes ac confusi despiciantur, & ferant cõfusionem frustratæ malitiæ suæ. Et aliquando uel tarde nimis incipiant cogitare de quærendo nomine domini quod sunt persecuti, sed non sint inuenturi, domino irato illis, & contemptum suum digne uindicante.

17 Erubescant & conturbentur in sæculum sæculi: & confundantur & pereant.

Sempiterno pudore & opprobrio affecti, terroreq; exagitati hostes plane pereãt, quia ex mera malitia contra agnitam ueritatem domino rebellarunt, tot commonefacti beneficijs & portentis magnificis. Erubescant primum de factis suis & crudelitatibus, deinde perturbentur in cõscientijs suis, cum ad nullũ deum confugere licet, cuius unquam experti fuerint auxiliũ, qui uerum deum persequuntur & pios. Opprobrium quoq; ferent publicũ in mundo uniuerso, ut exemplo sint & fabulæ cæteris: & insuper sine fide & gratia dei excæcati, desperati pereant in æternum, uel modo perdendi intelligantur. Quanquam & à sanctis orari talia possint, si ut dominus docuit, addatur, Fiat uoluntas tua: &, Sanctificetur nomen tuum in omnibus. Impij erubescent.

18 Et cognoscãt quia nomen tibi dñs, tu solus altiſſimus in omni terra.

Tunc tandem agnituri sunt dominum unum esse, & omnia posse, atq; non Iudæos solum, sed & omnem terram in potestate habere. Hic autem exitus est hostium filiorum dei, sic propugnat ille suos: ei ergo nos totos committamus.

PSALMVS LXXXIIII.

In finem pro torcularibus filijs Core Psalmus.

ARGVMENTVM. Oratio fidelium, ut liceat ipsis dominum deum suum in mentis trãquillitate digne colere & laudare.

1 QVàm dilecta tabernacula tua domine uirtutum:

Magna felicitas est agere in ecclesia domini, in qua uere præsidet deus, in qua sola scilicet salus & uita percipitur, ad quam sancti tanto pere anhelant, nõ solum in cœlesti & omnino beata ecclesia, sed etiam in terrestri & militante, in qua longe dulcius est cõmorari uiro fideli, q̃ in palatijs regum au- Felicitas in ecclesia.

reis, nihil enim felicius pio homini, quàm scire per fidē præsentißimū sibi esse dñm deū, & ad benefaciendum & saluandum propensißimum excīto fœdere, qualem se dominus Israeli exhibuerat per propitiatorij mysterium & Cherubim, ubi se dñs habitare, et fidelibus suis propitius & beneficus adesse uolebat, ut mirū non sit, si ibidem Dauid & reliqui ueri fideles summa cum animi iucunditate pleni fide festa celebrabant, & sedulo templo adesse desiderabant. Sicut & hodie nihil dulcius fideli est, quàm mysterium Christi in cœna, & baptismo sanc credito & intellecto.

2 concupiscit & deficit anima mea in atria domini. Cor meum & caro mea exultauerunt in deum uiuum.

Gratia dei pretiosißimus thesaurus.

Super omnem concupiscentiam auri & argenti & omnium pretiosarum rerum, est mihi desideriū & contemplatio fauoris diuini, quo nobiscū in templo uel inter Cherubim habitaturum se promisit, & exauditurū uota nostra, suscepturum sacrificia carnalia nostra, multo uero gratius fidem, uota, spem & charitatem, orationes & desyderia pia, ad suæ gloriæ magnificationē oblata in ara cordis. Ideo in atria tua anima concupiscit mea de eis quoties cogitat, donec tandem post hanc uitam ingrediar templū, & sanctum sanctorū. Cor meum & caro mea laudabunt deum uiuum, intus & foris implebor iucunditate bonitatis suæ ad omnes fideles, & confitebor domino misericordias suas.

3 Etenim passer inuenit sibi domū: & turtur nidū sibi, ubi ponat pullos suos, altaria tua dñe uirtutum: rex meus & deus meus.

En passeres & hyrundines, quæ crebro quod subinde nidi earum deturbentur emigrant, inueniunt tandem ubi pullos suos reponant, ne pariter pateant accipitris crudeli uoracitati, sed cum suis pullis sine anguſtia requiescant & persistāt. Sed ô quàm incōparabiliter amabiliora mihi sunt loca laudis & fidei, exercituumq; tibi acceptarum ceremoniarū, & fidutia promissorū, ô rex meus & deus meus, qui prouidentia tua me regis, ut bene uiuam, & in quem solum confido, credo & spero.

4 Beati qui habitant in domo tua (domine) in sęcula sęculorum laudabunt te. Sela.

Ex tam flagranti desiderio ueniendi ad locum dei, felices pronuntiat eos quibus datum est in domo dñi perpetuam habere mansionem, & id ideo quod semper laudare deum ualeant, quod summam censet esse felicitatem, ut reuera est: non quidem in corporali illo loco dudum mandato domini polluto per uirum indutum lineis, & atramentariū habente ad cingulū, ut est apud Ezechielem, sed in fide uera confirmata conscientia de præsentia & gratia dei, de redemptione per Christū facienda & perfecta, & in futura quoq; in cœlestibus gloria, ubi sine fine gratias agere hic incipientes, ibi æternum laudabunt te. Vnde & non indigne hoc quoque loco Sela adiungitur.

5 Beatus uir cuius est auxiliū abs te: ascensiones in corde suo

Tabernacula dei.

Clarius explicat typum tabernaculorum domini & felicitatis sanctorum. Iste homo plane beatus est, & optime habet, feliciterq; in nido suo requiescit, qui nullo fidit nisi deo suo, cuius fortitudo alia non est nec creditur præter quàm dei. Semitæ enim dei sunt in corde taliū hominum, & itinera contemplationis sanctæ, quibus diuertuntur à spiritu dei pij homines, ne excidant in errores proprij sensus uel præsumptionis. Tales intellexit ascensiones, & legisse cernitur מסלות pro מעלות quod hodie legitur à Hebræis.

5 disposuit, in ualle lachrymarum in loco quem posuit. Etenim benedictionem dabit legislator,

Distinctio hæc uersuum difficultatē facit, & priscus עברי legisse uidetur pro עברי legi posset. Vt sit sensus clarus, continuando sensui præcedenti, qui sic semitas suas disponūt in corde suo ut transeant per uallem fletus, id est, semper ad anteriora tendentes, minime desides, nec præsentibus contenti, nō amant hunc mundū cuius incolatum potius plangunt, ut sit ipsis totus mundus nil nisi uallis lachrymarū. Fontem statuent uel ponent sibi has lachrymas, quo dulci deuotione spiritus interim consolātur, bonorū diuinorū memores post hæc nunc tristia olim capessenda. Priscus legit מעין locum sane refugij. Non enim consolatio eis alia certior, q̄ posse lachrymas ex corde effundere pro incolatu huius mundi, & desyderio cœlestis & tabernaculorū dñi. Etenim benedictiones dabit legislator (sic absq; his punctis ueteres legerunt) uel amicietur. Christus enim tota lege & prophetis promissus doctor & legislator, uidebitur amictus trabea carnis sanctißimæ. Sapientia illa patris unicus filius descendet ad nos cum maximis donis suis sapientiæ & salutis. Iudæi, Piscinas uel etiā cisternas amictet pluuia: quod quomodo accommodetur, illi uideant.

6 ibunt de uirtute in uirtutem: uidebitur deus deorum in Sion.

Exprimit alacritatē magis. Ibunt, inquit, de fortitudine ad fortitudinē, de uirtute in uirtutē proficient studijs sanctis fideles & deū amātes, uerboq; illius credētes, et seipsis cōtinuo robustiores fiūt. Videbitur deus deorū in Zion: quod Iudæi punctis mutatis dicūt ad deū. Doctor ille & legislator uerus, à quo benedictionibus induentur, uidebitur in Zion. Verborū dei fidelißimus explanator apparebit, primū quidē in Zion, deinde exibit lex de Ierusalem, & regnum fidelium inde toti orbi innotescet, ut regnum cœlorum futurum sit inter homines.

7 Domine deus uirtutū exaudi orationem meam: auribus percipe deus Iacob. Sela.

O dñe deus exercituū, non solū ardens meū desyderiū aspice, sed etiam uerba orantis expende. Auribus percipe uota mea, de glorioſis tabernaculis tuis frequentandis à tuis fidelibus, quæ unice cupiunt assequi, ut scilicet aduenīat regnū tuū, ut legislator adferat simul cū lege benedictiones suas, ut doceat electos de uolūtate dñi, ut irriget uerbo uitæ omnē terrā, et cisternas impleat dum dum dißipatas. Nō sine causa hic quoq; Sela inuenitur.

9 Protector noster aspice deus, & respice in fa

in faciem Christi tui:

Tota fiducia mea ex te pendet, ueluti sub scuto defensi, si tamen aspicere me fueris dignatus, ô deus meus, succurre, quandoquidem ex te solo pendemus, & intuere clementer faciem Christi tui, non nostris, sed illius meritis & gratia, qui solus est secundum cor tuum, eius respectu confidimus, qui saluator est omnium sanctorum ueteris & noui testamenti. Pro se quoq; rex Dauid hæc dixisse uidetur, sicut & Christus pro ecclesia & pro sciipso, cuius mẽbra fideles sunt, orare consueuit, patria affectus in cœlis, & flens cruci affixus inter Iudæos.

10 Quia melior est dies una in atrijs tuis super millia. Elegi abiectus esse in domo dei mei, magis quàm habitare in tabernaculis peccatorum.

In his atrijs tuis cordibus fidelium in præsenti, & studijs gratificandi domino, maius est gaudium, quod scilicet tu tuis concedis, super mille. Incomparabiliter excedit omne gaudium mundanum domino adhærere, illius circa se & omnia prouidentiam considerare, in conscientia colloqui cum patre & clementissimo domino, audire uerbum domini, quod circa templũ docebatur, prophetas consulere, & de dei iugiter beneplacito erudiri: ideo addit, Elegi, id est, impensius cupio habitare in regno dei, in cœtu sanctorum, inter filios prophetarũ, imò Christi apostolicos discipulos, quàm habitare in tabernaculis impiorum, affluere diuitijs, honoribus, sanitate, & gaudijs huius mundi.

11 Quia misericordiam & ueritatem diligit (sol & scutum dominus) deus: gratiã & gloriam dabit dominus. Non priuabit bonis eos qui ambulant in innocentia:

Quod hic Iudæi legunt, Quia sol & clypeus dominus deus: qd' exponunt, Deus ipse semper infundit uitæ lucem, & depellit cuncta mala. Hoc priscus ad sensum respiciens pie trãstulit, Quia misericordiã & ueritatem diligit deus. Nisi fortassis aliter tunc legerit, חסר ראמן אהב אלהים qd' satis ꝓbabiliter et ad formas literarũ affiniter diuinari posit: unde et ueterẽ lectionẽ temere mutare non potuimus. Sequitur autem, Gratiam & gloriam dabit dominus. Remissionem peccatorũ, & gloriam adoptionis filiorum dei sancti à domino obtinebunt. Eam sanctis dominus gratiam largitur, ut & bonis amabiles sint atq; gratiosi, datq; dignitatẽ sanctimoniæ & felicitatis sempiternæ, & nihil omnium bonorum abesse suis patitur, ijs scilicet, q innocẽter uixerint.

12 domine uirtutum, beatus homo qui sperat in te.

Exclamatione pia & ardenti claudit Psalmum, ex consideratione bonitatis diuinæ, & spirituali iucunditate animi gestientis inuitare semper plurimos ad studiũ dei. Quasi dicere uelit, Beatus homo qui sperat in te, solus ille habitabit in tabernaculo tuo, qui in te sperat, qui te nititur, qui tibi tuam maxime fauet & cupit gloriam et pendet totus ex tua gratia.

PSALMVS LXXXV.

In finem filijs Core Psalmus,

ARGVMENT. Explicatur desideriũ piorũ multa patiẽtium ab impijs, ut ueniat citius regnum Christi, & fidelium felicitas increscat etiam in hoc mundo.

1 BEnedixisti domine terrã tuam: auertisti captiuitatem Iacob.

Omnes electi & fideles spirituq; diuino donati, sunt uerus Israel, & filij Abrahæ & Iacob, horum ecclesia terra domini est, hæreditas ac peculiũ, his præuiderunt prophetæ Christum seruatorem à patre donandum, & cum eo omnia. Iure igitur canunt, Benedixisti, hoc est, gratia & fauore tuo beneficia contulisti gratis tuis ubiq; terrarũ fidelibus: hoc est, benedictione illa Abrahæ & Iudæ promissa repleuisti terram omnem: tota enim tua est & fidelium, ubi credentes tibi habitare contigerit. Auertisti captiuitatẽ Iacob, cepisti captiuitatem, fideles eripuisti, omnes peccato obstrictos eripuisti, ut nolentes ad malũ adigi non possint. Id quod Paulus ex electis optimis de se queritur ad Romanos. Terra domini.

2 Remisisti iniquitatem plebis tuæ: operuisti omnia peccata eorum. Sela.

Condonasti iniquitatem populi tui: quæ tum uere condonata est, dum nõ dominatur amplius nobis. Cumq; idẽ Christus dominus nos patri planè reconciliat, gratosq; efficit, uerè tegit peccata nostra, ne unquam ille ad uindicandum ea uideat: unde & hoc subijci conueniebat, Obteges uel operuisti omnia peccata eorũ, utiq; cum filio tuo dño Iesu plene gratia induendos uestieris. Quæ dei in nos dignatio nunquam satis expendi potest, ideo adscribitur Sela. Condonare peccata.

3 Mitigasti omnem iram tuam: auertisti ab ira indignationis tuæ.

Hæc prædicta cum perfecta in nobis fuerint, nihil erga nos quàm fauor & dilectio dei sentietur. Interim tamen implebitur uaticinium de colligẽda, id est finienda, æstuanti indignatione dei, ne nimium ferueat, quod factum est, & tũc futurũ creditũ per Christũ missum propitiationẽ omniũ fideliũ, & intercessorẽ totius mundi.

4 Conuerte nos deus salutaris noster: & auerte iram tuam à nobis.

Hactenus uaticinium, nunc precatio. Nihil est enim aliud nostri restitutio, & iræ dei in nos dissolutio, q̃ conuersio dei ad nos. Orat igitur in primis, ut sua gratia dominus ad nos cõuertatur, alioqui à malis nostris nos conuerti non possumus. Dissolue quoque iracundiam quam nobiscum contraxisti, chirographum in decretis, & iudicium damnationis, quod incidimus ex peccato originali primorum parentum.

5 Nunquid in æternũ irascêris nobis? aut extendes iram tuam à generatione in generationem?

Nónne tu deus, cui proprium est misereri & parcere, iudicio tuo quamlibet iusto, sic perpetuo sæuies, & non simul gratiam effundes nostri miserendo? Num non simul gratiam effundes nostri miserendo? Num non sines te reconciliari, & per legem sic terrebis & damnabis, ut gratiam tuam sperare non liceat? Non sic erit, sed propensior eris, ut semper fuisti ad miserendum, quàm Misericordia dei.

nos simus ad deprecandũ offensam. Occurris enim filio prodigo, & non cunctaris humiliatis conciliari, tantum abest ut perpetuo trasci cuicunq; decreueris, nisi ei qui ut tibi fidere nõ uult, sic uitã emẽdare semper contẽnit.

6 Deus tu conuersus uiuificabis nos: & plebs tua lætabitur in te.

Vt sumus destituti gratia tua morti traditi, & desperabundi de salute propter conscientiam criminũ, qua iugiter terremur: sic tua conuersione ad nos uiuificabimur, te uitam spiritus per Christi mysteriũ reddente in animabus nostris uiuificabimur. Et qui sic fauore tuo donantur, sic plebs tua erunt, ut in te solo, non in suis iustitijs gloriantes, non nisi per gratiam Christi saluari confident, & in fide tibi placere per opera obedientiæ & charitatis, quæ cum hilaritate et spiritu libertatis fiunt, non ex seruitutis & timoris spiritu.

7 Ostende nobis domine misericordiam tuam, & salutare tuum da nobis.

Gratia dei. Repressa ui prauitatis genuinæ, & accenso in nobis amore iustitiæ, studioq; complacẽdi deo, per opera quæ illi placere scimus ex fide, ucre dei beneuolentia fruimur, salui sumus uita sempiterna & beata donandi, per Christum promissum patribus, salutare tuum ad omnes gentes. Quod ut illi futurũ credebant ad salutem, sic nos præteritum cõfitemur & gratias agimus. Vsq; huc præcatio est, sequitur uaticinium & descriptio felicitatis, quæ regnante Christo ubiq; futura est.

8 Audiam quid loquatur (in me) dñs deus: quoniam loquetur pacem in plebẽ suam, & super sanctos suos, & in eos qui conuertuntur ad cor.

Audire loquentẽ dominum. Accommodare se studet ad oraculum, audiendo quid dominus locuturus sit ad suum populũ, id est, de suo populo pacem, nempe, nunc feliciter res populi sui habituras: id enim pax significat. Bonos uel sanctos eosdem uocant, quia in beneficentia & probitate præcipue exercentur, qua alijs deos se præstant adiuuando, & renouant imaginẽ dei, quam in nobis Christus restituit. Porrò hæc populi electi iustitia uel felicitas in eo maxime est, q, spiritu dei donatus, recta et salutaria sequitur, secum reputat in quo dño deo suo complacere possit, & qd illi obligetur, quo officio illius bonitati seruiat. Hoc est conuerti homines ad cor, de uno necessario solicitum esse, non distrahi erga plurima, nec instabiliter nunc bonum sectari, nũc aliter quod est stultitia. Iudæi legunt, Et non reuertẽtur ad iustitiã. Priscus uidetur legisse aliter, scilicet el pro al, & לב סלח pro eo quod hodie Iudæi legunt לבסלה, ne putemus ignorantiam uctusti interpretis uel dormitantiã: desyderamus potius antiquariorum diligentiam, & Iudæorum fidem, qui ante Christi aduentum minus studiosi fuisse uidentur, & post Christũ circa Psalmos, q̃ uel ipsi circa suas Thalmudicas cantilenas, uel Christus cũ suis apostolis, te apostolici uiri primitiui in ecclesia, apud quos maximam fuisse curam circa Psalmos indicant scripta apostolorum & Lucæ.

9 Veruntamen prope timentes eũ salutare ipsius: ut inhabitet gloria in terra nostra.

In Christo deus habitat corporaliter, & adeo prope nobis adiunxit seipsum, ut nos de carne & ossibus suis esse uoluerit, ut in medio sit omnium, qui in nomine eius conueniunt, ut deniq; uiuat, loquatur & agat omnia in his qui sibi credunt, quippe qui cum patre perpetuam apud illos habeat mansionem. Hanc ergo beatã dei præsentiam uocat gloriam, quam præuidit propheta habitu ros in terra populos sanctos in ecclesia dei. Confitentur Gloria hic Iudæi gloriam multo minorem fuisse in templo se templi. cundo, siquidem illi defuerit arca & propitiatoriũ, Cherub, ignis cœlestis, diuinitas, spiritus sanctus, urna & thũmim. Sed his omnibus glorioſior erat aduentus Christi, Euangelium, miracula diuina, & excessus amoris diuini peractus in cruce, de quibus in Haggæo.

10 Misericordia & ueritas obuiauerunt (sibi) iustitia & pax osculatæ sunt.

Constanter transtulit priscus, Misericordiam & ueritatem: ubi hodie reddunt pij & eruditi interpretes, Bonitatem & ueritatem. Conueniunt et mutuum sese promouent misericordia, qua deus gratis subuenit miseris, & ueritas qua cõplet promissa. Iustitia & pax osculantur se, dum fides in deum & tranquillitas conscientiæ diuino munere conuenerunt.

11 Veritas de terra orta est & iustitia de cœlo prospexit.

Veritas de terra tunc pullulat, quando in fide omnia dicuntur & fiunt, quod docet Euangelium, Christus imperat, & lex dei, ut sermo sit, Est est, Non non. Et error gentilium diluatur de sub terra, de multitudine deorum & rituũ. Iustitia autẽ de cœlis manat, Christus omnium electorum iustitia declaratur, & nõ nisi dei dono acquiritur. Sed ubi hæc misericordia, ueritas, iustitia & pax obtinuerit apud homines, ibi tam cœlum influit rerum omnium suppetentiam, quàm terra progerminat affatim fructus suos.

12 Etenim dominus dabit benignitatem: & terra nostra dabit fructum suum.

Per similitudinem loquitur acceptam à copia frugum, quæ feliciter & copiose proueniunt, ubi soli fœcunditati respondet cœli benignitas. Canit ergo terram nihil niti nisi ueritatem germinaturam, & cœlos nihil nisi iustitiam depluituros: hoc est, omnia plena fore iustitiæ & ueritatis studioſis. Sed & de cœlo prouenit pijs, ut iusti et boni fiant, utq; terra cordis nostri bonis cogitatibus & operibus abundet.

13 Iustitia ante eum ambulabit: & ponet in uia gressus suos.

Vbique magna eorum erit copia, qui iustitiæ feliciter studebunt, illi ceu coram deo ipso fauente & successum suppeditante feliciter agent, & alacriter in uia iustitiæ & pietatis promouebunt. In his autem omnibus fides, iustitia, bonitas, pax ferè idem sunt, & perpetuo sese comitantur. Qui enim ex fide cum proximo egerit, iuste & benigne aget, pacemq; colet: ita qui ex iustitia, bonitate, & studio pacis aget, habebit & reliqua.

PSALMVS LXXXVI.

Oratio ipsi Dauid. ARGV.

ARGVMENTVM. Oratio est communis, pro innocentia & tranquillitate, cum gratiarumactione.

1 INclina domine aurem tuã (&) exaudi me: quoniã inops et pauper sum ego.

Eadem ora re Græci.

Necesse est sæpe eadem orare eum, qui sine intermissione, in se uel alijs amicis affligitur, & sic orare semper iubetur, imò cogitur. Ad hoc enim aliquã do dominus non statim exaudit, ut ardentius oretur. Sæpe ergo Dauid orat exaudiri, aurem domini præberi sibi, dei clementiam experiri, ut innocenter, pie & felici ter uiuere liceat spe firma in dominum, maxime cum se agnoscat egenum & pauperẽ. Non enim uere orat, qui necessaria sibi non cogitat, nec nouit quibus bonis careat. Respondere quoque dominum oranti, est exaudire ac præstare postulata.

2 Custodi animam meam, quoniam sanctus sum: saluũ fac seruum tuũ deus meus sperantem in te.

Non ego meipsum seruare quocunque modo possum, sed in nutu tuo sunt omnes sortes meæ, ideo à te peto qui uis & potes, ut custodias à malis animæ & corporis uitam meam, totus enim tibi deuotus sum, ad te cõfugio solum, ex tua tantum facilitate & clementia pendeo. Cuius uoluntati implendæ studeo, & per bona quæ facio etiam hostibus meis, & mala quæ uicissim æquanimiter fero, soli tibi probari cupio, quod est esse sanctũ, de quo sibi probus conscius esse potest, uel de cõtrario, nõ ignorare si se recolligat, ut sancti solent. Seruus tuus quum sim, non aliunde peto salutem quàm à domino, à creatore figmentum, & patre filius: non seruili animo, sed filiali, quia confido in te, eo solo nomine tibi commendandus, qui saluas confidentes de te.

Beatitudo dei.

3 Miserere mei domine, quoniam ad te clamaui tota die:

Quandiu durat tentatio, tandiu non cessandũ ab oratione. Perseuerantia necessaria est in omni bono opere sic & in oratione. Misericordia hominibus oranda est, non merces operum, & digna repensio, non ut in Euangelio phariseus, sed ut publicanus, qui fuerat & pœnitentiam conceperat humiliatus, unde & non audebat leuare in cœlũ oculos, peccatorũ ueniam tantũ orabat,

4 lætifica animam serui tui, quoniam ad te domine animam meam leuaui.

Anxius in oratione, & malis circumuentus serio orat per spiritũ dei perturbata conscientia, quam consolari precatur, si de remissione peccati & gratia redintegrata dei certior redditur: hoc autem non contingit nisi per fidem in Christum promissum uel exhibitũ. Vt enim semper sæua præsumit perturbata conscientia: sic iuge conuiuium est syncera per fidem in deum fidutia. Animam meam leuaui, hoc est, ex corde clamo, non tantum uerbo & ficte, ad horam uel remisse.

5 Quoniam tu domine suauis, & mitis, & multæ misericordiæ omnibus inuocantibus te.

Deus natura bonus, hoc est, propensus ad præuenien-

dum beneficijs indigentes, & humiliter orantes, facilis quoq; ad condonanda peccata, quod est esse propitium & amplissima bonitate, ut modis omnibus adiuuet inuocantes, maxime ex infirmitate peccantes uel ignorãtia, & resipiscentes admonitione dei uerbi & gratia excitatos & conuersos ad dominũ. Magnam igitur bonitati diuinæ iniuriam inferunt, qui eum faciunt horrendũ iudicem & inexorabilem tyrannũ, ad cuius conspectum procedere non audeãt, sine homine diuo aliquo intercedente, cũ sit & dicatur suauis et mitis, multæ misericordiæ oĩbus inuocantibus, quãlibet magnis peccatoribus.

Deus facile condonat.

6 Auribus percipe domine orationẽ meã: & intende uoci deprecationis meæ.

Corroborata ergo fide & fidutia cum charitate in deum ex præcedenti oratione, nunc iterum orat suã exaudiri precem, nunc ut antea semper consueuit, benigniter itaq; exaudiri cupit uota cordis sui supplicis, ut intendat dominus in uocem deprecationis, quæ ex feruore spiritus angustia impellente syncere effunditur.

7 In die tribulationis meæ clamaui ad te: quia exaudisti me.

Tempore angustiæ meæ, quum omnia mihi contraria eueniũt, & hostes ingruunt undiq;, ut exitus nullus spe retur uirtute uel prudentia humana, nihil aliud quæro uel inuoco, præter te deum meum, ad nullius alterius auxiliũ confugio, certus te mihi responsurũ esse, & exauditurum preces, & de angustia redempturũ. Non patieris te à me inaniter inuocari iuxta ueritatẽ promissorũ, & pro clementia tua paterna ad eos qui se tibi credunt.

8 Non est similis tui in dijs domine: & non est secundum opera tua.

In nullo alio confidendũ, omnes gentium dij dæmones sunt, & tibi prorsus dissimiles. Nemo inter quãtumlibet potẽtes & magnificos, tam angelos q̃ homines, qui nuncupatiue dij dicuntur, dño cõferendus est: nemo talia uel ipse facinora ædit: nemo dare potest ut tu solus uitam, iustitiam, beatitudinem, sanitatẽ, sapientiã & remissionẽ peccatorũ, nisi tu solus omnipotens. Magnifici multi dicuntur, sed sine te nihil possunt. Dij multi sunt, & dñi multi, tu uero solus es, subsistis & operaris, quæ uis, à teipso, & omnibus alijs das esse et operari, subsistere et perficere. Imperfecta sunt omnium creaturarum opera, deus est cuius perfecta sunt omnia opera iusta et sancta.

In solo deo fidutia.

9 Omnes gentes quascunq; fecisti uenient, & adorabunt coram te domine: & glorificabunt nomen tuum:

Omnium creaturarum unicus author, præcipue autem humani generis clementissimus pater & patronus, nullã despicit gentẽ, uel repellit à sua gratia, sed quoscunq; creauit hos & uocauit. Venientq; gentes conuertendæ ad prædicationem euangelij, regnũ dei & Christi amplificaturæ, & adorabũt coram te domine, agnoscent corde, uerbo et ceremonijs te solũ creatorẽ suum, omnis boni authorem, & totius mundi gubernatorem unicum, omnia scientem ac potentem.

Conuersio gentium.

10 Quoniam magnus es tu, & faciens mirabilia, tu es deus solus.

Magnus es tu & omnium maximus, creator scilicet omnium. Et mirabilia faciens, naturam pro uoto mutare potens, ut dominus naturæ & creaturarum omnium, quas habet in sua potestate, & quæ sunt obedientes dicto per omnia, ut qcquid de illis uelit fiat ac possit. Hoc est autem esse deum solum, quem & omnes populi adorabũt uno humero, relictis omnibus idolis digne culturi.

11 Deduc me domine in uia tua, (&) ingrediar in ueritate tua: lætetur cor meum ut timeat nomen tuum.

Summa orationum fidelibus.

Summa hæc est precationis fideliũ, quam impij & hypocritæ ex animo facere nõ possunt: Doce me dñe uiam tuam, tua inspiratione intelligam & uelim quicquid tibi placet & præcepisti: ambulem in ueritate tua, proficiam ex uerbo ueritatis tuæ, ne errem per falsitates humanorũ commentorũ. Lætetur cor meum ut timeat nomen tuum, sic priscus transtulit non sine eruditione & spiritu. חדא enim gaudere etiã significat Syra lingua, quam non raro prophetæ miscent Hebraicæ. Quasi dicere uolens: Vnicũ gaudium meum in hoc mundo sit, et maximum uel principale, timere nomen tuum, uenerari, colore, amare & toto affectu gaudere de sanctificatione diuini nominis & maiestatis. Iudæi non dissono sensu interpretãtur, Vnias cor meũ, hoc est, omnes affectus meos distractos circa uarias creaturas, tu colligas in unũ necessariũ, quod est sic timere & uenerari nomẽ tuum ut nunquam libeat iactare suum.

12 Confitebor tibi domine deus meus in toto corde meo, & glorificabo nomen tuum in æternum.

Confitebor, id est, celebrabo te solum dñm deum meũ, in toto corde meo sanctificabo, non uerbis tantum & ficta deuotione, uel ceremonijs sine affectu, sed deuotissima fide & mente. Nihil enim uere credens prius in uotis habet, quàm sanctificare nomen domini, non solum in patria cœlesti, sed quoad in hoc mundo uiuere datur, omnia agantur et dicantur in gloriam dei, secundũ ipsius uerbum & legem. Ne quid unquam respiciatur etiam in sanctis operibus, nisi unius dei beneplacitum: hoc fit per uitam solide innocentem, iustam & beatam, unde & uera laus dei gignitur.

13 Quia misericordia tua magna est super me: & eruisti animã meã ex inferno inferiori.

Misericordia pro beneficentia.

Misericordiam hic translator semper intelligit beneficere indigentibus, quod nos probitatem, beneficentiam, bonitatẽ & sanctitatẽ dicere possumus: nihil enim sanctius & genio dei similius est, q̃ benefacere omnibus: unde & hic dicit, Obruisti me miserũ & indignũ hominẽ multis & magnis beneficijs. Immẽsa est bonitas tua, quã amplissime experitur anima mea, dum se liberatã illa ex inferno gloriatur: ex inferno, inquit, inferiori: hoc est de extremis, ultimis et maximis periculis, tã mortis corporalis q̃ peccatorũ mortaliũ reatibus, exdesperatissima cõscientia peccatorũ, quã tũ gratia tua et fide cõsolatus es.

14 Deus iniqui insurrexerũt super me, & synagoga potentiũ quæsierunt animã meã: & non proposuerunt te in conspectu suo.

Queritur de aduersarijs, quos ut solet accusat extremæ & deploratæ malitiæ. Nã nullos habebat hostes præterquàm impios, quippe qui innocẽtissime uiuere cupiebat, et benefacere omnibus, etiam hostibus. Superbi sunt omnes impij & arrogantes, qui potius coli uolunt et reuereri quàm deum quem contemnunt. Et cœtus uiolentorum, potentia sua sola non iure omnia agentiũ, inquisierunt & persequuti sunt animam meam, filij huius sæculi, oppressores piorum & grassatores, uiolenti in populum dei, simplicibus minati sunt aliquoties mortẽ, & intentarunt, non alia ratione quàm ueræ pietatis odio. Et non proposuerunt te deum in conspectu suo, non timuerunt iudicia tua, non reueriti sunt, sed potius blasphemauerunt. Superbi impij.

15 Et tu dñe deus miserator & misericors, patiens & multæ misericordiæ & uerax,

Idem quod prius eructat, quod & ardentius impellit animum uere deuotũ, cui non sufficit semel dixisse, quod maxime persuasum cupit. Tu, inquit, dominus deus es solus, unicus & uerus, qui creasti omnia & gubernas, misericorditer remittis delicta, gratiam donans ac beneficia indigentibus, longanimis, patiens & differens iram ac uindictam: si quid non rectum egerimus & peccauerimus, non statim per iram iudicas, sed pœnitentiam, id est, uitæ melioris institutũ, & dolorem de peccatis exactis expectans diu. Multæ enim benignitatis es & ueritatis: procliuis ad remittendas culpas, uerax quoque ad complendum promissa credentibus.

16 Respice in me, & miserere mei, da imperiũ tuum puero tuo: & saluum fac filiũ ancillæ tuæ.

Faciem tuã uerte ad me, præueniente me gratia tua uisita & miserere mei, libera à malis mentis & corporis, præsentibus et futuris. Da imperium et robur seruo tuo, imbecillis enim sum ad seruitium tuum, repugnante carne spiritui mentis, institutũq; pium remorante & impediente: tu ergo da fortitudinem tuam, da quod iubes, & iube quod uis. Et saluum fac filium ancillæ tuæ. Iterum se seruum dei prædicat, & filium ancillæ dei, quod seruitutem auget: non sunt enim filij seruorum seruilis conditionis, sed ancillarum, quod uentrem partus sequitur. Et fideles omnes qui membra sunt Christi, ecclesiæ quoque filij sunt, sponsæ Christi & famulæ.

17 Fac mecum signũ in bonũ, ut uideãt qui oderunt me, & confundãtur: quoniam tu domine adiuuisti me, & consolatus es me.

Quia insigniter miser fuerat, insignem quoq; sibi & raram bonitatem orat præstari, id quod & sane exoratum uidit, quasi ab ipsis inferis in regni solium ingenti cum gloria euectus. Signum enim & non uulgare portentum fuit, ut rex tam potens postea feliciter regnaret, qui nullum in tota terra Israel, ne in obscurissimis quidem desertis locum habere poterat latitandi. Maius autem portentum est, nunc à dextris dei regnare Christum dñm super omnia, qui desertus ab omnibus, ut uidebatur, atque tandem hostis dei moriebatur in cruce. Ita ingens quoque miraculum est, quòd homines peccatores & uirtutum auer Signum id figne.

uersatores & fidei persecutores, demum assumuntur per gratiam emendati ad regnũ cœlorum. Velint id uel nolint omnes fideliũ & fidei hostes, quibus suo malo innotescet iustitia & ueritas dei, auxiliumq; pijs impendendum, contra eorum uiolentiam & malignitatem. Et consolatus es me, non tantum à malis liberando, sed bonis omnibus affluenter cumulando.

PSALMVS LXXXVII.

Filijs Core Psalmus cantici.

ARGVMENT. Canticum est nouæ Hierosolymæ, id est, ecclesiæ fidelium electorum.

1 FVndamẽta eiꝰ in mõtibꝰ sãctis: Ecclesia sanctorũ cuius typus olim erat Ierusalem, urbs cultorũ dei unius, cœpit à monte Sion, unde exiuit lex domini, et uerbum domini de Ierusalẽ, indeq; per orbem diffusa est. Ac ideo canitur in sanctis montibus fundata, monte scilicet Sion, Moria, & Oliuarũ, qui imminent urbi. Vno autem monte Christo ecclesia nititur, cuius uaria dona eleuant sanctos & ecclesiam, redduntq; spectabilem toto orbi, alliciuntq; gentes multas, ut illuc ascendant, ut illic contemplentur magnalia dei quæ fecit cum electis, & audiant uocem ueri pastoris, post quem ingrediantur & exeant ut pascua inueniant.

2 diligit dominus portas Sion super omnia tabernacula Iacob.

Cum homini nihil possit deus donare sui cognitione præstabilius, qua constat uita æterna, & hæc Hierosolymis primùm cumulatissime sanctis donata est, ac inde in totũ mundum deriuata: recte canit propheta, amatas domino huius urbis portas, id est, ipsam urbẽ Ierusalem præ cunctis habitationibus totius terræ promissæ semini Iacob. Hanc unã siquidẽ ad hoc delegit, ut in ea regnũ cœlorum institueret, atq; ex ea ad cunctas nationes proferretur credenda & sentienda gratia dei patris, per Christum ibidem excessum charitatis peragentẽ, cum summa humilitate & patientia, quibus mundus triũphatur & uincitur, fideles per Christum regnant & glorificantur.

3 Gloriosa dicta sunt de te, ciuitas dei.

Gloriosa & præclara dicta sunt de te. Elegantius & clarius dicitur, quàm quod Iudæi, Gloriosa dictum est in te, ciuitas dei. Quid enim potuit æque gloriosum et præclarum dici, sicut uenturũ suo tempore Messiam, qui in se credentes, & regno suo sese subdentes, à peccatis omnibus liberaret, planeq; solida iustitia et perfecta immortalitate donaret? Nisi quis exactius ad literam Gloriosissima illa intelligat, summam omnium magnalium diuinorum & sacræ scripturæ, dictam esse in te, id est in Hierosolyma, in ecclesia, quæ est ciuitas dei uiuentis, cœlestis & aurea, ex uiuis & electis lapidibus ædificata, quadratis & politis tunsionibus et pressuris. Ideo Sela additur, nota eximij mysterij, à Iudæis nimium tarde intelligẽdi, quod iam toti orbi persuasissimum decantatur.

4 Memor ero Raab et Babylonis scientium me. Ecce alienigenæ, & Tyrus, & populus Aethiopum: hi fuerũt illic (hoc natum est ibi.) Computabo & per gratiã recordabor cum fidelibus, qui nunc olim et semper inter electos meos habentur, & ad ecclesiã Sion pertinent, domino grati & electi, nõ solum Iudæos, sed & Aegyptios, qui alicubi & non semel Raab nominantur, & ipsos deniq; Babylonios & Assyrios, qui licet hactenus dei populũ oderint, & persecuti fuerint, plurimũ & perfidè, recensebũtur tamen suo tempore inter ciues Ierusalẽ huius, inter cultores domini dei exercituũ, recũbent in sinu Abrahæ, Isaac, & Iacob, ab oriente & austro uenientes ad ecclesiã Christi domini: quin ab occasu Palæstina, & ab aquilone Tyrus, & remotissimi Aethiopes, quibus ut notioribus in scriptura intelligitur tota gentiũ quàm late orbis patet uniuersitas. Oportuit enim Christi Euangelium adnunciari omni creaturæ. Omnium istarũ rerum & transmutationũ in fide causa fuit, quia Christus homo de semine Dauid secundũ prophetias patribus dictas, natus est in ea Ierusalem. In ea enim urbe declaratus est Christus rex gentiũ, primùm quidẽ magis ibidẽ sub Herodis tyrannide saluator prædicatus, & in Bethlehem monstratus, in agro fere & territorio eius urbis, in qua & à domino miraculis clarificatus est, & doctrina ibidẽ proclamatus, spiritu sancto contestatus, ubi & opus salutis perfecit, ubi et mortuus, unde post resurrectionem gloriose ascendit, et unde post spiritus sancti missionem apostoli prodierunt, seminatores uerbi uitalis in omnem terram. Raab et Tyrus.

5 Nunquid Sion dicet, Homo & homo natus est in ea: & ipse fundauit eã altissimus?

Certissime ad Zion dicetur de homine, qui ibi declarabitur orbi, prius mundo ignoratus, ueluti nunc recens nascetur in ea, id est, reuelabitur, et inuulgabitur de Siõ, de Hierosolyma, et de ecclesia Christi ibi cœpta. Vir, in quam, & uir maximus, natus est in ea. Vel si ad phrasim Hebraicã, Multi post eum uiri, singuli et admodũ plures nati erũt in ea. Necesse est enim quẽlibet in ea nasci per spiritũ sanctum, qui pertineat ad istam ecclesiã, hoc est, renasci in Christũ, ut sit membrum ecclesiasticũ, & ciuis regni cœlorũ & dei: si scilicet exuta uetustate ueteris Adam, perfidiæ, et carnalium affectuum, sanctũ Christi membrũ euadat. Ipse qui altissimus est, & author regenerationis & ecclesiæ ædificandæ, fundauit eam non aliqua humana præsumptio, ambitio, auaritia, temeritas & perfidia, uel etiam pharisaica iustitia. Christus uerbũ dei fundat ecclesiam, ipse petra est, in quã Petrus fundatur, non petra in Petrum, non Christus in Papam. Nasci in ecclesia.

6 Dominus narrabit in scripturis populorum (hoc natum est ibi.) Sela.

Per hominem ecclesiæ nasciturũ Christum Messiam et regẽ, in regno cœlorũ dominus narrabit, id est, prædicabit & diuulgabit bonitatẽ suã in orbẽ uniuersum, et redemptionem fideliũ à regno tenebrarũ, dum conscribet populos, dum ingentem exercitũ ex omnibus nationibus colliget. Vel, ut priscus retulit, Dominus narrabit in scriptura populorũ, in sacra scriptura, quæ omnibus populis proposita est, ut loquatur uerbum domini & credatur, nemo nisi dominus adorandus, & eius solius uerbum esse debet, quod omnibus credendum sit populis & enarrandum. Summa autem ueteris & noui instrumenti, Scriptura populorũ.

id est, totius scripturæ est, Christum esse natum ecclesiæ, qui ab initio mundi patriarchis annuntiatus est, & loquutus, atq; à prophetis denuntiatus, unicus scopus omnis sacræ eruditionis, & salutiferæ ueritatis & doctrinæ, pertinentis ad pietatem. Vnde & ob tantum & magnificum mysterium non sine causa Sela additur.

7 & principũ (horum qui fuerunt in ea) sicut lætantium omnium, habitatio est in te.

Subiicitur de laudibus dei, quas in Sion ob tam incomparabilis dignationis beneficium maximo studio & summo gaudio decantandas prædicunt. Constat autem hic mutatam olim lectionem, quod priscum interpretem hic tam uaria retulisse uidemus. Pro eo enim quod Hebræi nunc legunt, Iste natus ibi Sela: & sequitur, Cantores. Transtulit Græcus, Et principum horum, qui fuerunt in ea, punctis uariatis ac literis. Quod ut uidetur, rationẽ habere posset, si סלה legeretur בלה, pũcto pasuc mutato, post שרים non סרים, id est, Smol pro Iemin. Quo fit, ut difficilis sit sensus, utrãuis lectionẽ sequaris, Hebraicã quæ habet, Et cantores sicut tibijs canentes omnes modulationes in te. Vt sensus sit: Quicquid omnino laudis, quicquid gratiarũ actionis, præconij & festi excogitetur, totum id in te est, ô ecclesia, nihil enim sacratius et altius habet ecclesia agnito mysterio Christi. Vel sic, Vt in ecclesia sunt qui laudes dei canunt, sic non desunt, qui cum ingenti alacritate & gaudio ueluti tripudiantes totam uitã instituunt ad Euangelicã prædicationem. Græcorum uulgatam si sequaris is uidebitur sensus: Gaudium spiritus in conscientia fidelium & in ecclesia semper locũ habebit, quandoquidẽ propter salutẽ hominum Christũ uenisse, passum & mortuũ, mundũq; patri reconciliatũ semp credetur, et ex scripturis narrabitur, sine præiudicio omnium, qui mensuram fidei uberiorem consecuti sunt uel consequentur. Hæc à nobis scribuntur hic & alibi, ubi tam difficiles loci incidunt, ut etiam exemplariorum uarietas non sinat certa dicere, multo minus Hebræorum sententiæ, quæ & ipsæ plerunq; dissident non parum.

Gratiarum actio in ecclesia.

PSALMVS LXXXVIII.

Canticum Psalmi filijs Core in finẽ pro Mahalath ad respondendum, intellectus Eman Ezrahitæ.

Dicimus & nos quod hoc loco Dauid Kimhi scripsit. Iam, inquit, sæpe scripsimus uerba titulorum, id est, sententias, nobis hodie ignotas esse.

ARGVMENTVM. Oratio derelicti in multis et grauibus afflictionibus nondum accepta consolatione.

1 DOmine deus salutis meæ, in die clamaui & nocte coram te:

Salus unica

Salus mea unica tu es domine deus, qui solus saluare potes anxiũ et pereuntem. In nulla creatura salutem inuenio, ideoq; non tantũ interdiu ad tuam clementiã clamo uim passus, sed etiã noctu, hoc est, sine aliqua intermissione te inuoco, studio te interpellandi intentus sum iugiter. Quam tu meam anxietatem solus nosti, coram te quoq; est, id est, plane & perfectissime nota tibi est mea calamitas, qui omnia nosti.

2 Intret in conspectu tuo oratio mea: inclina aurem tuam ad precem meam.

Non potest dominus non audire preces ad se clamantium, sed nõ semper in spiritu oratur, & ut deceat exaudire dominũ: obstaculum aliquando orationi ponit amor priuatus orantis affectus indignus fideli, gloriæ dei ratio & insufficiens fides et deuotio orantis. Ideo hic oratur, ut huiusmodi impedimenta digne orandi eatemus amouentur, ut sine dilatione ingrediatur oratio in conspectu domini, ut exaudiatur citius, Ad miserabile canticum meum inclina clementes aures tuas.

3 Quia repleta est malis anima mea: & uita mea inferno appropinquauit.

Plena est magnis malis et anxietatibus perturbata conscientia mea. Morti proximus uideor, & intolerabilem esse calamitatem meam, hoc est, inferno proximũ fieri, iam in doloribus ultimis et uehementissimis quasi in portis inferi ipsum infernum contemplari mihi uideor, & iam sepulchrum apertum esse mihi.

4 Aestimatus sum cũ descendentibus in lacũ: factus sum sicut homo sine adiutorio,

Nemo existimare potuit me diutius uicturum. Desperatum est de me, quasi de ilico descensuro ad inferos, de iam morituro: assimilatus sum homini, & iam ueluti omnibus uiribus corporis destitutus: omne robur uirile à me receßit: miles factus sum imbecillis & inualidus. Conditionem & statum mortuorum his uerbis significare uult & sepulchrum.

5 inter mortuos liber. Sicut uulnerati dormiẽtes in sepulchris, quorũ nõ es memor amplius: & ipsi de manu tua repulsi sunt.

L. liberi à morte.

Morte liberantur serui à dominis suis, ut à tot terroribus, fine ac laboribus, laboribus, angoribus, periculis & timoribus finẽ assequantur: sic ego tandẽ utcunq; morte cupio liberari à tantis calamitatibus, ut sim sicut interfecti, dormientes iam in sepulchris, qui à nemine curãtur, de quibus nulla spes uitæ, qui uacant omni dolore corporis, quibus nemo ultra irasci in malum ipsorũ potest: quorum non es memor amplius, non subsunt regimini tuo, ut uiui, nec promeretur amplius, non subsunt regimini tuo, ut uiui, nec promeretur uidentiæ tuæ amplius seruiũt, nulla re temporali egent, tuam auxiliũ non amplius implorant, quiescunt enim in suæ matris utero in terra, perq; illos nihil agis ut antea, abscisi sunt à cœtu seruientium tibi, manumissi sunt absolute, ne tuis ultra legibus subdantur.

6 Posuerunt me in lacu inferiori: in tenebrosis, & in umbra mortis.

Extremis & morti proximis malis inuoluisti me, ut meis uiribus emergere nõ possim, quasi à te prorsus sim derelinquendus. In tenebrosis & profundis, in angustijs mortis & inferni desperabundum posuisti. Mendum uidetur scriptorum, quod in uulgata dicitur, Posuerũt me: quanquam & puncta idipsum significare possent, ut aliâs sæpe Kibutz: sed sensui non quadrat.

7 Super me cõfirmatus est furor tuus: & omnes fluctus tuos induxisti super me. Sela.

Videbatur sibi iram dei totam ferre, hoc est, quæcunq; mala immittere cuiquam posset, quasi nunc maxime iratus sentiat,

ſcatur, in quem ſolum ſperare uoluerat. Omnibus generibus contritionũ afflixiſti me, quaſi ſemel me uolueris totũ abſumptũ, annihilatũ atq; damnatũ, iudicio tuo horrendo & imperſcrutabili, propter quod additur Sela.

8 Longe feciſti notos meos à me: poſuerũt me abominationem ſibi. Traditus ſum, & non egrediebar:

Queritur defectionem amicorũ ſuorum à quibus conſolari et adiuuari potuerit, ſed auſugiunt oẽs, abominantur, ac ut peſtem aliquã deteſtãtur, ſic ſe deniq; retineri & arceri, ut egredi nequeat, id eſt, ita teneri morte conſtrictum, ut euadere nõ poſſit, finem tantorum malorum non uideat. Traditum ſe dicit ſcilicet in carcerẽ uel clauſum. Sic enim ſecundum tempora mutantur locutionum modi, ut qui clauſus eſt ad expectandum iudicium capitis, dicatur traditus ſcilicet ad pœnam irreuocabilem.

9 oculi mei languerunt præ inopia. Clamaui ad te Domine tota die: expandi ad te manus meas.

Præ iugi & magna calamitate languet oculus, nõ ſufficit fletui, dolet corpore, & ſpiritu contriſtatur, deſtitutus auxilio & amicis, ſed & dominũ inuocando nõ exauditur ad uotũ ſuum, etiam ſi toto die non ceſſet ab oratione et querelis. Quaſi dicat, Tantis malis afflictus, perpetuò cõfugio ad te, ſed diſſimulas ſemper: uehementer precando maſteti & manus expandi, ſed non ſuccurris.

10 Nũquid mortuis facies mirabilia: aut medici ſuſcitabũt (&) cõfitebuntur tibi? Sela.

Nũquid tardabis auxiliũ tuũ afferre tãtopere afflicto, donec moriar, ut à morte me tandẽ denuo ſuſcitandũ ſpectes mortuo et ſine ſpiritu uerbum nullũ proferre potentiẽ? Nõ enim facile ædis miracula. Nũ medici ſuſcitabunt ægrotũ, te nolente exaudire orationes? Num alteri permittes gloriã tuam? Num quæ tu negas beneficia, mihi aliunde ſperanda erunt? Sed hic non ad corporis ſalutem reſpicitendum erat, dum in conſcientia fides in dominum non deficit, nec animæ iactura timenda eſt pio, etiam ſi corpori ſint aduerſa omnia quæ in hoc mũdo uidentur: pro quo myſterio contemplando adijcitur Sela.

11 Nunquid narrabit aliquid in ſepulchro miſericordiam tuam: & ueritatem tuam in perditione?

Si diſtuleris ſuccurrere mihi ſic afflicto donec moriar & ſepeliar, num tuã tunc laudem proferre potero? num bonitatẽ et clementiã celebrabo? Certe ueritas tua periiſſe putabitur, cũ uideberis nõ mihi iam pdito ſeruaſſe bonitatẽ quã promittebas. Sæpius eadẽ ſententia replicatur more lugentium, & lamenta concinnantium. Et hæc eſt poëtica ſacra piorũ & ſacrarum literarum, quæ affectibus intẽdit magis quàm eruditioni et curioſæ elocutioni.

12 Nunquid cognoſcẽtur in tenebris mirabilia tua: & iuſtitia tua in terra obliuionis?

Num inferis & nõ potius uiuentibus amicis tuis oſtendes gratiam & gloriã uirtutis tuæ? certe glorioſius tibi erit uiuentibus in hoc ſeculo te præbere clementẽ, quàm in ſeculo nobis omnibus ignoto. Num iuſtitiam ſic differs in aliud ſæculũ, qua pberis iuſtus et clemens, ubi te nemo laudare, et attẽdere ex hominibus in hoc mũdo uiuentibus poterit? Loqtur enĩ omnino uulgato modo loquẽdi.

13 Et ego ad te domine clamaui: & mane oratio mea præueniet te.

Quanquam auxilium hactenus non tuleris, nec me exauditum intellexerim, ut ferè deſperationis ſpiritu tenter, non tamẽ deſinã te diſſimulantem inclamare. Quin tota nocte uſq; ad mane, uel ante omnes diurnas operas meas inchoandas diluculo præueniã te orationibus meis, et inquietabo requiem quaſi tuam, ut uel ob importunitatem meam, noctu adhuc ſurgere cogaris, & panẽ præbere filio non ſerpentem.

14 Vt quid domine repellis orationem meam, auertis faciem tuam à me?

Queritur preces tanta inſtantia fuſas non audiri, animamq; ſuam omnino repulſam pati, ut uideatur dominus animam abieciſſe meam, & recuſare omnino exauditionem, & nolle ſupplici morem gerere. Abſcondere faciem uidetur, cum exaudire dedignatur & auerſari auditum.

15 Pauper ſum ego, & in laboribus à iuuentute mea: exaltatus autem humiliatus ſum & conturbatus.

Tot malis continuo affligor & concutior ut animam prope expirare cogar, uelut omnibus deficiens uiribus. Et id nõ nuper cœpit, ſed à mea adoleſcentia innumeris ſemp incõmodis affectus ſum. Terrores tuos ſine aliqua conſolatione fero iamdudũ, ſine ſpe aliqua futuræ liberationis, ſemper attonitus ad imminentes caſus duriores ne incidam, unde & ad motum ſolij terreor. Talem animi conſternationem & expaueſcentiã Moſes prædixit & pulchre deſcripſit in Leuitico inter maledicta domini.

16 In me tranſierunt iræ tuæ (&) terrores tui conturbauerunt me.

Super me tranſierunt procellæ iudiciorum tuorum, & horribiliter obruerunt me, peccatorum meorum grauium commemoratio & appenſio, quibus te domunũ offendi, et iuſtitiæ tuæ iuſtiſſimus rigor omnia penè me adigunt ad deſperationem, niſi immenſitas bonitatis tuæ mihi ſuccurrat: periij niſi tu ſolus ſeruaueris.

17 Circundederunt me ſicut aqua: tota die circundederunt me ſimul.

Queritur ſe tanquam aqua ita terroribus circumcinctum et incluſum fuiſſe, hoc eſt, ſic malis adobrutum, ſic conſternatum & exagitatum dure, ut omnia circa eum terrori fuerint, ac omni momento exitiũ expectarit, nec euadere ulla ex parte potuerit.

18 Elongaſti à me amicum & proximum: & notos meos à miſeria.

Sine conſolatione querela inuſitata.

Iterum & in finem ſine aliqua conſolatione queritur, præter omnium aliorum Pſalmorũ conſuetudinem, nihil inferitur de gratia uel auxilio, nihil de ſpe & reſtituendo gaudio. Verum ſubintelligitur fides in dei bonitatem tanto magis affulſuram, quanto munus nunc appareret. Superius quoque idem quod nunc in fine dixerat, in his ſuis tantis malis nullum fuiſſe notum, nullum amicũ, qui

consolaretur, sed eos dominũ obscurasse, hoc est, ceu obtectos tenebris è cõspectu suo semouisse. Verum quanto acerbior huius Psalmi expostulatio est, & querela in angustijs de iudicio dei, tanto suauior, profusior et solidior consolatio sancti Dauidis describitur in Psalmo sequenti, ut discamus commori Christo, & resurgere cum pijs & fidere.

PSALMVS LXXXIX.

Intellectus Ethan Ezrahitæ.

ARGVMENT. Inuocatio est & consolatio misericordiæ dei, pmissæ fidelibus ex fœdere icto cum patribus, Dauide scilicet & Abrahã, nunquã uiolando pijs.

1 MIsericordias domini in æternũ cantabo. In generatione & generationem annuntiabo ueritatem tuam in ore meo.

Potestas hostium dei.

Maxima quidẽ potestas est hostium dei, spiritualiũ in primis, qui regno Christi aduersantur per omnia, & corporaliũ quoq; in hoc mundo prudentiũ secundũ carnẽ, quorũ atroci instantia, & perpetua militia cũ filijs dei, non raro imperfectiores in fide plurimũ anxiantur, et ferè usq; ad periculũ desperationis adiguntur, ut patet ex proximo præcedenti Psalmo. Veruntamen nõ definit spiritus sanctus in prophetis cõsolari suos, de immensa bonitate dei, quã sese cõmunicãdo diffundit suorũ cordibus, & testimoniũ perhibet ueritati promissorũ dei, utcunq; mundus cum suo principe furiat. Eam aũt beneficentiam ubiq; ferè interpres priscus misericordiã reddidit, ut hic dicens, Non desinã prædicare cum alacritate mentis misericordias dei multas & magnas. Generationi & generationi, hoc est, omni æuo, omnibus sæculis sibi succedentibus in ecclesia electorũ adnuntiabo ueritatẽ tuã in ore meo, ne dubitent aliquo pacto dei promissiones implendas, maxime autem eas, quas Dauidi promisit & semini eius, in Christo seruatore omnium fideliũ, uero filio Dauid, per quem electis donanda esset solida iustitia, & beata uita, tuta scilicet conscientia.

2 Quoniam dixisti, In æternum misericordia ædificabitur, in cœlis præparabitur ueritas tua in eis.

Misericordia dei ad homines æterna.

Siue tu dixeris omne bonum te nobis ostensurũ in filio, siue ego dixi, hoc est, sensi uel credidi ex tuo uerbo, idipsum certissime inuenietur misericordiã dei ad hominũ genus firmissime subsistere semper & augeri in suis fructibus, donec cœlũ durauerit, & iste mundus supercœlestis, utcunq; humanũ genus primorũ parentũ transgressione perierit, tamen gratia saluatoris restituetur. Firmissima erit & perseuerabit fides & ueritas tua, donec cœli ipsi durauerint, quæ Dauidi & Christo suo, eiusq; filijs promissa sunt olim à domino, nullius creaturæ maleuolentia retractari poterũt uel impediri. Siue ad hunc sensum, ut cœlos intelligamus gloriæ diuinæ ebuccinatores, ac Euangelij prædicatores, præparandos & dirigendos per uirtutem dei, ut ueritas fidei exterminet in toto mundo errorum falsitatem, & morum impietatem.

3 Disposui testamentum electis meis, iurau Dauid seruo meo.

Cum electis tantum meis, & seruis fidelibus, in filiorum adoptionẽ adsumendis, testamentum meum disposui & fœdus pepigi: primũ autem cum Abrahamo: deinde cũ hoc. cum Dauide & reliquis pijs multis, maxime cũ Christo Dauidis filio & typico Salomone. Quibus familiari gratia promisi de illorum semine benedictionem, qua saluandus sit mundus, qui per Adam collapsus fuerat atq; perierat. Quæ benedictio fœdus dicitur, quod inter deũ et nos per mediatorẽ Christum confirmatum est, quo iam ab initio deus fideles suos recepit in fidem suam, & nos ipsum agnoscimus nostrum deum et colimus. Disponere uerò fœdus & pangere pactum, Hebræis est inscindere uel excindere in saxo uel ære leges fœderũ, quo firmius seruarentur perpetuæ memoriæ consecratæ.

4 Vsque in æternum pręparabo semen tuum, & ædificabo in generatione & generationem sedem tuam. Sela.

Hæc de perpetuo successu & stabilitate seminis Dauidis, de Christo & Christianis intelligẽda sunt, in quibus semper dei dona augescunt, & pietas instauratur et proficit, quod est ædificari, donec sit deus oĩa in omnibus, ut Christus æternaliter regnet, et absoluat Dauidis regnũ, quod per successiones aliquandiu durauerat à typico filio Dauidis Salomone. Ad hoc autem mysterium ut mentem aduerteremus, adscriptum est Sela.

5 Cõfitebũtur cœli mirabilia tua domine etenim ueritatẽ tuam in ecclesia sanctorũ.

Cœlũ quid dicatur.

Clarissime quidẽ testatur totũ cœleste opificiũ gloriã dei, & potentiã patrandi miracula, secundum et contra naturã semel institutã, ut ea laus prima sit semper in ore dominũ deum celebrantiũ. Verũ hic sancti quoq; testes Christi et apostoli apostolicíq; uiri cœli dicũtur, illuc declinati dignissimi ciues, qui & prædicant uerbis et factis Christi mysteriũ mundo, quod in primis astra quoq; cœli Christum recens natũ de uirgine cõtestati sunt gentium primitijs orientalibus Magis & sapientibus: & in tota ecclesia sanctorũ dei Euangeliũ, ueritas scilicet diuina, prædicatum est per eosdem sanctos apostolicos cœlos.

6 Quoniam quis in nubibus æquabitur domino? similis erit deo in filijs dei?

Nulla potestas etiã cœlestis, multo minus terrena, impedire poterit regnũ Christi et adeò Dauidis: quod enim promouit dominus, id nubes & æthera impedire nequeunt. Et inter choros angelorum & potestatẽ quamcũq; nec satanæ nullus assimilabitur Christo unigenito patris, nec ab obedientia sese illius eximet quisquam, qui cõstitutus est à deo patre potestatẽ habens cœlestiũ et terrestrium, cuius mutui omnia obsequentur, & id cum gaudio & sponte, satanæ excepto qui uolens nolens cogitur agnoscere filium dei confiteri & obsequi.

7 Deus qui glorificatur in concilio sanctorum: magnus, & terribilis super omnes qui in circumitu eius sunt.

Deus est qui potentia sua contra quoscunque aduersarios glorificatur apud fideles & sanctos, qui sciunt opus prouidentiæ certissime perficiendum, nullam potestatem illi æquandam, qui super omnes est, et regit pro uolun-

uoluntate omnia, cui nullus resistere potest, sed omnes reuerentur magnitudinem eius, parati implere iussa, & gratificari ad omnem uoluntatē ipsius, quem timendum, amandum & studijs demerendum cognoscūt. Trement eum angeli & potestates omnis creaturæ, tantum abest ut contra eum aliquid possint.

8 Domine deus uirtuū, quis similis tibi? potens es dñe, & ueritas tua in circūitu tuo.

Tu igitur omnipotens dominus, cui subsunt omnia, et resistere nihil potest, exercituum supernorum et inferiorum, rex & dominus, qui solus deus es, & non fers quicquam tibi assimilari, nec absq; te deum quenquā iactari, qui superbos angelos & gloriæ tuæ affectatores tantum prostrauisti, & deiecisti in inferna, non unquā promissionum tuarū obliuiscēris, ueritas tua permanet semper, & circūuallat sedem maiestatis tuæ, ut illic falsitas et dolus nullum locū inueniant. Nihil nisi fides & beneficentia circum te est, tecū inuenitur, his circundaris, et hanc quæ te adeunt uniuersa experiuntur, his omnia replēs.

9 Tu dominaris potestati maris: motū autem fluctuum eius tu mitigas.

Potentiam & bonitatē dei iam generaliter laudatam, nunc per partes explicat, occasionē arripiens ex liberatione fidelium suorū, & deductione Israëlis ex Aegypto per mare Rubrum, & Aegyptiorū extinctione, quos ut aliàs designat per Raab superbos, quorum scilicet superbiam et arrogantiā deprimit, ueluti elationes fluctuū maris. Cuius conturbationes horribiles ut tu solus cōprimis & humilias, facisq; innoxias perambulantibus semitas maris: sic mundi huius angustias tuos euadere facis.

10 Tu humiliasti sicut uulneratū, superbū: in brachio uirtutis tuę dispersisti ĩimicos tuos.

Superbissimū illum & contumacissimū Pharaonem attriuisti & occidisti aquis maris Rubri, & oēs fidelium tuorū hostes, Aegyptios scilicet & alios cūctos, brachio fortitudinis euicisti et exterminasti. Eos enim ueluti tuos hostes tractasti, qui filios tuos persequebantur, toties admoniti miraculis potentiæ tuæ, qui ob nimiam crudelitatem occisorum tot infantium nulla uenia digni erant.

11 Tui sunt cœli & tua est terra, orbem terræ & plenitudinem eius tu fundasti:

Tu ab æterno & sine ĩitio summe bonus & potens, in ĩitio temporis creasti tempus & omnia, cœlum, terram, mare & uiuentia, potentissimo uerbo tuo et sapientia tibi coæterna et cōsubstantiali filio, ut opus manuum tuarū sint oīa quæ subsistunt. Tu præparasti et ordinasti omnē plenitudinē, hoc est, qcqd cœlorū et terræ ambitu cōtinetur, omne illud quo mūdus impletur tua est creatura, ut nō dubitemus præstare te posse quicquid ꝓmisisti.

12 aquilonē (dextram) & mare tu creasti. Thabor & Hermon in nomine tuo exultabunt

Meridiem uocat dexteram, hæc enim plaga dextera mundi censetur, sic aquilo sinistra. Nisi quis pro dextera mare cum Græco legat, quod pro occidente accipitur in scripturis: quibus subindicantur & reliquæ orbis plagæ oriens & austrum. Hermon quoq; & Thabor, Galilææ montes, dei laudem annuntiant, & gratiæ Christi initia ibidem consecrantur.

13 tuum brachium cum potentia. Firmetur manus tua (&) exaltetur dextera tua:

Munus tuum est omne robur brachij, & animositas cordis, fortitudo hominū ex te pendet solo, tu solus liberare potes et saluare, tu omnia gubernas et ordinas: ideo nunc & semper oramus quotquot fideles sumus, ut dextera tua firmetur, ac sese defensionē opponat contra aduersarios ueritatis & iustitiæ, ut glorificetur potētia tua apud ꝓtos tuos, et impios blasphematores nominis tui.

14 iustitia & iudicium præparatio sedis tuæ. Misericordia & ueritas præcedēt faciē tuā:

Aequitas ipsa locus est solij tui, in media iustitia & æquitate situm est soliū tuum, omnia ex iustitia & æquitate per te administrantur, sed & fidutia piorum in te deum, iudicium ac condemnatio suiipsius regnum tuum in nobis præparant. Misericordia qua gratis peccata donantur, & ueritas qua promissa seruantur, præparant cor pium ad habitaculum dei. Solium domini.

15 beatus populus qui scit iubilationē. Domine in lumine uultus tui ambulabunt,

Beati homines in ecclesia fidelū, qui omnia iam prædicta cum iubilo conscientiæ sentiunt, nec solū audiunt, legunt, loquuntur, sed experiuntur gaudio interno conscientiæ bonitatē et iustitiā tuam in oībus, quàm in omnibus factis tuis iustitiæ primas teneas, et oīa optime administres. Ideo felices ꝓnuntiantur hi populi, qui digne laudare dominū norūt, qui deū sibi præsentē credūt, et clangorē gloriæ suæ aduertunt. Tales enim in lumine uultus tui ambulabūt, aspirante illis fauore tuo, feliciter agent in omnibus, ut materiā laudis rerum suarū successu per gratiā tuā præstando semp sint habituri, nec naturæ uel intellectus, sed spiritus tui illustratione docibiles ꝓficiēt. Beatitudo in ecclesia.

16 & in nomine tuo exultabunt tota die, & in iustitia tua exaltabuntur.

Non sanctorū quorumcunq; meritis, sed nec proprijs suis exultabunt sancti, sed in tuo tantū nomine, & in tua iustitia nō humana hypocritica freti: tua tantum iustitia exaltabuntur, cunctis mortalibus modis omnibus supereminente, persuasis pro se deum uigilare, inq; sui defensionem iugiter excubare, cui se totos committunt. Vt igitur his nihil nocere potest, nec deesse bonū, ita iure beati pronuntiantur, de quo consequenter. Exultatio piorum.

17 Quoniā gloria uirtutis eorū tu es, et in beneplacito tuo exaltabitur cornu nostrum.

Deus tu splendor es roboris sanctorū, id est, attollis illorum uires, ut palàm sentiatur illos nō propria, sed tua manu splendide triumphare. Ex te enim pendent ipsorū animi & uires, nec alteri gloriam & gratiam referunt acceptam quàm tibi, & non in nostro arbitrio, sed in tua uoluntate & gratia stat omnis nostra potentia & laudatio. Cornu enim robur, gloriam & magnificentiam significat, quæ omnia ex nutu dei continguntur.

18 Quia domini est assumptio nostra, & sancti Israël regis nostri.

Solet deus omnia facta sua gerere digno ordine, & semper per suos idoneos ministros miracula sua exerce-

re, sicut per Mosen Aegyptios iudicauit, per Iosue multos. Sic & de Dauide canitur, quomodo deus illius fuerit clypeus, cuius benignitate & gratia Israël saluatus sit, et assumptus in tutelam rex et populus, deo credentes. Nec alteri regi tribuenda est protectio nostra quæcũq; quàm ei qui est sanctus Israël, domino scilicet deo exercituum. cui se fideles addicunt totos, cuius & spiritu aguntur.

19 Tunc locutus es in uisione sanctis tuis, & dixisti, Posui adiutorium in potente: & & exaltaui electum de plebe (mea.)

Promissio regni.

Hactenus prædicauit dei bonitatem, qua cum sanctis suis fœdus percutere dignatus est, & potentiam qua illos tutatur & beat: nunc memorat promissionem regni Dauidi et posteris factam, usq; ad quadragesimũ uersum quam memorat sacra historia 2. Reg. 7. Canit autem uaticinium Samuelis & Nathan uidentium & prophetarum, quos uocat sanctos, quibus de electione & confirmatione reuelatum est, qui bonitati & sanctimoniæ studuerunt, acti sancto spiritu, per quos immotuit fidelium regnum & consolatio, primò quidem in Dauide institu to propugnatore & doctore fidelium, qui typus Christi erat & regni cœlestis.

20 Inueni Dauid seruum meum: oleo sancto meo unxi eum.

Electio sanctorum.

Non ipse inuenit me, non præuenit precibus bonitatem meam, sicut nec aliquis piorũ promeretur gratiam, sed gratis eligitur ut sit sanctus, sed ego eum Dauidem inueni, ut mihi seruus esset, per quem Israëli succurrerem, unde assequeretur ut semper uinceret hostes fidelium. Oleo sancto meo unxi eum, inuisibili sancti spiritus gratia promoui ad omne opus bonum, uerum secundum mensuram donationis, Christum autem sine mensura, ut multis sufficeret ungendis.

21 Manus enim mea auxiliabitur ei: & brachium meum confortabit eum.

Munere meo & uirtute confortabo eum contra tot hostes suos, & in regimine iusto & sancto tanti populi, nunquam illi deerit manus mea, sed parata succurret, sine cuius auxilio nihil potest quæcunq; uirtus humana, nulla regni cuiuscũq; potentia. A domino enim pendent regum uictoriæ. Vnde & uicissim humilius sese domino submittere debeant & esse deuoti.

22 Nihil proficiet inimicus in eo: & filius iniquitatis non apponet nocere ei.

Hostes fidelium.

Nihil hostes Dauidis proficient quantumlibet dolis et uiribus contra Dauidem, non illi præualebunt, non imponent ei aliquatenus, nõ fortunabuntur contra eum impij, idipsum satis liquet impletum de insidijs Saulis & adulatorum illius, qui ipsi sublati fuerunt magis quàm ut Dauidi præualuissent, qui & iniquitatis filij non indigne dicuntur, non nisi inani gloria, inuidia, & ambitione permoti, & satanæ præstigijs, scienter innocentem et optime meritũ mansuetissimumq; populi Israëlitici propugnatorem persequendo usq; ad mortem, & exilium inter infideles & impios.

23 Et concidam à facie ipsius inimicos eius: & odientes eum, in fugam conuertam.

A nullis hostibus Dauidem superatum, sed insignibus donatum uictorijs, satis testantur sacræ literæ. Confusi sunt enim omnes & superati qui fuerant eum persecuti, Saul, Abner, Absolon, Seba filius Bochri, simul cum Ammonitis, Syris, & Philistæis, omnes odientes eũ corporali morte mulctati sunt, & sublati é medio. Quod autem dixit, In fugam conuertam, sensum secutus est, intelligens deuictos esse, cum Hebræus habeat, Plaga afficiam & percutiam.

24 Et ueritas mea & misericordia mea cum ipso: et in nomine meo exaltabit cornu eius.

Inuitis omnibus hostibus suis me sentiet tutorem & promissa seruantem, ueritatem uerbi mei prophetici, & beneficentiam uel misericordiam meam ad ipsum, quàm nihil illi nocere potuerit, facto ipso percipiet: gratia enim mea fruetur semper. Potestas & imperium ad meam gloriam, & meo munere illi concedetur in gentes potestas circumquaq;. Syri enim usq; ad Euphratem, Palæstini ad mare, Ammonitæ, Moabitæ, Edomitæ, Amalechitæ & reliquæ finitimæ gentes, eius agnoscent imperium. Hoc autem est quod subijcitur.

25 Et ponam in mari manum eius: & in fluminibus dexteram eius.

Mare quid dicatur.

Hebræis non tantum mare dicitur illud mediterraneum, quod & illis occidentale, sed & lacus & magna flumina, quale est & Euphrates. Verissime uero impleta est hæc sententia in Christo domino, cuius imperium propagatum est à mari usque ad mare, ad nouissimos habitabilis terræ angulos, & ad remotissimas insulas gentium, eidem enim & suis fidelibus obediunt omnia. Posita quoq; fuit manus Dauidis in mare, cum domuit, & tributariam reddidit Syriam & Mesopotamiam, quæ dicitur Syria fluuiorum.

26 Ipse inuocauit me, Pater meus es tu: deus meus & susceptor salutis meæ.

Istud historia sacra de Salomone memorat, sed Dauidi idem & promissum & præstitum est. Adeo enim in tantam potentiam & iustitiæ præcellentiam euectus, ut repatrem expertus est. Longe autem præcellentius de Christo filio Dauid exponitur, qui secundum humanitatem qua & de semine Dauid natus est, patrem sibi secundum diuinitatem coæqualem patrem inuocat, ut maiorem, quem & deum salutis suæ non uane inclamat.

27 Et ego primogenitum ponam illum: excelsum præ regibus terræ.

Primogenitus dicitur.

Potest quidem Dauid primogenitus regum dici, ob principatum in fratres, munus scilicet primogenituræ. Nemo autem ignorat certius de Christo homine & capite ecclesiæ suæ intelligendum, quod dicitur excelsus regibus terræ, primogenitum omnis creaturæ, & mortuorum resurgentium ad uitam beatam: constitui enim cum dominum uniuersorum, regem regum, & dominum dominantium.

28 In æternũ seruabo illi misericordiã meã: & testamentum meum fidele ipsi.

Non auferam ab eo beneficentiam meam, sicut à Saul, quem pro se et posteris abieci de regno propter peccata sua,

sua, domus autem tua, & regnum stabile erit in sempiternum coram me, & solium tuum firmum usque in sæcula. Longe gloriosius & durabilius est regnum Dauidis in Christo filio suo & domino, qui est & filius dei dilectus, in quo placatus est mundo, quem resuscitatum à mortuis assumpsit in cœlum & collocauit iuxta humanitatem ad dexteram suam, & dedit ei potestatem perpetuam in cœlum & in terram, & regnum quod non corrumpetur, & thronum qui non collabi poterit.

29 **Et ponam in sæculum sæculi semen eius: & thronum eius sicut dies cœli.**

Malo cum prisco interprete legere Semen eius, & Christum intelligere, quàm cum Iudæis Brachium eius. Quandoquidẽ ipsi non inuenientes quomodo semen Dauidis æternũ ostendant, quod dudũ cessasse fateri coguntur, hanc seminis mutationem per puncta tantum mutarunt in brachium. Continuatum reuera est semen Dauidis usq; ad Christũ, qui in æternum uiuit & regnat, cuius regnum clarissimum & uniuersale nunquam finietur. Quanquam & imperfecte de Dauide intelligi possit hæc quoq; sententia, quandoquidem legitur, Confirmabo soliũ regni eius in sæculum, sicut dies cœlorum, id est, semper duraturum, & in omne æuum.

30 **Si aũt dereliquerint filij eius legẽ meam: & in iudicijs meis non ambulauerint,**

Hoc intelligitur planè de filijs non tamũ Dauidis corporalibus, sed etiam Christi domini spiritualibus, scilicet de fidelibus & omnibus pijs hominibus, quanquam hoc loco de filijs Dauid secundũ carnem intelligi simplicius uidetur quibusdam, si per fragilitatem peccauerint fideles electi, in quascunq; leges domini, quomodocunq; appellentur, præuaricando mandata dei, & non secundũ iudicia iustitiæ iudicando.

31 **Si iustitias meas prophanauerint: & mandata mea non custodierint,**

Si ceremonias & iusta mea polluerint, transgrediẽdo eas traditiones, quas pro cultu idololatriæ uitando constituit, & præcepta decalogi principalia, & tantum sufficientia ad pietatem si legitime conseruentur, non custodierint. His aũt nominibus complectitur propheta quæcunq; deus suo populo præcepit, quæ licet uarias consignificationes sortiantur, communiter tamen pro eisdem capiuntur maxime in Psalmis.

32 **Visitabo in uirga iniquitates eorũ: & in uerberibus peccata eorum:**

Si, inquit, deliquerint contra me, uirga paternæ castigationis animaduertã in filios Dauidis: hoc est, uirga hominũ & plagis filiorũ hominũ. Quo significare uoluit deum clementẽ, tanquã patrem filiorũ errata castigaturum, non occisurũ eos, aut penitus abiecturũ, sed flagellis corporalium pœnarum, gladio, fame, peste, captiuitate corrigam, sed non deseram ob peccata.

33 **Misericordiam autem meam non dispergam ab eo, neq; nocebo in ueritate mea.**

Benignitatem & beneficentiam meam non auferam ab eo, sed amicos habebo, & prosequar clementia mea, nec unquam mentiar etiã electis peccantibus, non enim ad mortem peccare sinam, sed promissa seruabo & pacta, etiam ad aliquanto ingratos, uerũ resipientes ad flagella paterna.

34 **Neq; prophanabo testamentũ meum: & quę procedũt de labijs meis nõ faciã irrita.**

Addit de iuramento quo Dauidi hæc omnia confirmauit, illud se nunquam prophanaturum, sed integre pollicita conseruaturum, quod non ducatur unquam pœnitudine uel retractet, ut labijs suis semel promissa agere desinat & institutum mutet. Stat enim firma dei ad fideles promissio, ut ad pœnitentiam conuersis, & uitam mutantibus in melius, & per Christum ueniam sperantibus nunquam sit defuturus. Promissio de Christo.

35 **Semel iuraui in sancto meo, si Dauid mẽtiar:**

Per memetipsum iuraui & firmiter promisi, qui maiorem non habeo, per sanctitatem meam. Si Dauid mentiar. Ecclipsis est familiaris iurantibus, subaudiendum est enim more Hebraico, Hoc aut illud mihi eueniat, Hæc mihi deus faciat & ista addat. Quanquam & dictio Hebraica אם, sicut et Si Latinum, accipi possit pro Nequaquam: quasi dicendo, Nequaquam negabo.

36 **semen eius in æternum manebit. Et thronus eius sicut sol in conspectu meo,**

37 **& sicut luna perfecta in æternum: & testis in cœlo fidelis. Sela.**

Semen Dauidis in æternum manebit, id est, nunquam deficiet, usq; ad Christum, qui rex erit in æternum. Regnabit enim super domum Iacob in sempiternum, & regni eius non erit finis. Pulchre autem solis & lunæ diuturnitatem regno Christi tribuit, quia ubi huius conditionis rerum finis apparuerit, & mors ultimus sanctorum hostis sublatus fuerit, tradet Christus regnum deo & patri. Testis in cœlo fidelis, id est promissiones ad eũ non deficient, sed certissime complebuntur, quia à deo dictæ sunt, qui est ueritas. Hebræi ad lunam referũt, quæ cum sole testis sit regnum Christi perstiturum: nam cum hæc in cœlis apparuerint, hoc regnum perdurabit, cui nemo hostis nocere potest. Necesse est autem seruire orbem primogenito uiuorum & mortuorum. Cum hoc regnat germana Dauidis soboles, spiritu superno renata, quibus ille regnum parauit, ac habere secũ statuit, quos deniq; peccantes pater corripit quidem, sed paterne, ne cum reliquo mundo condemnentur. Christus æternus.

83 **Tu uero repulisti & despexisti: distulisti CHRISTVM tuum.**

Voluit propheta his uerbis exprimere affectus eorũ, qui cum nihil æque desyderant ut illustrari nomen dei in populo sancto, uidere tamen coguntur ab impijs penitus conculcari, & dire blasphemari uerbis & factis sanctum nomen dei. Ideoq; tantopere dolent, ut uim doloris satis exprimere non possint: ideo in tam durã cum deo expostulationem incidunt, qua tamen non solum dũm non offendunt, sed uehementer ob pietatis affectum domino probantur, unde hæc uerba dominus procedere nõ ignorat. Et tu, inquiunt sancti, auersatus es, et feruet ira tua contra Christum tuum, Christo enim & idem typo Piorum affectus.

Dauidi irrogatur, quicquid fideles eorum in fide posteri perferre coguntur.

39 Auertisti testamentum serui tui: prophanasti in terra sanctuarium eius.

Auget priora quod dicitur consequẽter, Dissipasti fœdus serui tui. Non enim, inquit, Præteristi, semel ac iterũ uiolasti: sed prorsus dissipasti, neq; eo solum quod nobis regnum non tueris, uerum ipse in terram insigne regnũ proiecisti, omnemq; dignitatem & potentiam nostram pessundasti. Eatenus pactũ Dauidis infringi permisisti, ut quasi maledixisse ac destruxisse regnum Dauidis uideris. Hoc quoties contigerit tempore non tantum Dauidis, sed & regum Iuda posteriorum, satis declarant sacræ historiæ, ut non necesse sit recurrere ad persequutiones solas Antiochi. Pollusti ad terrã consecrationem eius: an non id contigit tempore Absolonis, & Achas, & Zedechiæ, & Manassis, & aliàs sæpe?

Pactum infringi.

40 Destruxisti omnes sepes eius: posuisti firmamentum eius formidinem.

Munimenta omnia regni Dauidici, hoc est, sepes & Christi maiestatem dirumpi permisisti, & hostibus pietatis ad tempus aditũ præbuisti. Posuisti firmissima eius, arces scilicet & fortissimos in regno pietatis in formidinem. Defecerat enim fides filiorum, & principum regni Dauid, quod & in regno Christi factum negari non potest, & plangi ad sufficientiam minus. Exponitur enim populus sanctus quibusuis impuris et impijs hostibus, nõ aliter quàm oppidum obsessum & muris dirutũ, aut uinea sæpe deiecta feris patefacta.

41 Diripuerunt eũ omnes transeuntes uiã, factus est opprobrium uicinis suis.

Hostes piorũ.

Non paucos hostes passa est hæc uinea dñi Sabaoth, qui multis modis nocuerunt regno Dauidis & Christi, imò omnes transgredientes uiã, qui non manẽt in uia uel in diuinæ legis obseruantia. Quin & scandalum & opprobrium factum est uicinis, sic ut propediem finiẽdam uel destruendam putarint. Non enim raro periclitata est nauicula Petri, ecclesiæ sanctæ status in fide et moribus, & prope interitũ uisa est sanctorum fides & fidutia.

42 Exaltasti dexteram deprimentium eum: lætificasti omnes inimicos eius.

Tuo non iniusto iudicio, exigentibus peccatis etiam fidelium, prævalere fecisti impios & infideles regno credentium, ut tyrãnidi suæ subdiderint tam nobile regnũ: sic ut exhilarati fuerint hostes fidei, & ex infortunio ecclesiæ & piorum letati sint, quasi prope esset ipsius uastatio finalis, quã ardentissime cupiebant. Sic enim technis suis & crudelibus consilijs regnum Dauidis impij sæpe persequuntur, ut penè de eo actum uideri possit, fide fragilioribus pijs.

43 Auertisti adiutorium gladij eius: & non es auxiliatus ei in bello.

Qui hactenus auxilium præbere consueuit fidelibus in bello iusto, & uirtutem suppeditare suo populo, nunc stare uidetur ab hostibus, quos et uictorijs contra nos ornat, quasi placere illi uideatur perfidia illorũ & nequitia, in scandalũ pusillorũ. Et non dedisti ut fideles tui uaIudicia dei.

luerint quicquã gladijs suis contra impios, sed gladiorũ acies retudisti, ut populum dei tueri milites non potuerint, Dauidis scilicet amici tui posteros, & ipsum uinci permisisti. Idem dixit priscus interpres ad sensum.

44 Destruxisti eum ab emundatione: & sedem eius in terra collisisti.

Videtur prorsus actum esse de regno piorum & felici statu, finitum esse pristinum regni splendorem, mundiciem & dignitatem, nullam iam haberi rationem sanctitatis eius. Solium suum, hoc est, omnem potestatẽ esse deiectam in terram, nullam illi extare authoritatẽ, contemni ab hostibus, conculcari & ad iniuriam usq; indigne tractari, & planè extingui, ut nemo uideri possit sedere in solio tuo, sed omnia geri sine consilio & fortitudine, ex solo timore & necessitate.

45 Minorasti dies temporis eius: perfudisti eum confusione. Sela.

Sanctitas & decor pristinæ gloriæ non diu duraut in regno Dauid: & Christi ecclesia post apostolorum tempora ab hæreticis & tyrannis conculcari uisa est, sicut & postea à philosophis & quæstuosis otiosisq; hominibus perpessa est miserabilem iacturam. Amicuisti eum confusione, undiq; scandalis circundata est, & ueluti amicto tecta, imò perfusa in totum, ut non reliquus fuerit decor aliquis sanctimoniæ uel sacræ eruditionis, uel spiritualis fortitudinis, ita ut omnem modum excessisse uideatur calamitas fidelium: unde & additur Sela.

Gloria regni Dauid dicit.

46 Vsquequo domine auertis in finem: exardescet sicut ignis ira tua?

Incipit hic precari, ut tantis malis liberentur, sed his uerbis, quæ deceãt animũ summæ excruciatũ. Quousq;, inquit, ô domine, teipsum uideris abscondere à nobis? et detrectare fauorem uel auxiliũ? et idipsum nimium diu? Quibus utiq; uerbis significat, nondum se excidisse à spe salutis, & clementiæ à domino cõsequendæ, cupiẽs non diu dissimulari iacturam tanti regni dei in fidelibus. Ne perpetuò exardescat ira domini uelut ignis in regnum Dauidis, quasi statim destruendum, & impiorum potestatem augendam nimium, ad desperationem piorum.

47 Memorare quæ mea substantia: nunquid enim uane constituisti omnes filios hominum?

Perbreue est totius uitæ nostræ spatium. Nemo enim est quãlibet ualidus uir, quem mors non absumat. Quur igitur nos tot calamitatibus adobruis? qui alioqui uitam hanc citissime ponimus: quin des ut respiremus, & bonitate tua uel aliquantulum fruamur, frustra alioqui nos uideberis condidisse, & regnum Dauidis instituisse gratis, qui finis etiam sub nomine regni eius perire eos, qui optimi sunt inter homines, & gloriæ tuæ ac ueritatis zelosissimi promotores uerbis & operibus.

Vitæ brevitas.

48 Quis est homo qui uiuet, & non uidebit mortem: eruet animam suam de manu inferi? Sela.

Non est inter omnes homines, qui suis uiribus mortẽ queat effugere: nec se liberabit quisquam de reatu culpæ & damnationis, extra regnum Dauidis, quod tam diu

quam

nunc iacere uidetur, & tam indigna pati, ut ferè in totum expirasse cernatur, dum pij superantur & opprimuntur ab impijs, & iuxta libidinem agunt omnia, contra fas & ius, ad fidelium contẽptum & casum. Hæc uero cogitatio, supra quàm dici potest excruciat, nisi contra erigat fideles ueros fiducia iustæ causæ, cõsolatio scripturæ, & spes uitæ futuræ, ideo Sela adijcitur.

49 Vbi sunt misericordiæ tuæ antiquæ domine (sicut) iurasti Dauid in ueritate tua?

Erigunt sibi animos sancti, recordando pristina beneficia atq; promissa, tum suã pietatẽ, qua dño deo suo & uerbo sciũt se uelle adhærere. Et omnia quæ patiũtur ab improbis, uergere nõ tam ad propriam miseriam quàm ad iniuriam Christi, cuius uerba irridentur, & consilia pietatis spernũtur. Contrà uero quæ prohibet æquitas, iustitia, charitas, exigũtur contra uerbũ dñi, ubi ardentibus uotis necessarium est orare, ut spiritus sancti ardor pristinus in regno Dauidis redaccendatur, sanctimonia fidei et morũ reformetur, & inclarescat misericordia dei ad posteros fidei Dauidis, quas iurasti in ueritate Dauidi quas ab æterno electis seruasti p temetipsum pollicitus.

50 Memor esto domine opprobrij seruorũ tuorũ, quod continui in sinu meo (omnium) multarum gentium,

Non sinas impios perpetuo, ô deus, impune tuos seruos tractare pessime, et opprobrijs indignis afficere, blasphemare nomen tuum, & damnare reliquias sanctorũ tuorum. Nihil enim grauius nobis tuis fidelibus contingere potest, quàm quotidie æquanimiter ferre, & in sinu fouere & seruare contumelias multorum impiorum, qui & te, & uerbũ tuum, & amatores gloriæ tuæ contemnunt, opprimere conantur modis omnibus & exterminare. Redundant enim huiusmodi opprobria in Christũ & dominum, cuius filij & amici blasphemantur in orbe impiorum.

51 Quod exprobrauerunt inimici tui domine, quod exprobrauerunt commutationẽ CHRISTI tui.

Intellexit hostes pietatis insultasse populo dei, ob expectationem Christi, quasi nunquam uenturi, uel saluaturi sibi credentes, & ex uerbo illius pẽdentes, cuius plagas nunquam essent uisuri. Cum autem illi omnem in hac expectatione spem haberent, nihil potuit accidere illis molestius, quàm huiusmodi opprobrijs exagitari, quibus non tam ipse, quàm deus, & seruator orbis, unctus dei irridebatur. Plantæ quoque Messiæ, dici possunt inimici in regno Christi, præmia quoque & retributiones, ac commutationes, atq; adeo ipsum regnum cœlorũ, quod repromittitur filijs regni Dauidis, uel Christi. Nihil enim impijs hominibus odiosius quàm uerbum dei, regnũ Christi, et imitatio uitæ ipsius, unde et contẽptui quoq; illis est merces promissa fidelibus.

52 Benedictus dominus in æternũ: fiat fiat.

Vox est animi, secreto per deum de redemptione sanctorum persuasi, atq; ideo iam uelut depulsa omni molestia, qua consyderans illorum afflictionem & deiectionem, tortus fuerat, ob eam iam tandẽ exultantis & gloriantis, quod suos non deserat, quamlibet diu & grauiter tribulatos. Amen Amen secundum Hebræos notat calcem libri tertij, nam et sic præcedentes libri finierũt: si tamẽ quis libros multos, id est quinq;, Iudæis esse Psalterium permittere uelit, quod non omnibus sanctis patribus placuit, nec interpreti prisco.

LIBER QVARTVS.

PSALMVS XC.

Oratio Mosi hominis dei.

Si legislatoris Mosis carmen hoc sit, ut quidam Iudæi tradunt, alij negant, ut incerta circa Psalmorum titulos, alijs discutiendũ relinquimus. Virũ sanè dei Mosen fuisse & dictũ constat, quia præ cunctis mortalibus dei spiritu pollebat, & benignitate mentis & longanimitate homo deo admodum aßimilis fuit, & secundum cor dei, ideoq; semper potentißima fuit penes deũ oratio illius.

ARGVMENT. Querela est humilis fidelium, in calamitatibus, cum confeßione laudum diuinarum & beneficiorum.

1 DOmine, refugiũ factus es nobis à generatione in generationem.

Ad te solum dominum deum nostrũ confugimus, à quo solo possumus consolari in tantis angustijs huius mundi, & multitudine hostiũ pietatis, tu unica spes nostra, & locus refugij, nõ templum uel tabernaculũ proprie, quod tantum mysteriũ est clementiæ tuæ, nobis ad auxiliandum præsentis. Talis autem nobis es semper, et in omnia sæcula, quoad uiuimus, & in ualle lachrymarum multa aduersa ferre cogimur.

2 Priusquam mõtes fierent aut formaretur terra, & orbis: à sæculo & usq; in sæculum tu es deus.

Tale nobis asylum fuisti, & electionis author, & prædestinator beatificandorũ, priusquam orbis conderetur, ante mundi constitutionem elegisti saluandos. Commodum autem memorat in deo uno esse salutem & uitam pijs repositam, etiam si cætera omnia perirent, qui mox memoraturus est, quàm simus in nobis nihilũ. Ad unum deum animus attollendus est, qui ita se solo seruare potest cõditos, sicut ante sæcula in se gestauit cõdendos. Ni si quis referre totũ ad deum uelit, & rationabilius, non ad creaturas. Vt sit sensus certior, Tu sine initio deus es, & sine fine, nos uero caduci & momentanei, breui nimium in hoc mundo tempore duramus. In deo uni ca salus.

3 (Ne)auertas hominem in humilitatem: & dixisti, Conuertimini filij hominum.

Tam nobis hominibus iratus es, ut nõ sis finẽ facturus cõtritionis nostræ, donec in nihilũ redigatur corpus mortis nostræ, & pterreatur animus & spiritus terrore iusti tui iudicij: & dixisti per sententiam quam promulgasti, Conuertimini filij hominũ ad terram, unde desumpti estis, reuertimini, uel à peccatis uestris qbus pro fragilitate humanæ conditionis abscesistis à deo, uos filij hominis posteritas Adam, multis obnoxia semper miserijs.

4 Quoniã mille anni ante oculos tuos: tanquam dies hesterna quæ præterijt.

Tu ipse deus nosti, quàm nihilum sit omne tempus

quod uiuimus. Nam mille anni in oculis tuis, qui æternus es, cõputantur pro uno die, ideo non seneſcis. Exiſtimantur enim tibi & ſunt ceu dies quæ iam præterijt, ceu uigilia noctis. Subito enim dies ille tranſit & nõ perſiſtit, tu uerò ſemper immutabiliter duras, nos uerò ut aqua dilabimur, & inſtar dormientibus nobis, elabitur æuum noſtrum. Et cuſtodia in nocte,

5 quę pro nihilo habentur, eorũ anni erũt. Mane ſicut herba tranſeat,

Quod Hebræus interpretatur, Diffluere facies eos tanquam torrens, uel impetuoſa pluuia, iudicio tuo ſubito terres homines, & præmature hinc rapis, imò deturbas nos, & præcipitas ex hac uita, repẽtina celeritate ut fugit ſomnus: hoc priſcus ſimpliciori ſententia tranſtulit, Quæ pro nihilo habentur eorũ anni erunt, hoc eſt, breui nimis tempore uiuent, immatura morte tollentur, & ueluti quarta pars noctis inter dormiendum breui abſumitur, & ſicut herba quæ mane elegantiſſime uernat, ſubito autẽ permutatur in fœnum, et omnem perdit pulchritudinem.

6 mane floreat & tranſeat: ueſpere decidat (induret) & areſcat.

Matutino tempore floret, ſed ſubito immutatur illius decus, ad ueſperum præſcinditur & areſcit, ſtatim ut oritur recedit, puſillo tempore glorioſus apparet, & ſubito non comparet. Talis eſt hominum uita, tardius ſuc- Vitæ humanæ miſeria. creſcit, & in multis miſerijs, perq; multa pericula coaleſcit, & intellectu aptatur, laboribus, ſtudijs & exercitijs, & dum ſapientia perfici uidetur, ilico corpus deficit, & uires decreſcunt: ut dum multa uellet, & per uires corporis in adoleſcentia ſecundum ætatẽ poſſet, ibi non ſuppetit perfecta prudentia, qua tandem parta, non ſufficit corpus, ſed per ætatẽ collabitur, ut uigor mentis non habeat corpus obſequens digne ad omnia.

7 Quia defecimus in ira tua: & in furore tuo turbati ſumus.

Pœnam quam de nobis deus ſumit pro peccatis, fugacitas eſt uitæ corporeæ. Omnia enim noſtra uergunt in malum, extra in corpore, & intra nos in conſcientia conturbamur, nõ quod nobis dominus reuera iraſcatur, ſed aduerſa immittens, nobis ad eruditionem ſenſui carnis noſtræ aduerſari uideatur, & eſſe uotis cõtrarius, ſicut & caro ſpiritui ſuo.

8 Poſuiſti iniquitates noſtras in conſpectu tuo: ſæculum noſtrũ in illuminatione uultus tui.

Iniquitates noſtras propoſitas deo, eſt ipſis imminere non indignam ultionem, dominum offenſum nobis, hoc Opera noſtra peccata eſt, uelle punire. Omnia enim opera noſtra pro imperfectione & defectu eorum digna ſunt pœna, nec ſuſtinere poſſunt iudiciorũ dei cenſuram, ſed ſunt ut pannus menſtruatæ, hoc eſt reſipientia amorẽ ſui, & fruitionẽ creaturæ, uſumq; dei, & appenſa ad dei iuſtitiam inueniuntur minus habentes. Occulta noſtra ad lucem uultus tui, peccata nobis ſolis nota, imò incognita, et quæ bona exiſtimantur non raro cum mala ſint, iudicij tui claritate damnanda erunt. Priſcus interpres, Sæculum noſtrum, ſecundum temporis ſui uſum & ſcientiam uel lectionem uertit, mutatis punctis ad ſenſum nõ indignum. Tempus noſtrum & ætas, imò mundus nunc noſter, non ſubſiſtit niſi clementia uultus tui, & ſerenitate prouidentiæ tuæ, qua nobis bene faues, & intuitu gratioſo reſpicis, propitiatus peccatis noſtris.

9 Quoniam omnes dies noſtri defecerunt: et in ira tua defecimus. Anni noſtri ſicut (aranea) meditabuntur:

Defecerunt, uertunt ſe, & incerti ſunt dies noſtri, cũ ira tua. Nihil boni egimus, ſi iuxta iuſtum iudicium tuũ, & in iuſta ira tua expenderis opera totius præteritæ uitæ noſtræ. Vanc quoq; conſumpſimus annos noſtros, to- Vanitas. tam ætatem noſtram, in friuolis negotijs & inutilibus, temporam. nec ſubſiſtere potentibus: nec aliter laboramus, quàm ut ſolet aranea, quæ multo labore & mira ſubtilitate opus texere ſuũ uidetur, unius uentus uel animalculi impulſio ne rumpendũ, & redigendum in nihilum. Iudæi interpretantur, Conſumimus annos noſtros ceu ſermonem. Sicut ſermo qui non reuertitur nec retractatur, uno tantũ momento manens, dum dicitur, & ſimul deſinens: talis eſt hominũ uita ſuper terrã, ex mortalitatis conditione, quã ob primorũ parentũ tranſgreßionem hoïes incurrimus.

10 dies annorum noſtrorum in ipſis ſeptuaginta anni. Si autem in potentatibus octoginta anni: & amplius eorum labor & dolor. Quoniam ſuperuenit manſuetudo: & corripiemur.

Definit modum ætatis ad quẽ uulgo homines uiuunt, Ætatis modi. pauci enim hunc excedunt. Moſes cui hic Pſalmus inſcribitur, uixit annis uiginti ſupra centum, in optima ualetudine: ſed hunc quotuſquiſq; aſſequitur? Et ſi in robore et uigore ſpeciali & complexione firmiore octoginta annos homo attingat, id quod prolixius uiuit, nõ uuit ſine multa moleſtia, imbecille enim corpus redditur, multis rationibus. Et quia ſenes plura mala deſyderare poſſunt quàm perficere, ideo iniquitas dicitur colligata ſenio, non raro: quanquam & pro ærumna et miſeria עָוֹן accipi poſſit, quod & de prima ætate, iuuenili ſcilicet, intelligi poſſit, quæ æque multis moleſtijs ſubiecta eſt. Iterum uero de uitæ breuitate queritur, cũ ſubijcit, Quia reſectio uel euulſio feſtina manet hominum uitam, breui enim tempore uixiſſe uidebimur dum morimur, etiam ſi multis annis uita contigerit. Veluti enim auolaſſe uidebimur, hoc eſt, leui occaſione iniecta intercipimur ſenes & iuuenes. Quoniã ſuperuenit manſuetudo & corripiemur, dixit priſcus, non parum mutatis exemplaribus ad bonum ſenſum, ſi debite ordinetur, Manſueſcit in ſenectute humana affectio, quæ in iuuentute non raro ferocior eſſe ſolet, poſt multos enim ſudores & agones, tandem humiliatur propenſio ad libidines, & caro deſtigata moleſtijs humiliatur.

11 Quis nouit poteſtatem iræ tuæ: & præ timore tuo iram tuam (dies noſtros?)

Quis nouit uim iræ tuæ, quàm illa premat nos homines, inuolutos multis anguſtijs, & ab infantia inclinatos ad mala, in odio legis dei, amore autem ſuiipſius? ſed & naturæ

naturæ humanæ annexa fragilitas, ignorantia & imbecillitas corporis ab utero matris, ut non indigne nouercam matrem accusare humana natura posse uideatur, et iudicare suo modo iram dei, qualiter experimur, uel miseri timemus, quotquot uerbo tuo credimus.

12 dinumerare? (Dexteram tuam) sic notam fac: & eruditos corde in sapientia.

Quis denique nouit dinumerare dies nostros, breuitas uitæ nostræ nobis hominibus incerta est, ut mors semper timeatur. Tu eam nobis amabiliorem suadere & indicare digneris, ut magis humiliemur, et prudētiores fiamus, si huius uitæ miserias omnes recogitare incipiamus. Prius sine punctis legit, & mutato ו in ר, & uersuū initio mutato. Ad sensum, Sic ostēde nobis tuā potestatē in tuis operibus et ordinē, ut inde sapientiores euadamus, ut perueniat cor nostrum ad indaginem ueræ sapientiæ.

13 Conuertere domine, usq; quo? & deprecabilis esto super seruos tuos.

Orat pro uita, quæ hic spiritu incipit, & in futuro consummatur. Redi, inquit, domine, quousque? Deus si quidem omne bonū est, idcirco calamitose agentibus nobis uidetur abesse. Orat ergo ut redeat & consoletur, id est tanquā recepta satisfactione seruis suis placetur. In quo notat restitutionem & renascentiā, non omniū, sed eorum tantum esse, qui ad id ut serui dei sint electi sunt.

14 Repleti sumus mane misericordia tua: & exultauimus & delectati sumus omnibus diebus nostris.

Quanto per carnis fragilitatem magis humiliamur, tanto abundantius experimur, & promptiorem misericordiam tuam: à iuuentute enim nostra per infinita periecula corporis & animæ tuam beneficentiā sentimus, & gratiose prosequimur fidelissima custodia angelorū tuorum. Exultabimus itaque, laudes & gratias hilariter reddemus tibi, & in omnibus operibus tuis circa nos fideles tuos lætabimur, tua benignitate consolati, in tantis cōditionis nostræ miserijs. Iudæi legunt, Satia nos mane: ubi priscus dixit, Repleti sumus.

15 Lætati sumus pro diebus quibus nos humiliasti: annis quibus uidimus mala.

Lætifica nos pro diebus quibus nos humiliasti, consolare per gratiam quos terruisti per legem. In hac uita nostra propter carnis corruptionem affligumur pij, in sola autem bonitatis diuinæ consolatione fiduciam sentiunt. Vt enim Christum, ita & Christianos oportet multa pati, & ita in gloriam ingredi.

16 Respice in seruos tuos, & in opera tua: & dirige filios eorum.

Appareat & uideatur ab omnibus seruis tuis opus tuū, multiplex bonitas tua ad filios tuos, et uicissim agnoscant fragilitatē suam ad omne bonum, & quàm tua opera illis maxime sit necessaria. Vel ut uulgata trāslatio habet, Non desis pijs conatibus seruorū tuorum, sed adiuua ad omne bonum eos, qui sine te nihil boni possum: & opera manuum tuarum: nos miseros homines, dirige prouidentia tua: & decor tuus, id est maiestas bonitatis tuæ, resplēdeat in posteris fidelium, quos gratia tua non destituas: continuetur gratia tua à patribus ad filios, ut pariter uideant & glorificent salutare tuum.

17 Et sit splendor dñi dei nostri super nos, et opera manuū nostrarum dirige super nos: & opus manuum nostrarum dirige.

Clementia dei & serenitas respectus illius, scilicet domini dei nostri sit super nos, ut mansuete toleret nos aliquandiu peccantes, & anxios pro peccato consoletur. Opus autem manuum nostrarum confirma super nos, ne iugiter operando peccemus, per gratiam tuam nos dirige, & opus manuum nostrarum perfice, uel confirma uel dirige. Tui enim solius est rectificare et dirigere nos in omni bono opere nostro, sine quo nihil bene operabimur, sed fide tantum & deuotione placebimus.

PSALMVS XCI.

Laus cantici Dauid.

In Hebræo sine titulo est.

ARGVMEN. Confessio gratulabunda fidelium de libertate sua ab uniuersis malis, quia solida sese fide domino commiserunt.

1 Qui habitat in adiutorio altissimi, in protectione dei cœli commorabitur.

Fidutia in dei prouidentiam.

Adiutorium altissimi dicitur locus confugij apud deum, fidutia in prouidentiam diuinā, quam qui agnoscit, credit, & in huius uitæ tentationibus contemplatur, is in tuto residet, & nullis facile calamitatibus ad impatientiam permouetur. Non secus atq; pullus sub gallinæ alis non ueretur accipitris ferocitatē, sed sese matri commendatum nouit et saluum: sic in umbra omnipotentis iustus tuto commorabitur, fiducialiter sub cura diuinæ clementiæ conquiescit, & ab omni creatura turbari uel lædi non poterit. Fruitur enim bonitate creatoris sui & patris omnipotentis, qui omnibus sufficit, & suos sibi filios eripi non patitur. Sui autem sunt, qui nituntur illius gratia, & omnibus quibus possunt modis complacere conantur & obedire. Deum autē cœli priscus interpres dixit, שדי pro omnipotente, & omnibus sufficiente.

2 Dicet domino, Susceptor meus es tu: & refugiū meū deus meus, sperabo in eum.

Personarū mutatio.

Frequens personarum mutatio confundere non debet Psalmorum, sicut & prophetarum omnium lectorem: idem est enim, Dicam domino, Fidutia mea es, Et dicet domino, scilicet uir fidelis, de quo in primo uersu. Et punctorum adiectio non raro causa est huiusmodi uarietatū sicut et literarum permutatio multiplex apud Hebræos. Firmiter in corde suo fidelis sentit adutorium dei, cui soli per fidutiam nititur & inhæret, à quo & suscipitur & protegitur, non cuiuscunque creaturæ potentia, uel etiā operū meritis. Quin in tētationibus huius uitæ periclitatus, in deū solū sperat, & cōfugit ueluti ad inuincibile munimentum. Deus meus, ait, es tu, omnipotens pater & amicus, in quem solum sperabo, in nihil aliud.

3 Quoniam ipse liberabit te de laqueo uenantium (&) à uerbo aspero.

Siue ad alterum loquaris siue de teipso, uerissima est

sententia, quia dicitur, dominum deum posse & uelle eripere suos de laqueo uenãtium, hoc est de machinis quibuscunq; inimicorũ, ut fidelium nemo desperet, etiam si quando capiatur: pro uiribus uigilando & orando conetur ne capiatur, captus autem non animo collabatur, sed dominum inuocet. A uerbo aspero sine punctis legi potest, & non inepte intelligi, uerbum malitiosum uel calamitosum, quod sine offensione non auditur. Iudæi autem adiectione punctorum fecerunt, pestem exitialem, mortem scilicet infidelitatis & impietatis crimẽ, prauitatũ sentinam. Ex sequenti autem uersu claret cõmodius esse secundæ personæ affixum, secundum priscum, quàm tertiæ secundũ Hebræos: nolim tamen in huiusmodi funem trahere contentiosum.

4 Scapulis suis obumbrabit tibi: & sub pennis eius sperabis. Scuto circundabit te ueritas eius:

In pennis suis uel scapulis ueluti gallina proteget te hominem fidelem dominus deus tuus, benigna prouidentia
Sub alis sperare. sua, custodia, tutela & defensione prospiciet tibi in omnibus periculis. Et sub alis suis sperabis, tutus eris à malis omnibus, si illi pleno corde confides & te sibi commiseris. Scutũ quoq; tuũ & parma erit ueritas ipsius, qui bus & aduersarios, carnem, mundum & dæmonem, impugnes, & ab impugnantibus te defendas, fides scilicet in ueritatem promissorum dei, & uerbum dei. Idem uoluit priscus, dicens, Scuto circũdabit te ueritas eius, Vau pro Iod, ante uerbum סחרה, quod etiam circundare significat, creberrimũ apud Syros, uariũ apud Hebræos.

5 non timebis à timore nocturno, à sagitta uolante in die,

Non timebis in tenebris noctis, ignorantiæ & calamitatum, si ad lucernam uerbi diuini ambulaueris, non offendes in fide & moribus. Ab agnita & manifesta falsitate & malitia, quæ comparatur exitiali sagittæ, interdiu iaculata, & non de improuiso in totum, non enim fidelem lædet.

6 à negotio perambulante in tenebris: ab incursu & dæmonio meridiano.

Iterum mutata lectione pro דבר negotium reddit uulgata translatio, cum Iudæi Pestem legant. Intelligitur negocium uel pestilentia in caligine pertransiens, occultũ malum, humanis uiribus ineuitabile & horrendum, uel spirituale, quod non præcognoscitur ut euitetur. Et à dæmonio, malo scilicet et uastatore, cuius exitium ne in meridie quidem præcauere possis, ab habente boni speciem quo minus timeatur, & luce blandiente meridiana, quo minus uitetur. Varia enim sunt genera tentationũ et cladium, quibus fideles in hoc mundo exercentur, & eripiuntur à dño solo, quæ et fide uera & firma uincũtur.

7 Cadẽt à latere tuo mille, & decem millia à dextris tuis: ad te autem non appropinquabit.

Hoc est, si tanta etiã uis desæuiat pestis, dæmonũ ministerio immissa, ut à sinistris mille, à dextris decem millia cadant, nihil tamen erit quod tu tibi metuas. Id Dauid expertus est, cũ angelus ob peccatũ multos perdidit. Possunt tamen per sinistram intelligi temporales aduersitates, per dextram uero spirituales, longe plures: sed & aduersa & prospera fide à credentibus superantur. Ad te ait nõ appropinquabit, utraq; tẽtatio electos nõ uincet.

8 Veruntamen oculis tuis considerabis: & retributionem peccatorum uidebis.

Consolatio piorum per dei promissiones certissimas canitur, quod scilicet suo tempore & nõ post multos dies, eatenus opprimendos hostes sperẽt, ut eam dei iustitiam proprijs sint oculis conspecturi, ut repensionem impiorum dignam redditurus sit dominus, ut sancti sentiant, se non frustra sperasse in dominum, nec impios gratis dominum contempsisse.

9 Quoniam tu es domine spes mea: altissimum posuisti refugium tuum.

Ad dominum sermo pro affectuum magnitudine & multitudine dirigitur. Tu es, inquit, pius, ô domine deus, unica spes mea, nullũ idolũ, nulli dij gentiũ, homines nulli uiui, multo minus mortui, nec aliqua creatura, cuius solius auxilio & assistentia à tot malis liberabor. Ideoq; tu qui sic sperare didicisti, altissimũ posuisti refugiũ tuum, à domino enim omnipotente, & tibi fauentissimo, assumeris ac defenderis. Vel, si ad dominũ referatur hoc posterius sicut & prius, sensus erit, Non potest tibi domino nec ad te pertinentibus deuotis tuis, quicquam mali accidere. Sed uidetur prior sensus aptior.

10 Non accedet ad te malum, & flagellũ nõ appropinquabit tabernaculo tuo.

Tu quoq; fidelis & adhærens domino, nulla aduersitate opprimeris, uel damnũ incides, nulla tibi quantumlibet magna calamitas mala erit, sed potius cooperabitur tibi in bonum, domino propitio ordinante. Plaga nulla pernicioſa animo, uel flagrum exitiale accedet uel pertinget ad tuum tabernaculum, tuto semper cum tuis habitabis atq; superior eris omnibus malis, si fidutiam tantam in deum collocaueris.

11 Quoniam angelis suis mandauit de te: ut custodiant te in omnibus uijs tuis.

Angeli nuncij dei.

Administratorij nuntij mittuntur, non ad domini Dei otium procurandum, uel illi pro suis necessitatibus ministrandum, qui est purissimus actus, nullius indigens, solo nutu omnia potens: sed ppter gloriã omnipotentis multo maximã, & quia sic illi placuit, & ppter salutẽ electorũ, ut illos custodiant in omnibus uijs, studijs, actionibus ac rebus suis, ne in aliquo lædantur à satana, uel ministris illius malis hominibus, uel nociuis hominum creaturis, utq; nullo necessario bono egeat fidelis, ab omni malo tutus, alijs impijs plerunq; pereuntibus.

12 In manibus portabunt te: ne forte offendas ad lapidem pedem tuum.

Angelos, ait, portare illum manibus suis, iustum scilicet & pium, domino fidentẽ, sed gradientẽ uijs suis, hoc est, in his rebus uersantem, ac ea tentãtem, quæ deceant amicum dei & filium, quæ scilicet sint ex sententia dei, non quæ dei gloriæ derogent, & nulla spe fructus reditur ad proximum suscipiuntur. Quale erat quod satanas ex hoc loco, suo perpetuo more perperã citato, co-

nabatur

nabatur persuadere saluatori de demissione sui corporis à pinnaculo templi. Sic autem non sinent ad lapides offendi pedes sanctorum angeli dei, ut non temere impingant ad exitium, & si quando tentatio humana, ut solet, sanctum quoque apprehendat, non tamen cadat ad mortem.

13 Super aspidem & basiliscum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem.

Nihil prorsus quamlibet nocens sit, sancto potest nocium esse, ut qui illæsus leonem & aspidem, leunculum ferocientem, & draconem pedibus calcet. Videtur autem propheta hac conculcatione non solum uoluisse cauere credentes deo non posse à tam noxijs bestijs lædi, sed etiam ipsas oportere illis parere ac commodo esse. Nec modo has, sed quicquid uspiam est, quantislibet uel uiribus uel ferocia formidabile sit. Has enim bestias pro summe nocentibus ac terrificis tam hominibus quàm reb⁹ alijs posuit.

14 Quoniã in me sperauit, liberabo eũ: protegam eum, quoniã cognouit nomẽ meũ.

Inducit deum omnia pollicentem, quæ à sanctis requiri fas est, ut scilicet ante omnia ament deũ, toto illi corde adhæreant præ omnibus: illos enim sine dubio liberabit ab omnibus malis. Protegam, ait, eum à futuris insultibus, non ob multa sancta illius opera, sed quia cognouit nomen meum, quia sperauit, credidit in bonitatem meam, sancto amore cohæsit, & pro gaudio duxit, amico mihi dilectissimo per omnia gratificari.

15 Clamauit ad me, & ego exaudiam eum: cum ipso sum in tribulatione: eripiã eum, & glorificabo eum.

Qui sic dominum uehementi amore complectitur, ut ex eo solo pendeat, ac illi fidat ex animo, is necessitatem patiens & angustias, ad me solum clamabit, & ego absq; dubio in tempore succurram & exaudiã, accipiet quæ iusta & sancta utiliaq; petierit. Cum ipso sum, semper eius curam gero, & uelut electum meum per omnia dirigo, etiam in medijs miserijs & angustijs huius mundi. Quos enim diligo, castigo quidem & erudio, sed non desero, nec sino perire, sed eripio à persecutione crudelium & impiorũ, aufero quæcunq; incommoda. Et glorificabo eximens ab angustijs, & gloriosa uictoria illustrans, & ad gaudia sempiterna præparans.

16 Longitudine dierum replebo eum: & ostendam illi salutare meum.

Constante uita donat, & innocentia perpetua ornat, dum nulli cupit nocere, & integritate conuersationis nonnunquam superiorem facit omni calumnia, & insuper bonis omnibus amabili uita longæua, sed quæ ad gloriam suam, & ad proximorũ hominum salutem & utilitatem geratur abunde satiat, ut non decedat, nisi iam plenus & satur dierum. Tandemq; ostendit & introducit ad salutem: hoc est, exhibet felicitatem cœlestem, qua liberi tandem à malis omnibus, æternum beati cum ipso uiuant. Quæ uitæ longitudo in hoc mundo sola expetitur à sanctis, ut prosint multis, & post hanc uitam gloriæ dei participes fiant, & perpetui laudatores in cœlestibus & perfruitores, utq; electis omnibus congratulentur & sibijpsis, cum uiderint salutem omniũ electorum.

PSALMVS XCII.

Psalmus cantici in die sabbathi.

Iudæi præter figmenta sua de Adam, dicunt tamen hoc loco diebus Messiæ futurum perpetuum sabbathum: & diem sabbathi dicunt diem confessionis fidei in deum creatorem, in qua die sapientiæ sit incumbendum & legi, ideoq; uacandum à laboribus.

ARGVMENT. Confessio beneficiorum dei, & operum suorum deuota celebratio, qui perdit improbos, & fouet mirifice fideles.

1 BOnum est confiteri domino: & psallere nomini tuo altissime.

Iucunditas ingens uere fidelium est, nõ tantum sabbatho, quando tamen id maxime licet & consuetum esse debet, sed omni tempore, ante omnia reliqua humanæ necessitatis opera domino deo confiteri, & psallere eius bonitatem: hoc est, corde expendere, & ore profiteri, uoce quoque in fide ardorem suscitare, unde deo placeatur, cui alioqui cantus & uerba non magnopere probantur, sed cor & deuotio. Bonum quoque est, & iucundum sic credentibus psallere, ô deus altissime, tuo sacro nomini, agnoscere beneficia creationis, ordinationis & dispensationis omniũ rerum ad salutem fidelium. Domino cõfitendum.

2 Ad annuntiandum mane misericordiam tuam, & ueritatem tuam per noctem.

Decet quoque quia bonum, annuntiare tam in principio diei & operũ diurnalium, quàm in fine, imò & per noctis quietem contemplari, dei circa homines beneficia, gratias agere de acceptis in prosperis consolationibus, uel in aduersis tentationibus, semper enim benignitas & ueritas, præstita & expectanda dona dei nobis sunt ruminãda fidelibus. Annuntianda autem sunt cum laude & fide, non ex more, sed nouis semper affectibus pensiculanda, qui durent tota die, ne uerbis laudato domino mane & uesperi, factis & studijs improbis dies reliqua cum noctibus expendatur. Nobis enim proficere debent laudes domino decantatæ, earum deus opus non habet, nec ut fierent præcepit, sed ut quæ laudanda à domino essent, studiose operentur fideles. Bona dei quo affectu annũtiãda.

3 In decachordo psalterio, cum cantico in cithara.

Tot instrumenta musicalia, quibus laudes domino canebantur apud Hebræos nominantur. Quo nihil aliud significatur, quàm totum intentum esse in dei laudes & glorificationem, omnibusq; modis, mente, ore, manibus, opere, iubilo cordis & uocibus. De generibus uero, formis, nominibus & suauitate musicalium instrumentorum nihil dicens, musicis decernenda committo.

4 Quia delectasti me domine in factura tua: et in operibus manuum tuarum exultabo.

Opus sabbathorum esse debet religiosa contemplatio operum diuinorum, ex quibus bonitas dei & potentia consideretur, cum gaudio & lætitia de tanta dignatione dei ad homines, sicut & hoc loco sanctus canit se Sabbathorum opus.

lætia perfusum ex meditatione operum dei, in dispensatione prouidentiæ suæ omnia ubique & circa omnes optime agentis. In operibus, inquit, manuum tuarum laudabo: non mea, sed tua laudabo opera, de tuis optimis operibus & gratijs omnibus gratias ago, & ardenti corde erumpo in dei præconium.

5 Quàm magnificata sunt opera tua domine: nimis profundæ factæ sunt cogitationes tuæ.

Sapientia dei. *Extollit pro uiribus infinitam & operum & consiliorum dei sapientiam ac bonitatem. Opera uero dei & cogitationes, quæ admirantur sancti & celebrant, sunt, quòd homines admiranda sapientia gubernat, se timentes mirabiliter eripit, in æternum autem exterminat sui ac inde omnis pietatis & iustitiæ contemptores. Hinc dicit cogitationes dei altas, quarum ratio nequeat peruestigari, quare scilicet tam differenter omnia agas & inscrutabiliter pro tempore, personis & locis.*

6 Vir insipiens nõ cognoscet: & stultus nõ intelliget hæc.

Consolatio sanctorum. *Sancti dum ab improbis multifariam exercentur, hinc se maxime consolantur, quod deus omnia ex æquo gubernat, tandemq; improbos sui nominis hostes deijcit, quamuis hic sæpe florere uideantur, ipsos uero sanctos extollit & saluat. Hacq; uiuentes fide, iustitiæ sedulo student, & aduersa omnia æquo animo perferunt. Qui autem spiritu dei destituti, & ob id insipientes & stupidi sunt, tam sanctos quàm improbos à præsenti eorum fortuna æstimant, ac ideo hos quàm illos sectari malunt. Stultus autem dicitur incredulus, sensu inflatus, amator mundi, neglector uerbi dei.*

7 Cum exorti fuerint peccatores sicut fœnum, & apparuerint omnes qui operãtur iniquitatem, ut intereãt in seculum seculi:

Impiorũ infelicitas. *Stulti illi stupidi non animaduertunt quàm euanida sit impiorum felicitas, utpote quæ herbæ & graminis instar habeat, eoq; quanto magis eminet, hoc citius disperdenda sit. Sancti autem id probe intelligentes, toti à deo pendent, ei scilicet qui omnibus supereminet iudex, plurimos suos hostes suo sit tempore disperditurus, à quibus interim multa perferunt, qui & sibijpsis felices uidentur, & coram mundo proficiunt, quamumlibet improbi operarij iniquitatis, nihil cupientes, quàm quæ mundus hic appretiatur & persequitur, tandem tamen conteruntur, & intereunt usq; in æternum: quicquid conati sunt disperibit & conficietur.*

8 (tu autem altissimus in æternũ domine.)

Et tu, inquit, ô domine, excelsus super omnia, sempiternam in omnes potestatem exeres, ideo in æternũ florebunt, qui tibi sese addixerint, peribunt quicunq; tibi fuerint aduersati. Omne enim bonum à te proficiscitur solo, sine te nemo quicquam potest.

9 Quoniam ecce inimici tui domine, quoniam ecce inimici tui peribunt: & dispergentur omnes qui operantur iniquitatẽ.

Vere tu quidem altissimus omnium iudex & gubernator. Nam ecce inimici tui ô domine, pereunt: indubie te eos iudicante & perdente. Inducit autem se quasi cernentem hos perire, quare notam demonstrationis & geminationis adhibuit, quibus uoluit significare, quàm celeriter pereant, & tum etiam, quando præcipua uidentur felicitate florere. Separabuntur, ait, omnes qui iniqua sectantur, à te domino deserentur, & de sanctorum consortio eijcientur, confundentur corã deo & sanctis.

10 Et exaltabit sicut unicornis cornu meũ: & senectus mea in misericordia uberi.

Exaltabitur sicut unicornis cornu meum. Vel secundum Iudæos, Exaltabis, ô deus, potentiam & felicitatem sicut cornu unicornis, id est, in immẽsum. Nulli enim bestiæ robustius cornu est monocerotæ. Quod autem prius dixit, Et senectus mea in misericordia uberi: Iudæi sic explicant, Et uetustatem meam in oleo ubertatis: uel secundum alios, Delibutus sum unguento uiridi. Arridet magis sensus, Senium meum succulentum erit, abundantia gratiæ tuæ & misericordiæ refrigerabis uetustatem meam, & ubi caro defecerit, pinguedine spiritus ossa animæ imbues. Spiritu enim diuini fauoris animum exhilarante, ac beatum successum suppeditante, corpus quoq; cœlesti quodam uigore iuuenescit ac floret.

11 Et despexit oculus meus inimicos meos: & insurgentibus in me malignantibus, audiet auris mea.

Intueri oculis Hebræis sæpe despicere est, & successum assequi contra hostes pietatis. Quasi dicat, Audacter & tutus dona dei circa me iactabo, certus nihil mihi obesse impios posse, domino non uolente. Audient aliquando aures meæ sententiam domini contra illos, qui nunc persequuntur & damnant. Audiam dignum Dei iudicium contra blasphematores dei & meos. Grata & optata pro dei gloria suo tempore audiã, qui nunc contumelijs lapidor improborum.

12 Iustus ut palma florebit: sicut cedrus Libani multiplicabitur.

Sanctorũ felicitas. *Celebrat sanctorum felicitatem in uniuersum, hos palmæ similes facit propter dulcedinem fructus, & cedris propter robur. Notũ uulgo illud est de natura palmæ, cuius lignum aiunt impositis oneribus sursum conniti, unde putant ortum, ut uictores certaminum palmæ coronentur: perpetuò etiam uirere inueniũtur, quod folia non defluant.*

13 Plantati in domo domini, in atrijs domus dei nostri florebunt.

Arborũ allegoria. *Persistit in allegoria arborum, iustos plantatos esse in domo domini, in eaq; florituros, & fructũ laturos. Nam domum & atria pro eodem dixit. In atrijs enim domus domini populus uersabatur. At plantatio hæc insitio est in Christum, quod nemo fructum facere potest nisi palmes sit huic uiti insitus, & soli huic complantati in domo dei sanctorum ecclesia radices agunt, fœcundatiq; spiritu dei, fructum adferunt uitæ innocentis & probæ, eumq; perpetuò. Nunquam enim uel folium illis arescit, sed quæcunq; agunt semper prosperabuntur.*

14 Adhuc multiplicabuntur in senecta uberi: & bene patentes erunt

perpetuam

Perpetuam ſanctimoniæ fertilitatem canit, iuſtos etiam in ſenecta pingues frondoſoſq; fore, hoc eſt, ſpiritus diuini fœcundo ſuccu uigentes & uernantes: omnia ſcilicet, quæ ſiue agant ſiue loquantur, ad pietatis inſtaurationem ordinantes, gratiamq; bonorũ. Hos enim non ſolum nulla poteſt à dilectione dei creatura diuellere, ſed etiam obliti eorũ quæ à tergo ſunt, continuo ſeſe cum Paulo ad præfixam metam extendunt, Chriſtiq; imagini propius accedunt.

15 ut annuntient. Quoniam rectus dominus deus noſter: & non eſt iniquitas in eo.

Omnia tam externa ſanctorum hominum bona quàm interna, hunc tandem fructum pariunt, perfectam Dei laudem, ob quam ſolam externum rerum ſucceſſum, uitæq; longæuitatem ſibi ſancti precantur. Dum nanq; timentes ſe deus ſic bonis accumulat, plane ſuam bonitatem, quæ nullam penitus prauitatis admixtionem patitur, depromit, quamq; certa ſint ſua promiſſa, omni excluſa falſitate declarat. Id quod mundus alioqui credere adeo non ſuſtinet, ut quibuſuis nugamentis potius quàm dei pollicitis fidem habeat.

PSALMVS XCIII.

Laus cantici Dauid in die ante ſabbathũ, quando inhabitata eſt terra.

Hic titulus non eſt in Hebræo: abſolute enim incipit. Quem tamen priſci Iudæi legerunt apud Græcos, unde & figmentum ſumpſerunt illud, quod in Pſalmi præcedentis titulo ſcribunt, Adam primũ eundem Pſalmum dixiſſe in ueſpera ſabbathi, cum iam creatus eſſet, & poſtea peccauit, & hora duodecima poſt ſextum diem expulſum dicunt à paradiſo, & mortis ſuſcepiſſe decretum. Vnde et poſtera die quãdo habitata eſt terra, hunc Pſalmum dictatum dixerunt.

ARGVMENT. Celebratio diuinæ maieſtatis ex operibus & oraculis dei perpetuaq; ſalute eccleſiæ.

1 DOminus regnauit, decorem indutus eſt: indutus eſt dominus fortitudinem, & præcinxit ſe. Etenim firmauit orbem terræ: qui non commouebitur.

Qui condidit omnia & moderatur, dominus eſt omnium, & in Chriſto filio ſuo nunc & ſemper regnat in omnibus. Gloriam indutus eſt, cum nouo quodam modo in rerum conditione manifeſtauit ſuam omnipotentiam & ſapientiam. Amictus eſt celſitudine & robore, quia cuncta præcellit & ſupereminet omnibus. Etiam firmauit orbem, uerbo ſuo omnia ſtabiliuit & cõſeruat donec ipſe uelit, & pro nutu ſuo influere cœlos, et germinare terram, & regere homines cunctos in terra ſolus poteſt. Nemo ergo angelorum, multo minus potentium regnum ſeſe opponat illius uoluntati, ſed adoret et obſequatur per omnia, niſi præcipitari & diſperdi non timeat. Illius ſolius gloria eſt & fortitudo. Verbum domini ſolum firmum eſt, cui nemo præualebit hominum, faciet autem fructum ſuum quocũq; perueniet, ad quod miſſum eſt, & in homines electos transfundetur, & augebitur ſemper.

2 Parata ſedes tua ex tunc: à ſeculo tu es.

Prouidentia tua reguntur omnia, glorificatur indies inter homines maieſtas tua, potentia tua ſentitur in omnibus, omnia obtinet & adminiſtrat, etiam ſi id mundus non agnoſcat. Ex tempore creationis omnium innotuit omnipotentia tua, & ſolium regni tui. A ſæculo tu es, ſemper idem manens, facis tamen cuncta moueri, & interim magis ex operibus innoteſcis.

3 Eleuauerunt flumina domine: eleuauerunt flumina uocem ſuam. Eleuauerunt flumina fluctus ſuos:

Extulerunt ſe gentes, & plurimas perſecutiones contra dei populum moliuntur ſemper, quas tamen dominus potentior & formidabilior compeſcuit ſemper, & in gloriam ſui nominis traxit omnes tribus, populos & linguas, qui ut prius perſequebantur pietatẽ, & unius dei creatoris cultum, ſic poſtea gloriam tuam annuntiant, credunt ac laudant. Flumina eleuant gurgites ſuos, cum bonis mali tumultuantur, & occaſione uerborum tuorum ſeſe confringunt ut fluctus maris fideles & impij.

4 à uocibus aquarum multarum. Mirabiles elationes maris: mirabilis in altis dñs.

Propter imperij tui & uerbi uirtutem commoti ſunt fideles in toto mundo, & pariter impij, quos præter dominum compeſcet nemo, ſicut nec maris contritiones & fluctus ab aliquo moderantur quàm à deo. Ipſe de cœlo glorioſo ſolio regni ſui regit omnia, & exaltabitur ſuper omnem humanam & creatam altitudinem, cui ad nutum omnia obſequuntur.

5 Teſtimonia tua credibilia facta ſunt nimis: domum tuam decet ſanctitudo domine in longitudine dierum.

Teſtimonia tua ex uerbis prophetarum & prodigijs tuis, cum populo tuo multipliciter oſtenſis, uetus ſcilicet & nouum teſtamentum, orbi perſuaſa erunt ſuo tempore, & tua uirtute roborata ſunt ualde: ut ſtet ſanctuariũ illud præclarũ elegans & ſanctum in longitudinem dierum, ſanctorum ſcilicet uera eccleſia. Indubitata ſunt enim dei ſacroſancta oracula, & omni genere beneficiorum adornanda eſt electorum eccleſia hic & in futuro. Sacra ſcriptura.

PSALMVS XCIIII.

Pſalmus Dauid quarta ſabbathi.

In Hebræo nullus hic quoq; legitur titulus, dicentibus Iudæis, Moſen ædidiſſe undecim Pſalmos, pro undecim tribubus Iſraël, eo quod non aſcribatur nomen authoris. Quicquid enim ſomniant, literis mandare audent.

ARGVMENT. Inuocatio diuini iudicij contra impios, & conſolatio piorum de gratia dei.

1 DEus ultionum dominus: deus ultionum libere egit (appareas.)

Orat dominum ut tandem de impijs innocuos opprimentibus pœnas ſumat, ſicq; potentia ſua declarata affulgeat, ſeſeq; omnibus ſupereminere oſtendat, quod alioqui ſcelerati illi credere non ſuſtinent. Vocat autem deum ultionum, nam inde ſpem

ſibi ſancti ſuffulciunt, quod cogitant illum tandem pro ſe contra impios iudicaturum. Ipſe nanq; dixit, Mea eſt ultio & ego rependo. Sed & tota de eo ſcriptura prædicat, unicuiq; iuxta facta ſua deum repenſurum, neque diſſimulaturum impietates eorum, qui eum cõtemnunt, & non credunt iuſtitiam eius.

2 **Exaltare qui iudicas terram: redde retributionem ſuperbis.**

Iudex hominum.

Tu iudex hominum in uniuerſa terra, oſtende aliquando magnitudinem potentiæ contra eos qui tibi reſiſtere cogitant, & uerbum tuum audire contemnunt, iudicia tua non formidant. Redde ſuperbis iſtis gigantibus, ut olim dignam retributionem ſentiant tuam manum, qui credere recuſant tuam bonitatem. Vt benigne humiles ſuſcipis, ſic potenter deijcias ſuperbos.

3 **Vſquequo peccatores domine, uſq; quo peccatores gloriabuntur?**

Vſquequo inſignes in malitia peccatores, quia ſine fide, gloriari ſines, ô domine, de ſemetipſis? & de uoluntate tua curare nihil, ſine omni timore tui uiuere, loqui quicquid in buccam illis uenit contra te & pietatem tuam ſuperba, & quæ à pijs auribus ferri nequeant, de ſua inſuper malitia gloriantes? Quandiu impij in ſuis iniquitatibus pietatem ridendo blaſphemant tuã iuſtitiam, quaſi illorum nunquam ſis iudicaturus dicta & facta?

4 **Effabuntur, & loquentur iniquitatem: loquentur omnes qui operantur iniuſtitiã?**

Effabuntur & effutient quicquid incidit in impium cor ſuum, copioſe perſuadere cupient, non tuam legem & beneplacitum, ſed uetera, antiquos errores gentiliũ, patrum conſuetudines ſacrilegas, mores priſcos barbarorum, & omnino antiquitatem præferre ueritati & iuſtitiæ. Quærunt uerbis tantum, ſed multis tueri iniuſtitiam ſuam: comminiſcuntur uerba & deceptiones omnes qui male operantur.

5 **Populum tuum domine humiliauerũt: & hæreditatem tuam uexauerunt.**

Accuſat uiolentiam iſtorum in populum dei, in eos præcipue, qui alijs magis inopes ſunt & miſeri, ut uiduæ, pupilli & aduenæ. Populum, inquit, tuum peculiarem, & quem elegiſti & amas, humiliant, affligunt, conterunt, & de ſtatu ſuo deijciunt, & hæreditatem tuam, electos ſcilicet & cultores tuos affligunt: quos tu amiciſſimos habes, illi perturbant & perſequuntur.

6 **Viduam & aduenam interfecerunt: et pupillos occiderunt.**

Populus domini.

Populum dei, de familia dei, quorum ſpecialem dominus curam gerit, ut pupillæ oculi ſui, & gallina pullorum, qui ſcilicet ſeipſos tueri non poſſunt, & in hoc mundo miſerabiles ſunt, quos infinitæ clementiæ miſericordiſſimus deus diſſimulare non poteſt. Sunt planè in primis uiduæ pauperes, & aduenæ ſpreti ab indigenis pro more: pupilli quoq; deſtituti tutoribus fidis. Has, inquit, miſerabiles perſonas, hoſtes pietatis & tui interficiunt, & ſine miſericordia & timore dei iugulant.

7 **Et dixerunt, Non uidebit dominus: nec intelliget deus Iacob.**

Dicunt inſuper, hoc credunt & habent perſuaſum, quod tu dominus deus ultionum non uideas, non cures, non iraſcaris. Et te dominum deum Iacob æſtimant ut ſua idola ſurdum & cæcum, ut ipſorum adinuentiones, conſilia, ſtudia & malitias non noſcas, uel nolis ſuccurrere. Ad id enim immanitatis perduxit illos perfidia, ut cierint ex animo omnem dei metum, & efferati ſunt, ut dominum deum uerum timere nolint, & audeant blaſphemare.

8 **Intelligite inſipientes in populo: & ſtulti aliquando ſapite.**

Admonet improbos illos, de quibus queritur, ut ſuſtineant credere deum omnia intueri & iudicaturum, incipiant aliquando reſipiſcere de perfidia & impiiſſimo errore: & qui nunc humana quidem aſtutia præditi, re uera autem ſtulti & inſipientes circa neceſſaria ſalutis ueſtræ, aliquando curate ut dominum timeatis, & uerbum illius amplectamini & credatis.

9 **Qui plantauit aurem, nõ audiet? aut qui finxit oculum non conſiderat?**

Aſtruit deum omnia cognoſcere & iudicaturum, ex eo quod nobis cognoſcendi facultatem dedit, & antea quoq; mundi ſcelera ſæpe grauiter ultus eſt. Quod enim audimus nos, quod uidemus, quodq; cognoſcimus, id eius dono & uirtute nobis contingit, non quod ſemel hæc donarit, & lateat poſtea eum horum uſus, ſed ſine ipſo nullam uel cogitationem, nullum in toto corpore motum habere poſſumus, quippe qui in ipſo uiuimus, mouemur & ſumus. Nihil igitur uidebimus, nihil audiemus, nihil omnino cogitabimus boni, quod ille non melius nobiſipſis, nempe opus ſuum, magis quàm nos noſtrum cognoſcat.

10 **Qui corripit gentes, non arguet: qui docet hominem ſcientiam?**

Vltiones diuinæ.

Ad celebriores uidetur ultiones reſpexiſſe, nempe diluuij uniuerſalis, ignis Sodomitici, Pharaonis, & ſimiles. Ex his utique ſatis colligere quilibet poſſunt & ire debent, deum ipſorum quoq; ſcelera nequaquam inulta permiſſurum. Et qui docet hominem ſcientiam, & erudit intellectum, imò animam intellectiuam condidit & infudit, ſicut & aures & oculos dedit, quomodo nõ ueſtra quoque mala ſciret, & uindicare pro ſua bonitate & iuſtitia neceſſario uellet?

11 **Dominus ſcit cogitationes hominũ quoniam uanæ ſunt.**

Nedum uiſa, audita, dicta & facta dominus omnia nouit hominum, ſed & cogitationes omnes nudæ ſunt, & perfectiſſime cognitæ deo ſunt, quarum obliuiſci nunquam poſſit: nouit autem quàm ſint inutiles, temerariæ, inualidæ. Nota quædã eſt & gnome de prouidentia dei cuncta intuentis & cernentis, & ipſos homines nihilum eſſe.

12 **Beatus homo quem tu erudieris domine, & de lege tua docueris eum.**

Felix quis dicitur.

Sic ſolet dominus conſolari ſuos dum ab impijs diuexantur, ut in tempore illis reſtituat trãquillitatem. Hinc ſimul

simul de lege sua docuerit. Inde enim is agnoscet sibi in bonum cedere quicquid acciderit, nec diutius laturum deum ut sibi impij præualeant, quàm salutis suæ interfit. Fidus enim est dominus, nec finit tentari ultra quàm ferre possimus, sed simul cum tentatione donat exitum.

13 Vt mitiges ei à diebus malis, donec fodiatur peccatori fouea.

Ad hoc proderit iustis à domino corripi, & simul lege eius instrui, ut etiam cum adhuc improbo fouea fodiatur, hoc est, antequam cecidit, dum adhuc uiribus ualet, & affligere innocuos modis omnibus laborat, ipsi tranquillitas à diebus malis finisq; ac silentium quoddam afflictionis contingat. Id autem bifariam dare dominus solet, uel quod iniuriæ malorum amplius non succedũt, aut sanctis nihil dolet.

14 Quia non repellet dominus plebem suã, & hæreditatem suam non derelinquet.

Causam affert cur deus hanc tranquillitatem suis conferat, nempe quod deus nequeat populum suum abijcere, quem in hæreditatem sibi assumpsit & peculium, nimirum ut peculiari eum beneuolentia excoleret. Quem etiam si aliquando pœnis erudiat in præsenti, cedent ei in bonum: non enim negligere potest fideles suos quos elegit.

15 Quoadusque iustitia conuertatur in iudicium, & qui iuxta illã? omnes qui recto sunt corde.

Nequit semper præualere iniquitas, sed oportet iusto deo mundum administrante tandem iudicium & iustitiam reuerti, hoc est, in locum suum restitui: fieri scilicet, ut olim iuste res arbitrentur, & ex æquitate iudicium omnibus fiat, recte omnia gerantur. Apparebit enim condemnatio piorum iniqua, & pios domino curæ fuisse, & quòd qui domini sunt & fideles, dominũ sequuntur, & uiam eius non deserunt.

16 Quis cõsurget mihi aduersus malignantes? aut quis stabit mecum aduersus operantes iniquitatem?

Queruntur sancti neminem sibi contra improbos auxilio fuisse præter dominum, quo calamitatis in qua erant magnitudinem expressit propheta. Quasi dicat: Infirmior ego sum, quàm ut impios uincam meis uiribus, nec aliquo humano præsidio eripi potero ab impijs.

17 Nisi quia dominus adiuuit me: paulominus habitasset in inferno anima mea.

Eò uentum erat, ut nomine sanctorum dicat, Nisi dominus auxilio fuisset, sua sola uirtute prostrauisset aduersarios meos, paulò minus habitasset in inferno anima mea, omnino desperasset absorpta tristitijs & doloribus tacuisset.

18 Si dicebam, Motus est pes meus: misericordia tua domine adiuuabat me.

Eousque sepe deus permittit suos improbis diuexandos, ut illi actum esse de se putent. At dum obrepit desperatio, & sancti lapsos iam pedes suos seq; plane cecidisse arbitrantur, succurrit cogitatio de domini bonitate, qua credentes in eum destitui non possunt.

19 Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificauerunt animam meam.

Cogitatio de domini benignitate sic pios erigit, & bona spe firmat, imò etiam animum exhilarat, miraq; in medijs malis consolatione perfundit. Quantum enim anxiæ cogitationes animum excruciant, tam recreat ille sua consolatione, donans cogitare & animo iam cernere quàm beneuole cum illis agat, agereq; adhuc instituerit.

20 Nunquid adhæret tibi sedes iniquitatis: qui fingis laborem in præcepto?

Cogitatio sanctorum.

Hæc nimirum sanctos cogitatio de dei bonitate firmat atque consolatur, deum nõ posse perpetuò ferre improbitatem malorum, ne consentire illis uideatur. Quid enim ipsi iustitiæ authori commune esset cum scelleratorum potestate, ad lædendum innocuos tantum intenta? Ideo dicit solium iniquitatis, id est, illorum qui prauitatem fouent ac defendunt. Nónne fingit laborem super præcepto? Hoc est, multo plura & grauiora exigunt tyrannica potestate sua tumidi, quàm deus præceperit, uel iniuria quosuis afficere, & innoxios opprimere, sibi tanquam legitimum morem consuetudine firmauerunt.

21 Captabunt in animã iusti: & sanguinem innocentem condemnabunt.

Accinguntur impij & turmatim concurrant, ut ueneuent & captent animam iusti, sæuitia nocendi incumbunt & malum captant consilium, ut tradant, illaqueent & perdant pios. Et sanguinem innoxium condemnabunt, decernent plane impium esse, qui illis aduersarius iustitiam & iudicium sectatur, & reuera est innocens.

22 Et factus est mihi dominus in refugium: & deus meus in adiutorium spei meæ.

Sed interim deserto ab omnibus hominibus iusto, dominus refugium fit, ut eximat damnatum ab impijs. Et deus meus in rupem fiduciæ meæ. Certus sum de salute per bonitatem & gratiam dei, in eius auxilium mihi sine dubio affuturũ plene confidam, certus non me cõfundendum, qui in omnipotentem & clementißimũ spero.

23 Et reddet illis iniquitatem ipsorum: & in malitia eorum disperdet eos: disperdet illos dominus deus noster.

Iudiciũ impiorum.

Impijs autem hostibus fidelium, dominus suo tempore non obmittet rependere in caput ipsorum, idipsum quod mihi malum intentauerunt. Compensabit scueritate iusti iudicij sui longanimitatem bonitatis suæ, quam illi semper cõtempserunt. Et in malitia, hoc est, propter improbitatem suam & iniurias in pios homines disperdet eos, malignitatis mercedem rependendo abundanter. Vt se pij interim sciant patientia tueri & consolari, sine dubio credentes à domino disperdendos hostes religionis & piorũ. Dominus deus noster ipse eos disperdet, non nos faciemus, non uindicabimus nostras iniurias, sed domino committemus, & illi sabbathum colemus, & præstolabimur, quod pro sua gloria & in nostram gratiam dominus sit cum impijs propediem actu-

rus, cuius manum & iustitiam non effugient, tandem sentient & dolebunt se contra stimulum calcitrasse, offendisse eum, à quo pendet salus ipsorum, & omnium, tam bonorum quàm impiorum.

PSALMVS XCV.

Laus cantici ipsi Dauid.

In Hebræo est sine titulo.

ARGVMENT. Excitatio fidelis populi ad uere laudandum dominum.

1 VEnite exultemus domino, iubilemus deo salutari nostro.

Excitatio ad dei laudes.

Excitantur creaturæ omnes & homo maxime, ad laudandum dominum, à quo beneficia existentiæ & gubernationis, sed & conseruationis generaliter suscipiunt. Singulæ autẽ singulas pro se gratias obligantur pro priuatis donis & datis. Vos, inquit, omnes qui colere deum uultis & laudare, uenite & accingamini, corde & animo adeste, ut pariter domino exultemus, ore & uocibus ex fide cordis confiteamur domino beneficia sua: iubilemus deo salutari nostro, sine quo labimur & perimus, cum ipso autem solo subsistimus, perq; eum saluamur.

2 Præoccupemus faciem eius in confessione, & in psalmis iubilemus ei.

Maturemus uenire dignis laudibus in conspectum eius, in fide orantes ut sanctificetur nomen eius, & gratias agamus. Et in Psalmis, spiritualibus hymnis ad dei magnalium prædicationem compositis canticis nosmetipsos incitemus, ad illum amandũ & colendum pro uoluntate sua, secundum eius leges & instituta. Et in hisce deuotionibus animi nunquam aliquo tædio afficiamur, sed perpetua ouatione et iubilo cordis, magis quàm compositis & exquisitis uerbis ac numeris illius bonitatem & maiestatem collaudemus.

Spirituales hymni.

3 Quoniam deus magnus dominus: & rex magnus super omnes deos:

Causam cur tantopere celebrari deus debeat exponit. Est enim optimus maximus omniũ rerum dominus. Rex quoq; hominum potentissimus, fidelissimus & sapientissimus, solus omnia gubernans & subiecta tenens, cui nemo similis, super omnia colendus, ei soli seruiendum, qui rex regum est, & dominus dominantiũ, deus q; deorũ. Non quod sint dij multi, sed domini multi dicuntur & dij, non alia ratione quàm ut meminerint prodesse multis, sicut & deus omnibus benefacit, solem suum oriri sinens super bonos & malos.

4 Quia in manu eius sunt fines terræ: & altitudines montium ipsius sunt.

Confessio unius dei in orbe.

Iudæi quoque hoc loco confitentur ad dies Meßiæ omnes gentes cognituras & confessuras unum tantum esse deũ, qui solus rex magnus sit, & deus super omnes deos, cuius in manu sint omnia quæ in mundo. Id ergo cum iam ab apostolorum temporibus & Christi domini prædicatione, hodie quoq; factũ uideatur ab omnibus, quod in toto mundo unus tantum deus cognoscitur & colitur, firmißime contra Iudæos concluditur, Meßiæ tempora dudũ & ex illis temporibus incepisse. Videant autem Christiani, ne scandalo sint Iudæis & Turcis, si aliud præter unicũ deum uenerentur & colant, ac contra manifestam dei legem idola erigant, excolant, ceu dii uos inuocent, & uota nuncupent auxiliatoribus, quasi dominus non sit clementiæ infinitæ & ueritatis. In cuius potestate sunt omnia, etiam imperscrutabilia terræ & marium, secreta omnium creaturarum, quæ omnia earum conditor clare inspicit & conseruat, semel creata omnia nouit ac regit. Etiã fastißimos & altißimos montes intuetur, & sustentat uirtute roboris sui. Nihil enim tam humile, nihil tam sublime, abstrusum, aut extans uel eminens, quod non sit in manu dei nostri.

5 Quoniam ipsius est mare, & ipse fecit illud: & siccam manus eius formauerunt.

Mare uastißimum & profundißimum cum omnibus mirabilibus creaturis suis dominus sicut condidit sic intuetur, & ad suam gloriam eis utitur, sibi notis modis et rationibus. Aridam quoq; terram manus eius formauerunt ea pulchritudine & uirtute, ut satis illã nemo possit demirari, quæ omnia tamen in potestatẽ & usum assignauit hominibus, ut ipsi rationales creaturæ ex istis ascendere meditatione & intellectu suo debeant in contemplationem & admirationem, amorem & laudem unici omnium creatoris.

6 Venite adoremus, & procidamus, & (ploremus) ante dominum qui fecit nos:

Venite & ingredimini adoraturi dominum omnes homines, procumbite & genuflectite soli illi domino deo uestro, summum entium agnoscendo, admirãdo, ac obedientiam deuotißimam protestando, quandoquidem ex ipso pendet esse nostrum, sicut & fieri. Agnoscamus ergo quicquid sumus, habemus et boni operamur, ab ipso esse, haberi, & donari nobis. Ipse enim creauit nos, & gubernat omnia. Est autem more scripturæ retrogradatio, cum quod minimum ultimo dicitur. Vt cum dicit, Prostrari, incuruari ceruicem, & genua flectere: quod nos primum in oratione posuissemus, ne quis ex ordine perfectionum gradus definire pergat.

4 quia ipse est (dominus) deus noster, & nos populus pascuæ eius: & oues manus eius.

Hodie si uocem eius audieritis,

Prouisor omniũ deus.

Iam celebrauerat nostrum conditorem, hic promisorem canit, nostri curam gerentem tanquam charißimorum filiorum, quia electorũ ad æternum diuinitatis suæ consortium & fruitionem. Quod legitime perpensum, summam certe ueneration & religiosißimas laudes eius apud nos iure excitauerit. Nam tum ille nobis se deum præstat, nosq; suum gregem suumq; populum habet, quum suo spiritu regeneratos iustitia solida ornat, & uita æterna donat. Gregem manus nos uocat, q ipse deus sua nos manu ducat, & pascat uirga iustitiæ, & pabulo ueritatis. Dummodo hodie, id est, sine intermißione uocem illius audiant fideles homines, alioqui non dominus placari potest quibuscunq; ceremonijs & uerbis. Verißimus cultus est, obaudire præceptis, et uotis obsequi qui diuinis, fide et charitate exerceri, in ecclesiasticis cœtib. discere præcepta dei, ut uiuatur ad eius præscripta.

Cultus dei.

nolite

8 nolite obdurare corda uestra: Sicut in irritatione secundū diē tentationis in deserto:

Deterret ab inobedientia neglectuq; dei exemplo patrum, docetq; nō negligendam benignam uocationē dei, sed deuoto corde obsequendum uoluntati suæ. Meminit autem præcipuæ tentationis factæ in Raphidim, quia ea celebris adeo fuit, ut loco nomē indiderit, qui inde Massa Meriba, id est tentatio iurgij dictus est, ubi uerbum domini tam manifeste agnitum contemnebant, & durissimæ ceruicis rebellionem ostēderunt, & digna uindicta emendandam didicerunt. Quorum nunc periculo cautiores reddi desyderat pietatis professores omnes.

9 Vbi tentauerunt me patres uestri: probauerunt me & uiderunt opera mea.

Explicatio est præcedentis uersus. Israelitæ enim isti sub Mose in solitudine non simpliciter non crediderunt uerbo domini, sed insuper murmurauerunt contra dominum, & de promissis dubitantes tentauerunt dei tam ueritatem quàm potentiam. Cuius tamē tanta uiderant signa, & miraculosa opera, iamdudum & multa, ut non sine maximo ingratitudinis crimine admiserint cunctationem tam impiam, & perfidiam in uerbum domini, et Mosis toties comprobatam autoritatem & fidem. Videbant enim iam aquarum diuisionem, mannæ descensum, & petram aqua fluentem largissime: sed ne quicquam omnia, & idipsum quoq; longo tempore.

10 Quadraginta annis offensus fui generationi illi: & dixi, Semper hi errant corde. Et isti non cognouerunt uias meas:

Tæduit me quadraginta annis generationis illius, sæpe offensus illis ob perfidiam, puniui plagis magnis rebelles, ut ad duos usque omnes morerentur. Dixi, horrendam sententiam contra illos protuli. Hi sunt populus corde perpetuo errantes, uerbis enim meis credere noluerunt, sed pro suo potius arbitrio contendebant ad omnia illa, quæ illis interdicebātur lege, & quæ dominum abominari sciebant. Cum tamen minime ignorare potuerint uias meas, sed crassissimo cordis sui errore obstiterunt semper diuinis mādatis, quin potius ignorare uoluerunt uel cognita spreuerunt ut plurimū, non aliter quàm pœnis ac flagellis redigendi in ordinem.

11 utiurаui in ira mea, Si introibūt in requiē meam.

Firmiter statuit puniendos, quod est dominum iurasse in furore, non cōmotione uel mutatione arbitrij, firmando quod alioqui firmum non esset apud deum, sed humano eloquio uoluntatem suam certā explicat, de non introducendis indignis qui exierant numerati Aegyptum in promissam hæreditatem, qui promittenti domino credere & obedire noluerunt, grauissimo infidelitatis crimine, grauiter sed dignissime puniendo. Iam uero dies beneficiorum domini commemorandorum, est dies Christi, dies reuelati euangelij, quo prosterni, incuruari, genua flectere debēt pij omnes, ad sanctificationem diuini nominis sine intermissione. Quod nisi faciant, in requiē eius patriæ cœlestis non poterunt peruenire. Hanc Anagogiam tractat Apostolus ad Hebræos cap. 3.

PSALMVS XCVI.

Canticum Dauid quando domus ædificabatur post captiuitatem.

In Hebræo nullum legimus titulum. Iudæi dicunt æditum à Dauide, cum produceret arcam domini de domo Obededom. Alij dicunt canticū tempore Messiæ decantandum de collectione populi fidelis à captiuitate.

ARGVMENTVM. Vocatio gentium ad cultum dei ablegata idololatria.

1 CAntate domino canticū nouū: cantate domino omnis terra.

Nouam quidem gratiam dei, dudum aūt promissam patribus, noui per fidē ad deum uerum conuersi homines nouum cantent canticum, & profiteantur, qui per Christum dei filium Messiam à sæculis promissum recreauit orbem, quem dudum creauerat. Omnes habitatores terræ, nō tantū Iudæi Chananæi, sed & gentes ubique creaturæ dei, canite laudem & gratiam domino, etiam si peccatores sitis, quādo ad pœnitentiam & nouā uitam omnes uocamini. Nouū enim & inauditum incarnationis diuinæ beneficiū nouos & antea inauditos hymnos requirit. Solemus enim nouis celebrare carminibus quæ nos eximie afficiunt. Laudes dei canendæ.

2 Cantate domino (&) benedicite nomini eius: annuntiate de die in diē salutare eius.

Cantate post hac soli domino, nullis idolis, diuis, magnatibus diuinum sibi honorem uindicantibus: exurite potius statuas, & delete excelsa ac delubra, recedant illorū nomina de ore uestro, ut in eis minime iuretis, sed tantum domini Dei ueri nomini benedicite, illius super omnia nomen sanctificetur & solum. Euangelizate de die in diē salutare eius, prædicate omnibus in toto mundo hominibus oblatam & donatam gratiam per Christum credētibus. Nec cessetur unquam ab his laudibus, quandoquidem salus illa non deficiet.

3 Annuntiate inter gentes gloriam eius: in omnibus populis mirabilia eius.

Quandoquidē Iudæi contemnunt & indignos se exhibent ad suscipiendam salutem, uos reliquæ omnes gentes narrate gloriam eius. Vosq; apostoli domini, reliquiæ quæ saluæ fient ex Israel, & pauci comparatione, prædicate uerbum salutis prophanis populis, & omnīū angulorum terræ hominibus gentilibus, narrate omnibus populis mirabilia dei, olim Israeli tantum nota, quibus olim sua iudicia non manifestauit, nunc illius gloriā beneficia gratiā et opera innotescere faciatis omnibus.

4 Quoniam magnus dominus & laudabilis nimis: terribilis est super omnes deos.

Causam exponit cur deus celebrari tanto studio debeat. Solus enim est & potest omnia, creator beneficus supra modum omnibus illi cōfidentibus, cuius laudibus sufficere mens & lingua nulla possunt, nec angelorum, nec hominum, supra omnem laudem excellit illius bonitas & dignitas. Terribilis est & metuendus ac reuerendus super omnes qui dicuntur dij, & non sunt. Iudicat enim iuste, & conculcat omne quod dicitur uel colitur deus. Fictor enim & creator ut cœlorum ita rerum omnium, Laudis ratio.

eoq; dignus est laudari atq; reuereri ab omnibus.

5 Quoniam omnes dij gentium dæmonia: dominus autem cœlos fecit.

Omnia numina gentium nihil quàm hominum figmenta sunt. Quod autẽ hæc deos uocat, imitatio est locutionis uel usus: illarum enim nomenclaturã hactenus usurpauit, quo illa plus contemneret, mox subijciens ea uanitates esse, & nihil nisi nugas, res fictas et nihili, quæ obsunt multum, prosunt nihil. Dominus autem deus noster talis est, qui cœlos fecit, maior esse non potest, qui condidit maxima, regit cœlos quos formauit et uerbo suo creauit. Qui uero contemptus maior, quàm dicere fictum, nihilum, qualia illi colebant deos esse? Numina gentium.

6 Confessio & pulchritudo in conspectu eius (fortitudo) sanctimonia & magnificẽtia in sanctificatione eius.

Hæc omnia propriè sunt ecclesiæ Christi, quæ cum cœlestibus ornamentis & uirtute polleat, uere in ea dei magnificentia, uirtus & decus refulget, quæ templi magnificentia & ornamentis præfigurata sunt. Domino enim deo à fidelibus exhibenda laus & celebris gratiarumactio, agnitio gloriosæ maiestatis, & sanctificatio diuini nominis ex corde, ut dño placeat. Omnipotens quoq; fortitudo illi confitenda est in conuentu piorum, in sanctuario spiritus sancti, in cordibus electorũ, quæ deus inhabitat. Omnia splendorem & uires ab ipso habent, ut deo digne uiuant.

7 Afferte domino patriæ gentium, afferte domino gloriam & honorem:

Quotquot ubiq; gentium estis familiæ populorũ, quæ prophanæ fuistis, incredulæ & peccatores, afferte deuotionem cordis & fidei, gratiarumactionem, & agnoscite eius gratiam et gloriam, à quo habetis uires & instinctus bene operandi. Idola uana & muta abijcite, gloriã & potentiam illius solius admiramini.

8 afferte domino gloriã nomini eius. Tollite hostias & introite in atria eius:

Gloriam & famam magni nominis uobis ipsis nõ quærite, sed domino afferte, nihil boni uobis ascribite, sed nomen eius glorificate. Accipite munus domino offerendum, quod estis uosipsi, illi acceptum referte. Hæc autẽ communis est omnium populorũ oblatio, de qua passim prophetæ uaticinantur. Qualem & Paulus gloriatur se dño obtulisse, non legales alias hostias, uel oblationẽ, quæ olim cõstabat libis, farina, oleo, thure & uino. Nobis nõ est post gratiarumactionem aliud uictimarum genus offerendum, quàm quo pascatur & foueatur proximus. Oblatio populorum.

9 adorate dñm in atrio (decore) sancto (eius.) Cõmoueatur à facie eius uniuersa terra:

Sacrarium splendidum & magnificũ est ecclesia Christi, & si typum huius prætulerit templum, olim externe quoque insigniter ornatum. Quanquam autem ubique deo supplicandum & laudes celebrandæ sunt, sacrum tamen cœtum huic peculiariter addicit, quia in hoc omnia augustiora habentur.

10 dicite in gentibus (quia) dominus regnauit. Etenim correxit orbem terrę (qui) non commouebitur: iudicabit populos in æquitate.

Hic uersus ipsissimum Euangelium habet, per Christum enim regnũ dei uere demũ mũdo comigit, quo ille ita instituitur, paratur & confirmatur, ne unquam nutet. Hic autem mũdus, qui dei regnũ recipit, electi sunt, ita petræ, quæ Christus est, innixi, ut deijcere illos nulla prorsus uis creaturæ possit. His etiam solis quàm æqua sint iudicia notum est, sicut & dei omnem potentiam esse, qui solus interim regnauit & regnat, non idola, tyranni, dæmones, orbemq; correxit ab erroribus, beneplacitum suum omnibus patefecit, ut iuxta illud uiuatur ab omnibus, iusteq; ac recte omnia peragantur. Euangelium regni.

11 Lætẽtur cœli & exultet terra, commoueatur mare & plenitudo eius:

Inuitat ad lætandum de felicitate regni dei uniuersas creaturas, homine enim restituto restituuntur & illæ, quæ filijs dei hic adhuc laborantibus semper congemiscunt corruptioni subiectæ. Cœlorum autem nomine angeli quoque cœlestes intelligi possunt, & omnes electi, Mare & quicquid omnibus elementis continetur, nulla creatura cesset à laude sui creatoris, quam exequitur prærendo illius legibus, suo quoque in ordine, & nihil prætereundo de naturali lege illis indito.

12 gaudebũt cãpi, & omnia quæ in eis sunt. Tunc exultabunt omnia ligna syluarum,

Omnia quoq; in terra nascentia glorificate conditorem uestrum. Et ligna syluarum, pij omnes & ab impietate conuersi, imò & mali deum iustificate, qui in omnibus operibus suis sanctus apparet & laudabilis.

13 à facie domini quia uenit: quoniã uenit iudicare terram. Iudicabit orbẽ terræ in æquitate: & populos in ueritate sua.

Communis est de regno Christi lætitia, singularis affectus & gaudij gestientis, ob id quod iam dominus sit iudex, rex & gubernator omnium futurus, solus enim iustitia & fide cuncta instituit & moderatur. Venit aũt dominus compositurus orbem & reformaturus, ut eiiciat quoq; foras principem mundi, ut peccata terræ corrigat, & uerbi sui ueritate omnia restituat collapsa, & fide electos iustificet. Regni Christi lætitia.

PSALMVS XCVII.

Huic Dauid quãdo terra eius restituta est.

In Hebræo nullum hic Psalmus titulum habet.

ARGVMEN. Gratulatio de regno Christi.

1 DOminus regnauit, exultet terra: lætentur insulæ multæ.

Nunquam non dominus regnat in mundo, cui omnia obsequuntur creatori & gubernatori omniũ. Sed homines sese illius regno, quod in eos habere uult, per peccata plurima subduxerunt semper, & naturæ lege spreta & præuaricata, carnis & sanguinis legem sequuti sunt. Iustitiam, pacem, charitatẽ, gaudium in spiritu sancto ignorare iamdudum cœperant, nec nisi per legem domini à malitijs cohiberi potuerunt, partim naturæ inditam, partim Israelitis literis præscriptã sacris, & à paucis obseruatã & imperfectè per

per Christum autem regnum dei ad extremos usq; orbis fines propagatum est. Cuius hic regni uaticiniũ canitur, proferendi longissime à Iudæa ad omnes gentes, quæ omnes creatoris sui maiestatem & bonitatẽ agnituræ sint, & in gaudio spiritus ueneraturæ & collaudaturæ. Intelliguntur autem insulæ multæ, extremi anguli terræ, & quicquid in remotissimis quoq; maris finibus habitabile solum inuenitur. In omnem enim terrã exiuit sonus euangelicæ prædicationis, & cognitio fidesq; unius & ueri dei. Lætantur autem ex euangelio dei per Christum audito & credito, de gratia adoptionis & salutis, & remissionis peccatorum, promissioneq; cœlestium gaudiorum in Christo, ut sic in eadem fide unius dei & saluatoris Christi, gentes omnes quæ idololatræ fuerant eruditantur & proficiant, pariterq; totus mũdus agnoscat potentiam & gratiam dei ueri.

2 Nubes & caligo in circũitu eius: iustitia & iudicium correctio sedis eius.

Potentiam dei omnibus tremendam prædicat, cũ ait, Nubes densa & atra circum eum sunt. In tempestatibus cœli maxime timetur à mortalibus quantumuis ferocibus, dum densa nube uelut adequitat, & in dira caligine tonat, territat & exanimat, adesse iam & regnare gloriatur. Nam ex æquitate & iustitia hac sua tam terrifica potentia utitur, suisq; in salutẽ eam exercet. Vnde et discimus homines incomprehensibilem esse iudicij diuini terrorem & benignitatem. Gratiose autem habitat inter homines, si ei fidutia & timore filiali adhæreant, & à malis abhorreant quæ prohibuit, & iustitiam colant quam mandauit.

3 Ignis ante ipsum præcedet: & inflammabit in circumitu inimicos eius.

Dominus regnante Christo uere tandẽ potentiã suam mundo exhibiturus canitur, præclarius multo & magis tremendo, q̃ tempestate illa qua in monte Sinai populũ olim exterruit. Quod glorificato Christo multis sane modis præstitũ est, præcipue aũt ab illa tempestate, qua suis spiritum sanctum adflauit in die Pentecostes. Tum utiq; multo felicius præsentiam suam nube, caligine, fulmine, terræq; concussione exhibuit, cum suos stupenda adeo et toti orbi terrifica uirtute ex alto induit. Impios incendit qui deo infesti sunt, sed adeo terrẽtur horrendis iudicijs dei, ut à nimia sua malitia cohibeãtur uelint nolint.

4 Alluxerunt fulgura eius orbi terræ: uidit & commota est terra.

Orbem fulminibus illuminatum intelligimus impiorum immanitatem, perterrendam supernæ uirtutis emicationibus, uerbo & portentis per apostolos in mundo coruscantibus, quibus maiestas dei, & terror potentiæ eius manifestatur omnibus hominibus, quam ut uidet, terra quoq; & omnis creatura ferre non potest. Quanquam enim amari dominus malit quàm formidari à pijs. Quoniam uero malorũ maxima multitudo est, et piorũ minima, terrore mundum concutit dominus & mundanos, quo uel timore coerceantur à uitijs, qui amore non possunt dirigi uel compesci.

5 Montes sicut cera fluxerunt à facie domini: à facie domini omnis terra.

Quanquam montes fortissime stantes, & inconcussi omni uirtute naturæ uideãtur, ui tamen aquarum ex eis decurrentiũ cum tempore minuuntur, & defluentis ceræ imaginẽ præ se ferũt: multo tamen uerius & potentius id factum est uirtute Christi in mundo, ut primæ celsitudinis & firmitatis regna, quæ montium instar stabant, in modũ ceræ defluxerunt, partim uoluntate, partim ui Christo subiecta. Vis ista in Iudæorum Romanorum & multorũ aliorum regnorũ dissolutione præclare satis ostẽsa est. Cessit enim & semper cedet diuino iudicio, omnis altitudo humana, à facie dñi cui omnia seruiunt, à facie eius q dominatur uniuersæ orbi, cui nihil resistere potest, à cuius uolũtate et nutu pendẽt uniuersa. Vis aquarũ

6 Annuntiauerunt cœli iustitiã eius: & uiderunt omnes populi gloriam eius.

Magnifice quidem ostendunt cœli & prædicant orbi toto potentiam & magnitudinẽ dei, sed multo admirabilius apostoli & prophetæ prædicauerunt euangelium Christi, quo iustificantur fideles: ut uiderint iamdudũ omnes populi creatoris sui bonitatem & beneficia mundo præstita: ut & hi quibus iustitia dei prædicatur iustitiam diligant atq; colant, domino per fidem deuoti, proximis charitate seruientes. Hoc enim dominus ab homine exigit, & contemptores digne punit.

7 Confundantur omnes qui adorant sculptilia: & qui gloriãtur in simulachris suis. Adorate eum omnes angeli (eius:)

Confundendos prædicit omnes cultores idolorũ, quod & factũ mundus uidit & uidet, qui neglecta uoluntate creatoris & cultu, errores suos sectati sunt, & sculptilibus ac idolis, manuum suarũ laboribus & operibus seruire maluerunt quàm deo: traditiones hominum diligentius sectati sunt quàm legem diuinitus è cœlo datam: qui in suis gloriãtur idolis, alios deos iactãt, alios saluatores & auxiliatores, non solum unum ac uerum deum agnoscunt, quum quicquid magnificum in terra habeatur, soli deo uno & uero subijci debeat & seruire. Contra idola.

8 audiuit, & lætata est Sion. Et exultauerũt filiæ Iudæ propter iudicia tua domine:

Ecclesia fidelium nomine & typo montis Sion significata, gratulatur plurimum de confusione idololatrarum tali, quæ causam præstat resipiscentiæ & fidei ueræ, ad gloriam dei & ueritatis cognitionẽ salutiferam. Et exultent confessores & magnificatores bonitatis & gloriæ diuinæ in uniuersis ecclesijs: quæ dicuntur filiæ, hoc est, deuotissimi cultores dei, quales olim tantũ erãt in Sion. Propter iudicia tua domine, quibus sic fortia quæcunq; in mundo confundis, ut humilia eleues: fidem statuis, ut impietatem deijcias. Ecclesia Sion.

9 Quoniã tu dñs altissimus super omnem terrã, nimis exaltatus es sup omnes deos.

Parum dicitur, dominum altissimum esse super omnem terram, qui eminet cœlis, quos condidit, & pro nutu regit: sed intelligit futurũ, ut aliquãdo in toto mundo agnoscendus sit & colendus omnipotens deus Israelitarũ & Iudæorum, & non tantum uno loco & populo. Glorifi

cabitur enim nomen eius solius in toto orbe, abiectis dijs omnibus aliarum gentium, qui dij non erant, sed turpissimi errores. Super quos sic eleuabitur dominus ille deus Israel, ut alios deleat, & in obliuionem abducat: & non tantum deos, sed & quicquid maxime altum putabatur in hoc mundo & excedens, humiliabitur & annihilabitur, donec huic soli uero deo subdatur, ad ipsius gloriam & maiestatem supremam.

10 Qui diligitis dominum, odite malum: custodit (dominus) animas sanctorum suorum, de manu peccatoris liberabit eos.

Felicitas Christi regni.

Post tantam regni Christi felicitatem hortatur cultores dei & amatores, ut à malitia, id est, studio lædendi alios, iniuriamq; retaliandi absint quàm longissime, eo quod malum omne abominatur dominus, cum sit ipsa bonitas, seruatq; studiosos uirtutum, & in tempore uindicat, si quid ab improbis patiantur, qui curæ sunt domino, nec patitur sanctorum amicorum suorum persecutores diu efferari, sed modum ponit tentationi piorum, ne in errorem ducantur electi, & impij de ferocitate sua et blasphemia dei inulta diutius glorientur.

11 Lux orta est iusto: & rectis corde lætitia.

Lux orta est & præparata iusto, quod Hebræus Semi nata legit ע pro נ incommodiore uerbo, si non est error scribarum. Decretũ à domino est, ut iusti soli lucem intueantur ueræ sapientiæ, & domini dei sui intelligant beneplacitum. Et eis qui recto sunt corde, quibus iustitia placet & charitas, timorq; dei, his solis contingit syncerum gaudium, & durabile, quod nullo hominum timore uel impedimento adimitur. Sola syncera conscientia & pura fruitur iugi gaudio: perturbata conscientia semper pauet.

12 Lætamini iusti in domino: & confitemini memoriæ sanctificationis eius.

Si itaq; in domino quis gaudere feliciter optet, is collat iustitiam, in deum firma fidutia & digno amore feratur, excutiat conscientiam ab omni crimine. Et de beni gnitate dei plene persuasus, soli ei probari cupiat & seruire. Gratias quoq; agite quotquot sancti estis, quoties memoria inciderit beneficiorum dei & sanctificationis, qua fideles suos æmulari præcipit sanctimoniam, qua & ipse sit sanctus, & perfectionem qua est perfectus.

PSALMVS XCVIII.

Psalmus ipsi Dauid.

In Hebræo tantum scribitur Psalmus.

ARGVMENTVM. Excitatio ad laudem dei pro gratia mundo collata per Christum.

1 CAntate dño canticũ nouũ: quia mirabilia fecit. Saluauit sibi dextera eius: & brachiũ sanctũ eius.

Nouũ canticum.

Canitur salus præclara, quam dominus semper suo populo exhibet in ueteri & nouo testamento. Nouum autem canticum uult propheta cantari, pro renouato spiritu deuotionis nouis laudibus et uerbis, pro noua gratia & beneuolẽtia, nouis beneficijs demonstrata, maxime autem pro renouatione mundi & fidelium noua charitate per Christum donata ad dominum, proq; nouo dei patris munere collato mundo, per mysterium incarnati uerbi, dudum promisso & expectato à sanctis. Quia mirabilia fecit, à sæculo non uisa nec audita. Verbum enim caro factum est, & salutis nostræ dispensationem perfecit, natus, ostensus, prædicans, patiẽs, moriens & resurgens, omnia mirabiliter & inæstimabili mysterio & gratia dei. Salutẽ perfecit dextera sua deus populo suo & electis, sola sua uirtute, non per angelos aut aliam creaturam, sed per suum uerbum: dextera & brachio suo portas mortis destruxit, mundum uicit, & satanæ regnum.

2 Notum fecit dominus salutare suum: in conspectu gẽtium reuelauit iustitiã suam.

Quia uero deus per Christum suum nouo & inaudito modo rebus humanis opem tulit, ut electi eius iam peccatis ac inde malis omnibus liberi in æternũ uiuãt, iussitq; Euangeliũ Christi. illum cunctis mortalibus per Euangelium offerri, recte cum emphasi subiecit propheta, Notũ fecit dominus salutare suum, reuelauit iustitiam suã coram gẽtibus. Nam & si sæpe uirtutem suam in salutem suorũ antea quoq; deus exeruerit, nihil tamen unquam præstitit quod huic saluti queat conferri. Tum sanè quando unigenitum dedit, ut omnis qui in illum credat, habeat uitam æternam, quo & omnia simul dedit electis.

3 Recordatus est misericordiæ suæ, & ueritatis suæ domui Israel. Viderũt omnes termini terræ salutare dei nostri.

Promissio salutis.

Post primi hominis peccatum, statim clementiam suam promisit generi humano, & deinde patriarchis sanctis ac prophetis benedictionẽ pro maledictione, quam suam bonitatẽ & gratiã uerissime compleri uoluit, suo tempore redemptionẽ mittendo populo suo in Christo, ut prophetæ sui fideles inuenirentur, & uinceret ipse quoque cum iudicaretur ab impijs, recordatus est promissionũ, ut cõpleret in Christo: cuius mysterũ perfectãq; salutẽ uiderũt omnes fines terræ. Prædicatũ est enim euangelium regni per Christũ & apostolos toto orbe terrarũ.

4 Iubilate deo omnis terra: cantate, & exultate, & psallite.

Redempti à peccatis & morte fideles, toto orbe terrarum per uerbum ueritatis & euangeliũ regni in Christo ex corde iubilate & gratulamini, ac præ lætitia conscientiæ gestite uerbis, uocibus, hilari deuotione & spiritu gratias agentes domino. Non tam de assequuto bono saluandorum & proprio, quàm de bonitate dei manifestata hominibus. Gaudendũ enim est electis, non de suo bono, sed de gloria dei agnita & adaucta coram hominibus, ut sit deus omnia in omnibus.

5 Psallite domino in cithara, in cithara & uoce psalmi,

Inuitat studiose ad laudes dei: omne enim genus organorum musicalium exigit, quo significatur exultatio animi & corporis de salute donata à domino. Citharam in primis nominat familiare instrumentũ Dauidis à iuuentute sua, & de post fœtantes usitatum illi. Vox autem psalmi uel cantici eidem ut iam propheta & electo competebat & familiarior facta est.

in tubis

6 in tubis ductilibus, & uoce tubæ corneę. Iubilate in conspectu regis domini:

Tubæ & buccinæ iubilationes ex lege domino gratæ esse non ignorabãtur. Cætera organa musicalia sub ipsis intelliguntur, uel non tam in usu erant sacro. Sensus tamen est, omnibus modis iubilandi gaudete & canite, quandoquidem inæstimabilis est causa gaudij uniuersalis, ut suo quoq; modo gens & natio quæcunq; gratuletur & gaudeat, de domino reconciliato humano generi per Christum. Addidit autem interpres uetus, Ductiles & corneas ex intellectu legis. Erant enim secundũ Mosis præscriptum tubæ ductiles & corneæ. Non autem locũ habeat tanta gratulatio nisi in cõspectu, id est in gratiam regis omnium, domini dei sui, cui pro tantis beneficijs sint iugiter gratiam cantaturi.

7 moueatur mare & plenitudo eius: orbis terrarum, & qui habitant in eo.

Ad cunctas creaturas hæc salus peruentura erat, ideo omnes ad laudandum dominũ adhortantur. Maxime aũt homines afficere debet gratitudinis uotũ, cæterus ut non satis nobis sit uniuersos mortales, qui modo huc adduci possunt, ad laudis dei societatem perduxisse, sed si fieri possit cupiamus ad pariter laudandum & lætandum nobiscum permouere creaturas uniuersas. Qui enim solide gaudent, congaudere sibi percupiũt quicquid uspiã est.

8 Flumina plaudent manu, simul montes exultabunt

Eleganti prosopopeia inuitãtur etiã flumina ad plausum manuũ, nihil aliud intẽdendo, quàm ut omnes creaturæ dei deo gratias agant, & cõfiteantur creatoris bonitatem: pariter & montes canant laudes, hoc est totus orbis homini gratuletur, p beneficijs à dño illi præstitis.

9 à conspectu domini: quoniam uenit iudicare terram. Iudicabit orbem terrarum in iustitia: & populos in æquitate.

Coram domino, in præsentia dei ubique existentis, & in spiritu ac ueritate adorandi, canendum domino spiritualibus hymnis, qui suo tempore uenit iudicare terram, spiritu oris sui, per uerbum domini quod mundus ignorauerat & spreuerat. Iudicabit autem orbem in iustitia. Omnes enim homines peccatores inuenit, gratia & misericordia dei egentes, quos & redemit dispensatione mortis filij sui. Populos quoq; omnes iudicabit in æquitatibus, in euangelicis doctrinis, fide, spe, & charitate, in quibus uera consistit iustitia.

PSALMVS XCIX.

Psalmus Dauid.

In Hebræo deest titulus.

ARGVMENTVM. Gratiarumactio est, de dei beneficijs ad electos.

1 DOminus regnauit irascãtur populi: qui sedet super Cherubim moueatur terra.

Dominum regnare sentiunt omnes creaturæ, homines autem in primis intelligant omnia pendere ex illius nutu, sciant se non sine deo uiuere, agere uel posse quicquam aut esse, ideo illius iustissima iudicia timeant, & contremiscant à potentia illius. Qui ad id se se inter Cherubim sedere, et adesse suo populo uoluit & credi, ut timeretur ipsius iudiciũ, quod non raro ædidit contra impios, tẽporibus Mosis, Iosue, Samuelis & Dauidis, ut & præsentiæ suæ mysteriũ cõsolaretur pios, & iudicia seueritatis absterrerent impios: & tota ipsa terra concutiatur, ne quis dñm uniuersorũ cõtemnere audeat. Erant aũt Cherubim imagines alatæ, humana tamẽ facie formatæ, quibus adumbratũ est deũ nusquã habitare uerius, q̃ inter mentes, humanas quidẽ, sed quæ posita peccati mole, et sumptis alis spiritus in cœlis uersarẽtur.

2 Dominus in Sion magnus, & excelsus super omnes populos.

Dignationem præsentiæ suæ nunquã deus tam magnifice ostendit, ut confirmato regno Dauidis, nec ullo in loco, ut in Sion exhibuit, cũ scilicet populo suo primũ tam longe lateq; gentes finitimas subiecit, quàm initio promiserat. Tunc enim uere dñs se in Sion magnum & excelsum super cunctos populos declarauit, at infinito maiorem & celsiorem exhibet sese in Zion cœlesti, in ecclesia catholica fidelium toto in orbe.

3 Confiteantur nomini tuo magno (quoniam) terribile & sanctum est:

Quum fuerit in toto orbe nomen dei unũ, & una gloria & spes sanctorum, tunc confitebuntur electi paßim perceptam à domino salutem & gratiam, humeroq; adorabunt uno pariter sanctum sanctorum, sanctificantem pios, & tremendum impijs. Excelsum erit nomen suum in agnitione & cultu omnium populorum, qui in seipso excelsior fieri non potest, sed ab æterno eminet, ut dominus uniuersorum omnibus. Non iam tantum Iudæorum deus, nec Hierosolymorum oraculum futurus, sed orbem uniuersum saluaturus. Vnũ nomen dei.

4 & honor regis iudicium diligit. Tu parasti directiones: iudicium & iustitiam in Iacob tu fecisti.

Canit deum salute suorũ cuncta potenter & æquißime instituere, ut uni sibi nos committere, unum colere, unius præceptis uiuere cõueniat. Maiestas, honor et magnitudo regis ac potestas tecum est, cui nemo potest resistere. Tu ab hominibus exigis iudiciũ iustitiæ, ut uiuant iuste: tu parasti, fundasti, composuisti, & direxisti æquitates, constituisti leges iustas iuxta quas uiuere debeant oẽs hoĩes: iudiciũ et iustitiã in Iacob tu fecisti ad ꝓximũ & ad teipsum, contra se & pro se: timẽdo & sperãdo.

5 Exaltate dñm deum nostrum: & adorate scabellũ pedum eius (quoniam) sanctum est.

Hortatur ut dñm sic præsentem, & omnia optime instituentẽ, religiose colant electi. Peculiaris tamen huius locus erat corã arca fœderis, quam uocat scabellum dei. Iubet ergo ante hanc sese prosternere. Christiana autem ecclesia ad cœlos undique suspirare debet, suspicere & contẽdere, omnino aũt idola abominari, quæ dñs odit et prohibuit. Sanctum autẽ erat scabellum, oraculũ, templum, arca & propitiatoriũ, quia sic dño placuit.

6 Moses & Aaron in sacerdotibus eius: & Samuel inter eos qui inuocant nomẽ eius.

Inuocabant dñm, & ipse exaudiebat eos:

Proponit exemplum Mosis, Aaronis & Samuelis, qui præcipui fuerunt inter cultores dei, & inuocatores diuini nominis ad hoc quoque constituti, ut populum docerent ueram pietatem. Erat sanè Samuel ex genere Leui, per Cahat, ex quo & Aaron & Moses nati, ut testatur 1. Paralippomenon 6. Istos doctores & ductores præposuit dominus populo suo. Istos audiẽdos præcepit loquentes in nomine domini, & illius cultum non proprium honorem uel cõmodum pro omni studio suo promouentes. Inuocabant, inquit, dominum, qui & illis respondebat ad gratiam suorum fidelium & profectum, & ceu facie ad faciem illis locutus est.

Samuel Leuita.

7 in colũna nubis loquebatur ad eos. Custodiebant testimonia eius, & præceptum (quod) dedit illis.

Istis populo aspiciente & trepidante, dominus ex nube responsum dabat, & causam adijcit, quod seruauerunt eius testimonia statuta uel ceremonias, hoc est, plena fide uerbis eius ac legibus addicti fuerunt, atque hinc ita fuisse illis deum propitium, ut ad preces eorum, & populo placaretur cõuerso, ac rebelles illis disperderet. Tantum certe placando ualuerũt, ut eos præcipuos amicos nominarit ad Ieremiã: Si steterint coram me Moses & Samuel, nõ est mihi animus ad populũ istum: quos & uidetur aliquantisper prætulisse ipsis magnis uiris Noe, Danieli & Iob. De Aarone legitur incendiũ coercuisse.

8 Domine deus noster, tu exaudiebas eos: deus tu propitius fuisti eis, & ulciscens in (omnes) adinuentiones eorum.

Tu dominus deus noster exaudisti eos, toties orantes pro populo: tu ad eorũ preces supportasti eorũ ignorantias. Vel si legatur Afflixisti eos, constat propter populi transgressiones fideles seruos multa passos et grauia: denique peccata plebis punita fuisse in sacerdotibus, ut disceremus iustitiam & iudicium tuum. Tandemq; seditiosorum hominum uindicata sunt impia studia, primum, Core, Dathan, & Abiron, cum tabernaculis & uniuersa substantia eorum, uiuis à terra absorptis, tum ducentis & quinquaginta quinq; qui offerebant incẽsum igni consumptis cum quatuordecim millibus contra Mosen seditionem mouentibus.

In seditiosos.

9 Exaltate dominum deum nostrum, & adorate in monte sancto eius: quoniã sanctus dominus deus noster.

Laudibus & gratiarum actionibus dominum deum nostrum exaltate, illius bonitatẽ & beneficia agnoscendo uerbis & factis. Et adorate unicum illum uerum deum, qui isto loco coli aliquantisper dignatus est, ne propensi ad ceremonias, dijs gentium & alienis seruire incipiãt. Sanctus est enim dñs deus noster, suapte natura, sanctitas ipsa, quam & in ministris & cultoribus unice exigit, nolens pollutos perfidia & malitia seruos, sed perfectos & puros.

PSALMVS C.

Psalmus in confessione.

Vel ad confitendum, uel laudem.

ARGVMENTVM. *Inuitatio est ad laudandum deum communiter.*

1 IVbilate deo omnis terra:

Iactauerant hactenus Iudæi cultum unius dei sui & ueri in Iudæa uigentem, unde & immerito superbiebant ingrati domino & inobedientes. Nunc in toto terrarum orbe iubentur domino iubilare omnes homines, per Christi euangelium instructi de uera pietate, et de erroribus gentiliũ superstitionum. Iubilare autem domino, est agnoscere beneficia bonitatis illius, & gestire ad complacendum ei, toto corde sese dño deuouere, et eius gratia abijcere deos oẽs.

2 seruite domino in lætitia. Introite in conspectu eius in exultatione.

Seruire domino, est fide, spe & charitate colere, non ex necessitate uel consuetudine psalmos canere, sed cordis affectu deuoto, et cũ gaudio spiritus illi obsequi uelle per omnia, nihilq; dolere magis, quàm si in eius legẽ & præcepta offenditur. Ingredi in conspectum eius cũ exultatione, est cõparere in cœtu fideliũ cum læta conscientia & de gratia & beneuolentia dei per Christum certum esse, Gaudere quoq; de multitudine et deuotione colentiũ digne deũ, cũ spe affectuosa profectuũ pietatis, nõ tantum uoce & organis laudes canere sine spiritu.

Deo seruire

3 Scitote quoniam dominus ipse est deus: ipse fecit nos, & non ipse nos. Populus eius & oues pascuæ eius,

Præcipue discenda & ruminanda imò & confitenda in sacris cœtibus sunt, dominũ esse deũ, omnia potentẽ, scientem, & gubernantem. Qui enim hæc certo nouit, deum esse omnium ũndicem ac regem, qui nos ex nihilo condidit, & unus uelut pastor gregem moderatur, et sic quidem ut saluet, is sese totũ ei addicit, unice colit, amat, laudat & extollit super omnia: & hæc sanè uita beata est. Ipse, inquit, creator est noster, ex illo toti pendemus, ex nobis nihil sumus nec possumus. Verum populus eius sumus, & grex pascuæ eius, quos fideliter pascit, curat, defendit & sautios alligat, perditos quærit et reportat, nec patitur uel centesimam perire, quin in humeris gestat ut saluet & colligat.

Confessio ecclesiastica.

4 introite portas eius in confessione: atria eius in hymnis cõfitemini illi. Laudate nomen eius,

Hortatur iterum ad id quod præcipuum esse debet in sacris cœtibus, ut cõfiteantur fideles domino bonitatem eius, & instituantur de uolũtate eius. In atrijs domus domini plebs Israelitica conueniebat, in interiori uero Leuitæ & sacerdotes, sacrificia & cãtica prosequebãtur, in exteriori uero tertio mulierum & puerorũ erat uulgus aduertentium ad ea quæ dicebãtur, uel cancebantur: intelligere enim poterant, quia in lingua uulgata illi populo non immerito nec sine fructu et deuotione dominus laudabatur. Benedicite uel laudate nomen eius, omne bonum sibi ferte acceptũ, in omnibus creaturis agnitiũ, & innotescentẽ fidelibus laudate eũ, & illi soli cõfitemini.

5 quoniam suauis est dominus, in æternum misericordia eius, & usque in generationem

tione & generationem ueritas eius.

Summam diuinæ laudis addit, bonũ & benignum esse in omnes, idq; perpetuò, quod naturã dei ferè solum exprimit, quod & solum ad fidei & charitatis professionem & incrementum potenter inuitat.

PSALMVS CI.

Psalmus ipsi Dauid.

ARGVMENTVM. *Principis & magistratus formula depingitur, quomodo apud se & erga alios animatus esse debeat.*

1 MIsericordiam & iudicium cantabo, tibi domine psallam,

Misericordia, hoc est, beneficentia qua animus propendet ad iuuandũ quoslibet, & æquitate, qua ex recto & æquo iudicio cuncta geruntur, constat uitæ integritas & iustitia, quocunq; munere quis fungatur, maximè uero principis, qui hic canit sese exhibiturum omnibus bonũ & æquum, pro ut à domino dabitur, à quo id posse fieri memoratur, pro quo et laudetur. Hinc et subiecit pius rex, Tibi domine psallam, non hominibus, diuis uel angelis.

2 (&) intelligam in uia immaculata: quando uenies ad me. Perambulabam in innocentia cordis mei, in medio domus meæ.

Vt caput est omnis officij rectè iudicare de rebus, & prudenter omnia instituere, ita primum meminit de prudentia, qua studeat prudenter uersari in uia innocenti, in lege domini, in cõuersatione nemini iniuriosa, ut nulli sit damno uel offendiculo. Donec sic innocentiæ assuescat, ut in omnibus rebus ipsa se iustitia & probitas aut integritas offerat: nec aliter quàm si quis habitum assecutus sit citharã pulsandi, cui etiam aliud cogitanti & agenti chordæ ex ordine pulsandæ quasi ultro occurrunt. Id aũt agam, quando ueneris ad me, si per gratiam astiteris uotis meis, quæ te inspirante concepi. Quali autem quisq; animo est domi suæ, & in eos quos coniunctiores habet & ministros, delectu potissimum demonstrat, ideo canit domi se innocenter conuersari, priuatim scilicet, cãdide cum domesticis uiuere.

3 Non proponebã ante oculos meos rem iniustam: facientes præuaricationes odiui. Non adhæsit mihi,

Non proponam, aut non probabo rem prauam, flagitium, scelus (Id enim uocat uerbum Belial) omne inhonestum detestabor. Nihil unquam indignũ bono uiro tentabo loqui uel agere, qui aliorum improbitates corrigere pro officio obligor, & offendiculũ omne uitare. Sceleratorum studia & facta odiui. Non hærebit mihi improbus quicunque. His uerbis testari uoluit se ab ijs quæ praua & flagitiosa sunt toto animo abhorrere, idipsum uero ex conscientia loqui potuit, uel pro gratia sic agendi dominum orare uel optare ut sic habeat.

4 cor prauum: declinãtem à me malignum non cognoscebam.

Boni bonis delectantur, & execrantur malitiam in hominibus, & homines impios, quanquam illis dum necessitas postulat perfectam dei bonitatem imitati beneficere non detrectent. Sua autem amicitia & familiaritate istos haudquaquam dignãtur, multo minus sustinent eos publicis præfici ministerijs. Cor prauum, uersutum & fraudulentum intelligit, cuius cõsilia nemo potest perue stigare aut cauere. Noxium & malignum, qui ad nocendum semper proximis intentus est. Qui huiusmodi sunt, eos auersatur prælatus bonus, non agnoscit ut commune cum eis aliquid habere possit.

Cor prauũ.

5 Detrahẽtem secreto proximo suo: hunc persequebar. Superbo oculo & insatiabili corde cum hoc non edebam.

Qui infamat secreto proximum, hunc dicit se consecturum & persecuturum. Nam nihil est hoc malo pernicioſius et pestilentius. Sublimes oculi crebrius apud prophetas & prouerbijs taxantur et alibi. Qui enim planè improbi sunt, solent esse impudenti facie et aspectu, quo testantur se neminem uereri, ac præ se cunctos despicere: sic qui fastu laborant, & arrogantia, in sublime iaciunt oculos, & uasto adeo corde sunt, ut nihil illis satisfaciat, nulla dignitas, nullus honor et potẽtia saciet. Istud malum homines facit intolerabiles, ideo hic dixit: Non feram. Cum hoc non edebam, alijs punctis Non possum dici potest.

Improborũ mores.

6 Oculi mei ad fideles terrę, ut sedeant mecum: ambulans in uia immaculata, hic mihi ministrabit.

Sicut malos execrabatur & à se propellebat, ita consequens erat, ut bonos sibi iungeret. Canit ergo oculos suos esse intentos & defixos in fideles terræ, hi enim ad animum eius faciebant, grati esse poterant. Eos ergo ex omni terra et ditione sua delectos sibi iungebat, & cum domestica tum publica eis ministeria committebat, non improbis, superbis, auaris, mendacibus.

7 Non habitabit in medio domus meę qui facit superbiam: qui loquitur iniqua, non direxit in conspectu oculorum meorum.

Repetit se uelle eijcere à se & etiam extinguere improbos. Nam cum hi omnibus bonis fugiendi sunt, summopere tamen detestari & persequi eos debent qui funguntur magistratu, quod cum apud hos uel gratia uel potentia ualent, hoc ampliorem habeant improbitatis suæ & materiam & facultatem. In hos ergo sic animaduertere uult, ut nulli improbo, dolo & mendacijs dedito, ut sunt quicunque sub satana militant patre mendacij, gratiam & fauorem suum impartiatur, uel familiaritatem concedat.

Improbi ab ijciendi.

8 In matutino interficiebam omnes peccatores terræ: ut disperderem de ciuitate domini omnes operantes iniquitatem.

Maturè exterminandis illis inuigilare destinat, ut nullus in ciuitate domini reliquus remaneat quæ solis sanctis inhabitanda decernitur, à qua omnis improbitas arcetur. Hinc omnibus discendum, maximè principibus, quàm uitandus sit bonis conuictus malorum. Quare & diuus Paulus ab episcopis requirit innocentiam, fidemq; ministrorum, cum ut seuere in eos animaduertẽdum sit, malumq; è medio populi dei tollendum.

Conuictus malorum.

PSALMVS CII.

Oratio pauperis cum anxiatus fuerit, & coram domino effuderit precem suam.

Sic & Hebraicè legitur, & est Argumenti uice.

1 DOmine exaudi orationem meã: & clamor meus ad te ueniat.

Quomodo orandum.

Semper auſpicantur ſancti preces ſuas ab eo, quod orant preces ſuas audiri. Nam perpetuæ illis preces ac continua uota ſunt. Cum ergo differt ferre opem deus, uidetur eis ſuas preces non audire, auertere oculos & aures, ne cognoſcat quid uel patiantur uel orẽt: proinde ut audire tandẽ dignetur orãt, nec orant modo, ſed & uociferantur, ui doloris adacti.

2 Non auertas faciem tuam à me: in quacunque die tribulor, inclina ad me aurem tuam. In quacunque die inuocauero te: uelociter exaudi me.

Noli ſic uideri faciem auertiſſe à me, quaſi nimium iratus attendere nolis indignum, dum in conſcientia peccatorum & perſecutione impiorum perturbor. Aurem potius inclina, oſtende beneuolentiã, exaudiendo tam miſerabiliter clamantẽ. Statim ut anxius clamauero exaudire digneris, quod ſit in mora periculum.

3 Quia defecerunt ſicut fumus dies mei, & oſſa mea ſicut cremium aruerunt.

Exprimit ægritudinis & doloris magnitudinem, quæ tanta erat, ut abſumeret omnem uitæ uigorẽ, & ætatem tranſigi faceret in miſerijs & uanitatibus, quaſi fumum euaneſcere: ſic ut oſſa quoq; mea uelut cremiũ, id eſt locum cremationis aut furnum: alij focum dicunt, quidam titionem. Eſt enim locus, in quo ſemper ardet ignis, quod & frixorium dixerunt, à uerbo uren di & frigendi. Voluit dicere, Omnes animæ uires plenæ ſunt peccatis, cum nihil boni, ſemper mala ago.

4 Percuſſus ſum ut fœnũ, & aruit cor meũ: quia oblitus ſum comedere panem meũ.

Non tantum oſſa aduſta conqueritur, ſed cor quoque exaruiſſe, ſicut cum æſtu herba percutitur, ſic ut fuerit oblitus ſumere cibum ſuum. Significare uoluit ægritudinem diu adeo ſibi omnem cibi cupiditatem abſtuliſſe, ut iam eius oblitus fuerit, nihil amplius de cibo cogitarit, unde ſic eum labeſcere oportuerit, ut mœrore penè perierit, & ſpiritus deiectione languens periclitatus fuerit, ſic ut mœrore occupatus, ſolatium ex uerbo dei nullum legendo conſequi potuerit, & præ angore ſpiritus corpus quoque languerit.

5 A uoce gemitus mei, adhæſit os meũ carni meæ.

Præ nimio fletu & clamore conſumptam carnem & corrugatam queritur, ut ſola cutis iam oſſibus adhærere uideatur, caro omnis defluxerit, & ad omnimodam maciem corpus redactũ fuerit. Spiritus enim triſtis exiccat oſſa. Apparet autẽ prophetam tantopere contriſtatum fuiſſe, propter templum deſtructum uel nõ honoratum, uel pro neglecto diuino cultu, uel pro mutata religione in ſuperſtitionem, ut ſi quiſquam nunc pro eccleſiæ incommodis contriſtetur.

Triſtitia prophetæ.

6 Similis factus ſum pelecano ſolitudinis: factus ſum ſicut nycticorax in domicilio.

Queritur quomodo deſertus ab omnibus, calamitoſam uitam agere cogatur, pro anxia expectatione ſalutis, minime tamen uel de longe apparentis. Similem itaq; ſe facit aui quærenti tantũ ſolitudines, & triſti, nõ gaudentem conſortio aliarum auium: ſiue quis pelecanũ dicat, ſiue nycticoracem, habet Hebraicum nomen ortum à uomẽdo: unde et onocrotalum interpretantur auem, quæ cũ ſe rapina repleuerit, rurſum in os reuomere conſueuerit, & deinde in inferiorẽ aluum demittere cibum ruminatum, ſed & noctuæ ſe ſimilat hominum cõfortia fugienti.

Auis ſolitaria.

7 Vigilaui, & factus ſum ſicut paſſer ſolitarius in tecto.

Vigilaui, inquit, diu perſtiti in ſolicitudine animi, exſpectans redemptionẽ à malo, ac interim uelut ſolitarius paſſer in tecto deſedi, deſertus ab omnibus, quaſi in exilio miſer, et excluſus à patria, ab omnibus ſpretus, et perſecutionem paſſus. Paſſer generaliter hic auẽ ſignificat & quancunq; auiculam ſolitudinem perquirentem.

8 Tota die exprobrabant mihi inimici mei, & qui laudabãt me, aduerſum me iurabãt.

Pro pietate & fidutia in deum & obedientia mandatorum eius, & pro cultu unius ueri dei queritur ſe multa paſſum exilia, contumelias & opprobria, totum eſſe adeo calamitoſum, ut qui iurantes ſibi dira uoluiſſent imprecari, niſi quod promiſiſſent præſtitiſſent, imprecati ſibi ſint ſortem ſuã. Id quod ſacerdos imprecabatur mulieri ſuſpectæ de adulterio, nimirum, ut in execrationem abiret illius miſeria & peccatũ. Vel, Qui mihi olim amici erant & familiares, nunc abiurant ſocietatem & uitant, imò coniurant & conſpirant contra me.

9 Quia cinerem tanquam panem manducabam, & potum meum cum fletu miſcebam.

In puluere ſolebant iacere qui uehementer lugerent, ut Dauid lugens moriturum puerum. Hinc ſe puluerem dicit uelut panem eſitaſſe, dum pronus in terra procumbit, & uelut puluerem lingit. Et lachrymas ſibi plangit fuiſſe pro potu, pro magnitudine luctus & miſeriarum (ſicut de inſigni luctu Nehemiæ legimus, et alibi multa) ſignificando ſe omni conſolatione deſtitutum amariſſime doluiſſe.

10 A facie iræ & indignationis tuæ: quia eleuans allifiſti me.

Omnem hanc calamitatem iræ dei fert acceptam, & ex cõſideratione grauiſſimi iudicij dei, quo uehementer conterendum ſe uiſus ſit in altum ſuſtuliſſe, ut eo uiolentius decidens confringeretur. Nam quæ elata deijcimus, grauius colliduntur. Quicquid enim miſeris calamitatum occurrit, hoc & nimium apparet graue, & deo irato immiſſum: cum id non raro ad bonum ordinetur à domino, & clementiæ potius officium ſit quàm pœnæ furientis.

11 Dies mei ſicut umbra declinauerunt: & ego ſicut fœnum arui.

Fugaci

Fugacitatem iterum uitæ humanæ queritur, duplo miserior, si calamitosa sit, & sine aliquo solatio finienda. Sicut declinante sole & occidente subito umbra dispareret, cum iam longissima uidebatur: sic dies hominis profectioris & sapientioris ætatis finiuntur morte, & uelut fœnum agri omni uiuacitate & pulchritudine destituuntur. Non enim aliud euenire potuit sic afflictis, quàm ut prorsus delerentur, & esse cessarent inter homines.

12 Tu autem domine in æternũ permanes: & memoriale tuum in generatione & generationem.

Nunc canit restitutionem sui, & populi fidelium & ecclesiæ. Tu, inquit, nihil miseriarum pateris, semper immutabilis perseueras, semper tui similis & quietus per omnia, simul & omnia unica & impermutabili uoluntate gubernans. Ingeris te nobis in omnibus creaturis, sacris scripturis, patrũ exemplis & gestis, ut nulla tui oblinio homines pios capere possit. Quin de te semper cogitare, tibi complacere, inq; angustijs ad te recurrere debere non possunt dubitare: promissis enim tuis deesse non potes.

13 Tu exurgens domine misereberis Sion: quia tẽpus miserẽdi eius, quia uenit tẽpus.

Qui hactenus uisus es dissimulasse nostras miserias uel noluisse succurrere, iam nunc saltem exurgens miserere populo tuo, & ad nos te propitiatum & clementẽ conuerte. Tempus enim est, quo diutius iram tuam ferre nõ possumus: iam nũc peccata nostra agnoscimus, iam emendare uitam proposuimus te iuuante & ad nos conuerso: iam definiti per te anni desolationis ecclesiæ, & calamitatum fidelium tuorum uenerunt, & sunt completi: iam templi tui ruinæ durauerũt ad suam periodum. Tempus est gratiam præstes, consoleris fideles tuos, & emendes.

14 Quoniam placuerunt seruis tuis lapides eius: & terræ eius miserebuntur.

Non semper deiecta iacebit ecclesia fidelium, non semper calcabitur ab impijs, sed gratia tua p ministros tuos sanctos prophetas & apostolos à te missos denuo excitabuntur ruinæ eius, et restituetur ac reædificabitur. Submittes enim pro restituenda ea seruos tuos, ad hoc opus aptos & promptos, qui syncera cura incumbent operi ecclesiastico, & miserebuntur contritionis, conculcationis, & uastationis ecclesiæ piorum, quam summo studio extruere à te instigati conabuntur. Cum enim dominus aliquid facere statuit, ad idem facit propensos eorũ animos, quos ad illud ministerium uocare instituit.

15 Et timebunt gentes nomen (tuum) domini, & omnes reges terræ gloriam tuam.

Quæ hic de religione gentium & regum earum uaticinatur, impleri cœperunt in regibus Assyriorũ, Chaldæorum, Persarum, Medorum, & Græcorum, quorum Cyrus & Darius donaria dederunt ad ædificium templi dominici, et urbẽ Ierusalem reædificari curarunt. Id autem totũ fuit opus domini, institutum ad id, ut tandem se in Sion glorioſum exhiberet, quod exaltato Christo uerè præstitit. Interim enim agnitũ est ubiq; nomẽ domini, et gloriã domini dei reueriti sunt omnes reges terræ.

16 Quia ædificauit dominus Sion (&) uidebitur in gloria sua.

Ecclesiam fidelium tam in ueteri quàm nouo populo conculcatam multipliciter, dominus iterum restituit & recuperauit, gloriamq; suam ostendit longe luculentius quàm pridẽ, eliminatis omnibus idolis & erroribus gentium, ueritate autem & pietate agnitis in toto mundo, ab illis qui ante deum suum ignorauerant. Sic passim dominus conculcatis pijs succurrit, & amolitur iniurias, gratiam & gloriam rependendo.

17 Respexit in orationem humilium: & non spreuit precem eorum.

Quamlibet in multis offendant electi, non tamen durant in iniquitate, sed dominum inuocant pro indulgentia, quam non negat, sed propitiatus exaudit humiliatos. Humiles autem hoc loco uocat eo nomine, quod pro humili herba non raro accipitur crescente in solitudine, unde & pro deserto aliquando accipitur, quæ & uarie à Iudæis exponitur pro Mirica, iunipero, castanea, uel solitario. Quam priscus humilem erudite transtulit, quæ & pro destituto omni auxilio & solatio uereq; neglecto ab omnibus accipi potest. Electi ut peccant.

18 Scribantur hæc in generatione altera: & populus qui creabitur laudabit dominũ.

Non intercidat unquam mundo cognitio & memoria gratiæ dei, qua omnia condidit, regit, & restituit humanum genus, quin per sacras scripturas prædicentur omni generationi quæ uẽtura sunt magnalia dei, ut dominum reuereri discant & colere, gratias agere & præceptis obedire diuinis, & nõ tam uerbis quàm uita & moribus dominum laudent, ac glorioſum testentur in ipsorum cordibus.

19 Quia prospexit de excelso sancto suo, dominus de cœlo in terram aspexit:

Excelsus & glorioſus dominus, omnium cœlorum inhabitator et conditor prouidentia sua omnia intuetur in cœlo & in terra, humilia respicit è uicino, superba autẽ despicit, miseretur humilium & afflictorum. Cuius non iam Hierosolymitanum templum solium dicitur, sed cœli cœlorum sedes sunt gloriæ suæ, unde omnia prospicit & iudicat quæ geruntur ubiq;, fidelium suorũ necessitatibus prouidet, pro ipsis liberandis à peccatis & hostibus filiũ misit redemptorẽ & saluatorẽ omniũ electorũ. Solium dei.

20 Vt audiret gemitus compeditorũ, ut solueret filios interemptorum.

Suspiria miserorum in hoc mundo calamitoso dominus exaudit, & destitutos humano auxilio adiuuat, uinctosq; nihil aliud potentes quàm ingemiscere propitius intuetur, et in tẽpore succurrit, ut è mortis uinculis educat, explicet ac resoluat. Filij mortis dicuntur, quibus dominabantur tyranni homines, uel satanas. Qui domino inspirante & ordinante, præter intentum suum manumittũt fideles resipiscentes, qui pro peccatis fuerant captiuati. Cor enim regum omnium in manu domini est.

21 Vt annuntient in Sion nomen domini, & laudem eius in Ierusalem,

Laus dei. Vera laus dei ex fide & deuotione deprompta, celebrari non potest, nisi in Zion, hoc est in ecclesia sanctorum. Tunc autem resonare cœpit, cum populi undique & regna per Christum collecta & adducta sunt deo per Euangelium & apostolicam doctrinam, ut in toto orbe gratiæ reddantur, de redemptione mundi ab erroribus, perfidia, criminibus & damnatione. Laus dei in Ierusalem non est aliud quàm confessio beneficiorum dei in cœtu electorum.

22 In conueniendo populos in unum, & reges ut seruiant domino.

Per fidem uerborum dei & sacræ scripturæ in Christo conueniunt & uniuntur omnes gentes, quæ dispersæ fuerant per infinitos errores idololatriæ & humanæ rationis. Et omnia regna terræ cũ suis regibus sese subdiderunt domino, qui sese prius deos et mundi dominos coli & adorari præcipiebant. Id uero iamdudum prædictum fuerat per prophetas, & promissum patriarchis, per apostolos & apostolicos uiros tandem completum. Ea uero uocatio gentium occasionem & initiũ sumpsit à pertinacia & inobedientia Iudæorum, quorum reliquiæ saluatæ gentium pepererunt salutem.

Regna mundi sub Christo.

23 Respondit(ei) in uia uirtutis suæ, Paucitatem dierum meorum

Difficilis sensus, siue priscam lectionem & distinctionem sequaris, siue Iudaicam. Isti dicunt afflixit dominus uel humiliauit uiam meam ne pergerem qua uellem, sed impediuit me peccantẽ per gratiã. Priscus dixit, Respondit, scilicet ecclesia fidelium congregata ei, scilicet domino congregãti. In uia uirtutis suæ, id est domini: hoc est factis & pijs operibus ecclesia respondet deo, non in uirtute propria, humana scilicet, sed eius qui eam uocauit. Exiguitatem uel paucitatem dierum nuntia mihi, sic postulat responderi sibi à domino ecclesia, ut præscisio temporis breuis, quo hic in militia anxiatur, illi indicetur, quò sit consolatior, sciens se sortem assequuturam triumphamium, & futurã inquirere, ut sit cum sponso. In his tantis obscuritatibus nihil pronuntiandum nobis uidetur, sed iudicium permittendum fidelibus studiosis. Hebræi uero consequenter sic legentes distinguunt.

24 nuntia mihi. Ne reuoces me in dimidio dierum meorum in generatione & generationem anni tui.

Dicam, Deus meus, ne eleues me in dimidio dierum meorum: Oro ne intercipias me iudicio tuo, nondũ emendatum, non immatura morte me præuenias: tu qui æternus es, & anni tui durant per omnia sæcula. Sic me quoque & electos omnes præpara per gratiã tuam, & ad æternitatis tuæ felicitatem, ut hic inchoantes glorificare nomen tuum, nunquam desistere nos contingat. Et in pristinas errorum magnorum blasphemias nunquam relabatur ecclesia, semel per euangelium tibi conciliata, ne eueniat ecclesiæ quod contigit synagogæ.

25 Initio tu domine terram fundasti: & opera manuum tuarum (sunt) cœli.

Dudum fundasti omnipotentia tua terram, omnium creator, uerbo oris tui ordinasti omnia, & ornasti cœlũ stellis, terram germinibus & animalibus, sicut & mare, opus enim manuum tuarum est totus mundus, cœlum scilicet, & quicquid cœlorum ambitu cõtinetur. Omnia enim pendent secundum essentiam suam atque operationem à nutu tuo. Cœlum ipsum non aliter influit terræ & elementis reliquis, & commorantibus in eis creaturis, nisi secundum tuum præceptum & ordinem.

26 Ipsi peribunt, tu aũt permanes: et omnes sicut uestimentum ueterascent. Et sicut operatorium mutabis eos, & mutabuntur.

Omnes illæ creaturæ tuæ cœlestes & elementares, mutabiles sunt ad tuum arbitrium. Ex seipsis rationem subsistentiæ non habent, habent enim esse participatum, & à te dependens omnino. Tu autem subsistis semper, & in æternum perseueras, omnes quoque pariter cœli sicut uestis mutabũtur: cũ tempore dum dominus uoluerit transmutari poterunt cœli, sicut & fieri de nouo. Sic qui cœli nominantur, orbis doctores & prædicatores, mutantur: ut nihil inter homines & in mundo sit stabile præter deum & uerbum suum.

27 tu aũt idẽ ipse es, & anni tui nõ deficient. Æternitas dei.

Tu immutabilis semper es, & uerbum tuum. Veritas tua, potentia & maiestas, semper eadem manent: unica uoluntate ab æterno usque in æternum cuncta moderatur. Nec anni tui ut hominum mutari possunt uel finiri. Immẽsurabilis est enim æternitas, et sine præterito uel futuro, omnia diuina & ipsa diuinitas. Instans habet uni cum æternitatis & præsens, cui coexistunt omnia quæ temporalia sunt.

28 Filij seruorum tuorum habitabunt: & semen eorum in seculum (coram te) dirigetur. Fidelitas profectus.

Perseuerabunt semper & proficient fideles secundum uerbũ tuum, fidem et mores instituentes, nec unquam impedietur ab impijs, qui amore sancto tibi adhæserint, ut nec morte nec angelis quamumlibet malis à charitate dei abstrahi possint. Quorũ quoque semen coram te dirigetur, qui doctrinam maiorũ sanctam secuti fuerint, nõ aberrabunt, sed in ueritate uerborũ dei semper proficient ad meliora, donec speratis tandem fruantur bonis.

PSALMVS CIII.

Ipsi Dauid.

ARGVMENTVM. Gratiarum actio est probe neficijs creationis & iustificationis.

1 BEnedic anima mea domino: & omnia quæ intra me sunt nomini sancto eius.

Omnia ex spiritu & ueritate cum deo gerenda sunt, qui omnia nouit, & rimatur secretissimos cordis humani recessus, ut eũ nulla possit latere hypocrisis, ideo dicit propheta: Anima ipsa mea, tota uita mea, & quicquid sum, domino deo meo gratiam obligatur & obedientiam. Quicquid in imũ est, & in præcordijs uel uisceribus meis, conspicuum tibi cum sit, necesse est tibi quoq; esse deuotum, ut tuam bonitatẽ studiosius magnificent omnes uires animæ meæ & affectus.

2 Benedic anima mea domino: & noli oblisci omnes retributiones eius. Iterum

Iterum animam, id est seipsum quantus quantus est ex citat ad laudandū deum, qui dominus tuus est, cui omnia debes, à quo omnia suscepisti, qui tuorū non indiget. Dominus est enim, cuius beneficijs sic præuentus es, ut pro quibuscunque tuis bonis actibus uel affectibus nihil tibi obligetur, tu uero illi omnia obligaris, quæcunq; conari poteris bona. Retributiones domini dicuntur Hebraico more liberalia dona dei, quæ immeritis largitur, non ut illi primi quicquam dederimus, uel fecerimus restituendum uel remunerandū. Nihil igitur rependere deo possumus, quàm memores esse beneficiorum suorum.

3 Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis: qui sanat omnes infirmitates tuas.

Inter dei beneficia primum canit remissionē peccatorum. Nam dum illis premimur, nullorum sumus beneficiorum dei capaces, eò quod aduersantibus deo aduersa esse oporteat omnia. Hinc commodum morborum leuamen peccatorum remissioni subiecit, quod præmia peccatorum non raro sunt infirmitates corporales: quanquam & intelligi possint animæ peccata, quæ sine gratia dei euadere & emendare nec fidelis possit.

4 Qui redimit de interitu uitā tuā: qui coronat te in misericordia & miserationibus.

Deus cum uita ipsa sit omniū, ideo cum per iniquitatem à deo receditur, à uita receditur. Quare diuus Paulus mortem uocat fructum peccati: morbos peccatis deberi, & ea cōsequi satis claret scripturis. Summā autem beneficiorum animæ & corporis in eo expressit. Coronat te in misericordia, id est beneficentia, & miserationibus, hoc est, cumulat accingit undiq;. Quid enim desit ei cui deus benignè facit, & paterno affectu prospicit? Rerum abundantiam & uitam longæuam cum ualetudine prospera exprimit nominatim in sequentibus.

5 Qui replet in bonis desiderium tuum: renouabitur ut aquilæ iuuentus tua.

Siue dicat replere dominum os siue maxillam hominis, recte transtulit priscus Desideriū, quod & Animam transtulit Rabi Abenezra. Quid autem ornamentū pro desiderio faciat non uideo. Simplex sensus est, Nutrit dominus fideles suos corporaliter in abundantia sine solicitudine eorum, si ei confidant & obediant. Tunc quoque dominus iuuentutem nostrā renouat ut aquilæ, cum nobis omnia desperata & proxima morti uidentur, noua autem spiritus diuini consolatione pij perfruuntur, renouantur ad amorem iustitiæ et uegeti fiunt. De aquilæ senectute Plinius uideatur, quæ nō tā senio moritur quàm fame, ob aduncitatē rostri, ut cibū sumere nequeat. Iudæi suo more mentiri non erubescunt, & insciti am prodere.

6 Faciens misericordias dominus: & iudicium omnibus iniuriam patientibus.

Solus depellit mala iustus dominus, & hominum iniurias fraudesq;, nō solum bonis ditat. Ad huius tribunal prouocemus læsi, qui solus omnia ex æquitate certa temperat, & facit iustitias omnes, etiam nostras, per Christum, qui est nostra iustitia. Permittit ad tempus, dum uidebitur calumniari pios, sed in tempore uindicat illos & non parcit.

7 Notas fecit uias suas Mosi: filijs Israël uoluntates suas.

Canit immensum illud dei beneficium, quo deus Israëli seipsum dedit cognoscendum, dum per Mosen uias suas, studia, consilia, & iustitias suo populo patefecit, propter quod summum donū, gens hæc Israëlitica omnibus mundi populis clarior fuerit. In illis ergo dei beneplacitis & non in alijs dubijs & iniquis humanis traditionibus domino complacere contendamus. Beneficium agnitionis diuinæ.

8 Miserator & misericors dominus: longanimis & multum misericors.

Misericors est dominus, peccata pœnitentibus remittens, & gratiosus donans gratiam melioris propositi, et uirtutem perficiendi. Longanimis quoq; est, quia tarde irascitur, id est, ad uindictam dignam accingitur, ueluti nolens, paratior misereri etiam quotidie offendentibus, copioscq; clementiam & beneficentiam impartitur etiā ingratis.

9 Non in perpetuum irascetur: neq; in æternum comminabitur.

Effluit bonitate dominus & fide, seruans bonitatem millibus, condonans iniquitatem, scelus & peccatū, purum reddens eum qui alioqui purus esse non posset, uindicans iniquitatē in filijs & nepotibus in tertia & quarta generatione, ideoq; sancti se spe de dei bonitate firmant. Qui enim nihil nisi bonitas est, semper irasci & punire, quod est eius obiurgare, non potest.

10 Non secundum peccata nostra fecit nobis: neque secundum iniquitates nostras retribuit nobis.

Nos quotidie in multis deum omnes offendimus, & pro beneficijs assiduis assidue irritamus, & non æstimamus illius tot & tanta beneficia, quasi obnoxius esset nobis, & sine nobis esse non posset. Vicissim ipse nostri miseretur, beneficijs obruere non cessat, et euincere nostrū malum suo bono ueluti conatur, qui digni fuissemus iam dudum omnibus uindictis, sed præstabilis est semper super malitia nostra, & non uult mortem peccatorum, sed ut conuertamur. Retribuit nobis deus secundum suam bonitatem infinitam, non pro ingratitudine & malitia nostra. Dei clementia ad homines.

11 Quoniam secundum altitudinem cœli à terra: corroborauit misericordiam suam super timentes se.

Incomparabiliter maior est dei ad homines benignitas, quàm malitia hominum: ueruntamen non omnium hominum, sed sese timentium & colentium. Non enim omnibus suam tantopere donat gratiam, & criminū remissionem, sed ut hic dicitur, super timentes eum, qui interim & si cupiditatibus carnis in transuersum acti delinquant, semper tamen dei timorem & amorem in animis suis seruant.

12 Quantum distat ortus ab occidente: longe fecit à nobis iniquitates nostras.

Valida adeo & copiosa est super nos dei bonitas, ut ad cœlum usq; pertingat, tam bonus enim & indulgens in nos deus, nihil quàm benefacere potest. Quod cum

peccatoribus minime debeatur, qui pœnis tantum digni sunt, promittit tamen & canit nostra peccata à nobis remouisse, tam longe quàm longe distat occidens ab oriente, hi mundi termini se cõtingere nunquam possunt: ita nequeunt sanctos & deum timentes peccata unquã sic attingere, ut mentis et animi malis inuoluerent, utcunq; in salutem ipsorum à cœlesti patre subinde castigentur.

13 Quomodo miseretur pater filiorum, misertus est dominus timentibus se:

Primam totius clementiæ huius & indulgentiæ causam significat, quod nos deus ut pater complexus est, & plane paterno in nos affectu exiſlit, ut abesse non posſit, sed consulere, consolari, iuuare, defendere & benefacere tantum paratus: odire filios nõ potest quos genuit ex proposito, quorum nouit figmentum: tantum si timeant dominum, & nõ auersentur, nec data opera, & ex contemptu irritent parentem scelerati filij, & si liceret paricidæ dei.

14 quoniã ipse cognouit figmẽtum nostrũ. Recordatus est quoniam puluis sumus,

Indulgentia dei. Quoniam tamen paterno in nos & plus quàm indulgenti est affectu, agnoscit ut ipse nos finxerit, sanè ex limo terræ terrenos caducos & miseros: hoc est, magnæ lenitate infirmitatis nostræ rationem habet, ne dignas de commissis nostris pœnas sumat, sed considerata potius uitæ nostræ fugacitate, indulgentius agit nobiscũ, quàm prauitatis nostræ rationi debeatur. Interim tamen nobis considerandũ erat, ut nos puluis simus, manu sua ex luto formati, ut si uelit de eodem luto alios quoque facturus sit, & nos abiecturus, si superbierimus contra illum.

15 homo sicut fœnum dies eius, tanquã flos agri sic efflorebit.

Homo subsistere diutius non potest quàm dominus uelit, & cum uult ac fecit caducum, ut unius diei herbam, & non diutius durantem, quæ hodie pulcherrime floret, eras in clibanum mittitur. Sicut flos agri, sic efflorebit, ad breue tempus subsistens iuxta corporis fragilitatem subitò non comparet.

16 Quoniam spiritus pertranſibit in illo & non subsistet: & non cognoscet amplius locum suum.

Statim ut spiritus uel uentus urens florem perflauerit subsistere non potest, sed fit fœnũ. Et non cognoscet eum locus eius, hoc est, ubi fuerat floruerat omnia habere & posse uidebatur, ibi iam nemo eius meminit, nemo uidetur unquam illum nouisse, tam nulla habetur eius ratio, & extincta est omnis eius memoria. Istud quotidie euenire uidemus, & adhuc nostram conditionem quo ad corpus, quod solum excolere consueuimus non agnoscimus.

17 Misericordia autem domini ab æterno, & usque in æternum super timentes eum. Et iustitia illius in filios filiorum:

Beneficia dei. Bonitatem & beneficia dei à conditione mundi sentiunt omnes creaturæ, summum enim bonum cum sit, bonitatem suam participari gaudet ab omnibus, cum id fieri posſit sine iactura eius, imò cum gloria & laude. Et id fit ab æterno, hoc est, à rerum omniũ initio, quæ sua tamen bonitate cõseruantur in esse, citius annihilandæ, ubi desiterit manu tenere. In primis autẽ super timentes se aduertit, quos non potest relinquere, uel non amare, aut non fouere in bono. Quin & iustitia sua propagatur ac diffunditur in filios & nepotes piorum: ueritatem enim promissorum seruat credentibus, & cultoribus, quamlibet ipsi inanes sint per se & caduci.

18 his qui seruant testamentum eius, Et memores sunt mandatorum ipsius ad faciendum ea.

Exigit uicißim pro suis beneficijs obedientiam, ut quæ nobis agenda commendauit diligenter seruemus, & non obliuiscamur. Nec tantũ meminisse sufficerit mandatorũ dei, sed perficere oportet domini iussa & uoluntatem.

19 Dominus in cœlo parauit sedem suam: & regnum ipsius omnibus dominabitur.

Dominus in cœlis regnat, & imperium habet in omnem dominationem & potestatem in cœlo & in terra. Sedes dei. Sedem suam parasse in cœlo dicitur, inde enim beneficit, ulciscitur, tonat, illuc uocat electos & beatos facit, ibi gloriam suam ostendit & exequitur potestatem, inde filijs suis manna depluit, impijs uero sulphur & picem. Eidem domino subiecti sunt tam impij quàm fideles, nec possunt quicquam sine eius uoluntate & uirtute omnes creaturæ uel potestates.

20 Benedicite domino (omnes) angeli eius: potentes uirtute, facientes uerbũ illius, ad audiendam uocem sermonum eius.

Ad laudem dei inuitat. Non homines solum, sed etiam angelicos spiritus ad laudem dei inuitat, ut qui omnia fecit & ubiq; dominatur, atque omnia agit in omnibus, ab omnibus item rectoribus & in omnibus locis, cum supernis tum infernis laudetur & extollatur. Sic enim solet animus amore & ista admiratione accensus cupere amari laudariq; ab omnibus quem ipse amauerit. Vocat autem angelos potentes uirtute, quia ingẽtia deus per illos effecit testãte scriptura. Facientes uerbum eius, cui ad omnia illico parent, nihil cunctantes. Nihil enim aliud cogitant quàm de explenda uoluntate diuina spirituales creaturæ.

21 Benedicite domino omnes uirtutes eius: ministri eius qui facitis uoluntatem eius.

Exercitus dei. Per exercitus dei quidam astra intelligunt, sed angelorum potius sunt innumera multitudo, & modis nobis incognitis distincta, qui ad nutum domino obtemperãt: unde adiecit, Facientes uoluntatem eius. Et hinc illud est in precatione dominica, Fiat uoluntas tua in terra hic apud nos homines fragiles, sicut ea summa cum uoluptate fit in cœlis à sanctis mentibus. Quarum aliquando ei tes & consortes esse desideremus, ut & eodem nos capite gaudeamus Christo seruatore, sicut & ipsi.

22 Benedicite domino omnia opera eius: in omni loco dominationis eius benedicanima mea domino.

Cum ubique deus dominus sit, miraq; efficiat, ubique etiam est colendus. Quare gloriam dei contrahunt, qui certis tantũ in locis ipsum adorari docẽt. Non aũt dominum benedicit opus quod ille non fecit: non eis operibus illi

illi placebimus quæ ille non præcepit: non sufficimus facere omnia quæ præcepit, multo minus nobis noua de uostro perficienda uouebimus. Nihil diligentius meditemur, quàm ut quæ agenda nobis mandauit studiosissime impleamus, & quæ ipse in nobis operatur agamus, non quæ nobis placent, sine uerbo suo inductis. Benedic anima mea dominum, gratias age, & confitere omnia bona habere te à domino, nihil à te, nisi si quid perperam egeris, & sine uerbo ipsius.

PSALMVS CIIII.

Ipsi Dauid.

Hebræis scribitur sine titulo.

ARGVMENTVM. Prouidentia dei canitur ad omnes creaturas.

1 BEnedic anima mea domino: domine deus meus magnificatus es uehementer. Confessionem & decorem induisti:

Deuotionis est explicatio, qua institutum orditur ad laudandum dominum, non uoce tantum uel opere, sed fide & uoto, corde scilicet & animo, quod in spiritu adorandum dominum non nesciat, & toto pectore semper cogitare de beneficijs et bonitate dei. Benedicere uero, est gratias agere, agnoscere bonitatem, celebrare laudem, non hominum, sed domini dei, à quo pẽdet uita & opera, cui debet homo quicquid est & operatur. Statum autem insufficientiam agnoscens in laudibus creatoris, humiliter magnificat maximum & optimum, ut quid amplius dici possit ignoret de maiestate Dei ab homine quamlibet deuoto. In summa autem dicit dominum celebritate & splendore uestitum. Cuncta enim opera Dei absoluta & admiranda bonitate præstare, ut deũ ipsum quasi maiestate & decore summo uestiant, dum præclare adeo potentiã, sapientiã, & bonitatẽ eius testantur.

2 amictus lumine sicut uestimento. Extendens cœlum sicut pellem:

Relucent autẽ præcipue in cœlis sapientia dei & potentia, ideo ab illis orditur laudem, tanquam à sede & throno maiestatis diuinæ, quos facit dei uestem: & expansam cortinam ornamentum regale & cœnaculum, intra quod sedeat extendisse, luccm nimirũ habitans inaccessibilem, & oculis hominũ tenebras & intellectui, qui ad clarissima naturæ entia sese ut oculus noctuæ habere dicitur, etiam à sæculariter sapientibus.

3 qui tegis aquis superiora eius. Qui ponis nubem ascensum tuũ: qui ambulas super pennas uentorum.

Eadem ratione loquendi & sacræ poëtices fingit dominum cœnaculum suum posuisse in aquis, intelligens nubes, quæ nihil aliud sunt quàm crassamentum exhalationum humidarum, uim habens aquæ gignendæ, atque ideo ipsa quoq; aqua dicitur. Nam ea omnia ex quibus præcipue diuina potẽtia mortalibus demonstratur, è nubibus ueniunt, quæ & latibulum dei nominantur & uehiculum, quasi eis feratur alis uentorum, nempe indicibili pernicitate.

4 Qui facis angelos tuos spiritus, & ministros tuos ignem urentem.

Perstat in cœpto figmento personæ, canens deum status uiolentos facere, qui sibi sint loco nuntiorum, & ignem conflagrantem loco ministrorum: sicut & alibi dicitur, Ignis, grando, nix, caligo, & spiritus procellosus faciens uerbum eius, id est, exequens iussa dei. Tali enim igne euersa est Sodoma, exagitatus exercitus Pharaonis, & aliæ diuinæ ultiones perfectæ. Talibus spiritibus & flatibus deus utitur pro legatis suis, per quos sententiam iræ suæ impijs denuntiat & exequitur, sicut et se colentibus suam exhibet beneuolentiam.

5 Qui fundasti terram super stabilitatẽ suã: non inclinabitur in sæculum sæculi.

Contulit eam naturam aquæ, summam scilicet grauitatem, cui locum mundi infimum & medium destinauit, unde si moueatur ad quencunq; locum cogatur ascendere contra naturam, ideoq; sic à domino constituta moueri non poterit unquam de suo loco, etiam si tremore concutiatur secundũ partes, obedit enim creatori. Est itaq; sustentaculum & fundamentum terra, non aliud quàm diuina uoluntas eum locum mundi medium designans, non alium, in aquis scilicet tantam terræ molem figẽdo, qua nihil est instabilius & mollius. Aquarum natura.

6 Abyssus sicut fundamentũ amictus eius: super montes stabunt aquæ.

In initio statuit terram aquis opertam undique, denudari quibusdam in locis, pro salute uiuentium in arida, & sic terram aquis exornari, & ueluti amiciri secundum loca: tanto autẽ miraculo, ut in altissimis montium iugis fontes, cisternæ & lacus scaturiant, indeq; irrigent totam terræ planitiem, alioqui hominibus & iumentis minime habitabilem, uel usui futuram. Sed & aquarum istarum nomine nubes intelligi possunt & niues, unde deriuantur flumina & augentur.

7 Ab increpatione tua fugient: à uoce tonitrui tui formidabunt.

Aquæ quæcunque sub cœlo iussu & uoluntate dei moueantur quaqua uersum, & in unum alicubi uel plura loca confluunt, quod dei præceptum increpationem nominat, sicut & uocem tonitrui, quasi uel terrentes homines, uel iram domini fugientes, ac quocunq; possunt perlabẽtes: tanta quoq; potẽtia tua est, ut uoce tonitrui conturbentur mõtes, & quocũq; iusseris festine properẽt.

8 Ascendunt montes (&) descendũt campi in locum quem fundasti eis.

Ad hominum opiniones succrescunt montes, & uelut ascendere uidentur, dum ualles desident, & continuo humiliores fiunt, ubi desidentibus aquis et in Oceanum collectis, montes & campi uallesq; apparuerint. Ad locum, inquit, quem fundasti, id est, disposuisti eis. Eo enim situ omnia ordinantur, quo tibi placuit. A sola enim uoluntate dei & gratia pendet omnis uita & salus uiuentium in terra: quando unico dei nutu naturam aquæ sinere potest agere negotium suum, & uendicare sibi locum proprium, qui dei uoluntate nunc est definitus, non supra, sed prope aridam. Montium iuga.

9 Terminũ posuisti (quẽ) non trãsgredien-

turtneq; conuertentur operire terram.

Singulis rebus naturalibus, elementis & ex elementis constitutis, naturalia & accommoda loca deus constituit & commendauit, tanto autem naturæ miraculo, ut maris aquæ eleuentur quidem super terram, non tamen in eam inundent, sed intra terminos sibi constitutos concluſæ remaneant. Quantumlibet augeantur, eleuentur & confluant, humiliora tamen loca non adobruant.

10 Qui emittis fontes in conuallibus: inter medium montium pertranſibunt (aquæ.)

Fontium miraculum.

Aquis opus erat pro uita in terra agentibus hominibus & beſtijs, ideo eas dominus non uulgaribus miraculis perpetuo adminiſtrat. Fontium autem & fluminum meminit, quæ ſacra habita ſunt priſcis, & numinum opera uel miracula. Quæ conſyderantes homines, inſignem diuinorum miraculorum cauſam inuenirent, niſi uanioribus cogitatibus occuparentur. Elegantißime enim dominus aperuit uenas fontium in uallibus, & non raro in montibus, unde collectæ aquæ in flumina exonerantur.

11 Potabunt omnes beſtiæ agri: expectabũt onagri in ſiti ſua.

Fontium & fluminum uſum canit etiam in his locis, ubi nulli homines habitant, beſtijs enim inſeruiunt. Meminit autem nominatim onagrorum, quod ſint inter cæteras beſtias ſolitudinis amantiores, cóque ferè habitent in locis arentibus, quare ſitis illorum pro exemplo ardentioris deſyderij ponitur. Reſtinguunt ergo huiuſmodi riuis beſtiæ, & refrigerant ſitim ſuam.

12 Super ea uolucres cœli habitabũt: de medio petrarum dabunt uoces.

Aues canentes.

Iuxta fontes & flumina aues cœli & apes, & quicquid animantium eſt reſident, idoneo illis loco pro eſcis & potu, unde & de frondibus & pratis ſuauiter canunt creatori ſuo, in locis ſcilicet tutis atq; uirentibus, homines non ſtupidos allicientes ad creatoris ſui gloriã, & ad naturæ creatæ miraculum ac decorem: ſubindicans arbores prope flumina, & fontes ſiue riuos ad terræ ornatum, quæ condita eſt ſuo uſu propter hominem, ut ipſe creatori ſeruiat & obediat, fide & iuſtitia exercendus, & domino ſuo modo aßimilandus.

13 Rigans montes de ſuperioribus ſuis: de fructu operum tuorum ſatiabitur terra:

Pluuiæ beneficium.

Beneficium pluuiæ iterum canit ex nubibus, quas uocat dei cœnacula. Montes uero pluuia rigari ideo nominatim dicit, cum tamen tota terra per illam fœcũdetur, quia illi niſi pluuia rigarentur, prorſus ſterileſcerent, quando rigari nequeunt per flumina. Tua opera & iuſſa, cœlorum autem influentia & aquarũ deſuper defluxu & irrigatione terra fœcundatur & fructificat, ut proferat cibum hominibus, ad dei cultũ electis ex terra.

14 Producens fœnum iumentis: & herbam ſeruituti hominũ, ut educas panẽ de terra:

Ex huiuſmodi irrigatione pluuiarum non ſolum hominibus proueniunt ſuæ utilitates, ſed & reliquis animantibus, nempe gramen, herbæ, fruges, uinum, oleum & reliquæ arbores. Omnia tamen interim fiunt, præcipue propter hominem, quem conſtituit dominum et uſufructuarium totius terræ & maris. Ea tamen dominus inſtituit regenda & elaboranda, ut è terra huiuſmodi legitime ſibi proueniant, & illis frui poßit: iuxta illud, In ſudore uultus tui ueſceris cibo tuo. Quum uero tu omnia hæc facias, ut principalis cauſa aßiſtens, & uim donans quantum tu uis, & quando uis, talia progerminandi: ideo rectius tranſtulit priſcus, Vt educas panem de terra, quàm ſi dicatur, Vt educat. Panis autem nomine dicitur omnis cibus, qui homini prouenit de terra.

15 & uinum lætificet cor hominis: ut exhilaret faciẽ in oleo: & panis cor hominis confirmet.

Vini beneficium.

Inter labores, miſerias ac triſtitias huius mortalis uitæ dominus etiam prouenire facit uinum, non ſine adhibito illius labore & cultu: quo uino moderate ſumpto, cor hominis mirum in modum recreatur, & refrigeratur animus. Tum etiam facit prouenire oleum, quod ut ad uegetationem pertinet animalium & corporis humani, commodiſſimumq; ad cibos, prodeſt tamen orientalibus & auſtralibus ui caloris æſtuantibus non parum ad confirmationem & conſolidationem corporis, quo durare in diuo & laboribus poßint magis, & poſt calores reſrigerari, quin & exhilarari faciebus. Quod ut hominum abuſu uerſum ſit in luxũ, datum eſt tamen gratia dei ad neceſſarium & utilem uſum. Ab oleo dicit, id eſt, propter oleum, quo ungunntur facies & corpus ad ſplendorem & robur. Et panis cor hominis confirmet. Non eſt enim cibus quo uires hominis melius reficiantur quàm panis, teſtante & Abraham, qui cum angelos quos homines putabat hortaretur ad ſumendum cibum, adiecit, Et cofortate cor ueſtrũ. Non enim minus. ſed magis panis quàm oleum uel unguentum reficit membra hominis & ad labores perferendos ſuſtentat.

16 Saturabuntur ligna campi (domini &) cedri Libani quas plantauit:

Arborum fructus.

Ex pluuiæ quoq; beneficio ſatiantur, rigantur, reficiuntur & fœcundantur arbores ingentes & excelſißimæ, quæ Hebræis arbores dei dicuntur, ſicut omnia magna ac illuſtria, inuſitata et magnifica. Quæ ne quis perperam intelligeret, & arbores eſſe deos contẽderet ex fructus. hoc loco, priſcus tranſtulit, Arbores campi: pro eo quod nulla hominum, ſed dei tantum cultura creſcant, ſine labore hominum, cum maxima utilitate eorũ, ſic ut cum emphaſi adiectum ſit, Cedri Libani quas plantauit, ſcilicet ſolus dominus ſine collatione operum hominum, ſpecioſißimas relucentes in gloriam dei.

17 illic paſſeres nidificabũt. Herodij domus dux eſt eorum,

Non ſolum ædificijs ſeruiunt altißimæ cedri, quem ſanctum ſpiritus domini non tãtopere laudare uoluit, ne ambitioſarum domuum uſum commendare uideretur, ſed uolucribus illas donat pro nidis ſuis, ubi commodius & tutius pullos ſuos excludere & educare poßint, quod eſt opus domini, cui & obediũt & canunt. Ciconiæ autem peculiariter meminit, ſacroſanctam ex nomine & benouolentißimam auem ad progenitores ſuos, quod ea altioribus ſoleat arboribus nidificare, quales ſunt alicubi abie-

bi abietes, alibi autem aliæ arbores, quarum incerta Hebræis referuntur nomina. Priscus autem dicens, Herodij domum ducem eorum, manifeste sequutus uidetur aliam lectionem uel significantiam.

18 montes excelsi ceruis: petra refugium herinacijs.

Montium usum canit, qui celsiores sunt quàm ut homines in eis quicquam queant agere. Illic ergo agunt capreæ, rupicapræ & similia, uariaq; secundum terræ naturas animalia, ut qualia qualibus in locis secundum genus, formas, magnitudines, colores & differentias relinquas progenerentur specietenus enarrari non possint, cum abiectissimorum uermiculorum & muriũ species multifariam iuxta locum mutentur secundum illa. Cervos dixit priscus, ut notiores & generaliores feras exprimeret. Petra, inquit, refugium herinacijs uel cuniculis, leporibus, aut alijs secundum regiones: intelligens uaria animalcula residentia in petris, quorum est infinitus & ideo incertus catalogus nominum & rerum. Vult dicere petras esse à domino paratas animalibus, & nidos, ubi tuto quiescere possint ab infectatoribus animalibus, quales singula habent & patiuntur, mirabili prouidentia dei.

19 Fecit lunam in tempora: sol cognouit occasum suum.

Solis, lunæ, noctis ac diei utilitatem celebrat. Lunam dicit factam in tempora solennitatum & anni portiones, ut ea menses & anni numerentur, ut omnia secundum lunæ motum festa in lege numerantur, cuius ut propioris astri cursus & influentia notior est hominibus, cuius motum hominibus notum esse uoluit, non inutilem omnibus operibus humanis in terra, sed & ut dei gratiam pro eo dono non sine gratitudine acciperent, ideo neomeniarum festa instituit. Sol cognouit occasum suum iuxta obliquitatem zodiaci, nunc citius, nunc tardius occidendo & oriendo, exaltando & demittendo radios ad terrænascentium profectum. Cuius cursui non decreuit dominus solennitates, ne ueluti deus aliquis putaretur pro tantus beneficijs colendus. Sine cuius influentia & luce ne luna quidem quicquam posse sentitur ex eclipsibus suis. Vt in his tam præclaris luminibus, & orbis totius nobilissimis creaturis, non nisi creator amborum astrorum & omnium aliorum coleretur.

20 Posuisti tenebras, & facta est nox: in ipsa pertransibunt omnes bestiæ syluæ,

Quibus potissimum usui nox sit canit, bestijs scilicet quæ interdiu in lustris suis accubant, quando absentia solis à nostro hemisphærio nobis relinquit noctem, alijs autem diem in oppositа orbis regione, nobis autem præsens alijs obfundit sua absentia tenebras secundum continuum motum suum, uigintiquatuor horis numerandũ. In nocte autem mouentur & prorepunt ad sua habitacula, uel ad alias suas necessitates omnes bestiæ syluæ. Tunc enim sine timore hominum peruagantur, quædam animalia suis locis conquiescunt.

21 Catuli leonum rugientes ut rapiant, & quærant à deo escam sibi.

Noctis potissimum tempore quædam atrociora animalia discurrunt pro cibo suo, quorum potissimum caro cibus est, ut leonum catuli, qui transcurrunt passim ut esuriem sedare possint & comedant, perquirendo feras alias, lupos, ceruos & alia, interdiu autem homines. Hæc autem omnia à deo quærunt escas suas, & petere dicuntur à deo suo escam sibi, unde enim illis præda semper obueniret? Hinc autem discendum, si iustus deus has truces beluas innocuis feris pascit aliquando, quibus tamen post hanc uitam nihil promisit, ferendum nobis esse, si quando malorũ libidini permittimur, qui post hanc beatam uitam certo expectamus.

22 Ortus est sol (&) cõgregati sunt: & in cubilibus suis collocabuntur.

Scueriores bestiæ & carnium uoracitate uiuentes, sic domini prouidentia compescit, ut interdiu paueant, & delitescant cum suis similibus, quæ non inuadunt, quod hic dicit congregari. In habitaculis enim suis accubunt, per diem quiescentes, dei ordinatione & hominum timore, quem dominus indidit illis, & à feruore solis, quem calida ista animalia minus ferre possunt: nocte uero, ut dictum est, obambulant pro perquirenda esca.

23 Exibit homo ad opus suum: & ad operationem suam usq; ad uesperam.

Alia quoque ratio diuini ordinis assignatur pro animalium illorum quiete per diem, ut tunc condantur in suis lustris, ut homo ad colendum terram, quod præcipuum eius opus est, prodeat, diemq; in eo consumat nocte quieturus. Ita cum bestijs terra usus ueluti per uices, tunc prodiens cum latent feræ, tum tuto quiescens dum beluæ circumuersant. Iterum hic locus contrarium, quod nec hominibus nec bestijs permittitur, sed uult deus pro uictu laboriosos esse homines, non tamen solicitos: quandoquidem cura est omnium apud deum, qui omnia nutrit, dum benedictionem effundit. Omnibus autem suum designat opus, & gratiam uariam ingeniorum donat, & ordinat cuiusque uitam & sortem, occasionem largiens agendi, ne quisquam otiosus inueniatur, nisi qui seipsum ignorat, & Dei beneficia non agnoscit. Hominis necessitas.

24 Quàm magnificata sunt opera tua domine? omnia in sapiẽtia fecisti: impleta est terra possessione tua.

Transitum facit ad canenda post terram miracula maris cum exclamatione, nata ex admiratione tam immensæ uirtutis ac sapientiæ, quæ utiq; mirifice adeo relucet in tanta rerum copia, usu ac ordine. Vere enim totum orbem bonis dei redũdare uidet, quicunq; id quod omnium oculis expositum est agnoscere poterit. Multiplicia, ait, sunt & magnifica opera domini, omnis generis creaturæ tuam ostendunt sapientiam & potentiam. Tu enim omnibus das esse, uiuere & operari, decentissimo ordine & natura fecisti, dominus uniuersorum tu es, & ea omnia in usum nobis conceßisti, ut nos tuam bonitatem agnoscentes, secundum tuum beneplacitum uiueremus, & pro tua uoluntate obedientes, gloria tua participes fieremus, & tu in nobis glorificareris, & Sapientia dei in creaturis.

nos de tua bonitate in æternum fruẽdo beati essemus ad laudem tuam.

25 Hoc mare magnum, & spatiosum manibus: illic reptilia, quorũ non est numerus. Animalia pusilla cum magnis:

Maris mirabilia.

Celebrat dei potentiam & sapientiam à mari, quod latum manibus dicitur Hebraico more, id est spatijs amplißimis, habens scilicet latißima brachia atq; sinus: ubi non sit numerus aliquis, non solum indiuiduorum, sed et specierum reptilium maris, sese mouitantium in aquis. Infinitum est enim in mari genus piscium, non tantum paruorum, sed etiam magnorum: sunt enim quædã monstrosæ magnitudinis & paruitatis. Mirabilis enim in mari relucet diuina maiestas et sapientia, non minus quàm in terra. Ad quæ omnia considerandа, spectanda & admiranda condidit deus hominem, quem intellectualem propterea fecit, ut omnibus dominaretur, & conditoris perfectionem reuereretur, & uoluntati obsequeretur.

26 illic naues pertranſibũt. Draco iſte (quẽ) formaſti ad illudendum ei:

Non tantum mirabiliter in mari pisces existunt, sed etiam non sine miraculo rationis humanæ & instinctu naturæ, supra naturam ut uidetur homines in nauibus transfretant quaquauersum uolunt in tempore, secundum uentum, quem humana ratio eligit & moderatur,

Leuiathan.

multiplici & admirabili ingenio & opera. Leuiathan quoq; in mari ludit, quo nomine cete, id est immaniores maris beluas significat numero singulari, quo significatur robur immensum, quo ita in mari dominatur, ut merus lusus sit uenari & capere in ea quælibet animãtia, naues euertere, cunctamq; uim tum hominum tum bestiarum proterere.

27 omnia à te expectant, ut des illis eſcam in tempore.

Omnia ista animalia in mari & arida à te solo alimenta sua expectant & sumunt: tu omnibus illis frangis panem, & escam præbes in tempore suo, pro ipsorum sustentatione necessaria pro eis solicitus, et uniuersali pro uidentia fidelis pater. Omnibus siquidem prospicit, qui omnia pascit, à cuius beneficijs omnium uita pendet. Istud utinam quàm clare hic dicitur, tam esset certo persuasum omnibus. Quò enim scelerum, proh dedecus, miseros nos una uentris cura non protrudit? Tum quantus est rerum omnium abusus? quanta temporis bencq; agendi occasionum negligẽtia? quæ longe à nobis essent, si certo crederemus à beneuolentia dei sic nobis donari omnia, ut uersus sequentes docent.

Pastor omnium.

28 Dante te illis, colligent: aperiente te manum tuam, omnia replebuntur bonitate.

Si tu unus illis dederis animantibus, de quibus iam dictum est terrestribus & marinis, annonam ac uictum, auidißime & gratißime colligent: si uero negaueris, periclitabuntur fame & uita, ut nequeant uel ad horam subsistere, non te ipsas sustentante elementis tuis & elementatis. Te uero aperiente manum, & largiente bonitatis & potentiæ tuæ beneficia, omnes bono saturabuntur, liberalitate & prouidentia tua uictum & omnia illis necessaria suscipient.

29 Auertente autem te faciem, turbabũtur. auferes ſpiritum eorum, & deficient, & in puluerem ſuum reuertentur.

Si quando uero auerteris ab eis faciem tuam, si tu ea destituere cœperis necessarijs ad uitam & opus, turbantur omnia, subsequetur ilico mors & perditio. Auferes enim eis spiritum uitalem, ut nequeant respirare, quæ ex te solo habent ut spirent, uiuant, operentur & durent, quin & ad puluerem suum unde creata sunt omnia reuertentur. Si enim dominus uel ad momentum faciem uoris sui nos respectu destituerit, non solum misere turbabimur, sed simul solitis beneficijs destituti, reuertemur in limum nostrum, unde ille nos finxit.

30 Emitte ſpiritum tuum & creabũtur: (&) renouabis faciem terræ.

Nouos quotidie spiritus & animas condis & refingis in locum demortuorũ animantiũ, ut sic cõtinuo mundus renouetur. Emittis, inquit, spiritum tuũ: nã utta ab ipso uno inspiratur: iuxta illud, Et inspirauit in faciem eius halitum uitæ. Sic singulis annis dat uiuificatrices animas singulis rebus, ut renouetur facies terræ, quæ quotannis emori & labascere cernitur per hyemem, reuiuiscit autem Vere, id est reflorere incipit spiritu & calore solis. Recte ergo dicit, emisso spiritu dei animantia recreari, quibus facies orbis ueluti renouatur.

Spiritus duplices.

31 Sit gloria domini in ſeculum: lætabitur dominus in operibus ſuis.

Notandum pijs omnibus maxime & semper, ut gloria domini elucescat, ex creaturis agnoscatur, & earum creator ueneretur in perpetuum. Vnde & exclamationem animi inducit ex considerатione maiestatis diuinæ, uoluptatem synceriſſimam & lætitiam percipientis, q; omnia prædicta tanta formauerit sapientia & instituit, tantaq; bonitate sua cumulat, sicut pater in filio lætari uidetur, quem singulari fouet indulgentia, & artifex in opere, in quo multum operæ impendit. Complacet enim domino in creaturis suis, siquidem uidit omnia quæ fecerat, & ecce bona ualde erãt. In quibus est et à nobis contemplandus, laudandus & glorificandus.

32 Qui reſpicit terram, & facit eam tremere: (qui) tangit montes & fumigant.

Qui solo nutu suo exagitat terram, dum iubet et uult commouetur, & quasi formidolosa contremiscit, qui tangit montes & fumigant, ipse è montibus nubes producit et pluuias: hoc est, nihil tãtis nititur uiribus, qd' nõ concidat domino manum suam submouẽte, uel irato uel tu aspiciente. Perelegans autem est potentiæ diuinæ ſtu magnificatio in eo quod canit, à solo dei intuitu terrã tremere, & à solo eius contactu montes iam excelsos fumare. Solenne quoque est, in scripturis per ignem diuinam ultionem significare.

Terræ motus.

33 Cantabo domino in uita mea: pſallã deo meo quandiu ſum.

Per omnes dies uitæ meæ donec uixero cantabo & gratias agam domino pro gloria sua in creaturis suis, & beneficijs, quas admiratione bonitatis suæ ad plenum laudare

laudare nequeo, in quo uno sim perpetuò gauisurus, & pro uoluptate habiturus, si illius me uolũtati per omnia accommodare studuero: sic deus in nobis lætari uidetur & sese oblectari, dum declarat gratiam suam tantis in nos beneficijs. Psallam deo meo quandiu sum, agnoscam bonitatem suam qui propter me creauit omnia.

34 Iucundum sit ei eloquium meum, ego uero delectabor in domino.

Vt mihi suaue est colloqui deo meo, & de eius beneficijs gloriari: sic ei quoq; placeat hoc meum dictamen & canticum, fide & deuotione animi depromptum. Ego lætabor in domino, concitabo meipsum hac meditatione mea ad laudes dei, delectatus contemplatione mirificorum operum dei.

35 Deficient peccatores à terra, & iniqui, ita ut non sint: benedic anima mea domino. (hallelu ia.)

Maiestatis laudisq; diuinæ uere studiosum, perfecto odio odisse oportet improbos, omniq; studio orare, & ad id operam suam impendere, ut obtineant ubiq; pij, qui Deum patrem agnoscant, colant, prædicent. inde oratiam, & simul prædicit fore, ut nullæ superfuturæ sint reliquiæ eorum, qui non agnoscunt suum conditorem. Indigni qui inter dei creaturas computentur, sed eradicentur de terra, & sint ubique, qui dei laudes uere celebrent. Etiam si id nunquam futurum speretur, orandum tamen est & desyderandum, & iuxta Dei legem per omnia annitẽdum, ut sanctificetur nomen dei ubiq;, Ideo seipsum denuo ad idem hortatur. Benedic, inquit, anima mea dominum, Spiritus meus et mens effluat semper in dei laudes, ex deuota memoria bonitatis diuinæ & beneficiorum. Nec ego solus id agere cupio, sed hortor omnes, ut non obmittant similia moliri, corde & animo dominum glorificando. Ideo iungit in Hebraico, Hallelu ia, Laudate dominum. Vt enim nunc est hoc carmine decantata laus dei: sic in æternum ab omnibus creaturis cantari debet.

PSALMVS CV.

Hallelu ia.

Hebræi titulo hunc Psalmum carere arbitrantur: nisi quòd eorum quidam uolunt Hallelu ia finalem dictionem præcedentis Psalmi, esse titulum sequentis, maxime si sequens incipiat alio uerbo quàm Hallelu ia, quod interpretatum ualet, Laudate deum.

ARGVMENTVM. Prouidentia dei docetur, & cura paterna ad credentes.

1 COnfitemini Domino, (&) inuocate nomen eius: annuntiate inter gentes opera eius.

Inuitat ad laudandum deum & inuocandum nomen eius, id est profitendum ipsum esse à quo sunt & seruantur omnia, qui est uerissimus domini Dei cultus. Agnoscere bonitatem & beneficia dei, quod est gratias agere, & in omni aduersitate & necessitate ad solum deum recurrere, in nomine eius petere. Notas, inquit, facite in populis omnibus, qui hactenus deum uerum ignorantes, ligna & lapides, & quæ nihili sunt & nihil possunt adoraucrunt, illis nunc aliquando narrate opera dei nostri, dei ueri. Eius autem opera sunt, prouidentia & cura circa suos, quam fideles experti prædicant omnibus, à quo toti pendent & cupiunt ipsum solum ab omnibus glorificari.

2 Cantate ei, & psallite ei: narrate omnia mirabilia eius.

Ei domino deo canite, non dijs, non angelis, hominibus uel nobisipsis, non uitijs uel criminosis, sed deo soli, à quo omnia bona in omnibus proficiscuntur & patrantur, quæ ad laudem dei continuo sunt meditanda fidelibus. Vocat autem mirabilia hæc, quia non potest iniri ratio sapientiæ & bonitatis, quæ in dei relucet operibus, quibus pijs sibi credentibus adest, ad illorum bonum, & suam qua dignus est gloriam. Non quod plurimum delectetur dominus in cantionibus, sed in fide & obedientia eorum, qui totos se illi deouere & subdere cupiunt, & omnia sua bona illi soli referre accepta & grata didicerunt. Mirabilia dei.

3 Laudamini in nomine sancto eius: lætetur cor quærentium dominum.

Oblectate uosipsos, & gloriamini in nomine sancto uel sanctitatis eius, id est, in præclara illa dei maiestate, quæ se ubiq; in uestram salutem tam mirifice ostentat. Et lætetur cor eorum, quod hac rite considerata, omnino fieri necesse est. Quis enim non impense lætetur, omnipotentem agnoscens suum deum & patrem esse, tanta qui fecit & facere paratus est proficere in salutem & in usum se colentium. In quo solo syncere pij lætari sine periculo possunt. Cætera omnia caduca sunt & cuanida, ut dum maxime diliguntur, minus sufficiant uel perseueranter assint.

4 Quærite dominũ, & confirmamini: quęrite faciem eius semper.

Sine domino quia nihil estis, nec aliquid potestis, ideo eum quærite qui solus est omnipotens, à quo estis quicquid estis. Quærite faciem eius semper, studete placere illi per omnia, & attendere diligenter ad eius beneplacitum. Non currite ad alios quoscunque auxiliatores, dominus hunc honorem inuocationis, eorum quos condidit alteri non patitur deferri. Aliud est autem faciem eius quærere & ferre, sicut aliud est clementiam sentire & furorem. Quanquam & faciem quærere dici posśit, coram arca domini secundum dei legem dominum inuocare & comparere in cœtu fidelium, dominum concorditer colentium & laudantium. Quærere dominum.

5 Mementote mirabiliũ eius quę fecit: prodigia eius & iudicia oris eius.

Non sunt in obliuionem reijcienda dei beneficia, sed cum gratiarum actione semper memoranda. Iudæis quidem ea quæ peculiariter pro Israele dominus fecit, portenta dicuntur, insuetis rationibus & modis pro illorum liberatione perfecta. Eadem & iudicia oris dei dicuntur, nam eo ita decernente atque iudicante miracula

illa pro sanctis ædita sunt. Nos uero secundũ spiritum filij Israel, æque plura & maiora beneficia quotidie percipimus, per gratiam dei in Christo: consyderareq; debent sancti omnes, quid pro se cõsolandis dominus agat, quæ nobis mandarit facienda, & quomodo impios corripere assuetus sit.

6 Semen Abraham serui eius: filij Iacob electi eius.

Electorum semen. Vos dominũ in primis laudate qui estis semen Abrahæ, non tam carnales filij sanctorum, quàm in spiritu & ueritate, qui electi estis à domino. Qua appellatione uoluit admonere diuinæ dignationis, qua sibi in seruum elegit uos, non ex ipsius solum familia Iacob, sed tota hominum uniuersitate, deinde & Iacob reiecto fratre primogenito Esau. Tum enim deum populi electi se constituit deus, licet eius iudicia, id est, potestas ac regnum in omni terra semper obtineat: ideo dicitur,

7 Ipse dominus deus noster: in uniuersa terra iudicia eius.

Ipse est dominus deus noster, creator & gubernator omnium electorum, non idola uel diui qui dicuntur: non iam tantum in Iudæa & Chanaan, sed in uniuersa terra patent, uidentur ac exercentur iudicia dei. Vbique enim regnat, iudicat, ac iubet quæ uult, punitq; rebelles. Vbi Iudæi quoque nomen יהוה faciunt nomen dei, quod non negatur ad sensum, quum sit transcendens ad ens omne. Vt autem ipsum scimus dominum deum nostrum, sic nos quoque agnoscamus illius cultores & creaturas: iudicia, id est, exempla ædita iustitiæ ex sacris scripturis & quotidianis operibus illius dispiciamus diligenter.

8 Memor fuit in sęculum testamenti sui uerbi (quod) mandauit in mille generationes:

Pro fide & ueritate sua qua se fidelibus patribus obstrinxerat dudum, gratia illi referenda est non tantum à Iudæis, sed ab omnibus gentibus, quarum expectationem non frustrauit, sed locupletissime impleuit promissa, simul & fidem contulit gentibus, ut illa se complesse credant & gaudeant. Iudæi autem qui hodie dicuntur, nihil minus sunt quàm filij Abrahæ & Israel, qui nihili putantes animarum salutem, & Dei gloriam propagatã ubiq;, sibijpsis tantũ bene esse cupiunt secundum carnem, & lucrum reportare corporaliter utcunque obseruata & non intellecta lege, & Christi gloriã non perpẽdunt, nec dei ueri per Christum orbi commendatã, quæ beneficia in mille generationes promisit. Iam dudum Iudaica generatio à deo repulsa cernitur, & fideles ex gentibus susceptí charissimi filij conspiciuntur & electi.

Filius Abraham.

9 Quod disposuit ad Abrahã, & iuramenti sui ad Isaac:

Fœdus cũ Abraham. Fœdus iniit dominus cum Abraham de semine benedicto multiplicando per Christũ, quod aliud non est, quàm semen piorum, qui sunt membra Christi, Deo uero toto corde adhærere cupientium, etiam si de semine Herodis & Cyri generati sint secundum carnem. Et iuramenti sui ad Isaac, quo fides nostra sit certior multis idẽ promisit prædictionibus daturum se nobis, plenissime enim præstitit promissa. Fœdus illud dei ictum cum Abraham legimus Geneseos decimoseptimo, cum Isaac uigesimosexto, cum Iacob uigesimoseptimo. Erant autẽ leges fœderis, ut esset ipse illorũ deus, et uicissim illi ipsius populus. In cuius signum dedit illis possessionem terræ Chanaan, quod secundum rationem humanam fieri non posse credebatur ab impijs, propter illius terræ fortissimos tyrannos, ac firmas urbes atq; munitiones.

10 Et statuit illud Iacob in præceptum: & Israel in testamentum æternum,

Hanc canit fuisse populo à deo datam legem, fœderisq; quod cum eo pepigerat rationem, quam unice exigit à suo quocunque populo, ut fœdus hoc coleret, dominum deum suum illum agnoscẽs, sęq; populum eius præstans, propter quod et promisit posteritati sanctorũ, ut credãt futurum, & credendo iustificati saluentur. Aeternum autem fœdus uocat Israeli, non secundum carnem, sed fidem, qua sola deo placetur, ut illius promissis certo adhæreatur, quamlibet differantur uel contrarium fieri cernatur ad tempus.

11 Dicens, Tibi dabo terram Chanaan: funiculum hæreditatis uestræ.

Memorat prima dei beneficia in Israelem, cum adhuc essent exigui numero, perpauci & aduenæ in terra quæ destinata eis erat in hæreditatem. Exegit enim ab illis fidem earum rerum quæ minime uiderunt patriarchæ omnes, sed posteri susceperunt: patres autem prisci hæc omnia futura credendo & domino adhærẽdo per fidem saluati sunt. Terra autem Chanaan dicebatur á filio Cham, cuius incolæ fortes & pessimi extirpandi erant, & in sortem, funiculum uel hæreditatem danda fidelibus & pijs, donec tales essent futuri. Voluit his promissis semper pascere fidem, & non inaniter exigi. Beneficia & fides.

12 Cum essent numero breui: paucissimi & incolæ eius.

Cum essent homines numeri, id est, perpauci, comparatione aliarum gentiũ, in quibus dispersi erant: & pauci, in initio dum existent de terra Chanaan cum Iacob patre ad Ioseph in Aegyptum. Dum enim hæc illis promitterentur admodum pauci erant, & habitabant in ea longo tempore, ceu alieni & peregrini, deq; fide tentabantur diu & multum, iussi credere posteritatis maximam multitudinem, cum senes nondum haberent filios: terræ totius hæreditatẽ, cum non haberẽt in ea passum pedis, ut sepulturæ locus emendus Abrahæ fuerit post mortem Saræ: & famem toties cogerentur fugere ex eadem, et in Aegypto uitam redimere, tandem grauissima seruitute opprimi. Inter hæc autem omnia iubentur credere maxima bona, & hæc denique in longinquum. Sic patres fideles exercitantur in fide, ut ea iustificati placeant alijs in exemplum. Pauci & deles.

13 Et pertransierunt de gente in gentem: & de regno ad populum alterum.

Ad præceptum domini, proq; uarijs necessitatibus migrabant de regione in regionem, incertis sedibus uagabantur Abraham, Isaac, Iacob peregrini perpetuo in terra

in terra, quorum erat in cœlis patria, & in terra certa hæreditas, sed promissa tantũ. Ad quam autem gentem patres illi successiue peruenerint, satis ex Geneſis historia claret.

14 Non reliquit hominem nocere eis: & corripuit pro eis reges,

Tum sanè quantumuis sic haberent, ut quorũuis iniurijs obnoxij essent, eam tamen illorũ curam deus egit, ut nemo lædere eos potuerit. Nam & reges, nempe Pharaonem regem Aegypti, et Abimelech regem Palæstinæ, illorum uxores etiã nescientes sibi cum assumpsissent, castigauit: testatus esse illos suos unctos et prophetas, quos scilicet lædere nemo tentaret.

15 Nolite tangere christos meos: & in prophetis meis nolite malignari.

Quos, inquit, ego amicos assumpsi in meam tutelam, & elegi peculium ex gentibus, uos ne affligere præsumatis. Quos ego mihi elegi cultores solos mortalium, ad deferendum gratũ obsequium, ut oracula mea exciperent, alijsq; renuntiarent méq; placarent precibus, quod est munus propheticum. Hos neminem lædere permittam impune: nec unquam patiar affligi, habentes uerbum meum, & confitentes ueritatem meam fideles, quin puniam zelo iusto persecutores fidelium & ueritatis.

16 Et uocauit famem super terram: & omne firmamentum panis contriuit

Transit ad celebrandum beneficium dei, quod Israëli præstitit per Ioseph. Obseruandum uerò, famem à deo uocari, à quo solo pascimur, quando pro peccatis uel ad eruditionem suos egere necessario uictu ad tempus sinit. Virgam autem panis dixit pro sustentatione, ducta inde metaphora, quòd gradientes baculo nitantur. Destituit ergo ad probationem fidei necessarijs rebus, pane scilicet, quibus tam immensa bona promiserat: tam delectatur dominus fide piorum, quam solam sicut in Abraam sic posteris omnibus reputauit ad iustitiam, sic ut grauiter quoq; offensus perfidia et murmuratione, ipsos non raro dure afflixerit.

17 Misit ante eos uirum: in seruum uænundatus est Ioseph.

Singulari dei consilio, & in bonum sibi & suis Ioseph se missum testatus est in Aegyptum fratribus turbatis, cum dicebat: Ne affligat, néue doleat uobis, quod me huc uendidistis: nam ut in uita uos seruarem, misit me deus ante uos. Et cum mortuo patre impietatis suæ in ipsum commissæ orarent ueniam, Ne, inquit, timeatis, deus uertit in bonum, quod uos cogitaueratis in malum, ut efficeret quod præsens dies testatur, & populus domini seruaretur in uita. Id memorandum est exemplum, quod imitari debeant fideles. Tantum in bonum finit nobis accidere quicquid accidit, quamlibet improbi mala sint in nos uoluntate, quibus ille ut uirgis ad castigandũ nos utitur.

18 Humiliauerunt in cõpedibus pedes eius, ferrum pertransijt animam eius,

Infeliciter deiectus est optimus Ioseph, ut mirabilius exaltaretur, ab impijs fratribus ab illo seruãdis. Grauioribus malis oportuit antea exerceri et probari Ioſephũ, quàm deus eo populi sui seruatore uteretur, in principalem dignitatẽ euecto. Præter carceris molestiã oportuit ferre eum compedes, & ferreis cathenis atteri corpore: sicq; cruciari uirũ innocentem necesse fuit, ad id usque tempus, quo uenit ad Pharaonem. Multis enim periculis mortis obiectus est, quo tandem saluaret fratres. Exemplum & typus ueri saluatoris mundi, Christi domini. Animam transire ferrum, est corpus affligi lætaliter, more Hebraico animam accipiendo pro substantia & corpore. Exercitium sanctorum.

19 donec ueniret uerbum eius. Eloquium domini inflammauit eum:

Donec ueniret uerbum eius, ordinatio scilicet diuina de eo prouehendo in regno Pharaonis. Vsque ad illud enim tempus, necesse erat humiliari eum, & multa pati ac grauia. In tempore enim probauit eum eloquium dei, quid hominis esset, utq; uaticinandi gratiam accepisset à domino, qua pincernæ & pistori somnia sua interpretatus est coram Pharaone, tunc innotuit dei institutum. Deinceps quoque fratribus reuelatum fuit, quàm uerè olim somnia prædixisset, qui tunc grauiter audiebant, tandem ut ad salutem suam necessaria grati amplectebantur. Sic docet dominus fidem & mores, sic exercitat pios & impios, sic dispensat negotia regum & regnorum, ut agnoscatur & diligatur. Humiliatio Ioseph.

20 misit rex & soluit eum, princeps populorum & dimisit eum.

Cum uenisset uerbum Ioseph, uel ut regi innotesceret quantus propheta esset, siue quæ sors dominus ei destinasset, misit rex pro eo, non solum eripuit eum, sed etiam dominum & moderatorem rectoremque populorum instituit, diuina prouidentia impulsus eripuit è carcere & uinculis, ut exaltaret in regnum, non tam dominus Aegypti Pharao sua sponte, quàm dominus uniuersorum deus, cui subsunt uota regum & opera, qui humiliare suos nouit, & exaltare in gloriam dei, ducere ad portas mortis & reducere. Exaltatio Ioseph.

21 Cõstituit eum dominum domus suæ, & principem omnis possessionis suæ.

Constituit non tantum dominum domus suæ, sed totius regni. Ita enim dicebat, Præeris domui meæ, & ad imperium oris tui parebit omnis populus meus, uno solio te anteibo. Et rursus, Constitui te super omnem terrã Aegypti, &c. Tum sane calamitatibus suis ceu igni ereptus, in tam præcellentem dignitatem, defecato tam argento similis est effectus. Hæc dignitas quanta fuerit explicat uersus sequens.

22 Vt erudiret principes eius ficut semetipsum: & senes eius prudentiam doceret.

Vt pro uoluntate & uoto suo erudiret principes, hoc est in animam eius, pro arbitrio suo. Ad hunc sensum priscus intellexit, & Chaldaicus interpres, quicquid hodie Iudæi dicant de uinciẽdis principibus, cum statim sequatur, Et senes eius doceret prudentiam. Qui enim iuuenis erat, sapientes instruere iam poterat: & qui seruus uinctus & emptitius & alienigena erat, factus est Sapientes docere.

principum institutor & rector. Hoc autem ut ingens miraculum narratur, quod Aegyptij semper de insigni sapientia laudati, etiam ad superstitionem usq; doctrinam iactauerunt, nunc uero illorum principales, dicuntur sapientiã didicisse à seruo Hebræo, & à filio Iacob exulis.

23 Et intrauit Israël in Aegyptum: & Iacob accola fuit in terra Cham.

Terra Chã. Quomodo intrauerit Iacob in Aegyptum, scribitur Gene. 46. Vocat autem eam terram Cham, quod huius filius fuerit Mesraim, unde Aegyptus incoli cœpit. Notat autem simul hanc gentem impietatis à primo suo conditore, unde & nihil boni & iustitiæ ibidem essent edocendi, uel etiam suscepturi: sed auspicium hoc esse poterat futuræ calamitatis apud gentem impiam perferẽdæ. Cuius & alioqui nomen resonat miserias, angustias ac tenebras. Ibi ergo nimium diu peregrinatus est Iacob cum sua posteritate, inter infideles idololatras & crudeles.

24 Et auxit populum suum uehementer: & firmauit eum super inimicos eius.

Pij ut crescant. Solent in calamitatibus crescere & augeri pij, ut hic Israël dei prouidentia paruo tempore pro comparatione auctus est uehementer, idq; quanto inhumanius tractarentur & opprimerentur, ut etiã fortior euaserit aduersarijs suis, ut præberent occasionem ex eorum multitudine & germinatione, cogitandi de diminutione eorum, masculos statim à partu occidendo. Vt diceret rex Aegypti: En populus filiorum Israël multus est & ualentior nobis. Hinc ergo discendum quomodo suos dominus maxime tunc euehat cũ à mũdo grauissime premuntur.

25 Conuertit cor eorum ut odirent populum eius: & dolum facerent in seruos eius.

Beneficia in Aegypto. Transitum facit ad memorandum dei beneficium, quo ex Aegypto populum rursus potenti brachio suo eduxit. Illud autẽ non nisi antea humiliati, & cum iam plus nimio fuissent ab Aegyptijs attriti, consequi non potuerunt. Nec enim potest uera populo dei gloria contingere, nisi carne hac penitus confecta. Ipse ergo suis immittit, qui eos exerccant, carnemq; eorum obterant: ideo dicitur, Vertit nempe deus cor illorũ ut odirent populum suum. Sic deus author est etiam odij impiorum in pios. Hominum enim fauor & odium ab uno domino proficiscuntur. Dominus est qui indurauit cor Pharaonis, & Aegyptiorum, ut dolose agerent in seruos, circumuenirent multipliciter uiolentia crudeli: tunc autẽ erat tempus domino succurrendi.

26 Misit Mosen seruum suum: Aaron quem elegit ipsum.

Mosis uocatio. Vocatum ex pastore ouium, & de post fœtantes Mosen, dominus seruum suum facit, & liberatorem mittit ad populum suum tempore oportuno, ad regnum uocatur, et ad salutem populi, Aaron quoque quem & ipsum elegit. Ambos non sese intromittentes, nihil ambientes, nihil minus cogitantes eligit, mittit, quia complacuit sibi in illis ad opera sua per eos perficienda: sic semper dominus in tempore afflictis mittit consolatores, nec sinit adfligi supra quàm queat ferri.

27 Posuit in eis uerba signorum suorum: & prodigiorum in terra Cham.

Vt esset tanto efficacior horum consolatio, facultatem dedit legatis suis dominus, uirtute diuina non sua, mira ædendi portenta, coram Israëlitico populo, & contra Aegyptios, & iustas quoq; inferendi pœnas crudelibus & impijs, qui iterum ad ignominiam hic dicuntur filij Cham, impij filij in iustum patrem. Quod uerò dicitur, Posuerũt signa, ad Mosen refertur & Aaron, quod uerò in eis iungitur, ad Aegyptios refertur.

28 Misit tenebras, & obscurauit: & non exacerbauit sermones suos.

Non recenset plagas Aegyptiorum omnes, neque ex ordine, ne quis in sacris eruditionem superstitiosam & curiosam quærere uelit. Simplex est stilus spiritus sancti, & ex affectu proficiscitur poëtica socrosancta, non electione curiosa uerborum. Vnde fit ut tenebræ de quibus hic primùm meminit, nona ultio fuerint. Altera particula huius uersus, Et non exacerbauit uel repugnauit uerbis eius, ambigua est, potest enim referri ad Mosen & Aaron, qui iussi sunt non sine magno periculo exacerbare regem, iussis tamen domini obtemperant. Quidam ad ipsa portenta referunt. Potest & ad Aegyptios referri, qui eatenus dicuntur non fuisse increduli uerbo eius, quod dimiserunt tandem Israëlem uidentes miracula, sed non durauerunt in hoc instituto. Ambiguum

29 Conuertit aquas eorum in sanguinem: & occidit pisces eorum.

Prima plaga. Prima ultio diuina contra Aegyptios fuit conuersio aquarum in sanguinem, ut recordarentur illius flagitij crudelissimi. Quo infantes occidere ausi sunt recens natos in fluuio, qua plaga percussi sunt, ut non haberent potum ad bibendum, sed & pisces fluminum morerentur, ut uideretur etiam substantia aquarũ mutata in sanguinem, non tantum color, quandoquidem & pisces uiuere nequiuerint in eis, & animalia quoq; reliqua de eis potari non potuerint.

30 Et dedit terra eorum ranas in penetralibus regum ipsorum.

Plaga secũda. Ex aquis putridis non mirum si ranæ multæ succreuerint & pullularint. Et hæc fuit secunda plaga Aegyptiorum, qua nedum uulgus, sed regis quoque cubiculum & secretissima loca quæq; plena essent molestia illa intolerabili. Sic enim omnipotens dominus facile potest leuibus rebus plurimum perturbare magnos, dominus est enim, & in manu habet tam corpora quàm animas, quem nemo impune contemnet, qui ineuitabilibus malis impios aggredi potest & finire.

31 Dixit, & uenit cynomya, & sciniphes in omnibus finibus eorum.

Plaga tertia. Insectorum turba animalculorum, quam Hebræi commixtionem nominant, quarta erat pœna in Aegyptios. Pediculorum uero malum tertia erat plaga, quos priscus dixit Sciniphes, & fortassis melius quàm Iudei. Quod genus animaliũ pennis, ut aiunt, suspenditur per ærа uolitans, sed adeò subtile & minutum, ut oculi uisum nisi acute cernentis eludat: corpus tamen quem insederit acerbissimo terebrat stimulo, ita ut quem uolantem quis

tem quis uidere non ualet, sentiat stimulantem. Qualecunque fuerit animal, nihil certe quietum & mundum permusit.

32 Posuit pluuias eorum grandinem: ignem coburentem in terra ipsorum.

Tempestuosa pluuia & grando, quibus omnia sunt uastata, septima erat in ordine plaga: cum expectaretur salutifera pluuia perniciem susceperunt omnia terrena scentia. De quibus uide scripta in Exodo. Ignē uero flammarum uocat uredinem uel etiam corruscationem: omnia opprimentia & perdentia, ne quid superesset in agri germinibus.

33 Et percussit uineas eorum & ficulneas eorum: & contriuit lignum finium eorum.

Cum hic iungat ficum cum uite, satis liquet germanas ficus & mansuetas, non fatuas hic designari & alibi, Psalmo scilicet septuagesimooctauo. Abstulit autem hac plaga omnes hominibus necessarios fructus, uites scilicet & pomiferas arbores. Vt hæc omnia signa non uno anno facta fuisse intelligamus, sed multo tempore dominum exercuisse Aegyptios tot magnis plagis, si quo tandem modo uel resipiscerent toties afflicti, uel prorsus delerentur obstinati.

34 Dixit, & uenit locusta & bruchus, cuius non erat numerus:

Plaga locustæ & bruchi in ordine historiæ octaua scribitur in Exodo, quibus incōmodis deuastati sunt horti agri & uineæ. Et non erat numerus, hoc est, inconsueto incursu, dum alioqui huiusmodi pestes multas patiatur Aegyptus. Sed hæc erat præter communem naturæ cursum & regionis morē insignis & intolerabilis, ideo sequitur.

35 Et comedit omne fœnū in terra eorum: & comedit (omnem) fructum terræ eorum.

Omnia terræ Aegypti germina, hoc est, omnium animalium pascua, hæc plaga abstulit. Et comedit fructum eorum, ut nec semina superfuerint. Hæc uerò omnia contra impios agebantur, ut nō resipiscentes digne puniretur in gloriam dei, qui crudelitates tam enormes multis ferire & damnare non obmittit, quamlibet diu differat, sed magnitudine mali compensat diutius spretam longanimitatem.

36 Et percussit omne primogenitum in terra eorum: primitias omnis laboris eorum.

Interfectio primogenitorum erat decima, quos nominat primitias de omni uirtute eorum uel labore, tropo Hebraico, quo significatur uirtus generandi. Sic Iacob dicebat de Ruben primogenito suo, Primitiæ tu es uirtutis meæ. Cum itaque primogenita & pecorum & filiorum Aegyptijs interierint, recte transtulit priscus, Ab homine usque ad pecora, à regis filio usque ad nouissimæ ancillæ primogenitum. Sed & intelligi potest fraudatos Aegyptios his tot prædictis plagis omnibus primitijs laborum, hoc est desideratissimis fructibus, pro quibus plurimum laborassent, & pro quorum iactura laboraturi erant magno incommodo.

37 Et eduxit eos cum argento & auro: & non erat in tribubus eorum infirmus.

Iussu domini pro perpessis laboribus, & quia domini sunt omnia, onusti sunt filij Israēl diuitijs Aegyptiorum, de quibus Exodi duodecimo. Vbi obseruandū quomodo dominus operas suorum & molestiam ex facultatibus Aegyptiorum rependerit inuitis etiam Aegyptijs, quos iussu diuino fefellerunt pro peccatis illorum maximis. Aperte quidem & synceriter cum omnibus, etiā hostibus agendum est, nisi secus dominus iubeat, cuius toti sumus. Ita nemo lædendus est, at cum secus iusserit dominus iam impia est misericordia quæ parcit: unde & Saul sua in Amalechitas præpostera clementia peccauit. Quòd uerò ait, Et non erat in tribubus eorum infirmus, intelligitur qui præ infirmitate ab itinere impediretur aut aliâs misere haberet. Transferre dominium, dei est.

38 Lętata est Aegyptus in profectione eorū: quia incubuit timor eorum super eos.

Iam nunc gaudent Aegyptij in exitu Israēlitarum, ubi notanda rerum immutatio. Tam raris & tremendis signis non adducuntur Aegyptij, ut dimitterent populum dei, nunc tandem acti malis suis coegerunt etiam illos, ut uelociter abirent, multūq; lætati sunt cum abijssent, quia ceciderat pauor domini super ipsos, cum domino placuisset.

39 Expandit nubem in protectionē (eorum) & ignem ut luceret (eis) per noctem.

De ducatu nubis & ignis multa lege in sacra historia Exodi decimotertio. Tunc autem signo uisibili ostendit dominus, quomodo inuisibiliter suis adest perpetuò, eosq; ducere soleat. Interdiu ab æstu solis defendit nube interposito, quo possint sustinere calorem. Noctu uerò proficisci uolentibus uiam fecit, & præcundo ostendit & consolatur splendore columnæ ignis: sic in prosperis et aduersis dominus tutatur suos, sic nihil deo graue pro suis electis. Signum uisibile.

40 Petierunt, & uenit coturnix: & pane cœli saturauit eos.

Quæ de coturnicibus & manna hic canit, leguntur Exod. 16. Eo miraculo dominus declarauit, ut suos alitur us sit, etiā si nihil in orbe superesse uideatur, unde pasci possint. Petentibus enim populis, & Mose intercedente, delicatiores quasdam aues adduxit minister domini uentus. Et æthera depluerunt panes mire suaues cibos pijs, sed non sic ingratis & impijs. Non enim beneficia domini ex æquo omnibus proficiunt, ut non ex æquali fide suscipiuntur.

41 Dirupit petram, & fluxerunt aquæ: abierunt in sicco flumina.

Miraculum aquæ datæ in Raphidim narratur Exodi decimo septimo, ubi contra naturam rerum et loci aquæ defluxerunt è petra, & in siccitatibus & deserto eruperunt flumina, quoties habebant opus. Non enim intelligendum semel & uno tantum loco aquas sufficientes populo tanto propinatas fontes & flumina, plena enim sunt & perfecta beneficia dei, & solo nutu omnia quæ uoluit facit, nec quicquam sibi difficile, ne dicam impossibile, si tantum domino confidatur. Aquæ miraculum.

42 Quoniã memor fuit uerbi sancti sui (quod habuit) ad Abraham puerum suum.

His autẽ miraculis benefecit dominus populo illi propter fœdus olim initum cum Abraham & cæteris patriarchis. Non potest enim labefactari ueritas dei, non perire uel minimũ uerbum eius. Promiserat enim quarta generatione exituros filios Israël de Aegypto, & inducendos in terram Chanaan, id quod obmitti non potuit, quæ olim futura promiserat nunc exoluit & complet. Non possunt excidere promissa dei. Fidelis dominus in uerbis suis, & sanctus in operibus, ad eos quos similes esse iubet electos.

Promissionum dei ueritas.

43 Et eduxit populum suum in exultatione: & electos suos in lætitia.

Quanta exultatione & iucunditate exierint erepti de tam crudeli seruitute, maxime cum uidissent persecutores suos omnes in mari mortuos, & in littore spoliandos expositos, facile est credere, & certò testatur Canticum Mosis, quod Maria soror præcinit etiam fœminis. Cantemus, inquit, domino glorioseː in typum eductionis electorum per mare huius calamitatis ex Aegypto ad æternam felicitatem, quæ est fidelibus uera beata patria et promissionis dignæ terra. Alioqui facile est electos semel corporaliter ereptos fuisse, sed eximia dei bonitas longe maiora præparauit bona credentibus, quæ nec oculus uidit, nec, &c.

44 Et dedit illis regiones gentium: & labores populorum possederunt:

Quam patribus terram optimam promisit, hanc posteris tradidit, ubi labores populorum hæreditauerunt, oppida extructa, & terram cultam ab alijs ipsi possederunt & fruiti sunt, quandiu domino seruierunt. Cũ conditione enim sunt promissiones et pacta dei ad homines, quæ sequitur ultimo hoc uersu.

45 Vt custodiant iustificationes eius: & legẽ eius exquirant. Hallelu ia.

Vult ereptos ab hostibus & de seruitio hominum non esse sic liberos, ut nihil debeant cuiquam, sed deo fidem & obedientiam ac obseruantiam legum suarũ & iustificationum, tunc maxime obligantur, ut ipsum fide, spe & charitate colant, doctrimam propheticã diuinitus reuelatam discant, sciant, doceant, & faciant, quæ docet iustitiam ueram, non solum fidei, sed eam qua unicuique reddunt quod suum est, deo reuerentiam & obedientiã, proximis charitatẽ & beneficentiã. Iterũ Hallelu ia additur, uel finis carminis iã habiti, uel titulus sequuturi.

PSALMVS CVI.

(Hallelu ia) Hallelu ia.

Id est, Laudate dominum qui est ipsa essentia omnium, qui à se semper existit & dat cunctis esse.

ARGVMENT. Gratiarumactio pro ueteribus beneficijs dei, & imploratio gratiæ diuinæ.

1 CONfitemini domino quoniam bonus: quoniam in sęculum misericordia eius.

Commemoratio bonitatis diuinæ, fiduciã in deum & amorem, ac deinde omne pietatis studiũ mire accendit, auget & prouehit. Ideo hanc initio statim ut causam memorat, cur summa religione celebrari ab omnibus deus debeat, quia scilicet bonus est, benignus et beneficus, cuius semper durabit benignitas, qua gratis omnibus semper benefacit etiam indignis, & misericorditer omnia moderatur.

2 Quis loquetur potentias domini: auditas faciet omnes laudes eius?

Tanta autem est dei bonitas, ut non solum omnia repleat, sed etiam semper duret, atque à nemine possit satis enarrari. Fortitudo non una sed infinitæ & multæ: immensa est enim dei uirtus & potentia, & inenarrabilis omni creaturæ etiã angelicæ, quanto minus hominibus? Non ergo tam loquenda nobis est, quàm admiranda, stupenda & cum reuerentia meditanda. Nec quisquam potest recensere omnia ea, unde meritißimam deus laudem mereatur. Quis enim narrabit inenarrabilia?

Perfectio dei ueneranda.

3 Beati qui custodiunt iudicium: & faciunt iustitiam in omni tempore.

Huius autem quamlibet immensæ & sempiternæ bonitatis quoniã nulli participes, nedum idonei præcones esse possunt, nisi qui fide eam degustarunt, adeo, ut eam æmulari studeant: ideo subiecit felices esse qui obseruent iudicium, & faciunt iustitiam, hoc est, studeant omnia facere ex æquitate & iustitia, quæ coram deo iusta habentur. Efficaciter enim iusti beneplacito dei studeant, cui se totos committunt, quem syncere timent, cuius fidunt misericordiæ.

4 Memento nostri (mei) domine in beneplacito populi tui: uisita nos (me) in salutari tuo:

Pro bona uoluntate tua domine & clementia, quam habes ad populum tuum, & electos tuos, obsecro, memineris mei peccatoris, non meritorũ expendas opera, sed in salutari tuo, illo quo omnes saluantur, uisitare me dignetur. In Christo tuo per te saluari cupio, cum tuis fideli bus, per te colligi concupisco, uera salute & iustitia donandis.

5 Ad uidendum in bonitate electorũ tuorum, ad lætandum in lætitia gentis tuæ: ut lauderis cum hæreditate tua.

Ad hoc ut uidere possim bonitatem, salutem & optimum statum electorum tuorũ, unde & lætari possim de felicitate piorũ, & ut aduenial multis regnũ tuum. Externa bona. Externa siquidẽ prosperitas nõ raro contingit impijs multa. to cumulatior quàm electis, utcunq; illis propter impietatem suam non sit uera prosperitas. Solet autem scriptura ab ijs bonis & prædicare deum, & accendere in sanctis studium pietatis, quæ habẽtur notiora, & in quibus dei bonitatẽ ppetuò sentimus. Sed quia ubi deest rectus animus, nihil prorsus bonorũ sentiri potest, ideo quoties externa bona scriptura memorat, ea intelligit, quæ studium consequuntur regni & iustitiæ dei. Huiusmodi igitur populo dei prosperitatem lætitiam & gloriationem precatur, sesecq; eius in his fieri consortem optat.

6 Peccauimus cum patribus nostris: iniuste egimus, iniquitatem fecimus. Confi-

Confitetur nomine populi, ipsius & patrum peccata, uolens ex eo quod deus patribus toties se offendentibus promissa sua nihilominus præstitit, & malitiam eorum sua bonitate uicit, spem sibi & suis firmare, cum et ipsos tandem respecturum, utcunq; eum cum patribus plus nimio irritassent impietate sua: quasi dicēs, Non sumus eis meliores, sed eorū exemplo omnes offendimus, iniquè egimus cum proximo, & impietatem admisimus in deum nostrum.

7 Patres nostri in Aegypto non intellexerunt mirabilia tua: non fuerunt memores multitudinis misericordiæ tuæ. Et irritauerunt ascēdentes in (super) mare, mare rubrū.

Incipit peccata patrum contra dei beneficia commemorare: & primùm, quod in Aegypto mirabilia dei per Mosen ostensa non rite intelligere uoluerunt, nec omnipotentiam nec bonitatem. Nam cum promissionibus diuinis uisis signis fidem professi essent et gratias egissent, simul atque grauari denuo aliquantulum ab Aegyptijs cœpissent, expostularunt cum Mose & Aarone, tanquam impostoribus, qui promissa liberatione effeciissent ut iam grauius opprimerentur. Deinde uisis tot portentis, iamq; educti cum uasis argenteis & aureis, domini bonitatem experti magnopere fuissent, omnium rursus immemores, dicebant, Numquid quia non erant in Aegypto sepulchra, tulisti inde nos, ut moreremur in deserto? & cætera multa. Hanc populi ingratitudinem & incredulitatem canit Psaltes, cum dicit, Et rebelles fuerunt apud mare caricosum, quod dicitur rubrum.

8 Et saluauit eos propter nomen suum: ut notam faceret potentiam suam.

Non propter illorum merita saluauit eos, sed quanquam ingratos tamen beneficijs eximijs superauit. Statuerat enim nomen suum orbi cognitum reddere. Hoc ergo potius quàm quid miseri illi mererentur, consyderauit, propter nomen suum seruauit illos, ut illud illustraret, & uirtutem suam celebrem mundo redderet, ideo sæpe dixit, Vt sciant Aegyptij quod ego dominus, cum glorificatus fuero in Pharaone, &c.

9 Et increpuit mare rubrum, & exiccatum est: & deduxit eos in abyssis sicut in deserto.

Increpare mare nihil est nisi præcipere & iubere, proq; uoluntate sua mitigare fluctus & pro uoto disponere, etiam contra naturam: sic iussu diuino mare rubrū stetit, & contra naturam exiccatum est, & cessit transeuntibus electis, ut ambulare potuerint in abysso, sicut in arido: seruit enim creatura mandatis diuinis & fideliū gressibus. Digne enim seruientibus deo creaturæ seruiunt. Et solius diuini operis argumentum est obedientia maris.

10 Et saluauit eos de manu odientium: & redemit eos de manu inimici.

Sic uia concessa per mare pijs, à dextris & sinistris stantibus aquis pro muro, mirabili opere, euadere potuerunt fideles impetum crudelium hostium Aegyptiorum persequentium et ad mortem odientiū. Et de domo durissimæ seruitutis, decq; ferrea fornace suos dominus redemit de manu inimici. Repetitionibus utitur scriptura ad asseuerationem maiorem, & ut fortius & clarius ueritas intelligatur, memoretur & pensiculetur. Eximiū est enim dei opus, hac uia liberare pios ab impijs, & contra naturam aquas alijs præbere transitum, alios inuoluere.

11 Et operuit aqua tribulantes eos: unus ex eis non remansit.

Miraculum tantum clare & simpliciter exprimitur. Aegyptios, ait, tribulatores fidelium & ad mortem persequentes, & mare cum furia subintrantes, post familiam dei, in quorum gratiam mare stabat, impios obuoluit ac totos cum equitibus & curribus operuit, eatenus ut ne unus quidem euadere potuerit. Omnes enim Aegyptij qui mare intrauerant obuoluti perierunt. Idipsum autem cæteris Aegyptijs paucis remanentibus domi uiduis & orphanis quantum miseriarum conflauerit facile est cogitare. Constat enim multo numero fuisse eos, qui tanti numeri populum ausi fuissent ad reditum cogere.

12 Et crediderunt uerbis eius: & laudauerūt laudem eius.

Propter præsens beneficium & in oculis adhuc constitutum cum uiderentur Aegyptij mortui in littore, quorum exuuias cum lætitia rapiebant, crediderunt uerbis prophetarum Mosis & Aaron: & laudem domino horaria deuotione iners populus cecinerunt, uerbo, cantu & tympanis. Insigne in hoc populo exemplum est, non plane renatis in domino, qui simul atque dei uirtutem sentiunt totos se deo dedunt, nihil est eis religiosius: mox autem ut diuersum sentiunt, fumo citius euanescit omnis eorum recta de deo opinio, carnis enim iudicio feruntur non spiritus.

13 Cito fecerunt, obliti sunt operum eius: & non sustinuerunt consilium eius.

Cito fecerunt, hoc est, properarunt. Videtur notasse murmur populi contra Mosen exortum in Marath. Tertio enim statim die, ab eo quod manum pro se dei in mari Rubro tam insignem & stupendam fuerant experti, contra Mosen & dominum murmurarunt, nempe cum tres dies iter fecissent per desertum Sur, nec aquas inuenissent, nisi amaras. Quo sane murmure quid aliud quàm oblitos se operum dei demonstrarunt? qui consilium super se dei non potuerunt expectare uel triduo, toties uisum eis & tanta bonitate plusquàm paterna. Murmur Israelitæ.

14 Et concupierunt concupiscentiam in deserto: & tentauerunt deum in inaquoso.

In tanta gratia & gloria dei non studuerunt mortificare desyderia carnis, crepti de miserijs Aegypti. Et quæ cum maximis laboribus luti & laterum habere non poterant serui, iam liberati & ociosi concupiscunt multa impatientia, quibus sufficere poterat quies & solatiū cibi triduani, & prædarum maxima copia nondum absumi cœpta. Et intra ipsam solitudinem dominum tentauerunt, gulæ suæ turpissimæ satisfacere cupientes, quasi Cōcupiscētia ingrato rum.

aliquid illis imò omnia obligaretur quæ uellent, hominibus semper ingratißimis.

15 Et dedit eis petitionem ipsorum: & misit (saturitatem) in animas eorum.

De murmure populi pro carnibus & ultione, lege Num. 11. Quod uerò dicitur hic, Et misit saturitatẽ, quod Hebræi legunt, Maciem in animas ipsorum. Lapsus aliquis hic contigit scribarum. Notat autem contrariũ euenisse uotis impiorum illorũ, fastidientes enim cibum cœlo depluentem, carnium delitijs se impinguare concupierunt, & uere maciem consecuti sunt quamlibet saturati. Vbi discamus carnem semper noxia sibi cupere.

16 Et irritauerunt Mosen in castris: Aaron sanctum domini.

Coniuratio Corirarum. Perstringit hic coniurationem Core, Dathan & Abiron, quos terra cum tabernaculis suis uiuos absorpsit. Seditiosi enim erant, & inuidiæ zelo permouebantur contra electos et uocatos à domino, quorũ opinionem labefactare cupiebant, & sese præferre illis uel æquare, quasi ambitiosos notando, & ex consequenti non spiritu dei agi: unde & sequebatur opinio impostura, et uerbi dei conculcatio. Hoc tantum crimen & tam pernicio-sum fidei & gloriæ dei, non erat sine insigni ultione domino dißimulandum, contemptum scilicet cõsecrati & sanctificati domino sacerdotis.

17 Aperta est terra, & deglutiuit Dathan: & operuit super congregationem Abiron.

Qui non uocati sunt à domino, & qui præter cerc-monias à deo ipso institutas & præceptas illi populo, & de igne alieno deum colere tentabant, deuorati sunt à terra. Et contra totam istam congregationẽ, Abiron adhærentem & Dathan erexit se terra in ultionem creatoris contempti, & suæ legis, & clausit intra se & deglutiuit ac absorpsit uiuos, ambitiosos & seditiosos, ducentos scilicet et quinquaginta proceres synagogæ, qui con-

Exercitiũ electorum. iurauerant contra Mosen cum Core. Hinc discendũ quo modo selectißimos suos subinde deus exerceat, & in tempore rursum uindicet, perdens eos qui negocium ipsis facessunt. Nihil erat Mose mansuetius, nihil publicis populi commodis addictius, nihil à quoquam accipiebat, tanta tamen flagrabat in impijs inuidia, ut identidem de uita periclitaretur.

18 Et exarsit ignis in synagoga eorum flamma combussit peccatores.

Impij sibi caueant. Igne de cœlis lapso uidente omni populo iusto dei iudicio, & ad terrorem reliquorum absumpti sunt ij uiri, qui alienum ignem offerre præsumpserunt, qui contra dei uerbum ceremoniari cœperunt, qui prophetas domini oderũt, & sunt persecuti mansuetißimos: sic enim dominus uindicat mansuetorum iniurias. Et animat dei uerbiq; diuini præcones fideles, si ab hominibus non defenduntur, certò expectanda est cœlestis ultio. Plena est scriptura exemplis, & hoc facto clarißimo docetur, ut sibi impij caueant.

19 Et fecerunt uitulum in Horeb: & adorauerunt sculptile.

Aliud scelus memorat sacer poëta, suo more non seruato ordine. Non enim spiritus sanctus alia curat, quàm sacrosancta, ipsißimum uerum ac ueritatem nudam pro Ordo neglectus. sequitur, non ornatũ. Legitur historia hic indicata Exodi 32. Quomodo absente Mose et legem suscipiente à domino, pro populo docendo & regendo, ipsi statim defecerunt à domino, & idololatriam cœperunt præter morem patrum, ad æmulationem stultam Aegyptiorũ, quos à suis diuis destitutos, & à domino iudicatos horribiliter uiderant ante paucißimos dies.

20 Et mutauerunt gloriam suam in similitudinem uituli comedentis fœnum.

Deum ipsum uocat gloriam Israëlis, quem mutarunt Gloria Israelis. simulitudine bouis uescentis gramen, id ab Aegyptijs dicerant, qui ab antiquo boues & uaccas pro dijs colue-runt, & in regia sua Memphi insignem illum Apidem, de quo multa fabulantur, superstitiosi semper præ cunctis Aegyptij: quos sibi imitandos populus electus statuit, cui se deus tam inauditis ostentis ac inæstimabili dignatione insinuauerat.

21 Obliti sunt deum qui saluauit eos, qui fecit magnalia in Aegypto,

Domini dei saluatoris sui obliti sunt, qui in Aegypto ingentia pro eis fecerat signa & portenta. Eduxerat extento forti & glorioso brachio suo, de domo seruitutis, de præsentißima morte eripuerat, & omnipotentiæ suæ magnalia ostenderat, iam in cœlo, terra & abyssis, pijs & impijs.

22 mirabilia in terra Cham: terribilia in mari rubro.

Mirabilia in terra Cham, his notauit illud eorum impium & infandum de uitulo præconiũ: Iste est deus tuus Israël, qui eduxit te de terra Aegypti. Fuit autem Cham frater Mesraim, & pro Aegyptiorum patre accipitur, in qua mirabilia deus fecerat, quæ nullus magorum poterat, terribilia super mare rubrum, quando diuisit illud pijs ad euasionem, impios inuoluere fecit ad interitum. Eius domini dei sui obliti sunt ingratißimi homines, & dominum ad iustißimam indignationem prouocauerũt, de qua sequitur.

23 Et dixit ut disperderet eos: si non Moses electus eius stetisset in confractione in conspectu eius, ut auerteret irã eius ne disperderet eos,

Dixit, id est, sententiam protulit, ut occideret statim ingratos ac rebelles, secundum illud, Sine me, ut irascatur furor meus contra eos, & faciam Mose in cõtradictione te in gentem magnam. Tunc autem stetit Moses in confractione coram eo, quando tanquam mediator intercessit & conciliauit populo iratum deum, quando dei uindicta iam sæuire cœpit in populum, qui sua impietatẽ à deo defecerat, & quod cum illo fecerat fœdus, ruperat, & confregerat, seq; ipsum à gratia dei diuulserat. Ita autem interceßit, ut pateretur se deleri è libro uitæ, nisi deus populo scelus illud remitteret, in quo Christi seruatoris imaginem exhibuit, & docuit quo quisq; pro fratribus animo esse debeat.

24 & pro nihilo habuerunt terram desiderabilem

bilem. Non crediderunt uerbo eius.

Memorat quæ legimus Numeri decimoquarto de murmure & seditione populi excitata, cũ exploratores renuntiassent terram Chanaan optimam quidem, sed ipsis inuincibilem. Optabant enim mori potius in solitudine, quàm terram à domino promissam & optimam ingredi Chananaicã. Hunc terræ optimæ et diuini muneris contemptum, notauit cum dixit, Et abominati sunt, & contempserunt terram desyderabilem, fluentẽ lacte et melle: tantis expectatã desyderijs à sanctis patribus & creditam iam floccipendebant, promissiones diuinas mendacia reputabant, deum uero iudicabant ex stulto & improbo facto suo uel impotentem uel inuidũ insigni blasphemia & perfidia.

25 Et murmurauerunt in tabernaculis suis: non exaudierunt uocem domini.

Seditionem describit, quam excitauerunt exploratores contra Caleb & Iosue, uolẽtes lapidare Mosen. Contra diuinam enim prouidentiã murmurauerunt, et eius facta calumniati sunt, noluerunt domino obedire: non enim placet impijs uoluntas dei. Ideo sese inuicem excitarunt in seditionem clancularijs susurrationibus, imó subinde manifestus iniurijs in deum et amicũ suum Mosen, dicentes, Ex odio eduxit nos à terra Aegypti, ut traderet in manus Amorrhæorum & exterminaret.

26 Et eleuauit manũ suam super eos: ut prosterneret eos in deserto.

Leuare manum, est iurare dominum: iurantes enim manum attollere ad cœlos solent. Sic enim aiebat dominus, Viuo ego, omnino ut locuti estis me audiente ita faciam uobis. In deserto hoc cadent cadauera uestra, &c. Vel leuauit manum ueluti digna ultione eos percussurus, qd' & fecit, occidendo omnes infideles & murmuratores in ipsa solitudine.

27 Et ut deiiceret semen eorum in nationibus, & disperderet eos in regionibus.

Legimus conatos Israelitas post prohibitionem domini ascendere uoluisse in terram promissam, sed ab Amelechitis & Chananitis, qui in montibus habitabant, fuisse cæsos, & in fugam actos: usque ad Horma, in qua fuga occisi sunt quidem & capti. Notanda autem est in hoc exemplo carnis peruersitas, quæ dum uocat & opem promittit deus, timet, cum reijcit & opem negat, audet. Docemur item deum dona sua non absq; periculis dare, quo discamus ipso uere fidere, neq; enim apparere quid deo fidamus, dum nihil est aduersi.

28 Et initiati sunt Beel phegor: & comederunt sacrificia mortuorum.

Initiari Beelphegor aliud non intelligatur, quàm obmisso fœdere, quod habebant cum domino deo, & coniugio synagogæ cum deo Israel, qui populum istum sibi uelut sponsus sponsam desponsauerat, hoc deserto, coniugium contraxerunt cum dijs alienis, & adulteria cum idolis admiserunt gentium quæ prope erant. Susceperũt enim iam deo addicti sacro fœdere, cultum Baal qui in Phegor colebatur, idoli Moabitarum, quod quidam turpissimum Priapum interpretantur, quod pro suo uero deo colere cœperant. Et comederunt sacrificia mortuorum, oblata scilicet idolis, quæ nihil habent uitæ, uel quæ pro salute charorum iam mortuorum offerebant gentiles idolis suis.

29 Et irritauerunt eum in adinuentionibus suis, & multiplicata est in eis ruina.

Concitauerunt his & alijs moribus & friuolis traditionibus ad iracundiam dominum Deum suum, qui illis omnem deorum cultũ interdixerat, præscripserat leges, quibus coli ab illis mallet. Illi autem semper studuerunt magis cultui diuorum, quam ipsi communiscebantur, quàm qui à domino traditus esset. Vnde & non raro incidit iudicio dei in illos pernicies digna illorum sceleribus, subsequuta est plaga & ruina impiorum in isto populo.

30 Et stetit Phinees, & placauit & cessauit quassatio.

Quum admissum esset scelus nefandum à principe tribus Simeon, in conspectu totius populi applaudentis illi, cum Chabsi Madianitide, proq; illius ultione, & eorum qui exemplo iam plurium magnorum similiter peccauerant, ultio domini desæuiret, qua iam & perierant uigintiquinque millia, Phinees ultus est scelus ipsum zelo iustitiæ & pietatis, confossis utrisque. Orasse hic dicitur, quod Priscus transtulit Placauit, alij Iudicauit. Certe fortiter zelatus est legem dei, & non tam uerbo orauit quàm in ipso actu occidendi impium zelo iusto & strenuo. Vnde & statim cessauit quassatio, restricta est plaga domini, immissa illis pœna cessauit. Vnde & dixit dominus, Phinees auertit indignationẽ meã à filijs Israel, eo quòd pro me inter illos zelatus est, ne ego meo zelo illos consumerem, &c. Phinees placator.

31 Et reputatum est ei in iustitiam in generatione & generationem, usque in sempiternum.

Quia ex fide & feruore sancto zeloque procedente ex fide processit opus istud, ideo reputatum est illi ad iustitiam, ut pangeret cum eo dominus fœdus pacis, pactum sacerdotij, secũ & cum posteris eius ex filijs Aaron in sempiternum. Vnde & monemur agnoscere, ut deo placeat pro nomine eius susceptа digna & zelosa seueritas contra flagitiosos homines, & exemplo pessimo impietati & cæteris criminibus aditum facientes, dominum irritantes de industria, maxime uero principes, qui criminum ultores constituti sunt à deo, hi si criminosiores sint alijs, iuste sunt exterminandi, ne crescat lues in populo. Seueritas contra flagitiosos.

32 Et irritauerunt eum ad aquas contradictionis: & uexatus est Moses propter eos,

Aliud quoque peccatum notat murmuris populi pro aquis, quo dominum prouocauerunt rebelles & increduli, propter quod & afflictius est facer Moses, non sine Aarone, eatenus, ut pro tanta malitia populi, nonnihil hæsitauerit Moses, si deus huiusmodi ferre posset uel uellet, quam dominus incredulitatẽ etiam in amicissimo seruo punire non obmisit.

33 quia exacerbauerunt spiritum eius. Et di

ſtinxit in labijs ſuis,

Obrutus eſt ſacer ille Moſes irritatione populi, ut ſpiritu perturbatus non firmiter crederet poſſe dominum uel uelle benefacere tam maligno & ingrato populo. Qua animi perturbatione inconſiderate locutus eſt, existimans deum clamoribus indignis offenſum, nõ daturũ fuiſſe aquas, quamlibet promiſiſſet. Omnino enim uerba Moſis indicant dubitationem, quam & illi dominus obiecit conſequenter, & quod non coram populo dominum glorificaſſet. Spiritum eius referri etiam poteſt ad dominũ, cuius animum populus impio ſuo murmure uaticq; exacerbauit, qui etiam dira poſtea loquutus eſt, negando unice dilecto & fido ſeruo ſuo Moſi ingreſſum in terram Chanaan.

34 non diſperdiderunt gentes quas dixit dominus illis.

Impietates populi. Nunc memorat multiplicem impietatem populi admiſſam in terra Chanaan. Quarum prima fuit, Non deleuerunt gentes quas delere dominus præceperat, ſed reliquerunt terram non purgatã impijs & impietatibus: uerbum domini contempſerunt, negligendo illud in malum ſuum. Tantæ erant gentes crudelitatis ab antiquo, ut dudum deleri meruerint, & menſuram iniquitatis impleuerint, clementiam dei ſuperare uolẽtes, qui mallent impijs parcere, à quibus traherẽtur ad impietates, hoſtibus iuſtitiæ parcentes contra iuſtitiam dei. Vnde & merito oppreſſi ſunt uicibus multis, & multa paſſi ab inſidelibus uicinis & ciuibus.

35 Et commixti ſunt inter gentes, & didicerunt opera eorum,

Inobedientia Inobedientiæ illius pœna non indigna erat, permixtio eorum cum gentibus illis, à quibus didicerunt impietatem, & imitati ſunt, ut ad mendacia & uana ſuperſtitionum figmenta ingenium hominum ſemper quàm ad ueræ religionis ſtudium pronius eſt, cui annexum ſemper eſt ſtudium omnium uitiorum & criminum. Vbi enim dei ueri timor amittitur, ibi iuſtitia, ueritas, modeſtia, charitas non poſſunt ſubſiſtere, ſed luxus, faſtus & turpitudinis quæſtus.

36 & ſeruierũt ſculptilibus eorum: & factũ eſt illis in ſcandalum.

Idololatria. Sculptilia & idola hic & aliàs ſæpe Hebræis dicuntur moleſtiæ, ærumnæ, dolores, per cõtemptum ſcilicet, ut oſtendat nihil niſi calamitatem ab illis referri, quum ſtulti homines ſalutem ſibi ab eis ſperent, qui & nihil ſunt, & facere nihil poſſunt, pura hominum figmenta, & inanis occupatio ſuperſtitioſorũ: ad illuſionem hominum, accedente ſatanæ ſtudio, qui ſemper ad electorum probationem regno dei aduerſatur, & accipit aliquantiſper à deo facultatem illudendi eis, qui uerbo domini credere non uolunt.

37 Et immolauerũt filios ſuos, & filias ſuas dæmonijs.

Crudelitas Contra dei uerbum inſtituerunt ritum colendi deum, effuſione ſanguinis innocẽtis, qua nihil deo optimo inuiſum magis & execrabilius fieri poteſt, quam prohibuit ſerioſiſſime & multipliciter. Interfecerunt enim filios ſuos ad libidinem damoniorũ, quæ crudelitas ipſis quidam maxime placet. Hoc immaniſſimum ſcelus pluribus uerbis exponit, dicens,

38 Et effuderunt ſanguinem innocentẽ, ſanguinem filiorum ſuorũ, & filiarum ſuarũ: quas ſacrificauerũt ſculptilibus Chanaan. Et infecta eſt tetra in ſanguinibus,

Parricidia Sub prætextu placendi deo innocentem ſanguinem filiorum & filiarum effuderunt in gratiam damonum, abutentes optimis donis dei optimi, impedimentes contra naturæ ordinem & dei mandatum filiorum poſteritatem, quam in pueris extinxerunt. Et terram polluerunt ſanguine innocentum. Is autem ritus colendi idola oblatione filiorum, unde ortum habuerit non facile quiſpiam explicauerit. A ſatana certe plures aliæ quoque ſuperſtitiones non minus abſurdæ & ſi minus crudeles profectæ ſunt, huic & hanc acceptam referemus. Forſitan huiſmodi commentum ingeſſit: Deo offerendum eſt quod quiſque habet præſtantius & charius, iam liberi pecudibus & poſſeſſionibus multo ſunt præſtantiores & chariores. Stupendum autem, tantum ualere ſuperſtitionẽ, quum uera religio ea nequeat apud nos obtinere, quæ nobis non minus uſui quàm laudi foret, nempe uitã moderatam & proximorum uſibus ſeruientem.

39 & contaminata eſt in operibus eorum: & fornicati ſunt in adinuentionibus ſuis.

Superſtitio Populus ab uno deo ut honeſta coniunx à ſuo marito pendere debebat. Dum igitur tot cum illo & præ illo ſi fecta numina coleret, non aliter atque mulier quæ deſerto marito ſuo uarios ſectatur amatores, polluebatur & fornicabatur, ut nihil eſt eo furore uehementius in amante: ita nihil eſt uſq; adeò ſumptuoſum quod ab homine non extorqueat ſuperſtitio. Sacerdotes Baal potuerũ ſe conſcindere, ut à corpore ſanguis defluere: at quotuſquiſq; eſt ſacerdotum Chriſti, qui corpus ſuum ſeruare ſtudeat à pernicioſis tantum uoluptatibus?

40 Et iratus eſt furore Dominus in populum ſuum: & abominatus eſt hæreditatem ſuam.

Eatenus prouocauerunt contra ſe dei iram, rebus iſtis indigniſſimis, quibus cõtra legem & naturam deo ſerui re præſumebant, idolis offerendo filios & filias, ut abominari decreuerit dominus peculiarem ſuum populum, & ex multis electum, omnino proiecit quos amicos ſuos ſceperat. Iram domini ſuccendi, eſt oſtendere iuſtiſſimũ iudicium eum qui eſt ipſa iuſtitia, in omnium conſpectu & iudicio dure flagellare criminoſos.

41 Et tradidit eos in manus gentium: & dominati ſunt eorum qui oderunt eos.

Merito ſeruiebant duris & iniquis dominis, qui clementem patrem & commodum iugum Dei ſui tam impie abiecerant. Obſeruandum autem argumentum eſſe iræ dei iræ diuinæ opprimi à tyrãnis. Inde orant ſancti, uel Paulo iubente, pro principibus, ut quietam & tranquillam uitam uiuere poſſint in omni pietate & honeſtate. Hoc eſt, ut Zacharias uaticinatus eſt, liberi è manu inimicorum, ſeruire deo in omni ſanctitate et iuſtitia, ut uis ſpiritus

ritus Christi mundo probaretur: multa enim persequutione obtinere oportuit Euangelium.

42 Et tribulauerunt eos inimici eorũ: & humiliati sunt sub manibus eorum:

Hostes Israelitarum quos domino mandante exterminare debuerant, & iussi fuerant à deo neminem reliquum sinere, ne essent illis in scandalum pernicioſissimum. Hos quia pacifice sibi cohabitare maluerunt, merito senserunt cum tempore acerrimos impugnatores, & dominos, illorum subiugati seruitijs, potestate grauati, prophanorũ arbitrio prostrati, qui soli deo seruire noluerunt.

43 sæpe liberauit eos. Ipsi autem exacerbauerunt eum in consilio suo: & humiliati sunt in iniquitatibus suis.

Semper ingratos in pristinas impietates recidentes, idololatriam quoque toties repetentes, multis quoque uicibus per immensam clementiam liberauit, suppliciter inuocatus à resipiscentibus. Ipsi uero proprijs sensibus & ritibus incedendo, magis quàm obediendo præceptis diuinis, frequenter domino rebellauerunt, plagis maximis iudiciorum dei & pœnis grauibus non sunt emendati. In quo dominus electis suis ostendit qualis in eos sit: peccantes quidẽ castigat, sed abijcere poterit nunq̃.

44 Et uidit cum tribularentur: & audiuit orationem eorum.

Quoties autem tribulati fuerint, & quomodo susi Israelitæ, indicat liber Iudicum, sicut & respectu gratiæ diuinæ in eos, in medijs etiam blasphemijs idolorum misertus est illorum. Ab angustijs enim multis liberati sunt per multos liberatores, quos suo quoque tempore illis dominus mittebat Othonielem, Ahud, Debboram, Gedeonem, Iepte, Samson, Samuelem, Saulem, Dauidem.

45 Et memor fuit testamenti sui: & pœnituit eum secundum multitudinem misericordiæ suæ.

Causam tantæ beneuolentiæ dei, qua humiliatis & opem suam implorantibus semper adesse, & opem ferre dignatus est, indicat hoc uersu. Memor, inquit, fuit fœderis sui. Receperat enim hanc gentem semel in populum suum. Pœnitere uero dei, est pœnitentibus bona largiri & grata, postquam peccantibus irrogauit dignam ultionem. Alioqui nihil mutatur domini uoluntas, nec pœnitendum aliquid unquam committere potest summe bonus & sapiens.

46 Et dedit eos in misericordias: in conspectu omnium qui cœperant eos.

Memorat dei beneuolentiam, qua populum suũ etiam captiuum respexit, efficiẽs etiam apud hostes, ut eorum misererentur. Quod ideo uidetur memorasse, quia propius spectabat ad sortem populi, in qua erat, quum hic Psalmus conscriptus est. Inde enim uoluit sanctos apud gentes captos uel capiendos aliquando, si sit ut est prophetia, erigere ad sperandam gratiam, donec tempus ueniret liberationis & restitutionis ad suam libertatem, deinceps eum syncera religione culturi, & dignis laudibus celebraturi.

47 Saluos nos fac domine deus noster: & congrega nos de nationibus: ut confiteamur nomini sancto tuo: & gloriemur in laude tua.

Oratione concludit hymnum. Tu domine deus noster, qui solus potes saluare, in quem speramus, & qui misereri soles, congrega dispersos Israelis filios fidei Abrahæ, quorum tibi in primis maxima cura est, qui sunt promissionum filij tui, ex seruitute peccati & laqueis errorum, eximè fidentes tibi, ut confiteantur nomini sancto tuo, ut celebrent & laudent bonitatem tuam, non sua quæcunque merita uel opera. Et nomen sanctum tuum glorificetur & sanctificetur ab omnibus, ut glorientur fideles non in alio quàm in tuis laudibus, gratulantes sibi se consequutos propitium patrem & deum, qui benignus sit & præstabilis super malitia, iustus, bonus & sanctus. Congregandi fideles.

48 Benedictus dominus deus Israel à sæculo & usq; in sæculũ: & dicet omnis populus, Fiat (fiat. Hallelu ia.)

Sic sancti & fideles orationes suas concludunt: Siue nos dominus deus noster puniat siue liberet, corrigat aut consoletur, semper tamen sit nomen eius sacrosanctum per omnia benedictum, qui indignum bonitate sua nihil agere potest, nec exitiale electis suis, per omnia sæcula & tempora iudicia sua iusta exequitur, & regula est ipsissima iustitiæ, quæ obliquari non potest. Quam agnoscere totum mundum omnes pij desiderant, Iudæi sibi solis ut bene sit cupiunt, nulla habita ratione gloriæ diuinæ, ad quam propagandam iamdudum facti sunt satis inhabiles: quanquam & eorum quoque malo dominus utatur ad gloriam suam & profectum electorum. Dicat autem omnis populus fidelium & deo credentiũ, Amen. Fide deo adhæreat, ut licet peccet, tamẽ nomen domini dei sui non neget, nec commutet gloriã ueri dei in quodcunque idolum, sed unum tantum omnipotentem agnoscat & colat, laudetq; in omnibus. Iterũ propter Amen duplex, secundum priscos, Iudæi signant extra literam finem libri quarti: & addunt Hallelu ia, uel finem præcedentis, uel titulum incipientis Psalmi. Orationes quomodo concludẽdę

LIBER QVINTVS.

PSALMVS CVII.

(Hallelu ia.)

Hebræis non est titulus, sed finis Psalmi præcedentis, ut dictum est.

ARGVMENTVM. Gratiarum actio pro Dei prouidentiæ beneficijs.

1 COnfitemini domino quoniam bonus: quoniam in sæculũ misericordia eius.

Non quia benefaciat nobis, & promittat magnifica tantum dominus est colendus & celebrandus, ne uti fruendis uideamur, sed quia bonus est dominus, suauis & mitis, & quia in æternum durat ad omnes creaturas sua beneficentia & benignitas: quam priscus semper transtulit misericordiam, scilicet benefa- Colendus quare dominus.

cere ei qui indigeat, & non meruit beneficium: qui eruit à malis eos qui suapte uirtute non effugere sed perire possent.

2 Dicãt qui redempti sunt à domino, quos redemit de manu inimici:

Mala immitti. Discimus ob id nobis mala immitti, ut ad opem dei confugiamus, eamq; consecuti, eius bonitatem prædicemus, quo illa quàm plurimum fidant. Qui enim sentiũt se à grauibus periculis liberatos per dei misericordiam, isti hymnum gratiarum dicant domino & laudum, maxime uero qui fidem salutis perfectæ per Christũ se consequutos credunt & sperant, domino laudes dicant, qui ab impijs hominibus & dæmonibus saluat, ab inferno quoq; & horrore mortis ac desperatione.

3 Et de regionibus congregauit eos à solis ortu & occasu, ab aquilone & mari.

Communis salus. Communem omnibus gentibus & angulis omnibus totius orbis salutem prædixerunt prophetæ, & catholicam electorum ecclesiam per Christum saluatorem & Messiam congregauerunt domino apostoli spiritu sancto imbuti & directi, ab oriente scilicet & occasu, ab aquilone & austro. Confiteantur autem misericordias domini, ob depulsas errorum tenebras & superstitionũ scissuras. Non est anxius spiritus dei in prophetis uerba adnumerare, dum de sensu nihil simplici intelligentiæ decedit: propter quod mare hic pro quarta orbis plaga eloquitur, quandoquidem iam tres expresserat, cum exacte expendẽtibus mare meridianum significet, quod ferè semper occasus dicitur, hic uero austrum.

4 Errauerũt in solitudine in inaquoso: uiã ciuitatis habitaculi non inuenerunt,

Iam enim nimium diu gentes in orbe toto per deserta ambulauerant, nemo synceram ueritatẽ docuerat uel audierat, per uarias errorum ambages circumlati sunt, ut ciuitatem concordis doctrinæ & charitatis, ciuilitatẽq; nullam inuenerint gentes reliquæ. Nec potuit ostendi ab aliquo ueræ pietatis semita, deo hominibus aliquãtisper irato propter peccata.

5 Esurientes & sitientes: anima eorum in ipsis defecit.

Errantium incõmoda. Errantium pericula & affectum exprimit, qui dum uiam ad loca habitata hominibus amittunt, putant se in extremis orbis finibus constitutos. Vnde & esurire coguntur ac sitire summo periculo. Vt non raro contingit orientalibus illis populis, maxime circum Iudæam, ut à uia aberrasse proximum sit exitio. Nihil enim illic nascitur unde possit uita hominis sustentari, & tempestuosi uenti per arenas uiam continuo contegentes, moles coaceruant, & opprimunt ambulantes. Huiusmodi ergo animi anxietates exprimit Psaltes.

6 Et clamauerunt ad dominum cum tribularentur: & de necessitatibus eorũ eripuit eos.

Diffisi ergo omni creaturarum auxilio, ad deum uociferari dicuntur, eius impetrando fauorem. Qui uersus intercalaris est in hoc Psalmo quarto repetẽdus. Nõ enim ad patriarchas docẽtur pro auxilio clamare in angoribus constituti, nec ad idola uel diuos recurrere, sed ad dominum in tribulatione, dum incidit pro more sæculi huius & ualle lachrymarum, Ipse quoq; solus est, qui de angustijs conscientiæ & timoribus eripit.

7 Et deduxit eos in uiam rectam: ut irẽt in ciuitatem habitationis.

Canit dei beneficium esse, cum uiam errantes rursus inuenerint, & ad habitationes hominum, & loca hominibus culta redierint. Hoc per allegoriam dici uidetur, de fide & ueritate agnita unius dei, per Christum & sacram scripturam. Quarum duce ambulatur & peruenitur ad patriam promissionis, & ad opulentam requiem eloquiorum dei. Historice autem exeuntes Aegyptum præcessit columna nubis & ignis, ad uiæ ostẽsionem die & nocte.

8 Cõfiteantur domino misericordiæ eius: & mirabilia eius filijs hominum.

Gratitudo. Gratitudinem eorum quos ita deus discrimini exemerit, canit hoc uersu aliter intercalari. Monet autem quod passim faciunt Psalmi, hanc esse rationem gratitudinis, testari diuinam ad homines bonitatem et miracula eius, quibus nos uindicat malis et cumulat bonis, ea quàm plurimis prædicare atq; ita ad commune studium fideles inuitare.

9 Quia satiauit animam inanem: & animã esurientem satiauit bonis,

Causam cur cupide prædicare dei laudes studeant redempti à domino, allegat. Quod qui in desertis aliquandiu errarunt, fame & siti prope exanimati, potu ciboq; tanto iam dulcioribus, quanto desyderatioribus, reducti ad homines recreantur: dici non potest quantũ animi eorum ad extollendum laudibus bonitatem dei exardescant: quam dei gratiam non sentiunt, neque suscipiunt fastidiosi, sed qui per inanitatem proprij sensus humiliati, multa solicitudine uerbum uitæ precantur à deo, qui solus dare potest.

10 Sedentes in tenebris et in umbra mortis: uinctos in mendicitate & ferro:

Prædicat ut à deo liberentur uincti, quos dicit sedere in tenebris & umbra mortis, quasi enim mortui luce mundi destituuntur, inclusi obscuro carcere, afflicti præterea uinculis & compedibus ferreis, uinctos in mendicitate uel paupertate, quæ non parua est afflictio: propter quod & Iudæi reddũt Afflictionẽ carceris & nexui & ferreos compedes. Intelligitur autẽ umbra mortis & obscuritas errorũ horror, quos cæcum humanum genus induxerat, & ratio naturalis simul cum uinculis humanarum traditionum, quibus uiolenter capti sunt animi & conscientiæ hominum.

11 Quia exacerbauerunt eloquia dei: & consilium altissimi irritauerunt.

Exacerbatio. Exacerbatio hic intelligatur contemptus & prouocatio ad iram, quæ sequuta est improba studia impiorum, qui repulerunt, proiecerunt & postergauerunt eloquia domini, & uerbum diuinæ legis, quod tabulis cordis inscriptum est, sed per peccata primorum parentum obliteratum

beratum & neglectum, ut refricari oportuerit Israelitis, quod & blasphematur ab hypocritis quasi non sufficiat ad ueram sapientiam & sanctitatem, si ex fide & charitate in deum suscipiatur, perficiendum humiliter & cum aduocatione auxilij dei.

12 **Et humiliatum est in laboribus cor eorũ: infirmati sunt nec fuit qui adiuuaret.**

Contemptus uerbi dei.

Videtur ideo circa hanc potißimum calamitatem meminisse contemptus sermonũ dei, quia homines ferè propter scelera in uincula conijciuntur. In illis ergo humiliati agnoscunt tandem sua peccata, & ad deum conuertuntur, quum nullus succurrit alius auxiliator. Vere autem confunduntur & humiliati procumbunt, in quibuscunque laboribus suis sine uerbo Dei susceptis, & impingunt tanto periculosius, quanto magis sibi ratione humana et libero arbitrio prospicere conantur in uia dei.

13 **Et clamauerunt ad dominum cum tribularentur: & de necessitatibus eorum liberauit eos.**

Intercalaris uersus est, iam secundo insertus reliquis, eisdem penè uerbis quibus sextus in ordine præmissus. Vexati enim angustijs conscientiarum, redeunt ad intelligentiã bonitatis diuinæ, & propriæ malitiæ, ob quam meruerunt aduersa incidere: à qua tamen bonitate Dei pro ipsius immensitate deseri & relinqui non possunt, ideo sequitur.

14 **Et eduxit eos de tenebris & umbra mortis: & uincula eorum disrupit.**

Eduxit è tenebris.

Satis liquet ex sacris scripturis, quos & quoties dominus electos suos eduxerit de seruitute, & de angoribus mentis & corporis, in Christo autem claret quàm maxime, quomodo deus pater reuelauerit ueritatem & pacem mundo per uerbum dei, per Christum saluatorẽ, per prædicationem Euangelicam, quomodo laqueos conscientiarum & prauarum consuetudinum & timorem mundanum abstulit & confregit, consolatus est autem fideles & prædestinatos ad salutem.

15 **Confiteãtur domino misericordiæ eius: & mirabilia eius filijs hominum.**

Intercalaris secundi ordinis, eius scilicet qui habitus est & præmissus octauus in ordine, pro claritate sua uerbis non egens.

16 **Quia contriuit portas æreas: & uectes ferreos confregit.**

Gratiæ iugiter & repetitis uicibus sunt agendæ domino pro beneficijs: hic uero recitatur contritio ærearum portarum, hoc est, difficillimorum uinculorum solutionẽ, excæcationis scilicet & obdurationis, quas peccatis nostris promerentibus opposuerũt omnibus ferè temporibus improbi homines uerbo dei, & gratiæ diuinæ repagula, pietatisq; impedimenta intulerunt. Vt uideatur alijs uerbis ferè idem repetisse, quod superius dixerat de reductione errantium.

17 **Suscepit eos de uia iniquitatis eorũ: propter iniustitias enim suas humiliati sunt.**

Satis apparet mendum esse uel in priscis codicibus Græcorum, uel Hebræorum, & magis arridet sensus prisci interpretis quàm Iudaicus, ideo non fui ausus mutare sacræ uetustatis eruditionem & fidem, ubi non esset ratio necessaria. Iudæi autem legunt, Stulti propter uiam transgressionis suæ, & propter iniquitates suas affligumur, & clara est sententia. Syrus translator pro hoc uersu dixit, De Ezechia rege tribuum domus Iuda prophetauit, & dixit, Ezechias rex domus Dauid, qui renuit coniugium, afflictus fuit sicut declinantes ad superbiam, qui propter uiam iniquam suam, & propter peccata sua afflicti sunt. Hæc ille Chaldaicus. Vbi uidere licet quantum sibi permiserint etiam Iudæi interpretes, et ut hic uersus illis fuerit ambiguus. Videtur tamen priscus uoluisse dominum clementer suscepisse semper peccatores, de populo suo reuertentes ad meliorem mentem, de uia iniquitatum, & iniustitiarum suarũ, si quando aduersitatibus emendati inuocassent clemẽtiam dei. Diuinationem autem lectionis illius temporis, tenent fẽliciores in hac arte.

De interprete priſco.

18 **Omnem escam abominata est anima eorum: & appropinquauerunt usq; ad portas mortis.**

Si quando propter peccata sua electi in corpore affliguntur, ut cibus illis & potus uel desit uel non prosit, aut per naturæ imbecillitatem succurrere ægroto non possit, uel traijci aut seruari, ut nihil præsentius uideatur, quàm imminens defectio & portæ mortis, clamantes tamen in fide ad dominum reducuntur ad ualetudinem bonam & sanantur, nisi illis & gloriæ dei magis prosit dissolui & esse in consortio sanctorum & in fruitione clara bonitatis diuinæ & gloriæ: propter quod sequitur intercalaris uersus.

19 **Et clamauerunt ad dominum cum tribularentur: & de necessitatibus eorum liberauit eos.**

Electi enim dei uasa sunt misericordiæ diuinæ, etiam dum tribulantur in carne non deficiunt spiritu, sed magis fortiores sunt dum infirmantur, & norunt quomodo dominum debeant inuocare, ut scilicet sanctificetur nomen suum, & fiat sacro sancta uoluntas sua semper.

20 **Misit uerbum sum & sanauit eos: & eripuit eos de interitionibus eorum.**

Sanitatem à solo deo & uerbo transmisso dari canit, unde Centurio accepisse uideri potest, cum domino Iesu Christo quem filium dei agnouerat, tribueret uerbo suo posse seruo restituere sanitatem. Non est enim præsentior animarum medicina quàm uerbum dei missum, non solum auditum, sed etiam incarnatum. Quo uerbo eripiuntur electi à suis corruptionibus, ut denuo sapiant quæ fastidierant, & animæ sanentur uerbo uitæ, quas mundi & dæmonis sapientia uenenata infecerat.

Verbũ dei sanat.

21 **Confiteãtur domino misericordiæ eius: & mirabilia eius filijs hominum:**

Intercalaris uersus est secundi ordinis, idem cum quindecimo & octauo. Celebrent, inquit, qui senserunt,

beneficia domini, & quàm mirabiliter disponat & misericorditer opera hominum.

22 Et sacrificent sacrificiũ laudis: & annuntient opera eius in exultatione.

Sacrificium laudis.

Meminit sacrificij laudis, quod solum dominus exigit à sanctis, nempe gratiarumactionis & obedientiæ. Perceptis enim à deo beneficijs insignioribus solebant gratias agentes simul sacrificium facere secundum legem: ueri autem adoratores sacrificant sacrificium non corporale & Mosaicum uel ceremoniale, sed domino in fide narrant cum uoce laudationis misericordiam & gratiã suam, propriamq; miseriã qua laborant, cum humili prece & resignatione propriæ uoluntatis.

23 Qui descendunt mare in nauibus, facientes operationem in aquis multis,

Canit quomodo deus sua bonitate assit periclitantibus in mari, qui ad naues descendunt mira audacia, & contemptu periculorum maximorum, exiguo ligno committentes animas suas, ut eas regant ad salutem suam, & sibi cõmissorum. Facientes opus in aquis multis, assiduis laboribus & periculosis transfretationibus exigũt à mari horrendo obedientiam & obsequium.

24 Ipsi uiderunt opera domini, & mirabilia eius in profundo.

Mirabilia maris.

In ipsis marinis operibus prouidentiæ diuinæ regimen experiuntur, & mirabilia dei magna in profundo. Experiuntur enim quàm nihil proficiant omnibus suis conatibus sine dei beneficentia & assistentia, ut suis uiribus diffidere sæpe & certo cogantur. Mirabilia autem dei uident in profundis ingentia, & portentosa tam animalia quàm alia figmenta maris. Vt enim illud terra multo est amplius: ita multo plura animantia & monstrosiora alit. Sunt enim qui putant nihil ulla in parte naturæ esse, quod non etiã in mari sit, & præterea multa in mari quæ nusquam alibi. De quo Plinius libro nono capite secundo.

25 Dixit, & stetit spiritus procellæ: & exaltati sunt fluctus eius.

Dicere dei.

Solo nutu & uoluntate dei, quæ dicere illius est, compescuntur ineuincibiles alioqui omnibus simul hominibus tempestates, tentationes & pericula corporum & animarum, sicut & fluctuum maris inquieti, id quoq; iuxta imperium creatoris. Vnde Christi diuinitatem credebant qui illum mari & uentis imperare uidebãt. Vtcunque autem omnia reliqua quoque corpora mundi deo obediant, tamẽ maris tempestates horribiliores sunt hominibus, et minus arte aliqua uel fortitudine regi posse uidentur omnibus.

26 Ascendunt usque ad cœlos, & descendunt usq; ad abyssos: anima eorum in malis tabescebat.

Procelloso uento mare concitatur, is nunc fluctus ad sydera tollit, nunc furit arenis: inde hi summo in fluctu pendent, his unda dehiscens terram inter fluctus aperit: nunc lætis nunc tristibus uicissim exercentur. Anima eorum, qui mare sic tentant, præ magnitudine terrorum liquescit.

27 Turbati sunt & moti sunt sicut ebrius, & omnis sapientia eorum deuorata est.

Tam horrenda iactatione ita turbantur nautæ, et qui nauigant, ut omnis sensus rationisq; usus eis intercipiatur, quod est deuorari omnem eorum sapientiam. Accipit enim scriptura multis in locis sapientiam pro omni prudentia, artificio, circumspectione, & etiam pro communi sensu. Denique nullo humano consilio sic periclitantibus succurri potest: nihil ergo tunc quoque reliquũ fit sic iactatis, quàm quod sequitur.

28 Et clamauerunt ad dominum cum tribularentur: & de necessitatibus eorum eduxit eos.

Sola dei gratia eximuntur sic periclitantes, & consolantur, destituti uiribus sapientiaq; humana. Et est quarto positus primus intercalaris uersus.

29 Et statuit procellam eius in auram: & siluerunt fluctus eius.

Tranquillitas unde.

Diuinitus redditur mari sua tranquillitas, non alia uirtute humana quacũq;. Sic enim dominus oratione nauigantium excitatus, mare increpat & mutigat, et à commotione tumultuq; desinunt fluctus maris & tacent. Similes quoque gentium & populorum concitat nonnunquam dominus tumultus, bella & prælia, & pro gloria nominis sui & ad exercitium fidelium cessare facit & conquiescere. Ipse est enim pacis author & inquietudinum, dum uult iustitiam exercere.

30 Et lętati sunt quia siluerũt: & deduxit eos in portum uoluntatis eorum.

Post superatos nutu & clementia dei tam horribiles elationes maris & tumultus, non mirum si anxietas maxima & præsens periculum uertatur in gaudium, maxime dum post euictos tot fluctuũ conflictus & periculosissimas iactationes, et morte horribiliores timores, et pauores conuinuos, abunde cõsolatur suos, dum in portum felicem, quem instituerant exonerantur, & enauigant incolumes & gaudentes, unde & cantica domino resonant secundum prædictum iam sæpius tenorem.

31 Confiteantur domino misericordię eius: & mirabilia eius filijs hominum:

Et est quartus secundi ordinis intercalaris uersus et ultimus. Celebrate, inquiunt, ô uos maris pericula emersi, præstita uobis beneficia dei, qui rebus desperatis solus succurrere potest, & solitus est, inuocatus in fide.

32 Et exaltent eum in ecclesia plebis: & in cathedra seniorum laudent eum.

Periculo maris.

Ingens & inexplicabile est periculum tempestatum maris, nec tamen omnibus cognitum quantum sit. Inde dicit, qui illud ope domini euaserint dominum prædicaturos in sacra populi concione & consessu seniorum, hoc est, loco omnium celeberrimo, quo cum uulgus tum optimates frequentes conueniunt. Collaudabunt enim pariter prouidentiam dei circa humana, & laudabitur in donis & beneficijs suis, & in omnipotentia sua.

Posuit

33 Posuit flumina in desertum: & exitus aquarum in sitim.

Omnia deus pro suo arbitrio immutat, terram maxime irriguam ac inde frugiferam redigit dum libet in sitientem solitudinem. Et ubi fontium est multitudo, id est, aquarum plures sunt exitus, ibi dum uult omnia siccitate perturbat: ubi etiam inter homines apparent omnia felicia, sapientia, diuitiæ, gloria, fortitudo & gaudium, ubi domino uisum fuerit, subito omnia in contrariũ uertuntur & iaciunt uniuersa.

34 Terram fructiferam in salsuginem, à malitia inhabitantium in ea.

Salsuginem. Contra quoq; similiter, dum uult dominus fructiferam regionem & solum fœcundißimũ redigit in salsuginem, salinas & omnimodã sterilitatem, quæ salis nomine designatur. Omnis siquidem locus in quo reperitur sal, sterilis est. Vnde & Abimelech in Sichem seminabat sal, cum eam destruxisset, ut sterilem ostenderet interfectis hominibus, & deinceps non habitabilem. Hoc autem agit dominus in terra propter peccata inhabitantium.

35 Posuit desertum in stagna aquarũ: & terram sine aqua in exitus aquarum.

Arentem quoq; terrã & uastum desertũ dum domino placet facit insigniter irriguam & fertilem. Talem enim intelligit per flumina, Egressus aquarũ, hoc est, crebras aquarũ scaturigines, paludes et stagna, quibus irriguum intelligitur. In Iudæa siquidem à siccitate omnis ferè uenit sterilitas: ubi enim decurrunt flumina, scaturiunt fontes, & desident stagna, illic liquet omnia melius prouenire, & esse sedes hominibus commodiores.

36 Et collocauit illic esurientes: & constituerunt ciuitatem habitationis.

Fœcundia ex. Homines quoq; dum uult dñs euehit, quos fame laborantes constituit in locum ante desertũ & sterilẽ, quem ipse habitabilem reddit & fructiferum. Datq; ut urbes illic sibi ædificent, ubi copiose quoq; illis suppetere potest omnium rerum sufficientia. Facile est enim dño benedictione una iuuare multos, & quinque millia hominum etiam in eremo sustentare quinq; panibus, quin & ex solitudine facere potest iucundißimã habitationem, sicut & ex ualle Sodomorum amœnißima, ut paradisus dei æstimata, fecit sulphureũ et piceũ mare et horridũ.

37 Et seminauerunt agros, & plantauerunt uineas: & fecerunt fructum natiuitatis (prouentum.)

Eatenus desertũ mutat locũ dum placuerit dominus, ut conuertat uastißimam solitudinem in fœcundißimos agros, ut plantetur uinum in montibus rigidis, et faciant fructus & frugũ prouentus. Allegoriæ quoq; locus est aptißimus, qua docetur fauore diuino, ubi prius uerbum dei auditum nõ fuerat, ubi nulla fides uel dei opera uisa sunt, illic dei munere omnia abundare fructibus sanctitatis & honestatis per uerbum dei, fontem aquarum uiuentium, salientium in cordibus electorum.

Verbum dei fons aquarum.

38 Et benedixit eis, & multiplicati sunt nimis: & iumenta eorum non minorauit.

Facitq; dominus augmenta hominum & animalium pecorum & iumentorum, ubi prius fuerat solitudo: ipso fauente & aspirãte incrementũ paratur facile omnium rerum temporalium & necessariarum ad uitam humanam & commoditatem. Sic euehere homines dominus solus potest, & similiter deijcere: ideo subditur.

36 Et pauci facti sunt, & uexati sunt à tribulatione malorum & dolore.

Exercitium iustorum. Dum peccant homines contra deum, uel alia ratione exercendi ueniunt ad dei gloriam, iudicio eius iusto, licet non semper patente omnibus, facile humiliat & deprimit superbos & altos, adimit uires & diuitias, quicquid contulerat, unius uoluntatis nutu totum adimit, et in nihilũ redigit. Exempla multa scripturis insunt. Morbis & calamitatibus alijsq; afflictionibus atterit, & totos nonnunquam conficit. Sic omnia pendent illius à nutu & uoluntate, ut timeatur & colatur ab omnibus.

40 Effusa est contentio super principes: & errare fecit eos in inuio, & non in uia.

Principum sortes. Canit & principum sortem, ut ipsi quoque dominum paueant & reuereantur, quorum statum subito mutare potest, & non raro inuertit. Vocat autem principes liberales & beneuolos homines, quales sanè principes esse debent. Hos domino uolente contigit potestate deijci, effuso super eos populorum indigne tractatorum & oppressorum contemptu. Principum enim potestas, reuerentia & obseruantia populi erga eos à domini uoluntate sola pendẽt. Quorum dum improbe agunt, & suo domino non obediunt, extremam deiectionem canit futuram, exilij scilicet miseriam, ut iam commode habitandi locum nullum habeant, in desertis & asperis locis errantes, quò nonnunquam istiusmodi fugere coguntur.

41 Et adiuuit pauperem de inopia: & posuit sicut oues familias.

Contingit quoque diuino iudicio pauperes restitui ab afflictione, & ad dignitates euehi, familiamq; illis donari instar gregis. Quibus omnibus propheta & cantor huius carminis docere uoluit, deo esse omnia in manu, ipsum unum & opes & inopiam dare, honoratos & contemptos reddere, steriles & numerosa sobole gaudentes efficere.

42 Videbunt recti & lætabuntur: & omnis iniquitas opilabit os suum.

Contemplatio diuinorum operũ. Quid præmissorum diligens & religiosa consideratio efficiat apud pios, quàm digna & salubris sit omnibus operum diuinorum contemplatio, hic subiungitur. Dum enim hæc omnia recti, hoc est, recto in rebus iudicio præditi, & æqua in omnibus uoluntate, sancta curiositate expendunt, plurimũ in religionis studio promouentur, secure se domino omnia moderanti committunt, iudicia illius non reprehendunt, sed per omnia illi se probari percupiũt. Tales deus fouet ut filios, tuetur & auget, ideoq; perpetuò in ipso lætantur, etiam ubi iudicia sua ædere uidetur, quibus illos propugnat, gloriam suam adserit, & illorum hostes deijcit. Quibus euersis, obturatur os loquentium iniqua, qui dum feliciter se habere putant, lacescunt ore suo deum & homines.

43 Quis sapiens, & custodiet hæc: & intel-

liget misericordias domini?

Vere sapiens est, qui hæc obseruauerit & consideraue-rit: intelliget enim bonitates dei, hoc est, deum in omnibus optime res instituere, et cuncta insolatiũ suis dirigere: proinde tot diuinæ bonitatis & benignitatis suæ indicia cogitabit semper, & quoad poterit celebrabit.

PSALMVS CVIII.

Canticum Psalmus Dauid.

ARGVMENT. *Oratio est ad deum contra impios hostes & pro rerum tranquillitate.*

1 PAratum cor meum deus, (paratum cor meum) cantabo & psallam in gloria mea.

Compositus est hic Psalmus ex uersibus quinquagesimiseptimi Psalmi, quo ad quinque priores paucis mutatis, ut fieri solet alibi in sacris etiam Hebraicis literis: reliqui octo uersus ex Psalmo sexagesimo, à uersu illic sexto. Vt discamus nobis quoq; pro uoto orationis nostræ subinde Psalmos conficere, quibus illud à domino postulemus, quod ex animo desideramus, ut non tantum ex præscripto oremus & conceptis uerbis, eadem tantum conquerendo & allegando quæ pro causis urgent & temporibus. Breuiter autem sic intelligenda uidentur. Tota cordis deuotione nunc tibi canere instituí, nõ pro more uerbis tantum & uocibus, quod intelligam cor & renes te exigere, nolle multiloquium, & sine sensu sonum in orationibus, hypocritarum & Phariseorum more. Canam autem ex iubilo cordis, cum testimonio uocis, & gloriatio mihi nulla est, nisi in tuis beneficijs quæ canam ex animo, & arte musica tuo dono, & idoneo instrumento excitandi spiritum non uanitatis, sed pijssimi affectus.

Psalmorum confectio priuata.

2 Exurge (gloria mea, exurge) psalterium & cithara: exurgam diluculo.

Satis diu cessasti otiosa cithara mea, nolis diutius silere à laudibus creatoris mei. Exurge nunc quæso psalterium & cithara, fac officiũ tuum, adiuua spiritũ meum, non enim segniter canam, non ultra differam dormitabundus totam noctem. Mane surgam & ante lucanum tibi canam, ô deus, præoccupabo luciferum atque diluculum: hoc est enim tempus aptũ spiritualibus exercitijs, quorum primum est intellectu & deuotione sacra creatorem omnium promereri, illius gratiam appellare pro residuis diei momentis, & pro actionibus feliciter transigendis.

3 Confitebor tibi in populis domine, & psallam tibi in nationibus.

Non contentus mea in te deuotione & fide, cæteras quoq; gentes aduocabo ad cultum tibi dignum, ut mecum tuas laudes agnoscant ac celebrent. Nec id semper tantum in Iudæa, Hierosolymis, & in atrijs Salomonici templi, quasi non sis tu quoq; omnium gentium deus, & dominus, pater et iudex, sed in nationibus reliquis omnibus canam. Psalmus hic meus & reliqui ad extremos aquilonaris & australis, occidentalis plagæ limites ultra Gades & Hibernos, in tuam ab electis tuis gloriam decantabuntur, & toto in orbe terrarum.

4 Quia magna est super cœlos misericordia tua: & usque ad nubes ueritas tua.

Excedit bonitas tua magnitudinem omnium quæ magna sunt, cœlum scilicet ipsum, ubi tu quoq; residens omnia gubernas, & defluis inde creaturis omnibus beneficia gratiæ, & influentias salutares: usq; ad æthera uel altissimas nubes pertingit fides et ueritas firmissima uerborum tuorum, ut toto orbe resplendeat & agnoscatur à credentibus & electis tuis.

5 Exaltare super cœlos deus, & super omnem terram gloria tua:

Cupio in primis omnipotens deus, ut gloria tua sola & magnitudo agnoscatur ab omnibus hominibus, & nomen tuũ sanctificetur super omne nomen, quod nominatur in cœlis & in terra, utq; enarretur & glorificetur cum dignitate, utq; ad tuum præceptum, qui dominus es dominantium, omnia humilientur & pareãt, & de cœlis tuis nobis gratiam & salutem demittas, sine quibus in his inferioribus subsistere & durare non possumus. Sed & omnes totius terræ coloni homines agnoscant potentiam, sapientiam & bonitatem tuam colant ac uenerentur, ut glorificeris ab oĩbus, & per omnia ut dignus es.

6 ut liberentur dilecti tui. Saluum fac dextera tua, & exaudi me:

Præcipue uero clarifica clementiam & ueritatem tuã, in liberatione à tot miserijs & pressuris huius mundi electos & dilectos tuos, qui ut nunc in mundo maligno coguntur male audire & grauia pati, quos tu tua dextera defendas, & precibus meis omnium q; piorum respondeas misericorditer, qui peto humiliter potentia tua liberari à malis, & exaudiri pro bonis.

7 deus locutus est in sancto suo. Exultabo, (&) diuidam Sichimam: & conuallem tabernaculorum dimetiar.

Beneficia dei promissa gratus allegat, cupiens ea non Beneficia euacuari propter demerita peccatorũ suorum. Sic quo- gratitudo. que fideles cum fiducia hærere fortiter debent diuinis promissionibus, minime trepidãdo. Deus, inquit, per sanctitatem suam, id est, per seipsum pollicitus est, sic mihi dudum loquendo in hanc fermè sententiam: Cum gaudio & alacri fauore & beneficentia complebo Israëlitis meis diuisionem totius terræ Israëlis in paternam & legitimam hæreditatem possidendam à filijs Iacob, qui in Sichem uel prope olim habitauit, & Ioſephi cognomen suscepit, primogeniti secundũ promissiones & duplicem portionem, & quæ promisi Abrahæ in ualle Sochot certissime absoluam.

8 Meus est Galaad, & meus est Manasses: & Ephraim fortitudo capitis mei. Iuda rex meus.

Omnis enim hæc terra tam trans Iordanem q̃ citra, & tota Israëlitica regio, regni Ephraim & Manasse, quæ minus uideri poterat mea, quia templũ in ea non constitui cultui meo, mea tamen est, quam amicis meis distribui pro media eius parte: aliam autẽ medietatem tradidi tribui Iuda, cum regno illi promisso in benedictionibus Iacob, cui & specialiter concredidi studium colendino-

men

men meum, docendi legem, prophetas audiendi, & de sua tribu Christum expectandi, regendi quoq; ac defensandi alias tribus, quæ prærogatiua erant tribus Iudaicæ.

9 Moab lebes spei (lotionis) meæ. In Idumæam extendam calciamentum meum: mihi alienigenæ amici facti sunt.

Siue dominus fingatur loqui siue Dauid, ex promissionis fide idem erit sensus: Moab lebes spei meæ: ad sensum transtulit, cum Hebræi legant Ablutionẽ, Syrus uero, Confregi Moabitas tanquã ollas lotionis meæ. Super regnum Edom proijciam calceamentũ meum, super reges Palæstinos iubilabo: hoc est, Certissima mihi uirtus est uel spes, ut ad omne uotum mihi obsequatur regnum Moabitarum & Idumæorũ, quos supergrediar, & subiugabo pariter cum Palæstinis. Omnia enim regna propinqua sibi Dauid subiecit, et dominus illi subdidit, Christus uero utrunq; perfectissime compleuit in toto, quod prophetatum de Dauide erat in partibus.

10 Quis deducet me in ciuitatem munitam? quis deducet me usq; in Idumæam?

Quis deducet me in ciuitatem munitam: quasi dicat, Nullius ope indigeo ad subiugãdas mihi fortissimas quasque urbes ad regnum Edomitarum: Ego enim sum dominus dominorum, & cuique regnum do, quando & quandiu uoluero. Syrus interpres Iudæorum fabulas uel secutus uel inueniens & augens, sic transfert: Quis deducet me usque ad Romam impiam? quis deducet me usq; Constantinopolim Idumæorũ? Sic libere abutuntur & licenter authoritate sua Rabini Iudæorum, non tamũ in commentarijs, sed etiam in uulgo legendis legis suæ translationibus, unde miser populus legens seducitur.

11 Nonne (tu) deus qui repulisti nos? & non exibis deus in uirtutibus nostris?

Et cum talem, ô deus, te nobis dominũ & patrem promiseris, tanta beneficia quoq; præstiteris ab olim, qui fit nunc, ut uidearis nos penitus repulisse? Sumúsne uel erimus perpetuo abiecti à misericordia tua, ô deus noster? ut sperare auxilium tuum nobis affuturum non amplius possimus, ut nolis egredi imperator exercituum nostrorum contra infideles, & uerbi tui derisores, uti consueueras sub Iosue? Non aderis nobis posthac auxiliator & propugnator?

12 Da nobis auxilium de tribulatione: quia uana salus hominis.

Non id nobis tecum, ô deus, contingat, ut tuo auxilio unquam destituamur, sed da nobis nõ pro meritis, sed de gratia tua & humiliatis auxiliũ, quo sine subsistere non ualemus. Non enim iam fidimus in brachiũ carneum tot ies delusi, non in merita patrũ, quorum iustitiæ uix sibi sufficere potuerunt: non iam idola nouimus nec adimus, à te solo pendet nũc tota salus nostra, ut de præsentibus angustijs te eripiente saluemur.

13 In deo faciemus uirtutem: & ipse ad nihilum deducet inimicos nostros.

Tu uero deus, si tua uirtute hostes nostros aggressus fueris, tunc poterimus illorum uiolentiã sustinere, tunc fortiter reniti poterimus, si tu fortitudinem nobis addideris. Dominus est enim, qui solus conculcare potest, et ad nihilum redigere inimicos nostros, ipse propugnator fidelium est & saluator, qui ut olim sibi Dauidis regnum parauerat, sic in æternum Christi domini imperiũ in omnes gentes propagauit, ut illi omnes reges subdantur, omnes illi gentes seruiant in æternum.

PSALMVS CIX.

In finem Psalmus Dauid.

ARGVMENTVM. Vltio diuina contra pietatis persequutores, & gratiarumactio deo, qui suos liberat à uiolentia & dolis eorum, & confundit impios.

1 DEus laudem meam ne tacueris: Hebræi hic melius legunt: Deus laudis meæ ne tacueris, arbitror lapsum cõtigisse scribarum: uult enim dicere, Deus laudis, meæ, id est, à quo uno agnosco me habere oĩa, sub cuius auspicijs agere mihi laudi duco, de quo solo glorior. Nolis autem tu deus dissimulare iniurias, non tam meas quàm quæ tibi irrogantur, & propter te mihi. Tu es enim tota laus mea, nihil dulcius ago quàm tuis iugiter sic laudibus incumbere, ut sanctificetur sacratissimum tuum nomen, contra eos qui illud odio habent, & blasphemant tuam iustitiam, rident cultum & abijciunt legem, pios persequuntur ac opprimunt.

2 quia os peccatoris & os dolosi super me apertum est. Locuti sunt aduersum me lingua dolosa,

Facile ostenditur ex scripturis quomodo Dauidi mendacia obtruserunt impij persecutores consiliarij ac solicitatores Saulis & Absalonis ac reliqui, qui nunquam insidijs fermè caruit, multo facilius de Christo & omnibus pietatis sectatoribus omnia exponuntur, in quorum hæc omnia persona dixit & cõquestus est domino. Traducunt me impij, ô deus, ex quorũ ore nihil prodire potest quàm impietas contra deum & prouidentiam ac iustitiam illius, similiter doli & mendacia cõtra proximos excogitata ad bonorum exitium. Si quando mecum loqui cœpissent non expectaui nec sensi nisi mendacia & meras imposturas. Sic enim filij huius sæculi pietatis cultorum & innocentium piorum simplicitate abutuntur, & gaudent fallere mendacijs, et potenter iniuriari, nullam inde uindictam dei credentes superuenturam. Mendacia obtrudere pijs.

3 & sermonibus odij circundederunt me: & expugnauerunt me gratis.

Quia uero mentiri & palpare nesciunt pij, sed libere testantur pro ueritate etiam contra impios, ideo ingenti semper odio laborant, & insidijs improborum exponuntur, quos illi circunuenire satagunt modis omnibus, & ubi facultas permittitur, publice & gratis nulla causa oppugnare, dexteritatem ipsorum & famæ integritatem expugnare conantur. Toti enim dediti malignis studijs, dolent sanctiores uel ferre uel inueniri, quorum comparatione infamentur, & à petulantia abstrahantur uel impediantur. Odium pio rum unde.

4 Pro eo ut me diligerent detrahebant mihi: ego autem orabam.

Sancti diligunt. Sancti per charitatem ex fide propter deum diligunt omnes, etiam malos, ad illorũ bonum & emendationem, beneficijs quoq; euincere in bono mala studentes: quibus officijs sanctißimis continuo impij deteriores fiunt, & euincere in malo bonum percupiunt, iniquißimã uicem rependendo benefactis & maledictis: quibus tantum abest ut pij moueantur ad indigna, ut malint pro illis improbis orare dominum, & omnem mouere lapidem ad illorum resipiscentiam quàm maledicere.

5 Et posuerunt aduersum me mala pro bonis: & odium pro dilectione mea.

Impiorũ mores. Prosequuntur quidem pij sancto affectu peccatores, ut resipiscant cupientes, sed illi malitia potius superare malunt, & reponere malum pro bono, odio compensare dilectionem. Agunt enim suo more utriq;, de thesauro suo proponunt quo diuites sunt, ostendentes interim luculenti testimonio cuius filij sint legitimi, satanæ omnibus incommodantis, uel dei, solem suum oriri faciẽtis super bonos & malos. Est enim charitas nota filiorum dei, sicut inuidia dæmonis mors intrauit in orbem, & prodit omnes filios gehennæ.

6 Constitue super eum peccatorem: & diabolus stet à dextris eius.

Optare uel prædicere. Non rarum est in scripturis ut pro Præterito Futurũ, & contra sic quoq; Futurum pro Imperatiuo uel Optatiuo, quo carent Hebræi, utantur. Possunt ergo hi Optatiui exponi pro Futuris, ut impios hæc mala apprehensura sint prædicere: uel ut apprehendant optare sine culpa, dum prosperitatem impiorum sancti cernunt continuo proficere in blasphemiam dei, in scandalum & oppressionem tam pietatis ipsius q̃ piorum, & in impedimentum profectus in uera religione, quem omnium maxime cupiunt, & cuius contrarium promoueri inferno grauius ducunt, & omni temporali incommodo. Optatiue ergo hæc omnia accipi possunt, ut sit sensus: isti tam pertinaciter impij, crudeles, & osores tui, ô deus, nominis & maiestatis tuæ blasphematores, qui à cultu dei abstrahunt modis omnibus quos possunt, illi tradantur iusto iudicio tuo, tortori tuo & satelliti dæmoni, qui rependat iustitiam operatori iniquitatis, lictorẽ huic satanam constitue, cuius obsequio se mancipauit & placuit.

7 Cum iudicatur, exeat condemnatus: & oratio eius fiat in peccatum.

Precatur deinde, ne quis illi damnando succurrat, & iustitiam de eo dignam ad piorum multorum profectum, & impiorum terrorem & resipiscentiam impediat. Cupit enim domini iustum de eo iudicium sumi, quo cæteri formident, fideles cõsolentur de sua sorte, & proficiant in amore & cultu dei. Quod si talis impius dũm orare incipiat pro malo amoliendo non exaudiatur, sed in peccatum illi cedat, qui toties dei clementiã blasphemauit. Quin & nõ est illorũ syncera oratio, qui liberati malis, ilico ad priora studia relapsuri sint, & futuri peiores.

8 Fiant dies eius pauci: et episcopatum eius accipiat alter.

Imprecatur abbreuiari improbo uitam, spoliari eum potestate qua abusus sit in sanctorũ calamitatem, præfectura scilicet, quæ pernicies ingens morũ est & pietatis si contingat impijs, & exosam habentibus ueritatem uel religionem ueram. Orandum est igitur anxie, ut deijciantur de præsidentia impij, & uiri timentes dominum surrogentur si fieri possit per malitiam subditorũ, quos dominus talibus præfectis flagellat. Præposituram & officium male administratum ab impio, suscipiat melior.

6 Fiant filij eius orphani, & uxor eius uidua.

Contra impios pro piis orandum. Valde orandus est dominus, ut impiorũ prælatorũ filij statim fiant orphani, id est, destituantur improbis parentibus, & ut non succedant in iniquo dominio suis parentibus, quorum mores didicerunt, & opera æmulantur. Vxor quoque uidua ut fiat oratur, ad idem pertinens, ut desolata & miserabilis stipe indigeat, fiat exemplo impijs, & sanctis solatio iustitiæ diuinæ, ne perpetuò credatur perambulare deus circa cœli cardines, & non curare terrestria, ut impij iactant, maxime autem tyrannico imbuti ingenio magistratum obsidente hæc semiant.

10 Nutantes transferantur filij eius, & mendicent: & eijciãtur de habitationibus suis.

Iudæorũ ista calamitas. Orat sic semper relinqui uiduam, ut & improbi liberi pellantur suis sedibus & hæreditate paterna, ut mendicando aberrare cogantur, nec inueniant tamẽ qui ipsis misericordiam exhibeant. Sicut Iudæis contigisse uidemus iam mille quingentis annis, stupẽda prolixitate temporis & uindictæ, pro peccato nimirum semper duranti: & ut nõ mendicent, turpiore tamen lucro inter Christianos intendunt & sustentare se coguntur, quàm si humiliter mendicarent. Transferuntur corũ filij & transportantur ferè semper in noua exilia, nusquam tutum immorantes locum. Queruntur de nouis semper uastationibus rerum suarum, & nidulorum atque domorum, ut & pauperes sint & refugio destituti. Quod quidẽ prius intellexit interpres dum dixit, Eijciantur de habitationibus suis: dum Iudæi dicunt, Inquirant de uastatis caulis suis. Targum uero, Et inquirant quæ fuerint desolationes eorum. Semper enim una perpessa turbatione, altera illis immineat.

11 Scrutetur fœnerator omnem substãtiam eius: & diripiant alieni labores eius.

Orat insuper ut durus aliquis fœnerator illaqueet continuo debitis, & crescentibus cõtinuo usuris obnexiam sibi faciat cunctas improbi facultates, & diripiant igno ti & extranei fructum omniũ laborũ eius, quicquid partum est eius operæ. Id uero in primis calamitosum est & miserum, si de tantis laboribus suis & suddoribus anxijs nihil consoletur, nullũ reportet cõmodum uel solatium, nihil consoletur, nullũ reportet cõmodum uel solatium,

12 Non sit illi adiutor: nec sit qui misereatur pupillis eius.

Ne quis sic mendicis ac miseris, & improbi liberis miscreatur orat. Ne sit qui clementia permoueatur ad succurrendum illis, ne forte pij uidentes prouidentiam dei benignam ad posteros impiorũ, incidant opinionem, domino placere iniquos, et nõ esse iudicium dei in hoc mundo. Quin potius uideantur palam esse omnibus, propter impium patrem suum.

Fiant

13 Fiant nati eius in interitum: in generatione una deleatur nomen eius.

Adhuc optat uel futurum prædicit, ut ad unum extinctis impiorum filijs, nomen parentis improbi in una natione deleatur, ut simul deleatur illorum nomen, opus, & opes, cognatio & posteritas. Quanquam enim non frustra uiuant impij in hoc mundo, quos deus seruat uel ad cõuersionem, uel ad iustitiæ suæ manifestationem, uel ad exercitum sanctorum, optabile tamen est pijs, quàm pauciſsimos extare tales, à quibus negotium fiat probitati, & ab eis sancti quotidie diuexentur.

14 In memoriam redeat iniquitas patrum eius in conspectu domini: & peccatum matris eius non deleatur.

Quandoquidem impiorũ filij pro more æmulantur impietates parentum, orat uel prædicit certiſsime prophetícus stylus, augendum esse dei odium, etiam in parentes malorum filiorum. Et peccatũ matris, quæ illos religiosius instituere debuisset ex officio, sed neglexit uelut sui similem deprauauit exemplis ac uerbis, non certe delebitur unquã in hominum memoria iudicioq; diuino, quoad pœnam: sed fiẽt eruditio aliorum, ut dominum timeant, & à peccatis abstineant.

15 Fiant contra dominum semper, & dispereat de terra memoria eorum:

Semper peccatorũ taliũ dñs recordetur ad suam gloriam uindicandam in hoc mundo, ut uincat in causa sua dum iudicatur esse patronus impiorũ, & indulgẽtior in malos q̃ bonos. Istud enim blaſphemiarũ impatientiſsime audiunt fideles: ideo orat iustus quoq;, ut iustitiã ostendat in incredulos & pietatis contẽptores, ut imputetur illis coram dño malum eorũ, & de eo non gaudeant, sed dolere cogantur: quin & memoria eorũ deleatur de terra, ne exemplum sint uenturi sæculi, ut in obliuionẽ cadant sanctis, & sint extra sortem piorum.

16 pro eo quod non est recordatus facere misericordiam, & persecutus est hominem inopem & mendicum, & compunctũ corde mortificare.

Causam sanctus reddit, cur ita uel deuocat impium, uel hæc certo superuentura prædicat mala illi digna, quibus deus iudicaturus sit mala eius & malos omnes, quia scilicet inhumaniter sese habuit, & iniurius fuit in quem libet: cũ deus nihil æque exigat ab hominibus atq; charitatem & beneuolentiã: iam illud plus quàm satanicum est, eum etiam posse affligere & iniurijs afficere qui antea afflictus est et calamitosus, idq; nullo suo merito, nempe innocens, & de omnibus bene mereri studens, qualis in primis Dauid semper fuit, maxime uero Christus, quẽ per gradus & gratiam acceptam æmulantur hac parte omnes uere Christiani & pij.

17 Et dilexit maledictionem, & ueniet ei: & noluit benedictionẽ, & elongabitur ab eo.

Cum itaque deus rependat unicuiq; iuxta sua studia, bona bonis, mala malis, idq; improbo isti, de quo alijs in exemplum fit sermo, abunde notũ fuerit, cum tanta peruersitate & crudelitate in innocentẽ esset, uisus sanè est diuinam huiusmodi execrationem amare & uelle, bonam uero precationem & dei beneficentiam odisse & nolle, nihil ea affici. Precatur ergo ut ita eueniat ei, sicut ex factis eius apparebat uoluisse.

18 Et induit maledictionem sicut uestimentum, & intrauit sicut aqua in interiora eius, & sicut oleum in ossibus eius.

Petit ut execratio diuina, quæ in omnia mala præcipitat, & hominum quoq; execrationem accersit, ipsum totum obruat, occupet & penetret. Id enim ualet quod dicitur, Vt ea induatur maledictione sicut uestimento: præterea, Vt ipsum perfluat, sicut solet hausta aqua perfluere interiora hominis. Addit quoq;, Vt oleum uel unguentum in ossa eius. Vnguentũ enim & ossa penetrat, cum externe membra inunguntur. Erant isti quibus hæc imprecatur penitus deplorati, & tantopere impij quibus debentur talia: nõ tam ipsius & fideliũ hostes, quàm dei: quare sciebat illos ultionem manere infinito maiorem quàm explicare posset, ideo auget sic omnia & exaggerat. Ab externis quoq; malis quæ illis imprecatur, tam atrocia æstimari uoluit mala interna & futura in sæculo animarum. In penitus deploratos.

19 Fiat ei sicut uestimentum quo operitur: & sicut zona qua semper præcingitur.

Orat insuper ut maledictione huiusmodi non solum ut ueste operiatur interiore, sed etiam superne amiciatur tanquam pallio: quin hic postremo addit, ut ea uelut cinctorio undiq; & perpetuò cingatur. Sit ipsa, ut summatim dicatur, maledictio contra agnitam ueritatem persecutor, uel prouidentiæ diuinæ irrisor ac temerarius abnegator, qui iustitiam & iudiciũ impiorum more negat in hoc mundo à domino deo administrari, & uerbũ domini falsum credens.

20 Hoc opus eorum qui detrahunt mihi apud dominum: et qui loquuntur mala aduersus animam meam.

Quàm iuste orarit sanctus quæ præmisit, quamlibet atrocia hoc uersu confirmat. Hoc, inquit, à domino opus erit illorũ, id est, merces & operæpretiũ. Sic enim sæpe in scripturis opus accipitur pro mercede operis. Quod enim illis iusto dei iudicio debebatur, sanctus iure eis imprecabatur, dei duntaxat spiritu impulsus. Talis enim eos manet & condecet pœna à domino, cuius contemptores sunt & læsæ maiestatis summæ criminis rei. Qui loquuntur malum super animam meam, quam pro sua malitia quærunt ad mortem & diffamiam.

21 Et tu domine domine fac mecũ propter nomen tuum: quia suauis est misericordia tua. Libera me

Implorat nunc opem dei pro iusta causa religionis & pietatis, ne scilicet præualeat in mundo contra pios, malitia impiorum contra causam dei quam urget. Quia enim clementiſsimus es & omnipotens, liberare potes tantũ ut uelis, ut causæ tuæ æque, imò magis quàm meæ nemo prauus prævaleat. Hoc autem propter nominis tui gloriam, quam labefactari in hominum opinione neutiquam sinas.

22 quia egenus & pauper ego sum: & cor meum conturbatum est intra me.

Allegat miseriam & infirmitatem contra huius mundi & impiorum potentiam, ut corde sautius sit, præ magno zelo gloriæ & ueritatis uerbi dei, cui tam opere obstrepunt impij.

23 Sicut umbra cum declinat ablatus sum: & excussus sum sicut locustæ.

Similitudines. *Vt umbra semper transit, proficit & deficit, dumq; prolixissima sit, tunc proximior est uanitati: sic subito propediē euanescet uita mea. Et sicut locustæ excutiuntur ubicunq; sese reposuerint, & subito non comparent ad contrariam illis auram: sic ego quoque concutior ut subsistere nullibi queam.*

24 Genua mea infirmata sunt à ieiunio: & caro mea immutata est propter oleum.

Multus in precibus. *Memorat quàm multus fuerit in precibus ad deum, quas cum plurimo animi ardore funderet, pariter ieiunabat, idq; tam instanter, ut inde uacillarent iam ac labascerent ei genua, præ timore continuo & graui malorum intentatorum à malis. Priscus dixit et bene, Caro mea immutata est propter oleum uel pinguedinem, quæ corpori meo subtraxi ob negligentiam rerū huius mundi, omni carnali corporis cura abdicata.*

25 Et ego factus sum opprobrium illis: uiderunt me: & mouerunt capita sua.

Quis tantas improborum hominum instantias & malitias euincere posset, nisi tuo auxilio? qui cum sis deus meus, succurrere digneris secundū benignitatem tuam, qua consueuisti bene agentes iuuare & defendere.

26 Adiuua me domine deus meus: saluū me fac secundum misericordiam tuam.

Ideo se iuuari precatur, ut hostes sentiant manum domini esse quæ in eos sæuiat, non aliunde fato uel fortuita tanta illis mala occurrerint, potentiam tuam nolentes recognoscant.

27 Et sciant quia manus tua hęc: & tu domine fecisti eam.

Orat ut illis execrantibus & omnia aduersa imprecantibus & intentantibus, dominus det sibi felicem rerum successum, & benedicat maledictionibus eorum.

28 Maledicent illi, & tu benedices: qui insurgunt in me, confundantur: seruus autem tuus lætabitur.

Cum illi impij insurrexerint contra me, ilico ut sibi uidetur daturi internetioni quos cupiunt occidi iustos: pudefiant, irritato adeo eorum conatu & spe frustrata, ut ipsi pereant, iustis ope domini seruatis, & de domini bonitate lætantibus.

29 Induantur qui detrahunt mihi, pudore: & operiātur sicut diploide cōfusione sua.

Id cum illis maxime ignominiosum futurum sit, subiecit: Induantur aduersarij ignominia, & amiciantur tanquam pallio erubescentia: hoc est, toti plurimum confundantur & ferant opprobrium.

30 Confitebor domino nimis in ore meo: & in medio multorum laudabo eum.

More suo uota laudis publice nuncupat, & laudem simul explicat, dicens, Liberatus gratias agā ore & corde, et inter multos prædicabo iustitiā & bonitatē tuam.

31 Quia astitit à dextris pauperis: ut saluam faceret à persequentibus (iudicantibus) animā meam.

Pauperū defensor. *Tantæ bonitatis deum testatur, ut inopi, quem omnes deserunt, ipse semper adstet ad dexteram patronus, & defensor in iudicio ab intentatoribus improbis, necis & confusionis, ab ijs qui omnibus modis perditam cupiant animam meam, quam dominus sibi conseruauit commendatissimam, & insuper irridebant me in te dominum fideliter confidentem.*

PSALMVS CX.

Psalmus Dauid.

Veteres Hebræorum exposuerunt hunc Psalmum de Abraham patriarcha, quem & authorem faciunt eius quicquid titulus fateatur, de uictoria canentem contra quatuor reges, & dicunt, tunc deum abstulisse sacerdotium à Melchizedech, & dedisse Abrahæ. Alij de Dauide exponunt, quando in principio regni contra Pelæstinos pugnare cœperat in ualle Raphaim, eadem ferè quæ Psalmus secundus continentem. Ex uerbis tamen Christi domini satis liquet eum à Dauide æditum, qui & eadem loquitur, sed de Christo domino, quod & Pharisæi in lege docti negare non potuerunt.

ARGVMENT. *De Christi domini sacerdotio & regno in sanctos atq; impios, sed dißimiliter.*

1 DIxit dominus domino meo, Sede à dextris meis: donec ponam inimicos tuos scabellū pedum tuorum.

Omnipotens deus pater dixit, hoc est, æterno suo consilio statuit & promisit domino meo Iesu Christo uero Christus de Meßiæ, *qui licet secundum carnem filius esset uenturus ex semine Dauidis, secundum tamen naturam diuinam, qua aeterno cum patre & ante sæcula genitus erat, uerbum deus apud deum, dominus erat omnium. Dixit autem, Sede ad dexteram meam, id est, regna super omnia, summaq; potentia esto præditus, cui se cūcta genua flectant, quemq; omnis lingua dominum confiteatur: & uniuersorum regem & Meßiam, quod & Iudæi inuidi uidere coguntur. Nempe ipsum hominem qui pro nobis obediens mortem pertulit, post deuictam mortem & resurrectionem, euectionemq; in cœlos regnantem, quando primum orbi reuelatus est & constitutus super omnem principatum ac potestatem, uirtutem ac dominium, & super omne nomen quod nominatur, non solum in sæculo hoc, uerum etiam in futuro. Denique omnia subiecta* Christo *esse sub pedibus illius, atque datum eum caput ecclesiæ, quæ est corpus illius, complementum eius, qui omnia in omnibus adimplet: quæ & Paulus docet omnia ad Ephesios & alibi. Ista ergo est Christi domini secundum hominem euectio, ut per eum in inuisibili gloria dei præsidentem cuncta instaurentur & perficiantur, utq; sancti omnes ad dei imaginem reformentur, quæ potestas nulli unquam creaturæ communicata est. Nulla enim assumpta*

pta est in unitatẽ personæ, ut hoc semen Abrahæ & Dauidis à uerbo dei quo conditus est orbis, & lex dei data, primo in mõte Sinai, deinde in monte Sion. Istud itaq; est quod hic illi pater dixisse & dominus canitur, Sede ad dexterã meã. Porrò ut huius hostes scabellũ ipsi ponantur, planè iamdudũ apparuit in Iudæis, & idolis totius orbis, prostratis dæmonum excelsis & errorũ portentis: sed planius tunc uidebitur, quando confecerit hostem ultimum mortem, & Antichristianos omnes, qui odiunt doctrinam Christi et gloriam, propriam utranq; proponentes cultui totius orbis. Qui omnes dicunt, Nolumus hũc regnare super nos. Quorum omnium typum gesserunt Israelitæ, primum cum Saule Dauidem persequentes, deinde Ammonitæ, Moabitæ & alij hostes Dauidis Iebusæi & similes.

2 Virgam uirtutis tuę emittet dñs ex Sion: dominare in medio inimicorum tuorum.

Canitur regni Christi potentia ex Sion profecta, quã exercet in medio hostium, cum suos tanquam oues in medio luporum ita seruat & tuetur, ut cuncti illorum hostes nihil quod in bonum illis non cedat possint efficere. Dominare, inquit, & pro arbitrio tuo de illis hostibus tuis statue, & id quidem quantũ ad typum attinet, magnifice etiam in Dauide est adumbratũ, cum seuas adeo de Ammonitis deuictis pœnas sumeret, sed in tenui umbra, respectu Christi domini imperij, quod spiritu suo inter hostes suos administrat. Vinctus erat Paulus Romæ, & à Cæsare, sed nõ erat uinctum uerbum Christi: quam uere regnabat in eo Christus? cum summa illum libertate ad extremum usq; spiritum prædicaret, & ab hostibus lædi non posset, sed iuuari tantum.

3 Tecum principium (populus tuus spontanei) in die uirtutis tuæ in splendoribus sanctorum: ex utero ante luciferum genui te.

Satis patet Græcos legisse, Imcha Tecum, quod interpretati sunt Iudæi Amcha Populus tuus. Græci ἀρχὴ principatum reddiderunt pro נדבות, quod & significare potest. Latini perperam Principium scripserunt. Iudæi Spontanea uel uoluntarij, uel discipulos legis, liberales oblationes interpretantur. Et Hieronymus, Spontanei. Virtutem ex חיל intelligunt, sed bellicam, cum & copiã & diuitias significet ac constantiã, alij concertationem & bellum dixerũt. Hieronymus legit in suo exemplari בהדרי in montibus, quod & hodie Massoras in marginibus annotant, cum exẽplaria Hebræa בהדרי habeant, quo modo & legerunt Græci, In splendoribus. Quod uero addunt sanctorum, non sanctos intellexerunt homines, sed sancta, id est, sanctuarium. Vbi quoq; priscus dixit, Ex utero ante luciferum: tibi Hebræi legũt, Ex matrice ab aurora tibi ros. Tandem dixerunt Græci, Genui te: quasi legerint ילדיתך, cum hodie Iudæi legant ילדותך & interpretẽtur Adolescentiæ tuæ. Hæc sic se habentibus hoc loco, non sum pro religione ausus mutare quicquam, sed iudicium studiosis committere arbitratus sum non tantum tutius, sed etiam religiosius. Quanquã autẽ uarie hic uersus intelligi possit, pulchre tamen cõuenit litera tota in regnum Dauidis & Christi domini celebrãdum, eatenus, ut ei oporteat omnia subijci, Hunc autẽ uersum sic intelligo, Populus tuus, ô rex, filius Dauid Christus, liberales oblationes deferent tibi, uel tui ipsi erunt, sponte & libere sese subdent, uoluntarie seruiẽt: tunc, inquam, in typo Dauidi, aliquãdo Christo filio dei & Dauidis. Tecum enim principatus erit super omnes fideles & electos, qui sponte tibi obsequentur & pertinent ad regnũ Meßiæ, quod est regnum cœlorum. In die roboris & triumphi tui & regni, incipientis in resurrectione Christi, & perficiendi in iudicio generali. In splendoribus sanctuarij uel sanctitatis, in fructibus glorioſis fidei & charitatis per Christum. Ex utero auroræ tibi ros generationis tuæ, de fœcũditate cœlestis benedictionis miraculosæ castißimæq; uirginitatis, sola dei gratia desuper instar roris incidente & propagante sine uirili semine, pro salute mundi contigit ueluti aurora salutis post tenebras huius mundi: tunc enim subsequente ilico sole iustitiæ generaberis. Vel proferant Iudæi aptiorem sensum quem probent perfectum, ut ipsum tam ipsi quàm nos intelligere ualeamus. Principatus Christi.

4 Iurauit dominus, & non pœnitebit (eum) Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedec.

Temporibus Abrahæ regnauit Melchizedech in Salem, quæ ut dicitur, Hierosolymis postea dicta est. Is sic administrabat regnum, ut simul & sacerdotio fungeretur. Interpres scilicet sacræ doctrinæ precatorem agens pro populo atq; sacrificulũ, quem & Iudæi putant Sem filium Noe fuisse, qui certe uiuebat adhuc istis temporibus. Iurauit igitur dominus, id est immobili uoluntate sua statuit, quod est non illum pœnitere, promißi scilicet sanctißimi & saluberrimi ad patres & prophetas ferè in hunc modum, regnaturum nempe, non quidem Dauidem nisi in umbra, sed Christum suum, qui unus est Dei et hominum mediator, aduocatus, sacrificium, sacerdos, sanctuarium & propitiatoriũ, qui sanctificatos in æternum consummat, adumbratus per Melchizedech. Cum sit enim reuera rex iustitiæ, qui solos iustos facit credentes, rex quoq; Salem, id est, pacis est, quia pacem æternam dat fidelibus cum deo & conscientia, cuius ortum & genus, cum idẽ deus sit, nosci nequeat à mortalibus. Mortis expers est unus hominũ, reatu scilicet mortis, solus absq; peccato: quod autẽ mortuus est Christus, peccatis nostris semel mortuus est, idq; uitæ reparatio dignius dicitur. Hic Christus Melchizedech est, qui Abrahæ ac in eo toti sanctorũ uniuersitati bene & precatus est & fecit, qui iustitia simul & æterna uita illos donat. Ei ergo iure se & omnia non tantum decimas sancti offerũt. Protulit quoq; panem & uinum reuertentibus de prælio, quo recrearet exhaustos: ita Christus fidelibus suis dedit & dat panem de cœlo uiuum ac uiuificantẽ, nempe carnem & sanguinem suum, dudum paßibile corpus sacrosanctum in cruce, nunc uero in mysterio & sacramentaliter in eucharistia, ad refectionem uirium animæ & spiritus, qui carne non uescitur corporali, id est, conscientiæ perturbatæ propter peccata, quæ sacramentali cibo, fide meritorũ paßionis Christi recreatur, & con- Sacerdotiũ Christi & Melchizedech. Eucharistię mysterium factum.

firmatur ad omne bonum, ut immortali tandem corpori reunita regnet cum Christo in gloria.

5 Dominus à dextris tuis: confregit in die iræ suæ reges.

Christi victoria.

Vaticinium est de victoria Christi domini contra satanam & mundum, sicut & de Dauide dictum est in typo pro victoria suorum omnium hostium. Cui Christo filio dominus est ad dexteram, omnia pro eo expediens, cunctos hostes deijciens, præparans illi regnum inuincibile, glorioſum & æternum, cõfractis inimicis, qui gratiæ suæ beneficia contempserunt, & persecuti sunt sanctos. Hi enim rigorem iusti & duri iudicij experientur, quamlibet in mundo potentes fuerint, & aliorum oppressores, tyranni uel etiam reges.

6 Iudicabit in nationibus, impleuit ruinas: conquassauit capita in terra multorum.

Hostes Christi percussi.

Christus quidẽ tẽpore suo iram suam declarat. Quàm multa enim formidabilia terræ capita fuerunt & potentatus, qui regnum suum oppugnarunt, Christus autem Euangelio regni sui omnes cõtriuit, multa prostrauit ca dauera: initium autem sumens à perfidis reliquijs Iudæorum, inde percußit Romana tã idola quàm regna, nunquam destiturus prosternere hostes suos, qui est ueritas, iustitia, gaudiũq; & pax in spiritu sancto. Hoc est enim quod dicitur in propheta, Iudicium gentibus proferet, quia uerbo suo damnabit infidelium uitam, fideles redimet à peccatis, & uniuersæ prævalebit humanæ potentiæ, principis huius mundi satanæ regnum cõfringet ac destruet sanctitate sua & meritis.

7 De torrente in uia bibet, propterea exaltabit caput.

Auget tandem cædem hostium & uictoriæ gloriam, significans tantum sanguinis effundendum, ut hic rex ex sanguinibus hostium sit bibiturus, quo nihil aliud quàm scripturæ more perfectam impiorum stragem & Christi uictoriam significat. Propterea attollet caput, hoc est, alacriter & feliciter potestatem exercebit, superior factus impijs hostibus suis, quos cum suo principe uniuersos addicet gehennæ. Nisi magis placeat ut intelligatur

Calix Christi

Christus bibiturus de calice passionis & mortalitatis, dum humiliatus est ad obedientiam patris pro salute electorum usq; ad mortem, mortem autẽ crucis, propterea exaltabitur caput: dedit enim pater ei regnum quod est super omne regnũ, ut in nomine eius flectatur omne genu, cœlestium, terrestriũ & infernorum. Vtinam autem id fiat adhuc clarius nobis aspicientibus, ut abolitis tot & tantis erroribus, qui in regno Christi exorti sunt, & intolerabilibus schismatis toto orbe, maxime autẽ Turcarum & Phariſæorum hæresibus, unum dominum & unum ueritatis uerbum ubique etiam in hoc mundo regnare contingat.

PSALMVS CXI.

Hallelu ia.

Laudate deum.

ARGVMENT. Laus & gratiarum actio pro beneficijs dei. Est autem alphabetarius secundum dimidios uersus eius, sicut & proxime sequens.

1 CONfitebor (tibi) domine in toto corde (meo) in consilio iustorum & congregatione.

Beneficia Dei celebranda.

Inuitat ad laudes dei suo exemplo: pluri- mum enim cupiunt sancti homines deprædicare semper dei beneficia. Celebrabo, inquit, deum ex animo, nõ tantum labijs & sono, & gratias agam de omnibus suis beneficijs, eiusq; bonitatẽ & sapientiam in cunctis operibus eius suspicio. Id uero conari libet in cœtu & consilio sacro, uel consilio rectorum corũ qui recti studioſi sunt, qui nihil quàm dei gloriam & proximorum salutem spectant & quærũt, audire dei laudes percupiunt, fructũq; percipiunt inde. Coram talibus igitur rectis & eis solis pij laudes diuinas commemorant, non proijciunt margaritas ante porcos, non effundũt sermones huiusmodi ubi non est auditus.

2 Magna opera domini: exquisita in omnes uoluntates eius:

Opera dei.

Magna quidem sunt & imperscrutabilia rationi humanæ opera domini, sed tamen magnificanda & admiranda, quia modis omnibus eximia. Quæ si qui fuerunt diligentius contemplati & religioſius peruestigati: in illis deprehendent tantam sapientiam, & erga homines tam effusam bonitatẽ animaduertent, ut in illis nihil sint desyderaturi, sed superare omnia uota deprehẽdent, uehementer placebunt omnia opera dei, nunquam accusabunt etiam minime intellecta.

3 Confessio & magnificentia opus eius: & iustitia eius manet in sæculum sæculi.

Confeßione dignißima celebria quoq; sunt atq; magnifica omnia dei opera in oculis rectorũ iudicioq; piorum. Inde uero consequens est, ut iustitia dei, qua & omnia iuste facit, & omnes amicos suos iustificat, persistat & duret in omne sæculum. Hactenus cecinit de operibus dei, quæ in toto orbe uisenda deus exhibet: deinceps canit de ijs quæ fecit peculiariter Israeli.

4 Memoriam fecit mirabilium suorum, misericors & miserator dominus:

Memoria operũ dei.

Quandiu hic mundus steterit, memorabuntur filij dei fideles & electi, quanta dominus fecerit portenta et beneficia spectalia Israeli, cum eos per desertum ex Aegypto educeret in promissam terræ suæ hæreditatem per mare & flumina. Quæ & typi quidam sunt consiliorũ bonitatis diuinæ, unde fidutiæ & amoris in deum incrementa percipiunt, quibus luculẽtißime declarauit quàm clemens, gratioſus & misericors sit, quamq; propensus sit ad succurrendum omnibus illi fidentibus.

5 escam dedit timentibus se. Memor erit in sæculum testamenti sui,

Esca data & promißa.

Nihil passus est necessariorum deesse fidelibus in ultißima solitudine, in manna, carnibus, aquis & præda ex opibus Aegyptiacis, non inuite dantibus ereptis. In quo ostendit se memorem fœderis, quod multis ante sæculis cum Abbraham et semine eius percusserat, eius scilicet promißionis, qua dixit, Gentem quæ illos in seruitutem rediget iudicabo, & postea egredientur cum opibus magnis. Nouj autem testamenti fidelibus aliam

escam

escam, quo ad signum, non quo ad significatum dominus dedit ad memoriam recolendam beneficiorum dei, quorum nullum potuit maius cogitari, quo filium suum nobis dedit in pretium, et salutis pignus in sacramento corporis Christi & sanguinis, cuius eiusdem olim præstandi typus & figura pariter erat manna tradita patribus. Eundem enim panem uitæ manducauerũt illi in spe, nos autem in tentione: illi futurum, nos exhibitum Christum credentes saluamur.

6 uirtutem operum suorum annũtiauit populo suo: ut det illis hęreditatem gentium:

Canit Israeli traducto per solitudines, & quadraginta annis cibato, traditam hæreditatem gentium impiarum, quo miraculo uirtutem factorum suorum, id est, omnipotentiæ suæ maiestatem annuntiauit populo suo, hoc est, exhibuit. Quin & rationes donationum intelligendas præbuit ex scripturis, ut omnia deuotiore corde perciperent fideles, spiritu sancto docendi. Maxime uero eam hæreditatem credendam tradidit, qua iustificati per fidem, benedictionem omnium gentium promissam dudum ac interim exhibitam crederẽt, in quo haberent pacem, salutem & gratiam.

7 opera manuum eius, ueritas et iudicium. Fidelia omnia mandata eius:

Ea opera domini canit fuisse & esse ueritatem uel fidem & iudicium. Illis enim certissime præstitit promissa patribus, sed & quicquid agit deus, iustus est & uidetur sine fuco falso, uerum, iustum, rectum & sanctum. Subijcit his, certa esse & fidelia mandata eius, cordibus scilicet omnium hominum inscripta, quibus nihil est æque uerum & firmæ rectitudinis. Sic & quæ nos facere mandauit, quæcunque præcepit, summæ ueritatis & iustitiæ sunt.

8 confirmata in seculum seculi, facta in ueritate & æquitate.

Hæc de utrisq; & operibus & præceptis dei intelligi possunt. Sic sanè præcepta dei suffulta sunt & confirmata, ut citius cœli & terra transituri sint, quàm possit ab illis deperire uel apex aut iota unum. Sunt quoque semper & ab omnibus seruanda quæ præcepit omnibus & pro semper. Improbari ueritas diuinæ legis non potest, æquissima est & sacrosancta.

9 Redemptionem misit populo suo: mandauit in æternum testamentum suum. Sanctum & terribile nomen eius:

Populum suum tunc peculiarem speciali gratia redemit, & sibi seruos constituit, ut fœdus initum cõstanter curarent, obseruando quæ illis mandauerat. Totũ autem mundum redempturus, Christum gratiæ diuinæ pignus misit in mundum, qui à peccato liberaret, ira ac morte. Hoc pactum suum uoluit in æternum stare firmũ & certum per Christum. Sanctum ergo est & uenerandum nomen domini, in quo sanctificantur & saluantur electi, credentes scilicet in nomen domini Iesu Christi.

10 initiũ sapientię timor domini. Intellectus bonus omnibus faciẽtibus eum: laudatio eius manet in seculum seculi.

Deum metuere & colere omnis pietatis & salutis fons est et origo. Quod qui agnoscunt ac faciũt, dei scilicet præcepta, recto sunt iudicio præditi, uereq; sapientes, etiã si ut Moses legislator impeditioris sint linguæ, & ut Paulus imperito sermone. Quorũ ut fixa est gratia dei et in animo uera humilitas, sic quoq; perpetuo stabilit laus ipsorũ apud deũ, & uera iustitia: qui sunt enim huiusmodi à deo laudantur, cumq; seipsos commendare nesciant ex animo, tanto magis probantur & commendantur à deo. Adnumerabunturq; benedictis patris cœlestis, uocanturq; ad consortiũ beatorũ. Hinc summatim discẽdum, nullam esse sapientiam, nullam intelligẽtiam, ubi deest timor domini, & uerus cultus dei. Sapientia uera.

PSALMVS CXII.

Hallelu ia (reuersionis Aggæi & Zachariæ.)

Apud Græcos additur, Reuersionis Aggæi & Zachariæ. Quod unde & ad quid irrepserit ignoro.

ARGVMENTVM. Exhortatio ad iustitiam ac ueras uirtutes.

1 BEatus uir qui timet dominum: in mandatis eius uolet nimis.

Primum ponit unde proueniat uera felicitas, ex timore dei, studio scilicet & cultu syncero unius ueri dei, qui consistit in cura innocẽtiæ atq; iustitiæ. Siquidem regnũ dei primũ inquirentibus et eius iustitiam, cætera omnia adijciuntur. Exprimit aũt ingenium timoris dei, cũ ait, Et in præceptis eius cupit, id est, delectatur nimis. Sicut filius obseruantissimus patris, nihil prius aut cupit aut studet, quàm beneplacitis eius morẽ gerere, sic ueræ pietatis cultor in primis curat ne offendat in dei mandata, quod si per fragilitatem peccauerit, agnoscit ea, & deprecatur cum dolore. Felicitas uera.

2 Potens in terra erit semen eius: generatio rectorum benedicetur.

Canit felicitatem filiorũ eius, qui fuerit deum timens, potentes prædicit fore in terra, uirtute, constantia & necessariarũ rerũ copia, firma quoq; & stabili prosperitate donãdos per deum. Vt nanq; sanctis suis liberos donat deus, ita donat ferè bonos & felices: si non omnes, ut nec sanctissimorũ patrũ Iacob & Dauidis posteri omnes boni & felices fuere, saltem aliquos. Generatio rectorum benedicetur, in temporalibus & spiritualibus rebus & fama proficient coram sanctis & saturi erunt, contenti abunde sua sorte & beneficijs dei sui. Verum tamen solet deus quoq; eis quos singulariter effert, nonnunquam insignia immittere aduersa ad probationem. Timentium deũ felicitas

3 Gloria & diuitiæ in domo eius: & iustitia eius manet in seculum seculi.

Qui electus à domino est & uere sanctus, læta semper conscientia perfruetur, non superflua cupiet, necessarijs & commodis rebus minime indigebit, diuitias & copiã interpretabitur sufficientiam suã, non auarus erit idolorum cultor, iustitia eius persistet semper, conuersationẽ eius nemo culpare digne potcrit, sui semper similis perseuerabit in bonis. Vulgus autẽ diuitũ facile auertitur à recto: quantũ enim opes crescunt, tantũ crescit & studium opum, deiq; mandatorũ, & consiliorum contem- Diuitiæ ueræ.

ptus, & mundanorum admiratio: quo fit ut uelut camelus per foramen acus, sic illi regnum intrent cœlorum.

4 Exortum est in tenebris lumen rectis: misericors, & miserator & iustus.

Oritur in tenebris lumen rectis, talis uir beatus instar luminis est reliquis bonis hominibus: tuti quoq; habitant sancti & pij amici dei inter homines, dum alij calamitatibus obruuntur. Afflictis quoque pro uiribus succurrit, bonum se & misericordem præstat ac iustum: animo mitis & clemens, facile remittit offensas, offenditur nulli pio, iuste conuersatur ad omnes.

Lumen rectorum.

5 Iucundus homo qui miseretur & commodat: disponet sermones suos in iudicio:

Qui fuerit uel esse uoluerit uir bonus, gratis dat & commodat de suis diuitijs uel abundantijs, miseretur enim pauperum & afflictorũ, de bonis corporalibus acceptis à domino, & spiritualibus, largitur quicquid potest indigẽtibus, gaudet prodesse multis, agnoscit uolumtatem domini, qui eum procuratorem instituit bonorum domini dei sui, domino suo fœneratur eleemosynas largiendo, prudens seruus & fidelis, usum bonorum probe expendit, & secundum dei beneplacitum dispensat, habet diuitias ut adiumenta uirtutum, non auaritiæ impedimenta. Verba quoque in iudicio disponet, non mentietur pro lucro, non negabit habere quod possidet, nihil loquetur nisi cum iudicio & rectum, honestum & utile, iuxta regulam ueritatis & honestatis & uerbi dei, nemini detrahet, non blasphemabit, curabit pro uiribus saltem ut non offendat in lingua.

Liberalitas

Veritas.

6 quia in æternum non commouebitur. In memoria æterna erit iustus:

Stabili fortuna donabitur qui in iustitia perseuerat, fixus in deo persistet, iustitia & ueritate tutus erit inter impiorum insidias & instantias, perseuerabit eius corã deo memoria, nunquam fidelium suorum dominus obliuiscitur, obedientia iusti iusta mercede in æternum præmiabitur. Et in hoc sæculo quoque bonorum memoria digni habentur, qui iuste & pie uixerint, etiam si persecutionibus impiorum diuina dispensatione diucxãtur, nempe in bonum eis.

Constantia

7 ab auditione mala non timebit. Paratum cor eius sperare in domino,

Securitatem perpetuam possidebit ex fiducia in deum, etiam dum nuntiantur imminere mala. Non formidabit si mala fuerint intentata, qui deum protectorem credit. Semper promptus & alacer sperat in deum, plenus spei perseuerat semper, utcunque aduersa accidãt, sed & in diffamijs non turbabitur, cui testimonium perhibet conscientia de innocentia uitæ, non enim ignorat, sed expertus est cum suo profectu malitias improborũ, quas cum dei auxilio frequenter euasit, & de dei circa se bonitate diffidere non potest.

Securitas cõscientiæ.

8 confirmatum est cor eius: non commouebitur donec despiciat inimicos suos.

Per dominũ confirmatur & sustentatur cor iusti, subleuatur gratia dei ne succumbat in tentationibus huius uitæ, sed tuto semper in bono permaneat, & triumphet contra mundi, carnis & dæmonum instantias. Videre inimicos Hebraico more, est despicere eos, euadere illorum maleuolentiam, contemnere dolos & persequutiones, quas casso labore intentant omnibus, impijs superiorem esse, gratam & gloriosam uidere de dei hostibus ultionem. Non enim fidelis homo hostes habet, nisi eos qui deo quoq; inuisi sunt & eius contemptores, ueritatis ac uirtutis persecutores, quos certe perisse gloriæ dei interest, & recreat ex animo dei cultores.

9 Disperfit dedit pauperibus: iustitia eius manet in sæculum sæculi: cornu eius exaltabitur in gloria.

Canit qualis sit uerus dei cultor in pauperes. Nam non illi animus est thesaurizandi diuitias perituras & repo nendi, sed superflua sibi, & nonnunquam apprime com moda dispergit egentibus, dispensat possessiones suas ad dei beneplacitum, & ad indigentium consolationẽ, multo opportunius quàm si totas suas uenderet diuitias, & otiosis uel auaris, aut rerum suarum dilapidatoribus semel expenderet: quod Christus nunquam uoluit, nec Paulus docuit, nec mundo uel etiam ecclesiæ uniuersali prodesset. In ecclesia primitiua ratio specialis erat, quam in reliquis nusquam legimus utiliter practicatam. Præstat mutuum iuuare electos, & largiri fructum operum, non ualidis mendicantibus offerre opportunitatem otiandi, & in uitia prolabendi. Qui sic pro charitatis & fidei lege dispensat more sanctorum diuitias egentibus, euangelio seruientibus, minime otiosis, eius iustitia manet in æternũ, quam criminari talem nemo poterit. Cornu eius exaltabitur in gloria, clarificabitur gratia dei in illo, & digna se laude exaltabitur à pijs & uirtutum amatoribus, ab his quoq; quibus suis uoluit beneficijs consulere, simulq; cum electis in dei regno beatificabitur.

Pietas in pauperes.

10 Peccator uidebit, & irascetur, dentibus suis fremet & tabescet: desyderium peccatorum peribit.

Sicut hoc studio bonitatis pius ipse Deo gratificatur, eumq; uere colit: sic deus optimus maximus utcũq; euehit ipsum, dignitateq; præcipua ornat, uti impij uelint nolint, pij hominis gloriam & beatitudinem contemplari & aspicere cogantur, & summe turbentur, planeq; tabescant, quorum necesse est uota perire, quandoquidem impia sunt. Dentibus suis stridebit uehementer dolens & inuidens, sed omnia frustra. Desiderium enim nocendi fidelibus in impijs peribit, conatus & studia persequendi frustrabuntur. Talis est piorum mors ut plurimum, nisi dñs eos ad superiora uocarit ac elegerit pertolerantiam in aduersis. Vtcunq; res cadat, nihil desydere potest uere bonorũ quisquis deũ ex animo coluerit.

Vota impiorum.

PSALMVS CXIII.

Hallelu ia.

ARGVMENTVM. Laus dei est ab omni potentia, sapientia & clementia.



1 Audate pueri dominum, laudate nomen domini.

A fide prouidentiæ diuinæ tota pendet religio, credere deum cũcta intueri & gubernare

bernare, extollereq; eos tantum qui se humiliauerint. Inuitat igitur nominatim seruos dñi, qui sese iã illi addixerunt per fidem & cultũ, ad prædicandũ illius laudes. Quasi dicat, Quicunque uos seruos dei humiliter agnoscitis, & dominum deum uestrum religiose colere desyderatis, laudate nomen domini, extollite fide uestra & confessione, glorificate opera eius sancta, nullum alium deum cum eo honorate, eius solius bonitatem & potentiam admiramini, colite & prædicate.

2 Sit nomen domini benedictum: ex hoc nunc & usq; in seculum.

Cedunt honori & gloriæ omnipotentis dei nostri omnia idolorum portenta, omnes exteræ religiones, quicquid contra unius dei cultum sese extulerit deijciatur. Exaltetur autem & benedicatur sola omnipotẽtis creatoris omnia gubernantis maiestas & beneficentia, cuius bonitatem sentiunt uniuersa, à constitutione mundi usq; in æternum, donec cõsistunt omnia. Quotidie enim prouidentiæ suæ opera multis declarat miraculis in omnibus gentibus, quin & in cœlestibus corporibus & angelis. Deitas dei.

3 A solis ortu usque ad occasum laudabile nomen domini.

Non tantum omni tempore, sed ubique in toto orbe terrarum omnipotens, iustus & clemens agnoscitur ab electis. Non iam tantum in Iudæa & ab Israele secundũ carnem, uniuersalis enim est dominus, omnium creator & amator, nihil odiens eorum quæ condidit, nec sua generali influentia quicquã destituit. Etiam ignoratus non ignorat, utiturq; omnibus ubique creaturis ad suam gloriam, & ad electorum salutem. Intelligit autem per longitudinem terræ, quæ est contrario modo cosmographis nostris computata, ab ortu solis usq; ad occasum, etiam latitudinem eam, quam & illi ab æquinoctiali uersus polorum plagas definiunt, magis naturã rei sequens quàm artem commodam ingenijs. Vult enim dicere, non esse angulum in tota terra, imò in mundo uniuerso, ubi non laudabile sit & laudandum nomen domini diuinaque maiestas. Longitudo terræ.

4 Excelsus super omnes gentes dominus: & super cœlos gloria eius.

Omnium gentium dominus est, quas omnes creauit et moderatur, dominus dominantiũ, & rex regum, moderator omnium quæ geruntur in terra & mari: cui nemo possit resistere uel nocere, gloriã surripere uel euadere iudicium. Nec solum laudatũ, clarum & celebre est nomen dei in inferioribus, sed etiã ad cœlos pertingit gloria eius, imò etiam superat & excellit cœlos, quos uelut pugillo continens omnibus rebus præest, communicatur tamen illius gratia & bonitas per Christum omnibus quoq; infimis: specialius tamen gloriam suam ostendit in cœlestibus, angelis quoq; & animabus cœlicolis, quas sua gloria dignas habuerit.

5 Quis sicut dominus deus noster qui in altis habitat,

Quanquam sedem gloriæ suæ constituerit super omnia & in cœlis, obtineatq; regnum secundum uoluntatem suam super omnia, ut nihil sit in cœlo & in terra quomodolibet conferendum, ut finitorum ad infinitum nulla inuenitur proportio, & puncti ad amplitudinem orbis. Nihil tamen tam humile est et depressum, ad quod nõ se demittat cognitione & prouidẽtia sua. In cœlis enim residẽs, cœlestib. quoq; mẽtibus est celsior infinito.

6 & humilia respicit in cœlo & in terra?

Huius solius uersus plena fides sufficere debeat credentibus ad honestam conuersationem, ut scirent oculos maiestatis diuinæ præsentes aspicere, nedum facta nostra omnia, sed & cogitationes & consilia, audire quoque uerba. Quem iustissimum quoq; & optimum credentes reuereri deberemus per omnia, studere summa cura uoluntati & beneplacito suo. Sese enim sic humiliat & præsentẽ exhibet omnibus rebus etiam infimis, ut omnia cõtempletur, ne quis credat uel sibi persuadere audeat, dominum deum circa cœli tantum cardines ambulare, & nostra minime curare. Prouidentia dei.

7 Suscitans à terra inopem, & de stercore erigens pauperem:

Quod uero humilia intueatur probat consequenter. Pauperes enim ex contemptissimis sordibus extollit, in luto iacentes humiles erigit per gratiam, de seipsis humiliter sentientes glorificat apud semetipsum, & ad magna prædestinasse ostendit. Ex stercoribus peccatorum & miseriarum ereptos & fœtidos emundat & glorificat per misericordiam: nec id solum facit, sed & reliqua quæ sequuntur.

8 Vt collocet eum cum principibus, cum principibus populi sui.

Eatenus extollit pauperes spiritu & rebus, ut etiam cum optimatibus populi sui collocet, hoc est, prima dignitate ac felicitate pollentibus æquet. Honorat enim qui se honorauerint, & spiritualiter quoq; intelligẽdo, potentes & magnificos peccati & mundi uictores constituit: &, ut egit cum Paulo, Petro & Dauide, de profundo peccatorum lapsu erexit in summam sanctorum gloriam & perfectionem. Et cum principibus populi sui collocat eos, quorum misereri dignatur. Satis hæc manifesta sunt legẽtibus scripturas de Ioseph, Saule, Dauide, Mardocheo & reliquis utriusq; sexus fidelibus, sed à domino electis.

9 Qui habitare facit sterilem in domo: matrem filiorum lætantem. Hallelu ia.

Steriles quoq; fœminas ut Saram, Rebeccam, Annam, Elizabeth, & similes innumeras, sic restituere potest et facit, ut amplissimas nanciscantur familias. Facit illis domos, donat liberis & nepotibus, ut facta mater uberius lætetur. Quin & ecclesiam ex gentibus, à principio nõ habentẽ filios fidei, & fructus salutis, matrem fecit exultantem in fidelium toto orbe inæstimabili multitudine, in scandalum ac zelũ infelicem synagogæ Iudaicæ, quæ ut altera Phenenna Annæ negotium facessere iam repudiata nunquam destitit, olim & nimium tarde meliore mente donanda à domino. Steriles fœcundatæ.

PSALMVS CXIIII.

Hallelu ia.

Sine titulo Hebræis, qui præcedentis Psalmi Hallelu ia faciunt ultimum uerbum.

ARGVMENTVM. Gratiarumactio est de exitu ex Aegypto, & eius mirabilibus.

1 IN exitu Israel de Aegypto, dom⁹ Iacob de populo barbaro:

Cum iuxta promissa dei patriarchis facta tempore destinato, iã camino calamitatum purgatum suum electum populum ex Aegypto educeret de domo grauissimæ seruitutis, de regno tenebrarum, domum Iacob familiam Israeliticam, de populo barbaro ignotæ linguæ, uel ab imitio incolatus sui, uel perpetuo: fieri enim potest, ut Israelitis seorsim in terra Gosen, quæ regio est pascua Aegypti habitantibus pariter semper uulgo illis ignorata fuerit lingua Aegyptiaca. Dicitur autem quælibet ferè lingua ignota uulgo Hebræis לעז. Sed & Barbaros Aegyptios nominat, quia nec deum nec legem dei agnoscebant, sed erant alieni à fide.

Barbari.

2 Facta est Iudæa sanctificatio eius, Israel potestas eius.

Tunc quum exiret Israel Aegyptum, Iudas, hoc est, tribus Iuda fuit in sanctificationem, hoc est, in populum sanctum à deo electũ. Intelligit autem per Iudam totum Israelem, ut & aliàs non raro per Ioseph & Ephraim. Prima enim tribus Iuda secundum Hebræorum traditiones ausa fuit ingredi post Mosen mare rubrũ, seseq; committere ex fide uerborum dei abyssis maris rubri. Qua sua fide dominum sanctificauit præ alijs, testato scilicet facto deum suprema maiestate colendum, simulq; apparuit ipsam quoq; à deo sanctificatam, sicut & Phinees suo zelo & opere ex fide. Cum enim iam ei dederat uerbis suis habere fidem, dederat etiam iam sanè per suam prouidentiam sortem primam in terra possidenda, et in filijs dei. Fide siquidem renascimur filij dei & hæredes. In eadem igitur tribu templum ac sanctuariũ extrui uoluit sibi, & tabernaculum sui cultus expandi, in eodem populo peculiarius sese ostendit regem, patrẽ & dñm.

Iudas & Ephraim.

3 Mare uidit & fugit: Iordanis cõuersus est retrorsum.

Loquitur de mari & Iordane ut de hominibus fictione personali. Mare rubrũ, inquit, uidit, utiq; exercitum dei, indeq; quasi pauefactũ fugit retro. Nam ilico ut uirga Aaron mare rubrũ cederetur, sectum est, & uiã præbuit Israeli fugienti hostes insequentes Aegyptios, in salutem fidelibus, in exitium improbis sanguinarijs, Pharaonis cũ toto exercitu. Similiter & Iordanis simul atq; sacerdotes gestantes arcam pedibus suis eum attigissent, diruptus est: parsq; stetit ut murus ad dexteram, id est, aquilonem, ingredientibus: pars in mare salis defluxit ad austrum, idq; tandiu donec stante arca domini totus populus pertransiret.

4 Montes exultauerunt ut arietes: (&) colles sicut agni ouium.

Non est curiose ratio ordinis inquirenda. Iam enim post relationem factam de Iordanis trãsitu, redit ad montem Sinai, qui uisus est uelut cõcuti & tremere, cum dominus legem daturus descenderet. Qui indubie non nisi in monte, sed omnibus uicinis uisus est, quare et montes dixit, quos assimulat subsilitioni arietum & ouium: currentes enim oues subsiliunt. Agitabantur enim omnia illa montana domino uolente. Quanquam & aliter intelligi possit saltatio illa montium, propter aquarum defluxus, ut scopuli fluminum et maris apparuerint sicci, qui fuerant aquis tecti. Et collium gratulatio intelligi potest exhilaratio totius terræ de dei beneficentia, in completione promissorum ad patres.

Ordinis ratio.

5 Quid est tibi mare quod fugisti, (et tu) Iordanis, quia conuersus es retrorsum,

Quod appellat mare Iordanem, & montes in sexto uersu rogat unde illis fuga hæc acciderit & exagitatio, cupit exercitare animos nostros, ut diligentius tanta miracula perpendamus, & Deo cui cedunt omnia, ipsi quoque cedamus. Ratio enim alia huiusmodi cessionis non fuit præter fidem patrum, & ueritatem promissionum dei.

6 Montes exultastis sicut arietes: & colles sicut agni ouium?

Vos, ô montes dei, exultastis ut arietes, plures solito & meliores fructus protulistis de domini uoluntate, oblectamento sanctis meis fuistis uos colles, sicut grex nouellus ingens pastoribus.

7 A facie domini mota est terra: à facie dei Iacob.

Iubet totam terram expauescere ad aduentum dei, qui eam dignatus est habitatione sua in temporio tabernaculi, in templo, li in sancto sanctorum, in Silo Hierosolymis, ubi cohabitare in mysterio dignatus est fidelibus filijs Iacob, quibus eam gratiam promisit, si ipsi legibus parerem suis, uolens eos populum suum esse, ut erat eorum deus: ea quoq; in terra quam promiserat Abrahæ & Iacobo, qui scalam uidit in eadem cui dominus incumbebat, & angelos uicissim demittebat.

Habitatio dei.

8 Qui conuertit petram in stagna aquarũ: & rupem in fontes aquarum.

Canit potentiam dei & beneficium præstitum fidelibus miraculo aquarũ emanantiũ ex petris ad mandatum dei, ubi ubertim populo in solitudine potu indigenti uenas fontium aperuit, ex silice producendo sitientibus aquam, quo fieret mirabilius miraculum, de quo in lege.

PSALMVS CXV.

Titulo caret hic Psalmus tam apud Hebræos, ubi distinctus est à priori, quàm apud priscos Latinos & Græcos, ubi cum priore continuatur.

ARGVMENTVM. Adoratio uera fidelium ad uerum dominum deum.

1 NOn nobis domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriã, super misericordia tua & ueritate tua:

Orant sancti in discrimen adducti ab idololatris gentilibus, uel alijs impijs maxime idolorũ cultoribus, ut deus suũ nomen, suum decus ab illorũ conatoribus, ut deus suũ nomen, suum decus ab illorũ contumelijs uindicet, ferendo suis auxilium, quo appareat ipsum uere deum esse, inania aut cm idola quæ colũt illi, atq;

atq; simulachra, insana superstitione delusi. Da, inquiũt pijs, nobis, ô deus, ut te datorẽ omnis boni agnoscamus, nihil boni nobis arrogemus, qui sumus nihil, nec q̃quã possumus à nobisipsis, sed nomini tuo da gloriã, cui nos gratitudinẽ obliganur de misericordia & beneficijs gratis nobis præstitis. Nihil enim de te meruimus, cum nãq; nos inimici essemus & te ignoraremus, ꝓ benignitate tamẽ tua gratis dedisti quæ ex bonitate tua patribus ꝓmisisti.

2 ne quãdo dicãt gẽtes, Vbi est deus eorũ?

Dolet uehementer sanctis gloriæ dei zelatoribus, cum audiunt sese iactare impias gentes, dicentes: Vbi nunc est deus illorum? Ridebant alioqui dei populum Ethnici, quod absq; simulachris deum adorarem: ut Iuuenalis, Nil præter nubes & cœli numen adorant. Et Tacitus de Salomonis templo loquens lib. 11. Nulla intus deum effigies, uacuam sedem, & inania arcana. Vbi ergo deus egies, uacuam sedem, & inania arcana. Vbi ergo deus etiam sua opera destituebat Israëlem, blasphemiæ illorum impiorum gentilium augebantur & confirmabatur superstitio. Id etsimilia ubi contingunt, supra modum urit sanctos. Contra hos ergo propheta non sine ardentiore affectu ueri dei confessionem subiunxit.

3 Deus autem noster in cœlo: omnia quæcunq; uoluit fecit.

Etiam si nulla manu facta colimus idola, deo tamen adeò non destituimur, ut soli uerum deum colamus, præsentemq; habeamus. Deus noster in cœlis est, & eius potentiæ dominum cõfitemur & sentimus, ut quicquid omnino uelit faciat, nullis rebus nõ præsentißimus sit: cũ simulachra uestra quæ colitis, ô gentes, uitæ expertia sint, lignum & lapis, frustra ad humanam figuram conficta. Cœlis præsidet noster deus omnipotens, nusquam absens, ibidem autem potẽtiam suam luculentius uisendam exhibet: Omnia quæcunq; uoluit fecit, Dixit enim et facta sunt, omnia facit quæ libet, quod nulli sanè nisi deo competere potest. Talis, inquiunt, est deus noster.

4 Simulachra gentium argentum & aurũ: opera manuum hominum.

Inanitatem idolorum deridet potius quàm describit. Quicquid enim in illis momenti alicuius est, materia est, & ingenium artificum, præterea nihil. Sunt enim argentum, aurũ, lignum aut lapides, insensibilia, impotentia, nihil nisi falsa ac stulta æstimatio humana, opera hominum, longe ignobiliora illis à quibus adorantur, nimirum factura factoribus. Nihil est enim præter inanem figuram, quod queat homo suo dare figmento, quid ergo stultius quàm huiusmodi haberi pro deo?

5 Os habent, & non loquentur: oculos habent, & non uidebunt.

Imaginem tantum oris habent, quod more hominum os quoq; nuncupatur & est, sed non nisi significatum figura. Imagines sunt, nihil possunt. Oculos habere uidentur à stultis, cum sint picturæ fallaces, nonnunquam impostura auarorum sacificulorum cum pictorum auxilio et ingenio lachrymas ueluti emittentes, & respicere uidentur nunc illuc nunc aliò, ad ludificationẽ simpliciũ, & admirantium imagines contra deum & legem. Quæ ita multo crebrius contigerunt, usq; ad tempora nostra à Christianis, quàm olim à gentilibus, in magnum scandalum omnium non ignorantium sacram scripturam: quæ propterea dominus ut pius pater tam sedulo prohibuit, sciens ingenium hominis depraua tum, & ad uanitatem nimium propensum.

6 Aures habent, & non audient: nares habent, & non odorabunt.

Aures habent à statuarijs acceptas uel pictoribus, ut audire uideantur preces orantiũ. Sed quantũlibet illorũ cultores altißimis uocibus acclament deos suos patronos et ueioues, minime tamẽ audire truncus potest. Nares habere uidentur, sed nihil minus quàm odorare possunt. Omnia hæc ludibrio eis potius sunt quàm honori, ut falsitas satis clare seipsam confundat, nisi multo obtusiores & stolidiores essent & planè trunci, qui admirantur et colunt magis quàm ipse truncus quo corã procumbunt.

7 Manus habent, & non palpabunt: pedes habent & non ambulabunt: non clamabunt in gutture suo.

Porrigere uidentur manus, sed ad opus nullum mouere possunt, nisi ridiculo ab impostoribus atq; præstigiatoribus adaptentur, id quod non raro contigit, subinde mutuatis capitibus, & reliquis membris, trunco, pro tempore loco & hominum cõcursu, quos decipere uolunt, ut et merentur, sacrificuli idolorũ, suũ tantum quæstũ sequẽtes et irrisionẽ stultorũ. Nõ quidẽ ambulare possunt pedibus, sed portantur hominũ manibus et humeris, more insanorũ, et ꝓstituuntur ad cultũ & admirationem in ꝓcessionibus. Et quid non earũ rerũ uidimus nostro sæculo, nõ tantũ ex gentilitatis reliquijs, sed & ex nouis imposturis eorũ, qui totã pietatẽ uerterũt in quæstũ? quem & hodie quoq; pro omni uirili ꝓpugnare non uerentur qui uolũt esse doctores ecclesiæ. Non loquuntur gutture suo, sed aliorũ nonnunquã tam dæmonũ quàm præstigiatorum, ubi et miracula finguntur, et iusto dei iudicio decipiũtur, qui uerbo dñi credere recusant uel comẽnunt. Reliquiæ gẽtilitatis.

8 Similes illis fiant qui faciunt ea: & omnes qui confidunt in eis.

Postquam idola omnia gentiũ & gentiliter sentientiũ Christianorũ, digne irrisit, affirmat illis similes esse, nempe meros truncos, omniq; homine digno sensu destitutos, qui idola faciũt, quorũ quoq; manus maledicuntur apud prophetas à spiritu sancto, maxime eos qui in ea confidunt. Cõfidere autẽ in illa se testantur, qui impensis multis laboribus et ærũnis sese grauant propter ea, idq; multipliciter, procumbunt, adorant, amant, pro illis defensandis digladiantur, auro & serico obuoluunt, & preculis conceptis in eorũ locorũ laudes, ea quoq; inuocant & inuocare docent. Et his multo plura fiunt obsequia diuis, quia in eos cõfiditur cõtra uerbũ domini agnitum. Fidere in dijs uos.

9 (Domus) Israël sperauit in domino: adiutor eorum & protector eorum est.

Mox ad fidendum & colendum solum deum inuitat, primum autem totum Israëliticum populum, ut omnem fiduciam in dominũ deum suum solum collocent. Hi sunt omnes credentes scripturæ sacræ, professores ueritatis Christianæ, qui legem domini edocendi, cucurrerunt ad Domus Israel spiritualis.

Sion montem, et perceperunt uerbum domini, quod per apostolos à Ierusalem propagatum est in orbem totum, omnes, inquam, filij fidei Abrahæ, & semen Israël in spiritu, & filij adoptionis per Christum, qui non uenit soluere legem sed implere, maxime cum hodie quoq; orbis sentiat quantum malorum importauerit fiditia hominũ in diuos, & in propria opera, quæ deus nõ præcepit, & maioris inuidiæ causa nulla extat Iudæorum & Turcarum contra Christianos, quàm quod legẽ dei quã profitentur Christiani tot idolorũ portentis, & creaturarum sacrosanctis ut putant adorationibus trãsgredi palàm uidẽt. Adiutor est dñs deus et protector eorũ qui sperãt in domino toto corde, ex illo pendent, et sunt ei supplices.

Christianorum odium ab infidelibus.

10 Domus Aaron sperauit in domino: adiutor eorum & protector eorum est.

Domus Aaron ad hoc dedicata lege erat, & sacerdotij dignitate sola ornati posteri Aaronis, præter tã Caathitas alios quàm Leuitas cæteros. Intelligitur tamen hic domus Aarõ tota Leuitica tribus diuino cultui dedicata, ad sacrificandum suffitum, offerendum, docendum, canendum, & exhortandum, ac secundum legem decernendum in causis iudicialibus, quibus exercitijs dominus colitur & adoratur dignius.

11 Qui timent dominũ sperauerunt in domino: adiutor eorũ & protector eorũ est,

Demum omnes deũ timentes siue Iudæi sint siue gentes, prophani siue diuino cultui cõsecrati, omnes qui deũ credunt sperare iubentur in deum & in nullum alium. Sperauerunt, ait, pro sua fide & scientia in deum uerũ, id est debent sperare, quandoquidem præsidiũ illius sint in necessitatibus experturi, à malis omnibus eximendi, omnium bonorum generibus cumulandi.

12 Dominus memor fuit nostri: & benedixit nobis. Benedixit domui Israël: benedixit domui Aaron.

Fides qua deo nitimur, nos deo ita addicit, ut per eam eius beneficijs semper fruamur. Id nunc propheta canit distribuens benedictionem nominatim in eos, quos ad fidendum domino in uersibus præcedentibus hortatus est. Dominus, inquit, non memor meritorum nostrorum nec peccatorum, sed misericordiæ & ueritatis suæ, multiplicibus nos suis augebit donis, quorum non infimum est, si gratiam det nobis digne benedicendi nomen domini, & uicißim quoq; benedicat nobis, gratiã in præsenti et beatitudinem in futuro consequendi. Ipsius est uere benedicere domui Israël & Aaron, id est, benefacere, sicut nos deum benedicere dicimur, dum illius recipimus & agnoscimus beneficia, et ad institutũ ab eo finem eis utimur, & in illis eidem seruimus.

Benedictio domini.

13 Benedixit omnibus qui timent dominũ, pusillis cum maioribus.

Benedictionem dei, ait, promiscue omnibus deum colentibus expositam, paruis æque ac magnis. Sine delectu enim benefacit generaliter deus omnibus, sola aũt gratia ꝓsequitur quos ipse nouit suos, prædestinatos ante mũdi cõstitutionẽ. Potest legi optatiue uel præterito imperfecto uel futuro iuxta idioma Hebraicum. Nobis sub orationis formula dicendum assidue totum hoc canticũ, sed corde & animo.

14 Adiiciat dominus super uos: super uos & super filios uestros.

Augeri continuo dei gratiam precatur, & adducendam suo tandem tempore eam benedictionem promissam in semine Abrahæ & Dauidis. Super uos, inquit, Israëlitas, & super fideles omnes & posteros carnis quidem, sed multo magis fide & spiritu, dominus benedictionem demittat, quam expectat orbis terrarum & omnes gentes, dominum deum uerum & solum adoraturæ.

15 Benedicti uos dño: qui fecit cœlũ et terrã.

Exclamatio est ex admiratione tantæ bonitatis nata. Incomparabiliter dominus solet esse beneficus in eos, qui credere deo possunt, quales sunt non tantũ secundũ carnem Israëlitæ, sed uerus potius Israël, ueri sacerdotes, ueriq; cultores dei, q sunt, quotquot Christo uere creduñt. Dicit itaq;: Qui creauit omnia, cœlum & terram, omniaq; gubernat, is suo uos fauore dignatur & prosequitur beneficijs.

16 Cœlum cœli domino: terram autem dedit filijs hominum.

Redit tandẽ ad id quod cœpit, orans populo restitutionem, ut liberatus à tyrannis gentiũ, laudes ipsi deo uero canere ualeat. Ad id dicit, Cœlos sibi dominus uẽdicauit, in quibus perpes & beata uita uiuitur: hominibus autẽ dedit hanc terram, in qua uiuerent, & ipsum glorificarent, dominarẽtur in ea super animalia, omnibusq; creaturis uterentur in gloriam dei, ipsi uero domino deo uniuersorum obsequerentur, & seruirent iuxta ipsius formulam quam præscripsit, in spiritu autem & ueritate.

17 Non mortui laudabunt te domine: neq; omnes qui descendunt in infernum.

Nos, inquiunt fideles, si iam occidendi ab impijs hinc rapimur, quis celebrabit in hoc mundo nomen dominẽ? quis benedicet maiestati tuæ? quis tibi seruiet? Impij hostes nostri illud sacrosanctum nomen tuum modis omnibus blasphemant, & mortui te non laudant domine: seruia igitur nos, ut uel aliqui sint qui laudes tuas in hac terra deprædicent, ad quod nos paratos offerimus, cupientes non tantum post mortem laudare te in cœlis, sed hic potius incipere, & æternum laudare.

18 Sed nos qui uiuimus, benedicimus Dño ex hoc nunc & usq; in sæculum. Hallelu ia.

Nos ipsi qui nunc hic uiuimus, da ut te dominum digne collaudare, benedicereq; pißimus. A modo usq; in sæculum, donec nos deus in hoc mundo uiuere iusserit: in æterna autem beatitudine completius dicemus et alacrius Hallulu ia.

PSALMVS CXVI.

(Hellelu ia.)

Priscis uisa est hæc dictio titulus esse Psalmi sequentis, et uerisimiliter: quanq̃ hodie Iudæi adnectant Hallelu ia præcedenti Psalmo, ut sit eius finis, & huic Psalmo admunt titulum.

ARGVMENT. Gratiarum actio est liberati ab angustijs.

Dilexi

1 DIlexi, quoniam exaudiet dominus uocem orationis meæ.

Præteriti forma utitur pro more, cum fixam uult signare actionẽ. Dilexi, inquit, id est dilectionẽ & fiduciã cõcepi de affuturo mihi auxiliatore dño, de cuius fauore et ꝓmissis dubitare nõ possum, utcunq; contraria et aduersa cuncta incidant. Exaudiet enim certissime orationẽ, quã me ex fide et pietate effundere dedit, quod sit clementior quàm ut fideliter inuocatus succurrere nolit, uel differat exaudire. Non tam uocẽ gutturis, quàm fidẽ & feruorẽ mentis donat & suscipit dominus fideliũ suorũ, dum anxij orãt. Ad hoc enim aduersa immittit, ut ad fiduciã & orationem incitet, & beneficentia illius cum gloria illustretur & conspicua fiat electis: ut patet in simili de cæco in Euangelio.

2 Quia inclinauit aurem suam mihi: & in diebus meis inuocabo.

Cum tam facilẽ precibus suis dominũ expertus sit frequenter, canit se illũ omnibus diebus suis inuocaturum, hoc est, legitime deuoteq; ueneraturũ & culturum, ut à quo omnia sibi polliceatur & petat. Inuocare enim dominum & nomen domini, est & implorare opem domini, & simul prædicare & colere eum. Inclinare aurem dñi, est clementer acquiescere desyderijs piorũ. In diebus meis, ait, hoc est, donec uixero non cessabo dñm colere.

3 Circundederunt me dolores mortis: & pericula inferni inuenerunt me. Tribulationem & dolorem inueni:

Pericula & timores mortis commemorat qui inuenerant eum, hoc est, penitus occupauerant, & præsentes erant hostes crudelissimi, uel etiã amara conscientia peccatorum, & timor iræ diuinæ, unde & angustias inferni queritur, desperationes extremas. Ttribulationes foris, dolores intra, patior pro peccatis & ab aduersarijs. Verum non adeo hæc illum afficiebant ut ei spes in deũ exciderit, ideo sequitur.

4 & nomen domini inuocaui. O domine libera animam meam:

Et nomen domini uel in nomen uel uirtutem domini inuocabo, consolabor de bonitate tua, & propter nomen tuum deprecabor peccata, dicens: O domine deus meus, ad quem solum respicio & confido, tu solus ut potes sicuelis eruere meipsum: id est animam meam liberam redde, ad tibi sine animi perturbatione seruiendũ, & in conscientia innocentiæ uel fauoris tui.

5 misericors dominus, & iustus, & deus noster miseretur.

Laudes diuinæ bonitatis interserit, quòd gratiosus sit & fauorabilis, eis scilicet qui illius desyderant gratiam, qui ambiunt amicitiã eius, & sibi probari cupiũt. Iustus quoq; uindex in eos, qui bonitatẽ & uoluntatẽ suã non attendunt uel nõ credũt. Fidelibus aũt & populo suo miserator est, & uehementer affectus charitate, ut mater ad filiũ, fouet beneficijs naturæ & gratiæ ueluti fœtũ in utero matris per naturam, qui & necessitatibus suorum condolere possit, & defendere ab oppressoribus, exaudire quoq; humiliter & cum fiducia deprecantes.

6 Custodiens paruulos dominus: humiliatus sum, & liberauit me.

Paruuli hic dicuntur simplices, qui omnẽ sui curã prouidentiæ diuinæ cõmittunt, posita cũcta carnis uafricie. Paruuli dei *Quibus & dñs reuelare dignatur arcana sua, quorum quoq; specialem curam gerit, ut grauissime sit ulturus, si quis illos offenderit. Obseruandum aũt, tunc nos custodiri diuinitus à deo qui solus potest, cum nos nostri curam et custodiam in ipsum iactauerimus, illiq; causas nostras resignauerimus, ut paruuli ac minime præsumptuosi. Miser & humiliatus sum ego (ait) multis malis afflictus & attenuatus, sed me sine dubio saluabit, ut non frustra nec sperauerim in eum nec clamauerim.*

7 Cõuertere anima mea in requiem tuam: quia dominus benefecit tibi.

Exprimit constitutionem animi sui cum iam erat exemptus periculis, et à domino exauditus. Sic enim secũ commentabatur: Iam, ô anima, affligebaris magnis angustijs mortis & conscientiæ, nunc redi ad tuam tranquillitatem, excute perturbationem, uidens te tam opere adiutã ac consolatam à domino propitio tibi & propugnatore tuo. Iterum, ut aliàs sæpe, retributionem usurpat pro beneficentia liberali, sine omnibus præuijs meritis.

8 Quia eripuisti animã meã de morte, oculos meos à lachrymis: pedes meos à lapsu.

Non uulgari affectu cõfitetur, quod ab ipso acceperat beneficium. Nam adseruisti, inquit, animã meam à morte, nec solum hoc, imò & oculos à lachrymis, pedesq; à lapsu, ne leue quidem passus mihi obuenire incommodũ. Fuissem sanè sine omni consolatione & perpetuò desperatus, nisi succurrisses, posthac animæquior persistam, certus de gratia tua, etiam si per fragilitatem imprudens labascam, curabis interim ne in mortem corruam, ne impellar ad casum peccati ad mortem.

9 Placebo domino in regione uiuorum.

Iam de omni promissione dei confirmatus pollicetur mox plena fide se coram domino cõuersaturum, in terra uiuentium, id est inter uiuos, fruiturũ se fauore diuino in omnibus, et tutela sibi semper præsentis, suaq; omnia dirigentis. Vicissim studebo cõplacere domino deo meo uita et moribus, proq; uirili mãdatis illius obsequi, glorificare ipsum & benefacere proximo: fide scilicet & charitate eidem probari cotendam, quod est ambulare coram domino, id quod eruditissimus priscus interpres nõ ignorauit, transferens, Placebo domino, pro eo quod Hebræus habet, Ambulabo corã domino. (Hallelu ia.)

10 Credidi, propter quod locutus sum: ego autem humiliatus sum nimis.

Quod hic priscus interpres & consuetudo ecclesiastica alium Psalmũ inchoarint, non arbitror sine causa factum, suspicor Hebraicorũ librorum mendas, non ausim affirmare. Titulus sanè nullus est Hebræis, nec legitur Hallelu ia. Sed distinctiones Hebræorũ sequendo, sic habet sensus: Confirmatus sum fide promissorũ dei, de futura salute, et regni quoq; prosperitate me manẽte, certus perfecturum deum esse circa me ut est pollicitus. Ideo de hac domini erga me benignitate loquar & prædicabo

Distinctiones Hebrgorum.

cum summa alacritate: permagna enim illa erga me fuit, qua supremo me malo eripuit.

11 Ego dixi in excessu meo, Omnis homo mendax.

In horrendis tentationibus meis, cum præ nimia anxietate corriperer in excessum mentis et animi præcipitantiam, cum promissa mihi tanta bona non solũ non caperem, sed insuper intolerabilibus angustijs afflictarer. Dixi in animo perturbato, Omnis homo mendax, nemo non fallitur: nónne & Samuel falli potuit, qui tanta mihi bona promisit? Et certe uera est sententia de hominum falsitate. Destitutus est enim homo suapte natura uiribus agendi sancta, dum uult etiam: nõ enim hoc semper agit quod uult, sed agit quod caro suadet, etiam non raro contra spiritum uanus & impotens ex naturæ corruptione, sine gratia dei ad opera sacra iuuante ab adolescentia deprauata.

12 Quid retribuam domino pro omnibus quæ retribuit mihi?

Canit agnoscere se dei in se maiora beneficia, quàm ut queat dignas pro illis gratias agere, pro eo aũt quod Hebræus habet, Omnia eius beneficia super me, locutione Hebraica hoc retulit priscus: Pro omnibus quæ retribuit mihi, eodem sensu, sed clarius, quasi dicẽdo, Obruisti me tuis beneficijs, ut uicem rependere dignam non possim, cum nihil boni in mea carne inueniam, plura autem debeam, ne quis de supererogatorijs suis uel uotis uel operibus sibi blanduri possit.

13 Calicem salutaris accipiã: & nomen domini inuocabo:

Missa sacra. Calicem salutarẽ intelligit epulas gratulatorias cum sacrificijs pacificorũ & gratulatorijs: hoc est, quas in celebri memoria perceptæ salutis & gratiæ dño sacrificaturus, et pro more participaturus de mensa sacra, sacrificabo ad laudẽ dñi: & nomen Dñi utiq; cũ digna deuotione inuocabo, bonitatem illius circa me celebrabo, qui boni cõsulit uanitatẽ meã. Sacra enim ut apud gẽtiles quoq;, sic apud Israëlem, & iuxta dei legẽ & promissionẽ, ne idolis incumberent colendis gentiũ more, conuiuia habebantur in excelsis, & in atrijs templi, cum solennes deo pro insignioribus eius beneficijs gratias agerent. De quibus ritibus in epistola prima ad Corinthios.

14 Vota mea domino reddam coram omni populo eius:

Vota sanctorum. Tanta dei circa me beneficia testabor uotis & sacrificijs pro gratitudine. Idq; non uerebor agere coram toto populo dei, ut ad similia exemplo modo permoueantur, ut inde glorificetur deus, & confortetur populus confessione mea, etiam si mala nonnunquam impendant grauissima, dum uiderint me de tantis angoribus emersisse, & saluatum per dominum, cuius promissa euacuari non possint. Inuocare nomen domini, est celebrare & prædicare eius beneficia & gloriam cum fide.

15 pretiosa in conspectu domini, mors sanctorum eius.

Rationem horum uotorũ repetit, quia pretiosa sit in oculis Dñi mors suorum electorum, qui bonitati & innocentiæ student. Intelligit aũt ita magni haberi & esse domino mortem suorũ, ut non temere patiatur eam illis inferri. Dauidis siquidem mortem tanti æstimauerat deus, ut pro ea auertẽda hostes toti Israëli immiserit, quo Saul à Dauide capiendo abstraheretur. Et si quando gloria dei exegerit iustos mori in dei causa, non tantum in præsenti sæculo glorificat illorum famam, sed multo magis æterna felicitate cum electis compensat in cœlis.

16 O Domine quia ego seruus tuus, ego seruus tuus, & filius ancillę tuę. Dirupisti uincula mea:

Trina geminatione se dñi dei seruum appellat, filium ancillæ, & seruũ suum ex utero, hancq; uult uideri causam, quòd ab ipso seruatus sit. Totus, inquit, sum tibi obligatus, ut & tu quoq; mihi sis clemens & propitius. Non audeo te compellare patrẽ, sed en me filiũ ancillæ, quem spernere tamen non uales. Dirupisti uincula mea, soluisti peccata, & exemisti à uindicta peccatorum & à laqueis quærentium uitam meam.

17 tibi sacrificabo hostiam laudis: & nomẽ domini inuocabo.

Repetit de sacrificijs laudis, quæ à celebrantibus dei laudes & gratias ipsi agentibus offerebantur, de quibus dicit: Agnoscam tuam gratiam, & celebrabo omnia beneficia mihi præstita. Aliud enim quod uicissim reddam non habeo, omnia enim nõ tamũ mea, sed mundus quoq; totus tua sunt, totusq; tibi obligatus accumbo: inq; tuo tantum nomine inuocabo, gratitudinem de præstitis, & fiduciam de exhibendis præstabo.

18 Vota mea domino reddam in conspectu omnis populi eius:

Sacrificium pietatis. Offerebantur quoq; uota corã populo domini: sic ego quoq; deuotionẽ meam profitebor, sacrificiũ laudis & gratiarũactionis, quod solum, ut ceremoniale non est, sic semper manet, & per omnia sæcula durabit, apud ueri dei ueros cultores, quando & illud solum approbatur à domino cum illis sacrificijs, de quibus apud Paulũ ad Hebræos in fine. Nec uult tamũ laudare deum in cubiculo, sed pro publicis beneficijs corã tota ecclesia fidelium, domino profiteri uult suam bonitatẽ, & eam appretiari à reliquo quoq; populo dei, ut discant ipsi quoq; dominũ amare, reuereri & colere.

19 in atrijs domus domini, in medio tui Ierusalem. Hallelu ia.

Multa erant atria circum templum, ad quatuor plagas eius, & insuper sacerdotũ & Leuitarũ, Israëlis, id est uirorum et mundorũ. sic quoq; mulierũ & paruulorũ, denique & reliquorũ immundorũ & Ethnicorũ: ideo dicitur Atria pluraliter. Quo cõprehendit uniuersum cœtũ fidelium, corã quo cupiat confiteri magnalia domini. In medio tui Ierusalẽ, in ecclesia dei uiuentis & electorum in cœlis, cuius typus erat terrena Hierosolyma, postquã illò esset translatũ sanctuarium ad locũ electũ à domino ad suum tempus. Hic quoq; additur prædictis Hallelu ia in Hebræo, id est laudate deum. Quod Græci fortassis nõ abs re pro titulo sequentis statuerunt.

(Hallelu ia.)

Apud Græcos ut dictum est, in Hebræo nullus.

ARGVMENT. Hymnus de gloria dei & uocatione gentium.

1 Laudate dominum omnes gentes: laudate eum omnes populi.

Primùm quod ego uidi Psalterium uetustißimum olim, non hic distinctionẽ habebat, quasi Psalmi tam breuis initiũ, sed continuabatur ad superiorẽ, ne Iudæi exẽplaribus suis arrogare poßint inuiolabilẽ etiã in minimis infallibilitatẽ, quasi scriptores sui hoïes non fuerint, et falli potuerint: cũ reuera, prius Psalmus sit, quãlibet breuis sed augustißimus. Coniũgit aũt gentes populo dei, & ad cõmunes laudes eius inuitat quantum ualet spiritus sanctus, promittens ad unuersas gentes salutẽ à Iudæis peruenturã, id quod impleri cœptum est in captiuitate Babylonica, & sub regibus Chaldæorum, Persarum, Medorum, Græcorum quoq;, sed à Christo domino per apostolos Iudæos ex professo, & magna uirtute dei profecit Euangeliũ ad omnes gentes. Vnde & Paulus ad probandum gentes quoq; per Christum fuisse deo adducendas, adduxit huius Psalmi testimoniũ. Cum enim omnes creauerit gentes ex æquo omnipotẽs, ab omnibus quoq; in Christi regno cognoscetur, non iam tamẽ à Iudæis, quandoquidem misericordiam suam nulli negare potest orãti, omnibus bonus. Laudate, inquit, omne populi, magnificate in cordibus uestris beneficia gratis uobis præstita, dum inimici essetis & idololatræ, tam Iudæi quàm gentes: misertus est et per filiũ innotuit omnibus, sed ab electis susceptus est & digne colitur.

Exhortatio Iudaica.

Gentes ge dæorum.

2 Quoniam confirmata est super nos misericordia eius: & ueritas domini (manet) in æternum. Hallelu ia.

Rationẽ consequenter reddit cur gẽtes deum laudare debeant, quia confirmata est, prævaluit & aucta est super nos primùm, aiunt, Iudæos, inde & ad uos gentes bonitas dei. Percepto siquidem spiritu Christi tam potente & diuite, iure populus dei canere potuit auctiorem iam in se dei bonitatẽ effusam, ac fidem eius sic declaratã, ut certò uideret, nunquã dei beneficentiã sibi auferendam. Hallelu ia Hebræis iungitur secundo & ultimo uersui, ne sequenti titulus relinquatur.

PSALMVS CXVIII.

Hallelu ia.

Vt priscis usum est satis rationabiliter, quicquid interim Iudaicis antiquarijs in mentẽ uenerit. Sed ut huiusmodi incerta sunt, sic parum momenti habent, etiam reliqui tituli quidam ad declarandum sententias Psalmorum quibus præferuntur.

ARGVMENT. Gratiarumactio pro liberatione ab aduersis, & iubilus insignis pro beneficijs dei insignibus & maximis.

1 Confitemini dño quoniã bonus: qm̃ in sæculũ misericordia eius.

Potißima quidem ratio laudandi dominum esse debet uere fidelibus & sanctis, quia bonus est, & summũ bonum, à quo quicquid bonũ proficiscitur, per essentiam bonus, et suapte natura optimus, ut illo solo frui, id est, propter se amare deum obligentur omnes naturæ intellectuales, & amoris reuerentiæq; capaces, non propter aliud, quod quomodocũq; magis diligatur amandus. Verũ non obmittendũ quoq; pijs, ut dominũ ipsum laudent & celebrẽt pro beneficijs quibus homines prosequitur semper, & ob immensæ benignitatis suæ monimenta & dona: sic tamẽ, ut etiam sine huiusmodi peculiaribus uel generalibus beneficijs suis ipsum amare, laudare et celebrare fideles nõ obmittant, ne ingratitudinis crimini pateant. Quandoquidem non tantum in se bonus est, sed etiã bonitatẽ suam nobis participat & commendat beneficijs. Laudes dei

2 Dicat nunc Israël (quoniam bonus) quoniam in sæculum misericordia eius.

Synagoga ipsa ab antiquo commemoret beneficia dei multa, magna, stupenda et singularia, imò totus electorũ populus dei bonitatẽ canat, quod maneat in omne æuũ. Israëlis enim nomine non tantum priscus populus, sed & ecclesia apostolica de monte Sion progressa, per adoptionem et insertionem filij Israël per fidem patriarcharum dicuntur, & sunt, longe uerius & sacratius quàm Israël iuxta carnem tantum.

3 Dicat nunc domus Aaron: quoniam in sæculum misericordia eius.

Domus Aaron dicũtur Leuitæ omnes, diuino olim specialiter cultui cõsecrati. Quorum officiũ erat et gloria, quando & hæreditas paterna, unde et uiuerent, totos se diuino cultui dicare, orando, legendo, sacrificando, docendo, decernendo, solicitando ad sancta populum dei. Nunc uero sacerdotalis populus sunt omnes fideles, & domino deuoti per Christum, qui nos unxit sanguine suo sacerdotes & reges mundi huius, in spiritu & uirtute.

4 Dicant nunc qui timent dominum: quoniam in sæculum misericordia eius.

Timentes dominũ dicuntur oẽs credentes uerbo eius, maiestatẽ uenerantes & colentes fide, spe & charitate, in quacũq; gente olim & interim, ut fuerunt semper in omni gente & populo dominũ deũ uerum et unicũ agnoscentes, & ad beatitudinẽ electi, testimoniũ spiritus assequuti, legẽ dei in semetipsis experti, amantes dominum, deum credentes, & proximis benefacientes. Ea sola lege domino cõmendati, quod propter deũ proximis facerẽt, quæ sibi ab alijs fieri postulassent. Ab omni inhonestate & crimine abhorrentes, & cum suis cupiditatibus cum gratia dei studiose certantes, quales multi semper reperti sunt etiam inter gentes. Timentes dominum.

5 De tribulatione inuocaui dominum (&) exaudiuit me in latitudine dominus.

Tribulationẽ dicit angustiã animi & angorẽ, dum sic arctatur conscientia et cor, ut quo effugiat mala impendentia nesciat, tunc aũt pij orãt ad dominũ solũ, et confugiunt ad bonitatẽ dei, certi se minime cõfundendos, si tamen pseuerarint orando. Respõdet enim Dñs, si non iico, iñ in tẽpore oportuno, et in latitudinem deducit post angustias perpessas, libertatẽ spiritus restituit, animũ eleuat ac solatur, amplißimáq; luce perfundit & recreat.

6 Dominus mihi (adiutor) non timebo quid faciat mihi homo.

Fidei persuasio. Certißime fideles persuasum habent adesse sibi semper dominum rerum suarum moderatorem, cõsistere ex parte ipsorum, fauere & misereri. Ideo omnes aduersarias potestates non timent, scientes fortiorem illis deum amicum & propugnatorem assistere. Non, inquit, trepidare me sinit dominus: nihil enim potest homo quicũq;, nisi quod deus permiserit, quẽ uel leuißimo nutu uoluntatis auertere potest, & impedire quicquid est mali.

7 Dominus mihi adiutor: & ego despiciam inimicos meos.

Paratus mihi semper est dominus, & pro me solicitus, ut gallina pro pullis, sua uirtute superat aduersarios meos, qui mihi alioqui fragili longe fortiores essent. Ego autem uidebo in osores meos, hoc est, despiciam & contemnam omnia illorum contra me studia, ut quamlibet male uelint & perditum, nihil tamen sint nolente domino ausuri uel perfecturi. Non dubito me olim uisurum dignam ac optatam sumi de hostibus meis ultionem.

8 Bonum est confidere domino: quàm confidere in homine.

Iucundum & utile est reuerạq; bonum & longe melius, spem suam reposuisse in deum, quàm ponere carnẽ brachium suum, pendere ex hominibus fragilibus & caducis, mutabilibus & mendosis, quorum in manu dei est uoluntas & actio, uis & profectus.

9 Bonum est sperare in domino: quàm sperare in principibus.

Spes piorũ. Longe quoque consultius agit & tutius, qui sperat in dominum, exosculatur ut summũ bonum domini uoluntatẽ, deniq; sese submittit sponte creatori suo et omnipotenti patri, & domino omnium dominorũ: quàm in principibus quamlibet potentibus fauentibus et propinquis. Incerta est enim omnis humana tam gratia quàm uirtus, status & gloria. Et quis talium exempla uel ignorat uel sufficit explicare?

10 Omnes gentes circumierunt me (&) in nomine domini quia ultus sum in eos.

Furor impiorum. Tanta furor in deum fidutia, ut certò sciam, totum mundum, omnes homines, si me circundando inuoluere uelint & capere cupiãt, undiq; machinari mala, tamen in nomine domini quem non uerentur uel non credunt, ego illius fauore & auxilio perimam omnes illos, excindam quaqua uersum me adorsi fuerint, quãdo dominum habeo scutum undiq; protegentem, & solo uerbo prostrantem. Facile est ostendere, quomodo hæc Dauid de se loqui potuerit, æque clarum de Christo est, quin imò generaliter hæc omnia capi possunt, in quibus specialia continentur.

11 Circundantes circundederũt me (&) in nomine domini quia ultus sum in eos.

Dicit se obsessum & cinctum ab omnibus gentibus, & obsidionis uerbum quarto repetit, ut multa instantia hostes allaborasse ostendat ad se capiendum, sed inaniter, quia in nomine domini, quod est eius potẽtia, uirtus, bonitas, fides, charitas, & omne bonum, non in uirtute propria quacunque peremerit eos, uel perimere sine dubio semper posit, omnes quotquot infestauerint fidelem se & sui similes, uindicabo, inquit, me de omnibus circũ impugnantibus.

12 Circundederunt me ficut apes (&) exarserunt ficut ignis in spinis (&) in nomine domini quia ultus sum in eos.

Apes impij. Assimilat infestos sibi apibus, & igni grassanti in spinas, quod ingenti quidem fragore oritur, ac in momento lõgißime serpit, corripit uicina omnia, ac simul dicto citius extinguitur. Sic impij hostes mei odio flagrãt, summaq; contentione perpetuò infestant, toti in eo, ut perdant, fretũ tamen nomine domini non euincunt, sed perrumpit illos iste ac proscindit in eo qui se confortat. Illud uerò in nomine domini, tertio quoque repetit, quo figni ficet quanta ipsum in periculis dei fidutia suffulserit.

13 Impulsus euersus sum ut caderem: & dominus suscepit me.

Vtcunq; uehementer & multis modis adoriantur impij pios, sicut Dauidem Saul, & Iudæi Paulum, & sic de similibus semper & ubiq;, & ad lapsum solicitent: quia tamen dominus fidutia mea & auxiliator, mecum semper persistit non concidam. Nisi autem dominus sustentasset, non potuissem tantopere impulsus non cadere: in dominum ergo fortiter fidendũ, & pro illius gratia continuo orandum, quoties calamitates ingruerint, quæ nostras uires excedere consueuerunt.

14 Fortitudo mea & laus (mea) dominus: & factus est mihi in salutem.

Robur suum uocat & canticum uel laudem, quia canendi eius magnalia beneficia & ædendi triumphalia carmina, amplißimam sibi præstitit materiam, & uoluntatem promptißimam, nec id solum Dauid, sed iustitiæ studiosi omnes agnoscunt asylum et fortitudinem suam, nihil nisi deum, per quem solum uincunt, cui uictorias suas acceptas referunt, quibus in salutem occurrit quoties opus fuerit benignißimus saluator fidelium.

15 Vox exultationis & salutis in tabernaculis iustorũ. Dextera domini fecit uirtutem,

Hinc dicit ex plurium sanctorum salute compertum esse per dominum audiri ubiq; uoces ouantium, & publicam de percepta salute gratulationem. Est enim eccle Iubilus ecsiæ dignus iubilus, omnem suam salutẽ domino confitentis, non suam uirtutem, sed diuinam pro se dexteram iactitantis. Semper autẽ iusti gaudent in conscientijs, etiã si in multas angustias incidant, fruuntur enim bona circa se dei & sancta bonitate & gratia, quibus omnia bene cedunt, & salutaria sunt ubiq; tuti & semper in domino: sed & non raro sentiunt pro se diuina iudicia contra perfidos, unde & gratulatione utuntur solenni, ut decet: non uano gaudio, sed in spiritu sancto exultantes corde & uocibus.

16 dextera domini exaltauit (me) dextera domini fecit uirtutem.

Soliciti sunt admodum pij omnes, dum beneficia dei sentiuntur, ne quid ibi gloriæ diuinæ decedat, ne non suo authori gratia & salus tribuatur, certi omne bonum descendere

descendere desuper à patre luminum: ideo præoccupant aliorum studia gloria dei cui soli transcribunt. Dextera, inquiunt domini, non nostræ uires & merita, exaltetur. Non nobis domine, non nobis, sed tuæ dexteræ accepta referatur salus nostra, ipsa fecit uirtutem, nihil humanæ uires agunt ad salutem fidelium.

17 Non moriar, sed uiuam: & narrabo opera domini.

Exultatio est iã erepti ex omni periculo, contra quàm desiderabant impij. Gaudet autem non impediendũ post hac se in seruitio dei, sed proficere cupientem semper ad impensius dominum collaudandum uerbis & opere. Recte autem subijcit id ob quod solum & ipse Dauid, & pij omnes uiuere in hoc mundo diutius cupiunt, nimirũ ut laudes dei promoueant in se & in alijs, celebrenq; facta eius. Cupiunt autem memorare non sua, sed domini dei opera, de suis erubescunt humiles, de diuinis autem gaudent & alios ad ea celebrandum & laudandum pro uribus prouocant.

18 Castigans castigauit me dominus: et morti non tradidit me.

Non murmurant sancti contra dei iudicia, non blasphemant iustitiam, sed boni consulunt quod bonum norunt, patris sui cœlestis circa se dispensationem intelligũt profici ex clementia, etiam si grauiter castigarit, salutem interpretantur fidelissimi medici, agnoscunt morbos quibus hæc medicina debetur, certi se morti non tradendos, nisi dum id exegerit dei gloria & uoluntas, cui uiuere & mori cupiunt, toti dedicati suo creatori, & ad omne suum beneplacitum prostantes & accincti quocunque uocauerit, fide & charitate muniti.

19 Aperite mihi portas iustitiæ, ingressus in eas confitebor domino:

Portas iustitiæ uocat quas non intrant nisi iusti, locum scilicet diuini cultus in typo, uerius autem gratiã dei et promissionum suarum beatitudo, quo non perueniunt nisi electi iustificati & ad regnũ patris uocati, per quas portas Christus ingressus est, imò ipse uerius porta est et ianua per quam ad salutẽ intratur solam. Eas diuinæ bonitatis per Christũ portas prophetæ & patriarchæ tandem aperiri orabant, ut mundo illucesceret dei iustitia & gratia in Christo.

20 hæc porta domini, iusti intrabũt in eam.

Illac ingrediuntur per fidem & humilitatem credentes, ibi non sua merita prædicant, sed dominum confitentur, gratis se saluandos agnoscunt. Hæc est porta ad dominum, per eam iustitiam quæ Christus est, quamq; communicauit redemptis: & per confessionem domini ingressus habetur ad domum domini, ad quam iusti soli introibunt. Per iustitiam enim fidei in deum per Christum saluantur omnes fideles.

21 Confitebor tibi quoniam exaudisti me: & factus es mihi in salutem.

In hoc ait, cum sacro cœtu piorum deum amantiũ, & confitentium in hoc tempore & futuro, Gratias agam tibi pro clementia tua, qua me exaudisti orantem, & respõdisti uotis meis religiosis. Quãquam enim à dño sint pia uota orationis, sicut omne bonum, ei tamen gratias referendæ sunt, si ea exaudita cognouerimus. Factus es mihi in salutem, gratia tua saluatus sum, succurristi pereunti, & exemisti de inferorum portis, de manibus quærentium animã meam. Obscurũ non est, quomodo Dauid post angustias Saulis & aliorum redemptus domino gratias egerit, & ad mortẽ persecutus peruenerit ad regnũ, deo gratulatorios hymnos dictauerit atq; cantauerit: sic Ezechias & Iosaphat, sic quoq; Christus dominus, & electi omnes post eum hac sorte utuntur, & per huiusmodi portas iustitiæ perueniunt ad salutem, oportebat enim Christum pati, & ita intrare in suam gloriam. Gratias agere deo.

22 Lapidem (quem) reprobauerunt ædificantes (hic) factus est in caput anguli.

Allegoria utitur lapidis, quem ædificantes ut nulli loco ædificij idoneum reijciunt, & postea præter omnium expectationem uident collocatum in capite anguli, primo & insigniore ædificij loco. Sic Dauid reiectus adeo uidebatur, ut nusquam in tota Israelis Hæreditate persistere posset tutus, tãdem euectus est in gloriã regni. Maxime aũt Christus dominus crucifixus, et à Iudæis damnatus & excommunicatus, tanquam socius latronum, & in deum blasphemus seductor & maledictus. Paulo post uisus omnibus est, primo loco ut dei filius adoratus ut cui pater omnem in manus dederit potestatem, factus dominus & rex uniuersorum, qui ipse quoque hæc Iudæis hostibus suis obiecit. Et Esaias eum nominat angularem simul & fundamentalẽ lapidẽ. Qui enim eo nituntur electi, fundamentum suæ spei & anchoram eum experiuntur. Qui uero ædificium totum absoluit & continet utrinq;, angularis est lapis. Christus lapis.

23 A domino factum est istud: & est mirabile in oculis nostris.

Quia uero Dauid in typo abiectus primum, deinde in regnum subleuatus, & Christus à pharisæis negatus & occisus Iudæorum & gentiũ saluator est factus, non potest non uehementer admirari fidelis dispensationem diuinæ prouidentiæ & operum, quam hic Psalmista exprimit. A dño, inquit, factum est istud, declarata est hæc dignitas Christi, & potentia dei in Christo resurgẽte et glorificato post reprobationem. Quin & infra cunctos mortales abiectus, contra omnium principum mundi uoluntatem summosq; conatus euectus est supra omnia, et quotidie in suis euehitur, ut re ipsa quisquis animaduerterit uideat & sentiat id fieri à potentissima & sola manu dei. Mirabile id est in oculis nostris, caro et sensus humanus hæc quomodo fierent capere non potuissent. Dauid typus Christi

24 Hæc est dies quam fecit dominus: exultemus & lætemur in ea.

Gaudium tantæ salutis, & gloriam exaltationis Christi, eiusq; resurrectionis mysterium, tempus & gratiam nouæ legis deus nobis fidelibus parauit ac statuit, ut in illis exultemus & lætemur, quia filij dei & cohæredes Christi dñi facti sumus. Vt nanq; Iudaicus populus diem inaugurationis Dauidicæ merito celebrauit, ita in die euãgelij & Christi exaltationis, qui semp duret, sancti perẽni gaudio, de saluifico Christi regno exultãt in dño. Gaudium piorum.

25 O dñe saluum fac, ò dñe bene prosperare:

Acclamatio est ad regis gloriam & gaudium regni, quæ & Christo Hierosolymis facta est à populo spiritu sancto adacto. Obsecro nunc fer opem, quisq; in populo clamabat: hoc est, O deus iam benignus adsis, postquam hunc nobis nunc regem dedisti, obsecro nunc successum quoq; dona, fac ut feliciter regnet, quem præter omnem expectationem in regem extulisti. Euangelistæ autẽ hæc memorant, sicut & omnia alia Christi uerba, ut fuerunt uulgari lingua dicta à Christo & à populo passim. Ideo addiderunt, Hosanna in excelsis, id est, fer opem, qui præsides in excelsis.

26 benedictus qui uenit in nomine domini. Benediximus uobis de domo dominit

Porrò & huius uersus priorem particulam populus Christo acclamans adiecit, Benedictus qui uenit in nomine domini. Et uidetur primum fuisse uox sacerdotum, qua exceperunt tum regem, tum alios ad tabernaculum domini uenientes: unde sequitur, Benediximus uobis de domo domini. Veniunt autẽ in nomine dñi, qui ueniunt animo & studio excolẽdi nominis diuini. Sic uenientiũ caput Christus est, qui nihil unquam aliud quàm patris gloriam quæsiuit & spectauit, quare recte id de eo populus proprie canebat. Qui non suo sed dei nomine uenit, & benedictionem attulit patribus promissam in omnes gentes, quæ salus nuntianda erat omnibus in ecclesia credentibus & electis.

27 deus dominus, & illuxit nobis. Constituite diem solennem in condensis: usque ad cornua altaris.

Deus ipse dominus, his tantis beneficijs transmissæ salutis & finitæ calamitatis illuxit fidelibus, reuelauit se nobis misericordem & propitium patrẽ, per Christum filium suum dñm nostrũ. Ideo consequenter hortatur ad gratitudinem summam, factis & ceremonijs testandam ex fide cordis & ex uera deuotione animi. Coniungite & constituite condensa pro die festo solẽniter celebrando, adornate quibus potestis & consueuistis ceremonijs iucundissimam solennitatẽ, pro tanto dei fauore & munere. Vsq; ad cornua, inquit, altaris, per totum atrium templi late resplendeat claritas diei festi, ad communem lætitiam populi dei, fidei profectũ ac ædificationẽ ecclesiæ, ut uere glorificetur nomen domini. Nostra autem sacrificia offerenda domino nosipsi sumus, prauaq; desideria cordis continuo per spiritum mactanda.

Gratitudo.

28 Deus meus es tu, & confitebor tibi: deus meus (es tu &) exaltabo te (Confitebor tibi quoniam exaudisti me: & factus es mihi in salutem.)

Hæc uox est cuiuscunq; sanctorum, in ueteri & nouo populo, ad laudandum extollendumq; deum sese offerentis. Tu, inquit, solus deus meus es, qui omnia bona præstas, omnia mea curas, creasti & recreasti, conseruas et moderaris, tibi soli confiteor quicquid boni sum, habeo, uel possum. Gratias tibi ago semper & in omnibus, qui miseris humiliare soles tuos, & subinde tua gratia consolari & glorificare perseuerantes in cultu tuo. Deus meus es tu solus et omnium, te exaltabo in omnibus, nomen & gratiam tuam celebrabo in mundum totum: ad hoc enim conditus sum, ut agnoscam tuam bonitatem et gloriam, ut tandem eadem fruar in æternum.

29 Confitemini domino quoniam bonus: quoniam in sæculum misericordia eius.

Inuitatio est in fine sicut à principio, ne quis finem faciat deum laudandi, non quidem uerbis & lingua, sed fide moribus, & exercitio sancto, in uero dei cultu. Semper agnoscenda est & cum gratitudine ruminanda bonitas dei ad suas creaturas, quam per essentiã habens communicat omnibus, ut bona sint quæ condidit. Et in æternum perseuerat beneficentia eius, quæ est misericordia super omnia opera eius, nec unquam benefacere desinit filijs suis, toto illi corde fidentibus.

PSALMVS CXIX.

Hallelu ia.

Apud priscos quidem, sed in Hebræo non habetur.

ARGVMENTVM. Inculcatio ardentissima adfidem & studium diuinæ legis, & ueræ pietatis.

Aleph. א.

1 BEati immaculati in uia: qui ambulant in lege domini.

Hic sacratissimus Psalmus eadem ut uidetur inculcare cõtendit, sed nihil redundat, omnia plurimum habere momenti inueniuntur, si diligentius considerentur, & non solo sono cantillentur. Ardent enim sancti studio diuinæ legis sciendæ & docendæ, & perficiendæ. Anxie etiam cupiũt uita sacra illam exprimere, dolent quoq; plurimũ, quod eam nõ possunt à se & alijs ut uellent assequi. Enecãtur, si quos impios eam irridere audierint, uel reuocare summo studio annituntur quos possunt. Huiusmodi autẽ sanctis affectibus plenus est hic Psalmus, perq; singulos uersus nouum aliquid offertur meditandum, & non modicũ momenti habet ad instaurandum pietatem. Compositus est ad ordinem Alphabeti, octonis semper uersibus ab uno elemento incipientibus, ornatus gratia, & ad iuuandũ memoriam. Vtcunq; prolixior fit hic Psalmus, centum & septuaginta sex uersibus cõstans, pauciss imi tamen uersus sunt, in quibus non inueniatur aliqua uel plures dictionũ harũ decem, lex, iustificationes, præceptũ, mãdatum, testimonia, iudicia, eloquia, uerba, iustitia, & uia. Quarum priora octo quanquam pro lege Dei indifferenter accipiantur & pro præceptis, considerari tamen possunt iuxta specialia significata sua & propria. Lex enim תורה à docendo dicta, totam dei legem, & sacro sanctam doctrinã significat & institutionẽ, directionẽ & informationem fidelium cultorũ dei. חוקים uero præscripta dei & instituta significat iusta & ceremonialia quæcunq;, quibus sibi deus seruiri in sacris uoluit, ritus scilicet & præscriptos modos aliquid ad suam gloriam peragẽdi. מיצות quæcunq; præcepta sunt, maxime uero publice promulgata, ut leges tabularum, & מקורים coralia quæcunq; præcepta ac mandata. משפטים commissiones sunt factæ, & data mãdata à domino, nonnunquam in speciem uel pro officio aliquo prosequendo, iuxta dei uoluntatem. עדות contestationes dei sunt, cũ inter

Legis dei uaria nomina.

Studium legis dei.

interminationibus uel promißis datæ à dño, quia testantur ipsius uoluntatẽ & decernũt præmia uel pœnas illis quibus ꝓponuntur. Oracula dici possunt. משפטים iudicia sunt & publica ædicta uel sententiæ, præcipue autem dicuntur hostium & impiorum repressiones per pœnas publicas, & insignioribus factis dei, quibus se iudicem declarat. אמרה eloquia sunt, maxime priuata, quibus ad cor hominum deus loquitur, & instigat ad aliquid agendum, quanquam & pro quolibet dei uerbo accipi possit. Sic & דבר quod ut plurimũ de publice celebrato dei uerbo sumitur, quod nemo nesciat & omnes tangat. Præter hæc octo, duæ quoq; dictiones in usu sunt huic cantico, דרך uia, quæ Hebræis est mos, consuetudo, conuersatio, uita & studium. Vltimo צדק iustitia accipitur pro absoluta bonitate & probitate qua inculpabiliter conuersatur homo ad homines et ad deũ. Quæ omnia à sanctis patribus multis tractata leguntur in exordio præfationibúsque huiusmodi inclyti Psalmi.

BEATI IMMACVLATI. Pronuntiat imitio, felices esse & beatos eos homines uiros uel mulieres (semper enim sub masculino genere fœmininum includitur) qui innocenter & integre cõuersantur, simplices in malo, nul nisi bonũ cupientes, tam alijs inferre, quàm expectantes ab alijs, paratiores tamẽ mala ferre, q̃ inferre, non præfracti & callidi aut ueteratores, toti sani & modesti, sancta conuersatione uiuentes inter homines sine querela, cum nullius incommodo. Quales hi sunt quorũ omnis cogitatio & uoluntas est in lege domini, seruanda plenis uotis & pro omni uirili, studiosi ad proficiendum semper in doctrina fidei & morum, de bono in melius, iuxta dei legem & hominum, non contra deum militantium, uel humanarum traditionum inutilium, quas tales homines pij non morãtur, non tamẽ sine causa contemnunt, parati pacem habere cum deo & hominibus, sponte decem milliaria comitantes eum qui coegerit ad mille passus, modo nihil contra dei legẽ et uoluntatẽ exigatur, cui obedire malunt q̃ quibuscunque hominibus.

2 Beati qui scrutãtur testimonia eius: in toto corde exquirunt eum.

Felices quoque habentur, quorum studium et cura est perquirere quid deo placeat, credere & sperare quæ promisit, nulla tentatione uinci à spe & fiducia promissionum dei. Maxime autem student in ueritate domino complacere, eius mandata pro omni uirili cõplere, quod est toto, id est perfecto corde, quomodo scilicet capit humana fragilitas, cum dei gratia dirigente & iuuante in electis. Perquirere autem student, diligenter annituntur audiendo, legendo, ruminando, & orando, ut fieri possit quod domino complacet.

3 Non enim qui operantur iniquitatem: in uijs eius ambulauerunt.

Equidem qui in huiusmodi uijs dei ambulant, & soliciti sunt ambulare cum domino deo suo, illi in moribus omnibus tantum probari, isti nihil iniquitatis admittũt, conseruantur à domino ne labantur ad mortem, quibus etiam proficit per infirmitatem lapsus & peccatũ, quia fideles sunt. Et eam studiose uiuendi rationẽ amplectuntur, quam dominus præscribit, non sectantur desyderia carnis & sensuum, sed iugi studio ea expugnare conantur, & à uijs satanæ declinare quotidie cupiunt.

4 Tu mãdasti mãdata tua custodiri nimis.

Agnoscit serium debere esse hoc studium sacræ legis. Deus est enim omnipotens & creator noster, simul & pater atq; iudex, qui id quoq; serio præcepit, agenda sci licet in gloriam suam, & proximi nostri bonum. Ea aũt sunt multa, secundũ multas fratrũ necessitates, & multa desyderia carnis, quibus in diuersum solicitatur corrupta natura hominis. Sed id leuius fiet si dominũ deum nostrum id mandasse cogitauerimus, et hoc denique ualde, id est summo studio, multa diligentia, ut unice bona sunt omnia quæ præcepit.

5 Vtinã dirigantur uiæ meæ ad custodiendas iustificationes tuas.

Sanctus itaq;, cognoscens deum requirere huiusmodi legis suæ obseruantiam, & restitutionẽ sui in eo sitam, & simul animaduertens supra uires esse suas obseruantiam legis, optat ex corde sic uias suas dirigi per dei gratiam, hoc est rationes uiuendi, sicq; institui, ut possit dei ceremonias, hoc est rationes digne deum colendi ad ipsius beneplacitũ, in spiritu scilicet & ueritate, non carnaliter & corporeo usu cõplere. Hoc aũt uotũ frustraneũ esse non potest, nota est pij pectoris etiam in eis qui profragilitate peccant, si sic displiceat, ut cupiant tentationes euincere, tales enim facile resipiscunt, et ad mortem non peccant. Studium legis.

6 Tunc non cõfundar, cum perspexero in omnibus mandatis tuis.

Confitetur salutem suam sitam in hoc studio legis dei. Tum, inquit, spe uitæ meæ & actionũ mearũ nunquam frustrabor, saluus enim ero, si sic legem tuam ob oculos habuero, ut ex ea cuncta uitæ meæ consilia petam, dum diligenter inspexero decalogi mandata tua, non ad corticem tantum uerborum, sed medullam & intrinsecus, iuxta spiritum & prophetarum declarationem expositam, ut charitati & fidei per omnia applicentur: tunc enim quietus ero, & non confundar in conscientia, nec erubescam coram hominibus.

7 Confitebor tibi in directione cordis: in eo quod didici iudicia iustitiæ tuæ.

Simplici & recto corde laudabo te: & confitebor tibi bonitatem tuam, materiam & causam te laudandi arripiam, si quando tuo docente spiritu genuinum sensum tuæ legis didicero, eatenus, ut libeat in uitæ ordinem ac usum uertere, quæ facienda & tibi placita agnouero. Alioqui uapulabo non indigne, si sciens deliquero, et seruus domini uoluntatem agnitam implere cessauero. Iudicia autem iustitiæ tuæ, quæ ex lege passim discuntur sunt præmia sanctorum, & uindictæ transgredientium, ad hoc adnotata scripturis diuinis, ut exemplo discant qui doctrinam non capiunt, ut discant uel formidine pœnæ odire malum, qui uirtutis amore non mouentur.

8 Iustificationes tuas custodiam: non me derelinquas usquequaque.

Iusta tua, id est ceremonias, id est, tibi dignum cultum

Ritus gentilium.

deferre studebo, uerũ scilicet in spiritu & ueritate. Non permouebunt me specioſi gentilium ritus, quibus te qui dem dominum colere cupiunt, ſed longe præter tuum be neplacitum, qui non pecuinis ſacrificijs, ſed uitæ inno centia uis promereri. Non ſinas me à digne ſeruientium tibi conſortio ſeparari, nec lenocinio externarum cere moniarum abduci ad idololatrarum ſuperſtitiones, quas odiſti & prohibuiſti ſemper, & in hunc ſolum finẽ tot nobis ceremonias ſtatuiſti, ut in tuis placitis non huma nis mendacijs ſubſiſteremus.

Beth ב.

9 IN quo corrigit adoleſcẽtior uiã ſuam? in cuſtodiendo ſermones tuos.

Difficultatem indicat uiuendi iuxta le gem dei, maxime uero adoleſcentibus, in quibus uis car nis & naturæ improbus fomes adhuc potẽtius regnat.

Iuuentus in ſtituenda.

Hi ergo ſe ſtudioſe purgare, emendare & ad ſyncerita tem perducere debẽt, prauas ſuas cupiditates reprimen do, totam uitam ſuam inſtituendo à puero moresq; ad uerborum dei præſcriptũ, illis toto animo ſtudendo. Id quamlibet pueris difficile, tamen huc erit enitendum, iu xta ſapientis ſententiam, Qua uia adoleſcens fuerit in ſtitus, ab ea nec cum ſenuerit recedet. Multa cura iuuen tus inſtituenda docetur, non in prophanis poẽtis etiam ſpurcis & impijs, non tãtum nobis cõmodi afferet exa ctior mundicies Latinæ orationis, ut eam ex tam impijs authoribus cũ faſcino puerorũ deſumere debeamus. Et orationis lepidior caſus, æque cum rerum multarũ peri tia ex alijs hauriri poteſt quàm ex Vergilio, Ouidio uel Catullo & ſimilibus. Sed ethnica nobis ethnicis placẽt, & faſtidio ſunt quæcunq; religioſa. Alioqui magis etiã docto placeret Poëtica et Latinitas Baptiſtæ, quàm Ver gilij Mantuanorum. De his uiderint alij. Adoleſcens hic inſtituendus docetur in uerborum dei obſeruantia, cum ſit initium ſapientiæ timor domini.

10 In toto corde meo exquiſiui te: ne repel las me à mandatis tuis.

Difficultas uiuendi in lege domini facile poterit ſupe rari, ſi ſtudium amandi deum & illi uiuendi animũ uerè occupet, ſi gratia dei aſſidue inuocata toto corde deſide retur, & uirtutem aſpiret, qui ſolus poteſt, & facile ad largiẽdum ſuum ſpiritum inclinatur. Orandus igitur, ut non ſinat errare nos à mandatis ſuis. Id ſi crebro à nobis fiat & implorata fuerit benignitas dei, fieri non poteſt ut non exaudiat, uel non imputabit ad mortem, uel ad me liora lapſum ordinabit & ad profectum ampliorẽ. Alio qui non dare deum ſapientiam ueram, eſt ſeducere & errori exponere, ut nihil boni intelligatur.

Difficultas legis.

11 In corde meo abſcõdi eloquia tua: ut nõ peccem tibi.

Si uerba dei penitius animo immittantur, non poteſt fieri ut facilè peccetur contra dominũ. Verbo enim Dei obſidente mentem cum fide, non uacabit circa externa importunius ſolicitari. Ama, inquit, D. Hieronymus, ſtu dia literarum nimirum ſanctarum, & carnis uitia non amabis. Tua, inquit, eloquia uoluo intra animum meum,

Studium literarum ſanctarum.

non prophana, non ludicra, non impia. Corrumpunt bo nos mores, nedum colloquia, ſed et impura ſcripta: quid eſt enim aliud legere quàm loquentem audire? Non tibi peccabo, ſi iugiter ô deus, de lege tua ſucro meditatus.

12 Benedictus es domine: doce me iuſtifica tiones tuas.

Non tantum lectio ſacra iuuat ad dei timorem, ſed mi ſcenda & interrumpenda eſt crebris orationibus, & in deũ eleuationibus, pro neceſsitatibus tam noſtris quàm aliorum, quas diſcimus ſacra legendo. Proinde continue preces neceſſariæ ſunt pro ſpiritus incremento, uiuendi uotũ in lege dei neceſſe eſt ebullire ex digna lectione le gis. Ideo hic orat: Benedictus es tu domine deus ſolus, cui omnia obligor, quæ ſum & poſſum. Significa oro mihi quomodo te digniſsime colam, non tam carnalibus riti bus quàm mente & ſpiritu, fide & charitate.

Lectio cum oratione.

13 In labijs meis pronũtiaui omnia iudicia oris tui.

Nunc canit quomodo is ſe habeat erga legem dei, quẽ deus ipſe exoratus docuerit, dederitq; cum ſui uero ſtu dio illam reponere in penetrali cordis. Statim enim mul ta ſolicitudine & aſsiduitate inſtat uerbo dei perſuaden do reliquis, prædicando ueritatem & uirtutes, iudicia dei uera, quid ſcilicet à nobis exigat, ut iuſtum iudicet et laudet, iniuſtum uero redarguat atque damnet. Nihil æ que delectat talem, quàm de uerbis domini loqui, de bo no, de honeſto, de ſacro, non de fabulis, flagitijs, perni tioſis uel uanis diſciplinis.

Verbũ dei docendum.

14 In uia teſtimoniorũ tuorum delectatus ſum, ſicut in omnibus diuitijs.

Quotics ex lege, operibus, iudicijs & diſpenſationi bus tuis conſydero bonitatem & iuſtitiã tuam, quæ ſunt uiæ teſtimoniorum tuorum, quæ quoque tam magnifica promittas & reddas, ex animo gaudeo: quaſi ſuper o mnem copiam, magis quàm ſi omnium mundi diuitiarũ ſubſtantiam ſuſcepiſſem: euanidæ enim ſunt & fluxæ, fa cile amittuntur, tuæ autem beneuolentiæ promiſſa & teſtationes euacuari non poſſunt. Quid enim iucun dius quàm frui fauore diuino, certum eſſe de gratia Dei, fœdus firmum contraxiſſe & ſeruare cum domino uni uerſorum?

Oblectatio in uerbo dei.

15 In mandatis tuis exercebor: & conſidera bo uias tuas.

Attente meditabor, uel ut id poſsim ſemper à te pre cor, quid tu mihi agendũ commendaueris, qua in re, uel quo in officio tibi obſequi & gratificari ualeam. Id eſt enim meditari in mandatis domini, ſedulo inſiſtere illius uero cultui, & cõſiderare ſemitas dei, ſecretiora iudicia prouidentiæ tuæ legam, cumplabor et admirabor, ex le ge & prophetarum ſcripturis, & ex omnibus creatu ris: quandoquidem totus hic mundus uolumen & codex eſt doctorq; mirabilium operum dei, eiusq; ſapientiæ bo nitatis & omnipotentiæ.

Meditari uerbum dei.

16 In iuſtificationibus tuis meditabor: non obliuiſcar ſermones tuos.

Niſi lex domini ſic agnoſcatur, et diligẽter intueatur, ut in qua ſempiterna uita ſit repoſita, ac inde animus exca

ex ea ſummam uoluptatem percipiat, obtineri iuſtũ eius ſtudium non poterit, utrunq; autem cõtingere oportet, ei quem deus ſuo ſpiritu legem ipſam diuinam docuerit, hoc eſt, eã cordi inſcripſerit. Nõ ſunt aũt ſynceriores delitiæ, q̃m uero dei cultu, & in ſtudio aſſiduo uerborum dei, ſi tamẽ uita cõformetur, et fructus charitatis exũdet.

Gimel ג.

17 RETribue ſeruo tuo, uiuifica me: & cuſtodiam ſermones tuos.

Retribuendi uerbo Hebræi utuntur pro impenſione gratuiti beneficij, ut patet ex Concordantia Hebraica, ne quis proprie dicta merita deo obtrudere poßit, & exigere retributionem ignarus idiomatis. Sic potius orat: Copioſe & liberaliter dona tua mihi ô domine largiaris, qui ſeruus tuus ſum, quanquam planè inutilis: uiuam ſolo tuo munere, & ſaluer, nec alia ratione uitam in hoc mundo magnifacio, niſi ut in tuo beneplacito uerſer, cuſtodiens uerba tua, corde ruminando & inquirendo ſtudioſe humiliter & deuote, ſimul quoq; opere compleam.

18 Reuela oculos meos: & conſyderabo mirabilia de lege tua.

Orat ſanctus, ut ipſius oculi reuelẽtur, ut uelamen naturalis rationis amoueatur per ſpiritus ſancti inſpirationem, ut ſic aſpicere ualeat mirabilia opera Dei ex lege. Ea ſiquidem mirabilia lex dei continet, quæ alias homine ſuſpicari quidem poteſt: omnia ſcilicet ab ipſo condita ob iuſtorum ſalutem, & condita à ſolo domino deo gubernari. Deum factum hominem, ut ſuo modo homo fieret deus, per crucem ignominiam & mortem peruenire ad immortalitatem & gloriam ſempiternam, quæ et infinita alia ſupra captum humanum lex domini docet, ut intelligantur duce diuini ſpiritus.

19 Incola ego ſum in terra: non abſcondas à me mandata tua.

Non expecto in hac terra hæreditatem, ubi peregrinũ me eſſe deus uoluit, ſed futuram inquiro meliorem in cœlo. Sed terrena inhabitatio iſta deprimit intellectum, ne cœleſtia & diuina cognoſcere queat ſuo marte. Tu igitur clare me doceas, & non abſcondas á me tuum beneplacitum, ſed retege & præbe uires perficiendi & cum uſum fuerit ſuſcipe in domicilium gloriæ tuæ metámq; impone.

20 Concupiuit anima mea deſyderare iuſtificationes tuas in omni tempore.

Præ nimio deſyderio conſternata eſt & confracta anima mea, & de uita periclitatur, præ anxietate qua per mouetur ad deſyderandum complacere tibi, quanto minus ſe ſentit id poſſe, perſcrutari ſcilicet & noſſe immenſam bonitatẽ et iuſtitiã tuam per omnia iudicia tua. Quanquã enim occultiora ſint ea quàm ut perſcrutari ualeant ab homine, nihil tamen iniquũ intelligitur, quanto perſpicatiori fide & digno ſtudio perquiruntur illorum rationes. Abyſſus autem reuera eſt imperſcrutabilis, ut ad eam penetrare nemo poßit.

21 Increpaſti ſuperbos: maledicti qui declinant à mandatis tuis.

Pro more tuo, & iuſto iudicio tuo, omnes contemptores uerborum tuorũ, omnes ſuperbos & pertinaces hoſtes pietatis increpas ſemper. Summa enim tua bonitas ſemper ſuperbiæ reſtitit, & ferre non poteſt uim impiorum, qui probro & ignominia afficiunt ueritatẽ & legem tuam. Maledicti coram te & execrabiles erunt omnes qui uoluntarie declinant à mandatis tuis, & craſſa laborant ignorantia, nolentes audire ne ſciant & operentur quod iuſtũ: ignorantes ergo ignorabũtur, & deſerentes uerbũ dei horrẽdis erroribus inuolui neceſſe eſt.

22 Auferà me opprobrium & contẽptum: quia teſtimonia tua exquiſiui.

Deprecatur ut ſe probro quo utique ab illis afficiebatur uindicet, & ne ſinatur tantis ut illi impij uel erroribus inuolui uel calamitatibus perire. Non incidat tantũ opprobrium ut diuinæ uolũtatis contemptor dicatur uel habeatur ab alijs, ſed & intra ſuam conſcientiã non conſtringatur angoribus criminum & ſcandaloſa uita, ſed dominus hæc mala reſoluere & auferre dignetur, qui ſolus poteſt. Inquiſiui, ait, teſtimonia tua, credidi firmiter promißis tuis, & ſacris ſcripturis legis tuæ.

23 Etenim ſederunt principes, & aduerſum me loquebantur: ſeruus autem tuus exercebatur in iuſtificationibus tuis.

Potentes ſæculi huius in primis aduerſantur uerbis diuinis, à quibus maxime arguuntur & abhorrent, dediti luxui, uiolentiæ, quæſtui & faſtui, ut uerbũ dei ferre ſic animati non poßint. Ideo amatores & celebratores uel prædicatores eius, modis omnibus perſequuntur, conſilium moliuntur ad ueritatis oppreßionem, fideliũ ſtudia damnant, contra eos dictant damnationis ſententiam, cupiunt perditos: ueritas enim odium parit, quia uitia arguit. Interim tamen ſeruus dei non ceſſat, non terretur, ſed tanto magis inuigilat, quomodo digne obſequatur præceptis dei, de uerbo ſuo perficiendo & diſſeminando, ut iuxta domini uoluntatem uiuat ac doceat. Principes aduerſarij uerbo.

24 Nã & teſtimonia tua meditatio mea (eſt) & conſilium meum (uiri conſilij mei) iuſtificationes tuæ.

Vnica conſolatio mea ſunt teſtimonia promißionesq; gratiæ in uerbo tuo, quibus labefactata conſcientia recreatur, quibus per omnia ſuſtineor et cõfirmor. Sunt enim oracula tua nõ alia mihi uel aliter, quàm uiri cõſilij mei, id eſt, omne meum conſilium tantum nititur oraculis tuis, & iuſtis inſtitutis tuis, ipſis enim mirifice conſolatur & dirigitur conſcientia mea, dum tuam in nos homines bonitatẽ tam præclare demonſtrant, probeq; conſulunt, dum ſola quæ ſalutis ſunt indicãt atq; præſtant: ideoq; ſolis illis in agendis nitor certis tuis teſtimonijs, ne hominum mendacijs fallar. Viri cõſilij.

Daleth ד.

25 ADhæſit pauimento anima mea: uiuifica me ſecundũ uerbũ tuũ.

Queritur deiectum ſe, ut terræ adhæreat anima ſua, hoc eſt proximus morti uideatur, premi & ſuccumbere tẽtationibus, & conſcientia peccatorum, in ſpiritu cõfundi propter iram domini

quam sentiat. Precatur autem sese uiuificari, hoc est restitui et recreari, non aliter quàm iuxta uerbũ dei, utiq; quo istudipsum suus est pollicitus, quo tãdem innixus fortiter & cum fiducia tua iterum gratia iustificer, ad uitæ innocentiam quam lex tua præscribit.

26 Vias meas enuntiaui, & exaudisti me: doce me iustificationes tuas.

Confessio deo faciẽda

Omnia mea studia tam bona quàm mala enuntiaui tibi, peccata mea tibi confessus sum soli, & remissionem ilico promisisti. Quicquid mihi unquam faciendũ erat tibi exposui, tuã uoluntatẽ inquisiui, optaui actus meos disponi secundum beneplacitum tuum, & tu mihi quod faciendum opus semper respondisti propitius. Ideoq; & nunc peto ne tuam huiusmodi gratiam auertas à me, ne destituas opportuno consilio et auxilio, idq; ex oraculis legis tuæ, & institutis sanctissimis, quibus respõdere dominus pijs fidelibúsque consueuit, non semper angelos mittens, quibus legem tradidit inquirendam & prophetas, si nolint errare.

27 Viam iustificationum tuarũ instrue me: & exercebor in mirabilibus tuis.

In omni afflictione mea nõ aliud inquiro solatiũ, quàm penes te, & in lege tua, unde & discere possim modum complendi dignè beneplacitum tuum, quem illa abunde suppeditat probe intellecta. Intellectum igitur oro legis, quo de mirabilibus, quæ illa prædicat, de dei bonitate cõsolari possim et resumere animum. Mirabilia autem legis sunt opera contestantia magnificentiam dei, ea non functorie sed diligenter reputabo mecum.

28 Dormitauit anima mea præ tędio: confirma me uerbis tuis.

Anxia deficere cœpit anima mea, quod est illius dormitare, præ dolore graui quẽ ex hoc incidi, quòd uidi contemni à tot impijs legem tuam, nihil enim aduersius sibi ducunt, quàm desciscere homines à deo suo, in scandalum plurimorum. Propterea oro persistere me facias & confirmes secundum uerbum tuum, ne deficiam ad mendacia infidelium, ne defluat mihi animus, & ab agonia deficiat, & mortis æternæ somnum incurrat.

29 Viam iniquitatis amoue à me: & de lege tua miserere mei.

Iniquitatem uocat per antonomasiam mẽdacia & falsitatem, uel etiam familiaritatem ac societatem hominũ sectantium mendacium: quasi dicere uolens, Libera me à secta docentium falsa, ne erroribus impiorũ inuoluar: quandoquidem uera ac recta delegi. Proposui enim mihi iustissima ædicta dei, addixi me tuis oraculis gratiosis, placet in primis & sola ueritas doctrinæ tuæ: ea donari gratiose desidero, gratificari tibi cupio obseruantiæ tuæ legis: Da ut ea sola mihi semper placeat.

30 Viam ueritatis elegi: iudicia tua non sum oblitus.

Viam fidei & perpetuæ ueritatis elegi certissimã atq; firmam. Malo uerbis tuis credere quàm adinuẽtionibus hominum reproborum, qui pluris faciunt traditiones suas & studia quàm legem tuam. Proposui ante oculos meos iudicia tua, æquissima scilicet & recta, quæ magni feci semper, & prætuli sensui carnis et sanguinis. Talia sint instituta piorum, uiua & firma fide adhærere dei mandatis ac legibus, discere, credere & complere uoluntatem dei.

31 Adhęsi testimonijs tuis, domine: noli me confundere.

Firmissime credo omnibus promissionibus tuis, & expauesco interminationes tuas cõtra prævaricatores legis tuæ prolatas, certóque speraui in promissa bona tua, si quando temabar fide uel libidine quacunque. Ne quæso domine sinas me confundi improbitate admissa, ne uel in gloriam tuam blasphemiæ reus fiam, ex scandalo aliorũ de me, uel intra conscientiam meam in oculis maiestatis tuæ confundar.

32 Viam mandatorum tuorum cucurri: cũ dilatasti cor meum.

Spem concipit de dilatando sibi corde à domino, hoc est, ut spiritu confirmetur diuino, et uires sibi à domino suppeditentur, quo in cursu mandatorum dei perseuerare posit. Nisi forsan glorietur se iam ereptum ab angusto persecutionis sibi illatæ à potentioribus, adductũ in campum spatiosum consolationis diuinæ ac etiam libertatis uiuendi secundum leges dei. Gratia, inquit, tua exhilarasti, ut in te & secundum te uiuam.

He ה.

33 Legem pone mihi domine uiam iustificationum tuarum: & exquiram eam semper.

Dirige me doctrina legis tuæ, ô deus, per uiam constitutionũ tuarũ, ut digno tibi cultu in spiritu & ueritate, non aliter quàm secundum legem tuam, te colere uelim & possim. Ceremoniarũ quoq; tuarum intelligam mysteria, ut fide promissorum & significatorum tibi placeam, mandata tua semper & ad unguem uel solo tenus custodiam & seruem, perfecta fide & deuotione tibi adhæream, nihil antiquius ducens, quàm disciplinis tuis imbui & obtemperare.

34 Da mihi intellectum, & scrutabor legem tuam, & custodiam illã in toto corde meo.

Cor meum propensum reddas, & intellectum erudias uerbo tuo et illustres, à te edocear, quin & trahar quoque tuo spiritu, ad legis tuæ obseruantiam. Hoc est enim præcipuum institutum & studium sanctorum, conseruatio legis diuinæ, quod nisi dederit dominus & tuuerit, nihil poterit humana qualiscunq; diligentia uel potentia. Eo autẽ dante, pij omnia faciunt quæ debent, non ficte & ad literam, sed in spiritu & ueritate, interim tamen fatentur se omnino seruos dei inutiles. Studium sanctorum

35 Deduc me in semita mandatorum tuorum: quia ipsam uolui.

Tu domine deduc me ac dirige uel incedere facias per semitas præceptorum tuorum, ne sensui proprio derelictus aberrem per traditiones hominum, & per auia pernitiosorũ errorum. Spiritu enim tuo instigatus, complacentiam assequutus sum in studio legis tuæ: placere cœpit facilis & compendiosa semita sacrosancti Decalogi tui, sine tuo ductu, actu & tractu, pro cunctatione perp-

perpetua sensuum nostrorum, in uia uitæ nihil prorsus proficimus.

36 Inclina cor meum in testimonia tua, & non in auaritiam.

Firmissima fide à te donanda consolida cor meum, ut credam promissis tuis, & placeat lex tua, ne à prauis cupiditatibus detorquear ab illa, non ad auaritiã uel quæstum. Sanctæ uitæ amorem sibi dari precatur, ut quæstus omnis & uanitas, id est, quicquid fuerit fallacium non bonorum sed umbrarum boni, quibus animus depraua-tur, nihil prorsus apud se ualeat, pro quibuscunque incommodis temporalibus non excidat ab amore uoluntatis diuinæ.

37 Auerte oculos meos ne uideant uanitatẽ: in uia tua uiuifica me.

Impedias non tam uisum simplicem quàm concupiscentiam, oculorum oblectamenta, ne quando capiar fisco amoris illiciti, & mundani cuiuscunque. Nec solum oculos, sed omnes sensus coërceas timore iudiciorũ tuorum à prauis affectibus & actibus. Sed in uia potius tua, da ut uiuaciter iuxta beneplacitũ tuum proficiam, ponderе corporalium sensuum non opprimendus, sed tua gratia sustentandus, & semper uiuaciter quæ tua sunt prosequuturus.

38 Statue seruo tuo eloquiũ tuum in timore tuo.

Orat sibi firmari promissionem dei, hoc est, præstari, ut qui se timori dei addixit, et uero cultui illius cõsecrarit. Quibus utique dominus promisit eximia dona, uel dari sibi inspirationes sanctas, sed firmas ac stabiles, non perfunctorias, ut dignè deum timeat & ab omni offensa caueat. Ad hoc enim eloquiorum dei studium ordinandum est, ut uera pietas instituatur & semper crescat fidelibus: timor scilicet purus & amabilis uel filialis, & gaudium obsequendi tam gratioso patri, horror autem offendendi tantam gratiam.

39 Amputa opprobrium meum quod suspicatus sum: quia iudicia tua iucunda.

Iterum deprecatur calamitates & opprobria, prouenientes ex neglectu uerbi dei, unde omnis hominibus aduersitas accersitur, uel etiam uiolentas cupiditates, detorquentes pios à studio uerbi dei. Nam, inquit, iudicia tua iucunda sunt, hoc est, clementiam semper resipientia & bonitatem indulgentem: uerum non sine iustitia, quæ pijs plurimum placere consueuit. Soles castigare, ut morti tamen non addicas, ut à malis reuoces, non in mala præcipites. Vel hoc sensu, Amoue à me opprobrium transgressionis legis tuæ, nam pro eis uehementer solicitus sum, suspiro & timeo, iudicia quoq; tua ædita circa populum tuum bona sunt & percommoda, ut cum illo conueniat, lugum meum suaue est. Huic pulchre consonat, quod sequitur.

40 Ecce concupiui mandata tua: in æquitate tua uiuifica me.

Desideranter amplexatus sum quicquid mihi agendum commendasti, flagrat animus desiderio & amore diuinæ legis, optima sunt enim omnia, irreprehensibilia et æquissima. In tua iustitia fac me uiuere, mea iustitia iniquitas est & peccatum, mortua per se iacet, tua autem fides per te mihi danda in Christo coram te me uiuificabit semper. In lege autẽ dñi uera docetur iustitia & solida, qua se cõfirmari atq; animi alacritate donari precatur.

Vau ו.

41 ET ueniat super me misericordia tua domine, salutare tuũ secundum eloquium tuum.

Adueniant mihi & apprehendant me beneficia misericordiæ & ueritatis bonitatisq; tuæ, quæ promisisti credentibus & amantibus nomen tuũ, & præstas. Veniat quoq; salus tua promissa per totã legẽ tuã, promissa redemptio à peccatis, saluatoremq; perfectum aliquando mitte, quem promisisti mittendum. Vel, ut sic studio sacræ legis confirmetur per gratiam dei, ut subsistere ac libere profiteri illud posit, nulla mundi potestate deterritus animus meus.

42 Et respondebo exprobrantibus mihi uerbum, quia speraui in sermonibus tuis.

Orat donari sibi copiam uerborum ueritatis, & constantiã fidei, ut potis sit respondere opprobrantibus ueritatem profitenti, ut nunquam solida responsione ueritatis destituatur corã principibus huius mundi & amatoribus uanitatis, negatoribus ueritatis, et deum blasphemantibus. Sperare enim pergat in uerbis dei, euincere confidat mendacia impiorum uerbo ueritatis, ut semper sine timore subsistat, suspiciat domini uoluntatem, & in omnibus ab illius iussis pendeat.

43 Et ne auferas de ore meo uerbum ueritatis usquaquaque: quia in iudicijs tuis supersperaui.

Non me destituas gratia defendendi uerum, iustum & sanctum, nõ auferas constantiam confitendi fidem quam reuelasti, & ueritatem quam docuisti uerbo tuo, etiam si multũ instetur ab impijs: quia in iudicia tua, quæ ex scripturis sacris didici multum speraui. Certus sum, quia omnia sanctè et gratiosè dispensas: sic enim adhærentibus legi tuæ & credentibus se tibi electis, deus nihil negare potes. Terrent iudicia dei perfidos, consolantur pios.

44 Et custodiam legem tuam semper: in seculum & in seculum seculi.

Dum deus suam mentibus nostris ueritatem immittit & seruat, iam ipso nitimur, ad uerba eius in omnibus actionibus nostris suspicimus, iugiterq; in legem eius intentos animi oculos habemus, quo fit, ut nunquam non aquiescamus legi, nec ad mortem peccemus. Id uero semper & sine cessatione fiet. Siquidem semel perfecte sancti spiritus donatione conuersi ad dominum, non peccabunt letaliter, etiam si pro carnis corruptione peccare non semper obmittant, sed minime ad mortem.

45 Et ambulabam in latitudine: quia mandata tua exquisiui.

Ex obseruantia diuinæ uoluntatis mira oritur conscientiæ tranquillitas, et sancta quædam cordi uoluptas ingeritur, quod propheta nominat ambulare in latitudine. Causam eandem quam præmisit repetit, Quia mandata

tua inquiro. Fons siquidem bonorum omniũ est, legi dei studere, esse deditum, & addictũ ex animo. Alioqui qui traditionibus hominum irretiuntur, in angustijs agunt, oppressi spiritu, & libertatem fideliũ ignorantes, quam & nesciunt carni seruientes.

46 Et loquebar in testimonijs tuis in conspectu regum: & non confundebar.

Fides ex studio legis. Ex eodem studio legis dei oritur & hæc fiducia, ut de lege doctrinaq; ueritatis coram quamlibet potentibus in hoc mundo agere multo liberrime audeant fideles: sic quoque possunt constare sibi, ut quicquid illi furiant nihil ipsis indignũ admittant, uel prodendo ueritatem, uel parum probe illius causam defendendo. Non confundantur unquam, sed ipsi potius secundum sæculum & carnem sapientes, de suis proditis mendacijs confundantur & gloriam domino reddere uelint nolint cogantur.

47 Et meditabar (delectabar) in mandatis tuis: quæ dilexi.

Diligere uerbũ dei. Quicunque fideles, & non alij amplectuntur ex animo & diligunt uoluntatem dei, bonaq; agnoscunt quæcunq; deus præcepit, etiam si implere non possint, probant tamen iustitiæ decreta à domino. Hi sponte & alacriter non ex necessitate perficiunt dei legem, delectantur in sacris, & abominantur quicquid est impium uel turpe inhonestum uel certo mendosum. Qui uero non diligunt uerbum domini, homines sine fide & timore dei, his abominatio est & nausea quicquid legunt in sacris, ubiq; inueniunt perfidiæ suæ fructum, exempla criminũ amplectuntur, et criminosorũ iudicium perferent, impietatis suæ damna tardius et irreparabiliter reportabunt.

48 Et leuaui manus meas ad mandata tua quæ dilexi: & exercebor in iustificationibus tuis.

Qui sic cum oblectamento animi & spiritus loquuntur & delectantur in lege domini, hi strennue aggrediuntur quæ nouerint præcepta à domino, non pigre & oscitanter, non tantum uerbo loquuntur sacra, sed opere exequuntur quicquid domino placere agnouerint. Fidem ostendere. Signũ enim amoris est exhibitio grati operis. Sancti enim non uerbo diligunt sed factis, ostendunt fidem suam ex operibus, ut uacua nõ est, sed ardua facit: si agere cessat, uera nõ fuit, arbor enim bona fructus profert bonos. Meditari autem in ceremonijs domini, est impense studere cultui diuino, fide, spe & charitate testari ueram religionem, quam dominus instituit, & solam probat, quamquam diutissime tulerit ceruicosum populum, & boni consuluerit leuia.

Zain. 7.

49 MEmor esto uerbi tui seruo tuo, in quo mihi spem dedisti.

Teneo ô deus amplissima promissa tua, quæ detulisti iamdudũ seruo tuo, tam generalia quàm priuata. Ideo quicquid contrariorũ quomodocunque acciderit, quantumlibet aduersa incidant, nihil cunctor, non despero, sciens excidere non posse uerbum semel à te promissum, qui ueritas es & semper iustus, quanquam fragilis sim & indignus, meritis destitutus, qui omnia debeo tibi quæ possum bona, & sine te nihil boni possum, sed in bonitatem tuam & ueritatem uerbi confidens, desperare non possum.

50 Hæc me consolata est in humilitate mea: quia eloquium tuum uiuificauit me.

Spes in tribulatione. Vnica in tentationibus multis spes est fidelibus, huius uerbi diuini stabilis certitudo, & nonnunquam intermoritura promissio gratiæ diuinæ, omnibus illam inuocantibus in ueritate. Non potest pater non meminisse filiorũ, nec mater filij uteris sui: multo minus deus suijpsius oblituisceтur, qui est ipsissima tam ueritas quàm bonitas. Quid fit ergo ut trepidet homo ad ipsum cõfugere? qui ad ostium stat & pulsat, media nocte surgit, ut non lapidem sed panem uicino multo minus filio tradat. Huiusmodi uerborum dei ruminatio consolatio est, & animæ uiuificatio, cuius agonia & mors est desperatio. Gratia autem dei per Christum traditum in mortem pro nobis credita, est ipsa uiuificatio animæ & uita in Christo. Hoc est animã manducare Christi corpus, & unum sanguinem bibere, affectuosa fide uerbi dei refrigerari ac refici domino propitiante.

51 Superbi inique agebant usquequaq: à lege autem tua non declinaui.

Contemptores superbi, & propterea ad omnia flagitia propensi, siquidem nec deũ reueriti nec homines, legem domini abijcientes uel minime curantes, illuserunt mihi, & riserunt fiduciam meam in deum meum, quem ut impij non credunt. Est enim pietas irrisio impijs. At qui legem dei uere didicit, auelli ab ea non potest. Nam uitæ uenam uoluit eam esse: uerba sunt enim dei & salutis medicinæ. Cui sic adhærentes electi, nulla tentatione uel instantia resiliunt ab obseruantia legis & fide promissorum.

52 Memor fui iudiciorum tuorum à sæculo domine: & consolatus sum.

Iudicia dei iusta. Iudicia tua omnia iusta esse, & benignitate permixta, uerum imperscrutabia carnalibus hominibus, imò etiam angelis, didici ego sancta esse & optima, ex lege domini bene intellecta: omnia scilicet quæ ab initio mundi egisti cum patribus sanctis, & cum prophanis etiã gentibus. Quorum consideratione deprehendi certo neminẽ sperantem in te fuisse derelictum, ut et ego confidere de tua clementia nequaquam addubitem. Durabunt enim iusta iudicia tua, contra omnem impiorum subsannationem atque sæuitiam.

53 Defectio tenuit me pro peccatoribus derelinquentibus legem tuam.

Defectio ingens ex horrore, pauor & quasi tabes quædam occupauit me totum. Ingens tristitia obsedit me, propter nõ credentes uerbis tuis, et blasphemantes bonitatẽ tuam, summe enim flagrabam studio honoris diuini, dum considerarem desertores eius. Pulchrè transtulit Ab impijs, per Pro impijs, id est propter eos, qui deum non timent, contemnũtq; obedire & discere imò credere quæ docuisti, sed audent abominari te & tua.

54 Cantabiles mihi erãt iustificationes tuæ in loco peregrinationis meæ.

Ceremonijs

Ceremonijs dei sic se ait oblectatũ, ut de illis frequenter carmina cecinerit dies noctesq́; quandoquidẽ iucundißimo corde & alacri tibi seruire semper uoluissem. Acquieui enim omnibus mandatis tuis, & dignè colere studui, idq́; etiam in loco peregrinationis meæ, quandiu in hac uita aduena sum & obnoxius mortalitatis iniurijs. Quanquam & notasse uideatur domum exilij, in qua nulla illi fuisset causa lætitiæ. Canere uero laudes dei, non nisi animo fide & deuotione fiat commendabile est, prophana uero canere indignum bono uiro, & turpius est fœminis, uirginibus execrabile.

55 Memor fui nocte nominis tui domine: & custodiui legem tuam.

Consideratio oraculorum dei & bonitatis diuinæ omnia alioqui aduersa superabat, eáque lætitia perfundebat, ut nocte nominis dei memor esset, utique non sine hymnis. Præposuit enim omnibus curis suis, studijs, sola tijs honorem dei & sacrosanctum beneplacitum. Custodiuisse se dicit legem dei nulla iactantia, nõ ad unguem, quandoquidem in multis offendit dominum, ut etiam electis contingit, sed pro uoto, & uoluntate & desiderio loquitur, etiam si non semper opus successerit. Et si non quidem pura & perpetua innocentia legem prosequi potuit, saltem resipiscentia & pœnitentia resarciuit admissa, sciens nolle dominũ peccatoris mortem, sed ut conuertatur, de quo in Actis Dauidis.

56 Hęc facta est mihi: quia iustificationes tuas exquisiui.

Hæc mihi lex domini immaculata, & animas conuertens, amantißima fuit, religiosißime exculta est, & meditatione continua commendata, non ut eam tantũ scirem uel docerem, sed ut perficerem pro uirili & gratia dei. Custodiui, inquit, mandata tua, beneplacito tuo acquiescere desideraui, etiã si per carnis fragilitatem aliquando minus potuerim præstare.

Heth ח.

57 Portio mea domine, dixi, custodire legem tuam.

Sors sola piorũ & portio dominus est, in quo uno omnia sua bona reposita habent. In toto mundo nihil cupiunt nisi ut domini sint. Dixi, inquit, id est, firmiter in animo statui, proposui mihi custodire diligenter uerba tua, ut pendeam totus ex tuis uerbis, & ex beneplacito uoluntatis tuæ. Ardeo enim totus studio tuæ legis, hoc est, quicquid fideles cogitant loquuntur uel agunt, solicite appendunt ad amußim diuinæ legis, tota cura feruntur ad intelligere ac docere domini uoluntatem, tam seipsos quàm alios, quibus præesse contingit, regnum uel familiam.

58 Deprecatus sum faciem tuam in toto corde meo: miserere mei secundum eloquium tuum.

Suspicio faciem tuam, à quo mihi cuncta expecto. Nihil enim possum uel habeo, sed ex te instanter precibus & suspirijs postulo, ut agere posim quæ iubes. Nec id uerbis tantum, sed toto corde, quod unicè respicis, & tibi præberi iubes. Oro autem, ut mei miserearis secundum eloquium tuum, ut reddas testimonium conscientiæ meæ, quod peccatis meis fueris reconciliatus, & redieris mecum plenè in gratiam, post tot meas graueisq́; offensas, sicut promisisti pœnitentibus & emendatis, ac de tua bonitate fidentibus.

59 Cogitaui uias meas: & cõuerti pedes meos in testimonia tua.

Nihil fructuosius profectui sanctorum & conuersioni delinquentium, quàm assidue captare tempus recogitandi & expendendi propria studia et opera quotidiana ac uerba, ne perpetuò transeat ut equus & mulus, quibus non sit intellectus. Attende, inquit, discussi miserã conuersationis meæ conscientiam. Nec tantum cogitaui, sed etiam ut fieri solet, gratia adiuuante et inuocata conuerti pedes meos ab erroribus uiæ ad tramitẽ legis tuæ, cui per omnia conformare me studui, operamq́; nauaui ut iuxta oracula dei uitam instituerem, atq́; id statim & omni mora rescissa.

60 Paratus sum, & non sum turbatus: ut custodiam mandata tua.

Paratus sum cum alacritate, & sine cunctatione festinaui, & non distuli, statim ut uidi transgressionis meæ periculosum casum. Quandoquidẽ tua me gratia ad hoc adhortabaris, & impellebas electum tuum, ut postea tanto studiosius obseruarem præcepta tua, te diligendo & proximum. Vbi enim fides in peccatore superstes manet & timor dei, non est tam periculosa præuaricatio, statim enim urgent ad resipiscentiam, quam orantibus dominus negare non potest.

61 Funes peccatorum circumplexi sunt me: & legem tuam non sum oblitus.

Consortia periculosa impiorum, & ueluti funis triplex difficile rumpenda caterua circumfuderunt me, ut depredarentur & occiderent: homines equidem sine deo quicquid malorum poterant intulerunt, modis omnibus affligebant. Sed tamen legem tuam mihi eripere non ualuerunt, nulla causa deserui uiam tuam, præposui enim omnibus huius mundi tentamentis amorẽ tuum. Solent studiosius insistere fidelibus impij, ubi se plures & præualituros esse confidunt, sed plures sunt cum Heliseo, quàm uidebantur. Præsentior gratia dei est electis quàm ut multis sæuis hostibus obrui possint, qui à domino pendent ac defenduntur.

62 Media nocte surgebam ad confitendum tibi super iudicia iustificationis tuæ.

Non se impios absterrere patiebatur, adeo ut nocte quoque surgeret ad adorandum & celebrandum deum, ob iudicia sua, quibus semper iustitiam suam in mundo demonstrant. Quanquam possit etiã hic per iudicia lex ipsa intelligi, sicut iustitiæ ita uitæ quoq; & salutis æternæ administratrix, pro qua certe gratias deo agere nemo digne potest. Vita siquidem æterna est, deum rite cognouisse, id quod lex, id est, doctrina de deo sola docet, uiua recepta in cordibus.

63 Particeps ego sum omnium timentiũ te: & custodientium mandata tua.

Socius ego sum omnibus deum colentibus. Quæ enim

mihi comingunt ſanctis omnibus uſui ueniunt, uel cum omnibus te dignè laudantibus participo, ſimili uoto & fide tuam maieſtatem celebrando, nec mihi gratius unquam contingit quàm ſi in cœtu timentiũ dominum mecum multi cõcurrant, & indies creſcat numerus fideliũ, te dignè colentium. Talia ſunt uota eximia ſanctorum, ut non ſua ſed dei ſolius gloria cultus & ueneratio creſcat. Qui omnes nihil unquã minus cogitauerunt, quàm ut in hoc mundo tantam gloriam aſſequerentur, quanta delata eſt Sanctis, Martino, Nicolao, Stephano, imò beatiſſimæ uirgini, quæ ſe nunquam aliud eſſe cogitauit, quàm ancillam domini, Reginam cœli collaudandam neper ſomnium unquam cogitauit. Sufficit ſanctiſſimis uiris ſi digni habeantur conſortio dominum timentium atque colentium.

Vota ſanctorum.

64 Miſericordia tua domine plena eſt terra: iuſtificationes tuas doce me.

Miſericordia ubique capitur pro bonitate uel beneficentia, quæ eatenus replet terrã, ut ubiq; pios uideatur deus promouere, miſeros conſolari, tolerare iniuſtos, impios præmonere & iudicare, pœnitentes ſuſcipere, fideles iuſtificare & perſeuerantes in fide beatificare, Talibus enim beneficijs dei plena eſt terra. Orat autem doceri ſe ceremonias quæ iuſtificationes dicuntur dei, ut ſciat quomodo digne dominum colat iuſtus, & myſteria illarum ex lege intelligat. Vtinã is ſpiritus propheticus cos inſpiret, qui nunc uideri uolunt deo religioſiſſime ſeruire ſi cõtingat interdiu, & noctibus laudes has canere, reliquorumq; carminum, ſpiritu quidem ſed non mente.

Beneficia dei.

Thet ט.

65 Bonitatem feciſti cũ ſeruo tuo domine, ſecundum uerbum tuum.

Gratias ago ô domine ſuper bonitate tua, quam tibi confiteor pro præſtitis à te mihi beneficijs, tam caſtigationis quàm ſaluationis & conſolationis, qui indignus & inutilis ſeruus tuus ſum. Id autem egiſti ſecundum uerbum tuum, ſicut promiſeras ſic miſero benefeciſti. Nec id mihi tantum, ſed fidelibus omnibus tuam profitentibus bonitatẽ. Quanquam enim qui in hoc mũdo uiuere pie cupiũt, mala patiantur multa, non tamen illis mala ſunt, ſed bonitate dei illis cooperantur in bonum, ſi ſcilicet uerbo Domini credant adhæreant & Domino fidant.

66 Bonitatem, & diſciplinam, & ſcientiã doce me: quia mandatis tuis credidi.

Placet ſine punctis lectio uetuſta, Bonitatem diſciplinam & ſcientiam doce me, quod adhibitis punctis Iudæi legunt, Bonum ſenſum & ſcientiam doce me, non admodum uario ſenſu, qui ſic exponi poteſt: Bonitatem in primis doce me domine, qua fide et charitate tibi prober & ſanctus ſim iudicio tuo. Diſciplinam quoq; in moribus, ordinem & modeſtiam ad proximũ ſimiliter dona, & ſcientiam meijpſius da mihi. Eſt autem dictio טעם admodum latæ ſignificationis, ſicut & Latinis eſt ratio ſiue ſenſus, uel guſtus, pro qua Diſciplinam priſcus poſuit. Alij, Rectè ſapere & cognoſcere retulerunt. Quod uero ſubijcit, Quia præceptis tuis credidi, aut fidem habui, radix & fons eſt omnis recti iudicij, ueriq; ſenſus in rebus omnibus, ſi bonitatem diſciplinam & ſcientiam aſſequamur, & uerbo dei fidem certam per omnia habeamus, ſine quo nihil recte fiet uſpiam unquam à quocunque.

67 Priuſquam humiliarer ego deliqui: propterea eloquium tuum cuſtodiui.

Antequam afflictionibus humiliarer ego erraueram. Tentatio carnis in hoc mundo à te mihi immiſſa erudiuit me, ut tuam agnoſcerem bonitatem, ſcirémque quod in multa lenitate errantem me tuleris, inq; uiam reuocaueris. Hanc ergo poſthac quoque & ſemper concede, ut legem tuam cuſtodiam, ſimq; tibi deuotior. Perſæpe enim ſui diſſimiles euadunt ſancti, cum omnia carni ex ſententia ſuccedunt, eruditurque autem & ſibi reddunt in afflictionibus. Tunc autem agnoſcunt quàm neceſſarium illis ſit uerbum domini, quo conſolentur ut non deficiant.

Tẽtatio carnis.

68 Bonus es tu: & in bonitate tua doce me iuſtificationes tuas.

Totus benignus & clemens es, ipſaq; bonitas, etiam cum affligere ſoles: ſolus omnia bene agis, quia ſolus bonus, beneficus quoque qui gratuito omnibus benefacis, & nullius eges. Gaudet enim bonum ſeſe communicare multis, ideo ſummum bonum ſumme ſeſe impartitur omnibus creaturis. Doce me, iterum orat, iuſtificationes tuas, ut ſciam unde ſit & qualis bonitas in ceremonijs, quisq; illarum uſus: ne tantum ceremoniæ ſint, & fructus inde nullus redeat ad cultores dei, qui hæc ſic fieri ab Iſraële inſtituit, data deſuper lege, alioqui non tanta res erant ceremoniæ Iudaicæ, ut toties ea diſcere cupierit, ſed myſteria erant ſolis perfectioribus reuelanda, de Chriſto offerendo pro peccatis gentis illius, & omnium ſaluandorum, cuius hæ typus ad tempus correctionis inſtitutæ erant. Quanquam & חקים pro legibus in genere accipi poſſint, ſed proprie ut dictum eſt ritus ſignificant & ceremonias.

Ceremoniæ.

69 Multiplicata eſt ſuper me iniquitas ſuperborum: ego autem in toto corde meo ſcrutabor mandata tua.

Hoc nunc Hebræi ſic transferunt: Concinnauerunt uel connexuerunt aut compoſuerunt ſuper me mendacium ſuperbi. Senſum priſcus proprie aſſequutus eſt, quaſi dicere uoluerit, Tota cohors ſallax eorum qui te mere agunt omnia, & contra deum ſuperbiunt, multo agmine pariter mihi imminent & reſiſtunt. Quaſi dicat: Contemptores diuinæ legis quam tamopere appretior, ſuis ipſi mendacijs me traduxerunt, propter odium ueritatis, quibus tamen nihil motus fui, quo minus pertinaciter legi dei inhærerem, id quod & ſupra aliquoties de ſe in gloriam dei iactauit.

70 Coagulatum eſt ſicut lac cor eorum: ego uero legem tuam meditatus ſum.

Cauſam dicit quod impij illi legem dei non potuerint intelligere, quæ ſibi erat ſumma & unica oblectatio ac uoluptas, quia proſperitate illorũ temporali cor illorum ut adeps ſtolidũ ſic & craſſum, ut ad omnia quæ ad deũ, & le-

& legis ipsius scientiam & intellectum pertinent, plane stupescerent. Ego uero in lege domini delicias summas susceperi, per simplicitatem & innocentiam, spiritu dei afflatus, gustando quàm suauis sit dominus uniuersis, & dogmatum falsitatem clarius deprehendendo, collatione scripturæ studioq; fideli ac assiduo non sine orationibus. Quod Iudæi nunc transferunt, Impinguatum, hoc priscus dixerat Coagulatũ, sine uarietate sensus. Et pro delitijs affluere, ille intellexit attentam meditationem cœlestium rerum, quæ non est sine delitijs.

71 Bonum mihi, quia humiliasti me: ut discam iustificationes tuas.

Nihil in hoc mundo iustis salubrius esse potest, quàm crux & humiliatio spiritus per aduersa. Cum enim infirmor, ait Paulus, tunc fortior sum. Et discipulos Christus uocat ad crucẽ post se ferendã. Idipsum patriarchæ omnes testantur exemplo suo, & martyres cum apostolis. Discitur enim in tribulationibus, & animo concipitur recollecto, quomodo colatur deus, qui distrahitur per uitia multa, si omnia læta adsint, ut uitis non ligata & iuuenis sine disciplina & ferula.

72 Bonum mihi lex oris tui super millia auri & argenti.

Iustus longe suauissima est ex lege agnitio uoluntatis diuinæ, quomodo dño placeat, quæ uirtutis semita sit, & in ea proficere, sanctimoniaq; studere, summam legis uiuere, fidem in deum et ueram charitatem ad proximum, quibus constat pax conscientiæ, quæ est iuge cõuiuium, paradisus animæ, & perpetua securitas cum deo, quam quicunq; thesauri pretiosissimi, qui hominem irrequietum faciunt, plurimorum uexationi exponunt, auferunt dulcedinem huius uitæ, & occasionem præbent tentationum ad mala, ut sunt incitamenta libidinũ uel auaritiæ, quibus in hoc mundo uitæ suauitas perturbatur. Lex aũt domini meditata, & in exercitiũ tracta, felicẽ reddit conscientiã, etiã in hac uita, & certa expectatione futuræ beatitudinis semper alacrẽ relinquit. Omnes huius mundi diuitiæ huic ueræ sapientiæ minime comparari ualẽt.

Iod

73 Manus tuæ fecerũt me & plasmauerũt me: da mihi intellectum, ut discam mandata tua.

Vt semper hoc præcipuum orat à dño, dari sibi intellectum legis, ut certò sciat ac possit uiuere secundum eam, esse beatam uitam solidumq; diuinitatis consortium, sic sibi inde spem firmat exorandi illam, eo quod sit figmentũ dei, et uiuẽs in lege ipsius. Tu, inquit, mihi creator es, nõ inuictus Hercules, quẽ dicũt, tu mihi solus pura mente colendus, qui plasmator es omnium, faciliari studio me conditũ exornasti, prærogatiuis specialibus præ alijs creaturis omnibus, donis naturalibus & gratuitis. Hoc quoq; dare digneris, ut intelligam & uelim ea in quibus tibi probari quàm maxime possim, præceptorum scilicet tuorum spiritualem & genuinam intelligentiam, quæ non datur alicui nisi per tuum spiritũ.

74 Qui timent te uidebunt me, & lætabuntur: quia in uerba tua superspersi.

Sancti tui quos elegisti, ut semper proficiant & ex omnibus, isti meo exemplo permouebuntur ad profectus in timore tuo, congratulabunturq; mihi de bono perseuerantiæ, et de gratia tua ad me peccatorẽ, ut et ipsis similem tuã clementiã oportuno tẽpore affuturã sperare audeant. Honestatis formulã amplectentur, et studiũ tuæ legis, cernentes me non confundi expectatione mea, qui tota fidutia inhæreo promissis tuis et legibus meditãdis, experientia bonitatis tuæ firmandi exemplo meo.

75 Cognoui dñe quia æquitas iudicia tua, & in ueritate tua humiliasti me.

Fructum canit cognitæ legis. Ex ea enim discimus deum omnia nobiscum agere ex iustitia & fide, hoc est summa æquitate & bonitate etiam cum exercet aduersis & carnis affectio remurmurat. Ipsissima iustitia est quicquid ordinas uel disponis, omnia iudicia tua inter homines etiam occulta, cum optimus sis & summũ bonum. Fide humiliasti me uel agnita ueritate, non operibus sed tuæ bonitati & uerbo credens, ne superbiã impotentiam naturæ corruptæ cognoscam & ad te curram iuuandus. Æquitas dei.

76 Fiat misericordia tua ut consoletur me: secundum eloquium tuum seruo tuo.

Ex mentis uera humilitate, percepta ex studio legis, oritur oratio uehemens, pro benignitate & gratia dei, pro consolatione spiritus, ut adiuuet fragilitatẽ conscientiæ, & faciat sperare credentẽ. Ex eloquio tuo quo mihi seruo tuo promisisti ingentia benignitatis tuæ munera, quæ nullis proprie subsunt rationibus meritorũ, sed solæ electione libera & gratiosa, qua me tibi seruũ assumpsisti, et ut digne deseruirem gratiã contulisti, quã oro abesse mihi nunquam patiaris.

77 Veniãt mihi miserationes tuæ, & uiuam: quia lex tua meditatio mea est.

Alijs uerbis non semel idem eloquitur, more omnium amantium ardenter et precantiũ, inq; angustijs uel amore syncero positorum, sine uitio sed ex negotij ipsius natura. Tot, inquit, obruto calamitatibus, ô deus, succurrat magna clementia tua, periclitanti usq; ad mortem, & ad desperationem ultimam, ut reuiuiscam animo, et fidutia perfecta imbuar. Id autem maxime fiet ex consolatione scripturarum, si mihi earũ dignus tribuatur intellectus dono spiritus tui, quandoquidem omne fideliũ gaudium proficiscitur tantum ex uerbi dei fide, si illud continuo & debita reuerentia perlegitur, cũ proposito proficiendi ad opera uere bona, quæ ex illo discuntur. Amãtiũ colloquia.

78 Confundantur superbi quia iniustè iniquitatem fecerunt in me: ego autem exercebor in mandatis tuis.

Qui piè uolunt in Christo uiuere persecutiones patientur mundi & satanæ à filijs Belial sceleratis, & id immerito ac indigne, quandoquidem ipsorum institutum est de omnibus bene mereri. Orant igitur improbos tales pudefieri tandem, frustratos conatu suo, qui euertere scilicet non tam ipsos fideles, quàm in ipsis gloriam nominis dei instituũt. Id uero sancti orant, ut libere de mandatis dei, de uerbo ueritatis, de dogmatibus sacrosanctis loquantur, utq; tutò iungi sibi cæteri possint, & Impios pudefieri.

eodem pietatis studio tenentur, et oraculorum dei cognitione donati sunt, hoc est, ut liberati à manu hostiũ, deo seruiant in sanctitate & iustitia coram ipso.

79 Conuertantur mihi timentes te: & qui nouerunt testimonia tua.

Deserta impiorum mendaciumq; cohorte, multi ex electis iungantur mihi, ad me cõuertantur sancti omnes, qui dominum uerè timentes colere satagunt, quorum omne studium sit, ut in diuinis contestationibus et legibus exerceantur, certo credentes promissionibus. Non enim pijs sufficit propria fides & scientia, cupiunt insuper pleno affectu multos proficere et ad dominum conuerti amandum, & ad legis diuinæ impletionem, solicitantq; semper quoscunq; possunt & modis omnibus.

80 Fiat cor meum immaculatum in iustificationibus tuis, ut non confundar.

Studium salutare.

In solido legis diuinæ studio tota salus sita est, ideo id ipsum orat frequentius, ut liceat per gratiam sibi donandam perfecto corde deũ colere, in spiritu non litera, habere in ceremonijs dei cor syncerum, id est, toto pectore illis studere, ruminare mysteria illarum, nulli idololatriæ consentire, quam odit dominus, & serioſe interdixit, ut non confundatur, sed in ueritate semper & pietate perduret, triumphet contra aduersarios, impios ueritatis contemptores & persecutores.

Caph כ.

81 DEfecit in salutare tuũ anima mea & in uerbum tuũ superſperaui.

Canit quàm anxie auxilium dei expectauerit, uel etiã redemptionẽ promissam fidelibus concupierit, ut præ expectatione animus sibi et oculi defecerint, & ueluti in extasim raptus fuerit. Oẽs enim ueteres salutare domini anxie præstolabantur, in quo peccatis mundati domino cõciliarentur suo tempore mittendum, & quotidianis angustijs exercitati, aliud solatium nisi à domino minime postularunt. Ad uerbum tuum insigniter speraui, certus inquit sum de futura mitenda salute, quam toties patribus promisisti, & qua nõ destitues fideles syncere orantes.

Expectatio salutis.

82 Defecerunt oculi mei in eloquium tuum: dicentes, Quando consolaberis me?

Impensissime desideraui uidere uerbum tuũ, cum multis alijs patriarchis & regibus, et præ desiderio et pertinacia aspiciendi in cœlum, unde ueniret auxilium, oculi mei consumpti sunt. Sic quoq; uoluntatis tuæ per omnia scientiam desideraui, ut nunquam clamare destiterim, dicendo, quando cõsolaberis me? constantia enim & perseuerantia opus est in desiderijs pijs ad salutẽ, & in oratione. Nõ sunt capaces solatij diuini, nisi qui peccata sua & proximorum ex animo indolent & plangunt coram domino, & sine intermissione orant. Nec frigido affectu uerbum domini perscrutandũ est, sed ardẽti et supplici.

83 Quia factus sum sicut uter in pruina: iustificationes tuas non sum oblitus.

Tanto desiderio se maceratum queritur & terrefactum, ut fuerit factus similis utri suspẽso in fumum omni humore destituto, inutili ad omne opus & desperato,

quandoquidem fuit abiectus ab hominibus, & existimatus à deo reprobatus & damnatus, & à mundi principibus persequutus. Veruntamen non est oblitus misericordiarum dei, non desperauit, non destitit dignè deum colere, & obsequio constituto à deo seruire. Proximus est salutí, qui sibi nullam nisi à domino sperat salutem.

84 Quot sunt dies serui tui, quando facies de persequentibus me iudicium?

Præmemorati desiderij nunc uox effertur. Quot tandem, ait, dies supersunt seruo tuo, quibus scilicet ab impijs istis me diuexari oportet? quot diebus præstolabor salutem? Quando facies de persequẽtibus me iudicium? quando iuste uindicabis in impios aduersarios meos? Nõ id amore uindictæ, sed gloriæ diuinæ uindicandæ, & frigilium fidei adiuuandæ orat pius. Alioqui paratus benefacere persequentibus, sed hostiũ dei uictorias indigniſsime ferẽs. Non enim alios patitur inimicos, quàm qui idẽ domino quoq; infesti sunt, & aduersarij peruicaces.

85 Narrauerunt mihi iniqui fabulationes: sed non ut lex tua.

Vim & impietatem horum accusat & studium flagitiosorum contra sanctos, qui non legis ueritatem, sed fabulationes friuolas & traditiones hominum narrant, ut subuertant falsis dogmatibus animas fideliũ. Hoc Hebræus eloquitur per tropum, Foderunt mihi superbi foueas. Longe aliter docent quàm habeat uerbum dei, nec uiuunt quoq; nisi pro uoto & libidine, statuta statuunt quæ non obseruant, sua tantũ sectantur compendia, proximis scandala ponunt & laqueos, uolentes interim se in tuto constitui & exleges.

86 Omnia mandata tua ueritas: iniqui persecuti sunt me, adiuua me.

Confert fidem præceptorum dei cum mendacijs causæ, ob quam impij sanctos persequuntur. Præcepit enim dominus fidem, pietatem, iustitiam, id est, ueritatẽ in uerbo et opere, quæ summa est legis. Mendaciũ autem, hoc est imquorum colluuies, & caterua hominũ ex mendacijs consutorum improbitas, persequuntur me, propter uerbum tuum quod est ueritas & iustitia. Tu itaq; ipsissima ueritas & patronus iustitiæ, adiuua me, qui solus potes & uoles. Signum est generale omniũ iniquorum quod inuocentes persequũtur, odiũt ueritatẽ, uerbũ dei nõ audiũt.

87 Paulominus consummauerunt me in terra: ego autem non dereliqui mandata tua.

Impij ad-huc reuiuiscunt.

Incumbunt sedulo impij ut sibi dissimiles & graues ad uidendum pios ad nihilũ redigant, & pro uirili annituntur, sed iudicio diuino absterrentur, ne tantũ possint malorum quantum uellent: nõ enim præualere sinũtur, nec obesse possunt fidelibus, qui solidiores sunt in timore dei & fide, quã ut ab impijs auertantur. Sic sunt uere credentes, ad extremum spiritum usq; legem dei seruãt, nullaq; ui extorqueri illam sibi patiuntur. Orant autem interim semper, ut tandem liberatis à manu hostili seruire domino liceat in sanctitate & iustitia: ideo sequitur.

88 Secundum misericordiam tuam uiuifica me, & custodiam testimonia oris tui.

Pro beneficentia tua uiuifica me, per gratiam tuam re-

dime

dime à morte quam merui, quam intentant impij, ut custodiam testimonia oris tui, & nunquam excidat mente promissio salutis tuæ ex gratia, qui nullis me meritis tibi probare possum, sed bonitati soli innitor, sciens sine gratia tua legē à me tuā obseruari non posse, sed odire potius et abhorrere. In iustitia autem tua, quæ Christus est, sola uiuificamur, quotquot electi sumus.

Lamed ל.

89 IN æternū Domine uerbum tuū permanet in cœlo.

Verbum tuum, id est ueritas à te semel dicta, labefactari à nulla poterit creatura, perstabit in omnia sæcula, sicut & uerbo tuo ab exordio rerum condita subsistunt semper: uerbum autē quo facta sunt, initiū ut non habuit, sic nec finē est habiturū. Vis quoq; & potentia dei, uerbum domini dici potest semper manens & iam in cœlestibus perficiens dñi uoluntatem. Opprimi ad tempus ueritas potest, sed emergit semper. Communi sensui agnata est, ui olenter illius diu locū falsitas obsidere nō potest. Non ergo se putent patroni errorū pro suis cōmodis diu perstituros, sed propediem confundendos. Qui doctrina probari uult, à uerbo dñi stet, etiam si dura imminеant non confundetur.

Verbi dei ueritas.

90 In generatione & generationem ueritas tua: fundasti terram, & permanet.

Succedunt sibi sæcula ac hominū generationes, & nihil stabile in hoc mundo deprehenditur præter ueritatē uerborū dei, ac eam fidē, quæ fundatur in eis, quicquid præter illam docetur, friuolum olim si non statim deprehendetur & fallax. Præparasti suo loco terram, unde dimoueri nequeat, & eam uegetatrice potentia uel natura ordinasti, ut sit minime otiosa: sic quoq; uerbum tuū permanet, & faciet id ad quod mittitur, fructū scilicet alicubi, hoc est in terra bona centesimum.

91 Ordinatione tua perseuerat dies: quoniā omnia seruiunt tibi.

Ordinem tuum quē ab initio creationis indidisti rebus omnibus creatis, conseruant omnia: & usq; hodie & donec stet sæculū obediunt domino uniuersorū omnia quæ sunt in rerum natura. Homo tantum abutitur sua uoluntate, et uerbo dñi obedire recusat: quicquid alioqui conditum est, conditori paret ac seruit ad nutum: perficiūt omnia quæcunq; agenda iniūxisti, dies ipsi & nox, sol, luna, stellæ, & omnia. Omnia testantur uerbi dei constantiam, per quod creata sunt omnia.

92 Nisi quod lex tua meditatio mea est: tunc forte perissem in humilitate mea.

Dilectionem spiritus.

Transtulit ubique ferè meditationem pro delectatione interpres priscus, arbitror non ex imscitia, sed pro usu illius temporis sine offensione sententiæ. Non sunt synceriora oblectamenta spiritus, quàm meditationes fidelium in lege dñi: quandoquidē tota scriptura est ad consolationē piorū & conscientiarū, ut eius lectione & studio dispellantur errores, scrupuli, angustiæ conscientiarum, & afflictiones spiritus, desperationū laquei explicentur, & aperiatur salutis ianua claue uerborum dei. Sine dei uerbo nec mundus consistere posset, nec iustitia, æque ut sine sole mundus.

93 In æternum nō obliuiscar iustificationes tuas: quia in ipsis uiuificasti me.

Nihil mihi antiquius erit uel esse debet recente & sedula meditatione mandatorum tuorū. Vt cum nunquam non sit mihi obseruanda uoluntas dei, in omni cogitatione, uerbo & opere, non expedit eius unquam capi obliuione hominem, deo seruire cupientem. Exercitium iuge sit oportet legis diuinæ ruminatio, quod & præcepit Israelitis dominus eam scribendam passim in domorum ianuis & uestium phylacteriis, pendere ad frontem. In ipsis enim mandatis domini uita est, uoluptas scilicet & confirmatio piorū, & admonitio, quo minus uitam amittant quæ obseruātiæ debetur mandatorū. Ne non sit lex domini aliud quàm mors & damnatio, quæ & lætificare solet corda, et illuminare oculos ad uidendū, nō tantū mala, sed etiam bona, nedū iudiciū sed & clementiā dei.

Ruminatio legis.

94 Tuus sum ego, saluum me fac: quoniam iustificationes tuas exquisiui.

Experimento didici me tuum dilectum esse, & electū ad gratiam & gloriam tuam, quādoquidem sentio in me studium & amorē legis tuæ, præter id quod creaturam me tuam credo, & filium clementissimi patris, cui iudicia & iustitias suas manifestauit, quod nō fecit omni prophanæ nationi. Et quia scintillam in me sentio charitatis & fidei, zeli quoq; in legē tuam, ideoq; cupio ut salues me filium tuum & electum, quandoquidem exquisiui diligenter quid mihi mandaueris, ut scirem in quo tibi placere, & tuam laudem promouere possem.

95 Me expectauerunt peccatores ut perderent me: testimonia tua intellexi.

Cum ipsos nos crediderimus dei esse, & legi eius studemus, facile ab improborum uiolentia seruamur. Considerantes enim quæ de deo nobis lex prædicat, statim uidemus quæ nos sors maneat ex improbis, qui casum nostrum anxie expectant. Qui ut sine deo uiuunt, sic insidiantur ut disperdant confidentē domino, seruientem et confitentē, sed nihil efficient. Si enim pro nobis est dominus, quis cōtra nos? Intelligimus enim promissa nobis ex lege bona, reuoluimus corde quid deus sanctis suis in fœdere iurauit, et nunquā nō statuerit studiosis in lege sua.

Impij non possunt quod uolūt

96 Omnis consummationis uidi finem: latū mandatum tuum nimis.

Dum nosmetipsos totos deo committimus, optima spe in deum erecti canimus, Omnis consummationis uidi finem. Non semper persequi ad consummationem possunt impij ut uellent, habent periodum suum studia malorum & bonorum, peribunt tandem quicunq; tua lege nō sustentantur, quanto magis qui studiosos ipsius insectāturē Latius est autē mandatū tuum, quàm ut naturali uirtute compleatur, omnia iusta & sancta, utilia & necessaria complectitur, unica charitate consummatur.

Mem מ.

97 QVomodo dilexi legem tuam (domine) tota die meditatio mea est.

Plurimū amant dei legē electi, quæ alia

non est, quàm sanctissima uoluntas sua & optima, nihil
Lex dei qualis. præcipiens quàm hominibus honestũ & utile, bonitatẽ dei reuelans per omnia, & ad mutuã charitatẽ cõmone faciens, magistra uirtutũ omnium, et regula sola certaq; iustitiæ: & quomodo non hæc esset multũ diligenda à fidelib? Huius autem indicium est & signum amoris in conscientia mea, quia nullo unquam tempore desino illã meditari, discere & quos possum docere. Nõ tantopere diligit dei legem, cui sordet stilus spiritus sancti, qui ei fabulas præfert poeticas, et fidẽ nõ habet, nisi eorũ quæ uidere cõtingit uel in prophanis literis aut historijs didicit, q uiuit carni et sanguini, cui sapiẽtia spiritus aduersatur

98 Super inimicos meos prudentem me fecisti mandato tuo: quia in æternũ mihi est.

Sapientiorem se iactat factũ ex frequenti meditatione
Sapientia legis diuinę legis diuinæ, quàm sint omnes amatores huius mũdi, qui inimici constituuntur uoluntatis diuinæ. Illi siquidẽ spernunt legẽ & uerbũ domini, ideo nõ intelligunt: ego iugiter meditor, ideo faui illius dulcedinem sentio, perq; illud erudior. Non habet aũt sapiens inimicũ nisi ignorantẽ & malũ, qui dei mãdata sicut et deũ ipsum nõ curat. Ipsa lex dei semper mecũ erit, semp appretiabitur, nunquam postponetur, per eam proficiã iugiter & consolabor. Nec est uera sapientia præter eam, qua domini beneplacitum scitur et diligitur, eidem omnis alia eruditio non potest comparari. Thesaurus est nunquam deficiẽs, & omnia pretiosa nihil sunt comparatione illius.

99 Super omnes docentes me intellexi: quia testimonia tua meditatio mea est.

Nihil ab aliquo doceri potest sanctius, utilius & ueri-
Doctrina sanctior. us, q̃ uerbũ dñi, lex dei, sed si à sancto spiritu inspiretur, et sine humanis uafricijs uel mixturis. Qui enim me Da uidem olim, parentes uel præceptores docuerant, homines erãt, et humana tradebant. Sed doctor meus spiritus est dei, et quæ docet diuina sunt. Hoc fidei dono præuentus facile sanctis dogmatibus aurẽ præbui & assensum: sunt enim testimonia dei mei, studiosè et nõ ad literã tantũ intellecta meditatio mea iugis, dum cogito quæ nobis deus sperãda, credẽda et operãda cõcrediderit. Nec est rarũ discipulũ superare magistrũ, quin pius præceptor sese excedi à discipulo insigniter gaudet & gratulatur.

100 Super senes intellexi: quia mandata tua quæsiui.

Non ex carnis sapientia, uel ætatis experientia disci-
Scire & facere. tur dei uolũtas, sed ex fide, oratione, lectione legis diuinæ, et sancti spiritus inspiratione digne proficitur in rebus dei, quæ oĩa senio nõ egent. Candidis pectoribus illabitur unctio hæc spiritus sancti, gratia & scientia, qui æque Danielẽ & Dauidẽ, ut Zachariã implere potest. Bene in lege proficit, sanè intelligit, qui eã facit et obseruat, nõ qui in hoc solũ discit ut doceat uel laudetur. Non iactabundus hæc dicit, sed studio alliciendi omnes, tam iuuenes quàm senes ad similiã sanctissima studia.

101 Ab omni uia mala prohibui pedes meos: ut custodiam uerba tua.

Via hic pro moribus capitur, et doctrina, pedes quoq;
affectiones significãt. Vt sit sensus, A mala cõuersatione & falso dogmate studiosè abhorrui et præcaui, ne uapularẽ, et scandalo cuiq; essem simpliciũ et imperfectorum. Nõ sufficit uitasse malũ unũ, sed omnia, ne fiat omnium reus, dũm offendendo & indignationẽ incidendo. Studiũ mihi fuit nõ tantũ discẽdi legẽ, sed etiã custodiẽdi, ne uelut improbus seruus, sciẽs dñi uolũtatẽ trãsgrediar: scientia nõ sufficit imò peccatũ auget sine fide et obediẽtia.

102 A iudicijs tuis non declinaui: quia tu legem posuisti mihi.

Fructus est studij theologici, non declinare à lege dñi,
seruare quod didiceris, iura & statuta dei ad proximũ diligentius perficere. Intelligi potest nõ scandalizatũ ab operibus iudicij diuini, plerũq; ignotis rationibus cuenientibus, & imperscrutabili modo. Tu enim docuisti me, erudiendo, instigando, cooperando, & perficiendo obseruantiam tuæ legis.

103 Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua super mel ori meo.

Vt ex studio legis procedit amor iustitiæ, & odium
Pietatis profectus. iniquitatis, sic usu dulcedo crescit ueræ pietatis, et desiderium eloquiorũ dei, ut summa sequatur in hoc mundo uoluptas, meditari in lege domini die noctuq;, longe felicius quàm in philosophica et humana sapientia. Super mel ori meo est mihi uerbũ tuũ, præfero studiũ diuinæ legis omnibus delicijs. Palato aũt ægroto mũdanis desiderijs & sensu superbo, cœleste illud manna nauſea est, & prouocat uanos ad murmurationem, perfidiam & contemptum, mortem quoq; inducit, & damnationem.

104 A mandatis tuis intellexi: propterea odiui omnem uiam iniquitatis.

Ex lege mandatorum tuorũ ueracupio semper & iu-
Contraria legi. stitiã eruditionẽ, proficio ex ea in agnitione ueritatis, & directione uoluntatis sanctæ. Ideo quicquid contrarium est sanctitati et iustitiæ displicet, mendaciũ odio, ubi agnouero ueritatẽ. Displicent omnia humana, cũ sapere cœpi diuina mandata tua, prætuli hominũ traditionibus (quæ mendaciũ sunt) sapientiã mandatorũ tuorũ. Nolo in præiudiciũ uel impedimentũ diuinæ uoluntatis morẽ gerere friuolis præsumptionibus hominũ, plura maiora & sanctiora sunt quæ dñs homini præcepit, quàm ut in super imponere conscientijs plura & ad pietatis profectum inutilia præscripta debeamus. Nun 3.

105 Vcerna pedibus meis uerbum tuum: & lumen semitis meis.

Sine lege peccatum.
Vt qui in tenebris ambulant semper offendunt, omnia expauescũt, ad omne opus inutiles sunt, & facile labuntur. Sic ubiq; peccat cui non prælucet lex dei, sine consolatione spiritus sunt in hoc mũdo maligno, perperã agunt, & ut dño placere nõ possunt, peccant per ignorantiã & fomitẽ. Canit ergo sanctus, hanc se uelut lucernã pedibus, id est actionibus & affectibus adhibuisse legis diuinæ meditationem, & uerbum dei, secundum cuius præscripta uiuentes non peccabimus, nec errabimus, nec damnũ animarũ incurremus.

106 Iuraui & statui custodire iudicia iustitiæ tuæ.

Non raro ex uerbo dei prænonitus homo pius affir-
mat,

mat, ac serioſe ſibi proponit per omnia ſe conformiter uicturum ad uerba dei. Id aũt fit inſtinctu ſpiritus ſancti, qui ex ſcripturis religioſe lectis hauritur: ſi tamẽ præceſſerit oratio, cõcomitetur fides & meditatio aſſi dua ſubſequatur, quotidiana quoque ſuiipſius recollectio, quæ à fidelibus non eſt obmittenda. Quo fit, ut dum hic nunquam uitam & opera legi diuinæ planè conformare poſſunt, indies imò in horas uota uitæ melioris inſtituendæ innouent & ſibi proponant.

107 Humiliatus ſum uſquequaq; domine: ui uifica me ſecundum uerbum tuum.

Plurima aduerſitate fidelis exercitatus, dei opem implorat. Multæ ſunt afflictiones iuſtorum in carne & ſpiritu, etiam dum lumen mandatorũ dei ſequi conantur, et iuſtitiam optare incipiunt, tunc enim irritant contra ſe ſatanam, mundũ & carnem, ſed cõſolantur ſpe promiſſionum dei, ad quem orationibus confugiunt, & ſpiritu ſancto captato, cõtinuo uiuatus ſatagere pergũt. Hypocritæ facile ceſſant ad occurſum tentationis in ꝓpoſito meliore, non ſic uere pij, uerbis dei creduli ac fideles.

108 Voluntaria oris mei beneplacita fac domine: & iudicia tua doce me.

Concepta meliore ſpe in tentationibus arduis, fidelis uota nũcupat laudis, grataq; haberi à domino precatur. Hæc ſponta nea uel uolũtaria ſacrificia uocat. Addit aũt Oris, ut de laudibus ſe loqui exprimat. Quæ enim non ex præſcripto legis, nec pro peccato, ſed pro gratiarum actione libere offerebantur, ſpontanea uocabantur. Iam uero propheta ſciebat deum pecudum hoſtias nihil morari, igitur, ut & aliàs, laudis ſacrificia ſe oblaturũ proponit, dum orat ut ea deus grata ſuſcipiat.

109 Anima mea in manibus meis ſemper: & legem tuam non ſum oblitus.

Animã ſuã ſemper eſſe in manu, eſt ſemp periclitari de uita: ſicut animam in manus ponere, accipitur Hebraica locutione, ꝓ adducere uitã in diſcrimẽ. Dicit itaq;: Semp ego uerſor in magnis periculis, ut relictus mihi uidear inter aduerſa, ſed tũ legẽ tuã non ſum oblitus, nihil malorũ in hoc mũdo extorquere poteſt mihi et eximere amorẽ uerbi tui, quo minus in eo delecter, uiuã, diſcã, ac doceã.

110 Poſuerunt peccatores laqueũ mihi: & de mandatis tuis non erraui.

Quo in periculo animã ſuam inuenerit hic explicat. Tetenderũt improbi laqueum mihi, inſidias parauerunt multipharíam, uerbis, operibus, doctrinis & exẽplis, humanis aſſertionibus et traditionibus, cõſilijs et mãdatis, excõmunicationibus et interdictis. Nõ tantũ ui, ſed inſidijs quoq; ſanctos improbi petunt. Sed à mandatis tuis quæ tu mihi commendaſti, non declinaui, non aberraui, ſtrenue nihilominus obiui quæ te uelle agnoui. Tutiſſimum enim in malorũ inſidijs eſt, non abijcere clauũ uerbi dei, certa ſectari, deo credere, fidẽ ſeruare, deo fidere.

111 Hęreditate acquiſiui teſtimonia tua in æternum: quia exultatio cordis mei ſunt.

Nemo ſic diligit hæreditaria bona ſua, & oblectatur peculio ſuo, ut ego teſtimonijs tuis, quæ ſunt unica mea hæreditas, promiſſiones tuæ, & uerborũ tuorũ ueritas, præter quam nullam aliam uolo, quandoquidem mihi illam præ omnibus cõmendaſti tuendam, & perpetuo excolendam, ut fructus uitæ proferat mihi, & alijs, in gloriam tuam. Quia gaudium cordis mei ſunt, cõſcientiam meam ipſa ſola pacificant, & gaudere faciunt, animasq; omnes fide & intelligentia incumbentes uerbis diuinis. Nulla enim in orbe maior conſolatio fidelibus, & pijs omnibus, quàm quæ habetur ex ſcripturis ſacris.

112 Inclinaui cor meũ ad faciẽdas iuſtificationes tuas in æternũ: propter retributionẽ.

Propendeo toto corde meo et cupio in primis, elegiq; præ omnibus digne te colere, ceremonias tuas ſpiritu et fide pagere, tibi fide, ſpe et charitate adhærere, tota ſcilicet fiducia: id uero ſemper & æternaliter, donec fuero. Additur עקב, hoc eſt, finaliter, perfecte: quaſi quis dicat, Vnguetenus: hoc eſt, ſuper omnia ac ſemper faciam quod tibi placere cognouero. Propter retributionem quoq; ſignificare poteſt, ad hunc ſenſum, Id autem faciã, non ſine cauſa, donec ſcilicet ad tẽpus meriti percipiendi peruenero in calcem huius uitæ.

Samech ס.

113 Iniquos odio habui: & legẽ tuã dilexi.

Iniquos hoc loco intelligas prout opponitur innocentibus & integris, quaſi dicat præfractos homines. Prauis cogitationibus, cõſilijs et inſidijs innocuos oppugnant perfidi & hypocritæ. Propter uerbũ quod odiũt et ꝓſequuntur odio habui, quos tibi ex lege didici ingratiſſimos, & à fide quã exigis remotiſſimos et extraneos. Legẽ aũt tuã amaui, uoluntatẽ tuam amplector, uerbũ tuũ exoſculor, ſimpliciter tracto, ac ſummæ uoluptatis loco duco, quo maius bonũ hoĩbus collatũ nõ eſt in mũdo. Quis eni tã prauis et nocẽtibus cõſilijs nõ capere tur, niſi tua inſtitutiõeet doctrina admonitus et edoctus? Amor legis

114 Adiutor & ſuſceptor meus es tu: & in uerbum tuum ſuperſperaui.

Adiutor tranſtulit ferè ubiq; uel protector pro ſcuto, quo quis ſeſe abſcondit, et tuetur ab infeſtatione hoſtiũ: ut dicere uelit, Faciũt uerba tua, ut te agnoſcam adiutorem eſſe & protectorẽ fideliũ tuorũ, ut omnẽ de te fiduciam boni habeam, nõ ſecus atq; pullus ſub gallina, et miles ſub armis non timet. Ad uerba tua ſuperſperaui, uallde me conſolãtur & erigunt mentẽ ſcripturæ ſacræ & promiſſionũ tuarũ certitudo. Vbi tu me defendere uolueris, quem timebo? ſine te uero in tanto malorum & perſecutionum pelago, quis ab exitio eximeret?

115 Declinate à me maligni: & ſcrutabor mãdata dei mei.

Fides uerborum dei gignit non ſolum ſtudium complacendi deo, ſed etiam improborum abominationem. Vnde infert ſtatim, Recedite à me uos maligni, deſiſtite auertere me à uia dei, non audiam conſilia ueſtra, ſed deo meo obediam ſolicite. Notatur autem quare pij petant liberari ab impiorum uiolentia, nimirum quo expeditius & liberius queant uiuere ſecundũ dei leges, à quo inſtantia quotidiana impediunt impij iuſtos quantum poſſunt. Pernitioſa eſt enim cohabitatio & familiaritas Piorum oratio.

eorũ, multo grauior si pergant imperare impia.

116 Suscipe me secundũ eloquiũ tuũ, & uiuã: & nõ confundas me ab expectatione mea.

Sustenta conscientiã meã consolationibus & directionibus, desumptis ex uerbis tuis: suscipe me, ne sinas labi in peccatũ cõtra legẽ tuã, da potius ut credã & acquiescam uerbis & cõsolationibus sanctis, et uiuaciter agã quæ præcipit lex tua, strenue consistã & proficiã in studio legis dei, hoc est uita beata. Et non confundar ab expectatione mea, non patiar repulsam, sed desyderata percipiam tua gratia. Fixum scilicet cor & solidũ in amore tuo per prospera & aduersa, hæc enim ante omnia sancti desiderant & gloriam in futuro.

117 Adiuua me & saluus ero: & meditabor in iustificationibus tuis semper.

Eadẽ ferè dicit more feruenter orantiũ. Consolida ac sustenta me, quod est strenue adiuuare, succurrere et sufficere, ut possim saluari, alioqui periturus, si pprijs tantum uiribus niti tentauero. Quicquid enim boni fecero, totum uirtutis est dei, idipsum agẽtis & in finem debitũ perducentis. Hanc ergo sibi suppeditari uirtutẽ orat sanctus, ut iugiter meditetur, id est solicite incũbat & anxie conetur, quod est meditari in statutis dei, ut gratificetur illi semper, per oĩa opera, nihil cõtra dei legẽ admittẽs.

118 Spreuisti omnes discedẽtes à iudicijs tuis: quia iniusta cogitatio eorum.

Impij cõtra bonum.

Conculcasti uel pessundedisti, quod est contemnere & spernere oẽs aberrantes à ceremonijs tuis, uel si optãdi uel orãdi modo dicatur, Vtinã perdas eos qui soliciti non sunt quomodo te colant, sed sunt sine deo & fide, fugiũt omne æquũ & pium, suo potius arbitrio uiuere eligunt, rident tuas leges, quia quicquid moliuntur uel cogitant, omne ipsorum studiũ mendacium est, ut decipiant, nulla ueritas uel synceritas locũ inuenit apud huiusmodi homines falsitatis sectatores. Tales aũt proteret suo tempore dominus, & ueritatis cultores sustollet ac diriget.

119 Præuaricantes (scoriam) reputaui omnes peccatores terræ: ideo dilexi testimonia tua

Scoria impiorum.

Nihil succedet istis impijs, seipsos potius perdẽt uafris cõmentis suis, nõ nos: tu enim cõculcabis eos, et ut scoriã separatam ab argẽto reijcies & abolebis. Vtcũq; enim splendeant, non sunt tamen reuera nisi argenti & auri rubigines, obfuscantes & fecibus obuoluentes quicquid purũ & pretiosum creditur, uel docetur: scoria mendaciorum & nequitiarũ sunt, quos clarius retulit, Præuaricantes. Est enim simulata sanctitas duplex iniquitas. Cupit igitur durare potius in amore legis dei, ne similiter à dño reprobetur, & præuaricatorũ iudicio condẽnetur.

120 Confige timore tuo carnes meas: à iudicijs enim tuis timui.

Timor dei.

Ad iudicia tua contra tam publice impios quàm hypocritas toto corde & corpore inhorresco, & paueſco, cũ assiduus in lege tua lego quomodo tractaueris huiusmodi impios, & ad oculum cerno quotidie non dissimilia fieri circa cõtemptores ueritatis et iustitiæ. Timẽt enim sancti, scientes uix iustũ saluandũ pro exiguitate iustitiæ humanæ quæ est ut pannus menstruatæ, quamo minus subsistẽt ex pfesso mali, timore dei prorsus destituti? Beatus aũt homo pauidus, qui solicitus ambulat corã domino semper, ne offendat.

Ain ɣ.

121 IEci iudicium & iustitiam: non tradas me calumniantibus me.

Sic deus res humanas moderatur, ut qui iustitiam colunt & iudicium cum alijs, id est, qui humaniter ac benigne egerint cũ proximis, cum eisdem etiam ipse dominus clementer agat, & ex bonitate ac indulgentia cuncta gerat, quod et promisit, se misericordem futurum ad eos, qui misericordiam proximis præstiterint. Id autem orat his uerbis, Feci ut debui, iusti tiam colui, impietatibus meæ opposui, pietatem proximis promoui uerbis & factis, ideo oro, ut nõ sinas me seruũ tuũ opprimi calumnijs, sed erue, adiuua, succurre.

122 Suscipe seruum tuum in bonum: non calumnientur me superbi.

Iure nunc quoq; precatur, ut quemadmodũ ex æquitate & iustitia cuncta egit ad proximos, sic se deus seruum suum oblectet in bonum, ita ab iniurijs impiorũ uindicans atq; bonis cumulans, ut cõmode et suauiter agat, liber ab iniurijs noxiorũ. Dulcis, inquit, sis seruo tuo ad bonum, ostẽde ei benignitatem, sentiat tuam gratiã, dulce illi sit omne beneplacitum tuum, ne prævaleant impij & superbi suis calũnijs ueritati & iusta defendẽti.

123 Oculi mei defecerunt in salutare tuum: & in eloquium iustitiæ tuæ.

Expectatio dei.

Memorat iterum quàm anxie hanc dei bonitatem expectet, sic in cœlum continuo aspiciens, unde uenturam speret salutem, ut acies sibi oculorum euanescat. Omnis enim mora prolixa est desyderantibus, & salus dilata ardentius concupiscitur. Salus autem dei, non humana, quæ uana est: interim dum differtur salus, consolatio suscipitur futuræ liberationis ex uerbo domini. Orat igitur, ut uerbum dei prævaleat incredulis, & uincat ueritas, & quod domino placeat fiat, non quod impijs.

124 Fac cum seruo tuo secundum misericordiam tuã: & iustificationes tuas doce me.

Non tam iactat quàm optat ac postulat se fieri & esse seruum domini, & intra familiam electorum computari, non ut pro meritis sibi repẽdatur, quod nemo sanctorum petit, sed secundum gratiam & benignitatem beneficus sit & succurrat, dum sic fortiter instant aduersarij iustitiæ & ueritatis. Statuta dei, ceremonias, uel legẽ ipsam dei edoceri desyderat, ut dignã rationem colendi deum discere possit, & religionẽ talem quæ domino placeat. Gratiam tantum dei & legis intellectũ pij desyderant ut possint & nouerint implere domini uoluntatẽ.

125 Seruus tuus sum ego: da mihi intellectũ, ut sciam testimonia tua.

Ingeminat præterea se esse seruũ dei, & idipsum quod iam amè postulat, maxime id necessariũ nosccns, ut seruus intelligat dñi beneplacitũ, ut legẽ sanè intelligat: id quod à deo solo petendũ, sine quo non sufficiat uel ratio humana uel diligentia. Non penetratur ad ueritatẽ uerborũ dei sine inspiratione spiritus sancti, qui requiescit super humilem & tremẽtẽ ad sermones dei. Ideo se non ami

amicum iactat, cum esse deo charũ se sciret, sed seruum, non sæculi huius, non hominum neq; mundi huius.

126 Tempus faciendi domine dissipauerunt legem tuam.

Consolatur iam se ab eo quod domini sit, & intersit gloriæ eius ut nõ differat uel dissimulet piorũ desyderia, impiorum quoq; calumnias et improbitates, sed tempus esse reprimendi & iudicium exercendi contra conscelratos. Nam, inquit, dissipauerunt legem tuam, abolitam iamdudum uoluissent, spernunt, blasphemant, præuaricantur, & persequuntur illius tam doctores quàm æmulatores, hoc est, non ipsi tantum transgrediuntur dei iussa, sed alios transgredi faciunt & ubi possunt compellunt. Tunc autem propior est ultio dei, cum malignitas impiorum sese crudelius & durius exerere uisa fuerit. Tunc enim salus piorũ approximat, dum iniquitas impiorum excreuerit in immensum.

127 Ideo dilexi mandata tua super aurum & topazion.

Quanto impij legem dei irreligiosius reijciunt, tanto probi & iusti enixius illi student. Amaui, inquit, plurimúmque dilexi præcepta tua, præposui omnibus rebus mundi uoluntatẽ tuam, nihil pretiosius duco, uel ardentius desydero, quàm ut tibi me totum credere possim, & habere te mihi propitium ut obediam digne uerbis tuis. Illi uero longe aliter animati sunt.

128 Propterea ad omnia mandata tua dirigebar: omnem uiam iniquam odio habui.

Ex amore legis profeci in opera, eatenus, ut nihil gratius habuerim, quàm in legis et uerborum tuorum operibus recta incedere, & per oĩa acquiescere tuæ uoluntati iustissimæ et sacrosanctæ. Id enim leuius est & dulcius sanctis quàm satisfacere carni & sanguini. Contra uero mores & studia hominũ impiorũ, qui falsa tantum & uana sectãtur, & qui mendacia cõmuniscuntur, contra dei legẽ, ex animo odiui, detestor & fugio ut præsentissimũ uenenum.

129 Phe ה.

Mirabilia testimonia tua: ideo scrutata est ea anima mea.

Admiratur reconditam in lege domini sapientiam simplicibus quidẽ esse expositam, sed appretiantibus eam & admirantibus, nõ illotis manibus tractare præsumentibus. Mirabilia reuera sunt & captu humano carneo & mundano apprehendi non possunt, sed humilibus & non fastuosis ingenijs sese ingerit ueritas eloquiorũ dei. Istis sese aperiunt secreta uoluntatis diuinæ, illi diligunt & ingredi possunt, ubi foris stare cogitur sapientia carnis & animalis, quin ad intuitum claritatis harum noctuarum oculi excæcantur.

130 Declaratio sermonum tuorum illuminat (&) intellectum dat paruulis.

Quod dicit, Apertio, uel expositio, uel declaratio uerborum tuorum illuminat: nihil est aliud quàm simul atq; aperiuntur uerba tua, & datur aditus humiliori & syncriori intellectui, perueniendi uel ad uestibulum ipsum scripturarũ sacrarũ, admirabili statim luce perfundunt. Nec id tantum magnis ingenijs præditos, sed simplices, nulla sibi uafricie placentes, sed cœlesti doctori spiritui sancto simplicissime sese committentes. Eos nempe, pro quibus Christus dominus gratias patri agebat, quod reuelasset sapientiã cœlestẽ paruulis, nõ alta sapientibus. Initium deniq; studiorũ si ex uerbis dei desumptum fuerit, illuminabit ac proficiet ad doctrinã pietatis et uitã. Tantum autem uerbum domini canonica scriptura erudit humiles, excæcat uero superbos.

131 Os meum aperui & attraxi spiritũ: quia mandata tua desyderabam.

Exprimit habitũ præ nimio desyderio anhelantis, atq; ægre iam spiritũ trahentis, quo monuit quanto cõueniat pios hoĩes legis dei desyderio teneri. Os meũ aperui & attraxi spiritũ, imbibi uerã doctrinã ex uerbis tuis, non auram uanitatis ex traditionibus literisq; humanis, præcepta enim tua optaui, attendi ad legem tuam, mandatis tuis obsequi uolui. Is finis studiorum meorum, non tam ut doctus quàm ut uere religiosus & pius euaderem.

132 Aspice in me, & miserere mei secundũ iudicium diligentium nomen tuum.

Orat se haberi à deo eo loco quo habet nominis sui studiosos, ne uel improbitas uel improbi ipsi prævaleant. Oculis, inquit, clemẽtiæ tuæ naturalis aspice ad me miserum, & patere cõmoueri tuum animũ, ad angustias plurimas quas patior, secundum quod uidebitur tibi dignũ, eo modo quo tractare solitus es eos qui te diligunt, qui tuam gloriam zelant & quærunt non propriam.

133 Gressus meos dirige secundũ eloquium tuũ: & nõ dominetur mei omnis iniustitia.

Adiuua per gratiam tuam ac dona, ut gressuum meorum ratio dirigatur ad beneplacitum tuum, ut non aliter uiuam quàm secundum uerbum tuum. Neq; sinas me subdi crudelissimo satanæ, mundo, uel carni, non uincar unquam ab iniquitate quacunq;, etiamsi quando me arripuerit. Non inducas in tentationem, etiamsi tentatio humana me apprehenderit, iniusti sumus & peccatores, omnésque nascimur filij iræ, sed oramus, ne domin tur peccatum in nostro mortali corpore, nõ ad mortem peccemus, non incidamus in mortis iudicium.

134 Redime me à calumnijs hominũ (&) custodiam mandata tua.

Absq; culpa ad deum & homines uiuere quidem non possum, nec id contendo obtinere, quod nemini sanctorũ contingat: sed id cupio saltẽ consequi, ut calumnias hominum euadere possim, ut præcucnias me tua gratia, ne scãdalo sim uerbo tuo apud homines, ne cui sim iustæ ac cusationi obnoxius, ne scandalo sim infirmis. Id uero in primis oro, ut secundum mandata tua institua conuersationem meam, & quæ tu cõmisisti agenda sedulo perficiam, sine enim tua gratia nihil boni possum.

Calumniæ hominum.

135 Faciem tuam illumina super seruum tuũ: & doce me iustificationes tuas.

Faciem domini illuminare super hominẽ, est sereno uultu, gratioso aspectu, hoc est clementiæ suæ beneficiò afficere, in aduersitatibus præstare auxilium, dum maxime damnũ instat ibi proxime adesse, rependere benedictionem ubi timetur maledictio, consolari cunctabundũ ex

aduersitatibus & tentatũ. Instituta tua, cum emphasi, ut semper in hoc Psalmo, doce me, ne incidam in traditiones uanas hominum, quibus tibi contra te placere præsumunt cum tuas negligant.

136 Exitus aquarum deduxerunt oculi mei: quia non custodierunt legem tuam.

Ingenti se studio arsisse testatur, quum se largas adeò fudisse lachrymas confitetur. Oculos suos coactos in ubertem fletum præ cordis angustia, non solum ob proprias præuaricationes mandatorum dei, sed quia uidi tot calumniatores legis tuæ, contemptores & transgressores, ut eos æquanimiter uidere non ualeant tam malignos. Exitus posuit pro riuis abundãtibus, quibus intelligitur insignis zelus cõtra desertores diuinæ legis, quanto syncerior est amor gloriæ & ueritatis dei, quibus sancti nihil ducunt sanctius.

Sade ץ.

137 Vstus es domine: & rectum iudicium tuum.

Laudat legem dei à iustitia & fide, nihil enim præcipit, nisi quod saluti sit, & bonitatem in nos dei fidemq; testetur. Iustus autẽ est legislator dominus, omnia iustissime moderatur, circa pios et impios, rectumq; iudicium suum. Est enim ipsa dei uoluntas iudicium & regula operum bonorum, etiamsi intellectui deprauato & defectuoso nõ semper uideatur, qui se in obsequium fidei potius submittere debet, quàm temere iudicare de iudicijs dei, quæ obliquari nullo modo possunt. Ideo enim omnia bona sunt & iusta, quia à deo approbata: non ideo probantur à domino quia bona.

Legis dei iustitia.

138 Mandasti iustitiam testimonia tua: & ueritatem (tuam) nimis.

Adhærere testimonijs diuinis, & nec latum abscedere unguem, præcepisti, id est statuisti esse ueram ac absolutam iustitiam. Et ueritatẽ tuam uel fidem tuam nimis, ante omnia placet tibi fides & ueritas, quæ ut iustificat per dei gratiam & fauorem sic pro iustitia reputatur electis à domino. Non sunt oracula tua nisi iustitia et fides, id tamen inde patefit, quod nobis nihil nisi hæc præcipiant, in quibus est sita uia dei.

139 Tabescere me fecit zelus meus: quia obliti sunt uerba tua inimici mei.

Talem ergo quum dei legem agnosceret, pro ea uehementer zelabat, ut zelo sancto penè conficeretur. Tabescere fecit me, inquit, zelus meus, non aliter quàm olim Moses & Phinees, cernentẽ tantam hominum malitiam & perfidiam, contra clementiam dei & ueritatẽ, quam hostes illi pariter tui & mei obliuiscuntur, id est, non cogitant uel uerẽtur, iudicia tua, nec credũt uerba tua sanctißima. Nihil æque macerat ac perturbat sanctos, ut contemptus gloriæ dei & uerborum suorum.

140 Ignitum eloquium tuum uehementer: & seruus tuus dilexit illud.

Causam tanti zeli de quo præmisit auget, quum nunc subijcit, Iussa dei sunt probata igni, summe pura, nulla in eis locum habet rubigo uel scoria falsitatis, sed sunt ipsissima regula infallibilis ueritatis quæcũq; deus loquitur. Nihil enim prorsus nisi iustitiam ac fidẽ, hoc est salutem & sempiternam felicitatẽ præcipiunt. Seruus itaq; tuus dilexit illud, qui uere tibi seruire cupit, is uerbum tuũ credit, reueretur, amat, perficit, defendit, & docet.

141 Adolescentulus sum ego & contemptus: iustificationes tuas non sum oblitus.

Paruulus puer & contemptus & homo nihili sum, & habeor impijs illis & aduersarijs uerbi dei, qui stultum credunt adhærere deo, pendere à prouidentia dei, omnia agere uelle ad præscriptum legis, iustitiæ & charitatis. Huic isti mundo tales non probantur, sed irridentur: sed non curo quid illi uelint uel iudicent, tuo interim ego beneplacito acquiescam, semper recogitans quid uelis & debeã, placuit enim tibi, pusillo gregi & secundũ mundum humilibus dare regnum, & huius mundi sapientia stultitia est apud deum.

142 Iustitia tua iustitia in æternum: & lex tua ueritas.

Perit subito hominum iustitia, & est ut plurimum ipsa iniustitia, nosse autem & uiuere secundum te, uera iustitia est, quæ sempiterna est, & sui studiosos æternum conseruat. Lex quoque tua nedum uera est, sed ipsa ueritas, humanæ leges mendacium sunt alicubi, uel permixta iniquitate, siquidem attemperatæ usui hominum, qui ferri ab imperfectis & peccatoribus possit: raro dextre omni ex parte, nisi quantum desumptæ ex lege dei, uel ipsam aliquatenus resipientes.

Lex uera ac ueritas.

143 Tribulatio & angustia inuenerunt me: mandata tua meditatio mea est.

Dolor conscientiæ & coarctatio pios macerat intus, dum sentiunt peccatum, iniqui autem contemnunt, dum in profundum peccatorum peruenerint, & insuper negotium plerunq; faciunt sanctis & persequuntur, sola autem lege dei uere consolantur in huiusmodi afflictionibus, si rite eã intellexerint. Scripturæ enim sacræ consolantur pios, & uincunt cum artibus suis diabolum, si legitime cogitentur: sunt enim fauus & oblectatio pijs. Sine quibus in hoc mundo persistere nõ possent, pro malignitate quæ in mundo dominatur, et uim suam exercet contra humiles & electos.

Confectio piorum.

144 Aequitas testimonia tua in æternum: intellectum da mihi, & uiuam.

Testimonia tua, hoc est, lex & doctrina tua illa cœlestis, ipsa iustitia est, cuius simile dictum est superius, qua consolantur & recreãtur fideles, dum inuaduntur angustia & afflictionibus. Quare iterum de sempiternitate legis exclamat, addens orationem, ut sine aliquo errore reueletur intellectus sacer & tutus legis diuinæ, quandoquidem sine uerborum dei uera intelligentia à deo accepta uiuere non possit quantumlibet iustus.

Coph ק.

145 Clamaui in toto corde, Exaudi me domine: iustificationes tuas requiram.

Propter uerbum & ueritatem tuam uehementer periclitor, ideo anxie clamo ad te deum, & non tam uoce quàm animo, Exaudi me domine, nõ defe-

tuum seruum tuum tuam zelantem gloriam, & complacere tibi cupientem. Tua ego potius statuta custodiam, quàm humana commenta, quæ superstitiosi uel impij mihi obtrudunt. Non autem audet clamare ad dominũ, qui legem dei nihili pendit, qui inimicum dei se nouit, qui fide destituitur. Clamor iste desyderium est, & fiducia in bonitatem dei, non boatus uocalis uel cantio aliqua consuetudinaria uel coacta sine mente & deuotione ex corde uacuo fide.

146 **Clamaui ad te, Saluum me fac: ut custodiam mandata tua.**

Si inclamassem alium quemcunque, uim patiens, deum uel hominem, nõ mirum si auxilium non senserim: nunc autem dominum te deum meum inuoco, te appello, qui solus saluare me potes, oro itaq; ut uelis: id si feceris, potero custodire testimonia, non patiar auferri mihi solatium uerbi tui, sed secundum illud uiuam.

147 **Præueni in maturitate, & clamaui (quia) in uerba tua supersperaui.**

Memorat se studio diuinæ legis præuenisse diluculũ, præuenisse uigilias noctis. In quatuor uigilias apud Iudæos nox diuidebatur, testimonio etiam Euãgelij. Totas igitur noctes se in commemoratione sacræ legis insumpsisse memorat. Quod priscus Latinus dixit, Præueni in maturitate, intelligendum mature, & ante diluculũ, uel ante crepusculum matutinum, cum adhuc nox esset, uix dum inchoasset quarta noctis uigilia, ego surgebã ad lectionem tuæ legis & ad orationem attentissimã. Ad uerba tua supersperaui, uehementer confisus sum, non dubitaui de promissis tuis, & de ueritate uerborum tuorum.

148 **Præuenerunt oculi mei ad te diluculo: ut meditarer eloquia tua.**

Anticipauerunt oculi mei custodias, hoc est citius euigilaui per singulas horas orationis nocturnæ, propter insignem curam ac solicitudinem inuocandi nomen tuum, & relegendi uerba tua, exercendi me in mandatis tuis, ut alios omnes præuenire studuerim. Tãta mihi diligentia aderat ruminandi eloquia tua. Præponunt sancti homines omnibus curis suis studium discendi & perficiendi uoluntatem domini, & ad singula momenta, ubi aliquid inciderit peragendum, de domini beneplacito cogitante. Non secus atque oculi ancillæ semper sunt in manibus dominæ suæ: sic fidelium seruorũ dei totus conatus fertur ad digne seruiendum domino, & ambulandi coram eo sine querela.

149 **Vocem meam audi secundum misericordiam tuam domine (&) secundum iudicium tuum uiui fica me.**

Orat se audiri iuuariq; contra impios legis dei desertores, malisq; artibus & syncophantijs addictos. Id autẽ agit non fiducia quacunque meritorum, quæ sancti nunquam obtendunt deo, sed ex gratia tantum exaudiri orationem suam precantur, benignitatem dei allegando. Domine, inquit, secundũ iudicia tua, hoc est, secundũ quod tibi uidebitur, pro more tuo, ut cõsueuisti, misericorditer mecum age, foueas uitam & conscientiam meam, ut sufferre possim tot hostibus mentis & corporis deuincẽdis.

150 **Appropinquauerũt persequentes me iniquitati: à lege autem tua longe facti sunt.**

Imminent nunc mihi, & uitam persequuntur meam scelestissimi homines, & omne scelus audentes. Ad hoc enim tales in hoc mundo uiuere sinit deus optimus & sapientissimus, ut per eos exerceantur pij, & destinatã illis hic mercedem suscipiant, illic perpetuis pœnis iustitiam quoq; domini testentur. Qui longe facti sunt à lege dei, nihil habentes fidei uerbo dei, sine lege, fœdere, charitate, & fide, arbitrij sui leges statuentes, & pro ratione uoluntatem: constitutiones quidem humanas allegantes, pro suo fastu conseruando & quæstu, uerba autẽ domini ne audire quidẽ dignati, multo minus amplecti uel defendere.

151 **Prope es tu domine: & omnes uiæ tuæ ueritas.**

Vt tu deus omnia feceris, conseruas, imples, & gubernas, sic propè mihi sis, in meis angustijs succurras. Tu intra nos habitans legem tuã nos doceas, nos tibi totos uendices, & ad beneplacitum tuum tota utere substantia nostra. Omnia enim præcepta tua sunt ueritas, quicquid tu nobis sciendum & agendum proponis, ueritas est & iustitia, quæ præter uerbũ tuum afferuntur, periculũ sunt uel exitium, nisi iuxta tua eloquia iudicentur, & posse comprobari non esse extranea ueritati.

152 **Initio cognoui de testimonijs tuis: quia in æternum fundasti ea.**

Iterũ se consolatur à ueritate, & sempiternitate oraculorũ dei, quæ scilicet sic sunt fundata ac firmata, ut perstent in omnia sæcula, id quod de eis pridem nouit: primùm enim in causa fidei est, nosse promissa dei fallere non posse. Citius enim cœlum & terra transibũt quàm iota unum aut apex excidat à lege, non potest enim dominus fallere neq; falli, qui ueritas est.

Res. ר.

153 **Vide humilitatem meam, & eripe me: quia legem tuam non sum oblitus.**

Quandoquidem in hac uita quæ militia est super terram euincere non possum ad plenum impiorum pressuras & fidei inimicos, obsecro, ut misericorditer aspicias ad me, & curam mei habeas, ut liberes me, qui solus potes & uis, quia promisisti. Legem enim tuam non sum oblitus, quantumlibet hoc uelint impij et urgeant, qui legem domini pro suo more deserunt uel oppugnant.

154 **Iudica iudiciũ meum & redime me: propter eloquium tuum uiuifica me.**

Tui solius contra hostes meos mea in causa sententiam efflagito, quæ non tam mea est quàm tua, quia ueritatis, iustitiæ & pietatis. Tu iudica causam meam & redime: eloquio tuo refrigera conscientiam meam, consolatione hausta ex sacris scripturis, & spiritus tui inspiratione. Hominum enim impiorum iudicia ferre pij non possunt, qui iudicant secundum impietatem suam, dicentes bonũ malum, & malum bonum. Ad gratiam hominum & fauorem proq; muneribus, non secundum iustitiam iudi-

eantes, affectibus ducti, qui dei legem irrident, & fortitudinem suam interpretantur æquitatem.

155 Longe à peccatoribus salus: quia iustificationes tuas non exquisierunt.

Qui uerbis tuis credere non uolunt, impij, uel proiecti à domino, uel pro iniquitate nõ possunt, ij longe sunt à salute, saluari non possunt: ij enim nihili ducunt quid uelis uel præceperis, quid placeat uel detesteris, suam potius uoluntatem ac legem statuunt necessariò obseruandam. Sancti autem nihil antiquius habẽt ac charius lege dei, ideo prope est illis salus, quorum omne studium est in exquirendis dei legibus, ut intellectas doceant quos possunt, & inculcent pro fide & uiribus suis.

156 Misericordiæ tuæ multæ dominet secundum iudicium tuum uiuifica me.

Sic sanè sunt iudicia dei, nobis in lege eius commendata, ut salutem deus ab improbis longe submoueat, misericordia autem prosequatur studiosos suæ legis. Non solet enim punire homines etiam impios secundum demerita sua, sed citra, sicut & ultra omne sanctorum meritũ, sua tantũ gratia saluat ac remunerat electos. Longe semper propensior ad benefaciendum conuersis, quàm ad uindicandum in impietate pergẽtes, quos uarijs modis ac medijs reuocat. Secundum iudicium, hoc est, pro more tuo, iuxta consuetam pietatem tuam aßiste necessitati meæ.

157 Multi qui persequuntur me, & tribulant me, à testimonijs tuis non declinaui.

Fidei constantiã memorat, quam nulli quamlibet multi ac potentes deijcere potuerũt. Vt enim semper maior est numerus malorum, sic multi quoq; blasphemi & uiolenti militant contra fideles, propter uerbum dei, quod isti propugnant, oppugnant illi. Sed non decidunt à charitate dei electi, propter quæcunq; incommoda: firmiter enim insistũt testimonijs dei, & ueritati æternæ, quibus non prævalebunt omnes aduersarij, qui impugnare quidem possunt, expugnare nequeunt, suis potius armis occiduntur & pereunt.

158 Vidi præuaricantes, & tabescebam: quia eloquia tua non custodierunt.

Singulari tædio & molestia animi afficiuntur fideles contra perfidos, ea potißimum causa, quod oderunt deum, & legem eius insectantur: cõtemnunt omnia quæ ad deum pertinent, sed sine timore transgrediuntur legẽ dei, quæ etiam naturæ lex est, & ipsa uoluntas summi boni, qua omnibus bene uult & benefacit. Nec alia ratione leges tulit hominibus, quàm ut ipsis quoq; bene esset, charitas, gaudium & pax inter bonos conseruaretur, & nemo alteri inferret, quod sibi nollet fieri. Quorum omniũ aduersa uolunt, & pro uiribus sectantur & prosequuntur impij, quos lex quoq; domini cõpescendos legitimis mediis decernit & docet.

159 Vide quoniam mandata tua dilexi domine in misericordia tua uiuifica me.

Amorem legis, ut ubiq;, dei in nos dilectionem & bonitatem cõiunctam habere, testatur. Allegat autem sine omni arrogantia, ex pura cõscientia coram deo ualde se legem domini amauisse, ex qua didicisset beneplacitum dei, & modum colendi dominum. Quia uero nõ sufficit sciuisse legem, nec amauisse quidem, ideo necessariam adhuc obedientiam ex fide orat, ut aßistat scilicet ad obseruantiam legis, ut uiuificetur, & ad omne bonum opus alacer fiat atque propensus, non desidiosus & cessator. Semper autem gratiam allegat, nunquam merita.

160 Principium uerborũ tuorum ueritas (&) in æternum omnia iudicia iustitiæ tuæ.

Initium omnium dictorum & factorum tuorũ, ô deus, ueritas est & iustitia, quæ & perstant in omne æuum. Id sanè in conditione rerum facto ostensum est, postea innotuit in promulgatione legis, in omnibus quoq; quæ deus uel geßit cum suis, uel ipsis gerẽda præcepit. Atq; in æternum omne iudicium iustitiæ tuæ, non labefactari potest ueritas & sanctitas alicuius operis uel uerbi tui in æternum. Est enim summa finis & initium totius legis.

Sin ש.

161 Principes persecuti sunt me gratis: & à uerbis tuis formidauit cor meum.

Canit subinde studium legis sacræ, uoluptatem ac securitatem, quam illa parit. Principes dicit se persequutos esse, qui scilicet æstimatione humana magni sunt in mundo, quorum pietas ut periclitatur uehementer fortunijs, copijs, honoribus, oblectamentis & licentijs in hoc mundo, sic quoque nimium raro integra & immaculata inuenitur. Quin & ueritatem dicentibus ex uerbo dei frequenter trascuntur, quod hic pius conqueritur, & regius ipse propheta, sed ut inquit imaniter, non alia enim ex causa, quàm quia pietatis eum sectatorem deprehẽdissent uel crederent. Suum autẽ cor, non illos mendaces & caducos homines expauisse, sed uerba dei, ne illa transgrederetur, iuxta illud: Nolite timere eos qui corpus occidunt, &c. Ego ostendo uobis quem timere debeatis. Cum hoc sancto timore coniunctum est gaudium uerum & solidum, de quo sequitur.

Veritas odit parit.

162 Lætabor ego super eloquia tua: sicut qui inuenit spolia multa.

Gaudens ego sum semper super eloquia tua, quæ scilicet scio omnes ueritatis aduersarios uincere & conculcare minime posse. Contra hunc stimulum calcitrantes se offendent, lædent, disperdent potius quàm ueritatẽ, quæ permanet fortißima semper, inuincibilis ppetuoq; triumphans super omnes aduersarias huius mundi potestates, fortior est enim uino, fœminis, regibus, & omnibus. Gauisus sum autem super tua eloquia perinde ac si inuenissem spolia multa, quando deuictis hostibus, occupat uictor & detrahit pretiosißima quæq; tutus ac alacer absq; timore.

Veritas fortior.

163 Iniquitatem odio habui & abominatus sum: legem autem tuam dilexi.

Mendacium ac uanitatem opponens legi dei, significat nihil nisi mendacium esse atq; nihilum, quicquid legi dei aduersatur. Quanquam, ut aliàs sæpe in hoc Psalmo dictio שקר non tam mendacium notat quàm caterua hominum mendosorum, ueritatem & uirtutẽ abominane

minantium: mendacium autem fouentium ac defendentium & amantium, hos se detestatum fuisse testatur. Legem autem tuam amaui, ueritatē & sanctitatem doctrinæ tuæ uehementer dilexi. Quid enim melius, quàm à summo bono optime ordinata lex? ad consequendū summum bonum, ueram beatitudinem, ad quam lex donata uia est, si ex fide & charitate obseruari studeatur.

164 Septies in die laudem dixi tibi super iudicia iustitiæ tuæ.

Quod adijcit se septies in die laudare dominum ob iudicia eius, quibus scilicet ex summa æquitate cuncta administrat, idem est atq; identidem se laudibus eius uacare, multis scilicet uicibus & iugiter: quasi dicere uolens, Quotidie et uehementer insteti tuis laudibus super iudicia iustitiæ, quia fide uerborum tuorum tuo nos more iustificas. Trahitur hoc ad septem horas canonicas, quod satis probari posit, si in lege domini legerent & meditentur, canonicis scilicet scripturis ueteris & noui testamenti intenti quotidie septies, si tamen prolixior sit capitulorū assignatio, breuior autem psalmodia, exclusis deniq; sanctorum legendis, non ut non legantur quæ ex eis probatiores inueniuntur, ut essent studiosè & maturè examinandæ, sed ut præter horas istas, quas iactant canonicas, talia sanctorum gesta, non adulterata à quæstuosis monachis pro suo usu & ualore ad fidei & charitatis exercitium & profectū legerentur seorsum, non in choro discipulorum scripturæ canonicæ, & sine quæstu inde prouocādo, de quo plura dicere liberet, nisi breuitas instituti prohiberet.

165 Pax multa diligentibus legem tuā: & nō est illis scandalum.

Pax multa, salus & felicitas manet eos qui diligunt legem dei, qui die & nocte meditantur in ea, qui proferunt sibi & ecclesiæ dei noua ac uetera, qui elucidant dei sapientiam fidelibus syncere & simpliciter, quorum omne studium est inserere mundo cognitionem & amorem creatoris, charitatem plantare in electorum pectoribus, ut placeat illis quicquid domino placet, ut domino placere cupiant per omnia. Iam autem qui credunt & diligunt legem dei, iustificati habent pacem in conscientijs, & nihil illis offendiculi occurrit. Non quidem semper & omnibus re & experientia, quantum ad externum hominem, sed quo ad spiritū, qui huiusmodi statim agnoscit, quomodo ad gloriam dei instituatur omnis uitæ sanctorum habitus, quibus nunquam deest sua felicitas, eóq; nec gaudiū spiritus & uerum deest. Omnia enim boni consulunt, pacifici, mansueti, humiles, quibus omnia cooperantur in bonum.

166 Expectabā salutare tuū domine: & mandata tua dilexi (feci.)

Iamdudum Dauid & electi ueteris legis & insigniter fideles expectauerunt salutare dei Christum dominum ex scripturis promissum: is enim per antonomasiā salutare dei dicitur in lege & prophetis. Et præcepta tua feci, non obmisi facere, etiam fide iustificatus à peccatis, quod non sit otiosa fides, sed grandia operetur. Si enim domini salutare consequi & participare uolumus, necesse est quoq; præcepta domini pro omni uirili contendendo assidue adimplere: & si quo minus succedat, ut æquum esset, à gratia dei per Christum imploranda non cessare, nihil insuper suis actibus ascribere, sed gratiæ Dei.

167 Custodiuit anima mea testimonia tua: & dilexit ea uehementer.

Sperat & pendet à uerbis dei domini præcepto, legiq; eius sedulo studet, nihil quod ipsi non probetur suscipiens, sine intermissione memorans dei bonitatem, & promissa magnalia cum gratiarumactione. Denique uehementer amauit legem domini, ut omnem oblectationem animi quæ fierit, non in contemplatione sola creaturarum, sed ipsius creatoris bonitate, gratia & omnipotentia: unde abunde sustolli possit animus ad profectum fidei, spei & charitatis.

168 Seruaui mandata tua & testimonia tua: quia omnes uiæ meæ in conspectu tuo.

Obseruaui mandata, obsequutus sum uoto tuo per omnia, quæ mihi priuatim peragenda commendasti, quæ ad gloriam tuam spectant, & non sum oblitus multiplicium promissionum & magnalium ex lege tua reuelatarum. Omnes enim uiæ meæ in conspectu tuo, omnia te præsente, sciente & adiuuante ago, nec aliquid peccatorum meorum latere te potest. Id enim est, omnes uias, cunctas scilicet actiones coram domino instituere, & uelut in oculis eius fauētis & successū dantis omnia agere.

Thau ת

169 Appropinquet deprecatio mea in cōspectu tuo domine: iuxta eloquium tuum da mihi intellectū.

Hoc meum tam prolixum canticum ex deuotione uera cordis depromptum, nondum tamen ad plenum animo euacuato, quin plura dicere potuerim ex redūdantia fidei, sed deficientibus alphabeti literis, iam ad finē usque cum iubilo uocis & cordis decantatū, oro ad te propinquet, tibi deo meo gratum sit & acceptum, iuxta eloquiū tuum fac me intelligentem, ut sapiens sim secundū te, à te doctus, & ex sacro eloquio instructus, non secundum sapientiam huius mundi, uel traditiones humanas. Cantici prolixitas.

170 Intret postulatio mea in conspectu tuo: secundum eloquium tuum eripe me.

Nihil quidem ignoras eorum quæ sunt & dicuntur, ut cor & renes probare tui sit iuris tantum, ut non ignores desideria mea, & orationes meas antequam præconcepi, prænosti, sed gratiam tuam mihi oro negare nolis, sed amplecti exaudireq; preces meas. Sicut promisisti ad te confugientibus redemptionē, sic præsta nunc roganti consolationem. Ingredi orationem coram deo, est exaudiri necessitates orantium cum fide, quam dominus non spernet.

171 Eructabunt labia mea hymnū, cum docueris me iustificationes tuas.

Ex corde producent tibi hymnum, de fidei & fiduciæ thesauro eructabunt tibi gratiarumctionem labia mea. Tu uero interim magis ac magis docebis me sta-

tuta tua, ut sciam certò in quo tibi complacere possim, quomodo digne tibi seruiam.

172 Pronuntiabit lingua mea eloquiũ tuum: quia omnia mandata tua æquitas.

Eadem sæpe repetit more laudantium atq; canentium. Legã, inquit, docebo, ruminabo quotidie datã à te nobis legẽ pietatis. Omnia enim, ut iam sæpe dictũ est, præcepta tua ipsa iustitia sunt. Quicquid alij præcipiũt præter uel cõtra legem tuã iustitia nõ est, omnẽ enim iustitiã tu præcepisti. Nõ quod lex ipsa, sed obseruãtia legis, & ea ex fide hominũ iustitia sit, unde iustus à domino habeatur: æqua autẽ & iusta sunt domini mãdata, quia domino placita, cuius uoluntas est ipsa regula iustitiæ.

173 Fiat manus tua ut saluet me: quoniã mandata tua elegi.

Manũ dei fieri.

Optare & expectare auxilium domini dignum reddit, ut eo non destituatur. Fieri manum domini ad auxiliandum, locutio est Hebraica, idem significans quod manus & potentia tua auxilio mihi sit, quandoquidem uiribus meis sum nihil. Gaudet autem dominus exorari, & pro gratia interpellari, propter quod & formulã orandi Christus dictauit, in oratione pernoctauit, hominibus in exemplum: & insuper sine intermissione orandũ docuit spiritus apostolicus. Quia mandata tua elegi, quæ tu mandasti præ omnibus alijs placẽt, sunt enim optima.

174 Concupiui salutare tuum domine: & lex tua meditatio mea est.

Desiderium piorum.

Omnium sanctorum priscorum perpetuum desiderium fuit eius salutis ac redemptionis à malo peccati, quod generi humano promissum erat ab exordio suo, & frequenter renouatum ad patriarchas & prophetas. De quo uerisimile est cogitasse authorem sanctũ huius Psalmi, quoties de salute cecinit generali. Insuper legem domini fatetur sæpius delectationem suam fuisse, ex qua intelligunt omnes fideles magnitudinem potentiæ & bonitatis diuinæ, & immensam gratiam ad genus humanum. Nihil enim sanctis dulcius contẽplatione legis dei, & beneficiorum ad pios.

175 Viuet anima mea & laudabit te: & iudicia tua adiuuabunt me.

Animam uiuere.

Viuere cupit animam suam, id est, per dei bonitatem bene habere: & in spiritu sancto uiuere, nec alia ratione etiam temporalem uitã sancti cupiunt, quàm ut glorificationi diuinæ insistant in se & alijs, semper gratias agant domino, & magnitudinem gloriæ suæ deprædicent multis. Deniq; cupit iudicijs dei in lege propositis fidere atq; inhærere: idq; efficere ut ea in nostram salutem exerceantur, ut sancti confortentur in tribulationibus, credentes illuminentur & seruentur, impij impediantur in pessimis institutis suis, & uel exemplo uindictæ dei prosint mundo, qui piam conuersationem detestantur, & dominum blasphemant.

176 Erraui sicut ouis quæ perijt: quære seruũ tuum domine, quia mandata tua non sum oblitus.

Docet etiam quod dum errãt electi, cupiditatibus carnis abducti à uia dñi, non tamen obliuiscuntur præceptorum dei, non abijciunt omnem curam recte uiuendi. Hinc est illis exagitatio conscientiæ, qua tandem ut sibi displiceant adducuntur, & ad dominum pro uenia bonoq; spiritu clament. Monet, deũ nos semper gratia sua præuenire, & ab errore sua dignatione reuocare. Non eo autem errore, quo à lege dei declinauerit, sed eo qui est citra obliuionem præceptorum dei, scilicet citra hoc ut animus omnium eorum studio soluatur, qui potest etiam cadere in electos.

PSALMVS CXX.

Canticum graduum.

Quicquid de hoc titulo Iudæi disputent & nostri, profectuum quorundam carmina sunt in pietate & uero dei cultu: hoc enim מעלות significare potest. De quo cogitent sacratiora & meliora, qui maiori sunt spiritu donati & eruditione, iam diu didicimus de titulis dubitare.

ARGVMEN. Oratio est contra insidias impiorũ.

1 AD dominum cum tribularer clamaui, & exaudiuit me.

Angustia pijs familiaris.

Familiaris est sanctis omnibus, sicut & sancto sanctorum Christo domino, tribulatio & angustia in hoc mundo, cum interim impiorum portio felicior cernatur & expetibilior. Sed isti dum tur bari incipiunt, animum despõdent, & blasphemant dominum: illi uero ad dominum deum quem solum & uerum agnoscunt, solum clamant animo & uocibus, cum fiducia exauditionis, certi de domini pietate: & is statim adest, imò præuenit orantium uota dum uult exaudire, scilicet dum prodest saluti orantium, & dum proficit ad dei gloriam, quæ tantum à sanctis intenditur. Exaudiuit me, inquit: sic tribulatis adest, ut suam interpellantibus bonitatem & inclamantibus sese negare non possit.

2 Domine libera animã meam à labijs iniquis (&) à lingua dolosa.

De lingua mendaci & fraudium concinnatrice potissimum queritur, eo quod nihil ferè res humanas æque turbet, bonosq; ac ueri studiosos uehementius offendat: ideo orat dominum, ut ab hominum maledicentia se liberet, qui nihil contra pios quos odiunt loqui possunt nisi mendacia. Dolosa autem lingua dicitur, quæ fingit uerisimilia, prætexit honestum & amabile, cum reuera mendacio agat omnia, inuidia uel odio contra promotores ueritatis & fidei.

3 Quid detur tibi, aut quid apponatur tibi ad linguam dolosam?

Istud ad eum dicitur, qui mendaci lingua bonis accersit molestiam. Eiusmodi enim blaterones dum alios petunt, seipsos in exitium præcipitant. Id hic uerbis monet propheta dum quærit, quid nam eis cõferat lingua mendax, perniciem sanè & fraudem uenenatam absq; timore dei. Linguam autem alloquitur secundũ Hebræos. In eandem tamen sententiam recidit uetus translatio, quæ mendacem alloquitur, præmium malignitatis inquirens, quod susurronem ac detractorem manet.

4 Sagittæ potentis acutæ: cum carbonibus desolatorijs.

Exclama-

Exclamatione exprimit quàm pestilens res sit lingua fraudulenta, conferens eam sagittis acutis uiri ualidi, qui ut arcum fortiter multumq; tendit, ita penitius sagittas infigit, quã pestem auget si sint sagittæ illæ etiam exacuatæ. Item carbonibus uehementissime urentibus et diutissime feruentibus, quales Hebræi dicunt carbones iuniperorum. Vt sit sensus: Tam fortiter uirus infigitur spiculo lætali, & tam acute penetrat, ut præter te nemo succurrere possit: sic inurit diuturnam infamiam, ut non facile extingui possit uerbum mendax.

5 Hei mihi quia incolatus meus prolongatus est: habitaui cum habitantibus Cedar:

Confert agere & conuersari inter mendaces & fraudulẽtos huiusmodi exilio, quod fertur inter barbaros ferosq; populos, inter homines perfidos & uiolentos, qui Israëlitarum more comparantur Arabibus, Cedarenis, Ismaëlitis, & reliquis perpetuis Iudæorum hostibus & osoribus. Apud illos enim Israëlitæ semper male audiebant, & semper persecutiones expectabant uel sentiebant. Non enim certũ hic habetur, Mosoch si proprium gentis uocabulum sit, ut Tuscorum uel Cappadocum, uel Ismaëlitarum sagittas exercentium: uel appellatiuũ, quod priscus sensisse uidetur.

6 multum incola fuit anima mea: cum his qui oderunt pacem,

Nimium diu molestias exilij inter huiusmodi homines passus sum: uolui enim cum odientibus pacem pacifice conuersari, in bono uincere malum, sed nequicquã. Pacem enim odiunt homines fraudulenti, filij satanæ, qui pater est iurgiorum, odij & cædium. Hoc non tantum Dauidi cum Saule usui uenit, sed pijs omnibus, qui cum paci studeant, bella patiantur.

7 eram pacificus: cum loquebar illis, impugnabant me (gratis.)

Ego ipsissima pax fui semper omnibus, etiam improbis, nihil mali intentaui, pacificus semper fui, totus paci studui, quæcunque ad pacem faciunt loquebar semper, sed eo ipso illi ad bellum excitantur. Nihil apud improbos effeci aliud, quàm ut quoties loqui illis conarer pacifica, illi inde concitabantur ad bella. Tales lupos experiuntur ubiq; oues Christi, quæ uocem pastoris sui cupiunt sequi serio. Agunt enim in medio contentiosorum illorum qui sæuiunt in benemerentem, quia impij sunt, & sine charitate dei.

PSALMVS CXXI.

Canticum graduum.

ARGVMENT. Imploratio auxilij diuini, ut sit in afflictione solatium.

1 Euaui oculos meos in montes: unde ueniet auxilium mihi.

Dicere uult se super montibus constitutum, coniecisse in omnem circunquaque regionem oculos atq; speculatum, unde sibi auxilia uenirent. Id tamen per allegoriam dixit, similitudine mutuata ab illis, qui expectantes auxilia ex æditioribus locis speculantur, unde illa demum aduenient. In excelsa cœlorum dirigo desideriũ meum, ut derelicto ab omnibus, tu domine succurras pietate et potẽtia tua, in quam solam confido.

2 Auxilium meum à domino, qui fecit cœlum & terram.

Certo mihi credenti aderit auxilium à domino, deq; propria uirtute desperanti, non à dijs uel hominibus uiuis uel mortuis, non ab aliqua creatura, sed à domino & factore cœli & terræ, cui omnis creatura subiecta est, & ad nutum cogitur obedire qui solus saluare potest. Cuius refricata potentiæ memoria spem sibi efficacius confirmat. Is solus in omnibus necessitatibus inuocandus est, qui omnipotens honorem bonitatis & clementiæ paternæ alteri non cedit, sed uult se agnosci summum bonum ab omnibus, quale & est, & frui delectatur.

3 Non det in cõmotionem pedem tuum: neque dormitet qui custodit te.

Verba sanctorum sunt se inuicem consolantium, & ad expectandum opem diuinam exhortantium. Pollicetur ergo quisque alteri, dominum haud permissurum ut pedes eius labantur, hoc est, in mala incidat quæ uere mala sint. Quantumlibet enim impugnentur sancti, gratia tamen dei semper persistent in pietate & fiducia contra studia impiorum. Non dormitabit qui custodit te, nõ diu dissimulabit necessitates suorum, non obliuiscetur tui qui te solicite amat, & sibi fidentem gubernat. Fides in deum.

4 Ecce non dormitabit neque dormiet qui custodit Israël.

Amplificatio est more scripturæ, etiam si nobis uideantur inuersa. Qui enim non dormitabit, multo minus dormiet: sed is sensus est, Non dormitabit, multo minus dormiet. Fideles enim suos deus nõ deserit, intuetur semper, uigilat fidelissimus pastor, nulla in illum cadit negligentia, etiam minimarum rerum, multo minus electorum suorum, pro quibus unigenitum suum tradidit, propter quos condidit omnia, qui sunt fundamentum uniuersi. Non deniq; suos tentari sinit supra quàm possint sufferre. Omniscientia dei.

5 Dominus custodit te, dominus protectio tua super manum dexteram tuam.

Adest tibi, ô frater uel anima, pius & omnipotens, umbra est suauissima suis, à dextris est, semper præsens, & ut nos quoq; loquimur, paratus ad manum defensor et protector, ut fortiter teneat nutabundum. Non est ut ab æstu caloris exuraris, nemo te hostis aggredi audebit, nullo periculo subiacebis si illi fidas, qui si destiterit, nihil iuuabit tota dæmonis & hominum fortitudo.

6 Per diem sol non uret te, neque luna per noctem.

Omni tempore securus eris, protegente te domino, in prosperis & aduersis, in tẽtationibus magnis & pauuis, quocunq; tempore incurrent siue æstu diurno, siue nocturno frigore. In calidioribus enim regionibus illis ut intolerabilis est æstus diei, sic frigus nocturnum noxium est.

7 Dominus custodit te ab omni malo: custodiat animam tuam (dominus.)

Quod per allegoriam dixerat, nunc simpliciter ex-

plicat, Ab omni malo custodiet te dominus, quālibet aduersa occurrant tibi non oberunt, sed magis proficient si fideliter deo adhæseris, si domino te committas. Animam tuam custodiet, etiam si corpus interim nōnihil patiatur, & caro remurmuret, animam tamen tuam saluabit: quanquam & anima pro tota substantia capi possit non raro.

8 Dominus custodiat introitum tuū & exitum tuum: ex hoc nūc, & usq; in seculum.

Canit successum negotiorum. Vitæ nanque actiones scriptura egressum uocat & ingressum, locutione trita. Quanquam exponi possit, Siue foris fueris siue domi: siue externa curare uolueris siue interna, tecum semper dominus erit saluator & custos. Sine fine in præsenti uita & futura domino fidentes non relinquentur. Illi ergo domino soli adhærendum est, is colendus & adorandus unice: nulla creatura opus habemus, domino miserante. Vide in tractatibus Augustini hoc loco, quomodo laudes tractauerit sanctæ Christinæ fœminæ in Africa ob fidem martyrio coronatæ.

Præsentia dei.

PSALMVS CXXII.

Canticum graduum.

Superioribus duobus non additum in Hebræo est nomen Dauidis, ut & quibusdam alijs sequentibus canticus graduum.

ARGVMENTVM. Gratulatio est pro felici statu ecclesiæ.

1 Lætat⁹ sum in his quæ dicta sunt (qui dixerunt) mihi: in domum domini ibimus.

Studium ceremoniarū.

Studium hic sanctorum describitur, adeundi sanctam concionem, olim in præcipuis tribus solennitatibus, ad eum locum ubi erat tabernaculum fœderis, & sub eo tanquam typo ardor filiorum dei erga instaurationē ecclesiæ Christi. Dicit ergo fidelis, Gauisus sum in spiritu deuotionis meæ, quando audiui Israēlitas semuicem ad adeundum domum domini inuitantes, ad religiosa gaudia in domino, uel multos aspirare ad dei cognitionem, amorem & cultum: quasi dicentes, Ad domum domini ibimus, ubi, ut par est, & homines obligantur, dominum deum unum solum & uerum prout uoluit in spiritu adorabimus, postquam nobis uere innotuit per fidem conditor noster.

2 Stantes erant pedes nostri in atrijs tuis Ierusalem.

Cum multa gratulatione & admiratione stantes fuimus in atrijs, uidentes infinitam multitudinem uenientium ad templum, ad deum glorificandum & satisfaciendum legi. Id sancti cum ingenti gaudio contemplabantur, ut auidi erant gloriæ dei amplificandæ & multorū profectuum. Nos quoq; qui peruenimus ad hanc gratiā dei, ut ciues sanctorum & domestici dei facti simus, & ius ciuilitatis inter pios receperimus, gaudemus de profectu piorum numero & merito, de sanctificatione nominis dei, & de impletione & obseruantia mandatorū dei. Est autem Ierusalem consortium & ciuilitas, deum uerum colētium ubiq; locorum. Iam olim arcta erat & modica, nunc toto mundo diffusa & glorificata, quia domino deo deuota, & assumpta in gratiam dei, repudiata infelici perfidorum Iudæorum synagoga.

Ciues sanctorum.

3 Ierusalem quæ ædificatur ut ciuitas: cuius participatio eius in idipsum.

Ex desiderio adeundi sacram urbem canit eam ædificatam, ut par est ædificari urbem, proprieq; consociatam, & optata ciuium unanimitate optime constitutam. Nos ex uiuis & ueris lapidibus constructā canimus & lætamur sanctorum ecclesiam. In qua ciuitate ciues concordia & charitate summa conglutinantur in commune gaudium & commodum spiritus & animi, sed & corporum: non ea quæ dissidere solet à deo & mutuum. Non pertinent ad hanc ecclesiam uacui fide uera et charitate, seditiosi, superbi, & iniurioſi, sibi tantum placentes, & suo sensu abundantes, quamlibet sese pro fidelibus & catholicis uenditent.

Charitas ecclesiastica.

4 Illuc enim ascenderunt tribus, tribus domini: testimonium Israël, ad confitendum nomini domini.

Ex oraculo & iussu dei singulæ tribus adibant Hierosolymā, inibi nomen domini celebraturi. Et hæc in typo. Reuera autem peruenerunt ad dei ecclesiam omnes cognationes nationum orbis: nō quælibet, sed tribus domini, electi filij, scilicet per adoptionem. Testimoniū Israēl, quem referunt fide & moribus, non carne & sanguine, quales potius iudicant, & ut nothos repudiant. Veniunt autem ad confitendum nomini domini, quod solum opus sanctorum est, & sacrificium nouæ legis post Christum finem legis & complementum, uno perfecto sacrificio oblato pro toto mundo. Nam & Iudæi confitentur in regno Meßiæ omnia cessatura sacrificia, præter unicam gratiarumactionem & laudem domini, ut scilicet omne bonum deo acceptum referatur, hominibus nihil.

Sacrificium nouæ legis.

5 Quia illic sederunt sedes in iudicio: sedes super domum Dauid.

Hierosolyma locus est solij, regni, & iusti iudicij, ubi omnia ex summa æquitate instituantur et iudicētur. In ecclesia autē ciuitatis dei iudices, id est, throni sedent super domū Dauid doctores legis & euangelij, qui sunt ueri filij Christi, qui in spiritu & uerbo dei iudicant fideles & impios cum suis doctrinis.

6 Rogate quæ ad pacem sunt Ierusalem: & abundantia diligentibus te.

Cum Ierusalem diuinitus instituta esset, ut illic & ceremoniarum & regni sedes esset, ab huius pace & felicitate totius populi & regni pax atq; prosperitas pendebat. Postulanda quoq; in ecclesia dei est à domino & optāda sanctitas & profectus sanctorum & sanctæ ecclesiæ, ut prosperemur amatores eius, benedictionibus repleamur fideles & pij. Studiosißime semper orandum est pro ecclesia dei, quamumlibet sancta & deo amabili sponsa: sic enim spiritus domini docet, sic exigūt illius aßidua pericula, sic filij matrem honorare præcipiūtur.

Orandum pro ecclesia.

7 Fiat pax in uirtute tua: (&) abundantia in turribus tuis.

Virtus

Virtus hic pro exercitu capitur, oraturq; ut salui sint omnes qui fortitudine animi & constantia accepta à domino ea utantur in profectum ecclesiæ, ut omnes suas cogitationes conuertant & curas, quo illi omnia secunda sint. Nam quicquid serio petitur, id à domino promouetur, alioqui non orari sineret dominus. Orat quoq; ut abundantia uel successus sit in palatijs ecclesiæ, abundantia spiritualium bonorum in congregationibus fidelium, quæ sunt uaria dona spiritus sancti, in usu & exercitio sancto ad gloriam dei.

8 Propter fratres meos & proximos meos loquebar pacem de te.

Pro eo quod Hierosolymus sedes religionis est, habitaculum dei, locus diuini cultus, & ciuium sanctorum, debent omnes fratres sese existimare filios esse sanctæ urbis eamq; amare, conseruare & propugnare, omnes se se mutuum diligere, & laudare eam à domino glorificatam præ reliquis urbibus mundi. Et qui ecclesiæ catholicæ fratres sese agnoscunt, ut filij sint ecclesiæ, non nisi bona illi precentur, et gratiam dei multiformem ad eam deprædicent, fausta atque salutaria optent, ut sponso suo domino placeat, & Christo capiti per fidem & charitatem perfectam adhæreat, & ab omni errore doctrinæ & morum per dei clementiam semper in suis membris purificetur, quo tandem exhibeatur sponso suo sine macula & ruga dignissima sponsa.

9 Propter domum domini dei nostri: quæsiui bona tibi.

Idem ferè clarius explicatur, unde tanta gloria & gratia debeatur urbi sanctæ, quia domum domini illic ædificandam præuidit in spiritu & ordinauit Dauid, ad uoluntatē domini, indicato illic loco electo à domino, propter ueram pietatē, & gloriam dei ibidem multis ostensam. Quæram, inquit eidem, & sedulo procurabo, optabo & precibus obtinebo bonum tibi, non quæ sunt mea curabo tantum, sed tui nominis gloriam, & ecclesiæ sanctæ promotionē. Hæc, inquam, omnia rectius multo competunt in ueriorem & sacratiorem sanctorum ciuium ecclesiam, & in sacram urbem, quàm unquam competierint in illam terrenam Hierosolymam, quæ pridem toties excisa est, & destituta omni splendore pristino & sanctimonia. Perpetuò sanè sese inuicē sancti hortantur ad orandum pro illius pace, & omnimoda felicitate, ut feliciter agant qui diligunt eam, qui eius profectum cupiunt, ut pax & felicitas sit intra mœnia eius, & in singulis ædibus solida fides & dilectio. Qui deniq; dei est, fratres & amicos agnoscit, quicunq; eundem confitentur: nouitq; uere dei donum tales esse, proinde ex amore precantur continuo instaurationē ecclesiæ, & ut nomen dei continuo gloriosius sanctificetur.

PSALMVS CXXIII.

Canticum graduum.

ARGV. Imploratio est diuini auxilij in aduersis.

1 AD te leuaui oculos meos qui habitas in cœlis.

Orant sancti omnes exagitati contumelijs & dedecore, ab ijs qui inflati prosperitatibus huius mundi turgent: & modis omnibus molesti sunt fidelibus & pijs. Qui sic, ut fit, in magnis angoribus desperantes de omni creatura, ad dominum deum solum fidei suæ anchoram iaciunt, ad ipsum solum eleuant oculos mentis suæ, fiduciam salutis & euasionis eleuant ad deum, qui licet in cœlis habitet, quos & moderatur, & quibus ut instrumentis utitur ad opera gloriæ suæ et salutem electorū, tamen humilia quæq; respicit, etiam in infimis omnipotens & omnia sciens.

2 Ecce sicut oculi seruorū in manibus dominorum suorum.

Elegans & apposita similitudo est seruorum ad dominos suos. Sicut enim ad digiti crepitum præsto sunt serui ad omne imperium dominorum, nihil negligētes eorum quæ domino placere nouerunt: sed & quoties ab alienis iniurijs appetuntur, oculis respiciunt ad suum dominum, quod neminem alium habeant qui eos uindicet, toti sunt iuris illorum. Sicut quoq; ancilla ad manum respicit heræ suæ, intentißime aduertens quid uelit uel placeat: sic sancti toti addicti sunt deo, nec alia quàm ipsius manu uindicari se posse credunt: uni ergo domino deo suo cōqueruntur omnes aduersitates suas, & quicquid patiuntur ab impijs, à quo solo quæ irrogantur à malis aduersa depelli precantur: sic & nos quoque non cessemus sperare in dominum, à quo solo recipimus omne bonum, cui obligamur omne nostrum obsequium, qui solus præstare potest quo indigemus. Seruorū ob seruantia.

3 Sicut oculi ancillæ in manibus dominæ suę: ita oculi nostri ad dominum deum nostrum, donec misereatur nostri.

Contemptus & ignominia de qua queruntur sancti, ea potißimum est, quod dum opprimuntur ab impijs, ludibrio habetur eorum quoq; religio, & studium colendi deū ridetur, quasi inane et otiosum. Cum itaq; ante omnia ardeant dei gloriam, maxime eos excruciat blasphema irrisio illorum, & prosperitas perfidorum in hoc mundo, qua potiuntur iudicio diuino, unde & contra deum insolescere ad suum usq; tempus sinuntur, mira lenitate dei, quam nos conuenit imitari. Nihil ergo sanctis reliquum fit, quàm ut ad dominum clament pro misericordia consequenda in tantis periculis, ut fortiter & cito succurrat, quandoquidem undiq; inimici pietatis ingruunt, instant, conantur opprimere & calcare pro uiribus pietatem. Sanctorum ignominia.

4 Miserere nostri domine, miserere nostri: quia multum repleti sumus despectione. (Quia) multū repleta est anima nostra: opprobrium abundantibus (&) despectio superbis.

Plurimum uel plus nimio satiata est anima nostra, ex quotidiana opulentium subsannatione, & superborum contemptu, qui de suis bonis præsumentes, nos egenos despiciunt, nullo habito respectu dei, qui pauperem fecit æque ac diuitem, quem illi non credunt.

PSALMVS CXXIIII.

Canticum graduum Dauidi.

ARGVMENT. Gratiarumactio.

1 NIsi quia dominus erat in nobis, dicat nunc Israel,

Præsentia dei pijs.

Certò credant fideles, deum adesse sibi in maximis etiam tentationibus, ut non desperent, sed cum fiducia semper inuocent auxilium gratiæ suæ, & dicant: Nisi à parte nostra stetisset dominus, nisi eius potentia & bonitas astitisset nobis, succurrisset ac defensasset, tunc cum impij nos persecuti sunt malignitate intolerabili, uidebamur planè ad unum occubituri & perdendi omnes. Sed abesse dominus suis non potuit, sicut non esse pius & uerax nõ potest, si tamen illi magnopere confidatur.

2 nisi quia dominus erat in nobis, cum exurgerent homines in nos:

Viuos certe nos uoluerant obruisse, & sic uastasse, ut nihil nostrum restare in animo & corpore uideretur, et ueluti buccellam panis deglutisse. In tantum enim impiorum furor grassatur in pios, ut omnes perdere meditentur, diripere illorum bona, deprauare famam, confundere expectationem, conculcare fidem, blasphemare eum cui sancti fidunt, omnem nequitiam sine timore dei exercere in fideles & humiles.

3 forte uiuos deglutissent nos. Cum irasceretur furor eorum in nos,

Violentia calamitatũ.

Alia translatione uim hostilem describit, quam pij non possint effugere, nisi domino occurrente, nisi miraculo adfuerit. Non est enim potentia contra uiolentiam aquarum impetu currentium, quæ obruunt omnia: sic calamitates ingruunt sanctis, si quando impijs à deo potẽtatus permittitur, si uoluntatem nocendi sequatur uel concomitetur facultas perficiendi, si semel habenæ illis soluantur, ut quod libet liceat. Tunc, inquit, flumen ualidum irruisset, & ad unum omnes obrutos extinxisset, pariter omnes aquis præfocati perissemus grauiũ tentationum, nisi adfuisset auxilium tuum.

4 forsitan aqua absorbuisset nos. Torrentẽ pertransiuit anima nostra (torrens pertransisset animam nostram)

5 forsitan pertransisset anima nostra aquã intolerabilem.

Tunc petulantium flumen transisset super animã nostram. Violẽtiora flumina & subitæ inundationes transferuntur ad significandum uim hostium ineuitabilem, ac inopinantes opprimentium. Quod quidem uetus translatio explicauit, dicens, Forsitan pertransisset animam nostrã aquam intolerabilis: hoc est, inimicorũ nostrorũ sæuitia nos totos uastasset, et de pijs impietas triũphasset.

6 Benedictus dominus, qui non dedit nos in captionem dentibus eorum.

Actio omnium in dei manu.

Truculentiam hostium exaggerat magis, assimulans illos beluis prædam dentibus corripientibus & concerpentibus. Gratias autem agit domino, qui non permisit illos dominari in pios ad suam libidinẽ. Est enim æque in manu domini robur & actio impiorum atq; bonorum, ut non possint omnia quæ uolunt, alioqui nõ fieret salua omnis probitas. Nihil enim impij meditantur quàm persequi innocentes, & uiuere pro genio, sibi cõsulere cum

detrimento aliorum, de fraterna charitate nil scire nec cogitare, quam dominus unice commendat.

7 Anima nostra sicut passer erepta est de laqueo uenantium: laqueus contritus est, & nos liberati sumus.

Sortem quoq; populi dei similem facit auiculæ erephæ laqueo. Euasit, inquit, per dei gratiam anima nostra uiolentiam manifestam crudelium, et dolos occultos insidiantium, quæ non ego quidem prudentia naturali præcaueram, sed quasi iam imprudẽs incideram, tenebarq; uelut faucibus mortis: sed contritus est laqueus insperato dei nutu, frustrata sunt omnia impiorũ molimina, et nos liberati sumus, non nostris uiribus, iam enim perieramus ex nostra malitia: sed,

8 Adiutorium nostrum in nomine domini qui fecit cœlum & terram.

Diuinæ bonitati salutẽ nostram feramus acceptam, qui pios non deserit: omnia enim moderatur & agit qui sefecit omnia. Hæc igitur iam dicta nullis rectius competũnt quàm Christianis, qui id sunt in hoc mũdo, quod oues in medijs lupis, quod agni selecti ad mactationem, quos de nicq; totis uiribus mundus persequitur & exterminare conatur.

PSALMVS CXXV.

Canticum graduum.

ARGVMEN. Consolatio fidelium de iustitia dei.

1 QVi confidunt in domino, sicut mons Sion non commouebitur, in æternum (qui habitat) in

Ecclesiæ sanctorũ.

Nominibus Ierusalem et Zion significatur sanctorum ecclesia. Ea enim uera dei ciuitas est. De hac deum, hic canitur, inde ait: Qui sic uerbo dñi credũt, seq; totos deo deuouent, & ab eo pendent, isti domino consecrati erunt, & diuino cultui dedicati, & insuper moueri non poterunt, sicut nec mons iste Zion. Non enim commouebitur unquam fidelis, nec cadet ad mortẽ, uel à fide: in æternum habitabit, omnis talis feliciter durabit, non loco suo destituetur, domino deo suo seruiet fideliter, uel saltem annitetur toto corde adhærere illi.

2 Ierusalem. Montes in circũitu eius: & dominus in circuitu populi sui, ex hoc nũc & usque in sæculum.

Ierusalem duplex.

A terrena Ierusalem similitudinem accepit, uoluitq; dicere: Vrbem Ierusalem montes cingunt & muniunt, sic deus cingit & munit suum populum, idq; in sempiternum, ne hostes accedant eam obruituri, & ut sit egregie exornata & pulchre conspicua in ædito posita. Sic dominus est in circuitu populi sui fidelis, ut benefaciat, ornet, muniat ac defendat fideles suos, & faciat habitare confidenter, ex hoc & usq; in æternum, non deseret unquam in aduersis.

3 Quia non relinquet (dominus) uirgam peccatorum super sortem iustorum: ut nõ extendant iusti ad iniquitatem manus suas.

Dominum adfore suo populo tutorem semper ex eo probat, quod non sit permissurus imperare illi impios, non

non obtinebunt iustos persecutores impij, nulla uiolentia aduersariæ potestatis oberit, ne inde fiat ut & iusti ad iniquitatem deflectant, hoc est iustitiæ studiosi etiam nõdum perfecti. Inter eos enim pleriq; infirmi sunt, qui timore potentiũ impiorum, tyrannidem exercentiũ sæpe à recti studio detorquentur. Id ne diutius fiat ad perniciem pusillorum, tandem dominus & in tempore liberat, & semotis improbis principibus, præficit eos qui diligunt pietatem, secundum illud Isaiæ: Restituam iudices tuos quemadmodum olim fuerunt, & senatores tuos sicut antiquitus. Tales ut principes nanciscamur, iubet orare Paulus pro regibus & principibus, in hoc scilicet quo tranquille uiuere liceat, cum omni honestate & pietate. Quod tamen demum contingit cum ipsi reges & principes ex animo deum colunt: tantum abest, ut Christianus esse princeps non possit.

4 Benefac domine bonis, & rectis corde.

Orat ut pij principes, & cum his optata rerum tranquillitas pietati seruiens, populo dei contingant, cũ precatur ut deus bonis benefaciat, qui pietatem et iustitiam colunt. Bonis, inquit, & rectis corde, qui non tam apparent quàm uere sunt recti in conscientijs suis boni & iusti, tibi accepti & grati, quales tu solus facere potes, & emendatos prosequi amplioribus beneficijs.

5 Declinantes autem in obligationes, adducet dominus cum operantibus iniquitatem: pax super Israel.

Orat ut qui declinant à uia recta ad prauitatem, ad supplicia ducantur cum his, qui dediti sunt iniquitati, id est ex professo mali & plane deplorati, sicut & cũ diabolo & angelis eius scelerati sociandi sunt in tormentis gehennæ. Quo nanq; malorum pauciores in populo dei fuerint, eo felicius habent res eius, inde tam seuere & serio mandauerat dominus exterminandas gentes Chananaicas, ne reliquiæ eorum offendiculo essent populo dei, quæ tamen non possunt in uniuersum tolli. Sicut autem periti agricolæ nũquam quidem conantur zizanias tollere omnes, tollent tamẽ quas possunt sine noxa tritici: ita pij principes quoscunque sceleratos cum salute reipublicæ tollere possunt nequaquam ferent, omnes autem submouere non tentabunt. Id autem est qđ Christus uoluit, Sinite crescere zizania, &c.

PSALMVS CXXVI.

Canticum graduum.

ARGVMENTVM. Gratiarumactio pro redemptione ab aduersarijs.

1 IN conuertendo dominus captiuitatem Sion: facti sumus sicut consolati (somniantes.)

Videtur hic Psalmus compositus ut plerique alij, cum reduces ex Babylone à uicinis gentibus continuo uexarentur, et à reparatione Hierosolymæ impedirentur. Tunc sancti prophetæ populum ex beneficijs prius acceptis in spem erigebant plenæ liberationis ac restitutionis. Exaggeraturi ergo lætitias qua perfusi fuerunt, soluta captiuitate Babylonica uel alia, ait: Cum per gratiam suam deus exemerit pios de grauibus malis & angustijs, & in ordinem reduxerit cõfusionem mentis, facti sumus ut quieti, qui post graues labores iam se somno & refectionibus consolantur.

2 Tunc repletum est gaudio os nostrum, & lingua nostra exultatione. Tunc dicent inter gentes, Magnificauit dominus facere cum eis.

Ex eadem gaudij magnitudine erat, ut perpetuo riderent, id est hilares essent. Gaudio enim mentis fruuntur liberati ab angustijs: quin & lingua non dissimulat gaudium cordis, confitendo ore & canticis misericordias domini, & solutionem captiuitatis prædicando cũ gratiarumactione domino. Tunc dicent in gentibus, fateri cogentur etiam increduli & gentiles dei prouidentiam & gratiam circa pios. Sic autem dicent, Magnifice nobiscum fecit dominus, magna istis contulit beneficia domino deo suo credentibus, quos nos insensati insanos putabamus, nunc uidemus electos dei & filios gratiores. Gaudium redẽptoris.

3 Magnificauit dominus facere nobiscum: facti sumus lætantes.

Eatenus magnifica deus nobis beneficia exhibuit, ut nemo iam dubitare possit, quin deus nobiscum sit, fauore suo nos prosequatur, tantis nobis mirabilibus & donis commendatus. Facti igitur sumus lætantes, de clementia sua non meritis nostris, qui ex nobis nunquam eripi potuissemus.

4 Cõuertere domine captiuitatẽ nostram sicut torrens in austro.

Tu domine conuerte nos, nisi enim tu cõuerteris, perpetuo auersi erimus semper miseri, semper captiui, iam sub improbis, iam sub peccatis, iam in cõscientia, iam in exilio. Tu solus conuertere potes, & facies dum uoles. Sicut autem defluentibus niuibus uersus austrum ad calorem solis increscunt torrentes, & fructificant impinguando terram alioqui fœcũdam: sic spiritu gratiæ flante in animas, solutis animæ frigoribus, fructuoso calore & aqua fœcundemur gratiarum. Vbi enim abundauerant crimina nostra, propter quæ digne flagellati sumus iudicio domini, ibi fluentis quoque gratiarum emundemur, refrigeremur & fructu pietatis imbuemur. Conuersiõ nostra à domino.

5 Qui seminant in lachrymis: in exultatione metent.

Per allegoriam seminantis cum tædio uel merore, & metentis cum gaudio, ferentis uas seminis iaciendi cum sudore, & memoria perditarum frugum non raro scilicet cum lachrymis & fletu, & referentis manipulos cum exultatione, pollicetur populo maxima cũ afflictione aduersa pro reparatione Ieruſalem & tẽpli, lætam autem messem pacis & optatæ felicitatis. Sic qui uerbum dñi prædicãt ad carnis contritionem & crucem, gaudia mundi non sectantur, in exultatione metent, felici messe sanctorum operum in domino se ditatos gaudebunt. Gaudium metentium.

6 Euntes ibant & flebant: mittentes semina sua. Veniẽtes autem uenient cum exultatione, portantes manipulos suos.

Qui solicite & multo labore ibant sub cruce domini pro uerbo domini inculcando, missione domini & cum

multis angustijs mundum transeundo, positum in malig no, semine uerbi diuini: illi cum multo fructu in eccle sia proferendo reuertentur portantes prouentum labo ris sui. Venientes pro ueniens uel ueniendo uenient, cum gaudio conscientiæ de cruce gloriabuntur perpessa pro pter ueritatem, portantes manipulos suos. Felicissimam messem, & æternam reponet sibi gratia dei, qui libera bit seruum fidelem suum de captiuitate, & prouentibus gratiarum ampliter locupletabit, digna & superabũdan te mercede donabit.

PSALMVS CXXVII.

Canticum graduum Salomoni.

Hebræi exponunt Propter Salomonem, uel de eo, qua si non eum Salomon composuerit.

ARGVMENTVM. Imploratio auxilij diuini à domino ex fide.

1 NIsi dominus ædificauerit domũ: in uanum laborauerunt qui ędi ficant eam. Nisi dominus custo dierit ciuitatẽ: frustra uigilat qui custodit (eam.)

Canit sine beneuolẽtia dei frustra esse omnem nostrũ conatum, laborem & industriam. Cum uero omnis mor talium cura & solicitudines præcipue ferantur ad id ut locus apparetur inter homines & in mundo ubi commo de habitetur, facultatibus, dignitate & familia quispiã honorifice fulciatur, ideo monet frustra laborare qui do mum ædificant, statum scilicet, familiam ac dignitatẽ pa tris familiâs domum inhabitantis, si dominus eam nõ æ dificauerit. Et adhuc generalius, Si gratia diuini spiritus bonum in nobis operata non fuerit, & mentis nostræ rui nas non instauauerit, inania sunt studia, uires, labores, uoluntates & opera hominum, ad spirituale profectum prorsus inutilia. Si deniq; dominus non custodierit ciui tatem, ut salua sit respublica, & communi custodia in ci uitatem conspirantes non tutatus fuerit, frustra erit omnis conatus. Id igitur à domino petendũ docet: & ad carnis prælia euincẽda, impotens est omnis humana pro uidentia, iustitia, uirtus & probitas.

Conatuum fortitudo.

2 Vanum est uobis ante lucem surgere (sur gite) postquam sederitis qui mãducatis pa nem doloris. (Sic) cum dederit dilectis suis somnum:

Monet alimenta & uictũ, pro quo mire homines sat agunt quotidie & sudant anxijs laboribus, ab uno deo dari, qui uitam dedit & corpus. Proinde ait frustra esse mane surgere ad labores & negotia, sero ad quietem se cedere uel residere, & sic uesci cibo ærumnoso, nisi om nia suppeditet deus, quo donante laborandũ quidem est, sed omnia ipsius gratia secundantur & promouẽtur pa riter & dulcorantur, ut uideantur omnia cõtingere dor mientibus. Ex quibus patet quomodo intelligenda uetus translatio. Et quod additur, Cũ dederit dilectis suis somnum, securam omnium & cunctis bonis affluentem quie tem, dormientibus quoq; electis suis cuncta affatim sup peditabit. Prima igitur cura sit, exẽplo Salomonis dum

Suppeditat omnia deus

sanctus esset, domino per omnia gratificari, illum time re & colere, & adijcientur omnia opportuna, ea facili tate & copia, ut uideantur ea obuenire dormientibus.

3 ecce hæreditas domini filij merces fru ctus uentris.

Præcipuã hæreditatem domini dicit esse domũ, & fa miliam liberorum, id est ab ipso illos donari, & fructum uentris esse mercedem, utique ab eiusdẽ liberalitate col latam. Hæc semper à sanctis hæreditas maxime æstimata est, desyderata & ambitiose quæsita, sed non ad aliud q̃ ad cultus diuini amplificationem et electi populi. Quod si cui negata est huiusmodi hæreditas, nõ propterea non sanctus esse potest, sed alia ratione sibi filios conquirat, fidei scilicet & uirtutum, quos doctrina et exemplo tan to studiosius educare debet, quanto liberior fuerit à cu ris domesticis, & à familia nutriẽda, ita tamẽ ut munerũ diuinorum partitio attendatur, & legitime excolantur naturalia beneficia dei, & æmulẽtur quiq; quæ sibi com modiora secundum uerbum dei uidebuntur.

Hæreditas electorum.

4 Sicut sagittæ in manu potentis: ita filij ex cussorum (iuuentutis.)

Viuacem ac prosperam ualetudinem deus dat filijs, quos ipse donarit. Id enim uult significare similitudine sagittarum in manu potentis, ualidæ enim illæ sum lon geq; uolant, atq; probe conficiunt ad quod emittuntur: sic canit fore ualentes gnauos & dexteritate præditos quos deus donauerit electis suis liberos. Dicunt Hebræi, Filios iuuentutis, ubi uulgata habet Excussorum, haud dubie tunc aliter legentes, unde sancti patres plurimum sudarunt quomodo filios excussorum ostenderent fuisse apostolos. Veri filij dei sunt efficaces sagittæ, per quas uulnerantur corda inimicorum dei: sic filij iuuentutis di ci possunt, per quos deus noua sua opera agit in mundo, ut sunt apostoli & apostolici uiri & heroici, extra sor tem hominum reliquorum terrena amantium.

Electorum constantia.

5 Beatus uir qui impleuit desyderium suũ (pharetram suam) ex ipsis: nõ confundetur cũ loquetur inimicis suis in porta.

Qui talibus sagittis pharetram suam repleuerit, bea tus habebitur. Non enim pudefient, tam pater illorum quàm ipsi filij, cum in porta, id est curia uel senatu agen dum fuerit cũ aduersarijs. Innocenter enim uiuent, cuncta prudenter administrabunt, non dabunt ansam calum niandi improbis, non deijciẽtur causa sua, quia iusta sem per erit. Tales habere filios, præcipua sane portio est fe licitatis, ideo tam diffuse eam prædicat. Et uocat filios iu uentutis, id est electissimos, quia deus fidelibus frequen ter mature liberos donat, ut in tempore commodius nu triantur, & melius instruantur à parentibus, quod non æque fieri potest per filios senectutis, ob maturiorẽ mor tem parentum, remissionemq; animorum in eis, & amo rem nimium nonnunquam. Alij exponunt filios huius modi de prædicatoribus uerbi, qui non superabuntur ar mati sagittis uerborum dei ab hæreticis.

Felicitas filiorum.

PSALMVS CXXVIII.

Canticum graduum.

ARGV. Gratulatio de uera felicitate hominis pij.

Beati

1 BEati omnes qui timent dominũ, qui ambulant in uijs eius:

Proueniunt omnia bona hominibus à timore dei & cultu iustitiæ, quo in uijs domini ambulatur, ex quibus uulgaria hic enumerantur, q; ea manifestius cernantur, & expetãtur cupidius in hac uita. Primùm autem, beatitudinem sitam dicit in timore dei, ut digne colatur dominus quod est timere deum, credatur uerbo dei, tota fidutia illi adhæreatur, præceptaq; eius habeantur in pretio, ac obseruentur, ut ambuletur in uijs eius, ut uiuatur iuxta præscriptum legis diuinæ, ut studio sacræ scripturæ sic insistatur, ut non incidat ignorantia uoluntatis dei, ut non præponi contingat uerbis dei mandata hominum, illis contraria, & inueterata malorum consuetudo, aut superstitio antiquata.

2 Labores manuum tuarum quia manducabis: beatus es, & bene tibi erit.

Canit copiosè adesse timentibus deum unde beatè beneq; uiuant, ita tamen ut fruãtur labore suo, cui fideli uiro execratio terræ illata propter Adæ peccatum, utilissima fertilitate commutatur, ut habeat rerum omnium sufficientiam partam suis laboribus, non fraude, dolo, illicitis lucris, non otiosa mendicitate, nõ impostoris mali ingenij quibuscũq;, sed sudore uultus sui, hoc est dignis bono uiro exercitijs, siue id manuum factionibus fiat, siue ingenio & fidelitate. Beatus sanè talis erit, & bene ei erit. Ita loquitur scriptura, id quod maius, non quod minus est præponendo, ut plurimum, non more nostrorum rhetorum. Hoc, inquit, deus præcepit, hoc probat, hoc benedicit, faustum & felix lucrum: huiusmodi comprobatur exemplis & experientijs.

3 Vxor tua sicut uitis abundans in lateribus domus tuæ. Filij tui sicut nouellæ oliuarum in circumitu mensæ tuæ.

Vxor tua, non scortum, non libidinosa, non otiosa, & uaga, &c. sed utilis, grata, casta, fidelis, filios nutriens in timore dei. In lateribus domus tuæ, omnia prudenter disponens, agens, gubernãs, ne alicubi domus apparcat uacua uel confusa, sed instituta secũdum Sapientis carmen in parabolis Salomonis, Habens filios ut plantulas oliuarum, pulchros, ductibiles, dulces, bonæ spei. Circummensam, quos dei munere pascat alacer & pius pater, ac in timore dei instituat. Apposita aũt similitudine uitis utitur, quæ præ teneritudine ligni, seipsum sustẽtare nõ potest, dulcẽ tamen fructum affert & delectabilem: sic imbecillis mater ex mariti præceptis, cõsilio, disciplina, labore, diuitijs, & subsidio uiuens parit & opera sua exornat & instituit pietate & moribus elegantes filios. Oleæ autem feliciores per se stant, & fructu nobili utiles perpetuo uirent, & fructificant consequẽter. Sic dotibus insignes sanctorum filij, mire frugi sunt, uirore fæmæ semper integri & adplaudentes. Non sine parentũ oblectatione, dum circũ mensam stant elegãtes, numerosi & disciplinis instituti in conspectu parentum semper.

4 Ecce sic benedicetur homo qui timet dominum.

Quia non potest constare felicitas priuata sine publica: nunc & hanc timentibus deum pollicetur, sicut et illam priuatã præmissam, deus propter paucos sæpe deum timentes ac pios & cõseruat & auget. Ecce, inquit, sic solet dñs benedicere populo: & familias totas se timentes, hæc dona dei sunt, ei placent, felix est iste ordo uiuendi patriarcharum, sancta & certissima regula, diuinitus instituta, quæ prædicta est præcedenti parte, & quæ sequenti nunc dicetur.

5 Benedicat tibi dñs ex Sion: & uideas bona Ierusalem omnibus diebus uitæ tuæ.

Benefaciet, inquit, tibi dominus è Zion. Eo significat futurum esse deum præsentẽ populo suo in Sion, & collaturum beneficia, ut cum uoluptate uisuri sint beneficia dei, ueri cultores, Ierusalem scilicet urbẽ sanctorũ ad fluere omni bono. Necesse est enim optime habere rem publicam cum uel pauci ciues in ea domino deo ex animo studeant. Tota enim Sodomorũ ciuitas, dei ultionem euasisset, si decem tantum in ea boni ciues fuissent reperti. Vbi ergo sunt qui pietatem colunt, bi & sibijpsis & ciuitati suæ, quæ propter eos Ierusalem iure dicitur, omnem felicitatem adducunt, mala propulsant, imò deus in ipsis, ipsorumq; gratia urbẽ huiusmodi inhabitat. Timor dei salus reip.

6 Et uideas filios filiorum tuorum: pacem super Israel.

Cum publica pace populi dei, posterorum quoq; felicitatẽ promittit. Longæuus, ait, uideas nepotes tuos, & ipsos beatos, pariter tecum deum timentes, à te siquidem optime institutos, cum honorifica familia tua, et uniuersa cognatione tibi consentanea ac fideli. Pacem super Israel: gratiam & misericordiam super omnem populum dei, in conscientijs et foro, quicquid sit de externa pace non semper bona, quanquam & illa subsequetur, si urbs fidelium fuerit, & bene in dei timore gubernata. Ita sibi ciuitati, & populo, ac etiam posteris suis, salutaris est, qui deum uere timuerit & coluerit. Pax publica unde.

PSALMVS CXXIX.

Canticum graduum.

ARGV. *Confessio benignitatis dei ex fide.*

1 SAepe expugnauerunt me à iuuentute mea, dicat nunc Israel,

Iubet Israelem secundum carnem in typo, reuera autem in spiritu et ueritate colentes deum, de ope domini gloriari, quod cum à puero & natiuitate, impij ipsum plurimum adflixerint, nec tamen ei præualuerunt. Vere enim patiũtur multa semper pij omnes, qui uiuere secundum dei præscripta cupiunt, in hoc mũdo, posito in maligno. Ab exordio enim mundi ab Abel usq; ad ultimum fidelem, persequutio malorum odium & contemptus impiorũ manet pios, cuius exemplar Christus datus est, & prophetæ sancti & apostoli, imò ipsa sanctorum ecclesia uetus & noua, patriarcharum & apostolica. Solent enim impij impugnare pios, non contra. Et quicunq; ad deum uertere se incipiũt, statim animum suum ad tentationes præparare debent, tribulantur enim ab aduersarijs dei & fidei. Patientia piorum.

2 Sæpe expugnauerunt me à iuuẽtute mea: etenim non potuerunt mihi.

Repetit semel dictum, quo uoluit dei in populum suum bonitatem plenius prædicare. Vere enim plusquàm cogitari possit mirandum miraculum est, semper seruatum dei populum numero & uiribus, tam exiguum et imbecillum, quum nunquam impij non tentarint eum planè extinguere, semperq; insistunt, sed assistente dei gratia compescuntur, & confunduntur suis ipsorum studijs impij, piorum uero uirtus in infirmitate perficitur.

Dei bonitas in pios.

3 Supra dorsum meum (arauerunt arantes) fabricauerunt peccatores: prolongauerunt (sulcos suos) iniquitatem suam.

Assimilat molestias & iniurias, quas populus dei à gentibus semper pertulit, & pij sine cessatione experiuntur arationi, & ductis in dorso eius sulcis: dicit illos longa produxisse iugera. Eo tempore prouerbialis sermo erat, sicut nunc dicitur, Fabam cudi in dorso, longo uulnere macerari. Prolongauerũt, inquit, arationes. Quod scribitur מעגיות tempore prisci interpretis sic intelexerunt, ut afflictiones significarit uel etiam iniquitates, & non tantum arationes, quanquam ad agricolas quadret posterius: sed sensui nil decedit, quomodocunq; capiatur. Vult enim dicere impios se miris & grauissimis modis perseuerasse in ipsius afflictione & exercitatione.

4 Dominus iustus concidet ceruices peccatorum:

Crassitiem, iugum, colli ceruicem, et superbiam impiorum significat præcisam à domino, quia non permittit illis omnem impune nocendi libidinem. Intricaturas quoque dicere possumus & funes communia studia & factiones impiorum, quas dominus in gratiam fidelium suorum clementer inscindit, ut cessare cogantur domino irritante illorum improba & crudelia instituta.

5 confundantur & conuertantur retrorsum omnes qui oderunt Sion.

Idem canit, sed apertius. Pudefiant & retrocedere cogantur, omnes qui oderunt Sion, cogantur desistere digna confusione affecti inimici pietatis & credentiũ. Pij autem in dei gloriam proficiant semper, & gloriose de impietate triumphent, & gaudeant de sanctificatione diuini nominis, & de bono in melius progrediantur, donec domino miserante opprimatur peruicatia blasphemorum, & ad suam, si deo placet, emendationem confundantur & resipiscant, uel æterna confusione perfundantur.

6 Fiant sicut fœnum tectorum: quod priusquam euellatur, exaruit:

Impiorum inanitas.

Traducit improborum inanitatem, sub allegoria graminis euanescentis in tectis. Plana enim habent tecta in Syria, in quibus enascí solet è rimis & fissuris lapidum constratorum gramen, sed quod diuturnum non sit, eo quod solo commodo careat. Fiant, inquit, sicut fœnum in tectis, qui diu florere uolebant & uidebantur, subito sine radice fuisse conspiciantur. Quod siue euellatur siue minus, nullo erit usui, floret aliquantisper, nihil autẽ fructificat, ante tempus euanescit.

7 De quo nõ impleuit manum suã qui metet: & sinũ suum qui manipulos colliget.

Sic eo non implet manum suam metens, nec in sinum colligens fasciculos, hoc est nihil profert messori gratũ, inutilem tantum stipulam, quam amplecti & colligere messor non dignatur, sed negligit conculcandam, uel perituram in totum, sine utilitate uel fructu. Tales tandem deprehendentur impij dominum irritantes, & uerbum domini blasphemantes. Non colligentur in horrea domini, qui non sunt usui deo, non tamen suo loco carebunt, cum hœdis enim locabuntur: & iustitiam dei blasphemabunt, qui misericordiam eius canere contempserunt.

8 Et non dixerunt qui præteribant, Benedictio domini super uos: benedximus uobis in nomine domini.

Quandoquidem prætereuntes messem, uiderunt contrarium accidisse instituto agricolæ, & inaniter laboratum esse, maledictionem scilicet adesse impijs, non dixerunt, Benediximus uobis in nomine domini. Adeo à domino iudicabuntur, ut nihil prosperum tandem, experiantur, sed dei contra se manum & iudicium agnoscere cogantur. Formulam hic scripsit benedicendi, dum fideles sibi mutuum benepreçari uolunt. Benediximus uobis in nomine domini. Deniq; discendum hoc loco, ferendam esse in bonis uim malorum diu, at non diu duraturã perfidiam sed aliquando pios habituros feliciter, misere uero impios perituros.

Formula benedicendi.

PSALMVS CXXX.

Canticum graduum.

ARGVMENT. Imploratio ueniæ assidua est pro peccatis & ex animo.

1 DE profundis clamaui ad te dñe,

Per profunda è quibus deum inuocat intelligit aduersitates prorum, in quibus semper uersantur, & unde suis uiribus emergere & prodire non possunt. Quæuis scilicet sanctorũ mala, quibus ob peccata sua diuinitus plectuntur, uel etiam ipsa peccata, quibus non raro affliguntur in conscientijs, ut dicat, O domine, uehementer nunc territus tuo iudicio, propter peccata, humili & contrito corde tuam imploro gratiam & exemptionem.

2 domine exaudi uocem meam. Fiant aures tuæ intendentes in uocem deprecationis meæ.

Vehementes habet affectus, quasi uolens dicere, O domine inclina misericordiæ tuæ uiscera & aures, ad miserabilem exiguitatem meam, clementer intende necessitatibus meis, dum lugubri clamore uociferor pro impetranda mihi tua gratia.

3 Si iniquitates obseruaueris domine: domine quis sustinebit?

Neminem posse consistere affirmat coram iudicio domini, si sic deus iniquitates expendere & dijudicare uelit, ut dignas de illis sumere pœnas pergat. Si fueris, inquit, curiosus iudex & satis iustus censor operum nostrorum, & cordis insuper nostri scrutator ac renum, ut diceris, si nobiscum iudicio tuo contenderis, domine quis subsistet? quis stabit tutus coram tua iustitia? Non ergo

gloriandum

gloriandum homini est de iustis operibus, nõ audendum quamlibet pijs, ut meritorum suorum supererogatoria uendere uelint alijs, quæ sibijpsis non sufficere poterint, si expendantur ad iudicium dei. Mediator autem solus est Christus.

4 Quia apud te propitiatio est, (&) propter legem tuam (ut timearis)

Dei misericordia. Ea bonitate deum agnoscit, propter quam & colitur, ut nisi talis esset ut peccata cõdonare uelit, nemo ex animo ipsum uenerari posset, sed omnes ut tyrannum tamũ metuerent. Nunc autem scitur nolle eum mortem peccatorum, sed ut uiuant conuersi. Quatenus timearis, legit Hebræus, ut pater benignus & præstabilis super peccatis filiorũ, formidolosus autem peccatoribus obstimatis. Veteres aliter legerunt & distinxerunt, quia sine punctis legentes, תורא pro תירא, legem pro timearis, facili lapsu priscorum uel recẽtiorum, cum interim lectio uetus uerisimilior uideatur. Propter legem tuam sustinui te, inquit, quia clementiã pijs promittit tota lex dei, & diligentibus dominum.

5 sustinui te domine. Sustinuit anima mea (&) in uerbo eius: sperauit

Hinc se dicit expectare dominum, ut sui misertus depellat mala quæ immisit, & gratiã largiatur quam promisit, unde & se huiusmodi promissis consolatur, quorum & meminit cum ait, Ad uerbum tuum superspera-ui, quamlibet rea conscientia premar, non tamen despero, quia beneficiorum promissio mendax esse non potest. Omnia ardent affectibus: duplex siquidem sanctis tormentum est dum ob commissa affliguntur, & quod malis torquentur, et quod deũ suum sentiunt sibi iratũ.

6 anima mea in domino. A custodia matutina usq; ad noctem:

Afflictis ora-tionis. Exprimit quàm solicite, quàm instanter ad dominum suspexerit, precesq; fuderit, dicens, Anima mea ad dominum scilicet suspicit, uel preces fundit, antequam custodes suas obeant custodias, sicut alibi dicit, se solitum præuentre custodias, id est, uigilias noctis: et cum custodibus, hoc est, cum custodes & uigiles suas ineũt uigilias, anima mea attollit se ad deũ suũ. Repetit autẽ custodes, quo significare uoluit se singulis diebus cum custodibus uel ante custodias mane ad preces sese contulisse. Illud uero mane non ad diei ortum referendum est, sed ad anticipatum tempus. Potest & dici, A puero, ab initio tentationis, à primo diluculo usq; ad sequentis diei diluculum, hoc est, perseuerantissime tota die ac iugiter.

7 Speret Israël in domino. Quia apud dominum misericordia: & copiosa apud eum redemptio.

Fidutia fidelium. Omnes fideles nomine Israëlis dicti, fidutiam seruent in gratiam dei, non in propria sua merita. Quia est apud dominum misericordia, paratus est semper benefacere fidentibus eo: & copiosa apud eum redemptio. Gratia enim sua omnium peccata excedit, & potens est saluare omnes, qui fons est totius bonitatis, ut nemo humilis illũ uereatur accedere pro gratia impetranda, quam ultro offert, pronior ad miserendũ, quàm ad puniendũ humiliatos, non autem proteruos & contumaces, qui sese dei clementia reddunt indignos.

8 Et ipse redimet Israël ex omnibus iniquitatibus eius.

Iste tam clemens dominus redimet credentes in eum, & saluos faciet ab omnibus malis, maxime à peccatis, quæ omnium malorum aliorum causæ sunt, ipsisq; purgatis nihil est quod queat nocere. Sic autem cõdonabit, ut nunquam recordari ad puniendum uelit, sed gratiose indulgebit fidelibus ex corde orantibus. Quid hic pro defunctis animabus habeatur, uideant qui legunt in diebus depositionum, septimorum, tricesimorum, & anniuersariorum pro animabus defunctorum, non uiuorum.

PSALMVS CXXXI.

Canticum graduum Dauidi.

ARGVMENTVM. Domino se totam commendat fidelis anima.

1 DOmine non est exaltatum cor meũ: neq; elati sunt oculi mei. Neq; ambulaui in magnis: neque in mirabilibus super me.

Cõtra arrogantiam. Affirmat alienum fuisse à se & cordis arrogantiam, & fastum, qui se prodit in oculis, non præsumpsisse aliquid iustitiæ, fortitudinis uel sapientiæ, nec super alios se quicquã iactare ausum, conscium peccatorum suorũ, ut gratia dei indigeat, ut reliqui omnes, & magis quàm aliorum multi. Non deniq; ambulasse se in magnis, non esse uersatum in rebus maioribus & mirandis, magis quàm ut ipsum decuissent. Intelligit per hæc magna et mirabilia res insignes, & summis tantum uiris dignas. Forte de maiestate regni & diuino munere prophetiæ id dixit, quorum nihil sibijpsi temere arrogauit.

2 Si non humiliter sentiebam, sed exaltaui animam meã: sicut ablactatus est super matre sua, ita retributio in anima mea.

Hunc uersum sic Hebræi transferunt, Si non posui uel proposui mihi et silui, anima mea sicut ablactatus super matrem suam, sicut ablactatus super me animus meus. Id sic exponunt: Si nõ humiliaui animam meam sicut puer iam ablactatus matri suæ, à qua tamen adhuc totus pendet, & nihil per se potest, sic & ego nihil eximium noui uel possum, nisi à domino adiutus & fouendus, hæc uel hæc mihi deus mala immittat, more iurãdi Hebraico. Veteres autem legerunt non רממתי, sed ורוממתי. Et in hunc sensum catholicũ et uerisimiliorem forsan, reddiderunt: Si non humiliter posui me, & æquanimis fui, scilicet sine quacunq; elatione, sed exaltaui animam meam, id est, superbiui sensu carnis meæ, insolentius ambiendo uel arrogãdo mihi quæcunq;, Anima mea, supplendum est, sit uel fiat in condignam superbiæ uindictam, sicut ablactatus super matre sua, qui scilicet amequã ferre possit cibum alium amouetur à matre, & negatur illi cibus idoneus, sine quo perseuerare non possit: sic quoque iudicet meam superbiam & arrogantiam deus, subtractione gratiæ suæ, sine qua multo minus subsistere possum, quàm ante tempus infans ablactatus à matre.

3 Speret Israël in domino ex hoc nunc & usque in seculum.

Proposito in se modestiæ exemplo, hortatur fideles omnes sperare in dominum, utique humiliatos in oculis suis, nihilq; eximium de se sentientes. Neq; enim uere suspicere ad deum, atq; ab ipso omnia expectare poterit, qui sibi aliquid tribuit: proinde eum ad spem in deum illum prouocat Israëlem, hortatur simul ut de se desperet. Amodo, ait, & usq; in sæculum.

PSALMVS CXXXII.

Canticum graduum.

ARGVMENTVM. *Effusio est sancti desiderij ad cultum dei & gloriam.*

1 MEmento domine Dauid, & omnis mansuetudinis eius,

Dauidis desiderium.

Precatur ut memor sui sit dominus, promissam præstando beneuolentiam, quem sine meritis elegit, cui promisit maxima, Christum de sua posteritate nasciturum, uel numinis sedem arcam suam in urbe regia, & regnum suum filijs confirmaturum, donec Christus ueniat orbi toti illaturus cultum & gloriã dei. Addit autem & afflictionis suæ, quia permulta passus est, & tandem liberandum se credidit, & inter persequendum gratiam & donum mansuetudinis sensit se accepisse, qua æquo animo tulerit uniuersa, & bonum rependerit pro malo, ne quis ueteres aliter transtulisse miretur, cum eadem radice prodeat Hebræis afflictio et mansuetudo. Iod enim & Vau symbolicæ sunt eis literæ, si pro tertia radicali habeantur.

2 Sicut iurauit domino, uotum uouit deo Iacob:

Cum Dauid post peccatum numerationis populi territus à gladio angeli cædemis, dominum orasset pro misericordia, sacco inuolutus cum senioribus, uotum domino nuncupauit, iurauitq; se haudquaquam aditurum domum suam, & capturum quietem, donec inuenisset locum, in quo gratum deo sacrificium faceret. Et hoc est, quod dicitur, Iurauit Dauid domino, astrinxit se religioso iuramento: quod deo non solum non displicuit, sed etiam remuneraut. Et uotum uouit forti, id est, deo Iacob ædificaturum se domino deo templum, in loco quem eligeret dominus, sic promiserat olim Israëlitis in lege.

3 Si introiero in tabernaculũ domus meæ, si ascendero in lectum strati mei.

4 Si dedero somnum oculis meis, & palpebris meis dormitationem, (& requiem temporibus meis.)

Si pro Non Hebraico more sæpe accipitur, & est modus iurandi: quasi dicat, Nequaquam habitare incipiam in noua domo mea, uel non nunc redibo in domum meã, nec dormiam uel quiescam super lectum strati mei, in cubiculum non ingrediar, quietem non amplectar, necessariæ etiam dormitionis, non desinam orare domini beneplacitum, & instare ardentibus uotis, quæ interim sibi non displicere confido.

5 Donec inueniam locum domino, tabernaculum deo Iacob:

Donec reueletur mihi area aliqua idonea, & deo placita pro templo extruendo, oraculo, porticu, ac atrijs. Iam enim accepta quiete regni, & Israëlitico populo ab hostibus externis ut uidebatur, sufficienter pacificato, adesse cernebat opportunum tempus figendi arcam domini in loco idoneo, ad extruendum sanctuarium & fixis aris sacrificandum in unico tantum loco secundum legem dei.

6 Ecce audiuimus eam in Ephrata: inuenimus eam in campis syluæ.

Locus difficilis est, etiam doctissimis Hebræorum, inter quos dictum Rabi Abraham Aben Ezra magis placet, qui sic interpretatur: Audiuimus habitationem & tabernaculum diuinitatis à sanctis dudum patribus reuelatam, & quasi per manus traditam, locum scilicet electum à domino, ut ibi figeretur arca domini, arca fœderis inter deum & Israëlem, esse aliquãdo futurum Bethleem. Nos uero ex facto scimus, uerissimam arcam dei, in qua plenitudo diuinitatis corporaliter habitat, esse nihil aliud quàm benedicta humanitas Christi domini, de spiritu sancto concepta quidem in Nazareth, sed nata feliciter & ostensa in Bethleem secundum prophetas, quæ & Ephrata dicta est peculiari nomine. Hoc quia in spiritu prophetæ & homines sancti per reuelationem didicerant, suspicio erat ibidem, hoc est, in Ephrata quoque arcam domini extructo templo durabili collocandam: sed noua ista apparitione angeli in area Ornan Iebusæi, reuelatus est locus habitationis typicæ gloriæ dei, locus templi Iudaici, in regione campi syluæ. Quo nomine uidetur etiã eadem area tunc nominata fuisse, ut frequentissime multa nomina uni loco conueniunt. Et id quoq; non sine mysterio gentilitatis ædificãdæ per Christi salutem & euangelium, contigit ut diceretur campus syluæ, locus incultus, area Iebusæi. Quo tamen in loco solo sanctuarium unicum mundi fundari debebat, tunc quidem Salomonicum templum, quod typus erat ecclesiæ Christi, cuius caput natum est in Ephrata, glorificatum autem per crucem & resurrectionem in Ierusalem, de qua proditura erat expectatio gentiũ, salus omnium electorum. Vel iterum aliud cõminiscantur Iudæi, quod rationabilius persuadeatur suis & nostris.

Rabi Abraham Aben Ezra.

7 Introibimus in tabernaculum eius: adorabimus in loco ubi steterunt pedes eius.

Ad hanc sacratissimam diuinitatis habitationem introibimus uel ueniemus ascendemusq; ad montem dñi, et ad tabernaculũ dei Iacob, ibi adorabimus benedictã diuinitatis gloriam, scabellum pedum eius, quod non tam arca reuera dici potest, q̃ adhuc uerius sacrosancta humanitas Christi. Qui sanè Christus propitiatoriũ certissimũ propitiatorium. est, & æternũ manens, sacerdos, altare, & hostia quoq;, per hæc omnia prisca significatus, quod certe oraculum statuit dñs adorandum fidelibus Israëlitis omnibus. Dicitur autem typicus ille locus sanctuarij tabernacula uel habitacula pluraliter, propter atria multa circa templum, quod & ipsum constituebatur ex porticu, templo & sancto sanctorum, Vel propter maximam rei dignitatem pluratiuo numero utuntur, ut & aliàs aliquando.

Christus

Surge

8 Surge domine in requiem tuam: tu & arca sanctificationis tuæ.

De typico hæc sanctuario dicuntur & intelliguntur, oratq; Dauid, ut deus fixam & certam tandem sibi sedem, nimirum quam illi ex cœlesti reuelatione placere significauerat, mature recipere dignetur. Surge, inquit, domine deus, habitaréque & manere digneris per gratiam & exauditionem inter homines tibi deuotos & credulos. Tu, ô deus, & sacrosancta arca tua, mysteriũ præsentiæ, gubernationis & prouidentiæ omnia aspicientis diuinitatis tuæ, quam tamen capere non possunt nec terra nec cœlum uniuersum pro immẽsitate ipsius. Tu oro nobiscum sis semper, propitiationisq; testimonium & lex tua non nos deserant unquam.

9 Sacerdotes tui induantur iustitia: & sancti tui exultent.

Cum autem deus nusquam uere habitet, nisi ubi rite colitur, precatur deinceps, sacerdotes indui iustitia, hoc est, uestimentis sacerdotalibus, ueram iustitiã significantibus, quod tunc erat cum ipsi sacerdotes serio iustitiæ secundum legem studebant, fide firma ornabantur, & scientia legis. Deniq; ut sancti illi exultent, suauiter ore & animis cantent tibi laudes fideles electi, uel uerisimilius totus Israël laudibus diuinis exultet, non tantum Leuitæ uel sacerdotes filij Aaron.

10 Propter Dauid seruum tuum: non auertas faciem Christi tui.

Quia uero hæc per filium præuidebat, quantum quidem ad externa attinet, Christiani regni præludia perficienda, dictat cõsequenter precem populo pro regni Salomonis stabilitate, imò aduentu regni Christi. Propter Dauidem seruum tuum ne auertas faciem uncti tui, hoc est, ne reijcias precem eius, non indigneris regi filio Dauid uncto tuo, cui optima quæq; promisisti et semini illius.

11 Iurauit dominus Dauid ueritatem, & nõ frustrabitur eam, De fructu uentris tui ponam super sedem tuam.

Quæ dominus deus Dauidi promisit ueritas sunt: quæ & multo maiori gradu, beneficio & gloria præstitit, quàm uulgus etiam sanctorum ueteris populi potuerit excogitare, quæ & pro illustrissima specie sua iudæorum oculos sic perstringunt claritate sua, ut intueri tam clarum solem nequeant, homines tantũ inuidia insignes & pertinacia. Filio quidem suo Salomoni felicissimum præparauit solium atque regnum, ut ueritas testatur, sed uix tenuis umbra est uel fuit illud ad regnum Christi filij Dauid, qui usq; hodie & in æternũ sedet in solio Dauid, rex regum, & dominus dominantium, in gloriã Israëlis, Dauidis, Abrahæ minime æstimandam, cuius imperium iam à templi illius lapsu propagatũ est in omnes orbis angulos, & nunquam non proficit in electis ad dei gloriam. Salomonem de tuo corpore generandum filium iuniorem, & ex Bethsabee fructum uentris tui ponam super solium regni tui, ut omnibus diebus uitæ suæ pacifice regnet & glorioſe. Sed is tantum umbra erit illius regni, quod filius Dauid ultimus obtinebit, qui in æternum regnabit super solium Dauid. Et omnes qui Christi capitis membra sunt in corpore sacro, hi quoq; in spiritu regnant. Cum enim in terrena Hierosolyma deus gratiæ suæ sedem nequaquam perpetuò habuerit, satis aperte indicatur, Psalmistam ad spiritualem Ieruſalem respexisse, nempe ecclesiam sanctorũ, in qua regnat Christus.

12 Si custodierint filij tui testamentum meum: & testimonia mea hæc quæ docebo eos: et filij eorum usq; in seculum sedebunt super sedem tuam.

Si filij & nepotes tui semitas tuas incesserint, & firma fide mihi adhæserint, legem & præcepta obseruauerint, iuxta fœdus tecum & cum patribus initum, erunt illi perpetuò reges & felices futuri, sicut Salomon, sedentes in solio tuo. Id autem quomodo obseruarint, late ostendunt sacræ historiæ. Sunt enim huiusmodi fœdera cum conditione pacta, ut utrinq; fides firmiter obseruetur promissorum: qua tam opere labefactata, promissorum quoq; ueritas cessat & impletio. Successores Dauidis.

13 Quoniã elegit dominus Sion: elegit eam in habitationem sibi.

Dominus ex omnibus terræ regnis & populis elegit ad dispensationem prouidentiæ suæ & sacrosancti mysterij, quod primis promisit patribus, nõ alios quàm posteros Israëlis, & tandem Dauidis, & ex totius mundi locis Sionam ciuitatem Dauid, & deinde ecclesiam fidelium. Cõcupiuit eam ad habitaculũ gloriæ suæ, ad suum tempus, ut illic hominibus gratiæ suæ dona familiarius largiatur, & in spiritu adoretur. Sion electa.

14 Hæc requies mea in seculũ seculi: hic habitabo, quoniam elegi eam.

Non deseram regnum Dauid, non ecclesiam Christi, semper adero per gratiam & beneficia, non secus atque pater prouidet filijs. Hic sedebo, id est, habitabo, quoniã elegi eam. Complacuit ut ex omnibus unam illam eligerem, domicilium & asylum misericordiæ, & cultus mei sanctuarium in ea erigerem, & donec temporis plenitudo appeteret, ad benedictionem gentibus ingerendã, illic præsentiæ meæ mysterium exercerem.

15 Viduam (uiaticum) eius benedicens benedicam: pauperes eius saturabo panibus.

Cibum uel uiaticum eius benedicendo benedicam, secundum Hebræos, uictum & omnia uitæ necessaria, & uerbi dei cibum efficacem faciam, & ualde multiplicabo, ut nulla ibi locum inueniat egestas spiritus & corporis. Pro omnibus enim necessarijs huius uitæ illic orabunt, & exaudientur secundum promissa dei ad Salomonem. Quare autem uiduam priscus dixerit, diuinare non possum. De pauperibus autem & egenis panibus saturandis beneficio dei ad literam & spiritum plana est sententia.

16 Sacerdotes quoq; eius induam salutari: & sancti eius exultatione exultabunt.

Quod antea Dauid precatus fuerat, id nunc describit dominum expleturũ. A religione pendet omnis fortuna populi dei. Hæc uero salua esse non potest, nisi sacerdotes eius, hoc est, præfecti religionum, doctrinæq; sacræ ministri amiciantur salute, ut omni uita sua ac do- Fortuna populi dei.

ctrina exhibeant salutaria, & iustitiam ueram fidei & morum sanctimoniam. Iustitia enim uestitus est salutis. Salus enim nostra aliud non est, quàm iustitia consummata. Vbi autem sic iustitia & salute ornati sunt sacerdotes, ibi populus bonitati studet.

17 Illuc producam cornu Dauid: parauí lucernam Christo meo.

In ciuitate Dauidis Sion regnum Dauidis semper germinabit, ac lucerna ipsius perpetuò lucebit. Semper, ait, ex posteris eius erunt, qui in populo dei regnabũt: post illos autẽ Christus in uera Sion regnũ administrat absq; fine. Vocat aũt & alibi scriptura posteritatẽ Dauidis in regno Lucernam. Superstes siquidem est in posteris uita & decus maiorum. Creuit autem gloria Dauidis uera magis per Christum & latius, in totum scilicet orbem terrarum, quàm fuerit quando uiuebat, & indies adhuc crescit, donec Christi regnum in hoc mundo durauerit, & in cœlo adhuc glorioſior erit. Potest & Lucerna Dauidis ueri, dici splẽdor euangelij Christi, qui de Sion exiuit in omnes gentes.

Lucerna Dauidis.

18 Inimicos eius induam confusione: super ipsum aũt efflorebit sanctificatio mea (eius.)

Aduersarij tam Dauidis quàm filiorum eius in fide, sicut & Christi regni Meßiæ & lucis euangelicæ obuoluentur aduersitatibus, confusione, erroribus, & damnatione. Super Christum autem Meßiam domini proprie efflorebit sanctificatio, diadema, gloria, & regia maiestas, perpetuus pontificatus, & sine uicariatu uniuersalis & uere summus in omnia sæcula.

PSALMVS CXXXIII.

Canticum graduum Dauid.

ARGVMENTVM. Exhortatio est ad charitatem fraternam, ut domino placeat.

1 ECce quàm bonũ et quàm iucundum habitare fratres in unum.

Intelligitur hic Psalmus de omnibus renatis superno spiritu, inter quos solos iusta uiget fraternitas, qua utiq; nihil est optabilius nec amœnius. Ecce, inquit, quàm bonum & iucundum &c. Vix explicari potest quanta utilitas, suauitas & lætitia locũ habeat, ubi pij homines & deum timentes, pariter pacifice conuersantur, iuxta uerbum domini.

Fraternitas piorum.

2 Sicut unguentum (bonum) in capite, quod descẽdit in barbam, barbam Aaron: quod descendit in oram uestimenti eius:

Sicut recreare solet totum corpus oleum optimũ, uel unguentum, effusum capiti descendens super barbam, qualis erat barba & unguentum Aaronis, quod descendit dum consecraretur super oram uestimentorũ eius: sic gratia cõmunionis fraternæ spiritu sancto flante perfusa in membra Christi, maxime apostolos, deinde filios ecclesiæ erudit & imbuit usq; in infimos, & unius charitatis suauitate lætificat ac participes facit uniuersos.

3 sicut ros Hermon, qui descendit in montem Sion. Quoniam (illic) mandauit dominus benedictionem: & uitã usq; in seculũ.

Sicut ros Hermon fertilißimus & pinguißimus, qua

lis descendit etiam super montem Sion, ut merito dicantur fluere lacte & melle, sic congregationes ecclesiæ spiritus sancti rore fœcundantur, ut fructus suauitatis, sanctitatis & fidei producant. Sic illic in fratrum concordiam præcepit dominus benedictionem, ubertatem donat spiritualium gratiarum, qua corporaliter & spiritualiter consolentur: uitam usq; in sæculum, uitam beatam, quæ hic incipit in sanctitate, & durabit semper, cum replebuntur à facie domini omnibus bonis.

Fœcũdus ecclesiæ.

PSALMVS CXXXIIII.

Canticum graduum.

ARGVMENT. Exhortatio ad laudem dei.

1 ECce (nunc) benedicite dominum omnes serui domini, qui statis in domo domini, (in atrijs domus dei nostri) in noctibus.

Non ex Leuitis solum, quorum officium erat excubias agere suo ordine in domo domini, sed etiam ex reliquo populo plerique erant, qui dies & noctes templum domini frequentabant, quos dicit scriptura stantes in domo domini, & in atrijs dei. Laudate, inquit, & deuote gratias agite, dominum, & inuocate eum solum, omnes qui serui estis domini, populus dei totus, domino fideliter seruire cupientes, ad hoc obligati creatori uestro. Qui statis in domo domini, ex officio domino consecrati, & qui in tentationibus huius mũdi in fide persistitis, deumq; in omnibus laudatis.

2 Extollite manus uestras in sancta, & benedicite dominum.

Leuate manus uestras in sanctuariũ, feruenter orate coram oraculo domini, ad sancta sanctorum, ubi dominus responsa dabat clementiæ, & adorari illic elegerat, eo modo quo nullo alio in loco. Et benedicite dominum, adorate fide, spe & charitate, creatorem omnium colite & laudate, & bene precamini populo dei, dicentes.

3 Benedicat te dominus ex Sion, qui fecit cœlum & terram.

Benedicat, hoc est, benefaciat tibi ille dominus deus noster, qui habitat in Sion, ut gratiam suam suo populo impartiatur, & beneficijs solita clementia consoletur electos. Qui fecit cœlum & terram, deus omnipotens solus, quem colimus & inuocamus, in quem tutò confidimus, à quo bona cuncta suscipimus, & idola omnia blasphemamus.

PSALMVS CXXXV.

Hallelu ia.

ARGVMENT. Gaudium in spiritu sancto de beneficijs dei ad sanctos.

1 LAudate nomen domini, laudate serui dominum.

Bonitatem & potentiam dei agnoscite, atqui celebrate corde & ore, uocibus & operibus, quotquot estis ab eo conditi, homines & angeli, quicquid uspiam est creaturarum, domino deo suo seruiemium, adorate dominum, colite dominũ omnium dominorum. Magnificentiam & maiestatem nominis & gloriæ suæ, quoties consyderaueritis, intelligite uos omnia

nia uestra, quicquid estis & potestis illi debere, & ad illius placitum deuouere.

2 Qui statis in domo domini, in atriis domus dei nostri.

Vos autem dei cultores peculiares, ex domini iussu uel uoto uestro, qui in sanctuario perpetuò adoratis, & statis in domo domini assidue, sacerdotes, Leuitæ, & pij homines quicũq; , secundũ ordines uestros colite dominũ fide, spe & charitate, dignis sacrificijs ac muneribus, orationibus & laudibus. Omnẽ deniq; uestram conuersationem ordinate ad illius beneplacitũ, non agentes quod uobis uidetur, sed quod ipsi complacere ex lege didiceritis.

3 Laudate dominũ, quia bonus dominus: psallite nomini eius quoniam suaue.

Causas cur laudare deum tantopere debeant subijcit. Primùm quod deus beneuolus sit, et decoro amabiliq; nomine. Cuncta nanq; eius opera bonitatem eius deprædicant, nomenq; ipsi faciunt indicibili popularitate celebre atq; plausibile: est enim fons pietatis, & solus bonus. Psallite, inquit, nomini eius, quod saluare solet in tribulationibus inuocatum, quoniam suaue est, iucundũ scilicet & plenũ cõsolationibus, & in seipso ꝓpter seipsum amabile, nõ propter quodcunq; aliud, est enim ipsa bonitas.

4 Quoniam Iacob elegit sibi dominus, Israẽl in possessionem sibi.

Sine meritis præcedentibus, ex mera gratia dominus Iacobũ elegit sibi præ Esau, pro se & sua posteritate, in qua ostenderet diuitias potentiæ suæ, et gratiæ, uarijs miraculis, ad spectaculũ ædendũ toti orbi prouidentiæ suæ circa homines, quos per Christum de illorum semine nasciturum ad uerum dei amorem & cultum esset promoturus. Dicitur autem Israël hæreditas dei, & peculium suum, qui filios Israël, & omnes similiter credentes domino gratia & beneficentia prosecutus est, præ omnibus alijs terrarum ac gentiũ familijs, ex sola gratia, cum pariter ad unum omnes peccatores essent.

5 Quia ego cognoui quòd magnus est dominus: & deus noster præ omnibus dñs.

Ex tantis operibus & portentis, ac magnificis beneficijs per fidẽ cognoui, quod magnus est dñs, omnipotens creator cœli & terræ, cuius magnitudinis non est finis uel æstimatio. Et dominus noster super omnes deos præest & dominatur omnibus, & solus est deus, præter quẽ nullus quidem est deus. Multi tamen dicuntur dij, propter rariorem ac insigniorem potentiã, iustitiam & beneficentiam, quibus domino conformari excellentes uiri secundum illius beneplacitum ac instinctum laudabiliter conati sunt, & propterea commendati.

6 Omnia quęcunq; uoluit dñs fecit in cœlo & in terra, in mari, & in omnibus abyssis.

Potentiam dei in primis prædicat, ab eo quòd solus facit quæcunq; libet, unico uoluntatis & omnipotentiæ iussu ac imperio omnia cõdidit, et semper facit in cœlis, terra, mari, fluminibus, & lacubus altissimis, qui abyssi dicuntur: omnia enim creauit, conseruat, intuetur, moderatur cœlestia, terrestria & inferna. Quanta autem dei miracula facta sint & fiant in terra, mari & cœlo, historia refert rerum naturalium, quam Plinius alijq; scripserunt, unde illorum non est negligenda scientia ad gloriã dei, & profectum animarũ in amore, & uero cultu dei, qui author est omnium.

7 Educens nubes ab extremo terræ: fulgura in pluuiam fecit. Qui producit uentos de thesauris suis:

De extremitate terræ siccæ quæ superficies accipi potest, & montium, dominus suscitat nutu & ordine suo nubes, quæ in fumũ formatæ gignunt uentos, flatus, tonitrua, fulgura, turbines, fulmina, & id genus alia. Ab irrigua uerò terra, humidæ fiunt exhalationes, è quibus oriuntur nebulæ, rores, & gelu, omne genus pluuiæ, niues & grandines. Fulgetra autẽ iungit pluuiæ propter miraculum naturæ pugnantis, quòd nimirũ ignis fulgurũ ab aqua pluuiæ non extinguitur. Videntur sæpe ampliſsima fulgetra inter largißimos nimbos emicare. Vẽtos quoq; suscitat dominus ex occulto origine, ut nescias unde ueniant, aut quo uadant, fremitum interim audiendo. Nubium ortus.

8 qui percussit primogenita Aegypti ab homine usq; ad pecus.

Potentiam prædicat dei, ab ijs quæ fecit peculiariter pro Israële, quæ pro illis fecit in Aegypto, ultima plaga memorata, qua uindicauit occisos infantes Israëlis, interfectione omnium primogenitorum Aegypti, ab homine usq; ad pecus, iram ostendẽs & iustitiã, quam impij spreuerant. Eam autem potentiam sic exeruit in illos, & uoluit per Mosen omnia describi, ut in omnia sæcula per orbem terrarum totum decantarentur, omnia ad gloriam dei, & comprobationem ueræ religionis, & unitatẽ dei ueri, quem coluerunt patriarchæ sancti. Potẽtia dei.

9 Et misit signa & prodigia in medio tui Aegypte: in Pharaonem, & in omnes seruos eius.

Summatim perstringit multa grauia & mirabilia incommoda, supra naturæ uires, à conditore naturæ facta in gratiam electorum suorum, coram induratißimo Pharaone, & principibus impijssimi regni. Quos primùm multipharìam terruit, sed non emendatos ad unum pariter occidit. Quorum omniũ historia legitur ad longum in Exodo.

10 Qui percussit gentes multas: & occidit reges fortes,

Quotquot se reges quamlibet potentes opposuerint uoluntati diuinæ, & electo populo, uerum deum credentibus, & colentibus, percußit non populus sed dominus, & de suis præsumentes uiribus, uerbo ueritatis & promissorũ prostrauit, excisisq; indigenis totius terræ Chanaan, urbes, poßeßiones & terras tradidit in ius hæreditatis Israëlitis dominus ipse, qui omnia condidit et possidet, cuius subiacet arbitrio accipere & dare, pro bona uoluntate sua. Fata inimicorum dei.

11 Seon regem Amorrhæorum, & Og regẽ Basan & omnia regna Chanaan.

Primo Mosi restiterunt Seon rex Amorrhæorum in Hesebon, & Og rex Basan, ambo ultra Iordanem: & uicti sunt ac occisi, diuisa ditione eorum ampliſsima dua-

bus tribubus, Ruben & Gad, atque dimidiæ tribui Manasse, de quibus in Numeris multa leguntur. Et omnia regna Chanaan, quæ triginta numerantur & amplius, quorum omnium terram dudum sanctis promiserat patribus credentibus, & longanimiter expectantibus beneplacitum domini dei sui longo tempore.

12 Et dedit terram eorum hæreditatem, hæreditatem Israël populo suo.

Abstulit dona dei, optimam à se creatã terram, quam ingrati & impij cum tyrannide & iniquitate possidebant, & abutebãtur ad horrenda peccata contra deum & proximos, ut uideantur fuisse atrocissimi tyranni & uiolenti gigantes, deditq; in hæreditatẽ populo suo semper possidendam, si legem traditam & fœdus conseruarent initum. Iureq; diuino possessores fecit pro se & posteris, dominum non deserentibus.

13 Domine nomen tuum in æternum: domine memoriale tuum in generatione & generationem.

Nomen dei gloriosum.

Eatenus extat nomen dei gloriosum in sæcula, ut per multa semper sæcula, & multis miraculis populũ suum à uarijs tyrannis liberauerit, ut legitur in libris Iudicũ et Regum. Semper enim gloria bonitatis & potentiæ suæ fulgebit, & à fidelibus agnoscetur. Memoriale autẽ tuũ, ait, in generatione & generationem, misericordia tua in Messia tuo nobis per scripturas promissa semper durat. Si tamen nos quoq; in præceptis illius ambulare conabimur, & fœdus initum non ruperimus malitiose.

14 Quia iudicabit dominus populum suũ: & in seruis suis deprecabitur.

Ex prædictis colligit etiam deinceps, dominum Israëli adfuturum, illumq; asserturũ rursum in libertatẽ, post quam satis pœnarum de impietate eius sumpserit. Fingitq; humano more, molestè habere se deũ ac dolere, cũ impietate hominũ irritatur, atq; ideo facit eum consolari & recreari, dum illorum impietatem ulciscitur, sicut irato uoluptatem adfert, sumpta de eo cui irascitur pœna. Sicut & Isaias, Heu consolor me de hostibus meis, & ulciscar de inimicis meis. Intelligit aũt pœnas impiorum fore deo solatio. Sic hic quoq; dicitur futurũ, ut deus aliquando satiatus malis populi sui & solatio pœnarum, quas de eo sumeret, iterum placatus, à tyrannis ipsum & sæuis gentibus, quibus eum permiserat liberaret, ut fecerat sæpe dudum.

Antropopathos.

15 Simulachra gentium argentũ & aurum, opera manuum hominum:

Gentium idola atq; dij nihil omnino sunt, nihil possunt uel prosunt cultoribus. Tantum argenti sunt & aurum, quo ad substantiam: sed abominatio & perditio sunt ob impietatis cultum, & sacrilegos ob ritus circa ipsa. Opera manuum sunt, non dei, sed hominum stultorum & impiorum, ad nihil utilia, sed hominibus potius indigent, non illis succurrunt. Omnes igitur gentiles habentur iudicio domini, & idololatræ, qui opera manuũ suarum colunt, superbiunt de ingenio, gratia, actibus et meritis: & si quicquid boni accepisse se sciunt, non rege runt in omnium bonorum largitorem.

Opera manuum.

16 Os habent, & non loquentur: oculos habent, & non uidebunt.

Os habere uidentur, quia similitudo oris affixa est idolo ab impio artifice, sed non loqui unquam poterũt, susceptaculum autem esse dæmoniorum possunt, qui ex illis ad hominum deceptionem friuola & pernicioſa loqui possunt. Oculos quoq; habent, sed non uidebunt, figmentum tamũ sunt ad omnia inutile, & abominandarum deceptionum suppellex.

17 Aures habent & non audient: neq; enim est spiritus in ore ipsorum.

Non possunt audire orationes precantium, quod sine auribus sint, licet figuras auriũ à trunco & artifice fallace susceperint. Nec spiritus quisquam uitalis est uel halitus in ore ipsorũ, truncus enim sunt, & humanæ stultitiæ monimentũ. Quibus uerbis irridet idola & eorum cultores, ut supra Psalmo centesimo sextodecimo, ubi ad uerbum eadem habentur, & sunt explicata.

18 Similes illis fiant qui faciũt ea: & omnes qui confidunt in eis.

Artifices idolorum.

Artifices & dolorum.

Artifices idolorum, & impensas largientes, prostituentes ad cultum, admirantes, adorantes, excolentes rebus pretiosis, & inde diuinum cultum populo commendantes, pietatem hoc pacto uertẽtes in quæstum, omnes stolidi esse, & ut truncus sensu & ratione carere comprobantur. Et omnes, ait, qui confidunt in illa, qui peregrinationibus, oblationibus, missis, exornatiõibus, ostendunt se illa non segniter curare, & nonnihil salutis, imò plurimum gratiæ inde auferre sibi persuadent, quum in creatorem suum solum confidere deberent omnes creaturæ, & omnia bona percepta naturæ, fortunæ & gratiæ in illum solum referre.

19 Domus Israël benedicite domino: domus Aaron benedicite domino.

Deus solus colendus.

Post irrisam uanitatem idolorum, ad fidendum Deo soli, hic hortatur & prædicat deum colendum esse ab coluerit. Israële: primum in genere. Vos, inquit, Israëlitæ electi scilicet quiq;, & peculiaris propter patriarcharum fidem populus, colite deum uerum, & non uanitates gentilium, stultas & pernicioſas quoq;. Et uos sacerdotalis gens, à domino primum seorsum instituta, officium uestrum agite secundum legem Mosis, nunc uero regale sacerdotium facti populi in toto orbe fideles, sacrificia digna pietatis & charitatis offerte, corpora scilicet uestra, & uitulos labiorum, cor contritũ & humiliatum.

20 Domus Leui benedicite domino: qui timetis dominum benedicite domino.

Domus Leui & Aaronitarum, qui tamen & ipsi tam Leuitæ quàm Chaatitæ erant: tota sci licet tribus Leuitica tertiadecima, uos soliciti sitis pro uero dei cultu, docendo, conseruando, & exequendo, corde, uoce & opere, iuxta præscriptam uobis legem à domino. Et omnes reliqui homines quotquot timetis dominum, & idola non colitis, omnes de uniuersis gentibus in deum credentes benedicite dominum. Non enim respectus est apud deum personarum, sed in omni gente qui timent doũ ex fide, et cũ bonis operibus, saluabũtur.

Domus Leui & Aaronitarum.

Bene-

21 Benedictus dominus ex Sion, qui habitat in Ieruſalem. (Hallelu ia.)

Laus & gratiarumactio deferatur ei, qui eſt dominus deus de Zion, ſolus et unicus, omnium quidem creator, & nuſquam abſens, omnia perſpiciens, conſeruans & dirigens. Verum in Ieruſalem habitat, ibi ad præfinitum tempus ceremonialiter ſe coli uoluit, imò uerius paſſus eſt, ne ad idola imprudens populus dilaberetur pro propenſione ſua, ideo paucis ceremonijs, uno tantum loco coli uoluit, eiſq; quas ipſe permiſiſſet, & uolentibus ordinaſſet, licet ſit dominus uniuerſorum & omnium conſeruator. Hallelu ia. Hæc dictio ſecundum Hebreos habetur finis huius uerſus. Verius opinati uidentur ueteres, titulum eſſe ſequentis, ut aliàs aliquoties.

PSALMVS CXXXVI.

Hallelu ia.

Hebræis ſine titulo.

ARGVMENT. Gratiarumactio pro eccleſia fidelium tot beneficijs promota.

1 CONfitemini Domino quoniam bonus: quoniam in æternũ miſericordia eius.

Quotquot fideles eſtis, & deum colere digne deſyderatis, plena fide celebrate bonitatem eius infinitam. Quia in æternum miſericordia eius. Non ceſſat unquam benefacere, fauere, indulgere, miſereri inuocantibus, & plena fiducia ſeſe eidem commendantibus.

2 Confitemini deo deorum: quoniam in æternum miſericordia eius.

Deus deorum dicitur, non qui ſint, ſed qui dicantur. Solus eſt enim uerus deus, creator omnium, ſummũ bonum, infinitæ perfectionis, ac imperſcrutabilis gloriæ et maieſtatis, quam alteri non dat. Cuius ſic manet in æternum bonitas, ut nemini aliorum æque, multo minus magis confidas.

3 Confitemini domino dominorum: quoniam in æternum miſericordia eius.

Dominorũ dominus. Dominus eſt & dicitur dominorum, qui orbis totius principes, reges & dominatores ac domitores pro ſuo nutu regit & gubernat, ut ſine eo nihil ſint uel poſſint, cui ſubeſſe uelint, ſi fortunari deſyderent & proficere & ſibi commiſſos ſubditos à domino fouere & gubernare. Cuius eſt in æternũ clemẽtia tanta, ut compreſsis & afflictis dominorum iniuria hominibus pauperibus, & auxilio humano deſtitutis, pius dominus dominorũ deeſſe non poſsit. Vnde ſibi caueant domini ab illo ſuo domino, à quo ſint iuſte iudicandi.

4 Qui facit mirabilia magna ſolus: quoniã in æternum miſericordia eius.

Omnia quidem opera dei ſic ſunt, ut mirari ſatis nequeant, ſunt imperſcrutabiles rationes prouidentiæ dei uniuerſalis. Ei ſoli confitenda eſt omnis ratio bonitatis ſupremæ: dat ipſe omnibus eſſe & poſſe, & ſupra uniuerſam naturã ſolus dominatur, quam & inuertere dum uult ſolus poteſt & mutare: quandoquidem in plena obedientia dei ſunt, ut poſsit de omnibus rebus facere ſimpliciter quicquid uelit. Nec eſt apud deum impoſsibile omne uerbum. Ei profitenda eſt miſericordia in æternũ, qua ſola ſubſiſtit mundus, cum hominũ peccata propter quos conditus eſt mundus, longe alia mereantur, quàm accipiant dei dona.

5 Qui fecit cœlos in intellectu: quoniam in æternum miſericordia eius.

Deum cœlos feciſſe cum intellectu uel intelligentia, idem eſt quod ſingulari ingenio ſeu arte omnia condidiſſe, propterea quod in illis mirandum magis quàm alijs in rebus artificium eius reluceat, quàm ſcilicet admiranda proportione & motu imperſcrutabili ratione cuncta cœleſtia diſpoſuerit. Quãdoquidem in æternum permanet miſericordia eius, omnia in electorum utilitatem & fructum ordinando, qui cœlorum influentijs non ſubſtant, nec quicquam obeſſe poſſunt aſtra Dei filijs dei.

6 Qui firmauit terram ſuper aquas: quoniam in æternum miſericordia eius.

Contra naturalem ſitum & inclinationem terræ & aquarum extendit dominus & extulit terram ſuper aquas, ut commode hominibus utraq; elementa ſeruiant: terra ad cibum, aqua ad potum, à qua potius præfocandus eſſet homo, ſi ſitui ſuo permitteretur, etiam ſecundum philoſophos. Hæc autem ſic fiunt, quoniam in æternum eſt miſericordia dei, quatenus homines & iumenta ſuper terram uiuere poſsint, & deum timeant comminantem diluuium. Terra ſuper aquas.

7 Qui fecit luminaria magna: quoniam in æternum miſericordia eius.

Magna luminaria condidit, de longe illuſtrantia mundum dominus, loco & uſu mirifico, motu ſempiterno et ſaluifico. Sine quibus mundus ſubſiſtere non poſſet, & omnia horror eſſent & inutile chaos. Quoniam in æternum miſericordia eius, quatenus homo ſaluus ſit & uiuat, ſolatium oculis præbeatur, & lumen rebus omnibus, calor & humor principia omnium rerum creſcentium & ſaluandarum.

8 Solem in poteſtatem diei: quoniã in æternum miſericordia eius.

Solem dedit ut præeſſet, dominiumq; teneret diei, & eam conficeret curſu ſuo toti mundo, ne cui parti deſit lux & commoditas naturalium actionum & artificialium. Diem enim propagat, fœcundat terram, & maturescere cuncta procurat: an non propterea in æternum laudanda eſt miſericordia dei? Quid enim abſq; Sole duraret uel prodeſſet?

9 Lunam & ſtellas in poteſtatẽ noctis: quoniam in æternum miſericordia eius.

Lunam quoq; ipſam & ſtellas ſic nocti præfecit, ut interdiu quoq; non ſint otioſæ à neceſſarijs functionibus. Influunt enim mirabiliter elementis, & prouidẽtia dei ſeruiunt fidelibus, puniuntq; infideles, aptiſſima inſtrumenta operationum Dei, & ſacratiſſimæ uoluntatis. Quoniam in æternum miſericordia eius, neceſſaria uitæ rebus his deus miniſtrat ex magna bonitate ſua ſine ceſſatione.

10 Qui percuſſit Aegyptum cum primoge-

nitis eorum: quoniam in æternum misericordia eius.

Confitendum domino qui percussit Aegyptum maxima & horribili ruina primogenitorum omnium, in gratiam Israelitarum. Quoniam in æternum misericordia eius: ostendit eam ad suos fideles, quorum occiderãt crudelissime infantulos quãtum permisit misericordia Dei, & ut proprio quoque iudicio inuenirentur, non indigni tam ardua clade, qua pariter sunt in mari rubro cum suo rege submersi.

11 Qui eduxit Israel de medio eorum: quoniam in æternum misericordia eius.

De grauissima diuturnaq; & atroci crudelitate Aegyptiorum dominus eduxit Israelem, de potentia & libidine eorum eripuit, insperata libertate donauit, cum argento & auro multo ditatos de hostium manubijs. Quoniam in æternum est misericordia dei, qui quanto sui arctantur & diuexantur atrocius, tanto benignius succurrit, quia bonus est dominus.

12 In manu potenti & brachio excelso: quoniam in æternum misericordia eius.

Omnipotentem manum suam exhibuit Aegyptijs blasphematoribus, qui dixerunt, Quis est iste dominus? non noui dominum, & Israelem non dimittam, sed resistere illi domino rex & exercitus & gens tota non potuit, quin ad unum omnes mari rubro inuoluit, & morte intercepit. Quoniam in æternum misericordia eius, quam semper sperare debeant oppressi, & timere oppressores: benignior enim est dominus, quàm ut filios et fideles suos uindicare obmittat ab impijs.

13 Qui diuisit mare rubrum in diuisiones: quoniam in æternum misericordia eius.

Domino laudes canendæ sunt, diuidenti mare rubrum, id est, caricosum, & in aridã præparanti, ut potuerint liberati sicco pede ingredi diuersis uijs, pro cuiusq; uoto ingenti miraculo, ad dexteram & sinistram eleuato mari, & ex lateribus muniente fideles. Quoniam in æternum misericordia eius, ad electos filios amicorum patriarcharum, quos uiuificat in faucibus mortis.

14 Et eduxit Israel per medium eius: quoniã in æternum misericordia eius.

Magno miraculo iter transeuntibus præbuit in aquis multis credentibus uerbo suo, imò & murmurantibus & ingratis, quo tanto maior agnosceretur in æternum misericordia eius, uicè quoq; improbioribus Aegyptijs pro paruulorum in aquis præfocatione.

15 Et excussit Pharaonem & uirtutem eius in mari rubro: quoniam in æternum misericordia eius.

Fugientibus Israelitis, incumbentem illis Aegyptium regem decussit, sicut de dorso culicem, sic Hebræi dicũt. Quoniam in æternum misericordia eius, quãdoquidem se Israelitæ inermes & pauidi contra tantũ exercitum excutere minime potuissent, nec fugæ spatiũ habuissent.

16 Qui traduxit populũ suum per desertũ: quoniam in æternum misericordia eius.

Post transitum maris rubri per quadraginta annos deduxit populum suum in deserto, uiam ostendens interdiu columna nubis, & nocte ignis, ut semper adesse illis cerneretur & timeretur. Multisq; & magnificis beneficijs mannæ & aquarum, legis & ceremoniarum, fauoribus prosequutus est, & pepercit innocentibus, qui non fuerant numerati. Et hic obmittuntur multa beneficia quidem, quibus carmen augere potuisset alioqui prolixum. Quia in æternum misericordia eius: in ea enim uasta solitudine per suam bonitatem astitit, omni alioqui subsidio destitutis.

17 Qui percussit reges magnos: quoniam in æternum misericordia eius.

Omnes magnos principes & reges contra dei uerbũ populo electo resistentes suis uiribus, dominus oppressit & percussit, de quibus sequitur. Quia in æternum misericordia eius: magna est enim gratia dei cum tyranni delentur de terra.

18 Et occidit reges fortes: quoniam in æternum misericordia eius.

Idem ferè dicitur de interfectionibus superborum, qui suis uiribus confidebant, quos in gratiam sui populi ex magna clementia & misericordia de medio tulit & in totum deleuit.

19 Seon regem Amorrhæorum: quoniam in æternum misericordia eius.

Seon rex Hesebon, Amorrhæus primus ausus est aggredi exercitum domini, filios Israel fideles, idco occisus est primus. Quoniam in æternum misericordia eius: ex hac enim prima uictoria hostium exterminandorũ spem eis contulit dominus obtinendi reliquas quoq; terras & gentes Amorrhæorum.

20 Et Og regem Basan: quoniam in æternũ misericordia eius.

Fortissimus erat gigas Og in Basan, de quo in Numeris. Quia in æternum misericordia eius: æque enim defendit dominus fideles suos à magnis, fortibus ac multis, sicut à paruis & imbecillibus: tutor est enim & patronus fragilium, & hostis superborum suis uiribus præsumentium.

21 Et dedit terram eorum hęreditatem: quoniam in æternum misericordia eius.

Impiorum & crudelium populorum enormiter bellantium, omnia per uiolentiam subiugantium, terras abstulit dominus, & eas in ius hæreditatis alijs contulit, quas illi indigne gubernabant, & eis abutebantur, quia sic dominus misericordia sua æterna agit, ut postquam diutissime, quadringentis scilicet annis eos tulerat, completa mensura iniquitatis, pro sua bonitate diutius ferre nõ potuit.

22 Hæreditatem Israel seruo suo: quoniam in æternum misericordia eius.

Eam opulentissimam terram à pessimis possessoribus ablatam, donauit Israeli seruo suo, ut hæreditario iure illa fruerentur, donec colerent dominum deum suum. Quoniam in æternum misericordia eius, quam certe pollicitus fuerat patribus ipsorum primis, & statuit completq; suo tempore destinato ueris filijs.

Quia

23 Quia in humilitate nostra memor fuit nostri: quoniam in æternũ misericordia eius.

Humiliatio pro afflictione accipitur. Dum, inquit, afligeremur & humiliaremur ab hostibus propter peccata nostra in terra Aegypti et Chanaan sub iudicibus, quoties humiliati clamaremus ad eum, respexit nos misericorditer, & saluatorẽ misit qui liberaret cos. Quoniam in æternum misericordia eius, qua erigit elisos & prostratos ab impijs, fideles suos restituit & defensat.

24 Et redemit nos ab inimicis nostris: quoniam in æternum misericordia eius.

De multis & fortibus hostibus nostris redemit nos in terra Chanaan, quorum fortißimæ urbes erant, & gigantea corpora cũ exercitatißimis militibus, ad rapinas & iniurias assuefacti, sed domini uirtute nobis subiecti sunt & deuicti. Quoniam in æternum misericordia eius qua subuenit infirmis, & uiolentiam sustinentibus ab impijs.

25 Qui dat escã omni carni: quoniã in æternum misericordia eius.

Qui cibum prouidet omnibus animantibus citra ipsorum solicitudinem. Quoniam in æternum misericordia eius: ipsi enim est cura de omnibus creaturis suis, qui pullis coruorum prouidet de annona inuocantibus ipsum.

26 Confitemini deo cœli: quoniam in æternum misericordia eius.

Dominus deus cœli dictus est etiam gentilibus, deus omnipotens, uerus & solus deus. Eius est in æternum misericordia, quia benignitas & beneficentia eius replet

27 *totam machinam mundi.*

(Confitemini domino dominorum: quoniam in æternum misericordia eius.)

Repetitio primi, & in Hebræo non habetur.

PSALMVS CXXXVII.

(Ieremiæ.)

In Hebræo non habetur.

ARGVMENTVM. *Planctus est piorũ contra oppressores.*

1 SVper flumina Babylonis illic sedimus & fleuimus, dum recordaremur (tui) Sion.

Lectus cantationum.

Inducit hic Psaltes sacerdotes & Leuitas, iam in exilio Chaldaico captiuos, conqueri quod Babylonij postulent à se sacra carmina, cum nihil ipsis libere quàm deflere urbis & sanctuarij excidium, in quo consueuissent dominum deum suum laudare, nunc uero non habere occasionem nisi querelarum et planctuũ: unde & suspenderint organa musicalia sua ad salices apud flumina Babylonicæ prouinciæ, qualia multa sunt, circa quæ flumina ut exules & miseri habitabant extra urbes, flentes propter peccata sua & miserias quas incideranr, reditum effl agitantes ad terram hæreditatis suæ. Hic autem illorum luctus exemplum est desyderij profectus ecclesiæ. Desolata nanque Zion, & exulante inter gentes populo, omnis cura religionis interibat: id sanctis unice dolebat, nomen scilicet dei non sanctificari ante omnia.

2 In salicibus in medio eius suspendimus organa nostra.

Intra Babylonicam prouinciam sub salicibus habitabant exules sine hospitijs & domibus cum filijs & uxoribus miserabili spectaculo, sine omni occasione gaudendi, cum magna calamitate. Ibi suspendimus musicam nostram, non libuit canere, sed flere amarius, uasa cantici neglecta & suspensa erant, destitutis solatijs auditis. Vnde & musicam in luctu comparat sapiens oratio ni importunæ.

3 Quia illic interrogauerunt nos qui captiuos duxerunt nos, uerba cantionũ: & qui abduxerunt nos, Hymnum cantate nobis de canticis Sion.

Insultabant hostes afflictis addendo afflictionem, qui carmina sacra per ludibrium expetebant, uel ex ingenti superbia inferre iubebantur epulis ipsorum. Babylonij, inquit, impij irrisores dei nostri, et religionis nostræ uerę, extorquere uolebant à nobis uerba cantionis consuetæ in templo. Et illi qui nos crudeliter ceperant petierunt à nobis uerba gaudij & lætitiæ, dicendo: Canite nobis de canticis Sion, ludite instrumentis & canticis, sicut solebatis in Sion, dominum Deum uestrum collaudando. A quo deserti estis, qui iuuare non uoluit, et non potuit. Sic enim blasphemabatur deus ipse optimus maximus, & sacrosancta religio male audiebat.

Insultatio impiorum.

4 Quomodo cantabimus canticum domini in terra alienæ?

Responsio est ad prædicta, se non posse in terra aliena captiuos & exules canere carmina domini, quo significarunt non licere sancta obijcere canibus, & margaritas spargere porcis. Alioqui, ubi sunt fideles & timentes deum, ibi terra dei est, ibi quoq; decet sacras cantiones modulari. Sed isti Babylonij tantum ad ridẽda sacra poscebant sacras cantilenas, & ut uictis dolorem augerent. Et certe non possunt carmina dei oblectare aures impiorũ, & ut quisq; religiosior est, sic laudes diuinas decantari ardentius cupit, & prophana abominatur. Præstat assuefieri ad honesta & religiosa cantica, ut non desit gaudium pijs, & intercidant iactationes impiæ & impuræ.

5 Si oblitus fuero tui Ierusalem, obliuioni detur dextera mea.

Abiurant sacri cantores omnia læta cantica, malunt q; luctu indulgere pro destructa Hierosolyma. Si, inquiunt, obliuiscar tui, ô Ierusalem, subaudiendum est, non possit citharam tangere manus mea, uel pereat mihi dei mei auxilium, qui solus est potentia mea. Non sit deus adiutor meus, si displicere mihi aliquando poterint, quæ fiũt ad dei gloriam.

6 Adhæreat lingua mea faucibus meis: si non meminero tui. Si non præposuero Ierusalem in principio lætitiæ meæ.

Si non omni lætitiæ prætulero luctum pro Ierusalem, & si non illa semper ob oculos uersabitur, quandocunq;

se lætitiæ occasio ingesserit, ut antequam lætari incipiam, luctum & fletum mihi excitet memoria Hierosolymæ urbis adeò miserè uastatæ. Promissum illis erat reuersuros ad sua exactis septuaginta annis, & urbem cum templo reædificaturos. Huc ergo animus sanctorũ sic anhelabat, ut nulla prorsus eos capere lætitia posset, donec duraret exilium. Interim tamen multi eorum prophanescebant, & ditescebant rebus, ut postea accepta licentia redeundi noluerint reuerti. Quorum tamen malitia dominus abusus est ad gloriam suam, quam per eosdem quoq; propagauit in omnes gentes. Sancti autem uoluissent citius rediisse, & non distulerunt opportunitate illis oblata.

Desyderiũ sanctorum.

7 **Memor esto domine filiorũ Edom in die Ierusalem. Qui dicunt, Exinanite, exinanite usq; ad fundamentum in ea.**

Precantur uicissitudinem Edomitis & Babylonijs illis, quod cum fratres essent, & dolere Israelis calamitatem debuissent, non tantũ lætati sunt de horum excidio, sed præterea incitauerant hostes, ut radicitus sanctã urbem extirparent. Memento, ô domine, illorũ ut punias, ut uindices illorum maleuolentiam, & crudelitatis insti tutum, prauamq; uoluntatẽ in tuo bono opere, cuius iustitiæ seruiebant, sed impia intentione. In die Ierusalem, sortem captiuitatis nostræ miserã & uastationis sanctæ urbis à te electæ. Qui dicunt, Exinanite, exinanite, uastate, diripite, disperdite usq; ad fundamentũ, ne saluum aliquid in ea relinquatur, sed tota conteratur.

8 **Filia Babylonis misera: beatus qui retribuet tibi retributionem tuam, quam retribuisti nobis.**

Talionem precatur urbi Chaldæorum, quam uocant more scripturæ filiam uastatam, intelligentes merito uastandam suo tempore totam Babyloniorum prouinciam ac urbem. Summã enim in populo dei crudelitatem exercuerant, uicissim ergo & ipsis uastationem multo crudelissimã sancti imprecãtur, eamq; eo significant, quod beatum pronuntiant eum populum, quem excitabit dominus, ut rependat iustitiam impijs, eandem mensurã rependsurus tibi, ô Babylonia, qua nobiscum impie egisti.

9 **Beatus q tenebit & allidet paruulos suos ad petram.**

Beatum quoque populum eum pronuntiant, qui Babyloniorum infantes saxo illiserit. Adiuuare aiunt dignetur dominus illas manus, qui seuere uindicabunt uicem nostram, & sine misericordia sic disperdant, ut nunquam amplius crescas, ut ne lactentibus in te paruulis parcere uelint, sed omnia occidant. Quandoquidem nihil in te est quàm confusio, irrisio, luxus, impietas, crudelitas, superstitio, sacrilegium, superbia & impœnitentia.

PSALMVS CXXXVIII.

Ipsi Dauid.

ARGVMENTVM. *Gratiarumactio pro beneficijs dei.*

1 **CONfitebor tibi (domine) in toto corde meo: (quoniam audisti uerba oris mei.) In conspectu angelorum psallam tibi:**

Ex toto corde, maximo affectu dicit se deprædicaturum laudes dei coram dijs, id est, potestate præcellentibus, qui sunt angeli, nuntij diuinæ uoluntatis, & iustitiæ zelatores. Volens significare se in conuentu populi maxime celebri, ut in quo dij adessent deũ se laudaturum. Præcipue enim sacris adesse debent primores populi, alijs in exemplum & disciplinam, sibi autem ad institutionem & orationem, pro felici statu & usu officij sui.

Sactis adsint principes.

2 **adorabo ad templum sanctum tuum, & confitebor nomini tuo. Super misericordia tua & ueritate tua: quoniam magnificasti super omne nomen (sanctum) tuum (eloquium tuum.)**

Adorare Iudæis ad templum domini, est uertere uultum ad sanctum sanctorum, ad locum quem elegerat dominus, ut ibi solum ceremonijs coleretur: & exoraretur. Et confitebor nomini tuo, ait, celebrabo laudes tuas & beneficia, quibus gratificari soles fidelibus tuis, & excitare eos ad pietatis studiũ. Et super ueritate tua confitebor, quandoquidem promissa dudum omnia fidelissime compleuisti. Quoniam uerba tua, eloquium tuũ sacrosanctum, uel etiam sanctuarium tuum magnificasti super omnem laudem tuam, eo quod uerbum tuum euangelicum, & gratia uultus tui illuxit uniuerso orbi, quæ prius tantum Iudæis & Hierosolymis cognita fuerant.

Adorare templum.

3 **In quacunque die inuocauero te, exaudi me: multiplicabis in anima mea uirtutem.**

Causam laudationis diuinæ adiungit, nempe inuocanti sibi ilico adfuisse, & ope sua animã suam corroborasse. In die, inquit, id est, omni eo tempore, quum implorauero anxius gratiam tuam, respondisti, exaudisti inuocantem. Amplificabis in anima mea salutem, augebis uires spiritui meo, ut confitear magis ac magis dona gratiæ tuæ, quibus in omni bono corroberer, proficiam in uera pietate qua placeam.

4 **Confiteantur tibi domine omnes reges terræ, quia audierunt (omnia) uerba oris tui.**

Adeo splendidum ac magnificum fuit auxilium tuum ut cuncti reges terræ uicinæ deum celebrarint. Cum enim audissent quæ deus Dauidi promiserat præstitisse tam ampliter, agnouerũt simul illum uerum deum esse, laudesq; eius deprædicaucrunt. Intelligi autem & melius potest de tota terra, & uniuerso orbe, in quo interim beneficia dei ad Dauidem in filijs suis Salomone & Christo agnita sunt cum maxima laude, non tantum dei, sed etiam patriacharum omnium ac prophetarum. Omnia enim regna mundi nunc sanctificant nomen domini, & gratias agunt uni soli creatori & moderatori omnium. Audierunt enim uerbum ueritatis, & euangelium regni cœlorum, ut absit posthac excusatio.

Et

5 Et cantent in uijs domini: quoniam magna est gloria domini,

Cantabunt in uijs, id est, de uijs domini, factis scilicet & consilijs, quæ didicerunt ex canonicis scripturis, in quibus ingens decus & gloria summæ bonitatis & sapientiæ relucet: potißimum uero in eo, quod magna est gloria domini, non regum, sed dei operum magnificentia & maiestas, late patens, & nunquam desinens: unde & sapientiam suam & consilia, & quicquid uerbis dei descriptum est, uerum & sanctum deo placitum cor de credunt, ore cantant, & publice profitentur.

6 Quoniam excelsus dominus: & humilia respicit, & alta à longe cognoscit.

Quamuis excelsus dominus sit & cœlos inhabitans, humilia tamen respicit & extollit quoq;, uarijsq; beneficijs declarat se curam eorum gerere, facit cognoscere iudicia sua omnes mortales, eos erudiens & castigans, cui debetur omnis gloria: spiritum quoq; humiliatum etiam in principibus consyderat ac suscipit, ut exaltet in cœlis. Superba & alta à lõge cognoscit, non latent eum superbi, ad ipsorum confusionem illos aspicit ac despicit, non intuebitur ad salutem.

7 Si ambulauero in medio tribulationis, uiuificabis me: (&) super iram inimicorum meorum extendisti manum tuam, & saluũ me fecit dextera tua.

Ab expertis tam magnifice beneficijs & subsidijs dei procedit pius ad fidutiam conijciendam in deum, & omnem spem suam etiam in posterum. Certus, etiam si per medias afflictiones grassandum & penetrandum foret, inuocanti sibi deum semper benigne responsurum, & sua manu hostes retusurum, seq; seruaturum, ac denique pro se omnia confecturum. Tu enim, inquit, cõfortabis & liberabis me à morte quam mihi intentant: tu iram hostium meorum cõfringes: tu me uindicabis, tua me dextera & potentia glorificabis.

8 Dominus retribuet pro me: domine misericordia tua in sæculum, opera manuum tuarum ne despicias.

Dominus retribuet semper & ubiq; uicem aduersarijs meis pro me. Eius enim benignitas ad fideles suos non cessat, curam perpetuam habet sperantium in se, & cœptam bonitatem à sanctis non remittit unquam. Opera, inquit, manuum tuarum, iam ædificata & instructa ad gloriam tuam non dißipes, uerbi tui prædicationem nõ patiaris impediri ab impijs. Hic aliter priscus interpres legisse quædam uidetur.

PSALMVS CXXXIX.

In finem Psalmus Dauid.

ARGVMENTVM. Inuocatio & confeßio est prouidentiæ & sapientiæ dei uniuersalis & beneficentiæ contra impios.

1 DOmine probasti me & cognouisti (me)

Sic me examinasti, perscrutatus es & probasti renes & cor, & omnia intima mea, ut totus tibi notus sim, & nulla uel cogitatio uel actio mea non pateat clare conspectui tuo. Cognouisti enim me, id est, cognoscis. Præteritum pro Præsenti, more Hebraico. Tu enim ut omnia nosti, sic me quoq; ignorare non potes.

2 tu cognouisti sessionem meam & resurrectionẽ meã. Intellexisti cogitationes meas de longe:

Simplex sententia est, omnes actus meos tu nosti, ob mißiones quoque, cogitationes, uerba, uitam, mortem, fata omnia tu deus meus nosti, sine quo nihil sum uel possum. Vbi uetus interpres bene transtulit, Cogitationes meas. רעא enim cogitare significat, & רעיונא cogitationes Syriace. Ibi Iudæi dicunt, Amicum meum, satis inconcinne. Vult potius dicere, Quicquid intra secretißima pectoris mei cogito & meditor, hoc tibi remotum non est, et à remotis intueri potes, quod nullus aliorum. Subtiliter hic Iudæi disputant de quatuor actionibus hominum, nos per quædam hominis opera & studia intelligimus omnia reliqua. Beati autem erimus & boni si deum omnia nostra aspicere nunquam non consydera uerimus, ut à malis abstineamus, & oculos diuinæ maiestatis non offendamus. Cordium cognitor.

3 semitam meam & funiculum (accubitum) meũ inuestigasti, & omnes uias meas prouidisti:

Iter & semitam meam, similiter & accubitum meum uentilasti, hoc est, omnia mea studia, actus & quietem diligenter discußisti, inquiris ac uentilas quicquid egero. Priscus uidetur legisse חבלי, pro eo quod Hebræi habent רבעי. Omnes quoque uias meas prodesse fecisti, fortunasti, aptasti uel assuefecisti. Videtur legendum Prouidisti mores meos, tenes tibi exploratißima exercitia mea.

4 quia nõ est sermo in lingua mea. Ecce tu domine cognouisti omnia,

Etiam uerba nostra priusquam nobis in linguam ueniant, deo cognita sunt: sine prouidentia dei nec uerbum progreditur de ore meo. Tu enim domine omnia cognouisti, uolitiones, desyderia, tentationes & instituta, adeo nihil fit sine te. Orandus est ergo semper dominus, ut dirigat actus nostros, uerba & opera, corda & corpora, sensus, sermones & actus in lege sua, & in operibus mandatorum suorum, ut ad nullum declinemus peccatũ, sed ad iustitiam dei faciendã sua directione gratiosa procedant actus & eloquia nostra. Orationes sanctorum.

5 nouissima & antiqua (retro & ante:) tu formasti me: & posuisti super me manum tuam.

Retro & antè, priora & posteriora nostra, prisca & futura, hoc est, omnia manifesta tibi habentur, totos finxisti nos. Quid igitur ipsum in suo figmento lateret? Totum me creasti, corpus formasti & animam, nihil de meo habeo nec à parentibus, à te sunt mihi & omnibus omnia bona. Et posuisti super me manum tuam, protexisti, tutum constituisti, ac benedices, atque in ipso utero

materno finixisti opere mirabili, humano ingenio inexplicabili, & cunctis creaturis inimitabili.

6 Mirabilis facta est scientia (*tua*) à me: confortata est (*&*) non potero ad eam.

Scientia dei incomprehensibilis.

Longe mirabilior est scientia tua & prouidentia tua circa me & omnes creaturas, quàm ut cõprehensibilis sit intellectu humano. Exaltata est, supergreditur captũ meum, non illam consequi possum aliquatenus. Idem fatebuntur, qui uel obiter animum machinæ humani corpusculi contemplando aduerterint. Qui igitur tam hebetes sumus in rebus humanis intelligendis, quomodo audebimus iudiciorum diuinorum rationes arguere uel iudicare?

7 Quò ibo à spiritu tuo? & quo à facie tua fugiam?

Canit præsentem esse dominum ubiq; spiritu & uirtute sua, ut sese nemo abscõdere possit à præsentia maiestatis & potentiæ suæ. Et quo à facie tua fugiam? Non se potuit uel Cain impius, uel Ionas sanctus alicubi occultare uel aufugere conspectum dei, quo minus semper & ubique illos, & omnes homines et creaturas cognoscas. Satius igitur erit nõ fugere, sed sese totũ cõmittere domino, ab illo pendere, ad ipsum recurrere, ubiq; reuereri, semper adorare, & opera sapientiæ suæ boni consulere per omnia, ut iniusta esse non possint.

8 Si ascendero in cœlũ, tu illic es: si descendero in infernum, ades.

Omnia deo plena.

Cœli quamlibet latißimi, te dominum continere non possunt, omnia tui plena sunt, in omnibus cœlorum receptaculis te inueniam. Si oportuerit me manere, si elegero subintrare infima terræ loca, infimum mundi locum & damnatorum ergastulum, illic tu quoque habitas, nõ subterfugiam præsentiam tuam. Vbique iustitiæ & bonitatis tuæ opera splendent, omnia moderaris, in tua manu constituta sunt omnia, dominus uniuersorum tu es. Glorioſus non tantum in cœlestibus, sed etiam in terris, & si quid est terra ipsa depreßius.

9 Si sumpsero pennas meas diluculo, & habitauero in extremis maris:

Si instar auiculæ uelocißimæ fugiendo diluculũ præueniam, si celerrimam radiorum solis excursionem æquauero, qui eodem momento ab oriente ad occidẽtem usq; pertingunt. Per extremitatem enim maris intelligit occidentem. Dum enim sol occidit, uidetur subire Oceanum: hoc est, nullo quocunque modo effugere possum tuam præsentiam.

10 Etenim illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua.

Vbique enim locorum, in omnibus mundi angulis, ubicunque fuero, ibi deducet me dextera potentiæ & clementiæ tuæ. Nihil tentare potero sine auxilio prouidentiæ diuinæ: ubique enim sustentabit me uirtus & bonitas tua. Ille itaque quum solus ubiq; sit, & omnia sciens & potens amoroſißimus pater ſibi credentium, & filiorum quos genuit, non est alia quæcunque creatura inuocanda in quacunque necessitate. Nemo enim nobis proximior est deo nostro, nemo charior esse debet, nemo nobis fauorabilior, nemo in beneficijs promptior, si tantum illius bonitatem agnoscamus, & uoluntatẽ non spernamus.

11 Et dixi, Forsitan tenebræ conculcabunt me: et nox illuminatio mea in delicijs meis

Et dixi, hoc est, si quando cœpero mecum cogitare, quod fortaßis caligine noctis occultari poßim, ut à nemine in tenebris tam obscuris uideri poßim, & illic latere tuam prouidentiam: certe nihilominus huiusmodi quamlibet tenebroſa noctis caligo me prodet. Erit enim domino omnia intuenti clarißima lux, ut apertißime me cernat intus & in cute.

12 Quia tenebræ non obscurabuntur à te, & nox sicut dies illuminabitur: sicut tenebræ eius, ita & lumen eius.

Quæcunque tenebræ non obtenebrabunt à te, non impedient quo minus tu omnia uideas. Aeque enim tibi clarent oĩa noctu sicut die. Nox enim et tenebræ perinde ei sunt atque dies & lux, ut sciamus omnia patere conspectui tuo: ut lumine uultus tui sicut in die ambulemus, & horreamus male agere, qui lucem effugere tantam non possumus. Nihil opertum quod non reueletur, nec occultum quod non scietur.

13 Quia tu possedisti renes meos: suscepisti me de utero matris meæ.

Omnia in dei potestate.

Tu eatenus possedisti renes meos, ut in omnimoda potestate tua habeas intimos affectus meos: qui per renes non raro intelliguntur. Vel quia renes primi omnium fiunt in homine, secundum Iudæos, gignuntur, uel quia gignendi affectus potentißimi sunt. Certe tam hunc uehementem affectũ quàm alios tuo nutu & sapientia inseruisti naturæ & regis. Suscipere de utero matris, est manum porrigere, iuuare, defendere à noxijs. Quin & tu ipse ille es, qui plasmasti me tuis manibus, & cõtexuisti membra, orditus es lineamenta intra matris uterum, & ad tuum beneplacitum effinixisti corpusculum & formasti, ut animam infunderes creando, & creares infundendo.

14 Confitebor tibi quia terribiliter magnificatus es: mirabilia opera tua, & anima mea cognoscet nimis.

Ex consyderatione tam admirandæ dei in nos uirtutis & bonitatis, animus exardescit in laudem dei, dicitq;, Confitebor & celebrabo te nunc deum & conditorem meum: stuporem & admirationem mihi incutit mirabilis formatio substantiæ meæ in matre. Quando tam elegans corpus humanæ figuræ, qua non est inter uiuentia pulchrius, ex tam abominandis initijs propagari uidemus, ut humiliemur & gratias agamus. Terribiliter uel mirifice potius mirificatus sum, mirabiliter factus sum & formatus in utero matris meæ. Et tam hoc ipsum opus quàm reliqua tua omnia mirabilia sunt, nobis hominibus incomprehensibilia. Et anima mea cognoscet nimis

nimis, supra naturam intellectus humani est. Laboribus opus est, si id diligentius perscrutari tentauerit anima, uel homo animalis.

15 Non est occultatum os meum à te quod fecisti in occulto: & substantia mea in inferioribus terræ.

Non potest cælatum esse à te uel minutissimum ex ossibus corporis mei: id est, plus significando quàm dicat, Non possunt non omnia in nobis summe deo nota esse, ut cuius uirtute sunt omnia formata. Os dicit, sed uirtutem intelligit quæ in ossibus maxima est. Vel singula membra intelligit, usque ad minutissima ossa, quibus corpus integratur atque mirabiliter uirtute dei conficitur, quasi in inferioribus terræ, hoc est in utero materno. Intra quem artificiosissime, ô deus, concinnasti, & uelut imaginibus mirabilibus adornasti humanam substantiã.

16 Imperfectum meum uiderunt oculi tui, & in libro tuo omnes scribentur, dies formabuntur: & nemo in eis.

Imperfectum meum, intelligit informe adhuc corpus. Cum adhuc, ait, massa essem, & miserabilis creatura, rudisq; fœtus, uiderunt oculi tui: hoc est, informe adhuc corpusculum meum, tu quantus futurus eram cernebas. Cuncta enim membra mea uelut in libro habebas descripta, quæ suis diebus fingenda erant, tum ne uno quidem adhuc extante, cui & ne minima quidem pars corporis pereat, nec etiam capilli capitis. Dies etiam hominis obseruabuntur, apud deum numerati sunt & ordinati: & non unicum in eis membrum pendet ex nostro arbitrio, uel etiam dies. Ad utrunque enim referri potest, uel ut deus omnia membra nostra nouerit antequam fierent, uel ut statuta periodus uitæ à deo præteriri non possit.

17 Mihi autem nimis honorificati sunt amici tui deus: nimis confortatus est principatus eorum.

Mihi autem quàm pretiosi & honorabiles sunt amici tui deus, etiam amici tui, qui tibi proximi sunt & spiritu addicti, tuiq; uere studiosi, mihi quàm charissimi habentur, quos tantopere auctos & numero prævaluisse impense gaudeo, & stupeo quoque, uel fortes sunt principes illorum, id est, principatus eorum confortatus est, lætantur enim etiam in aduersis & uincunt, quia tuam uoluntatem agnoscunt, & docent etiam alios, uerbo & facto. Amici enim dei sunt, eoq; felicissime regnabunt, et quicquid est sceleratorum exterminabunt.

18 Dinumerabo eos, & super arenam multiplicabuntur: exurrexi, & adhuc sum tecum.

Primùm quidem dinumerabo eos, facile enim numerari in principio regni Dauidis & Christi potuerunt fideles. Sed continuo sic aucti numero sunt, uere pij, & amici dei, in regno Dauidis mortuo Saule, ut propugnatores habuerit sine numero. In regno uerò Christi, Iudæis impijs pessundatis, per prædicationes paucorum apostolorum mirum in modum florere cœperunt sancti, tam prædicatores quàm populares pijssimi, ingenti passim multitudine hominum illum regem & saluatorem suscipiente. Tum dicere & ipse potuit: Euigilaui, de somno surrexi, ô pater, & adhuc tecum sum, hoc est, à morte resurrexi, & adhuc tecum sum, uita beata fruens, quamlibet me hostes mei perdere conati sunt, & à te, qui uita es auellere. Hæc autem tunc plene consummabuntur, quum detrusis cum diabolo cunctis impijs in gehennam, sanctificati per dei gratiam in consortium beatorum ad uocabuntur.

19 Si occideris deus peccatores: uiri sanguinum declinate à me.

Cum maxima fuerit facta multitudo sanctorum, tunc impij perdentur, dum cœperint iudicari & damnari à domino. Tunc autem licebit dicere, Facescite à me, ô uiri sanguinarij, qui me & innocuos quosque ad mortem perpetuò uenabamini. Videtis infinitum istum iustorum prouentum, ij amici dei sunt, præcipui autem socij uestri manu domini interierunt, & quicquid est sceleratorum ex uestra cohorte exterminatum est.

20 Quia dicitis in cogitatione: accipiant in uanitate ciuitates (tuas.)

Ambiguus locus.

Ideo autem impij perdentur, quia loquuntur de te, uel contradicunt tibi dolose, uel cum scelere, & ex prauis cogitationibus loquuntur. Ambiguus admodum locus est, & in sequentibus cum dicitur: Accipiunt in uanitate ciuitates tuas. Non pertinent ad cœtum piorum nec prosunt illi impij ciuitatibus tuis, ideo iuste perdendi. Dici quoque potest, Eleuatio inanis scilicet sunt ciuitatum tuarum, non prosunt isti impij cœtibus dei, fideliũ ecclesijs, si eleuentur et primatũ assequantur, qui impij sunt. Denique sic quoque dici potest: Accipiunt ad uanitatem scilicet nomen tuum, cum contemptu & uane usurpant nomen tuum, impie de te uerba faciunt, falsoq; iurant, interpretando secũdum Iudæos עריך hostes tuos, quasi esset רעיך.

21 Nónne qui oderunt te domine, oderam: & super inimicos tuos tabescebam?

Hos dei contemptores & impios, uel in ciuitate domini exaltatos, profitetur se odisse, & odisse odio consummato, quia summe dominum diligebat. Hoc autem odium quamlibet sit uehemens & perfectum, non tamen arcet sanctorum beneficentiam in impios, quandiu hic à domino feruntur, corporis beneficia nõ negant, fouent quod dei est in illis, animum autem et mores illorum, qui toti satanam referunt, odiunt ut peius nihil. Malignos enim illorum conatus contra deum & sanctos damnant, & plurimum execrantur.

22 Perfecto odio oderam illos: inimici facti sunt mihi.

Dum, ut dictum est, uehementer non tam impios quàm impietatem odio, tuos scilicet & ueritatis & iustitiæ contemptores, maxime dum præesse cupiunt, uel sinuntur in ciuitatibus, ipsi uertuntur mihi in implacabiles aduersarios. Veritas enim odium parit, quod & toleran dum est propter deum, qui est ueritas. Sit autem perfectum odium, nõ ex affectu carnis profectum, sed iustitiæ zelo, amore dei, & ueritatis causa.

23 Proba me deus & scito cor meum: interroga me & cognosce semitas meas.

Offert se probationi diuinæ. Scrutare, inquit, ô deus, & explora uitam, mores & conscientiam. Vereor enim omnia opera mea, & semper pauidus expecto iustum iudicium tuum, quod omnia probat. Non sum quidem mihi conscius de impietate, sed non in hoc iustifico meipsum, sed offero discutiendum. Cognosce cor meum, exquire latebras conscientiæ meæ, & cognosce semitas meas (Hebræi, cogitationes uel affectiones, uel deploratam miseriam meam) pro quibus mecum iugiter cõpungor, & in conscientia perturbor.

24 Et uide si uia iniquitatis in me est: & deduc me in uia æterna.

Vide si peruersum aut prauum institutum sequar: id est, agnosce, quod id prorsus à me alienum est, ut præter tuam uolũtatem aliud cogitem uel diligam. Et deduc me in uiam æternam, hoc est, ut uiuam innocenter, quæ uita beata est & æterna, promissa amicis dei & fidelibus.

PSALMVS CXL.

In finem Psalmus Dauid.

ARGVMENT. *Oratio contra maledicos, & inuocatio iusti iudicij diuini.*

1 ERipe me domine ab homine malo: à uiro iniquo eripe me.

Contra delatores.

Tam nefarijs & mendosis delationibus & detractionibus persequuntur me impij, propter nomen tuum & odium suum, ut de uiribus & prudentia propria desperans euadere periculum tamũ, ad te cogar confugere, & tuam bonitatem ad me & iustum iudicium contra illos inclamem, ut à malo homine me eruas, quicunq; is tandem fuerit, multos enim nimũ pertulit semper. A uiro iniquo uel iniuriarum custodi me, qui mala reddit pro bonis, persecutiones pro fide, mendacia pro ueritate, mortem intentat mihi, à quo toties est à morte liberatus Saul, uel Absalon, aut similes.

2 Qui cogitauerunt iniquitates in corde: tota die constituebant prælia.

Mutatio numeri frequens Hebræis, Qui cogitauerunt in corde suo malitias, & ore loquuntur, studiose moliuntur, & nihil intentatum relinquunt, ut impugnent ueritatem & innocentiam, nocumenta pijs inferant impij. Tota die componunt materias præliorum, argumenta fallacia comminiscuntur ad subuersionem fidelium, nihil aliud quàm nocuisse desyderant.

3 Acuerunt linguas suas sicut serpentes: uenenum aspidum sub labijs eorum. Sela.

Exitialia eorum mendacia confert linguis & ueneno serpentum, pernicijs mendacijs acuunt suas linguas, ut uehementer noceant quibus possunt. Venenum aspidum sub labijs eorum, parati ad illaqueandum lætaliter, imò intoxicandum piorum uitam & conscientias, ad interficiendum corpora, si detur facultas, mortiferis uenenis mendaciorum & diffamiæ. Sela adiecit, quo monet cogitandum quàm nihil intentatum illi reliquerint, quo fidelem perderent: ex quibus tamen omnibus, non sine miraculis, non raro exemit & eximit.

4 Custodi me domine de manu peccatoris: & ab hominibus iniquis eripe me. Qui cogitauerunt supplantare gressus meos:

Incredibili improbitate insidiabantur impij Dauidi, ideo orabat, Obsecro ne ueniam in hostium improborum potestatẽ, ne totis exertis uiribus mihi prævaleant, & causæ quam tu agis, & quæ tua est, non mea. A uiro iniquo uel iniuriarum custodi me, ne obruar impiorum blasphemijs, uiribus, & uiolentia, clementer me serua fidelem seruulum, qui solus potes: cogitant enim gressus meos supplantare, insidiantur ut capiant, tendiculas extendunt ad insidias.

5 absconderunt superbi laqueum mihi. Et funes extenderunt in laqueum: iuxta iter scandalum posuerunt mihi. Sela.

Superbi contra deum, & scienter domini decretis reluctantes, me abijcere conantur, quem dominus elegit de post fœtantes, perquisierunt capiendi & occidendi locum & tempus & auxilia, in urbibus, campis & syluis. Funibus extenderunt retc, nihil obmiserunt, circumdando etiam montes & syluas exercitibus suis, ut facilius et certius caperer, quamlibet circunspectus. Tendiculas posuerunt mihi, pertinax illorum studium ad se perdendum describit, ut sine speciali dei gratia euadere omniũ minime potuerit, propter quod & Sela adiecit.

6 Dixi domino, Deus meus es tu: exaudi domine uocem deprecationis meæ.

Fatetur unde fiduciam concepit & aluit in tantis afflictionibus, nempe quod certa fide tenebat & considerabat dominum esse deum suum, hoc est, uindicem & seruatorem. Dixi, inquit, domino, Deus meus es tu, orauit ut deus mihi esses, & pro innocentia defendenda succurreres. Ausculta ad angustias conscientiæ meæ, ad anxias preces tantopere periclitantis.

7 Domine deus uirtus salutis meæ: obumbrasti super caput meum in die belli.

Tu solus dominus fortitudo mea es, qua saluari potero: undique mihi mala circunstant, desperatio de uita tentat. Cum ualde impeterer ab hostibus, rege, aulicis, filijs, seruis, cognatis, & hostibus, tu protegendo obumbrasti mihi, in die belli dum corriperentur arma contra me. Dies armaturæ dicitur tempus intentati mali, et periculosorum tumultuum.

8 Ne tradas me domine à desyderio meo peccatori: cogitauerunt (contra me) ne derelinquas me, ne forte exaltentur. Sela.

Precari contra hostes.

Contra hostes precari incipit, primùm ut cogitata eorum non succedant, ut dominus non concedat eum perficere mala quæ cogitarit. In quo obseruandum, deum esse qui id efficiat nobis, quod impij sibi uidentur irrogare. Ipso enim non promouente, imò non perficiente omnia, inane est quicquid mortales conantur. Cum ergo nihil

non

non deus optime faciat, omnia boni consulenda sunt quæ fiunt à domino. Sela autem hic adiectum notat, quàm deleat pijs impios exaltari & in sublime ferri.

9 Caput circumitus eorum: labor labiorũ ipsorum operiet eos.

Caput circuitionis suæ iungendum est cum illo quod dictum est, Non exaltentur: potest tamen & cum sequentibus iungi, hoc sensu, Molestia labiorum illorum tam capitis horum qui circundant, quàm horum ipsorum qui sub capite me ita persequuntur, id est, mendacia, quibus me impetunt, ea obtegant & obruant ipsos, pernicies quam mihi parauerunt, cadat in illos, sua se fouea capiant & perdantur. Solennis hæc ultio est, quam deus de hostibus suorum sumit, quamq; sancti sumendam orant, ut scilicet impij mendacijs suis quibus sanctis conantur molestiam inferre, seipsos perdant.

10 Cadent super eos carbones: in ignem deijciet eos, in miserijs non subsistent.

Specie tenus orat, ut cupiat iudicari impium iusto dei iudicio. Carbonibus operiatur ipsorum caput, quos alijs ardentes insufflarunt: immittantur eis incommoda, quæ mihi parauerunt, & quæ non possint effugere. In ignem deijciat eos, grauissima pœna plectantur & acerba, diuino iusto iudicio: in decipulas sic incidant quas alijs statuerunt, ut inde resurgere nequeant: prauis suis studijs illaqueentur, ut desperabiliter pereant.

11 Vir linguosus non dirigetur in terra: uirum iniustum mala capient in interitu.

Vir linguæ dicitur Hebræis, quem nos linguacem, & ut solent huiusmodi multa quoque mentientem: is nihil recte geret inter homines quoad uixerit. Virum iniustum uocat uirum uiolentum, & iniurias inferentem ultro. Talis magna mundi pernicies est, deditus scilicet iniurijs & dolis. Malum capiet eum ad perniciem, omne studium suum est, ut noceat lætaliter incautis, protrudat, impellatq; ad interitũ multos, maxime innocentes.

12 Cognoui quia faciet dominus iudicium inopis: & uindictam pauperum.

Memorat adesse sibi spem de iudicio domini, casuro super impios, quos non impune dominus permittet semper affligere pauperes. Non enim deseret iustitia dei afflictos, humiles, egentes, uel oppressos, & uindictam pauperum sine dubio dominus sumet de capite impiorum, non negliget, sed ulciscetur afflictos. Vtcunq; enim longanimis sit dominus & patiens, sed clementiæ suæ contemptores tandem tanto durius damnat, & compensat diuturnitatem gratiæ seueritate pœnarum.

13 Veruntamen iusti confitebuntur nomini tuo: & habitabunt recti cum uultu tuo.

Cogitat propediem & certò uindicaturum pauperes de impijs, quando uidet nullos alios laudare & celebrare nomen domini uelle uel posse aut concupiscere, præter humiles. Isti enim gratiam quam sunt experti, domino transcribunt, cui & perpetuò curæ sunt, in quibus & glorificabitur, qui de illius pietate semper pie

præsumunt, deq; illius gloria & maiestate in æternum lætabuntur.

PSALMVS CXLI.

Psalmus Dauid.

ARGVMENT. Oratio ad dominum pro custodia oris, & contra insidias impiorum.

1 DOmine, clamaui ad te, exaudi me: intende uoci meæ, cum clamauero ad te.

Perpendens Dauid tot se mala pati propter studium pietatis et innocentiæ, dolensq; hostes suos interim continuo omni felicitate florere, consolatus est se precatione ad dominum, inuocans & orans serioſe & instanter, ut imbecillitati suæ succurrat, qui suus dominus sit, & posuit: idq; festinato agat, quandoquidem instet periculum, benigne exaudiat desyderium & necessitatem.

2 Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo: eleuatio manuum mearum sacrificium uespertinum.

Maluisset hanc fundere in templo adiunctis hostijs pro lege, sed cum id non liceret, non dubitat pro incenso & sacrificio eam deo futuram. Verspertinum autem sacrificium, etiam pro matutino accipitur. Statis enim temporibus, uel ubi spiritus nocte uel die ad orandum impulisset & necessitas, huiusmodi preces effudit pro sacrificijs deo, uti in tabernaculo fœderis, ex lege sacerdotes quotidie faciebant, de quo Numeri uicesimooctauo capite. Simplicius autem intelligitur sic, Placeat tibi oro deus, oratio mea, sicut gratus odor suauitatis, de incenso thuris in lege tibi oblatus, & cum eleuauero ex deuotione cordis manus meas, acceptum id tibi fiat sicut oblatio uespertina. Sacrificium piorum.

3 Pone domine custodiam ori meo: & ostium circunstantiæ (obseruantiæ) labijs meis.

Orat ne quid unquam in tantis tentationibus impie loquatur. Sepem pone circum linguam meam, refrenes eam timore tuo, ne effluat in uerba mala, in blasphemiam dei, uel murmurationem contra iudicia dei. Da gratiam, ut ostium labiorum meorum obseruem & cohibeam, ne lubrice uel inconsiderate loquatur, aut effutiat uerba indigna quæcunque. Facile est enim offendere lingua, ideo diligentius præcauendum. Id uerò ex omni parte ut fiat, non potest homo sine gratia dei, ob id feruentius & frequentius inuocanda. Cohibere labia.

4 Non declines cor meum in uerba malitiæ, ad excusandas excusationes in peccatis, Cum hominibus operantibus iniquitatem: & non communicabo cum electis eorum.

Non sinas declinare, hoc est, desyderare uel inclinari cor meum, ut loquatur uerba perniciosa, sed contine cor & linguam meam intra septa & cancellos timoris tui, ne quid insolenter eloquatur. Ne moliatur studia cum iniquitate, nõ incidat insolita cogitatio maligna, uel impius cogitatus, aut conatus iniquus in cor meum, ut cupiam aliquando conformari uiris impietatis, & exempla per-

ticiosa sectari. Neque etiam comedam cum ipsorum ob-
Cõuiuia impudica. lectamentis, quæ mensis suis pro more adhibent, impudi cos scilicet sermones, colloquia, cantilenas, detractiones, & omnium sensuum excessiuas delitias, quas eligũt & sectantur. Sed dã, ut procul absim ab omni peccato & peccatoribus, in cogitatione, locutione, gustu, & opere. Omnia per gratiam tuam modereris secundum tuum beneplacitum, non secundum iniquitatem corruptæ naturæ meæ.

5 Corripiet me iustus in misericordia, & increpabit me: oleum autem peccatoris non impinguet caput meum. Quoniam adhuc & oratio mea in beneplacitis eorum:

Reprehẽsio bonorum. Præfert bonorum reprehensionem scelestorum fauori & beneficijs: quasi dicere uolens, Opto, ut me cedant potius iusti, quam ut impij primario unguento reddant delibutum, hoc est, summis delitijs demulceant, & omne genus beneficijs adhibeant. Cum enim illi cedũt, beneficium est, corripiunt siquidem me: at horum unguentum caput meum frangit ac perdit, non demulcet aut sanat, ut illi putant. Sic illorum benuolentiã habeo, quan doquidem persæuerat adhuc contra illorum malitiam mea precatio, ut olim exterminetur, adeo nolo illorum gratiam. Vel aliter, Non deficit oratio mea etiam in malignitatibus eorum, etiam si mala & aduersa inferant, orabo tamen pro illis, non odiam, non illis iniquus ero, utilia mihi agnoscam exercitamenta malignitatis eorũ. Translatio uetus non absque causa transtulit, Beneplacita, quandoquidem ut supra quoque ירעות pro æquiuocatione sua, late patet ad malitiam, cogitationem, uoluntatem, amicitiam, pascua, secundum uarietatem punctorum, quæ satis apparet huius translationis temporibus non extitisse.

6 absorpti sunt iuncti petræ iudices eorum. Audient uerba mea quoniam potuerunt:

Vastentur, præcipitentur, uel mente & corpore absorbeantur, uel deiecti sint, secus uel iuxta petram iudices eorum: hunc sensum habere uidetur, Precor ut deijciantur iudices eorum, id est præcipui inter eos & principes illorum, inter saxa uel montes concidant præcipitio, ut intereant: id quod Sauli contigit, & suis, in montibus Gelboe. Sic autem erit, ut alijs grati aliquando fiant ac suaues, probi et iusti sermones mei, de pietate, iustitia, innocẽtia, fide & cæteris, quibus nunc abominatio sunt, propter primores illos hostes meos, duces populi, & aulicos regis mihi infensissimi. Audierunt, hoc est, audient uerba mea iudices isti, iam pœnis eruditi, si tamen id facere poterũt, si illis correptiones placebunt, quas dominus illis repẽdet pro persecutione mea, Erit enim, ut qui nunc persequuntur, aliquando me regem agnituri sint, & mandatis meis parituri.

7 sicut crassitudo (terræ) erupta est super terrã: dissipata sunt ossa nostra secus infernũ:

Iure autem istud nunc oro, quia sicut si quis terram scindit & secat in multas fracturas, atque in diuersa dispergit, dum eam uertit & subigit ad commodius perci-

piendum sementem: ita illi hostes mei, & Saulis complices dispersерunt & mea & meorum ossa secus infernum, hoc est ita uires nostras fregerunt, dispersерunt, et in ea discrimina induxerunt, ut in ore iam sepulchri & inferorũ simus. Ex quo intelligitur sensus uulgatæ translationis. Sicut crassities & durities terræ rumpitur, secatur, exercetur, occatur opera & laboribus agricolæ: sic dissecantur, disperguntur, & confringũtur ossa mea, ut diutius uiuere non liceat.

8 quia ad te domine, domine oculi mei, in te speraui, non auferas animam meam.

Tempus igitur est, ut uindices me, disperdas illos, nam ad te unum respicio, te uno confido, per te solũ potero liberari, tuum flagito auxilium. Non frustreris animam meam, non me fraudes desyderio bonitatis tuæ, nõ effundas animã meã, nõ euacues et abijcies animã meam. Obseruandum hic, solum deum esse qui animam tollere possit, sicut & unus dedit. Non igitur impij occidunt pios, dum illis prævalere deus sinit, sed ipse pater noster, qui hac uita nunquam spoliat, nisi cum statuit dare potiorẽ. Ad deũ respiciẽdum.

9 Custodi me à laqueo quem statuerunt mihi: & à scandalis operantiũ iniquitatẽ.

Repetit precem, qua se orat seruari ab insidijs hostium. Custodi me, ait, de manibus laquei, præserua me, ne capiar ab hostibus, insidias euadere dona, quas præparant mihi, expandendo laqueos & retia impietatis suæ, & à scandalis operantium iniquitatem, ne impingam in arma, & uulnera aduersantiũ mihi, modis omnibus insidiantur ut perdant me. Nihil aliud studẽt, quàm ut sint bonis molesti, operarij iniquitatis, toti siquidem iniquitati incumbunt.

10 Cadent in retiaculo eius peccatores: singulariter sum ego donec transeam.

Orat propterea, ut dignas aliquando pœnas dent im probi persecutores sanctorum, digni modis omnibus, qui in sempiternum exitium præcipitentur, quod continuo sanctis intentant. Illi pariter omnes experiantur, ut pereant, & cessent persequi sanctos, donec ego quoque transire & euadere possim illorum retia & laqueos. Alij exponunt, Vnus sum ego, donec transeam, iuxta Hebræorum distinctionem, unicus ego liberabor ab illorum persecutionibus & impostуris, donec ad libertatem transferar, & ad meliorem ac tutiorem uitam perueniam propitio domino. Admodũ difficilis Psalmus est, cuius sensum exprimat clarius et certius, cui uberior est mensura donorum. Iudicijs impietatis.

PSALMVS CXLII.

Intellectus Dauid cum esset in spelunca oratio.

Huius tituli historia notatur primi Regum uigesimo quarto. Cum nullum omnino iam Dauidi effugium superesset, ita ut in specum se recipere cogeretur, plurima indubie anxietate laborans, omni momento mortem expectans, eam multis expressit postea uerbis, & tunc cordis orationibus.

ARGVMENTVM. Oratio in angustijs ad dominum liberatorem.

Voce

1 VOce mea ad dominum clamaui: uoce mea ad dominum deprecatus sum.

Voci feratum se ait ad dominum, animi scilicet affectibus magis quàm clamore uocali, omni destitutus humano præsidio, ad te deũ oro toto desyderio. Voce mea ad dominum deprecabor, gratiam & auxiliũ dei mei impetrare contendã, non tam multiloquio quàm suspirijs & oratione. Repetitiones huiusmodi in orationibus pertinent ad affectum, quem intuetur & exaudit dominus, non ad exornatam elegantijs orationem, quas dominus aspernatur, modestiam autẽ spiritus & feruorẽ exaudit. Si quis regibus supplex sit, non tam exornata oratione loquitur, quàm humili & minime affectata uerbis, sed feruente utitur, ad commiserationis affectum extorquendum. Veritas & pietas corã throno diuinæ gloriæ ualent, non uerborum exornatio.

2 Effundo in conspectu eius orationẽ meam: & tribulationem meã ante ipsum pronuntio.

Memorat se effudisse corã domino animi sui murmur & meditationem, qualibuscunq; uerbis, tamen humilibus, & pœnitentiam ac fidutiam resipientibus, imò nec qualiacunq; uerba proloqui se posse fatetur præ perturbatione spiritus, quæ & necessaria deo non sunt, si desyderium clamet, ut legimus de Mose, clamante nõ uerbis sed ardentissimis uotis, syncero amore ad proximos, & fide ad dominum. Summa anxietas effundere solet potius querelas, quàm plurimos sermones.

3 In deficiendo ex me spiritum meum: & tu cognouisti semitas meas. In uia hac qua ambulabam, abscõderunt laqueum mihi.

Dum præ anxietate nimia deficeret spiritus meus, & torqueretur, te sic famulum tuum exercente, dum nihil uideo, nisi angustias & horrores mortis, tu interim cognoscebas semitas meas, necessitates meas, longe certius & proximius uidisti & cognouisti quàm ego, ut non opus fuerit multis tecum uerbis & clamoribus agere: tibi commendatissimus eram, mea angustia, hoc respectu, tua erat, propensior eras ad succurrendum quàm ego ad orandum, priximior tu mihi, quàm ego ipse mihi. Quicquid enim sum, cogito, loquor, ago, patior, oro, tu me melius nosti. Deniq; nosti quid desyderem, quàm nihil boni possim & merear. Ipsi mihi laqueos abscondunt per omnes uias quas ambulo, statuunt offendicula, remorantur transeuntẽ, profectu prohibent, & insidiantur uitæ.

4 Considerabam ad dexterã, & uidebam: & nõ erat qui cognosceret (me.) Periit fuga à me: & non est qui requirat animã meam.

Aspicere mihi erat ad dextram, hoc est, si quando consyderabam amicos uicinos auxiliatores, nemo se mihi amicum fateri audebat, uel ad me quicquam pertinere: sic nec ad sinistram erant, qui tueri me contra tot hostes potuissent. Denique perijt à me fuga, non uidebam quomodo præsentia mala effugerem: & non erat quoque qui requireret animam meam, qui eam tutari uoluisset, uel de me fuisset solicitus defensando. Hoc loquitur humano more, cum nunquam fuerit destitutus fidelibus amicis, sed & illi aliquando inuiti cum eo manebant, dum pro eo tanta discrimina quotidie paterentur: ut patet de eo tempore, cum uxores earum Amalechitæ abduxerant, cum propè esset, ut ab illis lapidaretur, nimia amaritudine cordis obrutis, in Sicelech.

5 Clamaui ad te domine, dixi, Tu es spes mea, portio mea in terra uiuentium.

In tantis angustijs humano cessante præsidio, quid ageret pius aliud, quàm clamare ad patrem suum, dominum deum suum, ad anchoram spei suæ confugere. Tu, inquit, fiducia mea es, nulla creatura, nullæ meæ uires succurrere possunt in hoc articulo tentationis. Tu solus es mea hæreditas, summe appretiatum bonum meũ: tu solus ipse mihi sufficis in omni uita mea: in toto hoc mundo non inuenio auxilium et protectorem, inter mortales omnes non est qui possit succurrere. Terram uiuentium Hebræi non raro uocant hanc uitam mortalem, & præsens sæculum. Deus bonũ omne nostrum.

6 Intende ad deprecationem meam: quia humiliatus sum nimis. Libera me à persequẽtibus me: quia cõfortati sunt super me.

Tu ergo attendas ad angustias & preces meas, ualde enim pauper factus sum & humiliatus nimis, spiritu attenuatus & rebus, dum nemo liberare potest ab hostibus tam multis & fortibus, tu me libera à pscutoribus meis, qui id solus potes, quia omnipotens: & uis, quia promisisti. Sunt enim me longe fortiores, inualuerunt mihi uio lentia sua & improbitate.

7 Educ de custodia animam meam, ad confitendum nomini tuo: me expectant iusti, donec retribuas mihi.

Custodiam dicit clausuram uel carcerem, spelunca scilicet, in qua calamitosus expectabat mortem, nisi domino se credidisset. Et more suo, ideo liberari petit, ut in de nomen dei illustretur, & sancti fide in deum instaurarentur. Quos se cincturos dicit, utique studio gratulandi, & dei bonitatem in ipso tam egregie declaratam celebrandi. Potest tamen etiam spelunca intelligi carnis miserabile in hoc mundo ergastulum, ut petat liberari de corpore mortis huius. Tu, inquit, retribues mihi, affatim & liberaliter benefacies, & reddes unicuiq; iuxta munificentiam tuam, in præsenti sæculo & futuro.

PSALMVS CXLIII.

Psalmus Dauid (quando eum filius suus persequebatur.)

ARGVMENT. Oratio in angustijs, quando eum filius suus persequebatur. Id autem posterius adiectitium est, non enim legitur apud Hebræos, nec tamen temere adiectum est à priscis.

1 DOmine exaudi orationem meã, auribus percipe obsecrationem meã: in ueritate tua, exaudi me in tua iustitia.

Angustiæ Dauidis.

Sustinuit angustias multas Dauid, non tantum in multis & grauissimis persequutionibus Saulis, sed & à filijs suis multa passus est, & à propria conscientia nunquã liber fuit, non quòd non confideret dei gratiæ, sed quia fidelissimus erat & uere domino religiosus propriã ingratitudinis conscientiam, & unicum Vriæ crimen nunquam animum excidebat. Orat autem pro suo more ardenter. Instat mihi, inquit, necessitas multum clamandi, sed nõ ad alium quemcunq; , quàm ad te dominũ meum, cuius consequi gratiã, & deprecationes meas cupio exaudiri, ut respondeas mihi promissis tuis, non ob merita mea quæcunque, quæ obtendere non ausim, nec de illis præsumere quicquam, sed in iustitia tua, qua nos gratis sine meritis credentes tibi, & obsequi cupientes diligis & saluas.

2 Et nõ intres in iudicium cum seruo tuo: quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis uiuens.

Iudiciũ dei deprecãdũ.

Orat ne iure secum agat, ne secum uelit iudicio experiri iustitiam. Sancti enim deum iudicem sæpe appellãt, dum rem habent cum eiusmodi aduersarijs, quos sciunt non tam suos quàm pietatis hostes esse. At deum aduersarium nunquam non deprecantur, dum enim is suo iure egerit, nemo est qui causa non cadat, capitisq; reus peragatur: adeò multa peccamus deo uniuersi. Quare omnium est precari, Dimitte nobis debita nostra, et non intres in iudicium cum seruo tuo domine, quia nemo mundus & sine peccato uel iustus, nisi cui peccatum non imputas, quod habet donec uixerit omnis homo. Ex ppria enim uirtute uel actione nihil inuenietur homo quicũq; apud te esse nisi peccator, nisi tu boni consulueris, & clementer cum homine egeris.

3 Quia persecutus est inimicus animã meam: humiliauit in terra uitam meã. Collocauit me in obscuris sicut mortuos sæculi,

Memorat quanto fuerit in periculo. Queritur enim uitam suam in terram prostratam, hoc est, penitus deiectam fuisse, ac se collocatum in tenebris, conscientiam suam protritam, & ueluti ad desperationem tentatam, habitare se in obscuris, ut solent pridem mortui. Id uidetur dixisse de obscuro specu sepulchro simili, uel de grauissima persecutione proxima perditioni. Auget siquidẽ omnia dolor. Mortuos sæculi uocat, qui multo tempore fuerunt mortui, et in obliuionem abiecti sunt, quasi nunquam fuissent, uel qui iuxta mundi iudicium & iudices reseruantur ad mortem.

4 & anxiatus est super me spiritus meus: in me turbatum est cor meum.

Angustias & cruciatũ animi queritur, ne forsan totũ se deus proijcere decreuerit, & mutare sententiã, sicut fecerat de Saul similiter electo ad regnum. Intra me obstupuit cor meum, uehementer timuit conscientia, ne forsan non secundum gratiam me iudicares, sed merita, in quibus fidere nihil possem. Hic uersus in Hebræo idem est cum tertio uersu superioris.

5 Memor fui dierum antiquorum, meditatus sum in omnibus operibus tuis: in factis manuum tuarum meditabar.

Ex tanta animi consternatione nonnihil consolatus est, & ad precandum erexit animum, à memoria factorum piorũ domini, quibus ille cum in alios tum in ipsum bonitatẽ suam mirifice declarauit. Nemo enim adeo pec catis premitur, ut non inueniat, si superiora sæcula excutiat, qui grauioribus aut paribus pressi, ueniam tamen apud deum exorauerint. Nec tanta circumstare possunt pericula, quin dominus eruere possit. Nec tam formidabilis uis hostiũ terrere potest, quin diuinitus frangi posse speretur, ab eo qui gesta domini recoluerit à sæculis. Quæsiui, inquit, consolationem ex factis tuis prioribus, unde mihi confirmetur fiducia, quia nunquam inuocantes deseruisti. Venia sperẽ da semper.

6 Expandi manus meas ad te: anima mea sicut terra sine aqua tibi. Sela.

Corde, mente, oculis & manibus inuocaui te, impensissime efflagitans imbrem gratiæ tuæ. Diligens & religiosa sanctorum dei meditatio ex scripturis, recreat animum laborantem, & animat fiduciam bonitatis diuinæ, commodumq; & corporis membra permouet, ut & ma nus expandantur ad dominum, ut serio & ardenter orantes faciunt. Magni affectus reticentia est in hoc uersu. Anima mea sicut terra sine aqua sitiens & torrida ti bi est, hoc est, sicut huiusmodi terra ingens imbris desyderium testatur, ita fertur ad te desyderio auxilij tui anima mea, mox defectura, nisi statim adfueris: hinc & Sela subscribitur. Reticentia

7 Velociter exaudi me domine: defecit spiritus meus. Nõ auertas faciem tuam à me: & similis ero descendentibus in lacum.

Anxie statim adiecit, Propterea annue mihi, defecit spiritus meus. Quæ omnia animũ non iam cum metu, sed morte ipsa colluctantem indicant. Vnde & id quoq; subiecit, Ne similis euadam descendentibus in foueam. Cito, ait, adsis clementia tua, quod sit in mora periculum, spiritu deficio præ desyderio auxilij tui. Clementissimam faciem tuam non mihi abscondas, præter morem, ne cum damnatis tuis computer iudicatus ad mortem.

8 Auditam fac mihi mane misericordiam tuam: quia in te speraui. Notam fac mihi uiam in qua ambulem: quia ad te leuaui animam meam.

Statim mature ac tempestiue consolari me digneris, & præstare fiduciam: quia in te solum speraui, ab omni creatura destitutus. Potest quoq; mane intelligi tempus matutinum, aptum obsecrationibus, & apertioribus responsis diuinis, ad quæ animus tunc est paratior. Notam fac mihi uiam in qua ambulem. Imprime cordi meo fidem & amorem uerbi tui, ut iuxta illud uiuere semper uelim, quia ad te animam meam leuaui, desydero ardenter complacere tibi, optime tibi confido, qui non deserere uelis, quem uocasti per gratiam. Mane cras dum.

9 Eripe me de inimicis meis domine, ad te confugi:

Abducere me nituntur hostes mei à fiducia in te, & desperare de peccatis, impedire à promissis tuis, occidere ante

ante tempus, quem regno inauguraſti, & abiectum à facie tua credi uolunt, cui tanta in longinquum beneficia promiſiſti. Quia ad te leuaui animam meam, tibi reſeruaui definiendam cauſam meam, non hominibus uanis et mẽdacibus. Hebræi legũt, Ad te latui, legẽtes בסיתי cum ueteres legerint בסיתי, quod leuaui ſignificat.

10 doce me facere uoluntatẽ tuã, quia deus meus es tu. Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam:

Verſus eſt ſine intermiſſione orandus ad dominum, ſicut & ſanctificetur in me & in omnibus nomen tuum, & adueniat regnum tuum: ſic, Doce me ô deus, facere uoluntatem tuam, quia tu deus meus. Secundum beneplacitum tuum fac me ſentire & uiuere, iuxta legem tuam non præſumptionem uel fomitẽ meum. Tu es enim creator meus, cui ſoli obligatus ſum, ut ſeruiã. Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectã, regat me donec perducar in ueram & abſolutam iuſtitiam, ne abducar meo humano ſpiritu. Neceſſe eſt autem omnia optime cedere ei, qui deo gratificari ſtuduerit.

11 propter nomen tuum domine uiuificabis me in æquitate tua. Educes de tribulatione animam meam:

Ob gloriam nominis tui, non propter merita mea eximme me à tot periculis, à miſerabili conditione mea, ſicut pollicitus es. Et quia ueritas es, & permanet in æternũ uerbum tuum, et quia es ipſa iuſtitia, ideo oro, ut ex portis inferorum, ex immenſis tribulationibus & perſecutionibus impiorum eximas animam meam. Quicquid iuſti orant, hoc reſpectu faciunt gloriæ nominis diuini, ſeſe ſemper peccatores agnoſcunt, & humiliãtur coram domino, ut non poßint non exaudiri à domino.

12 & in miſericordia tua diſperdes (omnes) inimicos meos. Et perdes omnes qui tribulant animã meã: qm̃ ego ſeruus tuus ſum.

Pro tua bonitate & clementia uindictã ſumes de meis aduerſarijs, non enim ego id merui. Perdes omnes tribulantes animam meam, hoſtes meos irreuocabiles ad mansuetudinem, & deſperatæ crudelitatis, qui nulla habita ratione innocentiæ uel beneficentiæ, ex mero furore et odio me quærunt ad mortem, tu diſſipare digneris et perdere de hac uita, ut ceſſent malignari, et ſeruis tuis obſtrepere. Ego enim ſum ſeruus tuus, propter electionẽ, promiſſa, & opera tua in me. Hæc omnia patior tibi placere cupiens: tuam igitur cauſam agere uelis in me. Merita nihil iactat, iuſtitiæ dei innixus opem implorat.

PSALMVS CXLIIII.

Dauid (aduerſus Goliath.)

In Hebræo de Goliath nihil dicitur in titulo, ſed à Græcis uel alijs olim adiectum legitur. Generale eſt enim epiciniũ de omnibus triũphis Dauidis uirtute dei peractis.

ARGVMENTVM. Confeßio eſt bonitatis diuinæ, & gratiarumactio, de uictorijs à deo donatis.

1 BEnedictus dñs deus meus qui docet manus meas ad præliũ, & digitos meos ad bellum.

Celebrat Dauid dominum hoc nomine, quod manus inſtituerit ad prælia domini peragenda, robur & induſtriam feliciter conſerendi manus cum impijßimis hoſtibus. Agnoſcebat enim deum ſibi mirifice ſuppeditaſſe uictorias ſicut & diuinitus inſtituit auguſtißimum regnũ. Scite tranſtulit priſcus, Deus meus: ubi Hebræi dicunt, Rupes mea, quãdo & צורי ſupputent, id eſt rupem inter diuina nomina. Refert digne deo acceptum omne robur & uirtutem, quibus prævaluit, ſine cuius aßiſtentia nihil potuiſſet. Sunt autem multiplices hoſtes fidelium, qui armis non niſi diuinis ſuperantur. Arma militiæ noſtræ ſpiritualia ſunt. Verum cum Deus iubet arma capere contra impietatem & hoſtes, nõ eſt tergiuerſandum, ſed nõ ſine huiuſmodi precibus, cauſis & armis accedendum, cumq; timore dei & fiducia in deum, utcũq; alea belli, id eſt uictoria, quæ ſolius dei eſt, ceciderit. Vrias optimus miles, & Ioſias rex optimus bello perierũt, corpore, ſed gloria æterna apud deum & homines uiuunt, & gloria beata fruuntur. Arma fidelium.

2 Miſericordia mea & refugium meum: ſuſceptor meus, & liberator meus. Protector meus, & in ipſo ſperauit qui ſubdis populum meum ſub me.

Multa congerie laudis titulos coaceruauit hoc uerſu, quibus omnibus prædicat, dei ope ſe et pericula euaſiſſe, & hoſtes deuiciſſe. Miſericordia mea, id eſt beneficentia uel probitas mea tu es, inquit, fortalitium meum uel munimentũ, quo tutus conſiſtere poſſum contra hoſtes impetentes quamlibet fortißime. Arx uel refugium meum tu es in quod me ſuſcipis & aſſumis, dũ petor à perſequentibus. Liberator meus ab inimicis, iam mihi dominantibus, et à periculis mihi imtẽtatis præſeruator. Scutum uel protectorium meum, quo undiq; circunuallatus protegor à ſagittis & ictibus hoſtium. Talis mihi cum ſit dominus, in eo nõ ſine maxima cauſa ſperare poſſum & debeo: nunquam enim ab ipſo derelictus ſum, ipſe eſt qui uere præeſt populo mihi ſubdito, illius grex eſt totus populus meus, cuius ego uix uicarius ſum. Verum regere iußit me populum ſuum, ducẽ agere & ductorem, rectorem & conſulem. Ipſe tenet populos ſub me, quandiu illi placet tandiu populus mihi obſequitur & regem agnoſcit. Per eum enim reges regnant, &c.

3 Domine quid eſt homo quia innotuiſti ei: aut filius hominis quia reputas eum?

Admiratio propenſionis magnæ diuinæ bonitatis ad ſe animum ſubit, ut dicat, Vnde hoc homini tam miſero & caduco, ut tanta maieſtas tanta dignatione diſpenſet uanitatem humanam, et de hominibus tanta illi cura ſit, qui hominum non eget, tanta facit pro hominibus, cum ſit homo de terra formatus et terreus, fragilis & miſer, tanti tamen eum reputas, ut prouidentia infinita & beneficijs aßiduis nunquam deſis.

4 Homo uanitati ſimilis factus eſt: dies eius ſicut umbra prætereunt.

Vanitati quidem ſimilis eſt homo, quia in maximis miſerijs naſcitur, nutritur, uiuit, & moritur: ſed non eſt uanitas, ſed creaturarũ nobiliſſima, ex ſpiritu & corpore cõpoſita bonitate & ſapiẽtia dei: cœleſtis & ter-

restris, minor mundus, secundum corpus mutabilis & corruptibilis, secundum animam autem cœlestis & æterna, olim formanda utraque natura ad imaginem eius qui est primitiæ omnis creaturæ & resurgentium beatorum. Ideo non dicitur uanitas absolute, sed uanitati similis. Cuius dies semper transeunt & non subsistunt, uelut umbra quæ semper transit, & cum maxima uidetur, subito non comparet, & non est. Nihil ex se habet homo, & quod habere uidetur, horarium est & instabile.

5 Domine inclina cœlos tuos, & descende: tange montes & fumigabunt.

Orat auxilium domini contra superbos hostes, & pro suo populo pacem & prosperitatem. Qui habitare ab impijs sic in cœlis crederis, ut humana nihil cures nec regas, oro, aliquando ostende te esse populi tui gubernatorem & liberatorem: Ostende clare maiestatem tuam, ut qui nunc à tuo tantũ populo agnosceris esse deus omnipotens et optimus, aliquando à toto mundo, sicuti promissa tua habemus & credimus, agnoscaris. Tange montes terrifica tempestate, fulmina immitte montibus, sed potius superbos mente cordis sui humiles & idola uel dæmones terreas, et deijcias horribilibus iudicijs tuis. Et fumigabunt, hoc est ut fumus ab ira tua euanescent, cum terram uisitare inceperis.

Votа fidelium.

6 Fulgura coruscationẽ, & dissipabis eos: emitte sagittas tuas, & conturbabis eos.

Fulgura coruscationem, uehementer terreas fulgure tuo, & terroribus potentiæ tuæ aggredere superbos, ut dissipes eos, & annihilare studeas consilia eorum cõtra te stulta & uana, hostes tuos omnes disperde. Emitte sagittas tuas, bellum, famem, bestias, pestem & plagas tuas omnes, ut conturbentur, & non tam superbe agant loquantur & cogitent de bonitate & sapientia tua, aut uerbo tuo confodias, ut confusi resipiscant, & uexatione erudiantur aut pereant.

7 Emitte manum tuam de alto, eripe me, & libera me de aquis multis, & de manu filiorum alienorum.

De excelsis cœlorum demitte manum tuam, ostende te rectorem esse sapientissimum & optimum uniuersorum, qui in cœlis quidem habitas, sed in terra manum habes, & apprehendis iam hunc iam illum, & tractas pro meritis, impios & blasphemos proteris & discerpis, cũ minime uolunt uel expectant, alijs in exemplum, quibus æque non parcis si se non emendant. Erue me de aquis multis, de uarijs tentationibus huius uitæ, quibus bonos & malos uisitas & exerces, de periculis corporis et spiritus. De manu filiorum alienorum, de tyrannide hominum existentium sine deo, sine fide & uirtute, sine spiritu & charitate, uacuos à bono.

8 Quorum os locutum est uanitatẽ: & dextera eorum dextera iniquitatis.

Qui pessimi sunt, bona loqui nesciunt, qui pessima loquuntur, produnt se pessimos. Mentiuntur omnia pro commodo & metiuntur, fastum & luxum suum in primis cogitant & æmulantur, ad gratiam hominum quidquid simulant fingunt, dextera quoq; sua fraudulenter agunt quicquid possunt. Loquuntur falsa & agunt pessima, & si quid agere uidẽtur dextre, hypocrisis est & mendaciũ.

9 Deus canticum nouum cantabo tibi: in psalterio decachordo psallam tibi.

Noua & admiranda ratione adiutus à deo, promittit nouum quoque carmen, quo dei in se bonitatẽ celebret. Semper nouam gratitudinis materiam accipiet nouis beneficijs. In decachordo psallam tibi, non tantũ corde gratus, sed ore, spiritu, articulis, totus in dei laudes effundar: & tamen non sufficiam gratiæ agendæ quam debeo cum populo meo bonitati tuæ. Perfecto numero, denario scilicet tibi canam: & toto pectore, obseruantia decalogi, & tota fide.

10 Qui das salutẽ regibus: qui redemisti Dauid seruum tuum, de gladio maligno

Vt nemo est quamlibet magnus, qui ope diuina non egeat, ne reges quidem, ita ex promptissima bonitate omnibus se inuocantibus auxilium adfert, sibi autẽ quàm maximam creberrime attulit. Victorias dat solus ipse regibus, non prudẽtia rei militaris, nõ circumspectio quæcunque, non arma & milites, non animi fortitudo aut diuitiæ. Deus est qui Dauidi suas contulit pro populo dei uictorias, qui de tot persecutoribus & persecutionibus semper eripuit, & gladio maligni Goliath, Saulis, Absonis, & aliorum omnium.

Victoriæ à deo.

11 eripe me, Et erue me de manu filiorũ alienorum, quorum os loquutũ est uanitatẽ: & dextera eorum dextera iniquitatis.

Eripe me & libera me de manu filiorum externi cultus, eorum qui de deo nihil credunt, deq; idololatrarum odio & tyrãnide, omniũ qui non sunt de cœtu fidelium, pij & deum timentes, sed huius mundi ciues & amatores, ac sui, qui pro suo commodo omnia mentiri, & falso agere, imponere et fallere semper possunt & omnes, etiam si interim de ueritate & iustitia glorientur. Dextera eorũ nihil agit præter siniſtra: nihil boni faciunt, uel intendunt. Repetuntur eisdem uerbis superius dicta.

12 Quorũ filij sicut nouellæ plantationes in iuuentute sua. Filiæ eorum compositæ: circumornatæ ut similitudo templi.

Orauerat felicitatem, quam & se regnante dominus dederat, quam nunc quoque canit domino gratus, nẽpe numerosam & optatam sobolem, pecora multa ac fœcunda, tum annonæ abundantiam, deniq; incolumitatẽ ac pacem, iuxta illam domini promissionẽ, feliciter proueniet fructus uẽtris tui, in ciuitate, in agro, &c. Deut. 28. Precatus est ergo, ut populus filios haberet multos, ceu elegantes arbusculas excrescẽtes, filias ornatissimas ut domorum anguli, et triclinia elegãtiora ad gaudium: sicut & templum & palatium regium, hoc est rariore cultu exornata, pro abundantia diuitiarum auri, argenti & uestium.

Fructus felix.

13 Promptuaria eorum plena: eructantia ex hoc in illud. Oues eorũ fœtosæ, abundantes in egressibus suis:

Promptuaria non male transtulit: sunt enim recondi-

toria & ædium penitiora loca, in quibus reponuntur frumenta

frumenta & alia ad uictum necessaria. Hæc dicit plena ex quibus proferãt uel ministri, uel patresfamiliás uaria genera. Vult dicere, Omnes latebræ domus nostræ refertæ bonis: expensas facere licet & commodum de hoc in illud, ab uno ad aliud procurando, dum nihil inutile sinitur. Oues nostræ fœtosæ, millia producẽtes ualde fœcundæ sunt, & abundantes fœtibus sine aborsu, super numerum crescentes in rure nostro uel caulis, in omnibus uiciis & suburbanis.

14 boues eorũ crassæ. Nõ est ruina macerię, neq; trãsitus neq; clamor in plateis eorũ.

Boues crassos dixit aptos & fortes ad grauissima onera trahenda, robustos & ualidos ad agriculturam plaustra & ad labores cæteros. Non est ruina uel cõfractio, omnia nobis integra sunt fœcũda & salua. Non est transitus in exilium per agros: nihil deperditur, aufertur nihil ab hostibus, uiciũ nullum est in frugibus, non est seditiosus clamor aut bellicus strepitus, nulla querimonia in plateis nostris, nullus ciuium tumultus uel seditiosa conclamatio, sed pax & iocunditas.

15 Beatum dixerunt populum cui hæc sunt: beatus populus, cuius dominus deus eius.

Canit quidem felicem conditionem populi & felicitatem cui hæc sunt, dei enim dona sunt. Addit autem felicem uere esse & longe meliorẽ eum populũ, cui deus sit, ille, qui uere est dominus deus omnipotens conditor omnium, qui suos tantis cumulat beneficijs, qui dominũ deum suũ agnoscunt, credunt, colunt & habent propitium, & animarum suarum prouisorem & corporum, etiam si aliquantisper temporalia absint ad copiã. Nam rerum necessariarum usus sanctis abesse non potest.

PSALMVS CXLV.

Laudatio ipsi Dauid.

ARGVMENTVM. Laus dei ab omnipotentia, bonitate, iustitia & prouidentia. Est autem Alphabetarius & elegantißimus.

1 EXaltabo te deus meus rex: & benedicam nomini tuo in sæculũ, & in sæculum sæculi.

Extollere deũ, ne ipse quidẽ deus scilicet seipsum potest, cum sit altißimus, multo minus peccator homo, ne dicã angelus. Sed admirari eius altitudinẽ gaudere de eius altitudinis cognitione & fide, de sensu bonitatis eius, quẽ non habent impij, sicut nec iumẽta et bestiæ de gratiarũ actiõe et desiderio gratificãdi uoluntati ipsius, & de cõmendanda bonitate dei ad homines, præcipue ad fideles, ut ipsum diligãt et digne colãt: hoc est, exaltare deũ, id est altißimũ credi, et reuereri optimũ ac pientißimũ. Exaltant hoc modo sancti solũ deũ, quẽ intelligunt deũ suũ esse, cui ut clementißimo regi subesse regnare ducunt, & filios se regni non dubitant. Benedicere quoq; nomini diuino aliud nõ est, quàm gratias agere dño de acceptis beneficijs, proq; sua bonitate, quam ostendit nobis. Id agendũ est semper, et sine fastidio tota uita hominis, ut duret in aliud sæculũ, & nunq; cessetur.

2 Per singulos dies benedicã tibi: & laudabo nomen tuũ in sęculũ, & in sęculũ sęculi.

In prosperis & aduersis sine intermißione, donec uixerit homo pius, semper occasionẽ sentit & habet laudandi dominum: nec aliquando obliuio incidet magnalium dei, quibus deus suus semper uersatur in oculis, in omni creatura agnoscunt creatorẽ, actiones suas disponunt iuxta illius uoluntatem: hoc quoque est benedicere dominum, confiteri illius perpetuã circa se prouidentiam. Nomen domini semper laudare, est gloriam maiestatis suæ admirari in omnibus, toto conatu gratias agere, sic in hac uita domino adhærere fide & obseruantia mandatorum dei, ut nulla ratione timeatur de eius seueritate & damnatione, sed speretur secundum promissa bonitatis diuinæ uita æterna post hanc uitam. Laudare nõ mẽ domini.

3 Magnus dominus & laudabilis nimis: & magnitudinis eius non est finis.

Omnipotens omnia replens & gubernans magnus dicitur, et dominus nimirum omnium dominorum, in cuius manu sunt omnia, quamlibet magna & potentia, ualde laudabilis, cuius eminentia et bonitas super omnia, et beneficentia enarrari à nulla creatura potest etiam angelica, multo minus à nobis hominibus. Excedit enim omnẽ laudem illius bonitas et uirtus, magnitudinis quoq; illius non est finis. Infinita est & imperscrutabilis omni creaturæ excellentia, bonitas & dei perfectio. Sancti enim quanto studiosius intendunt cõtemplationi & laudibus dei, tanto magis experiuntur, laudibus omnibus infinito maiorẽ esse, quippe cuius in bonitate magnitudo & amplitudo peruestigari non possit.

4 Generatio & generatio laudabit opera tua: & potentiam tuam pronuntiabunt.

Memorat hic & alios secum dei laudes celebraturos, & quidem per omnes generationes, sicut ille sua bonitate cumulat quamplurimos omnibus sæculis, potißimũ autẽ à glorificatione Christi, quo uidetur respexisse. Ex illo enim tempore & deinceps semper aucta est gloria dei & cultus, abolita idololatria, cum pij homines posteris quoq; suis narrauerunt magnalia dei. Et fortitudines domini, hoc est opera magnifica cum patriarchis & prophetis gesta, relataq; sunt per sacras literas in omnes linguas, nationes, et populos, p prædicationẽ apostolicã. Gloria dei augenda.

5 Magnificentiam gloriæ sanctitatis tuę loquentur, & mirabilia tua narrabunt (& uerba mirabilium tuorum loquar.)

Maiestatem gloriæ diuinæ, omnipotentiæ atq; clementiæ dei opera & potentia, uerba quoq; legis suæ & miracula clara, pro fidelibus & contra impios edita, enuntiant sancti dei homines, & assidue meditantur, ad profectum propriæ fidei & charitatis, ac aliorum. Carminibus sacris Dauid huiusmodi celebrauit apud suos, dũ rex esset, quæ tandem assumpta sunt à toto orbe, in omnes linguas translata, ad laudẽ unius solius et ueri dei, ut experiẽtia cernitur, Psalmos interim dissiminatos et in authoritate habitos et religiose decantatos per omnes linguas omnium nationum, ut gens quælibet deum illis carminibus intelligibiliter et deuote laudare possit in spiritu sancto, qui non agit sine intellectu linguarum, ideoq; & apostolis donũ linguarum contulit, in quibus populis Laus dei uniuersalis.

multis loquerentur magnalia dei: tantũ abest, ut illi placere posſit ignotæ linguæ cantillatio in eccleſijs, contra apoſtolicam traditionẽ, ut ſit ſine ſenſu uox, & ſine fructu luſus, hominibus & deo, cum quo non niſi mente & fide loquimur, nec ſine intellectu eccleſia ædificatur in fide uel moribus.

6 Et uirtutem terribiliũ tuorum dicent: & magnitudinem tuam narrabunt.

Per magnitudinem, ſplendorem, decorem & celebritatem dei, uirtutẽ, facinora atq; miracula dei quorũ memini intelligit, effuſam in omnia, lateq; adeò patentẽ bonitatem, qua in primis ſuos proſecutus eſt electos, quos eduxit de captiuitate Aegyptiaca in magnis miraculis, quæ & in omnia ſæcula uoluit nota eſſe. Quandoquidẽ non ſemper contra naturam miracula cõficere inſtituit, ſed ſemel ædita conſcribi uoluit & credi à mũdo, ut una generatio uel ætas diſcat ab alia, & gens à gente de talibus inſtruatur ad dei gloriam, & mundi conuerſionem ad deum ſuum uerum, relictis ſuperſtitionum erroribus.

Miracula dei narrãda

7 Memoriã abundantiæ ſuauitatis tuæ eructabunt: & iuſtitia tua exultabunt.

Multæ & magnificæ bonitatis tuæ memoriam effundent uel eructabunt, hoc eſt ex animo redundanti uerba loquendo fundent. Non patientur ignoratam alicui beneficentiam tuam, ad genus humanum, ſed ſubinde renouabunt, & poſteris inculcabunt, ut ponant in deo ſpem ſuam, & nõ obliuiſcantur operum eius. Et iuſtitiã tuam decantabunt, cũ iubilo de dei iuſtitia gratulabuntur, quæ Chriſtus eſt, ſalus & redemptio mundi, per quem mundus agnouit dominum deum ſuum, prædicatione euangelica & apoſtolica.

8 Miſerator & miſericors dominus: patiẽs & multum miſericors.

Clemens & gratia plenus dominus eſt, & natura benigniſſimus, miſericors quoq; & condolens miſerijs, hoc eſt ad auxiliandum propenſus, ſi quando inuocetur fideliter, beneficus & indulgens. Longanimis, non cito puniens, non facile irritabilis ad rependendũ pro dignitate malegeſtorum & peccantium, iram differens, ſed non obmittẽs ſuo tempore. Multũ quoq; miſericors, magnus dicitur bonitate uel beneficentia, paratiſſimus ad beneficia indigẽtibus præſtanda. Habentur cadẽ etiam Pſalmo 86. Eſt enim eulogium dei, quod legimus Exod. 34.

9 Suauis dominus uniuerſis, & miſerationes eius ſuper omnia opera eius.

Bonitas, ſuauitas & iucunditas Hebræis eodem nomine ſignificantur. Deus autem pius, beneuolus & placabilis eſt ad omnes, qui ſua bonitate fidunt, & indigent gratia eius quam & precantur. Et miſerationes eius ſuper omnia opera eius, hoc eſt miſeretur omnium quæ fecit, & nihil eorum odit quæ cõdidit. Nulli creaturæ negat clementiam ſuam, ſuffert & boni conſulit electorum errata. Quidam Rabinus apud Iudæos Sanctus cognominatus, uel proprio nomine, ſcripſiſſe legitur, Nullũ animal occidendũ ab hominibus ſine utilitate uel neceſſitate, quandoquidem & illorum quoq; miſereatur dñs.

Rabinus Sanctus.

10 Confiteantur tibi domine omnia opera tua, & ſancti tui benedicant tibi.

Omnia dei opera confiteri dominum, eſt omnes creaturas magnificare prouidentiam dei circa ſeipſas, bonitatem dei in ſuis naturalibus actibus prædicare, & ſubſiſtentiam ſuam acceptam referri creatori ſuo. Et ſancti tui benedicant tibi, qui hæc omnia cognoſcunt, credunt, reuerentur, admirantur, deo accepta referunt, hi dominum benedicunt, collaudant & colunt. Et ſancti ſunt, qui ut uere dei ſunt, ita bonitatem eius ſedulo æmulantur, & quicquid ſunt, poſſunt & faciunt in gloriam dei ordinant, quem unice reuerentur & diligunt.

Confiteri omnia dei.

11 Gloriam regni tui dicent: & potentiam tuam loquentur.

Sancti prædicant gratiam dei, qua regnat in ſanctis, nihil boni ſibi tribuunt, regnum dei promoueri ante omnia cupiũt, mundum reformari, diuina mandata obſeruari, dominum glorificari, ſancti monia creſcere, et promoueri in mundo maximopere concupiſcunt, pro quo ſeſe totos exponere leue ducunt, hoc eſt gloriam dei præferunt toti mundo. Et fortitudinem tuam loquentur, ut ſoli tibi conſtet honor & gloria, nobis autem confuſio & peccatum, iniuſtitia & infirmitas.

12 Vt notam faciant filijs hominum potentiam tuã, & gloriã magnificẽtiæ regni tui.

Omne ſanctorum ſtudium in hoc eſt, ut doceant ignaros, fragiles & carnales timorem domini, ut diffiſi priuis uiribus, domini bonitatẽ inuocent & adorent, confidant clementiæ dei, & omnibus uotis illi ſeſe probare conentur, à quo ſolo proficiſcatur omne bonum, omnis uirtus, & facultas operandi ſancta. Gloriã quoq; decoris regni tui, hoc eſt maieſtatis tuæ regnũ in omnes creaturas uerbis & officio deprædicabunt.

Studia ſanctorum.

13 Regnum tuum regnum omniũ ſæculorum, & dominatio tua in omni generatione & generationem. (Fidelis dominus in omnibus uerbis ſuis, & ſanctus in omnibus operibus ſuis.)

Sempiternitatem regni eius canit, quia ſine principio & fine deus omnia moderatur. Non tantum Iudæorum dominus eſt & imperator, ſed ante Abraham & Noe poſt deſtructum primũ templum & ſecundũ dominatio eius illuſtris ſemper fuit & erit, exercet poteſtatẽ ſuam in totũ genus humanũ, donec mundus cõſiterit. Omnia enim quæ fiũt in cœlo & terra tuo nutu reguntur, ſunt in manu et arbitrio tuo, nec tibi quicquã reſiſtere poteſt. Hic uero Græci ueteres uerſum legerunt, & hodie legitur: Fidelis dominus in omnibus uerbis ſuis: & ſanctus in omnibus operibus ſuis, pro quo Hebræi nihil habent. Vbi tamen in alphabetho deficit ſententia incipiens à Nun, qualis ſine dubio fuit iſte uerſus quẽ hic Græci ſcribũt. Fidelis enim Hebraicẽ נאמן dicitur. Vt mihi hic nõ ſine cauſa ueriora uideantur exemplaria Græca quàm Hebraica. Quanquã fieri quoq; potuerit, ut Hebraicè peritus hũc defectũ in Græcis ſupplere conatus fuerit, quandoquidẽ et in alijs Pſalmis alicubi obmittũtur literæ alphabethi in ſua ſerie ponendæ. Senſus autẽ eſt, excidere nõ poſſe promiſſa dei, quando fideliſſimus ſit & certiſſimus, & rationes operum

Regnũ dei

rum & prouidentiæ diuinæ ſanctæ ſint & firmiſſimæ, ut de eis ratio humana ſeſe intromittere ad diſcutiendũ non debeat. Quorum omnium ratio ſit inobliquabilis, diuina, ſacroſancta uoluntas.

14 Alleuat dominus omnes qui corruũt: & erigit omnes eliſos.

Suſtentat dominus eos fideles qui cadunt, eatenus, ne labentes confringantur, & ne in tentatione pereãt, peccentq; ad mortem. Et erector eſt omnibus collapſis uel incuruatis: quaſi dicatur, Etiam ſi collapſus fueris in peccatum uel dedecus, denuo te deus eriget ac reſtituet. Cadentes uocat, qui periclitantur & caſui proximi ſunt, incurui uero, qui iniurijs uel morbis depreſſi aut fracti ſunt, qui ſe domino committunt, facile alleuantur & eriguntur. Non ſinit enim ſuos ad mortem cadere, & ſepties in die cadunt, qui ſæpius reſurgunt, & iacere diu non ſuſtinent.

15 Oculi omnium in te ſperãt domine: & tu das eſcam illorum in tempore oportuno.

Oculi omnium in te reſpiciunt, nimirum expectantes ſe benignitate tua paſcendos. Dixit, Sperant in te, Ad quem enim pro ope ſuſpicimus, ab eo illam utiq; ſperamus. Omnia, ait, piorũ deſideria ad te diriguntur, ut ſuccurras tua gratia et uirtute egentibus. Et tu das illis eſcã ipſorum in tempore ſuo, benedictione & beneficentia tuæ manus conſulis neceſsitatibus omnium creaturarum ne deficiant. Eidem ſancti gratias agunt de cibo, parto etiam manuum ſuarum laboribus, non enim qui ſeminat aliquid eſt & excolit, uel rigat, ſed qui incrementum ſolus dat dominus.

16 Aperis tu manum tuam: & imples omne animal benedictione.

Aperis manum tuam, id eſt largiris gratioſe & affatim, liberaliter et ſemper quibus indigemus, teipſum præbes omnibus qui inuocant bonitatẽ tuam. Et ſatias omne animal benigniter, gratuito, ſine meritis, de mera beneuolentia tua. Ordine enim tuo mundus ſubſiſtit, ut unum exigat aliud ad ſuum eſſe & conſeruari, ut nihil fruſtra ſit creatum in mundo. Habent ſuum officium à deo concreditum omnes creaturæ: dei enim diſpẽſatione omnia gubernantur & diriguntur, ut ſint omnia quæ deus fecit ualde bona.

17 Iuſtus dominus in omnibus uijs ſuis: & ſanctus in omnibus operibus ſuis.

Laudes priores in ſumma cõplectitur, prædicans deum benignum ſeſe exhibere in omnibus quæ gerit, quæq; fecit. Et hic uidere eſt Iuſtum & Bonũ in ſcripturis pro eodem accipi. Quanquam nos ſæpe lateat ratio prouidentiæ dei, omnia tamen iuſtiſſime gerere & optime fidelis non dubitat. Largiter quoq; creaturis ſuis communicat bonitatem ſuam & miſericordiam.

18 Prope eſt dñs omnibus inuocantibus eũ: omnibus inuocantibus eum in ueritate.

Propitius, exorabilis, propior, & ad manũ eſt dominus omnibus ſanctis, ipſum ex fide inuocantibus, ſyncera religione colentibus, & ex animo diligentibus, non ficte, frigide uel hypocritice. Alioqui omnibus adeſt creaturis ſuis, intuetur præcordia mentis noſtræ, uota, deſyderia & cogitationes: ſed nõ probat niſi ſancta, nõ adiuuat niſi inuocatus, fideles quoque ſuos atq; electos, quibus ſolis proximus eſſe dicitur, quia beneficijs proſequitur ex gratia, & ad bonum finem quem prædeſtinauit. Quin & impijs multipliciter benefacit, ſed ſua interim culpa ingratis.

19 Voluntatem timentium ſe faciet, & depreationẽ eorũ exaudiet: & ſaluos faciet eos.

Prope ſe eſſe declarat dominus, dum benignus uotis eorum ſemper reſpondet, hoſtesq; eorum improbos tandem penitus abolet. Non poteſt non exaudire dominus uoluntatem timentium ſe, nihil enim iniquum poſſunt uelle, ſed conformiter omnia ordinant & orant ad legem dei. Clamorem, id eſt affectuoſum deſyderium non ſpernit, ſed exaudit, quod ipſe tribuit & ſuſcitat in homine pio, & ſaluabit eos ab aduerſis rebus, & ab impijs hominibus.

20 Cuſtodit dominus omnes diligentes ſe: & omnes peccatores diſperdet.

Conſolatur diligentes deum, quod norunt quantacũq; incidant mala, ſe ita cuſtodiri diuinitus, ut nihil ipſis obeſſe poſſit uel incõmodare: improborum autem felicitatem breui ſempiterno ſupplicio & cruciatu commutandam. Et in præſenti ſæculo contemptores uerbi ſui & infideles proterit & conculcat, & in exemplum plerunq; ſtatuit aliorum. Cum uero ambigi non poſſit, iuſtos à domino conſeruari, ut hic dicitur, ſæpe uero innocenter occidi conſpiciuntur, dubitari non poteſt, quin animæ ſanctorum in manu dei ſint, etiam ſi uideantur oculis inſipientium mori, ſed ubi Chriſtus ſanctorum caput eſt, ibi neceſſe eſt eſſe membra Chriſti, fideles, in paradiſo, et in ſinu Abrahæ, in cœtu animarum beatarum. Cuſtodia dei in ſanctos.

21 Laudationem domini loquetur os meũ: & benedicat omnis caro nomini ſancto eius in ſæculum & in ſæculum ſæculi.

Claudit Pſalmum, ut cœpit, ſempiternam ſcilicet & apud ſe & omnes deum amantes fore laudem dei. Soli enim impij deum uituperant. Alia omnia laudes eius perpetuo deprædicant, ſancti uerbis et inculpatis moribus: reliqua, atteſtatione ampliſſimæ bonitatis eius in ſe. Ea et in reprobis quoq; eximie relucet, qui pro flagitijs ſuis pœnas luunt, & ad ſatanæ uoluntatẽ detorquent omnia & ad innocentiæ & pietatis profligationem, ideo ſoli deum dedecore afficientes, ſoli perpetuæ uindictæ iuſtas luunt uiciſsitudines, qui benedictionem nolẽtes æternæ maledictioni ſubiacent.

PSALMVS CXLVI.

Hallelu ia (Aggæi & Zachariæ.)

In Hebræo tantum eſt, Laudate deum. Nomina prophetarũ adiectitia ſunt in Græcis & Latinis codicibus.

ARGVMENTVM. Confeſsio omnipotentiæ dei & fidei in anima ſancta.

1 LAuda anima mea dominum:

Flagrantem in laudes dei affectum prodit, dum ſuam animam, hoc eſt ſeipſum ad illas inuitat. Sed & animam intelligit ſpiri-

tum suum, cognoscens sola corporali uoce non uelle se deum laudari, qui spiritus est, sed ex animo & affectu. Hoc aũt laudare est admirari bonitatẽ dei in se quia summum bonum, & in suis beneficijs, à quo cũcta bona procedunt, à patre luminum. Eius gratiam ad se anima semper ruminare debet, non obliuisci eorum quæ accepit, et quæ uicissim obligatur creatori suo, cui cupiat gratificari per omnia: hoc est animam laudare deum.

2 laudabo dominũ in uita mea, psallã deo meo quandiu fuero.

Eiusdem est & quod laudaturum se Deum profitetur dum uixerit. Sempiternam enim in se bonitatẽ dei fore, spiritu persuasus credebat: ideo decebat, ut prædicandi hanc studium nunquam remitteret, nunquam cessaret à dei laudibus, quoniã sentit illum non cessare à benefi-
Vitam laudare deum. cijs. Vita autem laudat dominum, dum ad illius beneplacitum instituitur, & cuncta oratio & operatio ab ipso incipit, et in illum finitur, dum in obsequium Christi gloriæ omnes corporis artus consecrantur, & ad dei gloriã operari gaudent, & in charitatis officia ad proximos.

3 Nolite cõfidere in principibus in filijs hominum, in quibus non est salus.

Volens alios quoq; permouere ad laudandum deum, reuocat eos à fidutia in homines ad fidutiã in deũ, quamq; ille cumulate benefacere solcat commemorat. Qui itaq; deum credunt, & eius bonitatem experti sunt, illius laudibus satiari non possunt. Efficaciter autem terret à spe collocanda in homines, principes & optimates nominans, quibus facultas & copia est unde suo uiuant arbitrio: statimq; adiecit, In filio hominis, monẽs illos quamlibet potentes, nihil esse nisi homines, eoq; mortales & miseros, qui ne sibi quidem possint esse auxilio. Ideo non est spes ponenda in carnem, et in humana subsidia quæcunque. Nemo enim præter deum animæ saluti sufficere poterit, nec ab alio salus expetenda uel speranda.

4 Exibit spiritus eius & reuertetur in terrã suam: in illa die peribunt (omnes) cogitationes eorum.

Principibus mortem remorari cupientibus emigrat eorũ spiritus, et statim fiunt terra & puluis, unde prodierant, quamlibet gloriosi & superbi illuc reuertũtur, sicq; fit, ut uno momento extinctis, pereant quæcunque cogitarant, quæ instituerãt, nihilq; sit quod metuãt iam ab eis quibus parauerant mala, nihil quod gaudeãt, quibus destinauerãt bona: uere ergo salutem ferre non possunt, nec cuiquã auxiliũ. Cum ergo inane adeo ac prorsus nihilum est auxilium hominum, recte subdit:

5 Beatus cuius Deus Iacob adiutor eius: spes eius in domino deo ipsius.

Beatus & felix est potius iste homo, qui in dominum deum Iacob patrem omnium electorum, & creatorem cœli et gubernatorẽ crediderit, certo enim sentiet auxiliatorem, cum indiguerit. Spes eius super dominũ deum eius, qui omnia potest semper et habet in manu sua, neq;
Felicitas huius sæculi. deserit fidentes sibi. Non est in hoc seculo certior felicitas, quàm pendere à domino, illi se committere, prouidentiam circa se dei boni cõsulere, in omnibus gratias agere, meditari in lege domini, ut pro uiribus impleatur, si id minus successerit, cum fidutia gratiam imploret filius à patre.

6 qui fecit cœlum et terram, mare & omnia quæ in eis sunt. Qui custodit ueritatem in sęculum,

Auxilium is præstare potest, cui est summa potentia, summæ opes, immensæ copiæ, ut qui finxerit hos cœlos, hanc terram, hoc mare, & quæcunque in his continentur. Quorum omnium sicut creator est, sic & rector, cui obediunt omnia, fidelibus autem seruiunt, pro illius nutu ad unguem, qui seruat quæcunque promisit, quod est custodire ueritatem, etiam si differat nonnunquam diutius, tamen non fallit, sed id fit ut fiat probetur electorum.

7 facit iudicium iniuriam patientibus: dat escam esurientibus. Dominus soluit compeditos:

Solus is est, qui iniuriam passos uindicat, quum à potentibus mundi ferè iniuriæ inferantur, & tunc maxime, quando uideri uolunt illas uindicare, siue id iure fiat, siue bello facere simulent. Præterea unus est qui pascit, unus qui uinculis eripit: quas duas calamitates, famis scilicet & uinculorum quum memorat maximas quasque intelligit. Nedum uentris escam largitur fidelibus, sed etiam mentis, id uero non saturis, & nauseantibus, sed esurientibus & famelicis. Soluit quoque uinctos secundum carnem & spiritum, uiolẽtiam passos liberat à peccatis & hostibus.

8 dominus illuminat cæcos. Dominus erigit elisos: dominus diligit iustos.

Cæcos illuminat, infideles conuertit, docet ignaros, ui sum occæcatis administrat. Curuos erigit, claudos & collapsos restituit fortitudini ad progrediendum & standum. Dominus amat iustos fide iustificatos & sanctos, non amat quia sancti, sed ut sint sancti. Cæcitatis autem et incuruitatis meminit, ut istis significet quẽlibet membrorum defectum aut mutilationem, et uirtũ imminutionem quancunq;. Porrò non quibuslibet sic affectis auxilio dominus est, sed subijcitur, Dominus diligit iustos, id est iustitiæ studiosos & fideles.

9 Dominus custodit aduenas, pupillum & uiduam suscipiet: & uias peccatorum disperdet.

Canit dominum adesse pauperibus, qui malorum hominum iniuriæ potissimum exponuntur. Et si nondum summe calamitosi sint, ut sunt aduenæ & peregrini, pupilli & uiduæ. Est siquidem summæ bonitatis, erga eos sese potissimum exerere, qui ope eius maxime egent. Vbiq; autem scriptura prædicat deo singulari curæ esse peregrinos, pupillos & uiduas, quare et seuerissime pu Cura pro pauperibus. nit lædentes eos, & serioſe uetat, Exod. 22. & alibi. Viam autem impiorum peruertet, statum improborum euertet. Opponitur et quod dictum est, Dominus diligit iustos.

10 Regnabit dñs in secula deus tuus Sion, in generatione & generationem. Hallelu ia.

Gloriatio

Gloriatio est de sempiterno regno dei, qui solus optime cuncta instituit, & moderatur. Huius regnum præcipue in Zion sanctorum ecclesia cernitur, ideo eam nominatim appellat, inquiens, Deus tuus Sion. Huic se addicere regi debent sancti, nihilq; curare prius quàm ipsius uoluntati gratificari, à quo omnia sint bona suscepturi. Additur Hallelu ia.

PSALMVS CXLVII.

(Hallelu ia.)

In Hebræo titulum non habet, quandoquidem finem faciunt hanc dictionẽ prioris psalmi. Et הללויה Hallelu ia Laudate deum, principium est psalmi eius qui sequitur, & non titulus.

ARGVMENTVM. Confessio est beneficiorum dei ad fideles intra ecclesiam.

1 Laudate dominum quoniam bonus est psalmus: deo nostro, sit iucunda decoraq; laudatio.

Amanti deum nihil affert maiorem uoluptatẽ quàm laudes deprædicare illius. Inde ad has inuitans testatur canere deum, uirtutesq; eius celebrare, esse rem cum primis amœnam & uoluptiferam, iucundam ac suauem. Sanctificare enim nomen dei nostri & magnificare illius opera optimum est, nihil autem boni nobis arrogare. Nihil pio iucundius, quàm si dignè laudetur deus in omnibus.

2 Aedificans Ierusalem dominus: dispersiones Israẽlis congregabit.

Non tam terrenam illam Chananaicam Hierosolymam, quàm cœlestem, sed adhuc in terris agentem uerbo suo & gratia ædificare non cessat, oberrantes Israẽlis congregabit, reuocabit à diuersis erroribus, quibus dispersi sunt filij dei, in unitatem fidei. Quanquam & de reædificata Ierusalem post reditum ex Babylone intelligi possit.

3 Qui sanat contritos corde: & alligat contritiones eorum.

Solet dominus opem ferre miseris, qui omnia potest & nouit, bonitatemq; in omnia incomparabilem effundere. Primum de eo prædicat quod & passim scriptura inculcat, eum cõfractis corde, hoc est summe afflictis bonitate sua mederi, omnemq; eorũ molestiam leuare. Idq; uocat obligare: uulnera enim cum curantur solent obligari. Solus est dominus peritus animarũ medicus & corporum, qui ærumnas tollit & mœrores, & aptissime colligat.

4 Qui numerat multitudinem stellarum: & omnibus eis nomina uocat.

Canit deum numerare stellas, & eis indere nomina. Id uero ad hoc, ut fidem faceret, deo perfacile esse, dispersos per regiones terræ fideles suos colligere & seruare: qui sparsas per multas uastiores regiones cœli stellas numeret, & nomina singulis indat. Posuit autem indere nomina stellis, pro certiore cognitione. Quibus enim damus nomina, ea plenè cognita habemus. Tam sunt enim notæ deo stellæ & obedientes, ut proprias earum naturas proprijs nominibus designare posit. Simul quoque electos suos omnes deus instar stellarum condidit numerauit & uocauit.

5 Magnus dominus noster, & magna uirtus (eius) & sapientiæ eius nõ est numerus.

Magnus, immensus scilicet & infinitus, incomprehensibilis omni creaturæ est dominus deus noster: & magna uirtus eius, omnipotens scilicet: intelligentiæ quoq; eius non est numerus, ordinem sapientiæ suæ in creaturis nemo comprehendere potest. Omnia quæ sunt, fuerunt, et erunt, unico intuitu uidet, & comprehendit, ac perfectissime intelligit omnia, quo uocat ea quæ nõ sunt, quasi sint. Et est pura intelligentia deus ipse, sine proportione quacunq; omnibus creaturis perfectior, nec à creaturis intelligentiam suscipit, sed in seipso omnia quæ sunt & esse possunt intuetur.

6 Suscipiens mansuetos dominus: humilians autem peccatores usque ad terram.

Suscipit clementer & sustentat dominus mansuetos, hoc est, de seipsis humiliter sentientes, in ueritate, non hypocritice, hos amplectitur & probat, amat, & promouet ad omne bonum, humiliat autem impios usque ad terram: contemptores dei præsumentesq; de seipsis confundit prosternit & damnat. Studendum ergo humilitati apud deum, qui resistit superbis, humilibus gratiam largitur.

7 Præcinite domino in confessione: psallite deo nostro in cithara.

Domino soli canendum, & confitenda sunt omnia bona quæ recipiuntur à fidelibus. Omnis gloria soli domino arroganda, gratias per omnia & in omnibus deo agendis docemur, qui ex nobis nihil possumus. Psallite, inquit, deo nostro in cithara, corde & spiritu totisq; uiribus omnibus modis & semper confitemini domino boni tatem suam. Confessio hæc intelligitur de laudibus dei, & confusione nostra, mansueti autẽ & humiles utranque semper cogitant & ruminant, indeq; proficiunt.

8 Qui operit cœlum nubibus: & parat terræ pluuiã. Qui producit in montibus fœnum (& herbam seruituti hominum.)

Dominus est qui cœlum, id est æthera nubibus obducit, est enim author naturæ, et omniũ naturaliũ actionũ, imò ipsa natura quã dixerũt illi naturamẽ, in quo scilicet agimus, mouemur & sumus. Ipse est qui parat terræ pluuiã, dum placet & expedit, dum hominibus misereri decreuit, uel retrabit dũ uisum fuerit. Qui producit in montibus herbam, suo iussu germinant montes pabula bestijs & iumentis. Bestijs oberrantibus in uarijs montibus facit demisso imbre herbam crescere.

8 Qui dat iumentis escam ipsorum: & pullis coruorum inuocantibus eum.

Cuncta animalia nutriuntur à domino, sine ipsorum solicitudine, pascit quoq; coruorum pullos, quos matres implumes deserunt. Fertur enim, quod statim ut exclusi sunt, eoq; tunc albi uidentur, matres indignatas ex degeneri partu, auolare, & prorsus negligere: ipsis tunc benigne deus prospicit, & uel rore, uel ut putant quidam, enatis in nido uermiculis pascit, crocitationem eorũ tan

quam precem ad se fusam suscipiens nutrit. Quanto magis sua bonitate aderit populo suo ex fide uociferanti ad ipsum, pluris siquidem illi multo est, quàm passeres, & corui.

10 Non in fortitudine equi uoluntatem habebit: nec in tibijs uiri beneplacitũ erit ei.

Excludit cogitationem carnis, de fragilitate & mansuetudine fidelium, quibus prævalent filij huius mundi. Non, inquit, deo tanta cura est de equorum fortitudine, nec tibiæ uiri faciunt aliquid ad rem fortiter agendam, uires carnis nihil sunt apud deũ, præsumptio inanis est, si nostris uiribus confidamus, & aliquid agere contendamus. Non habent fideles necessarios pro sua salute ualidos equos, uel uiros robustis tibijs, hoc est, corpore probe compacto & robusto. Non enim delectatur deus talibus, ut quibus hæc sint opem præsentius ferat.

11 Beneplacitum est domino super timentes eum: & in eis qui sperant super misericordia eius.

Delectatur deus potius timentibus se, quibus sic adest uirtute sua, ut potentiam quamlibet facillime uincant. In humili & contrito corde dño complacet, et tremente ad sermones dei, ad uerba sua: sed id non solum, quin & eos uult ac diligit, qui insuper sunt sperantes in misericordiam eius, qui tota fidutia credunt se clementiæ dei, et pendent ex prouidentia bonitatis diuinæ. Cõtinuatur apud Hebræos sequens psalmus ad hunc iam expositũ, nescio qua ratione. Sine titulo quoq; est. Græci autem alterum habent, & titulum. Allelu ia præfigunt, et mihi id quoque rationabilius uidetur: sed non magni refero, si & in hoc loco exemplaria Hebræorum differant à priscis illis, quibus Græci usi sunt ante Christi tempora. Quibus fidem abrogare non facile possim, in quibusdam locis, ubi non deest ratio idipsum diuinandi, ubi tamen contendere nolim, sed deferre uerisimiliora afferenti, magis consona ueritati & scripturæ.

Prisca authoritas.

(Hallelu ia.)

12 Lauda Ierusalem dominum: lauda deum tuum Sion.

Nouum uidetur augumentum esse de Ierusalem ædificanda, ea scilicet quæ uerè sit uisio pacis, quæ cõstruitur ex uiuis lapidibus in cœlis ædificatur, & ex gemmis. Hunc ego psalmum sic intelligo, O tu felix Ierusalem, ecclesia cultorum dei, electorum ciuium cœlestis patriæ, prædestinatorum ex toto mundo, in regnum Messiæ æternũ, cuius suburbia sunt quatuor plagæ mundi: ô ecclesia uiuentis dei, agnosce & celebra ex fide ac deuotione uera beneficia domini dei tui. Lauda deum tuum Sion, corde, ore & opere, lauda creatorẽ dominum & regem tuum.

Ierusalem ædificanda.

13 Quoniam confortauit seras portarũ tuarum: benedixit filijs tuis in te.

Ecclesiæ suæ sacræ dñs adhibuit munimenta fortissima, contra potestates mundi huius, & satanæ mortis & inferorũ, articulos firmissimæ fidei, & apostolicorũ uirorum doctrinas. Benedixit quoq; filijs ecclesiæ fidelibus ciuibus tuis, benefecit, & charismatibus diuersarum gratiarum ditauit, auxit numero & merito, ut quamlibet dire impetatur ab impijs et fluctuet nauicula Christi, etiam si dominus dormire timeatur, semper tamen diuino mandato confirmatur, & ex periculis eruitur, errorum quoque impulsibus hæreticorumq; instantia liberatur à domino, ueritate per omnia triumphante in illius cultoribus, & uerbi dei professoribus studiosis.

14 Qui posuit fines tuos pacem: & adipe frumenti satiat te.

Pax ecclesiæ.

Donat ecclesiæ suæ deus pacem, nõ mundi, sed dei, sic renamq; conscientiã in corda fideliũ. Et adipe frumenti delicatissimo cibo, pane uitæ, uerbo dei pauit ecclesiam: cuius figura fuit manna, patribus è cœlo donatum, ut nõ solo pane terrestri uiuant electi. Potest & de terrena Ierusalem exponi, quæ typus fuit ecclesiæ, quam hortatur his uersibus, ut deũ collaudet, quia sit portas ipsius confirmaturus, et filijs eius, hoc est ciuibus benefacturus, curaturusq; ut habeant quã felicissime. Non intra urbẽ solum, uerum in omnibus quoq; finibus, nec pace solũ, sed omni quoq; rerum abundantia beati. Id quod significauit per illud, Satiabit te adipe frumẽti, id est, similagine, quæ est purior tritici farina cribro tenuissimo à furfure purgata. Voluit siquidem canere, tantam eius fore frumenti abundantiam, ut tantũ selectissima farinæ medulla uescerentur.

15 Qui emittit eloquium suum terræ: uelociter currit sermo eius.

Ipse quoq; sponsus ecclesiæ dominus deus, emittet electos prædicatores uerbi sui fidelibus: quod uelociter curret, id est, prosperabitur in his ad quæ deus mittet illud, in omnem terram, ad omnes gentes, parebũt enim sacræ doctrinæ ueritatis, nemine impediẽte. Temporibus enim apostolorum uniuerso mundo increbuit uerbum dñi, & ad ultimas terræ habitabilis regiones, uiresq; eundo sumpsit ad multiplicationem fideliũ & gloriam dei, quamlibet obsisterent Iudæi ac gentes plurimum.

16 Qui dat niuem sicut lanam: nebulam sicut cinerem spargit.

Dominus ipse ædificator Hierosolymæ nouæ, omnipotentia & ordine suo dat niuem in tempore copiose, descendentem & fœcundam ẽ. Pruinam quoq; ut cinerem sparget, replentem arbores, agros, domos, indiciũ frigoris, omnia fecit, ordinat, conseruat in elementis, animalibus & hominibus, & omnia deniq; cum celeritate maxima: nemine prohibente è cœlis in terram demittit quæ uoluerit, quamlibet sit immensa distantia. Sic uerbo resistere nemo potest, et contra electos nemo prosperabitur: nihil patietur deesse profectui ecclesiæ.

17 Mittit crystallum suam sicut buccellas: ante faciem frigoris eius quis sustinebit?

Glacies, quæ Hebræis crystallum dicitur, frigore congelatur, ut fragmenta panis, & proijciuntur in terram, ingenti frigore, quod uix possit ab hominibus tolerari, & animalibus quoque ob auram uiuacitate naturalis caloris destitutam, absente sole & nimium à cenith nostri capitis declinante in hyeme, et frigidas impressiones stellarum eo dem tempore.

Emittet

18 Emittet uerbum suum, & liquefaciet ea: flabit spiritus eius, & fluent aquæ.

Liquefactione rursus harum rerum niuis, glaciei & pruinæ, flante tepidiore uento australi resoluũtur omnia congelata in salutares aquas, & uentus spirat refrigeria terrænascentibus post frigora hyemis. Omnia autem fiunt uerbo domini cœlitus missο, domino mãdante & uolente, sine quacunque occupatione uel fatigatione dei, cuius uelle est facere, & mandatum factum esse.

19 Qui annuntiat uerbum suum Iacob: iustitias & iudicia sua Israël.

Obmissis gentilibus idololatris, quos ire suam uiam & secundum desideria pertulit, generali tantũ gratia prosequendo, electos sui populi patriarchas docuit uoluntatem suam ac ueritatem. Statuta quoq; & iudicia Israëli præscripsit, ceremonias præfigendo, quibus coleretur, & leges iudiciarias ad humanitatem et charitatem inter homines conseruãdam, ostendens illis iustitiã suam, quos & uellet obsequi filios patri peculiariter electos, qua conseruata cunctis gentibus infinito præstarent. Vnde discimus eum populum uerè demum Israëlem esse, & à deo tantum haberi, qui uerbum dei habent & fidem. Populum hunc deus nunquam deserit. Talis olim Iudaicus erat, donec per gratiam dei plenitudo gentium subintraret in agnitionem unius ueri dei.

20 Non fecit taliter omni nationi: & iudicia sua non manifestauit eis. Hallelu ia.

Gentes reliquas dimisit iuxta errores uiarum suarum uiuere, data illis naturali lege & communi sensu, ut ex creaturis tantum & à posteriori agnoscerẽ, creatorem, & sentirent proximo conuiuendum humaniter, secundum naturaliter insitum charitatis iudicium, ut quisque proximo faciat, quod sibi fieri uelit. Iudicia autẽ dei non agnouerunt ueræ & perfectißimæ æquitatis, qua deo in primis placuissent, quæ docuit Israëlem. Nunquam tamen defuit in omnibus gentibus deum conditorem colentibus uia salutis & gratia, quibus spes & expectatio data est futuræ salutis, per Christum filium dei in carne nasciturum: & in unitatẽ ueri diuini cultus uocati sunt, et spiritu diuino collecti, donec numero saluandorũ complete, & uniuersis uiuis lapidibus in Christum cooptatis, ædificium supernæ Ierusalem steterit consummatum. Videntes autem adhuc sanctos circumagi uarijs erroribus, & ædificium ecclesiæ adhuc non perfectum, orare diligentius studeant, ut sanctificetur ocyus regnum dei, & uoluntas domini non segnius in terra impleatur quàm perficitur in cœlis.

PSALMVS CXLVIII.

(Hallelu ia.)

Bis iterum hic Hallelu ia scribitur, unum ut sit finis Psalmi præcedentis, aliud titulus iam sequentis.

ARGVMENTVM. *Exhortatio creaturarum omnium est ad laudandum creatorem omnium.*

1 Laudate dominum de cœlis: laudate eum in excelsis.

Cuncta dei opera incredibilem eius sapientiam, potentiã & bonitatem in se mirifice ostentant, ut laudes eius etiam celebrare dicantur carentia sensu & uoce. Omnia hic à deo condita uocantur ad laudem dei: uel potius nobis indicatur quid faciãt, quàm ut facere quod faciunt iubeantur. Nos hic præcipue uocamur ad laudandum deũ, ad considerandam dei sapientiam & bonitatem in omnibus creaturis. Primum ergo cum ait, Laudate dominum de cœlis, id est, qui naturæ cœlestes estis, & ætherei, diuini, & in supernis agentes, corporeæ molis expertes, sacræ mentes, ad quarum consortium & nos uocauit, quibus municipatum in cœlestibus repromisit, si patri nostro cœlesti fuerimus obsequuti, & in cœlo regnantem saluatorem nostrum Iesum Christũ dignè adorauerimus. De his supernis mentibus, non adeo multa scriptura prodit, sine quibus superiorem mundum existere nemo unquam sapientium credidit, et experientia docuit. In Euangelicis scriptis frequentior earũ fit mẽtio, ad quas uocamur uerbis manifestioribus. Laus dei ex creaturis

2 Laudate eum omnes angeli eius: laudate eum omnes uirtutes eius.

Offeruntur contemplandi peculiariter hi spiritus, qui in ministerium à deo amandantur, eorũ qui hæredes scripti sunt salutis, hos scriptura uocat angelos, legatos satellitum dei, per quos perficit sua opera, unde & ab opere nomen sortiuntur apud Hebræos. Hi sunt qui uerbum dei, id est, iussa perficiunt, quos ministerio nostro dominus destinauit, ut multipliciter canunt sacræ scripturæ, ueteris quoq;, magis autem noui testamenti.

3 Laudate eum sol & luna: laudate eum omnes stellæ & lumen.

Prædicat opificium dei stupendum, quod cernimus in sole, luna, stellis, tanta tamq; mirifica luce conspicuis, certo cursu assiduis, operationum uarietate suspiciendis. Quæ cõueniebat sola cõsiderare in astris, nõ contra dei præceptũ ex illis diuinare, aut diuinantibus auscultare. Christiani est sese totum deo dedere, qui efficit omnia in omnibus. Omnia ad bonũ electorũ et ad salutem seruiũt, quæcunq; inciderint. Securum esse de futuro euentu constituto in manibus pientißimi patris: in præsens semper constituere uitam ad domini uolũtatem: satis sit cursum illorum & motum obseruasse, ut temporis ratio constet, & earum actionum, quæ pendent ex illis annotatis secundum certißima experimenta, qualia sunt agricolatio, nauigationes, quas tamẽ et ipsas dño magis moderandas cõmittunt sancti, quibus oportet oĩa optime cadere. Opificium dei.

4 Laudate eum cœli cœlorum, & aquæ quę super cœlos sunt,

Per cœlos cœlorum uocatur hic tota illa natura, quæ sub luna continetur, & ad nos usque pertingit. Eam siue aëream solam, siue cum ea & igneam intelligas, manifestum est iam supra aërem proximum nobis nubes contineri, hoc est, aquas rariores quã ut distillent. Imber enim fit expressione nubis magnopere condensatæ. Loquitur hic & alibi scriptura sacra non secundum traditiones philosophicas, sed secundũ nostram, hoc est, simplicium hominum fantasiam. Nobis autem uideneur illæ lampades cœli in aëre pendere, Lunam esse astorũ maximum præter solem, sicut & Veneris & Mercurij astra. Vul- Locutio scripturæ.

go cognita ſpiritus ſcripturæ in rebus illis commendauit populo rudi & omnium oculis expoſita opera dei, in hunc tantum finem, ut ad timorem cultumq; dei, ſtupidum alioqui hominũ genus prouocaret. Omnibus profecto doctrinam ſuam cõſcripſit, & reddit fructiferã, præcipue ſimplicioribus, ideóque & de angelis tam pauca prodidit, quod natura eorum altior ſit, quàm ut à nobis poßit cognoſci.

5 laudent nomen domini. Quia (ipſe dixit, et facta ſunt) ipſe mandauit, & creata ſunt.

Antequam ad terrena deſcendat, admonet hic cœleſtia tanta eſſe à deo condita, & certum ſuum locum cur ſumq; perpetuo tenore tenere. In quo uiſendam & ſtupendam ſeſe dei & potentia & ſapientia exhibuit. Ne quis illa quoq; adoranda crederet ut deos, cum facta ſint & creata à deo, Vos, inquit, nõ arrogate uobis deitatẽ, ſed eum laudate dominum, per quem eſſe poſſe et agere ueſtrũ accepiſtis, ipſe eſt omniũ creator, idq; ſolo uerbo iußionis ſuæ. Verbo enim domini cœli firmati ſunt, &c.

6 Statuit ea in æternum & in ſeculum ſeculi: præceptum poſuit, & non præteribit.

Legem à principio creationis tulit, ſtabiliuitq; in æternum, & incorruptibilia ſtatuit ex natura, quam illis contulit. Nihilo tamen minus in poteſtate ſua habet omnia: cuius & ordinem ſeruant illis præfixum, nec quicquam prætereunt unquam. Nihil enim in rebus omnibus inobedientius inuenitur homine mortali.

7 Laudate dominum de terra: dracones & omnes abyſſi,

Deducit nunc ad conſiderationem rerum terrenarum. Terram autem accipit pro habitantibus in terra ſicut in primo uerſu, cœlũ pro cœlitibus. Proponit aũt quædam, non omnia contemplanda, mirabiliora ſcilicet inexplicabili ratione conſtantia. Per dracones intelligit quaslibet immaniores beluas, in quibus ſingulari miraculo dei potentia declaratur. Per Abyſſos intellexit nõ ſolũ maria, ſed ſimul quoslibet lacus et flumina, quicquid ſcilicet in profundo deo cognitum deliteſcit.

8 Ignis, grando, nix, glacies, ſpiritus procellarum: quæ faciunt uerbum eius.

Nunc de his quæ in aëre proximo fiunt, ut ſunt ignes illi, qui fulgetra dicũtur & fulmina. Vbi noſter Glacies dixit, ibi Hebræus habet קִיטוֹר, quod legiſſe uidetur קרח. Vult autem intelligi Pſalte exhalationem calidam & ſiccam è terra eleuatam, & in fumum reſolutam, ex qua uenti flatuumq; differentiæ, tonitrua, fulgetra, turbines, fulmina, & id genus exoriuntur. Quælibet ait creatura dei, ſuo ordine et officio creatori ſuo ſeruiat, eius ſapientiam bonitatem & potentiam cõmendet homini. Dicuntur facere uerbum domini, quia mira per uentos deus facit, et ultiones grauiores, ut legitur contra Pharaonẽ & Chananitas. Hæc aũt inter terrena Pſalte memorat, quia in terra uis eorum præcipue ſentitur.

9 Montes & omnes colles: ligna fructifera, & omnes cedri.

Conſideranda uirtus dei in montibus, ac quibuslibet locis æditioribus, in arboribus tam fructiferis quàm ſylueſtribus, quas per cedros intellexit. In his enim omnibus nõ pauca diuinæ bonitatis miracula conſpiciũtur, ſi quis dignè animaduertat. Omnia ad gloriam dei creata ſunt, & homini ſeruiunt deum colenti & ſeruienti.

10 Beſtiæ, & uniuerſa pecora, ſerpentes, & uolucres pennatæ.

Animantes memorat, manſuetas & feras, reptantes & uolantes, in quibus maxima miracula deprehenduntur à ſcrutatoribus operum diuinorum: de quibus multi multa, præcipue Plinius & Ariſtoteles.

11 Reges terræ, & omnes populi: principes, & omnes iudices terræ:

Offert contemplanda dei miracula in hominibus, maxime illis qui poteſtate aliqua funguntur, ut ſunt reges, & populi legibus ſuis utentes, quibus uel regnum eſt uel reſpublica. Principes et iudices, magiſtratus ſunt reddentes ius: ſæpe etiam tam imprudentes, ut ſtupendum miraculum ſit, tot millia parere paucis, ac ſæpe uni, eiq; nihil uel iuſtitiæ aut prudentiæ habenti. Vnde intelligitur domini uoluntate omnem poteſtatem conſtare, & dei ſtatuto aduerſari, qui illi qualiſcũq; ſit ſeſe oppoſuerit. Diinanq; ſunt, id eſt, deum hominibus referentes, deiq; præfecti, utcunq; ſicut homines mori quoq; cogantur.

12 Iuuenes, et uirgines: ſenes cũ iunioribus,

Ætatum differentias memorat, quæ ſingulæ ſua peculiaria dei dona & miracula habent. Vnde enim iuuentuti tanta gratia & uirium robur, ſenibus tam ueneranda grauitas & prudentia, niſi à deo, ſuam in ſingulis bonitatem oſtentante?

13 laudent nomen domini: quia exaltatum eſt nomen eius ſolius. Confeſſio eius ſuper cœlum & terram:

Poſt omnia prædicta merito succinit nomen & maieſtatem dei noſtri ſolam uenerandam & ſuſpiciendam, eiusq; celebritatem & laudem tantam eſſe, ut cœlos & terram non repleat ſolum, ſed infinito ſuperet. Laudent autem nomen domini, ne uelint in aliquo gloriari quàm in deo, cuius forma & gloria excellit omne quod eſt. Laus & confeſſio eius ſuper terram & cœlos, ſuper omnia deus benedictus eſt, & ſolus author omnis boni in omni creatura.

14 & exaltauit cornu populi ſui. Hymnus omnibus ſanctis eius: filijs Iſraël populo appropinquanti ſibi. Hallelu ia.

Admonet peculiariter beneficiorum, quibus deus cumulat electos, uerum ſcilicet Iſraëlem, homines, ut fide ipſi conſecratos, ita imitatione eius bonitati in omnibus & erga quoslibet ſtudentes, & ſic omni ſtudio & uitæ ſanctimonia deo accedentes. Sed & cornu populi ſui Chriſtus dominus eſt, qui eſt potentia, iuſtitia & uerus honor credentium. Laus omnibus pijs eius, ſpecioſa laus dei erit in ore fidelium, & fide ſanctificatorum. Filijs Iſraël, ſecundum fidem, qui & Abrahæ filij habentur, ſcilicet populo ſibi appropinquanti, qui ex deo toti pendent, ei fide, ſpe & charitate ſeruiunt. Allelu ia additur ultimo, laudate deum.

PSAL-

PSALMVS CXLIX.

(Hallelu ia.)

Similiter apud Hebræos.

ARGVMENTVM. *Laus dei & oratio pro uictoria in populo dei.*

1 Cantate domino canticum nouũ: laus eius in ecclesia sanctorum.

In finem libri locantur psalmi qui laudes dei toti & multis celebrant. Laus enim dei supremum & sempiternum sanctorũ opus est, quæ tum absoluta erit, cum eius in nobis bonitas perfecte illuxerit, cum nihil nisi dei in nobis charitatẽ cernemus, quando nihil quoque memorare licebit, laudibusq; attollere. Iubet autem non iam laudare in Zion residentem, in arca fœderis, sed præsidentem in cœlesti sacrario. Aperte enim animos sanctorum hoc dicto ab umbris legis in solem supernæ ueritatis subuehit, ut nouum canticum canant nouo dei beneficio per Christum. Glorificetur, inquit, & laudetur deus in ecclesia fidelium deo adhærentium quibus dei laudatio semper est in ore & corde, qui sibi nihil boni tribuunt, omnia deo.

2 Lætetur Israël in eo qui fecit eum (&) filiæ Sion exultent in rege suo.

Populus dei uerus in spiritu Israël, agnoscat dominum deum creatorem suum, iactetq; se de uero deo, qui iamdudum sese commaculauit cultibus idolorum, & gloriam suam non intellexit. Is nunc lætetur in factore suo. Filij Sion exultent in rege suo, filij ecclesiæ catholicæ & uniuersalis in toto mundo, celebrabunt gloriam & honorem Christi regis sui à deo patre constituti, legislatoris in monte Sion, unde exibit lex dei in omnes gentes.

3 Laudent nomen eius in choro: in tympano & psalterio psallant ei.

Laudari quidem deus se patitur, in tibijs, tympanis, & citharis, si gaudium spiritus in corde & animo, ex uera fide & charitate proferatur, qui tantum cor exigit, & uult adorari & laudari in spiritu. Is iubilus sacer cordis, de magnificentia dei contemplata, & de beneficijs gratitudo concepta, uarijs modis exprimi potest, iuxta humanæ constitutionis mirabilem harmoniã, qua fit, ut mire oblectetur proportionibus quibuscunque, maximè autem uocum & musicalibus. Quibus in laudem dei suscitari potest animus non omnino illiberalis et rudis, ideo in præcipuis populi gratulationibus adhiberi solebant, nõ ad uanitatem & præter modum, sed cum gaudio syncero & sacro. Quod si quando in abusum abijt etiam apud Iudæos, non mirum si domino displicuerit, & abijciendum curauit, quod & Christianis diligenter considerandum, quousque scilicet huiusmodi musica in ecclesia conducat, uel sit ferenda.

4 Quia beneplacitum est domino in populo suo: & exaltauit mansuetos in salutem.

Complacentiam habebit dominus in credentibus & confitentibus, bonitatem dei & beneficia agnoscentibus, qui sunt populus dei. Exaltare mansuetos in salutẽ, intelligi debet, dominũ humiles uel humiliatos, afflictos hoc est mansuetos redditos exaltare, & condecorare sua salute, ut qui fuerint perditioni impiorum expositi, & contempti in hoc mundo calamitatibusq; oppressi, hi gloriosa salute donentur à domino.

5 Exultabunt sancti in gloria: lætabuntur in cubilibus suis.

Sancti de hæreditate salutis promissa & percepta exultabunt in dño, & gratulabuntur in cubilibus conscientiarum suarũ, & in secreto contemplationis suæ, corde & ore canent gratiam deo. Non tantum in ecclesijs magnis, sed intra penetralia cubiculorum suorum cordibus domino laudes dicent, et agnita beneficia cum exultatione memorabuntur. Vbiq; enim dominus præsens est, & non uno loco in spiritu uult coli, sed ubique, qui tamen non nisi uno loco uoluit per ceremonias celebrari.

6 Exaltationes dei in gutture eorum, & gladij ancipites in manibus eorum:

Exaltationes beneficiorum dei resonant sancti cum gaudio, nonnunquam etiam in gutture, nec aliud canere delectat eos præter sacra & pia, gloriam scilicet & honorem creatoris, magnalia dei, & eximia patrata opera cum electis, & contra improbos per omnia sæcula, quomodo scilicet in sanctis suis egerit triũphos suos celeberrimos. Canunt enim uictorias diuinitus datas sancti, qui pleni fiducia de auxilio dei, & ad prophetarum sanctorum documenta & exhortationes fortiter egerunt pro fide & ueritate, pro religione & fidelibus, pro gloria dei, & contra perpetuos pietatis hostes. Cantica sanctorum.

7 Ad faciendum uindictam in nationibus, increpationes in populis:

Canunt quoque sancti ut fecerit dominus per sanctos suos uindictas in improbas gentes, quomodo ultus fuerit dominus honorem suũ de blasphematoribus, quomodo increpauit populos multos in gratiam & salutem populi sui. Ad hoc enim animauit pios spiritus fortitudinis & consilij, ut opprimerentur impij, & falsorũ deorum cultura tandem proderetur inanis & stulta, qui cultores suos tueri non potuerint. Id omnibus sæculis cecinerunt sancti, magnalia scilicet dei circa electos & pios, unius dei cultores.

8 Ad alligandos reges eorum in compedibus, & nobiles eorum in manicis ferreis:

Cantandæ quoq; sunt illustres uictoriæ fidelium contra reges, quos domini uirtute cœperunt, & in compedibus ad mactationẽ duxerũt, dño præcipiente Dauidi, Sauli & Samueli, ac alijs, pariterq; illorum principibus & regnis subegerunt, et deleuerunt impijssimas gentes. Huiusmodi enim dei magnalia decantanda commiserunt sancti uates per omnia sæcula fidelibus.

9 Vt faciãt in eis iudiciũ conscriptũ: gloria hæc est omnibus sanctis eius. Hallelu ia.

Denique iudicia dei magnifica pijs, & horrenda impijs, cantanda sunt iugiter, quomodo uicem deus rependerit tyrannis fidelium Pharaoni, Amalechitis, Seon, Og, Agag, & reliquis multis. Hæc per omnia sæcula memoranda descripta sunt, & decantanda à fidelibus in gloriam dei, non ludicra, turpia, fœda, uana carmina audiantur apud fideles, & sanctos. Hæc gloriatio de qua

iam cantatum est, locum habet & in usu est omnibus sanctis eius. Decet enim esse eos perpetuo memores, et cum alacritate canere beneficia & uirtutes dei. Ambiguus quidem sensus est, & uarie tractatus nunc & antea: dabit spiritus domini studiosis his quoque meliora & certiora. Additur & hic in fine Hebræis, Hallelu ia, ut inculcare uelit fidelibus laudes domini perseueranter decantandas.

PSALMVS CL.

(Hallelu ia.)

Laudate deum, ut & in Hebræo.

ARGVMENTVM. Exhortatio fidelium ad laudes diuinas.

1 Laudate dominum in sanctis eius: laudate eum in firmamento uirtutis eius.

In sanctis laudare dominum.

Admorem propheticum in sanctis laudare deum, est in sanctuario ad hoc instituto à domino per Mosen & Dauidem dominum spiritualibus & sacris cantionibus celebrare magnalia dei, & gratias agere domino. Intelligitur ex sequẽtibus quale intelligat sanctuarium, istud nimirũ, de quo meminit Salomon in oratione sua ad dominum, dum cœlum & cœlum cœlorum dicit sedem gloriæ diuinæ, non humilem eam domum, quamlibet pretiosam à se extructam: quasi dicat prophe ta, Laudate dominum omnibus præsidentem, in cœlo sedentem, cuncta implentem maiestate gloriæ suæ, & humilia aspicientem in cœlo & in terra. Laudate eum, inquit, in æthere regnantem, in sede potentiæ suæ, in firmamento latißimo omnia complectente, in quibus tu omnibus imperas, & pro scabello pedibus tenes, omnipotens dominus, sine quo nihil potest omnis creatura dei, etiam nos homines, quamlibet uideamur potẽtes ac imperiosi.

2 Laudate eum in uirtutibus eius: laudate eum secundum multitudinem magnitudinis eius.

Iubet laudare deum secundum uirtutem eius heroicam, & multitudinem amplitudinis eius. Non quod quisquis id possit hominum, quod ne omnes quidem angeli possunt, sed conari & contendere omnibus præcipitur, & dominum delectant conatus fidelium, ut quantũ possumus fideles audeamus, scientes eum esse maiorem omni laude, nec laudare sufficiamus. Eius enim magnitudinis dum finis nullus sit, etsi toti in laudes domini effundamur, & omnibus modis & neruis ualidißimis contendamus, nihil tamen obtinebimus, sed boni consulet institutum nostrũ clementißimus dominus: conari tamen semper licebit pro uiribus & agere bona fide.

3 Laudate eum in sono tubæ: laudate eum in psalterio & cithara.

4 Laudate eum in tympano & choro: laudate eum in chordis & organo.

5 Laudate eum in cymbalis benesonantibus, laudate eum in cymbalis iubilationis.

Memorat uno quasi contextu musica organa, plura quàm ullo alio psalmo, quo ipso quoque significat, se ad pleniorem nos hic laudem dei prouocari. Sic est enim hominis ingenium, ut quicquid ulla ratione ad lætitiam faciat, magno studio adhibeat ei quem uehementer honorare conatur. Vt dum suos principes populi cupiunt honorare insigniter, suum quoque studium, quo illos suspicere desiderent, commendare dominis suis solent, festis, uocibus, & hymnis adiungere quicquid uspiam est dulcedinis & festiuæ modulationi accommodum. Beatam igitur futuræ uitæ festiuitatẽ ingenuemq; in laudibus dei lætitiam, qua licuit ratione, uolens significare, iubet tot instrumentis uti in celebratione bonitatis diuinæ. De quibus exquirere quæ & qualia musicalia organa illo tempore extiterint, tractent qui nouerunt, & antiquitatum sunt studiosiores, si commodum uidebitur.

6 omnis spiritus laudet dñm. Hallelu ia.

Magno affectu subiectum est, quod ultimo dicitur, Quicquid uspiam spirat laudet dominum: quasi dicere uoluerit, Quid uaria enumero instrumenta, omnis spiritus & quicquid uspiam spirat sonare debet laudem dei, cuius in nos est tam ineffabilis & effusißima bonitas, à quo tam inenarrabilia beneficia consequimur. Nec tantum spiritus ille elementaris in musicis instrumentis ad hoc ualet & expetitur, sed multo magis homines spirituales, quorum tantum deuotione oblectatur dominus, hoc est, quicquid domino placere potest, & assequi suo modo, qui spiritus est, & in spiritu coli se mandat, id dominum laudare digne conetur, ut agnoscatur ab animabus fidelium & electorum, & illius beneficia collata ipsis appretientur, & per omnia eidem soli probari cupiunt, qui deum reuerentur ex animo, per quem se subsistere norunt, et sentiunt suo modo omnes creaturæ. Cui laus & gratiarum actio nunc & in æternum, Amen.

SVMMA VERS. M. D. XXVII.

FINIS.

COMMENTARIVM
IN LIBRVM PROVERBIORVM, quem Hebræi Misle appellant.
CAPVT PRIMVM.

1 PARABOLÆ Salomonis filij Dauid regis Israel:

Prouerbia uel Similitudines quæ Græcis parabolæ dicũtur, nõ sunt ut Adagia uel uulgo usurpatæ sententiæ inuolutæ, quibus aliud significetur quàm dicitur: sed sermones sunt, & graues sententiæ ad omnem uitæ fidelium rationẽ cõducibiles, moderata obscuritate multam in se complectentes utilitatẽ, ceu prima quædã principia syncereæ theologiæ: quibus ad locos cõmunes de fide & moribus, ac ad totius sacræ scripturæ intelligentiam uti poterimus. Salomonis nomẽ pacificum sonat Hebræis, nobis Fridcrychum, quia donata sibi et regno suo pace à dño, post dignas preces, bene est usus, ut dño templum extrueret, iuxta uoluntatem dñi, & patris sui Dauidis testamentũ, quod ipse dum uiueret ob bella multa, ac hominum strages extruere non permissus. Dictus est à ꝓpheta dñi, Amabilis dñi, ידידיה *3. Reg. 12. Cum consolaretur Dauidem post pœnitentiã, eo quod diligeret eum dominus, & exaudiuit precantẽ plurima concedendo quàm orauerat. Ecce, inquiens, dedi tibi cor sapiens & intelligens, in tantũ ut nullus ante te similis fuerit tui, nec post te surrecturus sit, sed et hæc quæ non postulasti dedi tibi, diuitias scilicet & gloriam, ut nemo fuerit, &c. cum eis quæ leguntur cap. 4. ibidẽ. Quæ omnia indicia fuerunt beneuolentiæ diuinæ in Salomonem regem, electi à deo populi, propter quem sensatum regem instituit. Vnde & discimus sapientiam hoc libro descriptam, non esse studio tantum humano acquisitam, sed potius diuinitus inspiratam, ut sit nobis sacro sancta authoritas huius libri, certaq; ratio quare Canonicus sit, quia certus nobis illius author, & ueritas irrefragabilis & diuina. Non igitur æstimãda erit ex uita illius, qua iam tandẽ senex multipliciter peccauit in dominum, sed quod testimonio scripturæ deo amabilis fuit, innocens adhuc & sanctus, maxime cum pœnitẽtiæ suæ attestetur secundum Hebræos libellus Ecclesiastes, ubi omnium rerũ uanitatẽ docet, præter solũ dei timorem, qui sit rebus omnibus præferẽdus. Deniq; propheta fuit & filius maximi prophetarũ Dauidis, & nõ alio quàm Christi spiritu scripsit oĩa, qui sicut in Mose, Iosue, Helia, Heliszeo, Dauide, Petro & Paulo, ac reliquis locutus est, non obstãtibus eorũ peccatis: sic in hoc quoq; Salomone audiendus est spiritus dei, & uerbum ueritatis sapientia increata, & plena fide quæ leguntur amplectenda. Vbi in Hebræo ante regis Israel diuisionis nota scribitur ostendit Genitiuum casum ad Salomonem non ad Dauidem referendum, qui solus semper fuit rex totius Israelis, & perstitit, figura uel hoc nomine Christi domini nostri, qui pacificauit fideles, & in pace conscientiæ regnat in electis, de cuius uniuersali & perpetuo regno multa in omnibus prophetis. Hactenus titulus libri: nunc præfatio in librum, in qua conscriptor libri, siue is Salomon fuerit rex, siue ex sapientibus auditoribus suis, uel aliquis sanctus, siue propheta illius tẽporis, uel posterioris ex ore Salomonis excerpta annotauerit.*

Adagia.

2 ad sciendam sapientiam & disciplinam, ad intelligenda uerba prudentiæ:

3 & suscipiendam eruditionem doctrinæ, iustitiam, & iudicium, & æquitatem:

4 ut detur paruulis astutia, adolescẽti scientia & intellectus.

Ostendit utilitatem & necessitatẽ huius libri, docentis nos ueram sapiẽtiam ac disciplinam, dei uoluntatem discere, toto pectore appretiari, animo gestire ut imple antur quæ sciuntur. Vitam quotidie corrigere, et mores reformare, fomitem crucifigere, implacabiles libidines naturæ deprauatæ restinguere pro uirili. Absolutã quoque docet eruditionem, consistentem in iustitia, iudicio, & rectitudine, fide scilicet in deum, charitate in proximum, et circumspectione ad seipsum. Idq; non solũ profuturum testatur paruulis, proficientibus & insipientibus, sed etiam sapientibus & intelligẽtia profectis, ut omnes pariter in promptu certas sententias habeant, et explicationes: ac sanum per omnia intellectum uerborum dei, illorumq; patrum, qui diuinã nobis sapientiam conscripserũt. Exigeret hic locus proprium tractatũ de differentia nominũ, quæ hic pariter scribuntur, nempe scientia, sapientia, disciplina, eruditio, prudentia, doctrina, intellectus: item iustitia, iudicium, æquitas. Sed pro more nostro breuiter scribentes, summatim dicimus, לקח *scientiam significare uel cognitionem, quæ tradita sit à magistro, disciplinam discipulo, ut non iuxta proprium sensum sapiat uel agat, sed pro directione sapientioris. Cui alia dictio* מוסר *morum correctionem & castigationem adiunctam notat, quibus naturæ genuina insolentia dirigitur, & in ordinem redigitur. Sed* שכל *rerum experientiam & insignem prudentiam, doctrinæ iunctam exprimit: tam contẽplando quàm agendo, quasi doctã circumspectionẽ rerũ qualiumcũq; in genere. Verum* חכמה *sapientiam sonat, de rebus altissimis & magnis scientiam, maxime autem de pertinentibus ad deum. Sic* בינה *intelligentiam, homini propriũ actum significat, quo differt à brutis, & cum deo ac angelis suo tamen modo conuenit.* דעת *uero cõmune nomen est ad hæc omnia, quam Grammaticorum non Logicorum more appellare possumus scientiam, quomodo scire dicimur quicquid his omnibus modis mẽte uel sensatione ꝓcipimus uel cognoscimus. Præter hæc duo sunt nomina uarie translata, quorum primum* ערמה *astutiam dicit, profundumq; consiliũ: sæpe non tamen semper in malam partẽ: quandoquidem etiam bona est astutia, & sapientia spiritus dici potest, dolos, insidias, peri-*

Necessitas huius libri.

Differentia nominum.

culæ animæ & circumuentiones animaduertere, prudenterq; cauere. Aliud est nomẽ מזמה quod ut plurimũ impiũ significat cogitatũ, scelus, piaculũ & nephas. Aliquando in partẽ bonam sumitur pro consilio utili, et honesto, sicut Iere. 4. Cogitaui & non pœnituit me: & hoc libro, Consilium custodiet te: Custodi legem meã & consilium meum. Verum omnia hæc non tantum ab interpretibus confundũtur, sed etiã à prophetico spiritu, & ab ipso Salomone ac Dauide, reliquisq; hominibus. Vt tutior sit collatio circũstantiũ sensuũ, quàm ut rigor Grammaticus obseruetur, sicut & de nominibus legem significantibus in Psalmis & alibi iudicandũ: sed hæc ad Grammaticos. Hic autem simplex totius prologi sensus est cum titulo: Salomon filius Dauidis Prouerbia scripsit uel scribenda protulit, unde discatur sapientia & eruditio, unde uerba intelligentiæ, unde & eruditionem prudentiæ capiamus: iustitiã quoq; non tantũ fidei, sed ut unicuiq; quod suum est cedamus: iudiciũ uero, quo sine respectu personarum, uel quacunque affectione, proximo ius & ueritatem decernamus. Rectitudinem uero, quod iuxta bonam conscientiã agamus semper, et in uia regia persistamus, proximo exhibentes, quod exigere iuxta rectam rationem possemus.

Tituli explicatio.

5 Audiens sapiens, sapientior erit: & intelligens, gubernacula possidebit.

Nemo in hac uita tam sapiens est, qui fieri non possit sapientior: imo quanto quis sapientior, tantũ ad audiendum studiosior, & ad loquendum cunctatior. Semper et ubiq; occasionẽ inuenit sapiens ad ulterius proficiendũ ex auditorum collatione, etiã si mala audierit: uel enim cauebit ne ut alter male loquatur, uel corriget cauillosum, uel docebit errantẽ. Sicut aũt audiendo fit sapiens sapientior, sic loquendo stultus fit despectior, si enim tacuisset poterat sapiens reputari. Vtinam taceretis, ut putaremini esse sapientes, aiebat Iob. Audiuit Moses Ethni cum socerũ, regina Saba Salomonem, Christũ discipuli, ecclesiæ apostolos, & sapientiores redierunt. Gubernacula intelligens & eruditus possidebit. Cognoscet in primis seipsum, moderabitur affectus propios, ut possit erudire alios. De multis edoctus proficiet aliorũ regimini, quos cum timore dei, & uera sapientia, quæ hoc libro continetur, feliciter gubernabit. Soli enim tales præfici debent, & prodesse poterunt, dupliciq; honore digni habebuntur, qui sic præsunt ut prosint, docẽt ut iuuent, defendunt, supportant, quæ nõ potest puer uel insipiens.

Sapiẽtia augetur semper.

6 animaduertet parabolã & interpretationem, uerba sapientũ & ænigmata eorum.

Adhuc enumerantur fructus quatuor huius libri, intellectus utilis doctrinæ & parabolarũ, ut in prõptu sit authentica sententia, memorabilis utilis ac apta, diuina scilicet paradoxa, & regulæ multo certiores, quàm ex Ethicis uel Aristotelis uel Platonis Senecæ uel Catonis. Deinde interpretationẽ, ut clarior fiat sententia, & ad propositũ ac ædificationẽ seruiat, quod uerũ et honestũ persuadeatur, quod officiũ est hominis eloquentis & diserti. Præterea cum authoritate et grauitate loquens, ex uerbis sapientũ priscorum, nempe ex uerbis Adæ, Noe, Lamech, Abraæ, Iacob, Ioseph, Mosis, Mariæ, Dibboræ, Dauidis, Samuelis, Salomonis et omnium prophetarum, audientibus ansam præbebit utilia cogitandi, et breuius docendi quod diutius ab auditoribus conseruetur. Tandem ænigmatibus quoq; usi sunt ueteres, nõ omnibus sed paucis notis, qualia multa hoc libro producentur. Tantum autem de prologo & usu parabolarum huius libri.

Fructus quatuor huius libri.

7 ¶Timor domini principium sapientiæ. Sapientiã atq; disciplinã stulti despiciunt.

Infra quoq; dicitur, Initium sapientiæ timor Domini. & Psal. 111. Et Iob, Timor domini ipse est sapientia. Intelligendũ est non de seruili timore pœnarũ & iacturæ, qui carnalis est, ex amore sui proficiscens, quem & dæmones habent & impij. Alioqui gaudendum potius est, cum in uarias tentationes inciditur, ut probatio fidei habeat: impij autem nollent deum esse, uel uellent non esse iustũ. Hic aũt timor introducit sapientiam, imõ est ipsa sapientia & fides, qua deũ credendo scimus esse omnium creatorẽ & gubernatorẽ, deuote illũ complectimur, reueremur, perpetuoq; suspicimus, agendo uel obmittendo, ne ei peccando displiceamus: sicut Gen. 20. Forsitan non est timor dei in loco isto, id est, non sunt credentes deo, ut peccata abhorreant: & Deut. 4. Congrega ad me populum, ut audiant sermones meos, & discãt timere me omni tempore, hoc est credant & sentiant me Deum suum cui obsequi desyderent. Sine huiusmodi timore non solum nemo sapiens, sed nec aliquid uere sciens, quomodo oportet scire, nempe ad gloriam dei, quẽ ignorat, & ad animæ profectũ, quẽ non assequitur. Rabi Dauid Kimhi, in prologo super Iosue scribit primam intentionem esse maiorũ, ut primò discatur timor dei, id est, lex dñi & sacra scriptura: deinde & non antea poterit cum fructu philosophia percipi, et allegat illud Deut. 4. Hæc est enim uestra sapientia & intellectus coram populis, &c. Secunda parabola, sub contextu unius uersus, Scientia uerbi dei timori & charitati iuncta, similiter & bellũ cum uitijs & concupiscentijs lusus est filijs huius sæculi, quantumlibet secundũ mundũ sapientes uideantur, maxime aũt sibijpsis. Quid enim mũdo stultius quàm captiuare intellectum in obsequium fidei, & crucem portare cũ crucifixo? Cumq; philosophi sibi in pluribus contradicant, fidere tamen sibi homines malunt, quàm uerbis dei. Et natura ab adolescentia malũ, non tamen uult ferre disciplinam, frenumq; timoris dei. Sapientes autem se deo credunt, per crucem & patientiam assequuntur pacem conscientiæ in fide Christi.

Timor dei duplex.

Quid primo discendum.

8 ¶Audi fili mi disciplinã patris tui, & ne dimittas legem matris tuæ.

Filij dei excelsi omnes sunt homines pij & impij. Nunquid non ipse est pater tuus qui possedit, fecit & creauit te? &c. Iubet ergo sapientia, & amice monet, filiosq; appellat, ut uocem eius audiamus, filios nos dei meminerimus, obedientiã præstemus pro bono nostro, nõ nos ipse necessarios habet, admit omnem excusationẽ nobis, qui admonet tam paternæ uoluntatis & beneplaciti sui. Disciplinam intelligere possumus à peccatis nostris iugem resipiscentiam. Patris enim est corrigere filiũ, arguere peccantem

Disciplina quid.

peccantem insolentem opportune reprimere, moribus honestis instituere: matris autem, hoc est sacræ scripturæ, ecclesiæ, uel cuiuslibet mansuetæ synceræq; monentis & docentis beneficium non spernere, sed grato animo complecti. Verum simplicius & tutius circa literam sistendo, post timorem dei insinuatũ generaliter, statim incipit docere id quod præ omnibus maxime scitu & factu necessariũ est, à quo neglecto uel diligenter peracto, pendet mundi uel pernicies uel felicitas, nempe filiorum diligẽs, solicita, ac religiosa institutio, à qua etiam iuxta Platonem auspicanda sit reformatio sæculi, cõmunitatũ & statuũ. Hoc perpetuo monent multi, nulli exequuntur, ideo nihil proficitur. Religiose iuuẽtus est instituenda, ad bellum iuge cum uitijs & cõcupiscentijs congenitis, statim à puero assuescendũ grauitati, obedientiæ, modestiæ, beneficentiæ, utilibus studijs, charitati & humanitati. Id fieri docet spiritus sanctus cõmode per parentes, patri iniungens curã disciplinæ & rigoris, matri uero instructionẽ in bonis moribus et timore dei. Opportunius filiũ pater corrigit authoritate, grauitate, prudentiaq; paterna: matri damus dulcẽ, piam, affabilẽ, synceramq; informationẽ, et omnia quæ pertinẽt ad tractabilitatem, religionẽ & elegantiã morũ. Hæc enim à matribus cõmuniter aptius discuntur, si tamen et ipsæ nõ sint procaces, temerariæ, impiæ, uel crudeles, uiragines potius quàm fœminæ, sed matronæ spectabiles, modestæ, piæ & disciplinatæ. Audi, inquit, nimirũ patrẽ loquentem, ea quæ ad rem pertinent, idq; affectu paterno mansuete, fideliter, instanter: ideo dicit, Fili mi. Nihil per irã & importune, ne stolidos potius reddant & stupidos q̃ disciplinatos & dociles. Verbis & auditu tentanda est correctio, non statim uerberibus. Generosus animus duci mauult quàm trahi. Fili mi dicit, quod maxime mouere debet filij honestam indolẽ: disciplinam dicit, non sapientiam uel doctrinã. Amare debet filium pater, nutrire, necessarijs uitæ prospicere, ad uiuendi usum & operandi instituere, ne otietur, morum institutionem cæteris paribus matri cõmittere: patris quoq; est curare, ut doctrinæ maternæ filius obsequatur. Non sunt communiter matres idoneæ ad corrigendum, quod uel nimium diligant, uel dum irritãtur, acerbius iracundantur, & loquuntur incircumspectius. Addit Salomon incitamentum & præmium, si obediat filius allectamentis maternis, quibus legitime instituti filij propensius ducuntur.

9 ut addatur gratia capiti tuo, & torques collo tuo.

Promittit obedientiam sic exhibẽdam parentibus cau suam futuram certissimam filio, ut omnium hominũ gratiam sit promeriturus, diligendus, laudandus, & à probis omnibus honorandus sodalibus. Qui honor per gratiam capitis significatur, quo digni sunt uirtuosi, ut pariter insignis fiat sapientia & eloquio. Pater nõ est, qui filium non corrigit, nec mater quæ non incumbit honestis moribus imbuendo prolem.

10 Fili mi, si te lactauerint peccatores, ne acquiescas.

Monendi sunt in primis pueri, ut mala societate abstineant. Primũ enim periculũ adolescentiæ & maximum mala societas, etiam bene institutis à parentibus, cũ alio qui natura propensi ad malũ, solicitantur ad malum, laudantur, persuadẽtur, seducuntur. Cum pueri simplices, persuasibiles, inexperti periculorum sunt, tunc maxime custodiendi, & disciplina instituendi à parentibus. Pernicios um autem consilium est, filios ob literas capescendas mendicatum exponere, uagandi licentiam indulgere, ad pueriliter ineptiendum frena laxare, externis & ignotis præceptoribus uel sodalibus periculosis credere pretiosissimum thesaurum liberorum, tunc potissimũ et ea nempe ætate cum disciplina maxime opus habent. Dicit igitur Sapientia filio: Si homines pestilentes assueti criminibus seducere te tentauerint, & in societatẽ suã inducere, à patris disciplina & matris auellere, impro- Societas mala uitanda.
bisq; artibus inescare cœperint, nequaquam acquiescas, serua potius disciplinam, fuge, caue. Grande uero malũ seducere pueros, primam ætatem fascinare uitijs, fœtoribus imbuere nouam testam.

11 Si dixerint, Veni nobiscum, insidiemur sanguini, abscondamus tendiculas contra insontem frustra,

Talia suadet uetus Adam. Hi fructus carnis, hæ iustitiæ humanæ, aduersus huiusmodi consiliarios belligerandum quotidie omnibus iustis, quorũ Christus caput. Peccatores aliud suadere non possunt nisi peccata, magnum autem periculum est, ne natura proni consentiant malæ suadentibus. Admonet ego uerbũ dei, primum ab homicidio tam spirituali, sicut serpens Euam et Eua Adamum, quàm in corpore, sicut Cain Abelum: cum se aliter mali de bonis ulcisci non possunt, cum obstant boni prauis malorũ desyderijs, dum malũt sortiri malorũ socios, quo minus uerecundentur, peiora possint & tutius peccẽt. Veni nobiscũ, consentias uotis, iuua factis, partes quoq; tuas ausibus nostris porrigas, insidiabimur sanguini. Docent peccare impij, de industria insidias struendo, nõ ira uel ignorantia. Malis artibus incumbunt ut decipiãt & perdant. Quod, Frustra, additur: nõ impiorũ, sed scriptoris. Quasi dicat, Quãlibet annitamini innocentis effundere sanguinẽ, gratis & frustra agitis, non præualebitis, dominus enim suos eripiet. Aliter quoque intelligi potest, Pro nihilo immeriti quoq; & innocentis sanguinem effundemus, nemo sciet, deus non curat, nullus testificabitur, parum est hominem occidisse. Non timor dei, sed tantum hominum est coram illorum oculis. Suadelæ carnis.

12 deglutiamus eos sicut infernus uiuẽtes, & integros quasi descendentes in lacum.

Subito, fortiter, crudeliter, integre & tuto deglutiemus totum, ut ab omnibus factum ignoretur, & nõ possit euadere uel uindicari, destitutum omnibus auxilijs inuoluemus, et quasi subitaneo sepulchro claudemus, nihil eius relinquamus. Tanta est hominum malitia fide & sapientia dei uacuorum. Idem quoq; alijs uerbis repetitur, more desyderantiũ audißime malũ uel bonũ, ut institutum replicent. Volunt aũt nõ ut membro mutiletur aut uulneretur, ne prodi possit aliquatenus facinus, sed auferri subito totum uolunt, & in abyssum submergi, unde

nunquam emergat quo minus prodatur malitia.

13 omnem pretiosam substantiam reperiemus, implebimus domos nostras spoliis,

Fructus iniquitatis.

Fingunt sibi impij de malitia sua emolumentum grande, ut uelint impẽsius, et alacrius nephas aggrediantur. Omnem pretiosam substantiam offendemus, thesauros lucrabimur, diuites & beati erimus. Aureos sibi montes pollicentur tentati auaritia, odio, libidine nocendi. Huiusmodi uidemus bellaces, sanguinarios qui ut ditescant bella sectantur, & adolescentes circumueniunt, omnia pretiosa ac felicia promittentes, cum ut plurimũ, si non occisi remanent, uix semicintijs amicti & languidi redeant: deniq; domus repletæ spolijs, sicut & familiæ huiusmodi latronum spolijs ditatæ, non diu proficient, sed male partis male utentur, & simul peribunt diuitiæ iustæcum spolijs.

sortem tuam mitte nobiscum, marsupiũ unum sit omnium nostrum:

Si uolueris statim rapinam diuidi, tua tibi ilico portio cedet, ut abeas diues & felix: quod si diutius commorari nobiscum placuerit, marsupiũ erit unum omnibus nobis, pariter omnes & concorditer ditabimur, cõmunia

Malorum concordia.

omnia seruabimus. Hæc est malorũ iniqua cõcordia contra pios, quæ etiã significatur per squamas Behemoth apud Iob, & per spinas mutuũ se cõplectentes, Naum 1. per caudas uulpiũ Sampsonis, per lappã et terrã tenacẽ Oseæ 10. Sic sors hoc loco æquata impiorum. Cupiunt socios sceleris, ex proposito deliberãt, non leue damnum, sed maximum quo multos inuoluant.

15 fili mi ne ambules in uia cum eis, prohibe pedem tuum à semitis eorum.

16 Pedes enim illorum ad malum currunt, & festinant ut effundant sanguinem.

Admonet Christi spiritus in Salomone fideles abstinere contubernio, studijs, cõsilio & instigatione impiorũ ne ipsorum quoq; inuoluãtur periculis, damnis, iudicio, sed saluentur à generatione praua, quæ festinat ad mortem. Prohibentur hic bella illicita, quibus sanguinis effu

Bella prohibita.

sio ab altera semper parte intẽditur, & agitur ab utraq; periculo animæ & corporis, temporali & æterno: impios haberi & esse deo, promptulos ad sanguinis humani effusionem: quin & magistratus inuitus & cum dolore ueniat ad iudiciũ sanguinis, ne illis imputetur crudelitas, nec nisi iustitia cogãtur, et necessitate iustæ uindictæ

17 Frustra autẽ iacitur rete ante oculos omnium pennatorum.

Impij quidem rete expandunt adolescentibus & pijs, sermonibus blãdis inescando solicitant ad impia tam donata quàm facta. Pij uero oculis à deo donati & pennis, non capiuntur: consyderantes semper dei beneplacitum, periculum animæ & corporis. Penna autẽ, gratiæ dei prouidentia est & assistentia. Hi scientia oculati & pennati uirtutibus, non tantopere cupiunt oblectamenta carnis, ut inescari se sinant, & periclitari criminibus, fama et uita, prospiciunt sibi cautius, nec nisi honesta sectantur, effugiunt incommoda conscientiæ, corporis & spiritus. Circumspectus non facile capitur. Sapienti difficile imponitur. Peccatores non tam alijs obsunt quàm sibijpsis. Pij scientia uerbi dei liberantur. Impij suis laqueis irretiuntur, quærendo ad malũ bonorũ amicitiam.

18 Ipsi quoq; contra sanguinem suum insidiantur, & moliuntur fraudes contra animas suas:

Qui alijs inferre damnum, intentare mortem, fodere

Cõsultores mali.

foueam conantur, frequenter proprijs capiuntur damnis: sic Ammon, Absalon, Achitophel, Iudæi: sic persecutores uerbi dei, animam propriam, id est semetipsos perdunt, qui proximis fraudes moliuntur. Sic proximum amãtes, sibijpsis maximo sunt commodo. Inimicos quoq; amandos Christus docuit, in bono malum uincere: codẽ iudicio iudicabimur quo alios iudicabimus.

19 sic semitæ omnis uehementer auari, animas possidentium rapiunt.

Auari infelices animo & rebus, coram deo & hominibus, proximo & sibijpsis damnosi, maxime egentes, deest eis tam quod habent quàm quod non habent, anxijs & uanis cogitationibus semper æstuant, pro augendis diuitijs, quibus tandem ad interitum capiuntur. Qui enim diuites fieri cupiunt, in uarias incidunt tentationes. Quid autem homini prodest, si totum mundum lucretur, animæ uero suæ detrimentum patiatur?

20 Sapientia foris prędicat, in plateis dat uocem suam:

21 in capite turbarũ clamitat, in foribus portarum urbis profert uerba sua, dicens,

Sapientia ubi patet.

Sicut sanguinarij & auari omnibus intentant mala, sed sibijpsis quàm maxime obsunt: sic sapientia utri patet in moribus & uerbis, consilio et actionibus, prodest sibi & alijs, audet loqui ad populos, pluribus consulere potens, non quærit angulos, parata reddere rationem de omnibus institutis suis, populorum regimini & usui necessaria ac utilis, iudicibus & magistratibus familiaris esse cupit, subditis gratiosa & desyderabilis, quam saepe riores obligãtur subiectis. Ea est timor dei, amor et me

Sapientiæ sanctorum.

ditatio ac fides diuinæ legis. Aliam enim sapientiã ignorant sancti, aut non admodum magnificiunt, quorum est omne studium prodesse multis: locum, tempus & personas captant benefaciendi gratis: in ciuitate bonorum ciuium audiuntur, placent, suscipiuntur, sine quibus nec ciuitates nec populi consistere possunt. Ideo maxime est appretianda sapientia uera, nedum paruulis, sed & magistratibus atq; ciuibus. Exponunt hæc sancti patres de Christo, qui per apostolos et in sanctis uerax sapientiã omnibus palam gentibus loquitur, postquam Iudæi eam audire renuerunt. Non priuatim et in angulis loquitur, communis omnibus sapientia. Sunt enim capita populorum fidelium doctores sancti, & portæ ecclesiæ.

22 Vsquequo paruuli diligitis infantiam, & (stulti) ea quæ sibi sunt noxia cupiũt, & imprudentes odibunt scientiam?

Inducit sapientiam insipientibus loquentem ut prosit, docentem ut sit miseria intolerabilis, non agnoscere errorem, amare stultitiam, nolle resipiscere, ridere bene monentem, spernere scientiã, agere & uiuere puerum

centum

centum annorum, desyderijs teneri iuuenilibus, & eis acquiescere, disciplinam domini odire, legem dei uelle omnino ignorare. Ea ratione dei sapiētia incarnata est, ut ab errore reuocaremur. Spiritus Christi in patriarchis, prophetis & sanctis apostolis loquutus est, ut sapientiam fideles assequerentur, id est rerum utilium, & diuinæ uoluntatis cognitionē, cum antea aliquandiu quasi sine deo mundus aberrare uideretur, figmentis & opinionibus regeretur. Nostri interpretantur de Iudæis parvulis legem diligentibus & lac ceremoniarum, et de malis generaliter qui paruuli dicuntur.

23 Conuertimini ad correptionem meam: en proferam uobis spiritum meum (&) ostendam uobis uerba mea.

Resipiscentiam suadet & pœnitentiam sapientia & uerbum dei, obedire sacris monitis prophetarum, Christi & apostolorum. Corripit lex dei, & cōscientiam arguit. Misericordiam, gratiam & spiritum sanctum spondet resipiscenti, promittit familiare colloquium conuersis à malo. Sermocinatio eius cum simplicibus & iustis, In maleuolam enim animam nō intrat sapientia. Eructat spiritum suum, hoc est fideliter, syncere & pure ostendit nobis diuinæ prouidentiæ dispensationē & beneficium. Exponunt alij spiritum meum, id est uindictā, quam merentur, nolentes conuerti, & potentiam ultionis effundam in uos.

24 Quia uocaui, & renuistis: extendi manū meam, & non fuit qui aspiceret:

25 despexistis omne consilium meum, & increpationes meas neglexistis:

Confertur dei bonitas & humana malitia: prior ex gratia non prouocatus uocat nos uerbo exteriori & interiori, nos uero negamus & recusamus. Extendit manus, beneficia promittit, porrigit, et confert, nos non attendimus. Consulit semper utilia, animarum saluti prospicit, nos despicimus & non acquiescimus. Corrigit, emendat, improperat, nos attendere dedignamur, quasi deum nobis necessariū non habeamus, sic negligimus: donec calamitatibus, miserijs, pauoribus & angustijs derelinquimur. Iusto dei iudicio, & sera pœnitentia ac inutili digne flagellamur, proijcimur & damnamur, alieni à misericordia dei, quam spreuimus, ut simul inexcusabiles simus. Non sic sancti & pij, qui acquiescunt uocationi diuinæ, resignant rebus omnibus, ut Abraam, Isaac, Iacob, prophetæ, apostoli, ueri fideles uerbo dei uocanti credentes adiuti per gratiam. Locus hic est de modis uocationum, quæ fiunt uerbo dei, beneficijs, inspiratione, aduersitate, cui respōdemus, fide, gratiarumactione, obedientia & patientia.

26 ego quoq; in interitu uestro ridebo (&) subsannabo, quum uobis id quod timebatis aduenerit.

27 Cum irruerit repētina calamitas uestra, & interitus uester quasi tēpestas ingruerit: qñ uenerit sup uos tribulatio & angustia:

In interitu impiorum dominus ridere dicitur, quia irrita faciens consilia illorum & opera, dum periculis & perditioni inuoluuntur, & ad deum clamare incipiunt, malis oppressi quos non exaudit nec miseretur, sed fructum stultitiæ & inobedientiæ repēdit. Subsannare dei dicitur, sine misericordia iusto iudicio punire, stultitiam peruersorū palam ostentare omnibus, conatus irritare, comprehēdere astutos in astutia sua. Exemplis plena est scriptura. Turris Babel ædificata, Pharao mari submersus cum omni exercitu, Zedechias cōsilium domini spernens, Sennherib cum suo exercitu, Iudæi Christum cruci figentes, & sepulchrum sigillantes, Romani Christianos delere de terra cupiētes, & qui hodie Euangelij prædicationem synceram impedire conantur. Dei irasci.

28 tunc inuocabunt me, & non exaudiā: mane consurgent ad me, & non inueniēt me:

Non auditur oratio contemnentium sapientiam, sanctis consilijs acquiescere nolentium, agnitam ueritatem & dei gratiam refutantium, solaq; pœnarum impatientia, & sui amore dei auxilium coacte implorātium. Mane quærere, est de propria iustitia præsumere, de meritis gloriari, fiduciam de se non in deo solo habere. Non munitur sapientia nisi humili inquisitione, et assidua lectione uerbi dei, cum plena fide, cum tremore, reuerentia et præuijs orationibus. Mane quærere.

29 eo quod exosam habuerint scientiam, & timorem domini non susceperint,

Subiungit causam damni quod incident, quia exosam habuerunt sapientiam, quam diligentissime inuestigasse debuerant, non quidem philosophicam, mundanam uel animalem, sed utilem scientiam uerbi dei, quæ est notitia uoluntatis dei, & timor dei, quem omnibus studijs præponere oportet, cui omnis humana eruditio seruire debet, ne cum sapientibus mundi stulti coram domino iudicemur & simus. Eo autem proficiunt uerbi dei contemptores, ut iudicia dei non credant, non timeant, detrahant etiam ac blasphement, casu & fortuna omnia geri putent, plane impij.

30 nec acquieuerint consilio meo, & detraxerint uniuersæ correptioni meæ:

Animalis homo non percipit ea quæ dei sunt. Consilium uocat præceptum dei, & doctrinam pietatis, quæ displicet malis. Blasphemauerunt, ait, omnem correptionem meam, quasi iniquam præter demeritum, nimiam, iniuriosam. Malis enim omnia cooperantur in malum. Correptionibus diuinis impij obdurantur, ut Pharao, Sennherib, Iudæi, Antichristiani, malunt enim placentia audire, sibi nequeunt displicere.

31 Comedent igitur fructus uiæ suæ, suisq; consilijs saturabuntur.

Comedere de fructu uiæ suæ, est dignam factis mercedem recipere, iusto impietatis præmio munerari, consilijs suis saturari, erroris sui pœnas ferre, propria stultitia confundi, pernicioſis consilijs proprium sibi conciliare interitum.

32 Auersio enim paruulorū interficiet eos, & prosperitas stultorum perdet illos.

Vtcunque hic uersus reddatur ex Hebraico talem reddit sensum: Stultorum consensus perdet eos pariter. Su-

per duobus erroribus duo disceptantes mutuum sese occident. In inuicem conuersio mutuus q; conflictus duorum errantium, & stulte agentiũ ambobus cedet in perniciem. Vt sit sensus translationis ueteris: Auersio parulorum, id est insipientium, qua se auertunt à sapientia, quam spernunt & ignorare uolunt, interficiet eos, causa erit interitus & perditionis illorum. Stulti enim non prospiciunt incõmodis, sed præsentibus tantũ bonis incauti fruuntur, & abutuntur fugacibus: diuitiæ, honores, sanitas, fortitudo stultis obsunt.

33 Qui autem me audierit, absque terrore requiescet, & abundantia perfruetur, timore malorum sublato.

Sapientes interim, id est fideles, et obsequentes uerbo dei, etiam in aduersis omnibus quietissimi uiuent, animo semper pacato, à superuacaneis curis, à tentationum tumultibus, ut perpetuum domino sabbathum celebrent, si dutiam omnem in dei reijciunt prouidentiam, qui suos non potest relinquere, sed sub umbra alarum filios suos protegit, & quiescere facit: impij uero quasi mare feruens, &c.

¶ CAPVT II.

1 FILI mi, si susceperis sermones meos, & mandata mea absconderis penes te,

Hortatur dei bonitas & sapientia homines sub appellatione filiationis, quorũ uult esse dici atq; haberi pater, amanterq; suadet, quos cogere posset, & unico uoluntatis nutu parare quales uellet. Sed ut tanto minus excusabiles sint, & propensius annitantur ac uelint, quasi in arbitrio hominis sit, loquitur, quandoquidem intellectum dedit & uoluntatẽ, sæpe instigat, & reuelauit per uerbum suum, beneplacitum suum: quod si negligant & contempserint, digni iudicio habeantur, etiam in proprijs conscientijs confusi. Si susceperis, inquit, sermones meos: non dicit, Si uolueris, suscipies, licet id uere posit dici: si enim uolumus suscipimus, sed sine gratia dei uelle non possumus, ex nobis ipsis, sed præuenti & adiuti gratia dei. Et tamen hic dicitur, si susceperis, si absconderis, si aures accõmodaueris, &c. Vt clare uideamus non hic fundari liberum arbitrium, sed commendari necessitatem suscipiendi & amplectendi eloquia dei, non traditiones humanas, non animalem sapientiam, non opiniones philosophicas, sed meditandũ in lege domini, abscondere in cor eloquia dei, ut non peccemus ei. Velle acquiescere & obedire, humiliare intellectum in obsequium fidei, per gratiam & studium orationis, quod non sinet esse inutile, sed dabit ut possimus quæ præcepit: sin minus proficitur, culpa nostra erit, quam precibus expiari docuit, quas excludere deus non potest. Absconderis ait, non ut nemini communices tantum bonum, quod non pro te solo possides, sed ut pretiosissimum thesaurum habeas, quo lucrũ domino deo tuo importes, & ne dæmonia illud quasi semen secus uiam proiectum auferant, ac sine fructu relinquatur.

Hortatur deus.

Liberi arbitrij ratio.

2 ut audiat sapientiam auris tua: inclinabis cor tuum ad (cognoscendam) prudentiam,

Auribus percipere sapientiam, est uelle acquiescere, obedire diuinæ uoluntati. Vera enim & unica sapientia est deo subdi & obedire, attendere ad beneplacitum creatoris, quam sapientiam filij huius sæculi ignorant. Ad id autem agendum necessarium est, ut inclinetur cor tuum intelligentiæ, ut humilietur intellectus noster, & euacuetur cor nostrũ desyderijs & cogitationibus mundanis, ut locus detur intelligentiæ uerbi dei, quam percipere nequeunt superbi mente cordis sui. Abscõdisti hæc à sapientibus, &c. Præbe quoque docile cor tuum uerbis dei, attentum, humile ac credulum: alioqui nunquam intelliges, obedies uel complebis. Id autem sine gratia dei nos non posse nemo ignorat. Iubemur tamen id agere, quandoquidem sine nobis id non agitur, & ut fiat studiosissime curandum nobis est, & orationibus impetrandum, quibus deus non deerit, sed promissorum suorum recordabitur ad orantes.

3 Si enim sapientiam inuocaueris, & inclinaueris cor tuum (uocem tuam) prudentiæ,

Ecce quàm uelit dominus rogari pro sapientia, etiam ad intelligendum eloquia dei, quamlibet promior sit ad dandum quàm nos ad petendũ. Verumtamen orare deũ ut oportet, sine eius gratia nemo potest. Nec aliam hic monemur sapientiam postulare à deo quàm legis dei & beneplaciti diuini, in qua beatitudo consistit iuxta illud, Hæc est autem uita æterna, ut cognoscant, &c. Hic si placet, ordinariam glossam lege, de deo solo inuocando, & de libero arbitrio, tamen infideliter ex Beda citata, qui sic habet: Notandum est autem, inquit, quod & sapientiam uocare, & nosmetipsos ad noscendam prudentiam cor inclinare suadet, quia nimirum necesse est, ut diuinum in cunctis efflagitemus auxilium, & ipso domino adiuuante, bona quæ ualemus agamus. Neque enim sine ipso quicquam facere possumus: nec rursum sine nostro conamine quantulũcunq; habere ualemus, quapropter nos ab ipso saluos nos esse credamus. Expendantur uerba, & arbitrij liberi uim sine gratia nullam inuenie mus. Aliquid tamen ualere & posse dicimur, quod deo inspirante, incitante, trahente, in nobis agente, per gratiam assistente, & uires dante ac perficiente semper possumus, nisi nostra obsistat malignitas, ignauia, cessatio, ob magis chara, & minus bona, quæ nobis imputare debemus.

Glossa ordinaria. Beda.

4 si quæsieris eam quasi pecuniam, & sicut thesauros effoderis illam.

Non tantũ oratione mentis & clamore uocis sapiẽtia obtinetur à domino, sed & studiosa lectione, inquisitione & appretiatione illius, si uelut argentum auare desyderetur, & ut est digno pretio æstimetur, fructus sapientiæ atq; necessitas, ut uelut pretiosissimus thesaurus absconditus multis laboribus & diligentia effodatur anxie perseueranterq; inuestigetur. Sic enim sapientiã suã uult largiri esurientibus, laborantibus, desyderantibus, studiosis, non otiosis, humilibus non superbis & fastidiosis. Eloquia enim dei desyderabilia esse debent, super aurum & lapidem pretiosum multum, & dulciora sentiuntur dignis super mel & fauum. Sanctus quoque

Sapientia quomodo obtinetur

dicit

dicit, Dilexi mandata tua super aurum & topazion. Inquirenda est autem sapientia in agro sacræ scripturæ, ibi occultatur, inde trahitur, imò in omni creatura. Interroga, Iob inquit, iumenta tua, & docebunt &c.

5 tunc intelliges timorem domini, & scientiam dei inuenies:

Discimus difficultatem sanctè deum timendi. Non est enim timor dei timere plagas, infernum, sed peccatum, indignationem, offensam etiam minimam, sed est amor filialis, castus, perfectus ac purus, non mixtus amore sui. Scientiã dei non nostro ingenio acquirimus, sed dei munere inuenimus per dei timorẽ, Dei scientia dicitur, quã de se deus nos docet in scripturis propheticis & euangelicis ad dei gloriam ordinatis, cum sapore & sensu bonitatis diuinæ per fidem.

6 quia dominus dat sapientiam, (&) ex ore eius prudentia & scientia.

Sapientiam ueram solus deus largitur timentibus se & orantibus, sacras literas inuestigantibus, & obedientibus uerbo. Non discitur ab infidelibus, sed ex illius tantum uerbis utilis certa & necessaria scientia. Beda: Sapientia, id est, dominus inuocandus est, ad accipiendam sapientiam, quia non à nobijpsis haberi potest, sed à domino datur. Taceat Pelagius ab Apostolo redargutus, qui ait, Quid enim habes quod nõ accepisti? Et apostolus Iacobus, Si quis uestrũ indiget sapientia, postulet à deo.

7 Custodiet rectorum salutem, & proteget gradientes simpliciter,

Dominus est qui rectis & probis hominibus reponit & conseruat firmam subsistentiam, & in sanctitate perseuerantiam, ut resistere falsitati possint & impietati, etiam si periclitari sinat, & ad portas mortis nonnunquam deducat. Sic Christus in Euangelio, Ego dabo uobis os & sapientiam, cui nõ possunt resistere omnes aduersarij uestri. Vult eos prius deseri, ut gloriosius triumphent: abscondit auxilium, ut celebrior fiat redemptio. Salutem rectis abscondet, ut fide exerceantur, & credere discant, & salutis beneficium gratiores agnoscant. Qui uero in simplicitate cordis ambulant, & sese totos domino commendant in prosperis & aduersis, illorum protector est, dominus, tutor & refugiũ, circundat undiq; & defendit, hi suis non fidunt uiribus, nemini male cupiunt, proximo faciunt quod sibi fieri optant, hi re uera simpliciter ambulant.

8 seruans semitas iustitiæ (iudicij) & uias sanctorum custodiens.

Eatenus scutũ est deus, & defensio rectorum, & in simplicitate conuersantiũ, ut dignã quoq; gratiã rependat, & fideliter exhibeat quod promisit, iudicaturũ scilicet se inter pios & impios. Sanctorũ uitã ac mores, qui seipsos custodire non possunt, dũs ipse nõ deseret, sed cõseruabit in omni bono, et uelut oculi pprij pupillã custodiet

9 Tunc intelliges iustitiam & iudicium, & æquitatem, & omnem semitam bonam.

Tunc, id est, si timorẽ dei, fidem uerborum dei, sapientiam, perseuerantiam, & uitæ simplicitatem habueris, intelliges iustitiã, iudiciũ, æquitates, omnibus exhibebis quod obligaris, deo iustitiã, id est, fidem & obedientiam, proximo iudiciũ iustum, eadẽ illi faciendo, quæ tibi uelis fieri: tibijpsi rectitudinẽ, ut nec ad dextram declines, nec ad sinistram, sed innocenter cõuerseris ad omnes. Posset iuxta distinctionem Hebraicã legi: Et rectorũ omnis uia bona: hoc est, bonis omnia cooperantur in bonum: uel Recti nunquam peccabunt ad mortem.

10 Si intrauerit sapientia cor tuũ, & scientia animæ tuæ placuerit:

Si non tuis proprijs uiribus sacram eruditionem assequaris, sed ipsa ueniat per dei gratiã, et occupet cor tuũ, ut non solum sapienter loqui scias, sed & corde sentias sapientiam ueram, & scientia scilicet uerbi dei animæ tuæ placuerit, delitijs eam replendo quasi iugi conuiuio: tunc fructus plurimos assequeris, quos consequenter explicabo tibi.

11 consiliũ custodiet te, & prudentia seruabit te,

12 ut eruaris à uia mala, ab homine qui peruersa loquitur.

Sano & prudenti consilio circunspicies tibi ab ingruentibus malis huius mundi, intelligentia conseruabit te, utilis & sacra eruditio præseruabit te, ne impingas in uia praua, dum interim indoctus damna patitur animæ & corporis, sancto consilio destitutus. Vt eruat te à uia mala, à pernicioſis doctrinis & moribus, à uiro loquente peruersitates, docente errores, contra dei legem præcipiente pro sua libidine, commodo uel gloria, & quæ opponuntur iustitiæ & iudicio.

13 Qui relinquunt iter rectum & ambulant per uias tenebrosas,

Sapientia habitans in corde pij præcauebit ne sectetur pernicioſa dogmata eorũ qui relinquunt semitas rectitudinis, sacras canonicas scripturas, quæ solæ rectitudinem certam ostendunt, dei uoluntatẽ, & regulã iustitiæ, ac indicem obliquitatis, ne incedat per uias tenebrarum rationis humanæ & dictaminis naturalis, quæ fallit & fallitur, & uelut in tenebris impingere facit sectatorem. Deniq; uias tenebrarum dicere possumus libros philosophorum, & poëtarũ obscœnorũ & impiorum.

14 qui lætantur cum malefecerint, (&) exultant in rebus pessimis:

Eadem sapientia admonebit declinare eos, qui non ex ignorantia peccant & fragilitate, sed sponte & uelut proposito meraq; malitia, qui cum procluitatem naturalis malitiæ, & propensionẽ ad peccata deplorare deberent, & agere pœnitentiam, qua deum placarent, ipsi potius gaudent, & ludentes spernunt timorẽ dei, illecti concupiscẽtia, abstracti ad flagitia, de quibus gloriantur & erubescere non possunt, signũ deploratæ impietatis.

15 quorũ uię peruersæ sunt, & infames gressus eorum:

Illi, inquit, nõ solũ errãt nec soli, sed alios quoq; secum inuoluũt erroribus, et à tramite ueritatis abducũt et perdũt. Peruersi enĩ moribus et praui, eatenus infames reddũtur, ut nemo sapiens et bonus illis se audeat uel debeat sociare, sed uitare potius, ne pari impietate diffametur.

16 ut eruaris à muliere aliena, (&) ab extranea quæ mollit fermones ſuos,

Mulier aliena.

Si ſapientia introierit cor tuum, ipſa præueniet periculum à muliere aliena uel extranea. Alienã uocãs quæ non eſt legitima cõiunx, ſed inſtabilis, uaga, libidinis tantummodo cauſa cohabitans, parata leui occaſione deſerere uirum, non curans de liberis uel habendis uel nutriendis. Extraneam autẽ dicit, id eſt, non Iſraëliticã, non fidelem, ſed alienigenã, impiam ac irreligioſam. Ne talem ducat uxorem hortatur, ne ob diſparitatẽ religionis, ingenij, morũ, linguæ impediatur ſynceritas germani affectus, & conuerſationis ſuauitas, ne facile protrahatur maritus ad ſuperſtitionẽ idololatriæ, ad quam propẽſiores ſunt fœminæ. Etiã ſermones molles intelligi poſſunt perſuaſiones ad ſtuprum, prauitas quoq; hæreſeos, & literæ ſæculares, auertentes à fide & ſacroſanctis ſtudijs, ad errores gentilium, ſi immodice illis incumbatur.

17 & relinquit ducem pubertatis ſuæ, & pacti dei ſui oblita eſt:

A muliere quæ primitias naturalis beneuolentiæ à marito ſuſceptas relinquit & ſpernit, contra deum et fidem, non expectes tibi poſterius ſtabilem amicitiæ fidem ſeruandã. Sectatur enim libidines proprias, pacti, id eſt, legẽ dei ſui coniugibus traditã, ut ſint duo in carne una, obliuiſcitur & contemnit, ne ſcilicet ſeparentur etiam propter parentũ affectũ, qui omniũ maximus eſt, quanto minus alia quacunq; ratione uel neceſsitate, niſi adulterij: & ſi quid adulterio atrocius crimen deſignetur in maritum.

18 inclinata eſt enim ad mortẽ domus eius, & ad inferos ſemitæ ipſius:

Omnes qui talem accedunt fœminam, cohabitant, conuerſantur, periculo ſe mortis exponunt, ob quarũ libidinem & perfidiã plurimi occiduntur incauti, & ad gigantes deſcendunt, id eſt, ad inferos, ubi torquentur tyranni impij & libidinoſi. Fouea enim profunda eſt meretrix, & à deo maledicta, omnesq; peccantes cum ea. Locus hic eſt contra concubinas, maxime ſacerdotũ, quorum execrabile ſcandalum eò progreſſum eſt, ut nõ puniatur, niſi pecuniaria pœna, minime aũt tollatur. Quorum tamen officium eſt, docere populos ſapientiam, cum uel hac parte ſtultiſsimi ſint ipſi, q, propter abominandã libidinẽ relinquunt animã, famam, uerbũ dei, iuramenti fidem, officium, filios, rem familiarem, amicos, populum ſubiectum, iudicium dei & hominum: de quo aliãs.

19 omnes qui ingrediuntur ad eam, non reuertentur nec apprehendent ſemitas uitæ:

Ardens & inſana libido excæcat & implicat fornicatorum corda, ut nolint deſerere nec poſsint regredi ad caſtitatem, ſemel aſſueti libidini, niſi natura reclamet, & peccantem deſtituat, uel inſignis & rara gratia dei. Mulier enim pretioſam animã uiri capit. Pronomen Eam nõ refertur ad mortem, ſed ad mulierem. Non redire, eſt raro difficulterq; deſerere, & non proprijs uiribus. Non apprehendent ſemitas uitæ, ſaluari non poterunt ſeducti à meretricibus in præſenti uel futura uita, hoc eſt, difficile reſipiſcent.

20 ut ambules in uia bona, & calles iuſtorũ cuſtodias.

Via ſancto rum.

Via bonorum alia non eſt, niſi uerbum dei, & Chriſtus dñs, qui eſt uia, ueritas & uita, ut honeſtè, pie & ſobrie uiuatur iuxta dei legem. Et obſeruentur exempla ſanctorum, ut ſicut illi in uoluntate dñi, & in obſeruãtia mandatorum uixerunt, ſic agamus & nos. Non autẽ omnia eorũ opera æmulemur, quorũ nullus eſt qui nõ aliquando peccauerit. Eatenus uero imitandi nobis permittuntur, quatenus ipſi quoq; uerbũ dei ſectantur. Imitatores mei eſtote, ait Paulus, ſicut & ego Chriſti: Filios nos exhibemus non tam Abrahæ, q̃ fidei & obedientiæ ipſius. Sũt quoq; multæ ſemitæ iuſtorũ, uaria dona ſpiritus ſancti, uaria ſtudia ad dei gloriam in ſanctis ſuſcitant, dum is hoc modo, alius alio modo pertingit ad ſcopum amoris dei et proximi, et ad perfectionẽ Chriſti, q eſt unica uia.

21 Qui enim recti ſunt, habitabunt in terra, & ſimplices permanebunt in ea:

22 impij uero de terra perdentur, & qui inique agunt auferentur ex ea.

Merces pio rum & im piorum.

Decernit mercedem pijs ac impijs. Pij enim ſimplices, iuſti, fideles, uiuent in hoc ſæculo pacifice, & cũ ſuppetentia rerum neceſſariarum in terra promiſſa ſanctis, non incident maledictiones legis dei, ſed benedictionibus perfundentur bonorum temporalium, in typum æternorum et ſpiritualiũ. Et qui immaculati uixerint in lege domini, non trãſferentur ab hoſtibus in captiuitatis exiliũ, ſed in patria à domino donata iuxta legem relinquentur, etiam ſi uniuerſa uaſtetur. Patet de Ezechia rege, Ieremia propheta, Daniele, Ezdra, Neemia, ac alijs multis, quia in medio calamitatis ſuæ gentis à dño cõſeruati conſolabantur, experti dei gratiam, dum interim impij uaſtarẽt. Non enim tyranni tantum poſſunt quantũ uolent, ſed quantũ à domino permittuntur. Impij uero dei contemptores quamumlibet feliciter ſe terram habitare glorientur, & domini prouidentiam rideant, ſentient etiam in præſenti flagellũ dñi, radicitus extirpãdi è terra. Id quidem Iudæis prædictum eſt, & contingit diſperſis in orbem, & manet idem iudicium & pœna ſimilis omnes impios, ut dum maxime uiuere cupiunt, amara morte ſine aliqua conſolatione intercipiuntur, & eijciuntur à deo & hominibus in tenebras exteriores, &c.

¶ CAPVT III.

1 FIli mi ne obliuiſcaris legis meæ, & præcepta mea cor tuum cuſtodiat.

Non tam filijs ſuis Salomon hæc loqui credendus eſt, q̃ ſpiritus ſanctus per eum omni populo dei per adoptionem filijs & credentibus, quibus ante omnia legis diuinæ amorem commendat & memoriam, ut in ea meditentur, & recogitent quid domino placeat, quid illi obligentur, utq; humilientur apud ſemetipſos, agnoſcentes peccata ſua, & obſeruare dei præcepta deſiderantes non tam uerbo quàm corde & opere.

2 longitudinem enim dierũ, & annos uitæ, & pacem apponent tibi.

Fidelibus promittit deus bona præſentis uitæ & futuræ

turæ, ut impijs nihil in hoc mũdo bonũ sit, omnia in perniciem cedunt, dies, anni, pax & prosperitas. Non est pax impijs. Viuentes mortui sunt, & in dimidio dierum uadunt ad portas inferi. Sic boni & pij diutißime uiuũt, quia bene uiuunt per fidem dei, pace conscientiæ perfruuntur. Si in breui consumantur, tamen explent tempora multa, deus quoq; est eorum uita, & longitudo dierum. Nec refert quandiu uixeris in hoc mũdo, sed quàm pie, sobrie & iuste. Si quis sacris iugiter studijs insistat, alienus à perturbationibus odij, libidinis, ambitionis, inuidiæ, quibus ceu horribili sopore oppressi impij misere uiuunt, dum interim pius serena conscientia quasi iugi conuiuio oblectatus beatißime uiuit, in lege domini meditando die ac nocte. Exponitur à Beda, Longitudo dierum pro luce sempiterna: anni uitæ, pro transcensu huius mortalitatis: augmentum pacis, pro statu æternæ beatitudinis. Iudæi exponunt triplicem ex lege domini meditata prouenire fructum. Assequutionem naturalis periodi uitæ à deo constitutæ, animarũ uitam in sæculo futuro, pacem in hoc sæculo corporis & obedientis animæ sapientis, quo uiuat diutius & felicius, euasio differtuniorum huius temporis, ac conscientiæ serenitas ad deum. Ideo adijcitur, Et pacem addent tibi.

3 Misericordia & ueritas te non deserant, circunda eas gutturi tuo, & describe eas in tabulis cordis tui.

Non obmittas benefacere indigentibus, sed benigniter succurre, & ueritatem doctrinæ ignorantibus submi nistra, quatenus tu quoque dei misericordia & ueritate prosequaris, fac illa tibi eatenus familiaria & assidua, ut de illis sine intermissione loquaris: quod est, ut uideatur, alligare gutturi: mediteris q; intentissime, ac solicite obserues, quod est inscribere in tabulas cordis, & continuo studio contendere & anniti, melior ut fias.

4 & inuenies gratiam & disciplinã bonam coram deo & hominibus.

Si beneficentiam & doctrinam sacram uel utilem hoc ordine præstiteris, ut præcedãt facta, sequantur uerba, amabilis & gratus eris à deo doctus, & eximie sapiens coram deo & hominibus: usu enim continuo uirtutum & sapientiæ digne deo seruies, hominibus acceptus eris & utilis, quotidie tibijpsi sapiẽtior & clarior. Erunt enim tua opera & per se iusta & laude digna, ut deus laudetur ab hominibus ea uidentibus.

5 Habe fiduciam in domino ex toto corde tuo, & ne innitaris prudentiæ tuæ.

Tota fiducia feraris in dominum, non metuas quòd uiribus tuis non sufficias obseruare mandata dei, fide iustificaberis, si toto corde illi credideris, non solũ ore confitearis. Corde enim creditur ad iustitiam. Non ponas fiduciam in te, uel in quoscunque homines, etiam sanctos, sed in solũ dñm, cui toto corde adhæreas, qui omnia tua nouit solus, unus tibi sufficit abunde, quem anxij sanctorum inuocatores tantũ seruiliter timent, quos duos ceu clementiores interponunt salutis suæ interpretes, quorũ meritis & gratia promereãtur misericordiã patris, qui scit longe certius, imò solus nouit quibus indigeamus, & certißime promisit confidentibus ac humiliter petentibus. Et ne innitaris prudentiæ tuæ: exponunt, Ne præponas sensum tuum patrũ decretis, cum nihil hic dictũ sit de patrũ traditionibus, sed de timore dei, & de sapientia diuinæ legis, illis non debet homo præponere dictamen, ut putat, rectæ rationis suæ, propriũ sensum, argumenta sapientiæ carnalis, sed simpliciter adhærere uerbis dei, fide firmißima, captiuare intellectũ humanum in obsequium uerbi dei & Christi, id solum bonũ credendo & uerum, quod dño placere nouit, non quod sibi uidetur. Incomprehensibilia enim sunt iudicia eius, & in illius operibus non simus curiosi, sed mandata illius simpliciter ac humiliter reuereamur, etiam si causas minime assequamur cur uelit. Non enim serui est inquirere causas præceptorum à domino, sed alacriter & simpliciter adimplere mandata à domino.

6 In omnibus uijs tuis cogita illum, & ipse diriget gressus tuos.

Assuesce quicquid egeris, semper cogitare deum, ne aliter uel aliud agas q̃ quod & quomodo uult deus. Ipse enim est qui recta facit, dirigit, prosequitur & absoluit bona opera tua, si te ei credideris, cuius prouidẽtia subsistis, qui uias tuas bonas & malas dirigit. Cui etiã malũ tuum non officit, sed seruit, dum tu interim peccas, luis, & punieris digne, etiam tuo proprio iudicio, alijs denique electis proficis malo tuo in gloriam dei, cui omnia seruiunt. Cogitare deũ semper

7 Ne fis sapiens apud temetipsum. Time dominum, & recede à malo:

Nolis iuxta proprias uias tuas uiuere, humanis traditionibus deo seruire, & decreto rationis tuæ quicquam melius ordinare uelle q̃ Deus optimus maximus. Sapientia tua sit ipsa lex dñi, uoluntatis diuinæ dispensationem noli uelle iuuare uel calumniari, nisi cupias periclitari. Humiliare potius sensu & iudicio tuo, & imperscrutabilia iudicia dei & iusta uenerare & reuereris, ut paueas ad omne malũ, nolens displicere patri & creatori, sed assiduũ bellũ geras cum uitijs & concepiscentijs naturæ tuæ corruptæ. Vera enim sapientia est timere deũ, præsentiã dei semper & ubiq; cogitare & credere, pauere malum quod illi displicet, pientissimo patri, quem nefas sit offendere. Humiliter sentire.

8 sanitas quippe erit umbilico tuo, & irrigatio ossium tuorum.

Sicut sanguis & humidum radicale ossiũ medullas irrigat, et robur iustum confert, ad legitimas membrorũ functiones, sanitas quoq; stomachi corpus conseruat incolume, & perfecta digestione reficit ac instaurat deperdita. Sic timor dei carnis concupiscentias sanat, & domat libidinẽ, ad uirtutũ quoq; opera perfecta inuitat perducitq; animã sapientis et electi. Simplicius dici potest, Cura diligenter, ut ingluuie & à crapula à sanctis operibus non impediaris. Caue ne quando grauetur cor tuum crapula & ebrietate, non comedas ad gulam, sed quod prosit stomacho, & bonæ ualetudini, bibasq; ad necessitatem naturæ, non ad repletionem & furiam. Non hortatur ut cibo & potui insistatur, sed ut sanitati prospi- Temperantia.

ciatur: instituit enim mores fidelium.

9 Honora dñm de tua substantia, & de primitijs omniũ frugum tuarũ (da pauperibus:)

Eleemosyna. Sentias ac profitearis omnia quæ possides te habere ex dei mera gratia, ac prouidentia sancta. Id fiet, cum ea ad honorem dei, nõ tuum fueris indigentibus elargitus, eleemosynã dando, non ex raptu uel alienis, sed de proprijs ac iuste acquisitis, de primitijs omnis prouentus tui, omnium quæ tibi terra dei dono produxit. Non dicit tantum decimas uel quintas, aut uigesimas, sed quantum potes, & proximus reuera indiget, & de melioribus, non cum fraude uel displiciẽtia. Da pauperibus addit nostra translatio, quod in Hebræo non legitur. Id uoluit & præcepit alio loco deus in Deutero. 19. ad longum.

10 & implebuntur horrea tua saturitate, & uino torcularia tua redundabunt.

Magnam rerum abundantiam affuturam promittit illis, qui de bonis suis indigentibus largiuntur, qui legitime persoluunt decimas uel primitias secundũ legem, ut præcepit. Et adhuc hodie uult dñs ut detur cui dandũ. Et pro tẽporalibus, præmia sanctis æterna et plena promittit. Cœlestes thesauros, quo reponuntur fidelium ueræ diuitiæ, imò misericordiæ dei dona. Satiabuntur enim cum gloria dei apparuerit. Vino internæ suauitatis corda sanctorum perfundentur & recreabuntur. Doctores fideles quanto profusiores fuerint sacra docendo, tanto uberius sapientia diuini spiritus implebuntur.

11 Disciplinam domini, fili mi, ne abijcias, nec deficias cum ab eo corriperis:

Si dominus deus, qui idem pater quoq; tuus, te erudierit castigãdo aduersitatibus, uel propter peccata tua, quibus non cares, correxerit, ne impatienter feras, non despicias, non iniuriam tibi fieri arbitreris, non ut iniquum dñm abomineris. Increpationẽ suam non abhorreas, non exonerare te ab illa cogites: sed fer omnia patienter, manum pij patris & domini necessariam tibi puta, ne pusillanimitate frangaris, non fato adscribas, sed dei circa te prouidentiam agnoscas, & gratias agas.

12 quem enim diligit dominus, corripit: & quasi pater in filio complacet sibi.

Correctio piorum. Correctio indicium est amoris, cum non patitur pater errare filium. Ego, ait dominus, quos amo arguo & castigo, Apoc. 3. ad Hebr. 12. Flegellat deus omnẽ filium quem recipit. Vtiliora nobis esse nouit dominus aduersa quàm prospera. Humiliant enim corda hominũ, & reddunt sibijpsi: monent inuocare patrẽ, cuius tunc recordari incipiunt: impediũt sæpe ab opere peccandi, Christo conformant, & præparant pietati: & sicut pater filium amabit, cuius profectum per omnia quærit, amanter resipiscere docet, exercet, & idoneum reddit percipiendæ hæreditatis paternæ. Pauẽdum igitur illis malis, quibus in hac uita omnia pro uoto accidunt, sine cruce uiuentibus.

13 Beatus homo qui inuenit sapientiam, & (homo) qui affluit prudentia:

Nemo beatum iudicet cui pro uoto cuncta contingunt, quandoquidem filios suos deus corrigit afflictioni bus. Sed uere beatus est, qui sapientiam diuinæ legis & amorem studiumq; perficiẽdi percepit, cui dñs gratuito aspirauit agnitionem uoluntatis suæ, quam non suis uirtibus assequitur homo, sed inuenit, prouidente deo, & inspirãte spiritu sancto. Et homo qui hauriet intelligentiã, qui die noctuq; in lege dñi meditabitur, alterũ discet ex altero, proficiet indies studio sancto, nõ solum inueniet, sed & alijs accepta proferet & cõmunicabit in gloriam datoris, & ad proximi obsequium ac salutem.

14 melior enim est acquisitio eius negotiatione argenti, & auro primo fructus eius:

15 pretiosior est cũctis opibus: & omnia quę desiderantur, huic non ualent comparari:

Cum tantopere insistant negotiatores ad comparandum sibi argentum & aurum de remotißimis & abstrusißimis locis, multo periculorũ incommodo: multo magis studendum est sapientiæ assequendæ, quanto spiritualia & æterna meliora sunt corporalibus & caducis. Diuitiæ electorum, merces sunt regni cœlorum. Quicquid in rebus creatis pretiosum concupieris, isti sapientiæ æquari non poterit: omnia enim transeunt, & amitti facile contingit, longe inferiora ueræ sapientiæ. Præposui, inquit, eam regnis & thronis, & diuitias nihil esse dixi comparatione illius. Non comparaui illi lapidem pretiosum, & omne aurum in comparatione illius arena est exigua, & tanquam lutum æstimabitur argentũ in conspectu illius, Sap. 7.

16 longitudo dierum in dextera eius, & in sinistra illius diuitiæ & gloria:

Sapientiæ præstantia. Exponunt quidã, Sapientiam amatam & acquisitam præstare plurimum omnibus pretiosis, in prosperis & aduersis, in præsenti sæculo & futuro. Simplicius interpretabimur, Sapientiã præstare longæuitatẽ uitæ, quam ambiũt omnes, ut salubriter uiuatur & diu. Pij enim bonis omnibus huius uitæ modeste utũtur, cibo, potu, exercitio, amabiliq; uictu. Vel diu uiuunt si prosit ad felicitatem uerã, uel periodũ uitæ in pace percipiũt conscientiæ, alacriter dño uitam repetenti acquiescentes, & sponte offerentes, semper tranquilla cum fiducia depositionem sui corporis sperantes, potius q̃ timentes. Suauiter tales uiuunt, etiã in medijs mundi calamitatibus. In sinistra illius diuitiæ et gloria sunt, minus hæc sunt reputata pijs: non enim tam ab arbitrio nostro pendent q̃ alieno, facile ea uolentes amittimus, laboribus acquiruntur, multa solicitudine seruantur. Fidelibus tamen non desunt, qui uere diuites sunt, paucis contenti, pluribus liberaliter utentes, domini suarum rerum, nunquam egentes, dilecti & honorabiles deo & hominibus bonis: patet de patriarchis, prophetis, apostolis & sanctis omnibus.

17 uiæ eius uiæ pulchræ, & omnes semitę illius pacificæ:

Suauitas sapientiæ. Vere sapientes suauiter uiuunt etiam in diuitijs, utilia semper & honesta cogitant, loquuntur & agunt, in omnibus creaturis de dei sui bonitate iucundantur, omnia illius iudicia placent: quam interim stulti ut mare semper ferueant, magnis multisque molestijs nunquam hic careant. Si, inquit, semitas sapientiæ fueris assequutus,

assequutus, & quò perducit ipsa incesseris, non periclitaberis anima, corpore, rebus & fama, sed pacem inuenies in omnibus, gratus bonis, ab impijs domino custodiente saluaberis, ac æterna omnium bonorum fruitione quiesces.

18 lignum uitę est is qui apprehenderint eā: & qui tenuerit eam beatus.

Cognitio & fides uerborum dei facit immortales & amicos dei, & per dei gratiam restituit, quod primi parentes per infidelitatē & inobedientiā sibi & posteris amiserunt. Docet enim Christum dei sapientiā, quæ est uita æterna, ut cognoscāt te uerum deū, & quem misisti Iesum Christum. Alludit ad lignū uitæ perditum peccato primi hominis, beatitudinem scilicet naturalem, in uera iustitia fidei & morū, quæ nobis restituitur per studium & sapientiam uerbi dei, & sacræ scripturæ Christi fide & iustitia: fructus enim illius arboris multi sunt. Sed addit, Apprehendentibus, qui eam fuerint assequuti: non iactātibus uel etiā spernentibus sapientiam, sed qui eam magis ac magis esuriunt, qui illius honestatem & suauitatem gustauerint, qui illi innituntur eaipsa beatificati habentur & felices.

19 ¶Dominus sapientia fundauit terram, stabiliuit cœlos prudentia.

Non fortuitu uel à seipsa cœpit esse terra, sed uerbo suo fundauit eam infinita dei sapientia & uirtus, deus creator omniū. Habitationē eam fecit hominibus admirabilem, opportunā ac utilem, fundamentū mundi et centrum hominis prospectui prostitutū, speculum clarū incomprehensibilis sapientiæ diuinæ. Cœlumq; disposuit in intelligentia: iuxta beneplacitū suum influere iussit in hæc inferiora infatigabiliter, quo rerum ordo ab æterno prædestinatus subsistat, quē solus nouit, quē omnis creatura nequeat prohibere, sed iuxta dei legem sustinere debeat & reuereri. Ex affectibus autem nobis nota fit nobilitas terræ, nos homines generādo, alendo, fouendo, potando, conseruando uiuos & mortuos, syluis, arboribus, fructibus, animalibus: omnia per dei sapientiā ordinata sunt ad hominis obsequium, in quibus quoque omnibus creator eorum cognosci possit ab homine, qui & solus uult coli, à quo sunt hæc omnia, & maiora.

20 Sapientia illius eruperūt abyssi, & nubes rore concrescunt.

Opera naturæ nobis imperscrutabilia solus perfecte nouit qui condidit: quomodo aquarū abyssi naturaliter petentes terræ superficiem, à terra absorbentur, & denuo ebulliunt ac crumpunt de infimis uallibus & montium iugis, & ex ipsa deniq; nubium ac ætheris altitudine guttatim defluunt, terramq; impinguant. Sūt autem, ut hoc loco Iudæi tradūt, duo fundamenta sapientiæ, credere deum omniū creatorē, omniaq; geri dispensatione prouidentiæ suæ, qui omnia gubernat ac ordinat in infimis & supremis, terra scilicet & mari, aëre & cœlis, quæ omnia consilio sapiētiæ suæ regūtur atq; subsistunt.

21 Fili mi, ne effluant hæc ab oculis tuis. Custodi legem atq; consilium:

Admonet sanctus spiritus, ne hæsitemus circa hæc duo fundamenta pietatis & fidei, sed attentissime semper præ oculis teneamus Deum creatorem ac moderatorem omniū quæ sunt & fiunt in hoc mundo, ut hac fide subsistamus in omnibus huius mūdi tentationibus & euentibus. Vide, inquit, firmiter hæc credas, non cuncteris deum esse omnium creatorem. Caue autem ne surrepat cogitatus, deum super cardines cœlorum ambulare, non nostra cogitare, ne illudat tibi sensus carnis qui mortem operatur, ne astutia intellectus tui inuoluat te mendacio & blasphemijs gentilium, qui prouidentiā dei irriserunt, potius quàm improbauerunt. Articuli fidei.

22 & erit uita animæ tuæ, & gratia faucibus tuis,

Iudæis uidetur referri debere ad fidem duplicis articuli, de creatione & prouidentia, illos si iuxta legem & doctrinam dei crediderīs, & in his duobus sapiens fueris, ipsa uiuificabunt animam tuam & seruabūt: ea fide uiues gratiā & fauorē dei obtinebis, feliciter uiues, dño semper & per omnia commendatus, fructuose loqueris, gratus deo & hominibus: cauebis enim ab omni fœdo uerbo & opere, ueritus semper præsentiam dei omnia gubernantis, scientis, insipientis, & indignationem: sed per omnia magis deo complacere conaberis creatori, & probari rectori tuo.

23 tunc ambulabis fidutialiter in uia tua, & pes tuus non impiget:

Omnis reliqua eruditio humana non te à peccato præseruabit, nec liberabit à damnatione, sed si uerbū dei agnoueris, si sapientiā fidei de deo conditore & omniū iudice didiceris, tunc proficies ad omne bonū, à peccato cauebis, ambulans ad lucernā uerbi dei, quam pedibus ambulantiū in tenebris bonitas dei parauit fidelibus, ne impingant affectionibus pedum, & ad mortē labantur. Sola enim lex dñi certū reddit hominē de uere bonis operibus, quandoquidem illud solum bonum, quod domino placitum est & gratum, cuius certitudo non ratione humana, sed uerbo dei accipitur.

24 si dormieris, non timebis: quiesces, & suauis erit somnus tuus.

Fidutia in deum, & quieta conscientia semper tutus eris: non te hæc fides & scientia salutaris sinet terreri iudicijs dei, non anxius timebis dæmones die uel nocte, nullis tibi insomnijs illudere poterunt, sæua te non perturbabit conscientia, tutò dormies, bene tibi conscius. Mortis quoq; somnium sine trepidatione suscipies, ac in beatarum animarū consortio cum Christo uiues in parata sanctis beatitudine. Si ingruerit subito aduersitas non pauebis, certus te habere deum propitium & protectorem, prouidentia sua tibi semper præsentem, ut oculi sui pupillam te custodientem. Si tota te impiorū cohors adoriatur suo tumultu, tutus tamen eris. Quis enim præualebit aduersus electos dei? quibus omnia seruiunt ad salutem, quos oculi domini contemplantur, & aures eius in preces eorum. Quies conscientiæ bonæ.

25 Ne paueas repentino terrore, & irruentes tibi ruinas impiorum,

26 dominus enim erit in latere tuo, & custo

diet pedem tuum ne capiaris.

Dominus erit fatum tuum, conſtellatio, & influentia, fortuna, fidutia, robur & ſpes tua, in quo firmiter conſiſtere audeas contra omne malum, periculis tuis præcauebit, non ſinet irretiri cõpedibus animæ & corporis, non te capi ſinet, non peccabis ad mortem, quòd dominũ habeas gratioſum.

27 Noli prohibere benefacere eum qui poteſt: ſi uales, & ipſe benefac.

Dona dei nõ ſint otioſa.

Tantum abſit ut à bono indigentibus faciendo quenquam impedire præſumas, ut tu quoq; memineris à domino tibi commiſſum, ut benefacias quibus potes, pro facultate manus tibi data à domino. Ne ſit otioſum penes te munus quod à domino ſuſcepiſti, ſed lucrum & uſuram illi reponas, qui cõmendauit tibi ſeruo ut ſis fidelis, gratiam gratis datam, ut ea negotieris, tanto maiora recepturus bona, quanto fueris in erogando pro gloria dantis ſtudioſior. Iudæi exponunt, Diſcipulum capacem & dignum eruditione non negligas, quo minus legis intelligentiam, & myſteria abſtruſiora illi concredas, ſi poteſ. Verum diligenter conſidera, ne porcis margaritas proijcias, ne altiora dogmata committas indignis.

18 Nec dicas amico tuo, Vade & reuertere, & cras dabo (*tibi*) cum ſtatim poſſis dare.

Dandum hilariter.

Non ſolum dandum docet, ſed cito & liberaliter, non ex neceſsitate. Hilarem datorem diligit deus: &, Bis dat qui cito dat. Proximum autem nominat, qui te amicum putat, qui fidutiam habet in charitatem tuam, qui mallet dare tibi quàm accipere, qui indiget re tibi non neceſſaria, neq; tuis. Cuius tu opera aliquando poteris indigere, cuius curam tibi deus quoq; mandauit. Beneficentiæ & communicationis ne obliuiſcamini. Inſtanter operare quicquid facere poteſt tua manus. Si non ſit tibi quod petitur, uel nolis dare, ſaltem non ſpe uana lactes miſerũ poſtulantem. Sis liberalis & pius, non difficilem te prodas, moras nectendo, roganti pudorem obfundendo, ut bis emere beneficiũ ac nimis care cogatur: ſed ſimul animum beneficum cum fœnore tribuas, & duplo benefeceris, Cum beatius ſit dare, quàm accipere.

29 Ne moliaris amico tuo malum, cum ille in te habeat fidutiam.

Inhumanum fuerit reddere malum pro bono: etiam in bono malum uincendum eſt. Quamlibet malus ſis & iniquus, illi ſaltem non ſis iniquior, qui te fidelem & pium putat, amat & colit, ſibiq; perſuaſit te bonũ eſſe. Quin ſi peßimus ſit ille, tu tamen illi malus non ſis, qui tibi in bono confidit. Improba fallacia eſt, imponere confidenter nobiſcũ agentibus, & amici hominis fidutiã eludere.

30 ¶Non contendas aduerſus hominẽ fruſtra, cum ipſe tibi nihil mali fecerit.

Contẽtio fugienda.

Monet ne quis ſit contentioſus, nulla uel leuicula cauſa exaſperetur, non laceſsitus inferat iniuriã, non prouocatus nocere cupiat uerbo uel opere. Chriſtus aũt perfectiora docet, ut etiam inimicos diligamus, benefaciamus his qui malefaciunt nobis, & uincamus in bono malum, alteram maxillam præbendo percutienti unam, utq; magis iniuriam pati parati ſimus, quàm uel etiam iudicio

litigemus, patientia uincamus hoſtes: tantũ abſit, ut bene nemerentes uel innoxios affligamus. Iudaicam gentem conſtat ſæuam, intractabilem, immitem, & crudelem ferè ſemper fuiſſe, uix amicis beneficam: ideo docetur, ut modeſtiam & manſuetudinem amplectatur, ne malum reddat pro non malo, ne litiget cum pacificis, ſed pacem æmuletur.

31 Ne æmuleris hominem iniuſtũ, nec imiteris uias eius:

Nolis iniurioſo & uiolenti ſimilis fieri, non ſcandalizeris, nemini male loquaris uel facias, ſed paſſus iniuriã non par pari rependas. Nihil omnino ſimile ei admittas, ſed quod in alio malum offenderis, tu ſummopere caueto, conſortio impiorum abſtineas. Exemplum impietatis non ſequaris. Quod improbare ut impium et improbum in alio te cogit ſynceritas conſcientiæ tuæ, hoc operis conſenſu nolis approbare. In omnibus, ait, uijs ſuis. Tutũ eſt enim talem uiolentum & oppreſſorem prorſus uitare, & conſortio renuntiare omnino, ne ut tacer irrepat impietas.

32 quia abominatio domini eſt omnis illuſor, & cum ſimplicibus ſermocinatio (ſecretum) eius.

Damnatus eſt diuino iudicio omnis qui ſe ab amico auertit per odium, & ſine graui & neceſſaria cauſa incipit perſequi quem amauerat, qui malum meditatur ei, qui ſe putat diligi & bene ſperat. Reuelat autem ſecretum ſapientiæ ſuæ deus manſuetis, & charitatem proximo oſtendentibus, ut quæ ſibi uolunt fieri alijs exhibeant, qui nulli malum uolunt, omnibus prodeſſe cupiunt, dei beneplacito ſtudent, ſapientes effecti per legem dei.

33 Egeſtas à domino in domo impij: habitacula autem iuſtorum benedicentur.

impiorũ ãs tus.

Impiorum hominum familia, poſſeßio, conſcientia, fortuna, ualetudo domini maledictio eſt, etiam ſi temporali proſperitate felices uideantur: proficiunt enim improbi nonnunquam in impietate ſua, peccatiq; peccata accumulant, deum non ueriti uel credentes, ſed & famelia tota inſoleſcit, & indies augetur impietas, donec crebra ſcat uindicta dei, & iudicij tarditatem pœnarum grauitate compenſet. Conſciẽtiæ quoq; domus in impijs maledicta eſt, ut bonitatem dei agnoſcere non poſſit, & ea pax non ſit gratiæ dei, quam nec credit nec optat, creaturas potius & idola cordis ſui quàm creatorem obſeruat. Habitatio autem iuſtorum benedicetur: quamuis habet modica & deſpecta ſint tabernacula & caſæ piorum, in illis tamen benedictio erit, prouidentia dei ſuccurrit, & proſperari facit, & bonis replet.

34 (*Si*) ipſe deludet illuſores, & manſuetis dabit gratiam.

Contemptores dei, uerbi ſui, prouidentiæq; & gratiæ, qui proprijs nituntur uiribus, & impune peccare ſe putant, hos duro iudicio ſuo opprimit, damnat, & confundit, aliquando uolentes nolentes cogit confugere ad ſe, ut Pharaonem, ferreq; pœnam contemptus, ſeróque pœnitere & ſine fructu, alijs in exemplum. Humilibus autẽ, manſuetis, afflictionibus humiliatis dabit deus gratiam

liam, qui propriam agnoscũt miseriam, pro peccatis dolent, affliguntur timore iudicij diuini, humiliter dei auxilium & clementiam implorant, necessitates suas domino commendant, à quo pendent: illis gratiosus est, benefi cus, misericors & præsens in angustijs.

35 **Gloriam sapientes possidebunt: stultorũ exaltatio, ignominia.**

Insipientes gloria indigni sunt, ea abutuntur, peiores fiunt, cito amittunt, agnita ab hominibus eorum stultitia. Sapientes uero reponunt honorem deo, cui gratiam habent & humiliantur, non alta præsumunt: ideo à domino exaltantur, conseruantur, honorantur, hic & in futuro spectabiles deo & hominibus. Est autem hæreditare, possidere proprio & perpetuo iure & perfecto, dum interim stulti alta petant, & efferri gaudeãt honoribus, quorũ indignitas tanto fit patentior, quanto peruaserint notiores uulgo.

CAPVT IIII.

1 **Audite filij disciplinã patris, et attendite, ut sciatis prudentiam.**

Instruit Salomon iuuentutem, ut parentibus obedienter & reuerenter acquiescat, uel ipsa paterni nominis appellatione admonita, qui non possunt non esse de filiorũ profectu in moribus soliciti. Interim patres monet, ut disciplinam & necessariam correctionẽ non intermittant, instando opportune, importune, arguendo, obsecrando, increpando in omni patiẽtia & doctrina, dum adhuc capere adolescentes possunt, erit enim tempus cum illud non ferent. Nec solum autem audiant auribus, sed multo magis corde & assidua meditatione attendant, ut intellectũ uerũ ac rationabilem iustitiæ & æquitatis assequantur, prudẽtes fiant in bono, in rebus necessarijs erudiantur. Monet quoq; per indirectũ, doctores habendos ucie parentum à discipulis. Quod si quis patris disciplinam respuerit, quis illi idoneus præceptor apponetur?

2 **Donum enim bonum tribuam uobis, legem meam ne derelinquatis:**

Quæ ad religionem pertinent doceo uos, ad animæ salutem, quæ deus scienda præcepit & facienda: nempe utilia, necessaria, non curiosa, uana uel impia, ideo uilipendere ea non est æquum, sed cum reuerentia amplecti & auide. Nolite negligere doctrinam ac legem quam doceo, quam spiritu sancto reuelante didici. Non attendite Philosophis gentilibus extraneis, cõtraria doctrinæ meæ docentibus. Mihi regi uestro à deo uobis dato, & patri consentite & obsequimini, qui optime uobis uolo, quẽ spernere non licet, q. non sit tam mea q̃ illius qui reuelauit. Nulla est doctrina bona nec lex syncera, nisi quæ per spiritum sanctum data est, ut Salomonis.

3 **nam & ego filius fui patris mei, tenellus, & unigenitus coram matre mea:**

Præ alijs multis filijs patri meo charior, inq; timore dei ac sapientia reuelata regimini sancto necessaria instructior, ut præ alijs, licet ultimo genitus, ob sapiẽtiam hæres bonorũ uerorum electus sim à patre, dño prouidente, adhuc tener ac admodũ iuuenis. De quo Dauid dicebat, 1. Paralip. 28. Salomonem filium meum elegit dñs adhuc puerum ac tenellum. Vnicum matri suæ, id est, amantissimũ. Quæ mater licet filios adhuc tres haberet ex Vria, qui inter Dauidis filios supputantur, & nõ circuncisum ex Dauide mortuũ, unicus tamen dicitur matri suæ, quia unice teneriusq; à matre amatus. Filij Dauidis ex Achinoe, Amnon, ex Abigail Daniel, ex Maacha Absolom, ex Agit Adonias, ex Abital Saphatias, ex Egla Ietraham, ex Betsabee Symmaa, Sebab, Nathan, Salomon, præter alios, de quibus 1. Paralip. 3.

4 **& docebat me, atq; dicebat, Suscipiat uerba mea cor tuum, custodi præcepta mea, & uiues.**

Patrum est docere filios, & qui docent patres nominantur, & honore parentibus coæquantur. Omnũ maxima cura parentibus incumbit liberorum institutio, satius longe est filijs carere, q̃ insolentes cernere, uel post se relinquere. Docuit mater filũ ac pater Dauid, ut consequenter uir factus & regni successor, alios quoq; doceret uiam dñi. Filiorum item est, attente discere, credere, acquiescere, obseruare, magnificare, & memorari uerba maiorum legem dñi inculcantium, quæ sola necessaria est & sufficit ad uitam. Si uis ad uitam ingredi, serua mandata dei. Officia filiorum.

5 **Possidе sapientiam, possidе prudentiam. Ne obliuiscaris, neque declines à uerbis oris mei.**

Discas dei uoluntatem, & eme à dignis magistris diuinæ legis intelligentiã, memoriter cogites semper quæ dominus mandauit. Neq; deseras propter quascunq; doctrinas alias aut disciplinas sæculares uerbum domini. Non transgrediaris quæ præcepi, noli tibi quasi meliora proponere, audias quid os dñi loquutũ sit. Non amor huius mundi & tẽporalis utilitas te impediat. Non proponas quemcunq; doctorem uerbo meo. Omnis homo mendax. Verbum domini lucidum illuminans oculos. Si declinaueris, morieris: si seruaueris, uiues. Elige quod placet, & quod placere mihi intelligis.

6 **Ne dimittas eã, & custodiet te: dilige eam & conseruabit te.**

Si damnis animæ & corporis uelis eximi uel liberari, sapientiã diuinæ legis non auerseris, non cesses de illa iugiter cogitare, eius quoq; obseruantiã anhelare, & pro uiribus orãdo conari. Non uulgariter diligas, sed impense ames, ut optimã, necessariam ac diuinã, tametsi contra carnem & sanguinem militet, peccatores cõstituat, non dum filiorũ adoptionem assequutos. Non enim seruare te poterit, nisi amata & ex fide, deuotione, dilectioneq; seruata, alioqui mortem operabitur & damnabit.

7 **Principiũ sapiẽtię, possidе sapientiã, & in omni possessione tua acquire prudentiã:**

Omnibus sæcularibus disciplinis præferas sacram eruditionem, scientiam diuinæ legis, timorem dei, & cognitionẽ creatoris. Sæpe replicat, ut maxime necessariũ et factu difficillimum mundanis ingenijs, et sæculariter doctis, sibijpsis placentibus. Intelligentiã quoq; rerum sacrarum & prudentiã spiritus præponas omnibus fortu- Sacra eruditio alijs præferenda.

næ donis, diuitijs, possessionibus. Sanctitatem uitæ eruditioni sacræ præuiam esse oportet. Quandoquidē in maleuolam animā non intrat sapientia. Iudæi exponūt, Vt potius boni esse studeamus quàm docti, & sacram eruditionem uenditis omnibus comparandam. Aliter, Primū, sit à doctore sacra discere, deinde diu & diligenter audita meditari, tandem apud teipsum promouere magis, & rationes auditorum perquirere & ratiocinari, ut perfectius intelligas, & positis docere alios.

8 arripe illam, & exaltabit te: glorificaberis ab ea, cum eam fueris amplexatus:

Si sapientiam legis Dei appretiatus fueris pretiosam duxeris, & anxie fueris assequutus, ipsa te bonum, sapientem, deo & hominibus gratū & spectabilem reddet. Itaq; eam solū fecteris, opta, perquire, æstima, ut à dño qui eam donat exalteris. Et si eam fueris amplexatus, et quasi collo sponsæ adhæseris, & præ mundi delicijs amaueris, ipsa te glorificabit uera ac honesta gloria, moribus ornatißimis instituet, bonis ditabit perpetuis. Cum interrim irrisores confundentur, indocti errabunt, & erroris sui pœnas luent, hic & in futuro.

9 dabit capiti tuo augmenta gratiarum, & corona inclyta proteget te.

Ornatißimis moribus & sensuum uenustate reddet te gratum omnibus. Audebis sine confusione congredi sapientibus, & à talibus dignum honorem assequeris, quibus pro timore dei probaberis, & dedecus uitæ ac famæ non incides, sed digno honore prosequeris.

10 Audi fili mi, & suscipe uerba mea, ut multiplicentur tibi anni uitæ:

Repetitio in sacris.

Inculcatio frequens & repetitio rei utilis & necessariæ, familiaris est color & cōsuetudo scripturæ, pro affectu suscitando, trahendo, persuadendo, maxime opportunus. Non, inquit, dißimulanter audias, sed amanter et studiose animaduerte, non aliorū, sed mea uerba, ut longo tēpore uiuas feliciter, pericula uitæ et famæ euadas. Erunt tibi dies tui læti, iucundi, suaues & felices, non miseri, uani, tædiosi, et pernitiosi. Periodū illarū à dño & natura tibi institutā assequeris, fama honestatis post fata uiues apud probos, æternaliterq; cū sanctis beatus eris.

11 uiam sapiētiæ mōstraui tibi, & duxi te per semitas æquitatis:

Certa & infallibili doctrina te imbuam, in uiam ueritatis inducam, in eadem te dirigam ne aberres. Verbum dei est uia sapientiæ & semita recta, quanto de ea declinamus, tanto erramus & oblique incedimus. Non nostra intelligentia tuto incedere possumus, necesse est spiritu dñi & eius gratia deducamur humiles & fideles.

12 quas cum ingressus fueris, non artabuntur gressus tui, & currens non habebis offendiculum.

Si per uias sapientiæ ambulaueris, quam ego tibi ostendam, non incides difficultates, pericula, errores, sed tutò incedes, certi & firmi erunt passus tui, sine offensione curres. Plana & facilis est uia quam ostendit uerbū dei. In hominum autem traditionibus & inuentis occurrunt innumeræ difficultates, scandala, errores & con-

Humanæ traditiones.

scientiarum pericula & laquei, quibus implexi magis quàm promoti fuimus. Dimisimus enim uerbum dei, fontem uiuum, aquas Siloe, uiam sapiētiæ, monita patris, et latronibus acquieuimus. Talia uidimus & sensimus ex summis iuris humani, maxime Pontificij, ex casibus conscientiæ quos uocauerunt: sic in factitijs ordinibus, & eorum innumeris constitutionibus, quum unica lex dei sufficeret ad conscientiæ serenationem & salutem animæ, & ueram sanctimoniam.

13 Tene disciplinam, ne dimittas eam: custodi illam, quia ipsa est uita tua.

Arripias ac tene fortiter quicquid tibi deus præceperit. Si correxerit te deus uerbo uel uerberibus, si malles iuxta sensum carnis liberari, cogita uerbū dei esse, quod euadere nemo possit, nō frangaris. Cogita pro tuo usu datam à domino tibi legem, sine qua uitam animæ & ueram non consequeris. Verbum enim dei est uia, ueritas, & uita, quo uiuimus & saluamur. Custodire illud, est nunquam obliuisci, etiam inter peccandum terreri eius memoria, & ocyßime ad pœnitentiam redire. Talis enim non ad mortem peccabit, sed resurget statim.

14 Ne delecteris in semitis impiorum: nec tibi placeat malorum uia:

Non asuescas moribus impiorum, non scandalum patiaris ex peccato alterius, non mentem subeat consortiari inique agentibus, non sis rerum diuinarum contemptor, non communices operibus eorum, non subsequaris malorum uestigia. Vel iuxta aliam interpretationem, nō tibi placeat, non te putes beatum, si impiorum more feliciter in hoc mundo uiuas. Verbū enim רשע & beatificare sonat, & greßibus incedere, uestigia imitari uel passus.

15 fuge ab ea, nec transeas per illam, declina & desere eam:

Cura diligenter segregari à societate malorum, procede in uia tua, quæ est mandatorum dei, & obmitte impios, uijs suis ambulantes. Sæpe idem inculcat ob maxima scandalorū damna, quibus multitudini peccantium contra conscientiam acquiescunt. Maximam uim habet authoritas & multitudo præuaricatorum, à quibus solo dei uerbo liberi euadunt iusti & electi, hoc omnibus moribus, personis, temporibus & legibus opponentes.

16 non enim dormiūt, nisi malefecerint: & non rapitur somnus ab eis, nisi supplantauerint:

Sicut sapientes & pij semper cogitant, & modis omnibus annituntur, ad proximis benefaciendum, quomodo miseris succurrant, cōsolentur afflictos, operibus sanctis incessanter incumbant, quo eos rapit amor dei, cui se totos commendant & concredunt: sic infideles & impij tantum cogitant de proprio commodo, de satiandis concupiscentijs per fas & nefas, de proximo incommodando, ut etiam noctes ducant insomnes, soliciti quibus modis pijs imponant & imalescant. Quibus parum est interdiu male operari, quin & noctibus ac inter somniandum obsunt, & quod factis plerunq; nequeunt cogitationibus optant. Vbi uidemus, quāta sit humanæ na-

Studia impiorum.

tura

ræ malignitas, ſapientia uerbi dei & fide deſtituta.

17 comedunt panem impietatis, & uinũ iniquitatis bibunt.

Rapina & dolo acquiſitis, innocentumq; & pauperum iniurijs ſeſe ſatiant impij. Quicquid comedunt uel bibunt impietas eſt, ſanguis pauperum, damnum proximorum. Sicut pij ſiue comedant ſiue bibant, uel aliquid aliud agant, omnia in laudem dei, & ædificationẽ proximi: labore manuum uiuunt cum timore dei, utuntur

18 iuſte acquiſitis, fide & ueritate paſcuntur.

Iuſtorum aũt ſemita, quaſi lux ſplendẽs, procedit & creſcit uſq; ad perfectã diem.

Clara, pulchra, utilis & iucunda eſt conuerſatio tota iuſtorum, & ſemita dicitur potius q̃ uia regia. Rarior eſt enim, propior & facilior ad patriam aſſequendam. Splendet ut lux, patet aſpectibus, iudicio omnium ſubiacet, non angulos ſectatur nec tenebras, patitur ſeſe intueri ab omnibus. Qui uero male agit, odit lucem. Splendet piorum lux coram hominibus, ut uideantur opera eorũ, proficit ſemper, quotidie ſeipſo illuſtrior euadit & me-
lior. lior. Viua enim fides, qua iuſtificatur, non eſt otioſa, operatur magna: quam qui habet illi dabitur, ambulabitq; de uirtute in uirtutem. Illuminat omnes qui domum ingrediuntur, ſuper candelabrum ſiquidem poſita lucet, non ſibi ſoli proficiens, ſed multis, uſq; ad paratũ diem, donec aſſequatur perfectam iuſtitiam, & decretam ſibi à domino beatitudinem, uſq; ad claritatem diuinæ cognitionis, & feruorem perfectæ dilectionis.

19 Via impiorum tenebroſa: neſciunt ubi corruant.

Contemnens lucernam ueritatis, uerbum Dei, neceſſe eſt oberret per tenebras, & impingendo cadat, neſciens quò uadat. Sapiens autem ſine offendiculo curret. Tenebræ & nebulæ ſunt omnes ſcientiæ humanæ, ratio naturalis, dictamen ſenſualitatis, in eis impij ambulant, & ideo offendunt, cadunt, errant & periclitantur, ſeſe dirigere non ualentes, & ſi ceciderint collidunmur, & reſurgere nequeunt. Semel tantum cadunt, non ſepties, quia nunquam reſurgunt.

20 Fili mi auſculta ſermones meos, & ad elo-
21 quia mea inclina aurem tuam:
ne recedant ab oculis tuis, cuſtodi ea in medio cordis tui:

Diligentiam commendat inquirendi uerbum dei, repetitis uicibus, ut rem omnium maxime neceſſariam, ne humana ſcientia abducamur. Non deſiſtas à lectione librorum ſacrorum, ſemper cogita uoluntatẽ dñi dei tui, lege & prophetis explicitam, & toto corde appretieris. Ex quibus ſpiritum uitæ ſpiritualis accipies, incentiua carnis extingues, ſenſuum morbos remedio huiuſmodi repelles, ne carnis uitia prædominentur. Legẽ dñi meditãtibus deuote, uitia nõ imputabũtur ad mortẽ, ſed co-
operabuntur ad bonũ reſipiſcentibus & pœnitentibus.

22 uita enim ſunt inuenientibus ea, & uniuerſæ carni ſanitas.

Non omnibus aſſunt eloquia dei, non omnes quærunt, pauciores inuenunt. Iuſtis autẽ uita ſunt, ſpiritus uitæ in illis datur, uerba mea ſpiritus & uita ſunt. Mortui ergo ſunt qui eis carent, qui fide non aſſequuntur.

23 Omni cuſtodia ſerua cor tuum: quia ex ipſo uita procedit.

Sæpe recolligas te & examines, quibus afficiaris cogitationibus, ne inania mediteris, de deo & ſcripturis ſanctis, malignas cogitationes diſpellas, & ubi propenſiores ſenſeris libidines, ibi memuneris diligentius obſtendum. Ex corde enim prodeũt corporis & animæ ſanitates, dum de bono theſauro cordis homo profert bona, & ex fide uerborũ dei procedunt opera ſancta. Nec his blandiamur uiribus noſtris, quaſi ex nobis uitam habeamus, ſed ut ſciamus ex hoc loco nihil probari deo, niſi quod ex animo iuſtificato fideliq; procedit, opera nihil probari ſine corde & affectu fidei in deum, quẽ non ex natura habet homo, ſed gratia dei donatur, ut inſit & agat.

24 Remoue à te os prauum, & detrahentia labia ſint procul à te.

Non aſſueſcas detractionibus deo odibilibus, noli à ueritatis ſcientia auertere proximum, omne mendaciũ & ſtultiloquium caue, ſis ſimplex, integer, uerax.

25 Oculi tui recta uideant, & palpebræ tuæ præcedant greſſus tuos.

Neq; ad dexteram reſpicias neq; ad ſiniſtram, directe incedas, proficiſcaris recta, & in anteriora te extendas. Ne ſis inſtabilis animo, uel gyrouagus oculis, uel uanus: quandoquidem uani hominis nuntius eſt indiſciplinatus oculus: ſed mature & grauiter incedas, auertens oculos à uanitate, oculum procacem & inſtabilem contineas, ne ſuperbus uidearis aut curioſus uel imprudens.

26 Dirige ſemitas pedibus tuis, & omnes uiæ tuæ ſtabilientur.

Appende ſemitam pedum tuorum, mature, circumſpecte & prudenter diſpone mores tuos. Non iactabundus in publico appareas, ut omnes tuæ uiæ firmæ ſint, ne in ceſſu pericliteris. Omnia tentanda docemur prudenter, & cum iudicio, ne temeritas et negligentia inuoluat periculis & caſibus. Solicite uiam à domino nobis propoſitam cõſeruemus, néue aliquid noſtro ſtudio & iudicio molianur, ſed in uia mandatorum ſuorum permaneamus, pro proſperis uel aduerſis non recedendum eſt à lege domini & iuſtitia.

27 Ne declines ad dextram neq; ad ſiniſtrã: auerte pedem tuũ à malo: (uias enim quæ à dextris ſunt, nouit dominus: peruerſæ uero ſunt, quæ à ſiniſtris ſunt. Ipſe enim rectos faciet curſus tuos, itinera autem tua in pace producet)

Gloſſa ordinaria. Declinat ad dexteram, qui ſibi uult arrogare quod iuſtus eſt, qui de ſuis uiribus præſumit, qui uult plus ſapere q̃ oportet. Declinat ad ſiniſtrã qui pro ſua fragilitate ſe deſperat ſaluari, qui ſtultitiæ famulatur, qui ſenſualitati obſequitur. Non declines à recto quacũq; de cauſa, quæ dominus præcepit hæc agas continue. Non reſpicias ad alia humana opera, quæ malæ ſunt, et à uia ueritatis retardant uel abducũt. Malum eſt nõ ſemp recta incedere. In uia dei ſtare, eſt retrocedere. Gloſſa ordinaria.

¶CAPVT V.

1 Ili mi, attende ad sapientiã meã, & prudẽtiæ meæ inclina aurem tuam:

Patris admonitio est ad filium, ut meminerit doctrinæ acceptæ, ac obsequatur, cuius uolũtatem præferat traditionibus extraneorum. Exponitur præterea ab omnibus de sapiẽtia à patre cœlesti in scripturis diuinis fideli tradita. Vult enim deus, ut extranea ab his dogmata nõ sectetur, rationesq; iudiciij humani contra fidem uerborum dei non admittat.

2 ut custodias cogitationes, & disciplinam labia tua conseruent. (Ne intenderis fallaciæ mulieris.)

Caue ne impius cogitatus & sacrilega opinio subrepat, et à sapiẽtia uera ac eloquijs dei te abducat. Cognitionẽ quoq; labia tua obseruent, ne aliud loquaris quàm ex ore meo didiceris, sed quæ proposui sine animi cunctatione credas & fatearis, ucrã scilicet scientiã dei & utilem. Loquere quæ tibi proposui, cõformiter ad uerba scripturæ. Hoc enim tutißimum erit: si enim id exigere Parisienses theologi. *ausi sunt Parisienses nostri theologi, ut ad certam regulam suam loqueremur, multo tutius erit uerbis dei eloqui dei ueritatem & sensum scripturæ.*

3 fauus enim distillans labia meretricis, & nitidius oleo guttur eius:

Meretricis blanditias uerbis et factis cauere docet adolescentem simplicem, & suapte natura procliuem ex ætate ad carnis illicita. Dulcia sunt, ut fauus uerba, & blanda ut oleum, quæcunq; sensus carnis suggerunt, dictamenq; naturæ & procliuitas. Verißißima meretrix Philosophia humana. *philosophia humana, & eruditio sæcularis, rhetoricis sermonibus blandiente, contra spiritum uitæ & fidẽ scripturæ. Videtur enim ratio naturalis deprecari ad optima, ut etiam audeat iudicare & inuertere uerba dei, & uerba colorare nouit, ut alliciat, placeat, detineat & capiat incautos, foris grata et ueri similia promittendo, sed ab amore æternorum seducit, & à uera sapientia.*

4 nouissima autẽ illius amara quasi absynthium, (& lingua eius) acuta quasi gladius biceps.

Habet libido carnis & amor meretricis subsequentes animi & corporis amaritudines, iacturam sensuum & rerum, pericula uitæ & famæ, odium dei & hominum, conscientiam peccati & nauseam operis. Sic quoq; scientia carnis animum implicat erroribus, conscientiam non solatur, sed reddit uanam ac stultam, repletam doloribus. Fidem enim & charitatem in deum irrident literæ sæculares, studia philosophorum, nec felicitatẽ præstant quam pollicẽtur, sed destinant orco, obnoxios morti corporis & animæ, nocent ueritate & falsitate, dum instant uel seducunt.

5 Pedes eius descendũt in mortem, & ad inferos gressus eius penetrant:

Periculosa Cudia. *Periculo uitæ meretrix imminet libidinoso homini, et quæcunq; mulier non uxor: & siue amet siue odiũ simulet, exitiale portentũ est libidinoso iuueni. Sic in spiritu uerbo dei copulata mens fidelis, si gentiliũ dogmatibus nimium sese accommodet, fornicabitur à fide, spe et charitate in deum, spirituali uita, succedet autem mors animæ & infernus. Incipient enim placere uanitates studiorum sæcularium, honor, gloria, & laus hominum, undè nausea sequitur pietatis, et omnium rerum diuinarum.*

6 per semitã uitæ non ambulant, uagi sunt gressus eius & inuestigabiles.

Semitam uitæ fortaßis expendet: quasi dicat, Omnino non curat talis mulier semitas uitæ, non cogitat nec uerétur pericula mortis, ideo de uita non est solicita, sed imprudens ac temeraria secum rapit iuuenem in pericula, fiumq; instabiles semitæ, id est, conuersatio, mores, studia, progrediendo de bono in malum ac peius, sine quacunq; firmitate boni instituti: tandem in profundam incidit ignorantiam, ut malum existimet bonum, & obliuiscitur creatoris et omnis honestatis, modo potiatur oblata libidine. Sic erroneæ doctrinæ ac hæreses, & sine fide eruditio sæcularis, stultitia fiunt & error corã deo, pernicioßus omni intellectui uerbum dei & sapientiam fidei deferenti.

7 ¶Nunc ergo fili mi audi me, & ne recedas à uerbis oris mei.

Monet fideliter sapientia & in tempore, ut audiatur, quam potius inquirere deberemus fugientẽ. Ipsa autem dei bonitas & gratia, tantopere ad bonum nostrum nos adhortatur, ne simus insipientes, sed ut uerbum dei uiuum & efficax arripiamus, quod dat uitam mundo. Sicut clauus clauo pellitur, & amor amore: sic immodicũ studium sæcularium literarum excludit non solum fidem & diligentiam in lege domini, sed simplicitatem scripturæ contemnere incipit, & charitatis opera negligere, sermonis elegantiã admirari in sæcularibus, potius q̃ ueritatis fructum & opera pietatis.

8 Longe fac ab ea uiam tuam, & ne appropinques foribus domus eius.

Principijs obstandum docet, & occasiones periculorum fugere, exemplo meretricis, quã præstat longius fugere, abhorrere prorsus, quàm comitem habere in uia, commiscere colloquia, cõfabulari, uel excipere mensa: quin & domus neutiquã ingredienda cum ea: est enim spurca & fouea latronum pudicis adolescentibus. Simile intelligendum de artibus prohibitis & superstitiosis, quæ ne à limine quidẽ salutãdæ sint, ne sacrilegia huiusmodi à lege dei prohibita, eo ipso quod prohibita sunt incipiant placere magis. Non enim cessant, donec admiratorem illarum in barathrum perditionis præcipitent. Sic & abominandæ hæreses contra fidem & bonos mores uitandæ docentur sub typo scorti.

9 Ne des alienis honorem tuum, & annos tuos crudeli:

Ne si cum aliena te muliere fœdaueris, acquiras filios non tuos, & possessio tua deuoluatur ad supposititios hæredes & illegitimos, & meretricis sectatores, et proci bonis tuis ditentur. Accipiunt enim & dant pro instabilitate & stultitia, solam libidinem affectantes, sine synceritate quacunque fidei uel amoris. Et annos tuos crudeli,

crudeli, exponis uitam tuam periculis & insidijs corrualium, quorum libidinem, iram & furiam capitis perculo sustinebis, & primis adolescentiæ tuæ annis occumbes imprudens crudelitate libidinosorum. Sub figura meretricis dehortatur quoq; à cultura idolorũ, qualis non cessat in hoc mundo, dum auari, ambitiosi, libidinosi, curiosi colunt sua idola, luxum, quæstum, fastum & stultitiam huius mundi, pro quibus uitam animæ profundunt & corporis.

10 ne forte impleantur extranei uiribus tuis & labores tui sint in domo aliena,

11 & gemas in nouissimis, quando consumpseris carnes tuas & corpus tuum,

Ne diuitiæ tuæ multis partæ laboribus ac curis, dispertantur lenocinio libidinosæ meretricis: postquam ditata te spreuerit, transferat in alios fructus anxietatum uiriumq; tuarum, id est laborum. Vel aliter in idem, Caue ne des diuitias tuas ignotis, infidelibus, impijs, & pro extraneis profundas labores tuos: familiam tuam & domesticos potius cura diligẽter, ne sis infideli deterior, ne senex et depauperatus sera ac inutili pœnitentia discrucieris, uidẽs tibi necessaria iã tua prodigalitate distracta in manibus aliorũ. Nec exhauriaris robore corporis et sensuum, ex luxu incidendo oculorum caliginem, cerebri uertiginem, nutationem membrorũ, exinanitionem succi naturalis & necessarij.

12 & dicas, Cur detestatus sum disciplinam, & increpationibus nõ acquieuit cor meũ,

13 nec audiui uocem docentium me, & magistris non inclinaui aurem meam?

In tempore te iuuenem admoneo, futuris ut prospicias incõmodis, ne sera pœnitẽtia perturberis frustra, & fateri tandem cogaris, Quanta pernicie posthabui toties à parentibus & præceptoribus inculcatam mihi disciplinam, honestos mores, timorem dei? Laxaui autem frena cupidini, licuit quod libebat, sine timore dei & hominum. Quod si quis me corrigere tentasset, æquanimiter non tuli, ex animo auersatus sum & contempsi monitorem. Hæc tempestiue cogitanda adolescentibus, præcauenda tanta mala. Is scopus totius libri, ut sancti mores ab infantia imbibantur, disciplinã ut ferant, & diligant honestatem, corrigentem syncere diligant, præceptoribus obediãt ut parentibus. Ex humanis literis multa huc & ad omnes huius libri sententias adduci possent ex poetis, oratoribus & philosophis, sed sufficiat hic nobis uerbum dei, reliqua eruditioribus olim cõscribenda committimus & speramus.

14 Penè fui in omni malo, in medio ecclesię & synagogæ.

Simplex sensus est, contemptorem sapientiæ periclitari de omni malo rerum animæ & corporis: quasi diceret, Parum abest, quin operiant me omnia mala, & incidam in totum malum, nedum cõscientia confusus, sed et odibilis omnibus, excommunicatus à sanctis, publico ecclesiæ iudicio damnatus. Tales enim libidinosi & adulteri traducendi & accusandi sunt coram ecclesia, & publico testimonio cõfundendi ecclesiastico ritu, ut inuerecundi pro nihilo habeant.

nioribus exemplar resipiscentiæ exhibeatur. Nunc autem pariter congredi audent scandalosi cum pijssimis, nec delectus est sanctorum ab impijs.

15 Bibe aquam de cisterna tua, & fluenta putei tui.

Non sis curiosus circa proximi uxorem, propria sis consorte contentus, de aquis furtiuis huiusmodi dulciori ribus pro opinione non bibas. Dicit autem cisternas pluraliter, quod licitum fuerit Iudæis multas habere uxores, ut soboles sancta fidelis populi augeretur. Et fluenta de medio putei tui, hoc est, semen benedictum producas de legitimo thoro, de uxore quam tibi coniunxit dominus, ut aliam non cupias neq; tangas. Quam fluenta nominat de medio fontis, ut signet puritatem affectus amoris inter coniuges necessarij, non in desiderijs concupiscentiæ uel libidinis, sed sit casta generatio cum claritate. Exponit Lyra: Bibe aquã sapiẽtiæ salutaris de cisterna tua, de sacra scriptura. Glossa interlinearis melius, Vtere desiderio propriæ uxoris & ministerijs eius. Hebræi exponũt de usu propriæ uxoris. Aquæ, inquit, furtiuæ dulciores sunt: adulterarũ lenocinia libidinosis maritis sunt gratiosiora. Amor coniugalis.

16 Deriuentur fontes tui foras, & in plateis aquas tuas diuide.

Filios tuos & filias in tempore nuptui publice tradas, & testimonio multorum, ne incommoda multa emergant, ut ex clandestinis nuptijs, semper exosis, assidue proueniunt: ut sis cum uxore tua uitis abundans in lateribus domus tuæ, & filij tui sicut nouellæ oliuarũ in circuitu mensæ tuæ. Non dixit, Trade filios tuos claustris, sed foras colloca, matrimonio iunge. Non contineas fontem, si natura expetierit prolis generationem, non prohibeas, non impotenter continere præsumas. Non uirginitatem uoueas, multo minus forniceris, sed crescas & multipliceris, non ad libidinem, sed ut pij hæredes & filij generentur, & succedat digna posteritas nepotum fidelium. Nuptiæ nõ differendæ nimis.

17 Habeto eas solus, nec sint alieni participes tui.

Sint tibi soli & non alijs tecum. Solus uxores habeas, nulli communices, sint tibi propriæ. Communi consensu adulterium prohibetur. Nostri exponunt: Aquas in plateis diuidimus, & tum solas habemus, quando & exterius uerbo late prædicationis fundimus, & tum per eas laudes humanas non ambimus. Immundi autem spiritus participes fiunt prædicatoris, si eius mentẽ corrumpunt quolibet uitio.

18 Sit uena tua benedicta, & lætare cum muliere adolescentiæ tuæ.

Non sit sterilis uis generandi filios, cum benedictione & timore dei uxorem possideas. Non abutaris ea pro satianda tantum libidine, & cum passionibus ignominiæ, pro gloria dei et beneplacito filios genera, uxorem ama, cum ea iucunderis, consentias, coniugij graues & innumerabiles molestias hilariter sufferas, à deo tibi iunctam consortem & auxiliatricem non spernas nec deseras, continentiæ et castitatis coniugalis nõ obliuiscaris, Castitas matrimonialis.

& quam adolescentulam amasti, non uetulã detesteris.
Fidei prærogatiuã serues, ut beata prole diteris. Libido insana & turpis semper & ubiq; reprehenditur. Casta autem generatio maximã cum laude claritatẽ à deo sortitur & hominibus. Vox dñi et sancti spiritus est, statum matrimonialẽ cõmendantis, qs illũ audeat reprehẽdere?

1 cerua charissima & gratissim⁹ hinnulus: ubera eius inebrient te in omni tempore, in amore eius delectare iugiter.

Adsit tibi insignis & honestus amor & iucundus ad honestam beneq; consentientem uxorem, sicut cerua & hinnulus diliguntur à ceruo. Cerua amorum dicitur, & hinnulus gratiæ, id est, gratiosus: proprietate linguæ pro amantissima & gratiosissima sponsa. Vbera id est, amores ex animo refrigerẽt te omni tempore. Tot mundi incommodis & matrimonialibus molestijs obrutus, solatium quæras ex amabili & honesta uxore, de illa recreeris, uitaeq; fastidia leues. Nihil hic dicitur de ardore furentis libidinis, & inhonesti amoris, sed de affectu dulci & sacro inter coniuges. Quod si carnis fragilitas & naturæ inordinatus impetus ineptire ac excedere impulerit, statim tot reliquis matrimonij ærumnis in ordinem redigatur, humilietur ac reformetur, quales quotidie occurrunt ex neceßitatibus prolis, ex educatione familiæ, ex puerperijs, ex fragilitatibus quotidianis animi et corporis, mentis & ingenij muliebris, ex utriusq; complexionibus, et morositatibus utrinq;. Quæ omnia nisi syn ceritate amoris compẽsarentur, ac dulcescerent iucunditate promiscua prolis, leuiusq; portarentur, tantũ coniugij iugum nemo ferret, quod deus coniunxit, et uoluit ut pœnam ferri post originale peccatum, utq; pariter iucundũ illud sit quod molestũ est. Quo patet indignitas flagitij sacerdotũ concubinariorũ, qui malunt iacturam pati famæ, animæ, rerum, corporis, filiorũ, consortium, q̃ matrimoniali molestia secundum dei ordinem onerari. De quo nuper in epistolam ad Timotheũ primam plura exciderunt. Volunt enim contra deum, conscientiã, publicam honestatem, cum maximo scandalo ecclesiæ scortatores esse, ne sint coniuges. Et quod mirabilius est, inueniri ecclesiarũ rectores, qui huiusmodi fœdißimos fornicarios & adulteros ferant, coniugium ferre nequaquã uelint: uel per cauteriatam conscientiam non audere se fingunt, cum reuera scortatio placeat, legem & molestiam matrimonialem detestantur, publice turpitudinis exemplaria & patroni, qua scortatione quid potest in ecclesia turpius tolerari?

Amor coniugalis.

In concubinarios clericos.

20 Quare seduceris fili mi ab aliena, & foueris in sinu alterius?

Cum tibi deus propriam iunxerit, cuius mores probe nosti, quæ perpetuo tibi uelit debeatq; obsequi, quare tu extraneam, infidelem, adulteram sectareris? Quare te illi credis graui periculo rerũ & uitæ, à qua propediem destruaris, odiaris, decipiaris, cum fuerit uaga, instabilis, proprias tantum libidines non bonũ tuum inquirẽs? Quare per superstitiosam, hæreticã, mundanãq; sapientiam retraheris à meditatione legis diuinæ, cui soli sit incumbendũ, & amore iugiter inhærendũ? Complicari

in sinum alienæ, est secreta pandere, familiarem fieri, uacare libidini, periclitari cæco amore iuxta uanam & uagam, serpentem in sinu fouere.

21 Respicit dñs uias hominis, & omnes gressus eius consyderat.

Nullus adulter & libidinosus quicunque putet contegi tenebris nocturnis, uel cubiculis diurnis impudicitias suas, libidines & insolentias, deo omnia cernenti, etiam impias cogitationes, desyderia, consensus, qui pro peccato reputantur à domino, auersiones cordis quas dominus intuetur. Quin iusto suo iudicio expendit omnia in statera iustitiæ, inuenieturq; coram deo obliquum, quod hominibus uidebatur rectum. Hæc doctrina iugiter est inculcanda, ut ubiq; semper & in omnibus dei uerearemur præsentiam, intuitum & iudicium, ordinem, prouidentiam & bonitatem, non sine iustitia.

Doctrina inculcanda.

22 Iniquitates suæ capiunt impium, & funibus peccatorum suorum constringitur.

Impij contra deum loquentes & agentes, nec deũ uentiri, nec homines, indulgentes per omnia affectibus carnis, & superbo dictamini rationis, illaqueabũt sese multis periculis quæ non euadẽt: ream conscientiã sentiẽt, peccatũ peccato connectem, malum malo aggregabunt, mendacijs quoq; & adulterijs abducti in æs alienũ, quo soluendo non erunt, irreuocabilis erroris pœnas luent.

23 Ipse morietur, quia nõ habuit disciplinã, & in multitudine stultitiæ suæ decipietur.

Maxima impietatis pœna est, mori sine disciplina, non corrigi uel emendari ante mortem, non purgari à peccatis & in hac uita, ad extremum perseuerare in peccatis & in ira dei, ac stultitiam continuari donec poßis, ac augeri continuo, perq; eam perire. Qui enim scientiam Dei non habent, peribunt propter insipientiam errantes circa ea quæ dei sunt.

CAPVT VI.

1 Fili mi, si sponderis pro amico tuo, defixisti apud extraneũ manum tuam,

2 illaqueatus es uerbis oris tui, & captus propriis sermonibus.

Contra sensum carnis & iudicium rationis hypocriticæ, ac mundi consuetudinem & imaginẽpietatis de Promissionibus infuturum. hortatur spiritus sanctus & prohibet, non solum hoc loco, sed & infra capitibus 20. 22. & 27. ne quis fideiubeat, & pignus seipsum polliceatur uel oppignoret pro proximo. Est enim hoc non solum periculosum & experientia teste pernicioßum multis, et pœnitẽtiæ obnoxiũ, sed etiam contra rationem, conscientiam, & etiam cõtra deum. Primo enim confidit in hominem carnem & sanguinem instabilem, uanũ & mendacẽ eum pro quo fideiubet ac oppignorat substantiam, corpus, uitã & prolem: quod si is qui hoc cõmittit imprudentior decipitur, imputet sibijpsi. Deniq; talis nimiũ tribuit sibijpsi, pollicendo certo de contigentibus & dubijs in futurum, quæ ex deo pendent solo, qui non uult solicitos nos esse de crastino, sed totos pendere ex dei prouidentia, & de nostris uiribus nil præsumere. Sic quum Gene. 43. & 44. Iudas

Iudas se pignus interposuisset pro fratre Beniamin reducendo, uindictã sensit & angustias uehementes, & quantum in se fuit periculo mortis, quia domini uoluntatem non prætulerat, ut Iacobus apostolus docet, et infra cap. 27. Ne glorieris in crastinum ignorans quid superuentura pariat dies, & de quotidiano pane hodie nobis dando sic orare docuit, ut illi futura committeremus. Cui aduersatur qui pro proximo se reddit pignus, nisi certò aliquid detur uel fiat ab aliquo homine, cũ uterq; nihil possit sine deo, tot locis ea prohibente. Si uero proximo consulere uolumus grauato, licebit id agere modis alijs, parata detur pecunia, si habeatur, & fieri possit, uel mutuum, nihil inde sperando, quantum carere possit qui donat: si creare pro se & suis non potest, nihil tale obligatur petenti. Inuigileturq; à magistratibus, ne quis sit otiosus, mendosus, dilapidator, lusor, ebriosus, uorator, usurarius: & tunc pignora necessaria non erunt huiusmodi, frugaliter uiuetur & debita non contrahentur. Gratis demus pro uiro bono, & petenti, nostrũq; nutrimentum creatori committamus, nec rebus sæcularibus implicemur. Docet ergo hic Salomon doctrinam pro bono uti li, licet etiam honestum sit cauere periculum sibi & suis. Si, inquit, per insipientiam uel imprudentiã, uel affectu charitatis & ꝓpinquitatis fideiußisti pro proximo, iam eatenus te implicasti periculo, ut sis soluendo pro tuo proximo secundũ promissa. Creditori cui nihil debebas, uolens te obligasti, qui non tardabit urgere te, tanquam firmiorem in fide ac feliciorem diuitijs.

3 Fac ergo quod dico fili mi, & temetipsum libera, quia incidisti in manũ proximi tui. Discurre, festina, suscita amicum tuum,

Cura citius ut libereris, tam graue onus, tam ingens periculum non diu feras, sed urgeas potius debitorẽ pro quo spopondisti, ut agat quod promisit se facturum, solutionem paret. Tu uerò te & familiam tuam in tuto ponas, nisi te superimpendere uelis & possis, id tibi non uitio dabitur, non tamen laudabitur imprudentia tua, & segniciei occasionem præstabit, si fiat frequentius, & reipublicæ damna importabit.

4 ne dederis somnum oculis tuis, nec dormitent palpebræ tuæ.

5 Eruere quasi damula de manu, & quasi auis de manu aucupis.

Ne negligas uel soluere quod promisisti, uel proximum solicitare ut libereris angore, cui te implicasti. Cura libertatem recuperes, ne deses sis rependendo debitum. Liberare uelut hinnulus ac auis, ne paruifacias te ligatum, non cesses cogitare qua uia modo & medio eximere te possis à seruitute, noli esse hoc pacto alteri obnoxius, & grauatus ære alieno. Studeas ut nulli quippiam debeas harum rerum, sed liber esse studeas, ne subito morte interceptus filijs aut hæredibus negotium facias & damna, Dulcior buccella cum alacritate, quàm lautitia cum tædio & angustia, creditoris instantia molestante. Multa uide apud Glossam ordinariam extranea & coacta, quæ aptius contra temeraria uota castitatis & obedientiæ monachalis exponi possent.

6 Vade ad formicam ô piger, & consydera uias eius, & disce sapientiam,

7 quæ cum non habeat ducem, nec præceptorem, nec principem,

8 parat in æstate cibum sibi, & cõgregat in messe quod comedat.

Excluſit in præcedenti dogmate imprudentiam, nunc docet prouidentiam. Electi proficiunt ex omnibus creaturis, atque simul impij arguuntur: sic pigrum admonere debet prouidentia naturalis, solicitudo, labor, & assiduitas formicæ, etiam supra uires moliendo, ut merito rationalis homo de propria erubescat ignauia, otio, ac torpore. Discat à tantillo animalculo opera sapientiæ & charitatis, ut prouideat in tempore de uictu, dum licet, ne indigere uel mendicare cogatur. Nemo sit otiosus. Qui non laborat non manducet, dũmodo possit. Beatius est dare quàm accipere. Homo natus est ad laborem, sicut auis ad uolandum. Sufficit autem temperatus labor pro necessarijs uitæ obtinendis: libidini uerò totus mundus non sufficit. Est autem formica animal parum, solicitum, prouidum, iuuat socium, detruncat granum, ne crescat & sibi perdatur, per callem incedit, terram egerit de cauernis, granis pascitur. Prouidẽtia docetur.

9 Vsquequo piger dormies? quando consurges è somno tuo?

10 Paululum dormies, paululum dormitabis, paululũ cõseres manꝰ tuas ut dormias:

11 & ueniet tibi quasi uiator egestas, & pauperies tua quasi uir armatꝰ (Si uero impiger fueris, ueniet ut fons messis tua, et egestas longe fugiet à te.)

Dehortatur à superfluo somno, dormitatione, pigritia uel otio, nempe ut tempestiue excutiatur somnus, arripiatur opus, quod natura modico somno opus habeat, sicut & cibo: ut non quærantur delitiæ, sed naturæ necessitas. Vigilanter, studiose, instanter operetur bonum, alioqui superueniet paupertas ex improuiso, & misera egestas obruet stertentem. Nõ quidem deus uult nos esse solicitos, quid bibamus, comedamus, induamus, iubet tamen instantiam operis, otium damnat: docet pro se & proximo laborandum, operis tamen prouentum domino commendandum, qui nouit affatim prouidere fidelibus, ut omnem solicitudinem proijciamus in patrem, interim tamen per charitatem negotiosi simus. Habet autem litera simpliciter, Quando, ô piger, surges de somno? Nónne miser nosti quod sufficit parum somni de nocte ad recuperandum uires fatigatione exhaustas? parum dormitationis post cibum de die, his qui uel nimis mane surgunt, uel ob calores meridianos? Nõ quæras delitias somni, non otiosus sedeas, complicatis manibus, cessator, implicatus uanis cogitationibus uel garrulus, alioqui superueniet tibi paupertas insperatò, quasi uiator non prouisus applicans, ut euadere non possis miseriam egestatis, nec superare. Otium monachorum præcipuum malum. Contra somnum superfluum.

12 Homo apostata uir inutilis, graditur ore peruerso,

13 annuit oculis, loquitur (terit) pede, digito docet,

14 prauo corde machinatur malum (&)om
ni tempore iurgia seminat:
15 huic extemplo ueniet perditio sua (&) su
bito cõteretur nec habebit ultra medicinã.

Homo בלי־על sine iugo disciplinæ, uel prorsus ad omnia honesta inutilis Belial dicitur: impius quoque & pertinax, qui de proximo eatenus nihil cogitat uel curat, ut planè iniurioſus ſit & iniquus. Is talis non uno tantum loco, ſed paſſim conſpurcat omnia ſuis mendacijs, obloquitur & detrahit omnibus, bona omnia inuertit ad libidinem procacis linguæ ſuæ & ad malignitatem animi falſò interim blanditur, & fictam ſimulat amicitiam, quo grauius lædat: uel impudicitiam oculis indicat, & certiſſime teſtatur uanam mentem, inſtabilis factis et uerbis. Stultè & petulanter digitis potius, quàm ore loquitur, mendacia cõminiſcitur, dolos & perniciem proximo, idq; ſine intermiſſione, de malo theſauro cordis ſui, non niſi mala profert, inſuper ſeditiones, lites, iurgia diſſeminat inter coniunctos & fratres. Subindicat hoc loco à contrario de uirtutibus iuuentuti inculcandis, ut ſint tractabiles, pacifici, benefici, ueraces, pudici, uerecundi, graues, & compoſiti, prudentes, non iactabundi, modeſti, honeſta ac utilia meditantes, pie oĩa interpretentur, & à diſcordia diſſemināda abſtinẽtes: alioqui pfidiæ ſuæ pœnas dabũt, uindictam ſentient, irrecuperabili contritione perdẽtur, ac inſanabili morbo exterminabũtur.

Otioſorum ſtudia prauа.

16 Sex ſunt quę odit dominus, & ſeptimum
deteſtatur anima eius:
17 oculos ſublimes, linguam mẽdacem, ma
nus effundentes innoxium ſanguinem,
18 cor machinãs cogitationes peſſimas, pe
des ueloces ad currendum in malum,
19 proferentem mendacia teſtem fallacem,
& eũ qui ſeminat inter fratres diſcordias.

Peſtes ſex.

Quia de uitijs adoleſcentiæ quædã iam dixerat emendandis diligenter, nempe de mendacio, ſupercilio, inſtabilitate, imprudentia, inuidia, perfidia & ſeditione, iam conſequenter enumerat ſeptem longe grauiora peccata, priorum comparatione ingentia crimina omnia. Eſt autem Hebræorum locutio dũ enumerare membratim multa uolunt, ut ultimũ quoq; cum augmento pronuntient, non ut intelligatur illud ultimũ omnibus alijs maius, ſed non minus reliquis iam enumeratis, & æque magnũ, uel arduum. Sunt autem ſuperbia mentis, quæ ſupercilium dicitur, quia oculorum ſublatione indicatur, & deſpectũ ſignificat aliorũ, animi tumorem, & mentis arrogantiã intolerabilẽ, quam odit dominus, quæ ſatanam deiecit, et in dãnatione cõſeruat. Alia peſtis eſt lingua aſſueta mendacijs perniciojſis, & de induſtria agnitæ ueritati cõtradicens. Tertia, Effuſio ſanguinis innocentis. Quarta, Odium tale, quo ex certa malitia & inuidia machinatur aliquis proximo periculũ & perniciem, ubi nõ ex fragilitate, ſed deliberate affingitur proximo malũ, unde damnum incurrat. Quintũ malum, Propenſum deſideriũ, & conatus inferendi proximo malum, quod animo præcogitauit, uel præcipitantia in malo et pernicioſo conſilio, hoc eſt propenſio animi ad nocendũ. Sextũ eſt, Falſò incriminari & teſtari contra fratrem. Septimũ eſt. Concitatio ſeditionis inter fratres, diſcordias ſeminare inter proximos, ſchiſmata ſuſcitare, rumpere publicã pacem. Grauiſſima aũt eſſe crimina, uel ex eo liquet: quòd maxime repugnent charitati, & dei mandatis atq; decalogo, quibus peccatur in fratrem. Alioqui dñm blaſphemare, abnegare, perfidia in deũ, & odiũ ueritatis, maiora ſunt, quia contra primæ tabulæ mandata diuina.

20 ¶Conſerua fili mi præcepta patris tui, &
ne dimittas legem matris tuæ:
21 liga ea in corde tuo iugiter, & circunda
gutturi tuo
22 cũ ambulaueris gradiant tecũ: cũ dormie
ris, cuſtodiãt te, & euigilãs loquere cũ eis:

Exponi poteſt pro eodẽ, mandatum patris & lex matris, quãdoquidẽ ad inculcationẽ pertinet maiorẽ in cor filij, non alia mater commendat ſeruanda filio quàm quæ patri placuiſſe cognoſcit. Non ſunt denicq; aliæ leges dei & eccleſiæ ſanctæ atq; catholicæ, nõ dico epiſcoporum & cõciliorũ indifferẽter. Præcepit dominũ publice prædicari, non alia quàm uerba dei, non hominũ: iſta docean tur, audiantur, inculcentur, fiant ac ſeruentur, illa quæ ſunt præcepta ex uerbo dei, ueteri & nouo teſtamento deprompta, non tam matris & eccleſiæ doctrinã eſſe credant, quàm patris, hoc eſt dei omnipotentis et Chriſti domini, ut ſunt quidẽ. Nec aliud populis commẽdari debet ab eccleſiaſticis, quàm uoluntas & beneplacitũ dei. Simplicius tamen dici poteſt, fideliũ filios attentiſſime audire debere traditiones parentũ fideliũ & proborũ, nõ alias quàm quas ipſi ex ſacris literis in eccleſia didicerũt, quæ ſciunt placere deo, & quæ ab obſeruantia præceptorũ dei nõ impediunt nec remorantur. Huiuſmodi cupiant ſi lijs familiaria & intima, ut ea ſine intermiſſione cogitẽt, in his honorem & gloriã ſuam collocent, quod ſignatur per ſequentia. Liga, ait, ea ſuper cor tuũ, nunquã nõ cogites, ſuſpẽde ad collũ, de eis ſemper loquere, in uia cum comitibus de lege domini confabuleris, eius memoriale ſemper tecum feras. Somnia ſancta de uerbis domini tibi contingant, cum euigilaueris ante omnia cura quæ dei ſunt, totus ſis in ſtudijs ſacris, ut domino ſecundum ſuam uoluntatem ſemper ſeruire deſideres, de eius beneplacito in omnibus agendis mediteris, ut non ſit locus prophanis ſtudijs, cõcupiſcentijs, cogitationibus, uel uerbis, multo minus operibus.

Prędicanda quæ ſint.

23 quia mandatum lucerna eſt, & lex lux, &
uia uitæ increpatio diſciplinæ,

Dictamen rationis humanæ quod iactant philoſophi, reuera tenebræ ſunt, ut tutò in eo ambulari non poſſit. Lucerna autem pedibus noſtris uerbũ dei eſt, ne offendamus in tenebris. Et lex dei lumen diei eſt, in qua, qui ambulat errare nõ poteſt. Increpatio diſciplinæ, hoc eſt, aduerſitates huius uitæ à deo immiſſæ, patienter ſuſceptæ, ſemita uitæ ſunt, quam omnes ſancti, & Chriſtus dominus inceſſerunt. Traditiones autem phariſaicæ & quicquid præter dei uerbum proponitur, nox & tenebræ ſunt, inuoluunt, non explicant conſcientias, patientiam nõ docent. Via uitæ eſt obedire deo, & ipſum ſuſtinere.

ut

ut custodiant te à muliere mala, & à blanda lingua extraneæ.

Contrahat te timor dei à mala muliere, quæ est pernicies uitæ tuæ, nempe non legitima uxor, quæ muliebribus blanditijs irritat ac abducit à timore dei: ab amore disciplinarum sæcularium, quo abstrahitur à studio legis diuinæ, à synceritate fidei, & à simplicitate uere Christiana.

25 Non concupiscat pulchritudinẽ eius cor tuum, ne capiaris nutibus illius:

Auerte oculos à uultu alienæ. Non enim licet aspicere, quod non licet concupiscere, quòd si aspicere contingat, non desideres. Qui enim uiderit mulierem ad concupiscendum eam, iam mœchatus est eam in corde suo. Multos decepit species mulieris, reddaris tu cautus alieno periculo. Si aliquam desyderare uelis, ut fiat coniunx, non tibi ex forma placeat, sed honestate, prudentia, uerecundia, taciturnitate, disciplina: & non ipsa mulier te capiat palpebris suis, ne decipiaris: oculi eius alliciunt animum ac decipiunt, sapientia destituunt. Nemo satis hac parte tutus uel sapiens.

26 pretium enim scorti uix est unius panis: mulier autem uiri pretiosam animã capit.

Dum insipiens quispiam & deceptus arbitratur se satisfecisse scorto, uili mercede reddita, frusto panis, sentiet propediem suam se animam pretiosam uendidisse, et alienasse cordis quietem, animi libertatem, conscientiæ serenitatẽ, quibus nihil habet pretiosius. Solicitat enim libidinem ardentius semel admissa transgressio, nec sui iuris esse finit fœda concupiscentia illaqueatum, perdit

27 *conscientiam & famam.*

Nunquid potest homo abscõdere ignem

28 in sinu suo, ut uestimẽta illius nõ ardeant?

aut ambulare super prunas, & non com-

29 burentur plantæ eius?

sic qui ingreditur ad mulierem proximi sui, non erit mundus, cum tetigerit eam.

Sicut ignis in sinu gestari non potest sine combustione uestis: & uiuis, hoc est, ardentibus carbonibus nudis pedibus uel plantis incedere difficillimum est: sic honestus ac probus maritus cohibere non potest zelum uindictam & ultionem, aduersus eum qui uxorem fœdauit per adulterium, imò qui tetigerit eam, tactu inhonesto solicitando ad adulterium uerbo uel opere. Videtur enim abstulisse consortem, dehonestasse prolem, affecisse immeritum summa contumelia, thesaurum non appretiabilem surripuisse, odium irremißibile induxisse. Quo loco innuitur non displicere deo zelũ ulciscendi iniuriam adulterij, quàm sacrosanctam uelit haberi fidem matrimonij, quàm futilis is sit, qui tantam potest patienter ferre iniuriam & inhonestatem. Simulq; idiomatis modestiam discamus, ubi de tactu loquens uxoris, adulterij crimen significat.

30 Non grandis est culpa, cum quis furatus fuerit: furatur enim ut esurientem impleat animam:

31 deprehensus quoq; reddet septuplum, &

omnem substantiam domus suæ tradet (& *liberabit se.*)

32 Qui autem adulter est, propter cordis in

opiam perdet animam suam:

33 turpitudinem & ignominiam congregat

sibi, & opprobrium illius non delebitur:

34 quia zelus & furor uiri non parcet in die

uindictæ,

35 nec acquiescet cuiusquam precibus, nec

suscipiet pro redemptione dona plurima.

Furti & adulterij cõparatio.

Attenuatur peccatum furti non simpliciter, pro quo grauis pœna infligitur secundum legem, sed temporalis & citra mortem, ut scilicet reddat septuplum, id est, plura quàm abstulit indeterminate, boues quinq; pro uno, oues quatuor pro una, uel totum quod habet, sed comparatione adulterij longe grauioris. Is enim adulter remedium uxoris habet & matrimonij, uel habere debet, qua incõtinentiæ medeatur. Fur uerò necessitate compulsus, nempe famis iniuriam euadere cupiens, deprehensus uero satisfecit, minori confusioni obnoxius postea, quàm illi qui necessitatem patienti non succurrerunt, in ius traxerunt, spoliauerunt bonis pauperem, qui non ut ditesceret, sed ut esurientem stomachũ placaret & impleret furatus est. Adulter uerò excæcatur carnali libidine, fit insanus & stultus, ut non sentiat pericula famæ, uitæ & rerum, sed ut ebrius & mente captus, perpetua ignominia sese commaculat, & inexpiabili infamia aspergitur, iustamq; secundum dei legem uitæ amißionem prometetur. Nunc proh dolor & pudor, adulteri alicubi intra senatum suscepti, & principes, morti adiudicant fures, & uerbum domini audiunt, bis sanè iniqui & sanguinarij, dum adulteri sunt, & indigne uiuunt contra legẽ dei & imperatorum, morte deinde adiudicant simplices fures, quos deus uiuere uoluit, uiuunt autem quos occidi mandauit.

¶ CAPVT VII.

1 Fili mi, custodi sermones meos, & præcepta mea reconde tibi.

(*Fili honora dominum, & ualebis: præter eum uerò, ne timueris alienum.*)

Pater noster cœlestis uehementer de salute nostra solicitus, non cessat admonere & instare, ut lex sua obseruetur à fidelibus, ne traditionibus externis hominũ subiugemur, quæ ubi radices fixerint, impediunt ab attentione in dei mandata. Cum tamen ipse solus legifer noster sit, & haberi uelit, sicut & pater ac saluator. Sermones & mandata mea conserues & impleas, & ut thesaurum pretiosum salutis, corde complectaris & diligas, quod nemo potest sine dei gratia. Natura enim abhorret à lege dei, carnis tyrannide imperat, cui gratia reluctatur & fides.

2 Serua mandata mea, & uiues: & legẽ meã

quasi pupillam oculi tui:

3 liga eam in digitis tuis, scribe illam in ta-

bulis cordis tui.

Nisi mandata mea conseruaueris, non uiues, nec anima nec corpore, ipsa sola ex charitate seruata præstat

uitam, per mediatorem dei & hominum. Vt uerò diligentißime curant omnia membra corporis conseruationem oculi, à quo dirigũtur in actionibus, ipsum enim curant obtegunt & defendunt: sic tu legẽ domini aßidue mediteris, quicquid egeris manibus, semper deũ cogita, & illius mandatum ac beneplacitum, utq; semper inspicis digitos, sic legem domini ob oculos mentis semper teneas, diligas, reuoluas, & syncere cũ dei gratia impleas.

4 Dic sapientiæ, Soror mea es: & prudentiam uoca amicam tuam,

5 ut custodiat te à muliere extranea, et ab aliena quæ uerba sua dulcia facit.

Sapientia colenda.

Non ob quæstum aut honores, sed simpliciter & suapte natura amabilem sapientiam colas ac diligas caste et plurimum, quo amore abstraharis ab illicitis affectibus. Non te sinet periclitari blanditijs alienarum, nec uacabit sectari illas siue meretriculas fœminas, siue curiosas sacrilegasq; artes, à quibus liberat amor sacrarum literarum ingenium studiosi. Summaq; fit iucunditas incumbere ueræ sapientiæ, sacræ eruditioni. Ama, dicit Hieronymus, studia literarum, & carnis uitia non amabis. Sinas alios sectari libidines, aucupia, diuitias, honores: tu sapientiam diligas, ipsius amore soliciteris semper, non sinet te otiosum, præseruabit à lenocinijs improborum, intelliges pericula ex libidinosis mulieribus tibi imminentia. Impoßibile est otiosum continere à carnalibus, si adsit occasio. Non potest carere delectationibus mens humana, nec esse otiosa, instar molendini, si frumentum absumerit, conteret mola seipsam.

6 De fenestra enim domus meæ per cancellos prospexi,

7 & uideo paruulos. Consydero uecordẽ iuuenem,

Adornat parabolam, qua stultitias iuuenum aptius proponat, ut eximat periculis, commonefaciatq; disciplinæ ubiq; seruandæ, ut nullo loco se tutos arbitrentur ad mala tentanda, dum minime credunt uidentur, ut ubiq; sibi caueant ab improbis studijs. Facile est experiri ingenia iuuenum, ex lusibus & publicis spectaculis. Maiorũ autem esset diligenter ingenia ac mores puerorum animaduertere, opportunisq; remedijs consulere, dum per ætatem liceat & tractabilitatem.

8 qui transit per plateas iuxta angulum: & prope uiam domus illius graditur

9 in obscuro, aduesperascent die, in noctis tenebris & caligine:

Amor fœdus.

Significat anxias curas fœde amantium, quàm diligant tenebras, odiant lucem, circumcursantes per plateas, nullibi consistere ualentes: ad angulos præstolantes & biuia, ut occurrere possint eis quos expectant & non negligere: sectantur opportunitatem locorum & temporum: turpitudinem immundorum affectuum latere cupiunt homines, sed produnt moribus, dei uerò oculos non declinant, cuius mandata nõ cogitant nec timent iudicia: dum uiget in illis naturæ instinctus, & propensio nimia ad oblectamenta carnis, iuxta quæ trahuntur & uiuunt, quotquot gratia dei non præueniuntur, ut honestis parentum consilijs & doctrinis acquiescant uel præceptoribus, uel à iuuentute male sunt enutriti, uel non in tempore matrimonij remedio adiuuantur. Expedit enim sic fruentes & ustos adolescentes nubere, uel paterna in domo disciplinæ subdi, si forte refrigeria interueniant, ut differatur aliquandiu.

10 & ecce occurrit illi mulier ornatu meretricio, præparata ad decipiendas animas,

11 garrula, & uaga, quietis impatiens, nec ualens in domo consistere pedibus suis,

12 nunc foris, nunc in plateis, iuxta omnes angulos insidians.

Meretrix procacitas.

Procacitates meretricum describit, ac artes inuoluendi incautos iuuenes. Mores, uerba, ingenia, impostoras, libidines, & pericula proponit, ut sibi probi adolescentes prospiciant, insidias euadant, commode & per sapientiam liberentur. Sua, inquit, sponte obuiam currit incauto, lasciua mulier, compositione meretricia, ut explicet turpitudinem ad alliciendum & decipiendum. Explicatis brachijs, reserato sinu, discoopertis membris, quæ per incontinentiam, ut pectus ac brachia cooperire non ualet, sed ostentat quantum potest, mentem tantum improbam & mendacem, ardentemq; fascibus libidinis, operit ac dißimulat, quo minus miser iuuenis sibi à fraude caueat. Clamosam impudice & garrulam se exhibet, irritat omnibus modis & pellicit ad libidinem, deceptiones, damna, semper ad id inquieta, cogitabunda, excusta insano feruore, impatiens moræ, ut domi consistere nequeat, passim discurrit per compita & plateas, uenatrix stultorum. Nunc foris, nunc in plateis & iuxta angulũ, hoc est, attente disquirit copiam aggrediendi stultos. Vbi cua enim uerecundia, sapientia, maturitate, uacat fœdis affectibus, quibus nimium indulget, inquietatur & inquietat, nusquam penes se consistens, angulos biuiorum obsidet, à longe aspicere desyderat quos irritet, & à quibus irritetur: hoc est insidiari pro capiendis iuuenibus, has summopere fugere oportet iuuenem bonæ spei. Oscula quoque pergit expugnare mentem, & libidinoso uultu dissoluere castitatem. Hactenus facta, nunc uerba.

13 Apprehensumq; deosculatur iuuenem, & procaci uultu blanditur, dicens,

14 Victimas pro salute deuoui, hodie reddidi uota mea:

15 idcirco egressa sum in occursum tuũ, desyderans te uidere, & reperi,

Castitatis expugnatio.

Mendaciter adoritur iuuenem improba, sacris abutitur ad suam libidinem, blasphemat creatorem, quasi à deo promeruerit sacrificijs & oratione, uotis & obsequijs, mußis & supplicationibus ad diuorum limina, ut nutu diuorum & fauore, nephas huiusmodi ualeat ac debeat exercere. Statim timorem dei eximere cupiens cum ctabundo, ac fidem uerborum dei eradicare è corde tentati, ne recogitet perniciosam esse huiusmodi oportunitatem ad malum, sed credat potius domino prouidente ordinatum ad bonum finem: quasi dicat, Feliciter hodie

sacro

sacro interfui, uidi uel audiui missam, obtuli sacrificium, ut dei nutu obueniret quem amo, ac statim quod uolui assequutus sum, sic est dei uoluntas, non peccamus, licebit amare mutuum, sic domino subornãte. Tu mihi primus pro uoto occurristi, quem quærebam, totam noctẽ insomnem duxi, gestiens te cõplecti opportune occurrentem. Videmus interim quomodo malis omnia cooperantur in malum, etiã quæ sacra habentur: prouidentiæ dei adscribunt sua quoq; crimina, quasi nesciant prohibuisse deũ amorem fœdum, præcepisse autem matrimonium.

16 intexui funibus lectulum meum, straui tapetibus pictis ex Aegypto,

17 aspersi cubile meũ myrrha & aloe, & cinnamómo:

Multa, ait, cura, pretiose & delicate adornaui cubiculum, rariis & ad molliciem paratis & aptatis tapetibus, textura quoq; funium pretiosarum ex Aegypto. Nihil obmissum quod attinet ad illecebras sensuum. Voluptas olfactus nõ est neglectus, myrrha, aloë, & cinnamomo consului omni fœtori: istis enim odoriferus fumus et respiratio recreationis causa et libidinis cõcitatur. Myrrhæ multa genera multis locis Arabiæ gignitur. Sudant bis in anno sponte stacten, odorifera & sacrificijs adhibita, cõdiendis quondam mortuorum corporibus in usu. De hac Plin. 12. lib. Aloe natura tractatur ab eodem lib. 27. cap. 4. Inciditur ante maturitatem seminis succi gratia. Vsus contra prurigines & scabiem, inspergitur exulceratis genitalibus, Hemorrhoidum abũdantiam leniter sistit. Cinnamomũ apud Aethiopes nascitur, frutex duorum cubitorũ, non sine miraculo dei distrahitur & mittitur, soli consecratus, ut apud Plin. lib. 12. cap. 19.

18 ¶ ueni, inebriemur uberibus, & fruamur cupitis amplexibus, donec illucescat dies:

19 non est enim uir in domo sua, abiit uia longissima:

20 sacculum pecuniæ secum tulit, in die plenæ lunæ reuersurus est in domum suam.

Videns subinde adultera, non statim abhorrere iuuenem à fœdis colloquijs & moribus, audet manifestius pellicere nudis iam uerbis, & audacter solicitando ad libidinem, timorem adimit inexperto & tentato iuueni. Nõ est, inquit, uir in domo sua, tuti erimus, solis in domo licebit amoribus incumbere tota nocte, experiri gaudium diu duraturum. Iudæi dicunt, Non est uir in domo sua, non habet in hac domo primatum, nihil audet contra me, reuereri me cogitur. Sed inepte. Non est cito reuersurus dum abierit, abijt enim longinquam uiam, sacculum pecuniæ secum abstulit, constituta tandem die rediturus, uel supputata aut adnumerata. Testatur mercatorum uxores adulteras esse, hoc est, eas quibus sæpe & diu absunt mariti: utq; periculo non careat absentia patrisfamiliâs, ubi præest domui mulier improba, lasciua uel imprudens.

21 Irretiuit eum multis sermonibus, & blanditijs labiorum protraxit illum.

Facile expugnatur castitas blanditijs, mendacijs, lenocinijs: tot uerbis admissis, & patienter auditis, difficile est repugnare libidini, persuasit adolescentis animum, & seduxit ad consensum libidinis. Corrumpunt bonos mores colloquia mala. In initijs statim auris fuerat auertenda, aufugiendum ad prima colloquia: fuga consulitur in hoc bello, non responsis, uel excusationibus.

22 Statim eam sequitur quasi bos ductus ad uictimam, & quasi agnus lasciuiens (& ignorat quòd) ad uincula stultus trahatur,

23 donec transfigat sagitta iecur eius: uelut si auis festinet ad laqueum, & nescit quòd de periculo animæ illius agitur.

Misere seducitur stultus, periclitatur ac perit, ad lactationem mulieris, de imminente illi morte nihil cogitat uel solicitatur, totus est in amore & feruore libidinis. Compedibus stultitiæ & uinculis cõcupiscentiæ constrictus, ut nolit & non possit deserere, semel inescatus hamo libidinis. Etiam ubi maritus redierit, non moratur pericula, donec aliquando imprudens incidat in manus mariti, pereatq; in sua stultitia. Iecoris sagitta indicat insanabile uulnus concupiscentiæ, & obnoxium morti.

24 Nunc ergo fili mi audi me, et attende uerbis oris mei.

25 Ne abstrahatur in uijs illius mens tua, neque decipiaris semitis eius:

26 multos enim uulneratos deiecit, & fortissimi quiq; interfecti sunt ab ea.

27 Viæ inferi domus eius: penetrantes interiora mortis.

Applicat parabolam, docens uitare pericula ex alienis fœminis, quibus multi etiam fortißimi sapientes, & sancti ceciderunt, perieruntq; in anima & corpore. Exemplo sunt Adam primus, Samson, Dauid, Salomon, & ex Ethnicis innumerabiles.

CAPVT VIII.

1 NVnquid nõ sapientia clamitat, et prudentia dat uocem suam?

2 In summis excelsis quoq; uerticibus supra uiã in mediis semitis stans,

3 iuxta portas ciuitatis in ipsis foribus loquitur (dicens)

Sapientia sine dubio inclamat omnes homines, & ad se uocat, uult dominus timeri & amari, legẽ naturæ & scriptã agnosci, & secundum illam hominum mores & uitã institui, ne sint ut equus et mulus, sed intelligãt quid eligendũ aut fugiendũ in rebus & negotijs. In capite celsitudinũ, palàm & in manifesto celebris subsistit, & omnibus spectabilis, iuxta transitũ & uias, fideliter monet prætereuntes, nulli se negat cognitio iusti & equi, omnibus eatenus patet, ut nemo sit excusabilis. Circa domũ angularem, ubi iunguntur plateæ, in compitis quoq; & biuijs transeuntium cõcursum expectat, ad manum portarum, prope prætoria magistratuũ, ad hominũ concilia bula, in loco iudiciorũ, alloquitur et adhortatur oẽs. Loco celebriori urbium, ad os oppidi, ad introitũ ciuitatum inclamat sapientes. Stat foris sapientia ad ostiũ et pulsat, si quis aperire illi dignabitur, ingredietur, colloquetur, Sapientiæ clamor.

erudiet, saluabit, beatum faciet. Nō queratur iuuenis uel senex, non se consequi posse in remotis, habitantem sapientiam, deesse sibi doctorem, nescire se domini uoluntatem: ipsa te sapientia aduocat, uera doctrina & sana angulos non quærit, hominum iudicia non ueretur, non est suspecta, neminem aspernatur, omnibus se ingerit, necessaria omnibus. Semper ecclesiæ dei adfuerunt & adsunt serui dei, per quos deus homines instruit de uerbo & uoluntate sua. Omnium sæculorū hominibus ueritas prædicatur, & suscipitur ab electis: si sint qui uelint amplecti. Non tantum in regum palatijs habitat uel in cœtu Cardinalium, uel in scrinio pectorali summi pontificis, non solum in monasterijs & uniuersitatibus, sed inter populos quoq; commoratur, in plateis & portis urbium: sine respectu personarum & locorū deus illam largitur, minimis sensu & paruulis Christi, etiamsi magni sint officio.

4 Ouiri ad uos clamito, & uox mea ad filios hominum.

Masculos animos, non effœminatos & lubricos exposcit sapientia auditores, siue iuxta sexū fœminæ sint uel uiri. Christus sapiētia patris prædicauit etiā mulieribus, Apostoli quasdam familiarius instituerūt. Sancti patres uerbis & libellis erudierunt fœminas, sed sanctas. Veruntamen אישים idem significat quod singulos Hebræis non raro. Cum priuatis loquitur & singulis familiariter, & quasi ad partem, cum appretiantibus ueritatem, animo sanis & non languidis, sed bene uiuere cupientibus: diliget se amantes quoscunq;. Viros tamen familiarior sapientia decet, à quibus domi discant mulieres maritatæ. Alios quoq; alloquitur, filios huius sæculi, qui rebus sæcularibus student, qui lucra sectantur, & huius mundi negotia. Necessariam omnes habent sapientiam doctricem & consolatricē in aduersitatibus huius mundi, qui non bestias se gerunt, sed homines rationales. Ad omnes hos clamat per scripturas, prædicatores, creaturas, inspirationes, per seipsum, per angelos, beneficia, aduersitates. Quandoquidem uerò totus hic liber scriptus est per iuga more Hebraico, intelligi possunt filij hominum pro uiris & omnibus hominibus, ut sit idē utriusq; sensus, & hoc simplicius.

Virilis sapientia.

5 Intelligite paruuli astutiam, & insipientes animaduertite:

Vos quotquot estis sensu minores & pueriliter sentiētes, sæculi uanitatibus implicati, qui magna suspicitis, & admiramini quæ sunt in hoc mundo, intelligite ueritatem, astutiam capescite, erudimini experimentis, ut occurratis incommodis: & qui estis ignari disciplinæ & bonarum rerum per me resipiscite, instituamini, intelligite uerum & bonum, sitis posthac cordatiores, maturi, & intelligentes dei uestri beneplacitum.

6 ¶audite quoniam de rebus magnis locutura sum: & aperientur labia mea, ut recta prædicent.

Monet Salomon, ut uerba quæ dicturus est, ut prima principia quædam certa, clara & infallibilis ueritatis habeantur, quasi fundamēta dogmatum ecclesiasticorum, de quibus nulla sit admittenda quæstio, nulla perquirenda ratio: nempe primæ cum sint ueritatis sententiæ, quas didicit spiritu reuelante diuino, quæ & sint æquitas ipsa uel rectitudines, quæ si credantur, uiam ostendunt ad uitam rectam, certam, sanctam atq; beatam.

7 Veritatē enim meditabitur guttur meū, & labia mea detestabuntur impium.

Non humano spiritu, id est, mendaci, sed diuino ac ueraci inspiratus loquar ipsissimam ueritatem, qui & abominari me cogit ut immundiciem quicquid aduersatur ueritati & contradicit dei uerbo. Est autem gutturis meditatio doctrina præmeditata cum spiritus sancti instinctu prolata in tempore, ad utilitatē fideliū & gloriam dei, de quibus nihil ad impios: sunt enim ipsis abominatio omnia sacra.

8 Iusti sunt omnes sermones mei, non est in eis prauum quid, neque peruersum,

Iustissima & uera sunt omnia quæ me iubet spiritus dei loqui & scribere. Non sum enim ego qui loquor, sed in me spiritus dei per os meum fidelibus ueritatem testatur, ut credentes saluētur. Scripsit enim Salomon sermones rectissimos, & ueritatis plenos. Nō enim alius quàm Christi spiritus ueritas et sapiētia dei in eo loquutus est. Eloquia autem dei constat esse casta & munda, præceptum domini lucidum est illuminans oculos.

9 omnes recti sunt intelligentibus, & æqui inuenientibus scientiam.

Quicquid hoc libro producitur, sicut & in alijs canonicis sacris literis, æternæ ueritati inmittitur, spiritu sancto authore inspiratur, comprobatum & certum agnoscitur, & sine scrupulo & hæsitatione quacunq; intelliguntur à studiosis ac sensatis. Docent rectitudines inuenientes scientiam. Inuenitur autem sapientia huiusmodi, hoc est sine meritis obtinetur, diuinarum rerum scientia recta & utilis. Qui uero traditionibus hominum regitur, errabit, periclitatur, & per obliquum incedet, non recta.

10 Accipite disciplinam meam, & non pecuniam: doctrinā magis, quàm aurū eligite.

11 Melior est enim sapientia cunctis pretiosissimis: & omne desyderabile ei nō potest comparari.

Studium diuinæ legis omnibus præpositæ mundi diuitijs, etiam pretiosissimis, mordicus tenendū docetur, ab ea nec latum unguem pro omni creatura discedendum. Si enim philosophi gentilium diuitias spernere potuerūt pro opinionum suarū uanitate: multo magis fideles pro uerbo dei & lege non admirabuntur aurum & argentum, sed spernent potius admiratione ac comparatione illius. Accipite, inquit, disciplinam meam, gratuita munificentia, sapientiam ueram, & intellectum uerborum dei, tradendam suscipite, non liberi arbitrij uiribus obtinete. Amatoribus suis sapientia uera non argentum præbet, sed gratiam & amorem paupertatis, mundanarum rerum contemptum uel neglectum. Quæ paupertas uera, non tam est in nihil habēdo, quàm in multa dando, et pauca desyderando. Quicquid in hoc mūdo desyderari

Studium diuinæ legis omnibus præpositæ diuitijs

Paupertas sancta.

poteſt

poteſt, minus eſt à ſapientia Chriſti, per ſpiritum ſanctũ electis præſtanda. Eſtq; immortalis & æterna poſſeßio ſpiritus Chriſti & ſapientia, regnum ipſum cœlorum, in præſenti incipiens & durans ſemper.

12 Ego ſapientia habito in conſilio, & eruditis interſum cogitationibus.

Aſtutia hic, ut & aliàs ſæpe hoc libro, intelligitur pro prouidentia euadendi mala, proq; diſcretione inter piũ & impium, inter doctrinas dei & hominum, hanc præſtat in ſancto & fideli uerbum dei, ſapientia diuinæ legis. Cogitatus pluratiue pro conſilio accipitur perficiendi bonum, & pro agnitione beneficiorum dei, quæ ſtudio diuinarum literarum conſequimur. Poteſt & pro ludo accipi, ut ſit repetitio & exaggeratio: quaſi dicere uelit, Non eſt eruditus, utilis, ſanctus & pius cogitatus ac ſcientiæ ueræ intellectus, niſi per ſapientiam ſacræ ſcripturæ.

13 Timor domini odit malũ: arrogantiam & ſuperbiam, & uiam prauam, & os bilingue deteſtor.

Qui ſyncero filialiq; affectu deo adhæret ac timet, id eſt qui uere amat, ille abhorret ab omni malo, ab omni eo quod deus non docuit, præcepit, cõmiſit, ꝓbauit, quæ ſola ſunt bona, quia deo grata, cum ratio bonitatis in operibus noſtris, tantum conſtet ex acceptatione diuina de qua ſolum dei uerbum nos reddit certiores. Malũ eſt ergo quod deus nõ nouit non approbat. Cõfringit quoq; is dei timor & deijcit ſuperbiam animi, in opus proficiens, uerbis factiſq; teſtatus, ac arrogãtiam tumoremq; animi, elationem ſenſuum, & uiam malam aufert, id eſt, opera impia ex dei contemptu & ſuæ legis propagata, quo fit ut timore dei ſimul cor, mores & opera reformentur. Os quoq; loquens peruerſa, mẽdacia, hæretica, impia, turpia, lege dei damnatur & obſtruitur, & à ſapientia dei oditur, & punitur ſuo tempore. Similiter & perfecto odio illud auerſatur et perſequitur, timẽs deũ, fidelis, humilis, uerax ac pius.

14 Meum eſt conſilium & æquitas, mea eſt prudentia, mea eſt fortitudo.

Notum eſt Salomonem pro ſua perſona non potuiſſe hæc ſentire, ſed quæ in eo habitauit dei ſapientia dicit, omnia fieri conſilio ſuo: attingit enim à fine uſque ad finem fortiter, omnia agens in omnibus, contra quam non eſt conſilium, omnia illius nutui, uoluntati cõſilioq; ſubiecta ſunt et regumur, nec eſt qui ſuæ poßit reſiſtere ordinationi. Non eſt autem more hominum conſilium dei, quemadmodum conſultatio quid liceat uel profit uel melius ſit inquirere, ſed uelle dei ipſum bonum eſt, & regula bonitatis & conſilium. Et תושיה ſubſiſtentia intelligitur, poteſtas ſtatuendi leges firmas, omnia perficere, uires præſtare omnia proſequendi. Ego intelligentia ueritatis ſum, quicquid enim ſine ſapientia dei & ſancto ſpiritu cognoſci putatur, error eſt, falſitas, & ignorantia: & fortitudo, inquit, ad idem pertinens. Sine opera diuinæ uirtutis nihil ualet omnis creatura. Sola ergo ſapientia dei eſt, quæ donat ſcire, uelle, poſſe, & agere bonum in creaturis: nihil ergo eſt proprie hominis arbitrium multo minus libertas ad bonum quodcunque.

15 Per me reges regnant, & legum conditores iuſta decernunt.

16 Per me principes imperant, & potentes omnes iudices terræ (decernunt iuſtitiam.)

Sine ſapientia, conſilio, uoluntate, & decreto dei nihil agunt, qui potentiſſimi ſunt inter homines, omne eorum regimen ex dei prouidentia pẽdet, ut regnent qui, quales, quando & quomodo uult dominus. Cor regis in manu domini, & quocunque uoluerit inclinabit illud, infra 20. capite, multo magis opera. Sine ſapientia diuina leges hominum iniuſtæ ſunt, neceſſe eſt ut cõformentur, ueluti regulæ uerbo dei traditiones humanæ. Lex nulla fit iuſta, niſi domino approbante. Quæ ſequitur ſententia uerſu decimoſexto ad idem eſt, ueluti quoddam iugum elegans. Sapiẽtia dei

17 Ego diligentes me dilgo: & qui mane uigilant ad me, inuenient me.

Eruditionem ſacram ſoli aſſequuntur, qui non corporalia diligunt, & mundi delicias, ſed qui meditationi diuinæ legis ſeruenter incumbunt, reliquis omnibus curis præferunt, meditationem intelligamus non ſine praxi et exercitio, ad opportunitatem & caſum incidentem aßidue. Sed & ſomnolenti, otioſi, deſides eam nõ capiunt, ſed qui mane uigilant, deſyderanter ac ſolicite incumbunt, humiliterq; à domino poſtulant ſapientiam & aſſequuntur: multo minus inuenietur apud uentres delicatulos, faſtuoſos, auaros, & ſi qui ſunt his ſimiles impij & mundani toti. Sapientes in deo.

18 Mecũ ſunt diuitiæ & gloria, opes (firmæ) ſupernæ & iuſtitia.

Sapientia uera huiuſmodi ſui ſtudioſum facit ſua ſorte contentum, reprimit concupiſcentias rerum inutilium, quietum, iucundum, ac modeſtũ facit. Verã gloriam coram deo & hominibus præſtat, nihil ſibi boni tribuens, ſed deo omnia. Diuitias iuſte acquiſitas poßidet diuturnas ac ſtabiles pro ſe & hæredibus, ac in proximi uſum atq; cõmodum expendi ſuadet, ut iuſte uiuatur in hoc ſæculo: dum interim impij undiquaque rapiant, cum iniuria quoque aliorum fugaces diuitias congerentes, nam ſimili temeritate perdunt qua fuerant acquiſitæ. Denique diuites boni eſſe non poſſunt niſi idem ſint & ſapientes, habentes ſcilicet timorem dei, & proximi charitatem, quæ ſunt fructus fidei iuſtificantis. Sapientiæ uera.

19 Melior eſt fructus meus auro & lapide pretioſo, & genimina mea argẽto electo.

Fructus ſapientiæ ſunt dona ſpiritus ſancti, & quicquid è ſapientia uerbi dei diſcimus & captamus, ſcilicet fides, ſpes, charitas, obediẽtia, timor filialis, myſteriũ Chriſti, iuſtitia, pax, cõſolatio in aduerſis, quibus omnia pretioſa mundi conferri non poſſunt. Sed rerum naturalium poſſeßiones, terrænaſcentia ac diuitiæ meliora ſunt mihi, quàm argentum electum, hoc eſt artificiales diuitiæ, opinione ſola hominum æſtimatæ, & ſuapte natura nullis uel paucis per ſe uſibus expoſitæ. Vel ſimplicius per repetitionẽ, ut ſit eadẽ ſententia cum priore, ad expreßionem ampliorẽ. Nihil enim hominini ſenſato ex- Fructus ſapientiæ.

petibilius, quàm legis dei scientia, & fauor creatoris sui agnitus, & omnium rerum suarum gubernatoris.

20 in uijs iustitiæ ambulabo, in medio semitarum iudicij:

Sapientia cõmendat.

Sapientia prosequitur, In semita iustitiæ deducam, instruam in uera fide ad deum, quam lex dei in spiritu intellecta commendat, ut scilicet in Christo, qui est iustitia nostra proficiamus, cum deo ambulemus, illiq; placeamus, sed & ambulare faciam pios ad æquitatem conseruandam cum proximo, ut tolerabilis sit quisque suo amico, amando probitatem in hominibus, nõ minus tamen peccata illorum corrigendo, quæ sunt uiæ iudicij, amare bonum & facere, odire malum & fugere. Vel aliter accipiendum: Non sufficere agnouisse sapientiam legis, nisi quis in ea quoq; ambulet & proficiat semper, nec ad sinistram declinando nec ad dexteram, sed uiam uerborum dei conseruet.

21 ut ditem diligentes me, & thesauros eorum repleam.

Felicitas sapientiæ.

Qui sapientiam obseruant hæreditario eam iure semper & sine fine poßidebunt, felicitatem permanentem & subsistentẽ. Qui enim pie & iuste uixerint sapientia dei directi remunerabuntur hæreditate sanctorum, eorumq; desyderia plene satiabuntur, ut habeant quantum uolunt, quia nihil mali uolunt. In hac uita sanctorũ desyderia minime satiantur, in futura simul omnia poßidebunt. Est enim beatitudo status omnium bonorum aggregatione perfectus.

22 ¶Dominus possedit me in initio uiarũ suarum, antequam quicquã faceret à principio.

Sapientia in creatura & creata.

Post descriptam uerbis multis sapientiæ diuinæ et uerbi dei charitatem ad homines uniuersos, quibus innotescere uult eatenus, ut nihil temporis, loci, & personarum negligat quo minus adsit omnibus. Hic nunc subinde uirtus eiusdem potentia & magnificentia celebratur & operatio, in creatione terræ, abyßi, maris, fontium, montium, cœlorum, & dispositio ordinatißima omniũ corporalium rerum, ad salutem hominis & ministerium prædestinatorũ ac electorũ, quæ omnia creata sunt per uerbum dei. Verbo enim domini cœli firmati sunt, et spiritu oris eius omnis uirtus eorum, ut liquido cernatur, hic Salomon non de creata sapientia & humana quapiã industria loqui quomodocunq; acquisita, sed de sapiẽtia dei coæterna, quæ est ipse deus. Et de uerbo dei, per qd facta sunt omnia. Omnia in sapientia fecisti. Multum sane interest pietatis credere deum omnium creatorem, rectorem, & dispensatorem, qui nihil eorum odit quæ condidit, sed omnia operatur in omnibus, ideo sæpe idipsum repetitur, ut arctius affectui per fidem imprimatur, & ne credatur mundus casu, ab æterno, uel à seipso conditus fuisse, sed à sapientia & uerbi dei iussu & potentia omnia producta, ordinata, conseruata & gubernata, ut soli illi nos totos committamus, & ab illius regimine humiles pendeamus & grati. Poßidet autem dominus sapiẽtiam, nulla creatura, ideo qui desyderat sapientiam postulet eam à domino, qui dat affluẽter omne bonum, ipsa est creatrix, gubernatrix & conseruatrix omnium quæ facta sunt. Increata est, quæ ante omnia opera dei deus est, & uerbum apud deum, per quod facta sunt omnia, quod & tandem in plenitudine temporis caro factum est, & habitauit inter homines, in terris uisus, & cum hominibus conuersatus, Christus dominus, per quem loquutus est nobis nouißime, deus hominibus, ut olim multipharíam loquutus fuerat patribus, nunc in figura angeli, nunc hominis, nunc ignis in rubo, nunc nubis, nunc uẽti, nunc hominis residentis in throno, &c.

23 ab æterno ordinata sum (&) ex antiquis antequam terra fieret.

24 Nondũ erant abyßi, & ego iam cõcepta eram: necdum fontes aquarũ eruperant,

A conditione mundi innotuit creaturæ rationali sapientia & uerbum dei, potentiamq; suam opere suo mirifico demonstrauit, in laudem & gloriam conditoris, antequam esset quicquam eorum quæ cernimus, & quibus utimur. Tota uastitas mundi, & abyßi profunditatum ac altitudinum per dei sapientiã & uerbum esse cœperum. Copioßißimi quoq; fontes aquarũ perenni mraculo profluunt, iußu uerbi dei, & ordine sapientiæ.

25 necdum montes graui mole constiterãt. Ante colles ego parturiebar:

26 adhuc terram non fecerat, & flumina, & cardines orbis terræ.

Terræ cõditio.

Antequam montes solidarentur & stabilirentur, & quasi in aquis maris defigerentur grauißima promontoria, à quibus quasi portari uidentur. Et antequam colles inundantia aquarum causarentur & ualles, ipsa omniũ autrix fuit dei sapientia. Nondum absoluerat terram & ornauerat decore suo & germinibus omnifariã, & elegantißimis, dum adhuc esset inanis & sine specie: superficies, campos, & latitudines, uel plateas regionum, ac fines orbis, et climata, nondũ decreuerat uel definierat: et caput uel exordium pulcrum orbis, maximũ & minimum sub toto cœlo nondum esse cœperat, quando iam sapientia extabat, & uerbum omnipotens olim incarnandum, ad formam quam iam deus pater conceperat, & ad imaginem primogeniti omnium creaturarum.

27 Quando præparabat cœlos, aderã: quando certa lege & gyro uallabat abyssos,

Sed & ipsum glorioßißimum cœlum, me sapientia annuente, iubente, creante, conditum est, ordinatum & ornatum: extensum nimirum sicut pellis & tentorium gloriæ magni dei. Ad cuius imperium & sapientißimam rationem aquarum uastitas suum accepit situm, limitem Aquarum fluus. & proprias oras, quas non licet transgredi, non sine speciali mandato dei, ne illaberẽtur terris, sed insulas quoq; faceret, quæ & mirabili obedientia domino iubenti ac quiescunt semper, aquarum profundißimæ abyssus. Hoc est, antequam diuideretur terra aquis, & aqua terris, certis utrinq; circunferentijs constitutis ac terminis pro salute uiuentium.

28 quando æthera firmabat sursum, & libra bat fontes aquarum,

29 quando circũdabat mari terminũ suum, &

& legem ponebat aquis, ne transirent fines suos. Quando appendebat fundamenta terræ,

Sapientia omnia.

Sapientia quoque dei præcessit tempore & æternitate aëris & ætheris circumfusionem, & instituit certas leges propagandi nubes, & resoluendi easdē ad imbres & pluuias pro terrarum irrigatione, & incremento eorum quæ nascuntur ex semine de terra. Fuitq; ante perennes scaturigines fontium prodeuntium ex profundo inacceßibili: quæ robore & perseuerantia erumpunt de profundis terræ, quam immobiliter super aquas mobiles, ut fixum centrum, mirabiliter collocauit, ut fundamentum orbis sine fundamento, & centrum ambientis cœli & elementorum in circulo.

30 cum eo eram cuncta componens. Et delectabar per singulos dies, ludens coram eo omni tempore,

31 ludens in orbe terrarum: & deliciæ meæ, esse cum filijs hominum:

Ante hæc omnia, inquit, sapientia & uerbum dei, ego eram apud deum, & deus erat uerbum, & ipsa sapientia per quæ facta sunt omnia. Cum nondum esset nec mobile, nec motus, nec tempus, cum nondum aliqua creatura cœpisset, ego dei sapientia eram, & creatura non eram, sed ipse deus. Dicitur autem sapientia artifex creatoris, quia exequitur domini iubentis arbitrium, ipsißima dei uoluntas & sapientia, arbitrium & nutus, quo artificiosißime omnia disponit, & condita regit suauiter ac decentißime. Et eram deliciæ quotidie, in seipso enim deus beatus est semper & fuit. Non accepit aliquid perfectionis, gaudij, beatitudinis à creaturis, sibi soli sufficiens & placens perfectißime, ante omnia fons omnis boni, & ipsa bonitas, à quo est omne bonum, sed non cognitus eis quæ nondum erant, quanquam cognita ab æterno essent. Donec cœpit ludere in orbe machinæ mundialis, in terra innotescere, operibus & affectibus congruentißime omnia disponendo, ad laudem & gloriam creatoris. Vidit enim deus omnia quæ fecerat, & erant ualde bona. An non pulcherrime ludit sapientia dei in omnibus creaturis? Lege impium Plinium, & ex historia naturarū intellige cōditoris et sapientiæ suæ lusum, & miracula omni humano intellectui incōprehensibilia. Deliciæ meæ esse, ait, cum filijs hominum. Gaudet uerbum dei & sapientia agnosci & credi ab hominibus pijs & fidelibus, in fide & reuerentia ac timore suscipi, proficere per omnia sæcula, & per omnes fines orbis terræ, ut simul quoq; eo uerbo dei homines delectentur, & alliciantur ad amorē conditoris, in quo solo uerbo saluari sperent & quærant.

32 ¶ nunc ergo filij audite me, Beati qui custodiunt uias meas.

33 Audite disciplinam & estote sapientes, & nolite abijcere eam.

Post hæc omnia intellecta & credita, filios uos hominum omnes appello, obedientiam ut pater exigo, & reuerentiam quam matri debetis, mihi soli & nutrici, uos uindico & requiro, beatitudinem promitto, uias meas & beneplacitum inculco, obseruantiam commendo, ne in uacuum audiatis, obaudite monitis meis, ut disciplinā domini feratis, membra uestra super terram castigetis, & subijcite iugo crucis, ne insolenter & delicate uiuatis. Erudiamini in uerbo dei, intelligite illud: ea scilicet quibus domino placere posßitis, per uerbum dei crescatis indies. Nolite negligere, desides esse, intermittere uel dißimulare acclamantem sapientiam, quum ipsa uobis parata respondeat: ne quando neglecta nunc à uobis, olim uos quoque indignos negligat, irrideat, destituat opportuno auxilio.

34 Beatus homo qui audit me, qui uigilat ad fores meas quotidie, & obseruat ad postes ostij mei.

Bene est uiro, feliciter uiuit omnis homo, alioqui secundum sæculum tenuis, miser, debilis & spretus, si amicum habuerit uerbum dei, si sapientiam sponsam fuerit assequutus, id est si ueras diuitias amauerit. Non beatos facit humana sapientia, sed euanidos & fastuosos, ac tandem stultos sine timore dei. Sacra autem scriptura, philosophia cœlestis, sapientia ecclesiastica, data est ad consolationem & spem uitæ beatæ hic & in futuro. Sapientia sacra & humana. *Vigilare ad fores, adagium est, sicut & obseruare ostij postes: refertur utrunque ad impensum & iuge solicitumq; desyderium audiendi magistros, & discendi sapientiam ueram, more studiosorum auditorum, qui mane surgunt ad auditoriū, qui præceptores colunt impense, expectantq; omnem occasionem proficiendi sibi, & gratificandi magistro: uel etiam mēdicorum instanter eleemosynam expetentium à diuitibus, quorum obsident ianuas. Nec sinet sapientia frustra cōpellare studiosos sui, gratisq; sperare doctrinam: fidelis est dominus: qui dixit, Petite, etiam dixit Accipietis.*

35 Qui me inuenerit, inueniet uitam, & hauriet salutem à domino:

Qui uerbū dei & sapientiā Christum in scripturis sacris didicerit et crediderit, is uitam inuenit, uiam & ueritatem: qui uero ignorauerit ignorabitur. Quantumlibet sapientes secundum sæculum ac Philosophi, mortui habebuntur, si Christum ignorant, & uerbum domini irrident. Ea ergo maxime inquirenda sunt oratione, studio, lectione, auditione, ut uere sapientes simus, sicut uita quæritur ut summum bonum, pro qua omnia reliqua negliguntur, sic sapientia appretianda quàm maxime. Hauriet autem beneuolentiam, fauorem, & gratiam à domino, deo amabilis erit & commendatus, etiam si totus mundus eum odiat & iudicet stultum. Sapientia Christus.

36 qui autem in me peccauerit, lædet animā suam. Omnes qui me oderunt, diligunt mortem.

Qui uero me contempserint & stulti esse maluerint, consilia mea neglexerint, fidem negauerint uerbo Dei, ueritatem scripturæ nō crediderint: isti peccatum, damnum & iudicium sibijpsis inferent, pernicioße errabunt, animam suam perdent, morte perpetua damnabuntur.

CAPVT IX.

1 SApientia ædificauit sibi domũ, excidit columnas suas septem.

Charitas dei.

Post commendata in superioribus opera sapientiæ circa mũdi constitutionẽ, hic opus salutis mundo exhibitæ per sapientiam dei describitur consequenter, charitas scilicet dei & amor, qua credentes omnes ad agnitionem uoluntatis suæ uocat, et ne quis excusationem prætexere possit, nihil negligit saluti necessarium. Est autẽ hæc litera figuratiuus sermo, quo designatur ecclesiam fidelium & congregationem sanctorum ædificari per uerbum dei, per sapientiã legis diuinæ, non potentia & prudentia sæculari, non honore, diuitijs, pompis, multitudine, nec templis magnificis, sacrificijs, unctionibus, ceremonijs, pretiosis uasis, & templorum ornatibus, sed sapientia uerborum dei. Ædificatur autem uerbo, oratione, spiritu, fide, amore, usu, uirtute, sine quibus non est ecclesia. Excidit autem & parauit septem, hoc est multas columnas, patriarchas prophetas, iudices, apostolos, Euangelistas, doctores, martyres, testes à quibus sapientia Christus domum suam sustentari uoluit & ornari. Sanctos doctores misit, qui uerbo, exemplo, scriptis, solicitudine, fortitudine, prouidentia, perseuerantia, domum suffulciant & supportent. Nihil hic dicitur de septem sacramentis: quæ nuperrime septenario numero cõprehendi cœperunt: cũ tẽporibus Rhabani & Isidori, quatuor tantũ docuerint sacrameta fuisse, cum sint reuera innumera signa rerum sacrarum, pedum ablutio, crux Christi, manuum impositio, linguæ igneæ, lac & mel, genera uestium ecclesiasticarũ, & signa multa, quocunq; nomine designentur, sed non instituta à Christo, ut sint ecclesiastica necessariaq; sacramenta, ut Baptismus & Eucharistia.

Columnæ ecclesiæ.

2 Immolauit uictimas suas, miscuit uinũ, & proposuit mensam suam.

3 Misit ancillas suas ut uocarent ad arcem, & ad mœnia ciuitatis.

Parauit in conspectu ecclesiæ spiritus sapientiæ & bonitatis diuinæ mẽsam regalem, sacræ atq; canonicæ scripturæ cibo & potu, omne delectamentum in se habenti bus instructam. Omnia necessaria documẽta, & fidei catholicæ omnia mysteria credenda proposuit, cibũ syncerissimæ ueritatis, & uinum certissimæ promissionis uel consolationis exhibuit, timorem dei & amorem docuit, literam ac spiritum commendauit, uetus & nouũ testamentum instruxit, carnem Christi & sanguinem in mysterio et sacro signo fidelibus fide percipiendum proposuit, hoc est, dispensationem dei & sacramentum Christi, per Christum meditandum & credẽdum participandumq; instituit. Misit autem sapientia dei Christus ancillas suas, ministros, prædicatores simplices, impotentes, ignobiles, ut uocarent omnes gentes ad unitatem catholicæ fidei, ad excelsam arcem ecclesiæ Christianæ, ad arduа credenda, speranda, operanda, ad statum perfectionis, ad exercitium charitatis, ad desiderium æternorum, ad timorem dei & amorem.

Cibus ecclesiasticus

4 Si quis est paruulus, ueniat ad me. Et insipientibus locuta est,

5 Venite, comedite panem meum, & bibite uinum quod miscui (uobis.)

Cibus sapientiæ.

Qui insipiens est, qui propriam agnoscit insciti am, qui humiliter de se sentit, qui stultitiam cordis humani euadere cupit, & erudiri scientia ueritatis, declinet huc, ingrediatur ecclesiam, uocationi acquiescat, incumbat sacræ scripturæ, comedat & bibat de ligno uitæ, de mensa domini, credat mysterijs fidei, de pane illo edat, & de calice bibat, quæ dant uitam mundo, conscientiã desperantem, animam morientem uiuificant & recreant, spe susceptа satisfactionis pro peccatis suis, per Christi passionem, & sacrificium semel patri pro omnium fidelium peccatis oblatum, unde uita æterna acquiritur. Vocat autẽ sapientia, fideles præueniendo ac solicitãdo, instigando, adiuuando, propositiq; panem & uinum, doctrinas morales & mysticas, literam & spiritum, timorem & amorem, terrorem & consolationem, utriusque testamenti doctrinas.

6 Relinquite infantiã, & uiuite, & ambulate per uias prudentiæ.

Relinquite dictamen rationis excæcatæ, quæ operatur mortem, & uiuetis. Si enim sacræ eruditionis cibos sumpseritis, si spiritu & fide scripturas sanctas scrutati fueritis, salui eritis, & deo uiuetis. Ambulate per uiã intelligentiæ, ex cognitione creaturarum inuestigate iudicia dei & iustitiam, ut sitis uere intelligentes, & efficaciter credentes uerbũ uitæ ac ueritatis. Deum enim credere, est sapientem esse. Ex factis suis iudicia illius intelligere, & reuereri est esse intelligentem.

7 Qui erudit derisorẽ, ipse iniuriam sibi facit: & qui arguit impiũ, sibi maculã generat.

Derisor

Derisor dicitur infidelis et impius, qui nec deum timet uel credit nec homines ueretur, qui nihil spirituale credit, tantum carnalia sapit & prosequitur, omnia uerba dei ridet. Huiusmodi incredulum & derisorem si quis ad frugem uitæ melioris cœperit inhortari, is ignominiam reportabit. Non enim animalis homo percipit quæ dei sunt. Nec sunt proijciendæ margaritæ ante porcos. Qui uoluptatem corporis putant summum bonum, hi famæ iactationem non proficiunt, sed ecclesiæ diuinæq; iudicio reseruantur, & iusto magistratui, sed & qui impium corrigere tentarit, is uicissim falsis criminationibus aspergetur, studium & laborem indigne collocabit, rependetur q; pro bono malum illi. Sunt igitur dei iudicio commendandi, & gladio absterrendi, ut sustineri inter fideles possint.

8 Noli arguere derisorem, ne oderit te. Argue sapientem & diliget te.

Arguendi

Improbum pertinacemq; in malo noli arguere, frustra insumis operam, rependet odium pro dilectione, peiusq; peccabit. Proximum autem melioris spei non obiurgatum mittas corrigere, nõ tam tui gratia quàm illius. Is te, quia sapiens, amabit. Quantumlibet quis sapiens sit, habet tamen quiddam unde corripiatur. Si enim dixerimus quia peccatum non habemus, nosipsos seducimus. Verũ iusti sunt apud deum, qui agnoscunt iniustitiam propriam, & audiunt uerbũ corripientis, & pium quemlibet pie monentem

nentem. Amabit te gratus de correctione, amicum agnoscet: sed prospicias tibi quoq;, ne alium corripiens, illo deterior sis, trabem gestans in oculo tuo, dum eximere tentas festucam in oculo fratris.

9 Da sapienti occasionem, & addetur ei sapientia, Doce iustũ & festinabit accipere.

Si proposueris uerbum dei credenti et pio, reddes eum sine dubio meliorẽ, doctiorẽ humiliorem. Nemo tam sapiens, q fieri non posit sapientior. Semper sacra audiendo uel legendo proficimus, fides semper augetur. Iustiores fieri semper contendamus, uerbo domini ruminando insistamus.

10 Principium sapientiæ, timor domini: & scientia sanctorum, prudentia.

Deum credentes & uerbo illius, proculdubio transgredi uerentur beneplacitum eius. Nemo sapiens nisi qui timet deum pure & filiali affectu, qui & fiduciam certam ex uerbo dei consequitur. Nec intelligens quispiã apud deum censetur, quamlibet philosophiæ peritus, nisi qui sacrosancta cognoscit, credit, appretiatur, & obseruare conatur.

11 Per me enim multiplicabuntur dies tui, & addentur tibi anni uitæ.

Omnes dies felices sunt illi qui deum nouit & amat, mortui uero censentur illi qui deum ignorant, dies eorũ uani sunt, frustra in hoc mundo uiuunt. Fidelis aũt perturbari non potest, omnes dies uitæ expendit in timore dei, omnia ex fide operatur, floret semper, mortem non timet. Is uero diutißime uiuere putabitur, etiã breui consummatus explet tẽpora multa, & uitam æternam hæreditabit. Non igitur annitendum ut diu uiuatur, sed ut optime, pie, sobrie & iuste.

12 Si sapiens fueris, tibimetipsi eris: si autem illusor, solus portabis malum.

Iam toties adhortor te ut sapias, & incumbas sapientiæ, uerbo dei credas. Quod si mihi acquiescas, rem tibi maxime cõmodam egeris, tibi profuisti, bonorum tuorũ ego non egeo, nihil mihi sapientia tua accrescet, iustitia iusti super eum erit, & impietas impij erit super eum. Vnusquisq; pro seipso reddet rationem. Si uero irriseris sapientiam, si spreueris uerbum dei, senties dei iudicium & dolebis. Quisq; onus suum portabit.

13 Mulier stulta & clamosa, plenaq; illecebris, & nihil omnino sciens,

14 sedet in foribus domus suæ super sellam in excelso urbis loco,

15 ut uocaret transeuntes per uiam, & recta pergentes in itinere suo.

Allegoriam sermo indicat. Postquam enim tanta promissa sunt, & de fide obtinenda consiliũ datũ: nunc falsam inducit sapientiam, prudentiam carnis, quæ contradicit fidei uerborũ dei, opiniones suadet friuolas, & humanam iustitiam. Nominat autẽ mulierem stultißimam uacuam à fide, quæ non percipit ea quæ dei sunt. Deinde tumultuosam, turbulentam, inquietam, clamosam, qualẽ scholastici opinatores & quæstionarij retulerunt, plenam multiloquio & disceptationibus: cum secta sectam auersatur, persequitur, traducit & damnat, ut uidimus æuo nostro. Tertio dicitur mulier errorũ & disceptationum: non enim docet, sed decipit: promittit quidẽ scientiam, sed exhibet pueriles & deceptorias opiniones, argumenta, replicas, sophismata, talibus scatent scholæ nostræ, quæ ut speramus à posteris ignorabuntur. Quarto ignaram & insipientem uocat, quod nihil nouerit eorũ quæ ad uitam animæ pertinent. Est enim profecto nostra ratio sine dei uerbo cæca, deceptrix, tumultuosa & stulta. Extollitur tamen superbia & ecclesiam docere præsumit, ac auertere nititur gradientes simpliciter in uia legis diuinæ. Audet interpretari & iudicare scripturas diuinas, pro uoto suo, et pro uindicandis moribus suis ac defensandis, dicens:

16 Quis est paruulus, declinet ad me. Et uecordi locuta est,

17 Aquæ furtiuæ dulciores sunt, & panis absconditus suauior.

18 Et ignorauit quod ibi sint gigantes, & in profundis inferni conuiuæ eius. (Qui enim applicabitur illi, descendet ad inferos: nam qui abscesserit ab ea, saluabitur.)

Aduocat ad se sæcularis illa prudentia & animalis uanos homines, & iudicio dei iusto immittitur illis operatio erroris, ut credant mendacio, consentiant iniquati: & replet spiritu uertiginis, doctrinis operũ, & adinuentionibus rationis humanæ nituntur, quæ magis placent quàm lex dei, et uoluntas creatoris. Caro enim concupiscit aduersus spiritũ. Præeligimus insani grauia humana mandata, uota, præsumptiones, iugum autem domini suaue & leue onus obmittimus: hoc est, fornicatricem rationem nostram, plus quàm uerbum domini amamus. Paulatim sentimus mundanam sapientiam, & mandata hominum degenerasse in carnificinam conscientiæ, in laqueos incxtricabiles, durißimamq; tyrannidẽ, cum deserta lege domini hominum legibus opprimitur spiritus libertas, & suffert gigantes, potenter innoxios opprimentes. Sicut apud religiosos nostri sæculi uidemus, quibus longe dulciora sunt patrum suorum statuta, & regulæ sanctorum, quàm charitas fraterna, fides in deum, & amor sacræ lectionis. Non aliter quàm stulta mulier, de qua diximus, ad se fatuam & pernicioſam pestem aduocans iuuenes inexpertos lactans ac amore insano dementans: ut abstrahat à sacro connubio, & meretricium amorem inserat imprudentibus, sub quo longe difficilius uiuitur quàm sub legitimo marito. Quo fit ut tandẽ protrahant inconsultos in barathrum desperationũ, in profunditates inferni, ut miserias præsentis uitæ experiantur, & futuræ impietatis suæ mercedem bis recipientes, tam conscientia quàm inferno torquendi.

Prudentia animalis.

¶PARABOLAE SALOMONIS.

Hactenus à principio libri, quasi procœmio quodã commendauit Salomon sapientiã uerã, dei timorem & cultum, parentũ obedientiam, laborẽ manuum, luxuriæ fugam, matrimonij dignitatem. Posthac alio orationis filo quasi per Maximas quasdam & Regulas, iuxta uerbum

domini mores instruit, quibus carnalis prudentiæ error corrigatur. Præfigitur nouus hic titulus, nempe Prouerbia Salomonis. Quæ uero uerba adduntur, in quibusdam exemplaribus, Filij Dauid regis Ierusalem, abundant. Singuli autem fere uersus Regulas ac sententias habent deinceps: & ut plurimũ bipartitas, simul uirtutis laudem, cum contrarij uitij uituperio continentes, quarum prima est.

CAPVT X.

1 Filius sapiẽs lętificat patrẽ: filius uero stultus mœstitia est matris suę.

Sapientiæ studendum.

In nullo filius parentibus gratificari dignius potest, quàm si sapientiæ studeat. Sed & summa parentibus cura sit, circa pretiosissimum thesaurum suum, qui sunt filius uel filij. Sub quo Masculino genere more omnium scripturarum, etiam Fœmininum, id est filia uel filiæ continetur. In quo uidetur quasi immortalis pater: mortuus enim quum fuerit, quasi non est mortuus, reliquit enim sibi similem filium. Qui igitur filium bene docet, laudabitur in filio, et in medio domesticorum corã illo de eo gloriabitur, & lætabitur ex animo de prudentia & probatis moribus filiorum, gaudens se relinquere dignum hæredem nominis & rerum, dicendo cum Iacob de Ioseph, Iam lætus moriar, quia superstitem te relinquo. Stultus autem filius mœror est matri suæ, continua enim cohabitatione & diligentia insti tuendi intenta, de stultitia ac improbitate illius naturaliter continuo contristatur, anxiatur, timet, ac uerecunda tur, cum gloriari de eo mallet. Discant ergo matres, tanto magis sedulo erudire filios, dum nutriunt, ne tandem de filijs contemptoribus et indisciplinatis tristari cogantur. Multa de hoc lege Ecclesiastici 30.

2 Nil proderũt thesauri impietatis: iustitia uero liberabit à morte.

Diuitiæ improbæ.

Diuitiæ rapinis & iniurijs proximorũ & malis artibus acquisitæ, uel nõ durant, uel nõ subueniũt: sed obturbant conscientiã & diffamiã inurunt. Sic præsumptio de proprijs uiribus, & abundantia in proprio sensu nõ prosunt. Iuste aũt cõuersari cum hominibus, reddere unicuiq; ius suũ, benignitas ad proximos, & liberalitas, & iusta conuersatio non timet gladiũ, non necesse habet lictoris formidinẽ, fidei quoq; iustitia à morte liberabit æterna, & elecmosynæ operiunt multitudinẽ peccatorũ.

3 Non affliget dominus fame animã iusti, & insidias impiorum subuertet.

Iustus nõ relinquendus

Non uidi iustũ derelictum, nec semen eius quærens panem. Non est enim iustus otiosus, incumbit sanctis operibus, pijcit oẽm solicitudinẽ suã in creatorẽ, à quo totus pendet, filius dei est, totus mundus est illi hæreditas. Scit pater cœlestis qbus filij sui egeant: omnia quæcunq; faciunt prosperabũtur: cibũ dat pullis coruorũ cũ inuocantibus, multo magis filijs credentiũ. Non quidem diuitijs onerat magnis, sed quod non esuriant promittit, & illi uictũ & amictum habentes contenti sunt. Comedendum est ad esuriẽ propellendã, nõ ad delicias. Intelligant igitur se iustos nõ esse qui in cibo et potu delicias sectantur & crapulam. Malitias & improbitates impiorũ, ac malas artes dominus irritabit. Incident in laqueos diabo-

li, qui uolunt ditescere. Radix malorũ cupiditas. Istis dominus per omnia aduersatur, ut illi dño semper, ppellit ac eijcit dñs tales de possessionibus in ultimã egestatem.

4 Egestatem operata est manus remissa: manus aũt fortiũ, diuitias parat. (Qui nititur mendacijs, hic pascit uentos, idem autem ipse sequitur aues uolantes.)

Pauperiem operatur otiosa manus, quæ uel nihil agit, uel fraudulenter & infideliter incumbit operi. Damnat otiositatẽ, ut supra 6. cap. de formica sectãda. Qui enim nõ laborat non manducet. Excõmunicandi sunt ab ecclesia otiosi, tantũ abest ut in otio ab ecclesia foueãtur. Nec solũ laborandũ, sed sedulo & instanter cũ diligentia non ut perfidi mercenarij, et dolosi artifices, quibus abest et timor dei & charitas proximi. Pij autem omnia syncere agunt, laborant fideliter, alteri faciũt quod fieri sibi uelent, non tam ob mercedem quàm charitatis meritũ & otium uitandum. Tales ditari uidemus, hoc est necessarijs non egere: fraudulẽti uero semper egestate premuntur, non tam proximo, quàm sibijpsis pernicioſi. Contra otium.

5 Qui congregat in messe, filius sapiens est: qui autem stertit æstate, filius confusionis.

Labor utilis.

Idem monet quod supra, Vsquequo piger? Commendando laborẽ, & eum in tempore conuenienti: prudentiam docens in agendis, dãnat accidiam. Vtilẽ laborẽ laudat, à deo quoq; iniunctũ primis parentibus, prouentum aũt operũ, sine nostra solicitudine, domino cõmendemus. Dicitur autẽ filius prudentiæ, Hebraico more, hoc est prudẽtior alijs uel prudentissimus, legitime circumspectus, exercitatione edoctus. Obdormire in messe, est negligere oblatam opportunitatẽ necessarij laboris, ottari dum laborant alij: pro uictu talis mendicitate confundetur, cum confusione egebit necessarijs. Filius confusionis, id est confusione dignus, & ad improperia natus.

6 Benedictio (domini) super caput iusti: os autem impiorum operit iniquitas.

Iustorum felicitas.

Dñs regit iustũ, ut nihil desit necessariorum animæ, spiritui & corpori: pmouet, dirigit, gubernat, glorificatq; fidentẽ & sese dño commendantem. Benedictiones Hebræis sunt dei dona & felicitates, etiam in hoc mundo. Potest uero dici: Multæ imprecationes optimæ solent iustis deferri hominibus. Passim bene audiũt qui innocẽter & nõ otiose uiuunt, omnibus enim gratificantur, ideo à plurimis diliguntur. Impij uero ore suo iniuriã operiũt, omnibus detrahunt, sanctos calumniantur, quorũ opera odiunt, secreto diffamant, quos publice pro testimonio honestatis arguere non audent. Non displicet glossa, Os impij, quod cõmessationi, ebrietati & obtrectationibus deseruire consuecuit, propter iniquitatem quam congessit condemnabitur. Os aũt illius iniquitas operit, quod in tormentis, in lingua sibi iniqua, ob plura scelera plus punitus est, refrigerium quæsiuit.

7 Memoria iusti cum laudibus: & nomẽ impiorum putrescet.

Memoria iustorum.

In memoria æterna ad laudẽ iusti durabunt, in hac uita bene se gerunt, à bonis laudantur, postq; longa tempora in se & posteris benedicentur, ut Abraam, Isaac, Dauid, &

et Abel ipse. Cum interim impiorũ nomen, quod per titulos, aras, memorias & anniuersaria ambierunt, interciditur & fœdatur atq; putrescet, & in nihilum redigitur. Quin & in sæcula narrantur uitia illorũ, impietates ac tyrannides. Patet exemplis gentilium & fidelium.

8 Sapiens corde præcepta suscipiet: stultus cæditur labijs.

Stultitia. Homo sensatus acquiescet mandatis maiorum, parentum, regum ac magistratuũ. Subijcitur enim omni humanæ creaturæ propter deũ, subditus omnibus, ex lege dñi eruditus, quã nõ inuitus nec seruiliter obseruat, sed sponte, ut iam non lex dicatur, sed amor & obedientia. Stultus autem labijs, qui futiliter obloquitur, obmurmurat, ac maledicit maioribus, detrahit pijs, is percutietur, ac pœnas luet stultitiæ, à magistratu iusto punietur. Sic quis uerbo dñi contradicit, qui docet mendacia, & ueritatẽ blasphemat, partẽ suam habebit cũ impijs et hypocritis.

9 Qui ambulat simpliciter, ambulat confidenter: qui autem deprauat uias suas, manifestus erit.

Qui honeste, pacifice, simpliciter & sine fraudulentia conuersatur cum proximo, alteri perinde faciẽs atq; sibi uult fieri, qui nemini male uult, is semper tutus erit, omnia feliciter tentabit & tutus, lædetur à nemine, conscientia iucunda fruetur & pace. Præfractus autem & prauis incedens moribus, neminem reueritus, traducitur in publicum, illius prauitas deprehendetur. Nihil enim occultum quod non scietur: manifeste iudicabitur, quod commissum fuerat in occulto.

10 Qui annuit oculo dabit dolorem: & stultus labijs uerberabitur.

Exemplum subdit hominis non simpliciter ambulantis, sed oculo annuentis, & labijs blandientis: hoc est, aliud fingentis, aliud autem meditantis, qui inde causam præstat doloribus, dum uel decipit, uel inuidiam concitat, uel meretricatur, ut uideat ad concupiscendum illicita. Sic autem offendit oculus, & insuper stultorum labia temere loquuntur, unde postea dolere cogantur.

11 Vena uitæ, os iusti: os autem impiorum operit iniquitas.

Verba sanæ doctrinæ, honestatemq; redolentia, semper effluunt de ore iusti & fidelis: monent enim, docent, consolantur, excusant, defendunt, corrigunt, orant. Impij uero iniuriam meditantur, mentiuntur, detrahunt, ac blasphemant. Quasi fons uiuus sic omnium consolationi patent iusti, exponunt se commodo & usui omniũ: impij parantur ad perniciem.

12 Odium suscitat rixas: & uniuersa delicta operit charitas.

Charitas operit multitudinem peccatorum, excusat ubi potest, tacet & contegit ubi non potest. Proximos enim amat, non facile irritatur. Si peccetur in pios, leuiter donant, boni consulunt defectus proximorum, uimunt in bono malum, exemplo Christi & Dauidis. Inuidi autem ac odio perculsi semper iurgandi occasionem inueniunt, pro minimo ducunt contendere, etiam cum amicis, ac in ius trahere, ingratitudinẽ rependere, nocere

Charitas proximi.

di artibus innocẽtibus respondere. Dicitur autem super omne peccatum, non super omnem impietatem cui nihil est commune cum charitate proximi.

13 In labijs sapientis inuenitur sapientia: & uirga in dorso eius qui indiget corde.

Iam de laude iustorũ & uituperio impiorum dixerat, nunc de sapientiũ & stultorũ discrimine quædã. Sapiens non est asuetus loqui nisi erudita, religiosa, matura, & utilia, superfluis abstinet et à prauis colloquijs, sciens reddendam rationẽ deo de omni uerbo otioso, & ab hominibus ex uerbo iudicari cor hominum. Os iusti meditabitur sapiẽtiam &c. Stultus uero mendacijs, irrisionibus, multiloquio, obloquutionibus, & secretorũ reuelatione asciscit sibi uerbera & baculos.

Verba sapientum.

14 Sapientes abscondunt scientiam: os autẽ stulti confusioni proximum est.

Sapientes non temere loquuntur omnia omnibus, non sunt iactabundi, loquuntur opportune in tempore & loco, modestiã præferunt in omnibus: iuxta illud, Aurea mala in disco argenteo, uerbũ opportune prolatũ. Non proijciũt margaritas ante porcos, considerãt diligenter cui qd loquãtur, Stultus uero ore conciliat sibi periculũ, accersit pernicie, thesaurizat pauorem & pœnitentiã.

15 Substãtia diuitis, urbs fortitudinis eius: pauor pauperum, egestas eorum.

Diuitiæ præsumptuosos faciunt, sicut qui residẽt in arce firma non uerentur occursus hostiũ, fidutiam enim tenẽt euadendi, et euincẽdi aduersa. Cũ potius beatus sit uir qui confidit in dñm. Egeni pauent, semper neglecti à reliquis, oppressi à potentioribus, si desit spes in dñm, si uere sint pauperes, id est, sine fidutia in deum.

16 Opus iusti ad uitam: fructus autem impij ad peccatum.

Studiũ laborandi iustus habet, non ut ditetur, & libidinetur uel superbiat, sed uictui tantũ necessaria suppeditet, ut habeat unde cõmode uiuat, & det etiã necessitatem patienti. Igitur qui non laborat, iustus non est, uel qui ut ditetur laborat, aut superuacaneis incũbit, obmissis necessarijs. Spiritualius, Iustus in omni opere meretur & proficit, fide deo placet, uitam sperat æternã & assequitur. Prouentus autẽ & fructus labiorũ impio reputabuntur in peccatũ. Impius enim semper offendit. Vel aliter, Impius aũt prouentũ bonorũ suorũ perquirit et accumulat per fas & nefas, abutitur diuitijs ad malum.

Studium laborandi.

17 Via uitæ custodienti disciplinam: qui autem increpationes relinquit errat.

Solicita meditatio diuinæ uoluntatis, obseruantia disciplinæ, castigatio carnis perducũt ad uitã: hic uero delicate uiuẽtes, alibi cruciabũtur tormẽtis. Qui impatiẽter fert corrigi, errabit perniciose, præcipitabitur proprio sensu suo, subuertitur & seducitur facilime. Prona est enim ad mala natura humana ab adolescentia. Fallax rationis iudicium. Importuna sensualitas ad omne malum. Ignorantia uerbi dei perniciosa.

Meditatio legis dei.

18 Abscondunt odium labia mendacia: qui profert contumeliam, insipiens est.

Præfracti ac perfidi amicitiam fingunt ac ueritatem,

cum reuera odiant, mentiantur, & decipere conentur. Hypocritas iudicat & osores ueritatis, qui ex odio mentiri non uerentur. Stultus est autem à sapientia ac amore dei alienus, omnis diffamator & susurro. Qui traducit proximum, qui producit ignominiam fratris, contumelioſus & proditor, planè ſatanæ filius eſt.

19 In multiloquio nõ deerit peccatũ: qui autem moderat labia ſua prudentiſſimus eſt.

Nota eſt ſententia & clarus ſenſus. Vnde ſequitur de omni uerbo otioſo reddendam eſſe rationem. Facile obrepit garruloſo mendacium: perfectus uir eſt, & rara quis, qui non offendit in lingua, qualem nõ niſi Chriſtum credimus. Vidiſti hominem uelocẽ ad loquendũ, ſtultitia magis ſperanda, q̃ illius correctio. Sit ſermo ueſter gratia & ſale conditus, ponenda eſt ori cuſtodia, frenanda lingua, quod non eſt niſi prudentis. Lingua offendere.

20 Argentum electũ lingua iuſti: cor autem impiorum pro nihilo.

Suauis, modeſtus & inappretiabilis ſermo hominis pij, gratia conditus & fructu. Impius ex theſauro malo profert mala. Iuſtorũ ſermo eſt de lege domini. Mali deſpuunt blaſphemias, ſtultitias, mendacia, turpitudines, ſuſurria: quicquid moluntur abominabile eſt deo, & fit perniciosum hominibus.

21 Labia iuſti erudiũt plurimos: qui autem indocti ſunt, in cordis egeſtate morientur.

Non ſatis eſt fideli, eſſe bonum & doctum, niſi proximis quoq; proficiat, in uerbo dei erudiat quos poſſit: ſit omnia omnibus, paſcit ſpirituali cibo, ſi minus poteſt corporali auxilio, ſana doctrina. Iniuſti uero qui talentũ creditum ſudario recondunt, in ſua tabeſcunt perfidia & malitia, ignorantes ignorabuntur.

22 Benedictio domini diuites facit, nec ſociabitur ei afflictio.

Prouidentia humana non proficit ſine fauore diuino, conatus noſtri irriti ſunt, niſi dño proſequente. Veræ diuitiæ à dño largiũtur. Omne bonum deſuper, & à patre luminũ nobis illabitur munificentia dei, non noſtro arbitrio. Impij quantũlibet moleſtentur, nihil proficiunt ſuis conatibus: iuſtus uero ſe domino credit, à quo negligi non poterit, ſine moleſtia uiuit. Serena enim conſcientia iuge eſt conuiuium. Diuitiæ unde.

23 Quaſi per riſum ſtultus operatur ſcelus: ſapientia autem eſt uiro prudentia.

Impius & dei contemptor ſine timore pertinaciter prolabitur in omne nefas, dei enim iudiciũ nõ credit nec timet. Luſum exiſtimat præuaricari ius & fas. Per luſum inter pocula Herodes ad libdinẽ ſaltatricis meretriculæ filiæ meretricis occidit ſanctiſſimum Ioannem: ut hodie quoq; per riſum euangelij prædicatores ſancti plurimi interimuntur. Sapiens autem & deũ credens ac timens, auerſatur & declinat iſtorum perniciem dum intelligit. Riſus impiorum.

24 Quod timet impius ueniet ſuper eum: deſiderium ſuum iuſtis dabitur.

Impij præualere iuſtis cupiunt, & perditos uolunt, in deſiderijs ſunt ſemper, præſumunt etiam ſemper ſæua perturbata conſcientia. Timuit Saul amittere regnũ, timent amiſſionem bonorũ, & quod uerentur tales accidere conſueuit, uidere coguntur quod odiunt, nec aſſequuntur quod cupiunt. Iuſti uero nil niſi ſanctum & dei gloriam deſiderant & gratiam, quam & pro ſua fide & promiſſione dei certo conſequuntur.

25 Quaſi tẽpeſtas tranſiens non erit impius: iuſtus aũt quaſi fundamentũ ſempiternũ.

Perſequutores fidelium dum tumultuantur contra dominum, ſubito ſubuertũtur: cumq; maxime conantur inferre malum, turpiter confunduntur, ſubito euaneſcunt, ac rediguntur in nihilũ, in puncto ad infernum deſcendũt. Iuſtus aũt qui confidit in dño, ſuper firmam petram fundatur. Legi poteſt, Iuſtus fundamentũ ſæculi propter iuſtos enim uel paucos impij tolerantur in hoc mundo.

26 Sicut acetum dentibus, & fumus oculis, ſic piger his qui miſerunt eum.

Docet quidem ſimpliciter, perniciosum eſſe deſidem legatum, ac ceſſatorem in mandatis perferendis, qui nõ confeſtim ut poteſt perficit munus legationis ſuæ, qui in grauibus commiſſionibus negligens eſt, qui ſuſpendit & fallit animos ex ſe pendẽtium, qui fidentium illis cauſas impediunt: tales enim decepiſſe fraudaſſeq; impium eſt damnum, ſicut dentibus acetum obeſt, & fumus oculis. Veruntamen per Miſſos intelligere poſſumus prædicatores uerbi dei, apoſtolicosq; uiros, qui ſi fuerint oſcitantes, pigri, & ſerui nequam, offendent fumo errorum oculos fidelium, & cibum uitæ ac uerbi dei fidelibus reddẽt inſipidum, nauſeam, & perniciem. Legatus pernicioſus

27 Timor domini apponet dies, & anni impiorum abbreuiabuntur.

Diu uiuunt qui ſancte uiuunt, æterna eos uita manet qui deum credunt. Vere uiuit qui deo uiuit, in quo deus operatur ſancta, qui factis fidem teſtatur, qui ſic timet dominum ne offendat. Impij autem, inquieti, peruicaces & uiolenti immatura morte rapiuntur, mala conſcientia uiuentes mortui ſunt. Criminoſi lege plectuntur, periodum uitæ non aſſequuntur: tolluntur enim ne male agere pergant ſemper. Viuere diu.

28 Expectatio iuſtorum, lætitia: ſpes autem impiorum peribit.

Fideles non fruſtra deum timent, non credunt inaniter: repoſita enim illis eſt merces & corona iuſtitiæ. Fidelis enim dominus ſtatuet quæ promiſit, & multo pluſra ac lætiora reddit quam ſperari poteſt. Dies enim eſt in bonitate, beneficentia & miſericordia. Spes uero impiorum, id eſt, quod efflictim ſperare ſolent, ut eſt uita diuturna, meritorũ præſumptio, ſatietas appetituũ, uita quieta, omnia illos deſtituent, ut miſere pereant.

29 Fortitudo ſimplicis, uia domini: & pauor his qui operantur malum.

In uia dei ambulans probus ac integer, fortis eſt in eo ius. qui ipſum corroborat, prævalet impijs, ueretur neminẽ, triumphat de omnibus, per quãcunq; aliã uiam inceſſerit, incidet in latrones, periclitabitur de innocẽtia uitæ. In ea autem tutus erit, erroribus liberabitur, operatores autẽ iniquitatis, fideliũ & humilium oppreſſores pauẽt ſemper malum cogitant, proponunt, agunt infeliciter, pœnitent Simplicitas

pœnitent confusi conscientia, & perpetuò miseri.

30 Iustus in æternum non commouebitur: impij autem nõ habitabunt super terram.

Qui ueræ fidei iustitiam adepti sunt, & illuminati per gratiam cœleste donum gustauerunt, & participes facti sunt spiritus sancti, à domino non dimittuntur: uiuunt enim in fide, arram salutis consecuti de communi lege. Nihil tamen domino est impossibile. Iudicia quoq; dei abyssus multa, qui omnia sancte dispensat ac iuste. Quarum rerum inquisitio ad nos non pertinet, quid, quantum, quomodo, quoties, & quando largiatur dominus sua dona, sed ut de nostro debito cogitemus, quid susceperimus in mandatis, in quo deo nostro placeamus et seruiamus, utq; in fide bonitatis suæ semp persistamus. Impij autem promissam sibi hæreditatem amittent, & miseri inter bonos merebunt, uagi & instabiles. Nihil se luciter in terra proprium possident: cum interim fideles nihil habentes omnia possideant.

31 Os iusti parturiet sapientiam, lingua prauorum peribit.

Sapientia uera non nisi à iustis debite producitur ac docetur, qui fide feruent ad sacras literas, unde depromunt certa ad salutem animarum dogmata, non curiosa uel dubia. Non inuidus erit dispensator domini sui, sed lucrabitur domino suo multos, sapientiam passim disseminando in pios, quã impij nõ recipiunt. Nec aliud unquam loquuntur uel docent, quàm sapientiam uerã, non sophisticam, philosophicam, uel hæreticam, sed sacram, certam ac utilem. Lingua autem praua & peruersa disperdetur cum sua doctrina, damnabitur, & falsa comprobabitur. Veritas enim uerborum dei semper triumphat: commenta autem humana cõfunduntur. Patet hoc de gentilũ sciẽtia, per Euangeliũ Christi cõfusa, ministrio simpliciũ apostolorũ, sed spiritu sancto imbutorum.

32 Labia iusti considerant placita: & os impiorum peruersa.

Iusti homines consueuerunt modeste, pacifice, gratiose ac utiliter eloqui sententias suas, oraculorum dei & proximorum amatores. Loquuntur quoq; in tempore, sciunt de quibus affirmẽt uel definiant, non iniuriantur, nõ contẽdunt uel mentiũtur, de bono enim thesauro proferunt bona, erudite, religiose ac fructuose loquuntur ad omnes: os autem impiorũ peruersa, conantur subuertere ueritatem, iustitiam, bonos mores, decipere, blasphemare, detrahere. Iusto nihil placet præter dei uerbum & beneplacitum, cui desiderat probari: impius ab omni bono abhorret.

CAPVT XI.

1 Statera dolosa abominatio est apud dominũ, & pondus æquum uoluntas eius.

Damnantur diuino iudicio, & ad mortem imputatur omnis fraus et iniquitas, quibus proximus circũuenitur in opere & sermone: uult omnia syncere fieri officia charitatis, mutuũ compensari, ne sint mendaces et perfidi filij hominum in stateris, ne malis quibuscunq; artibus negotientur, sed ut præueniat frater fratrem in omni bono. Non ergo damnatur negotiatio, sed fraus & iniquitas. Hoc autem intelligitur in genere, per hoc quod dicitur, Sit pondus, calculus, lapillus iustus, æquus, integer, ut domino placet, qui & iudicat occulta.

2 Vbi fuerit superbia, ibi erit & contumelia: ubi autẽ est humilitas, ibi & sapientia.

Superbia mater est odiorum & schismatũ. Nemo diu superbo amicus perseuerare potest, modestia multa opus est & humilitate, & sapientia ad hanc artem: sed tutius fuerit huiusmodi declinare, cum simplicibus conuersari. Comitatur enim contumelia arrogantem, qui nimium sibi placet, & à proximi iniuria nõ formidat. Bonũ proximi sui & propriam malitiam non sinitur intueri mens superba, per elationem, sui ipsius ignorantiã et amorem. Modesti autem ac humules sapientiæ specimen præstant, ab alijs sperni non magnopere curant, conscij ipsi sibi propriæ fragilitatis. Imperfectum suum credunt agnosci ab alijs, malũt contumelia affici q̃ afficere. Humilitas indicium est sapientiæ. Arrogantia stultũ prodit, qui cum alios contẽnit, ipse sapientibus derisui exponitur. Exemplum de Amon apud Hester & Mardocheo. Superborũ iracundia.

4 Simplicitas iustorum diriget eos, & supplantatio peruersorum uastabit illos.

Simplicitas hæc, est dexteritas iustorum in uerbo & opere, qui iuxta uerbũ domini simpliciter cõuersantur: feliciter proficiunt, domino dirigẽte, gubernante ac defendente, quantumlibet ab impijs odiãtur. Cauent enim ne iustam occasionem dent calumniæ. Integre uiuunt, quieti, pacifici, læti & tuti. Impij uero dñi contemptores et proximi de se præsumunt, omnia fraudibus agunt, fucum prætexunt ut noceant, sibijpsis illi in primis perniciem ingerunt, incidentes laqueum quem posuerunt. Simplices tutiores.

5 Non proderunt diuitiæ in die ultionis, iustitia autem liberabit à morte.

Reprimit ab amore temporalium, quæ non liberant à iudicio dei, nõ commendãt deo, non reconciliant iratum peccatis nostris. Non exigit nostras diuitias, sed fidem et charitatẽ, in quibus consistit uera iustitia, quæ liberat hominem à morte: quasi dicat, Cogita de uera iustitia, quã ne inimicus quidem auferre possit, nec deus spernere uolet, diuitias facile perdes, sunt enim momentaneæ, & facile amissibiles ex imposturis hominum. Amor temporalium.

6 Iustitia simplicis diriget uiam eius: & in impietate sua corruet impius.

Perfectus dicitur homo, qui sine querela uiuit, qui fide & charitate proficit, qui non ex infidelitate peccat, sed fragilitate, & quasi nolens agit malum, ut queritur Paulus: sed semper ad anteriora & meliora tendit, à uia ueritatis & legis dei non aberrat, quomodocũq; res suæ cadant: is prosperatur in omnibus quæ facit, omnia agit bona conscientia, non obruitur passionibus, semper sui similis in bono. Impius uero carbones continuo congerit in proprium caput, in peiora semper prolabitur, peccato peccatum exaggerat, tandemq; cadit subito, & iudicatur à domino quem negauerat. Perfectus homo.

7 Iustitia rectorum liberabit eos: & in insidijs suis capientur iniqui.

Iustitia donũ dei, non proprijs uiribus acquisita: nempe fides in deum, liberabit ab incommodis corporis, rerum & famæ. Etiam si ab improbis traducatur probus passim, tamen in ueritate subsistẽs semper euadet: improbi uero proprijs fraudibus comprehendentur. Exemplis plena sunt omnia in sacris literis & prophanis, & experientia quotidiana.

7 Mortuo homine impio nulla erit ultra spes, & expectatio solicitorum peribit.

Pœnitentia uiuorũ est.

Post hanc uitam non datur locus resipiscentiæ & obtinendæ misericordiæ: donec hic uiuimus res nostra curanda, uiuentibus curam mandauit deus de proximo & fide. Idem est tempus mortis & iudicij, qui in hac uita spiritualia non curarunt, sed tantum mundana, in morte omnibus destituentur solatijs, & reæ conscientiæ tormentis torquebuntur. Percutitur enim hac animaduersione iniquus, ut moriens obliuiscatur sui, qui dum uiueret oblitus est dei. Glossa ordinaria quam uocant, de suo loquitur, suorum precibus, eleemosynis & missarũ celebrationibus, à peccatis leuioribus posse quenquam post mortem absolui. Quomodo id constet cum scripturis Lector pius & eruditus dispiciat.

8 iustus de angustia liberatus est: & tradetur impius pro eo.

Iusti deo cõmendati.

Domino se credens & commendans deseri non potest: si moram dominus fecerit, expectandus est magnanimiter: spiritus saltem datur, ut cum gaudio rapinas ferant sancti bonorum suorum, ut pro nomine dei contumeliam pati gratulentur, & mortem non extimescant. Videntur oculis insipientium mori, & æstimatur afflictio finis illorum & exterminium: illi uero sunt in pace. Anima nostra, aiunt, sicut passer erepta est de laqueo uenantium: laqueus contritus est, & nos liberati sumus. Christus resurrexit ad gloriã, Iudæi dispersi ad ignominiã. Deo credentes derelinqui non possunt. Impij uero bonorũ persecutores nõ euadent condignam pœnam: incipiũt enim sibijpsis in hac quoq; uita infernũ, ac uermem conscientiæ, ut perseueret semper.

9 Simulator ore decipit amicum suum: iusti autem liberabuntur scientia.

Hypocritæ pernicioſi.

Perniciosissimum hominum genus est hypocritarum, ac amicitiam simulantium, fidem ac probitatem fingentium, iustitiam & charitatem ad proximum, quem interim nequiter circumueniendo euertunt ac disperdunt, quales Christus dominus & ueritas ipse insectatur, quales & Christũ dominũ Iudæi occiderunt, charitatis fraternæ uenena, qui sub specie sancta imponunt, & difficile ab innocentibus euitãtur. Iusti autẽ quos fouet deus, regit ac protegit, instinctu sancti spiritus liberabuntur, uerbo dei eruditi discernunt uera à falsis, religiosa à superstitiosis, sancta à prophanis, utilia à pernicioſis.

10 In bonis iustorum exultabit ciuitas: & in perditione impiorum erit laudatio.

Ciues boni

Propter iustitiam, fidem & sapientiam bonorum ciuium gratulabitur tota congregatio. Salus est ciuitati, si boni in honore & æstimatione habeantur. Salubre regimen, & felix respublica ubi pij præsunt. Propter fideles

paucos deus parcit et benefacit toti multitudini. Iusti nõ sibi solis boni sunt, sed prodesse studeant toti ciuitati, priuatum commodum non sectantur, sed publicũ. In impiorum autem perditione laudabitur dei iustum iudicium, uerbi dei ueritas conspicitur, bonorũ persecutio cessat, fomes iniquietudinis expirat, pax fidelium reformatur.

11 Benedictione iustorum exaltabitur ciuitas: & ore impiorum subuertetur.

Si intra ciuitatem sint recti, iusti & fideles, qui benedicuntur à domino, in spiritualibus diuitijs promouentur, factis ac uerbis, fide & operibus dominum glorificant, per hos proficit communitas, fortunatur & floret respublica: exemplo sunt Abrahã, Isaac & Iacob, Isaias, Helias, & Iudith. Perfidi uero & uerbi dei blasphematores schismata solicitabunt, odia intestina, bella ac seditiones suscitabunt, quibus labefactatur ecclesia. Aliter potest dici: Sola benedictione dei, non humano consilio seruatur pax firma & tranquillitas ciuiũ. Nisi dominus custodierit ciuitatem, frustra uigilat qui eam custodit.

12 Qui despicit amicum suum, indigens corde est: uir autem prudens tacebit.

Conuitiarij

Conuitium inferre alteri, est semetipsum de iniquitate et cordis stultitia auditoribus accusare. Nollet id sibi fieri, cum sit sibi quoq; malorum conscius: sed uir intelligentiarum, id est, insigniter prudens, & uerbum dei respiciens, compescet os proprium, opprobrium proximi abscondit & attenuat, similem casum sibi quoq; uerebitur posse occurrere, fragilitatem propriam considerat, excusabit pro uiribus uel tacebit, iniuriam propriam ferret patienter: conuitiatorem mauult ferre, quàm eidem assimulari, quod intelligẽtiæ est: ut Dauid Semeio tacuit, & domini ordinem agnouit in facto & uerbis, patientissimeq; pertulit, donec placuit domino.

13 Qui ambulat fraudulenter, reuelat arcana: qui aũt fidelis est, çelat amici cõmissum.

Susurronem damnat, qui acceptum in fide secretum prodit inimico & traducit, proximiq; delictum mauult prodere, quàm fraterna humiliq; admonitione corrigere. Hoc est fraudulenter incedere. Qui uero menti imperare potest, & comprimere inuidiã, is amat synceriter, tegit negotium, secũ excusat, famam defendit, fidem amico præstat ac seruat, uerax, fidelis ac dexter.

14 Vbi nõ est gubernator, populus corruet: salus autem ubi multa consilia.

Magistratus prudẽs.

Vbi non est prudens magistratus, spiritu consilij directus, consors sententia, & consentanea colligatio bonorum uirorum ad cõmune bonum, & reipublicæ conseruationem & salutem, ibi periclitabitur populus. Sicut mala nauis pariter omnibus insolidum funibus rectinetur: sic pace & bello necessarij sunt prouidi consiliarij, & concordes auxiliarij. Ecclesia regenda docetur prælatis circunspectis, & nihil temere uel sine dei uerbo agentibus, sed singulas circunstantias operis expendentibus curiose.

15 Affligetur malo qui fidem facit pro extraneo: qui autem cauet laqueos, securus erit.

Prouidentiæ dei non credit uel nititur, qui pro re incerta

certa promittit, quæ uiribus suis nõ respondent, quæ sta tuere nõ potest. Qui alieno se obstringit, & tot sibi pro ximos necessarios & familiares præterit, uel non æsti mat, is est infideli deterior, atq; metas ponit dei legibus, decq; seipso præsumit: qui uero à uotis, promissionibus, & fideiussionibus abstinet, periculis carebit casuum in certorum. Alijs uijs pluribus succurri potest proximis, absq; huiusmodi obstrictionibus in futurũ, quod de cra stino non sit statuendum, nobis incerto.

16 Mulier gratiosa inueniet gloriã, & robu sti habebunt diuitias.

Mulier sensata, prudens & gratiosa moribus, gloriam filiorum ac uiri sustentabit, sicut Abigail, computabitur in diuitias & honores mariti & totius generis. Nihil de forma, diuitijs, loquacitate hic dicitur. Exponitur e tiam de honore ad maritum, quo eum præuenire iugiter studet uirtuosa coniunx, et tueri pro uiribus dignitatem uiri, familiamq; instituere sanctis moribus. Sicut diuitiæ multis partæ laboribus strenue conseruantur, sic hone sta mulier conseruabit famam uirtutis & gratiæ. Deniq; tyrannis & uiolentis nulla est cura honesti, sed tantum diuitijs corrogãdis, ubi cor hæret, Virtus post nummos, illis adagium est.

17 Benefacit animæ suæ uir misericors: qui autẽ crudelis est, etiã propinquos abiicit.

Non fert ægre uir sanctus & probus se necessarijs indigere, priuato suo commodo detrahi, dummodo pro ximo consulat, non parcit amantissimis rebus, iacturam rei familiaris non pensat, animã propriam ponit & do nat indigenti: dum interim stupidus, auarus, & intracta bilis etiam proximis amicis & necessarijs nihil commo dat de superfluis suis, tenacius retinet, tamtũ abest ut do net exteris semetipsum. Sanctus ergo est qui proximo seruit, crudelis qui proximũ indigentem non iuuat dum possit, simile apud deum iudicium laturus. Vult sapiens, eò perduci pium per probitatem suam, ut potius sibi ab strahat, quàm indigentibus alijs non concedat, malit ca rere quàm non benefacere quibus potest. Vel sic: Qui proximum obturbat auxilium rogantem uel consilium, crudelis est & impius. Charitas exuit se, ut alijs offerat quæ potest. Contrà, qui duri sunt & crudeles, uacant charitate, & uiri sanguinum sunt.

18 Impius facit opus instabile: seminanti au tem iustitiam, merces fidelis.

Quod non fit ex fide peccatum est. Impius ac infi delis peccat in omni opere, nihil syncere agit, mentitur opere & sermone, seipsum quærit in omnibus, quamũ libet in speciem iusta operari uideatur, mendacia enim sunt & infidelia. Contra uero, qui seminat iustitiã, faci ens dñi uoluntatẽ, eleemosynam largiẽs, & se totũ alijs pro charitate donans, is mercedem ueritatis & fidei ac cipiet, stabilis permanebit in eo cui credidit, sicut Abra ham, Paulus, Dauid ac similes. Seminare iustitiã, est exer cere opera uiuentis fidei.

19 Clementia præparat uitã, & sectatio ma lorum mortem.

Iustitia ad uitã perducit, Qui se propter deum pro ximo præstat & eleemosynam largitur, uita uiuet, do mino gratificatur, diu quoq; uiuere poterit, Dispersit de dit pauperibus, iustitia eius manet in sæculum. Iustus in fi de sua uiuet. Qui uero contendit proximo damnum in ferre, qui pertinaciter malum operatur, uiuens mortuus est, reus damnationis, ad infernum properat, sinistram mittitur: nolens enim uitam, cogetur ad mortem.

20 Abominabile domino cor prauũ, & uo luntas eius in his qui simpliciter ambulãt.

Abominatio dei dicitur in scripturis ira dei, & pec catum ad mortem, reatus damnationis. Sic ipsius uolun tas & beneplacitũ est fauor dei & gratia, pignus æter næ salutis, solatium & serenitas conscientiæ, sensus & experientia pietatis paternæ ad filios gratiæ, qui non peccant ad mortem, etiam si per fragilitatem impingãt. Sic cordis peruersitas, prauitas, & animus præfractus, contumax & uioleneus, opponitur integro, syncero & pio ex corde, asueto ad omne honestum: talis deo placet, talem format & creat gratia dei sola, non uires humanæ. Impium igitur abominatur dominus, integrum eligit & immaculatum deducit per uiam mandatorũ suorum. Non autem dicit sapiens peruersos in opere deo abomi nabiles esse, sed cor prauum: tum quia quantum attinet ad opera omnes peccatores sumus, non tamen ex corde omnes prauitatem diligimus & sectamur: tum quia cor peruersum nõ est sine prauis operibus in uoto uel facto. Fauor dei & abomina tio.

21 Manus in manu non erit innocens ma lus: semen autem iustorum saluabitur.

Exponunt Iudæi de patre & filio, dicentes, malũ pœ næ & culpæ à parentibus non transferri in filios pie ui uentes, sed quemlibet sua iustitia liberari à malo, ac inno centem haberi à domino. Aliter dicunt, Si malũ patrem imitatus fuerit malus filius, non diu tardabit dei ultio, nõ effugiet longo tempore dei iudicium. Si uero malus fi lius sanctorum extiterit filius, reus quidem pœnarũ erit pro peccatis proprijs, differtur tamen illius pœna ob me rita sancti patris, ne tam cito ac duriter puniatur. Hæc Hebræi. Nostri melius: Quantumlibet cõspirent mali & mutuum adiuuẽt, manusq; cõserant aduersum sanctos, ut ab innocentia euellant, & reos mali constituant, non tamen prævalebunt, quia semen iustorum, id est, fideles & pij peruersorum cuadent insidias, dicentes, Laqueus contritus est, & nos liberati sumus. Benedictus dominus qui non dedit nos in captionem dentibus eorum. Potest aliter dici, Qui male agenti consuluerit, auxilio fuerit, uel consenserit, eadem damnatione iudicabitur secum in uoluendus. Semen autem iustorum euadet, tuto semper uiuet, bene à parentibus institutum. Obscura est parabo la ob proprietatem linguæ, non satis nobis liquidam. Cõspiratio malorum.

22 Circulus aureus in naribus suis, mulier pulchra & fatua.

Docet eximium mulieris decus esse, non formositatem corporis, sed honestatem mentis, disciplinam morũ, tractabilitatem ac pudicitiam. Non est autem porco dis similis, aureum gestanti in naribus annulum, luto euol uendo applicatum mulier formosa, naturæ dotibus de corata, quæ postposita uerecundia, passim turpiter pol Decus mu lieris.

luitur. Generaliter hoc dicitur in omnes, qui donis dei naturalibus abutuntur, nec reputant qua ratione & ad quem usum ea susceperint à deo.

23 Desiderium iustorum omne bonum est: præstolatio impiorum furor.

Desideria pia. Non tantum opera & uerba, sed etiam desideria & cogitatus piorum, uota & conamina omnia deo placẽt, etiam si deus ipsa fieri non uelit, ut Dauidis institutũ de domo ædificanda. Et peccato quoq; Dauidis grauissimo abusus est dominus in bonum finem: ex eo enim occasio sumpta à domino est Salominici regni, pariter & Christi. Contra uero expectatio, finis & intentio impiorum furor est, malitia & transgressio. Nihil nisi dei iram licebit expectare eos qui deum odiunt & uoluntatẽ suã.

24 Alij diuidũt propria, & ditiores fiunt: alij rapiunt nõ sua, & semper in egestate sunt.

Diuites infelices. Est uidere non raro multos, qui diuitijs abundantes liberaliter omnibus dona largiuntur, non cessant benefacere, passimq; egentibus donare, interim tamen semper magis ac magis ditescunt. Dominus enim donat donantibus se et sua proximis, talemq; se illis exhibet istis, quales se proximis illi. Affatim enim benedicit deus distribuentibus sua indigentibus, ut patet de Sareptana uidua, cuius hidria & lechitus non defecit cum aleret prophetam: sic apostoli omnia diuiserunt, & nihil illis decerat unquam. Paulus docet eleemosynas largiri de operibus manuum. Diuites discant & auari multa dare, si uelint plura sibi reddi. Qui uero præter fas ac ius sua retinent, & in thesauros reponunt, non eo ditiores fiunt: plura enim semper desiderant, semper sitiunt & esuriunt, iudicio quoq; dei non raro sensim depauperantur. Qui enim parce seminat, parce quoque metet, &c. Sic quoq; multum docens, multum discit.

25 Anima quæ benedicit, impinguabitur: & qui inebriat, ipse quoq; inebriabitur.

Reddit rationem præcedentis dicti, uel idem alia sermonis figura proponit, ut solet in hoc libro frequenter. Anima, inquit, benedictionis, qui seminat in benedictionibus, qui ex animo & corde copiose largitur & donat, & benefacit multis, uicissim à domino gratia & benedictione repletur: quia qui liberaliter donat proximo, eidem liberaliter retribuetur à deo. Qua enim mensura mensi fueritis, &c.

26 Qui abscondit frumenta, maledicetur in populis: benedictio autẽ super caput uendentium.

Liberalitas Qui liuore uel auaritia continet & reponit sua, promos penusq; suos occluserit, & ad lucrum suum reposuerit in tempora, uel in grauamen pauperum necessaria uitæ, male is audit passim, eidem male precabuntur egeni famulia dei, odietur ut durus ac perfidus, deo erit & hominibus odiosus. Benedictio uero dei & hominum ei deferetur, qui uendit, qui indigentibus succurrit. Non quidem gratis dat illis, qui officio promereri possunt, non otiosis, diuitibus, uel ingratis, sed indigentibus & mendicis. Si itaq; benedictione domini cõpletur qui uendit alimenta tempore egestatis, quanto magis qui gratis dat, non potentibus compensare? Sic ueritatem non dolentes, prohibentes, occultantes, maledicuntur à populis: qui uero panem uitæ, uerbum cœleste distribuunt fideliter, omni benedictione replebuntur.

27 Bene consurgit diluculo qui quærit bona: qui autem inuestigator malorum est, opprimetur ab eis.

Boni & mali assequuntur quod cupiunt, illi quidem bonum, hi uero malum. Psalmo 108. Dilexit maledictionem, & ueniet ei: noluit benedictionẽ, et elongabitur ab eo. Iudicio dei iusto sinuntur mali semper proficere, & prolabi in peiora. Non audiuit populus uocem meam, et non intendit mihi, & dimisi eos secundũ desideria cordis eorum, ibunt in adinuentionibus suis. Docemur ergo nostram esse culpam si mala incidimus uel occurrerimt, ea enim sectamur: qui si iusta & deo placita quæreremus, sine dubio assequeremur. Horribile ergo est iudicium domini, cum iuxta desideria nostra nos procedere finit in malis. Certum autẽ indicium gratiæ, si complacentiam, desiderium uoluptatemq; in bonis nos habere senserimus.

28 Qui confidit in diuitijs suis corruet: iusti autem quasi uirens folium germinabunt.

Diuitijs fidere. Exemplum in Euangelio legimus de diuite, subito corruente in mortem. Soli domino confidendo discimus falaces & periculosas diuitias, quæ apostatare faciunt à deo etiam sapientes: iusti uero in domini prouidẽtia consolantur & proficiunt in fructus honestatis & gratiæ. Erunt enim tanquam lignum quod plantatum est secus decursus &c. Non sunt ad faciem iudicãdi & pro præsenti, suo tempore cognitos deo fructus proferẽt sancti. Auari quoque simuliter suis tandem fructibus ac diuitijs destituentur.

29 Qui conturbat domum suam, possidebit uentos: & qui stultus est, seruiet sapienti.

Docet familiam cum tranquillitate ac circumspecte regendam sine perturbationibus animi, nihil per tumultum, alioqui omnia subuertentur, cõfundetur q; familia. Stultus sapienti obsequi debet & obedire, non est ad regimen aduocandus, qui defert passionibus & succumbit, sed longanimes, mansueti, tractabiles, & sapientes corde.

30 Fructus iusti lignum uitæ, & qui suscipit animas, sapiens est.

Fides non otiosa. Quemadmodum arbor uiuens, id est, sana ac bona, fructus fert bonos: sic qui fide uera ac uiua iustificatus est, otiosus non erit à sanctis operibus, à fructibus sanctimoniæ & honestatis. Qui enim sine fructu conspicitur, non est iustus, maledicitur à domino sicut ficus: iustus autem ut palma florebit. Qui deniq; lenitate & modestia potest in bono uincere malos, & animas irritatas pacificare, ad mansuetudinem sanis adducere consilijs, is sapiens est. Qui studet lucrifacere proximum, & emollire induratum, euincere pietate duritiam, sapiens est. Solus hæc potest qui à uerbo dei didicit mansuetudinem et humilitatem cordis. Ad quam tamen sapientiam pro uiribus omnibus contendendum mortificatione carnalium affectuum

tium, ruminatione doctrinæ & exemplorum Christi domini nostri.

31 Si iustus in terra recipit, quanto magis impius & peccator?

Videmus quidem iustos flagellari in hoc mundo, & peccatorum suorũ, quibus nemo caret, pœnas dare, ferre crucẽ, & compati Christo, persecutiones perpeti omnes pie uolentes uiuere: quãto minus impios in deum, & iniquos in proximos, impune feret uel euadere sinet? Quod uero hic non purgatur, post hanc uitam purgari non poterit. Nihil autem mali sine digna compensatione diluetur, qualis est crux & meritum Christi, digne creditum & inuocatũ, fides, charitas, oratio, dolor pro peccato, pœnitere anteactæ uitæ, & remissio culpæ peccantium in nos iuxta orationem dominicam, quibus nostra peccata emundantur & expiantur per Christum.

¶ CAPVT XII.

1 QVi diligit disciplinã, diligit scientiam: qui autem odit increpationes, insipiens est.

Insignis est prudentiæ signum, & intelligentiæ laudabilis posse ferre redarguentem, humiliter corripientem audire, disciplinam domini qua nos uisitat pro peccatis boni consulere, carnem nostram castigare, aduersa æquanimiter perpeti, crucẽ amplecti post Christum. Hæc uero carnales & luxuriosi suijpsius nimij amatores percipere non possunt, carnem castigare dedignantur, non sapiunt quæ dei sunt, ad latronis iniqui crucem damnantur, non iustificantur. Extra tẽtationes non experimur quæ sit uis uerbi dei. Qui uero non se patitur corrigi, sed odit crucem, is insipiẽtiæ notam prodit, non emendabitur, hunc crux ipsa fugientem persequetur, sine fructu pietatis & felicitatis.

2 Qui bonus est, hauriet gratiam à domino, qui autẽ confidit in cogitationibus suis, impie agit.

Qui domino fidunt & pij sunt semper gratia & fide proficiunt, siue res secundæ accidant siue aduersæ, diuinitus enim consolationem accipiunt. Experiuntur Dei erga se beneplacitũ in omnibus. Eidẽ omnia in deo placent, proficit ex omnibus. Homo autem plenus improbis cogitationibus, non timens deum, sæcularibus autem distractus occupationibus impie aget, aliosq; ad impietatẽ pertrahet, solicitabitq;, & in deum sine intermissione peccabit. Vel dici potest homo cogitationum, qui de seipso nimiũ præsumit, non cogitat de deo, quomodo ipsi probetur & placeat, is impietatem exercebit, & à domino impietatis damnabitur.

3 Non roborabitur homo ex impietate: & radix iustorum non commouebitur.

Vtcunque impij multa conentur contra iustos, & pro uirili persequantur, ubi occasio fuerit, non tamen præualebunt, studijs suis non dirigentur, uel confirmabuntur in malis suis, sed deficient & confundentur. Saul contra dei uerbum & electum amicum nihil profecit, Absalom in impietate sua contra patrem succubuit, Iudæi contra Christum nihil profecerunt, sed confusi sunt: sic omnes Antichristiani, pro suis impietatibus frustra digladiabuntur, & omnes impij cõtra eos qui fide iustificantur. Iustitia autem ac fides sanctorum, quæ radix est sanctorum operum non deficiet, quantumlibet flos eorum & fructus decidere uideatur, radix enim eorum & gratia dei qua nituntur, semper & immobiliter subsistet, ut David radicatus in uerbo fidei & promissionum dei aduersarios cunctos deuicit. Nemo itaq; confidat se in impietate sua obtenturum tyrannidem diutius.

4 ¶ Mulier diligens, corona est uiro suo: & putredo in ossibus eius, quæ cõfusione res dignas gerit.

Mulier uitutis. Mulier quæ transgressa fœmineam instabilitatẽ perseuerãter & strenue fidem seruat marito promissam ac debitam, familiæ quoq; disponendæ ac liberis educandis & docendis diligenter incumbit, ornamentum est et honor, decus & gloria uiro suo, totiq; familiæ: de illa gloriari potest, per illam domus honorifice subsistet. Quæ uero res dignas confusione gerit, turpis scilicet & inuerecunda, instabilis & uaga, ea erit uiro suo familiare secretum grauissimum, & irremediabile malum, quod palam conqueri non audet uel potest, animo autem semper sentit, & ferre cogitur, sicut nec calcei pressura cernitur, quantumlibet elegantis ac prementis. In ossibus, inquit eius, id est uiri, nõ mulieris, ut Lyra lapsus dixerat.

5 Cogitationes iustorum, iudicia: & consilia impiorum, fraudulenta.

Iustorum cogitationes. Homines probi & pij, non norũt cogitare iniqua, pernicioſa, uel iniurioſa contra proximum, ſimpliciter autem & ſyncere omnia agunt, cogitant, iudicant, loquuntur de proximis ſuis, deum ſemper habentes præ oculis, de omni inhoneſtate uerecundantur, etiam inſomnia turpia deteſtantur & abhorrent, quæ tamen ut plurimum honeſta experiuntur, tantum abeſt ut iniuſtitiam & nephas operentur in uigilia, à qua abhorrent omnimodis. Pleni autem ſunt charitate, nolentes facere alijs quæ ſibi fieri non optarent. Impiorum autem omnis ſolicitudo, prudentia, cogitatus & occupatio eſt ad fraudes & dolos. Etiam ſi geſſerint magiſtratum, corrupti inueniuntur, ſua quærẽtes, impoſturis, dolis ac fraudibus intẽti per omnia, in magnam iacturam & perniciem reipub.

6 Verba impiorũ inſidiantur ſanguini, os iuſtorum liberabit eos.

Accuſatio ſanctorum. Impij ſanctos accuſant mendaciter & falſo, & ubi poſſunt perſequuntur ad mortem: ut Suſannam ſenes & preſbyteri, Chriſtum Iudæi, & ueritatis aduerſarij, doctores ſanctos uerbi dei, filij huius mũdi diſcipulos Chriſti, uerbum autem domini ex ore piorum, in uia dei recta ambulantium, æquitates defendentium, & amantium iuſtitiam liberabit eos, mendaciorũ coarguet impios patronos falſitatis & impietatum: ut Daniel Suſannam, Gamaliel apoſtolos, & diſcipulos Chriſti ſemper uerbũ ueritatis eripuit ex falſitate.

7 Verte impios, et nõ erunt: domus autem iuſtorum permanebit.

Facile ſubuertes, ô deus, & annihilabis quicquid moliuntur in bonos mali, & ueluti fumus euaneſcet proſpe-

ritas & institutum impiorum, subito enim delsciẽtur in miserias. Iustorum uero familia, cognatio proles & status domino sustentante persistet, qui erigit elisos & oppressos, dirigit autem iustos, & facit etiam in tentatione prouẽtum. Non tantum affligere possunt impij quantum uellent, sed à dño in ictu oculi subuertuntur & pereunt. Docentur pij ut uelint perseuerare in bono, impij uero dum minime credunt à domino tolluntur. Irritanturq; omnes conatus eorum domino ordinante.

8 Doctrina sua noscetur uir: qui autem uanus & excors est patebit contemptui.

Prudentia spiritus.

Probatur deo, & laudatur ab hominibus, quicunque prudenter & iuxta rationem rectam circumspecte & caute actiones suas aggreditur, agit uel loquitur, qui secundum prudentiã spiritus nihil temere loquitur uel tentat, sed nititur eruditione uerbi diuini, sciens quid & quare omnia tentet, huiusmodi enim non confundetur. Qui uero iniqua & praua sine timore dei conatur & satagit, is non poterit absoluere instituta, confusioni ob noxius procidet, & uapulabit ignominiose, omnium ludibrio exponetur, ut uecors & amens.

9 Melior est pauper & sufficiens sibi, quàm glorioſus & indigens pane.

Modestia.

Satius est per animi modestiam & humili sensu de seipso uiliter sentire, pauca de seipso promittere, intra propriam se cuticulam continere, suis rebus & familiæ intendere, uocationi propriæ inseruire, sibijpsi prospicere & suis, quàm grandia tentare, polliceri multa & arduа, ad magna contendere, nihil tamen proficere, uixre bus necessarijs satisfacere posse. Docet parabola nihil audendum ultra uires, nõ promittẽda plura quàm queant præstari, præsumptionẽ tollendam, utq; malit quisquam soli sibi seruire cum fructu, quàm alijs deseruiendo ambire gloriam cui sufficere nequeat.

10 Nouit iustus iumentorũ suorũ animas: uiscera autem impiorum crudelia.

Benignitas

Iustus tantum abest ut proximis durus sit, & tyranni ce agat quicquam, quin et bestiam suam iumentũ ipsum cum quo laborat, humaniter, mansuete et liberaliter tractat, prospicit illi necessaria, non grauat crudeliter, non supra uires impellit uel onerat, non irascitur furiose, ut Balaam, mutæ bestiæ, pro uirili seruienti & laboranti ut potest. Sed agnoscit pius homo donum dei esse animal huiusmodi, datum in adiutorium laboranti, cui non sit os obturandum dum triturat. Eatenus benigne fert omnia iustus & tractat, ut ne gallinam terrere delectet, sine necessitate, Impiorum autẽ uiscera & miserationes ipsa crudelitas sunt, nihil enim per modestiam agunt, non hominibus parcunt nec bestijs, fratres quoque cædunt ac persequuntur, deum in creaturis minime agnoscunt, nec agunt gratias, per furiam crebro mouentur pro nihili, ipsis quoq; plerunq; feris crudeliores. Docemur clementiam ad omnes, etiam ad bruta, ut in Deut. Non coques hœdum in lacte matris suæ: & ibidem de auiculis cum matre repertis in nidulo, &c.

11 Qui operatur terram suam, satiabitur panibus: qui aũt sectatur otiũ, stultissimus est.

(Qui suauis est in uini demorationibus, in suis munitionibus relinquit consumeliam.)

Labor mi nuum.

Iterum præcipitur, ut laboremus, ab otio & uitijs declinemus. Sanctissimus autem labor, & innocentissimus, utilissimus & necessarius labor est agricultura, patribus sanctis olim in usu, & Romanis quoq; nobilibus gloriosus, donec luxus & otium omnia euerterunt, ut subintraret egestas. Talis, inquit, non imers agricola, cibo suo minime carebit, necessario uictu abundabit. Promissio domini est infallibilis ueritas, certo credenda, & in exercitium arripienda. Qui enim non laborat non manducet: tantum abest, ut otiosa ualidiorũ mendicitas domino placere posit. Qui uero otia sectatur, uel רֵיקִים, id est, exercitia superuacanea, artificia ad curiositatem & libidinem tantum excogitata uel ingluuiem, is insanus est & uecors, sibi & suis imputabit studijs si laborum fructum sufficientem non assequatur.

12 Desyderium impij munimẽtum est pessimorum: radix autem iustorum proficiet.

Interpres priscus מְצוּדַת munimentum transtulit. Iudæi rete, quo fit ut locus ambiguus sit, & uarie redditus etiam ab alijs. Iudæi sic reddunt, Desyderat impius rete malorum, radix autem iustorũ dabit, subintelligunt, pro uentum. Videtur is esse sensus, saluo aliorum iudicio: Nõ aliter se gerit impius, quàm ut desiderare uideatur, alios à se cunctos inuolui & illaqueari malis, non enim bene uult proximis quibuscunque, etiam sibi similibus, quin & ipsemet impius temeritate sua laqueos non aduertit, ideo incidet iudicio dei in damna animæ et corporis. Radix enim omnium malorum cupiditas. Non satiatur impius libidine & cõcupiscentia, donec pernicie incidat, & pereat non uno malo, sed pluribus. Abyssus enim abyssum inuocat, & cum in profundum malorũ ceciderit contemnet, multo plura mala cupit quàm posit inferre. Bona quoq; desyderare non possunt, qui pessimis assuerunt. Interim uero radix iustorum dabit fructũ suum. Per fidem iusti semper proficiunt, prouentumq; sed dignum proferent in tempore, non erunt steriles, non otiosa erit radix fidei. Vel dici potest, Cum impius maxime uolet illaqueare malis graubus iustos homines, tunc maxime radices aget iustorum probitas, tunc maxime firmabuntur in bonis.

Malitia impiorum.

13 Propter peccata labiorũ ruina proximat malo: effugiet autem iustus de angustia.

Lingua pernicio.

Proximus est perditioni, qui labia & linguam suam cohibere non nouit. Stultis enim sermonibus suis domna sibi consciscit, de malo thesauro cordis profert mala. Os stulti contritio eius, infra cap. 18. Prohibe linguam tuam à malo, &c. Iustus autem non loquitur proximo suo in dolo, nõ nouit mentiri, maledicere, detrahere, murmurare, uel non potest, timore dei & charitate prohibitus. Is autẽ calamitates multas euadet, tutus cõsistet. Nocuit & pœnituit sæpe sermo prolatus, tacuisse non ita. Simplex est sententia et clara, Vt sermo noster sit uerax, honestus, utilis & cautus. Sit sermo uester, est est, non non, ne offendatur in lingua, difficile domabili etiam iustis. Periculose iustus loquitur, bona quoque inter malos.

De

14 De fructu oris sui unusquisq; replebitur bonis, & iuxta opera manuum suarũ retribuetur ei.

Ore fructificat, qui ueritatem docet & timorem dei: proximo prodest, qui uerbũ dei religiose tractat. Eidem affluenter cuncta bona prouenient, gratulabitur de fructu uirtutum & gratiæ, seipso quotidie doctior erit & sanctior. Et secundum retributionem manuum hominis reddetur ei. Si enim mala cõmiserit, punietur, fide enim & iustitia caruisse conuincitur, quæ sine sanctis operibus adesse nõ potuit. Si uero bona egerit opera per gratiam dei, diuina quoq; misericordia coronabitur. Nemo quidem sine operibus uere bonis saluabitur, si accepit agendi gratiam. Vere autem bona opera sunt, quæ à domino probantur, docentur, exiguntur, non quæ temeritas cæcæ rationis, et libido propriæ uolũtatis dictauerit.

15 Via stulti recta in oculis eius: qui autem sapiens est, audit consilia.

Præfert stultus proprium iudicium consilijs aliorum, magnificus in propria æstimatione, difficile persuadetur contra sensum suum: impatiens disciplinæ cum sit, omnia tamen agere & docere præsumit. Quo contra sapiens suspectos habet cogitatus suos, difficile satisfacit proprio sensui, humiliter enim & modeste sentit de seipso, paratior audire quàm loqui, aliorũ sequi consilia quàm propria inculcare. Qui autem sensu carnis imbutus est, seipsum iudicare non potest. Superbia cordis, & præsumptio propriæ sapientiæ mundanæ non se doceri patitur: iudicium autem spiritus, & uerbi dei solida fides, hominem arguunt de peccato.

16 Fatuus statim indicat iram suam: qui autẽ dissimulat iniuriam, callidus est.

Iniuriam quamcunque stultus dißimulare non potest, prouocatus facile erumpit ira. Amarulentiam statim indicat animi impotẽtis, accingitur subito ad sese ulciscendum, clauum clauo conatur retundere & uincere malum malo. Prudens autem ac timore dei eruditus, qui dictum nouit à domino, Mihi uindicta, & ego retribuam: uel, qui credit omnia geri prouidentia diuina, is uincit in bono malũ, possidet animum in patiẽtia, mauult lædi quàm lædere, fert pro deo iniuriã patiẽter, orat pro persequẽtibus. Docemur iram cõprimere non profundere.

17 Qui quod nouit loquitur, index iustitiæ est: qui autem mentitur, testis fraudulẽtus.

Litera alioqui difficilis in Hebræo, hunc sensum habere uidetur. Qui meditatur fidem, qui syncere ac fideliter agit omnia, qui spirat ueritatẽ, uel qui amator est fidelitatis, annuntiabit iustitiã, promouebit, docebit, propugnabitq; quicquid iustum intelligit & æquum, patrocinium exhibet pro uiribus suæ uir fidelis. Non enim fidelis est, qui iustitiam non tuetur. Dolosus autem & perfidus, testis est falsitatis. Qui enim linguam suam assuefecerit quotidianis colloquijs ad iocos & mẽdacia, ille in seriosis quoq; rebus mentiri non uerebitur, in iudicijs facile falsum testabitur. Etenim consuetudo altera natura, à qua non se leuiter explicat, uel pellem mutare potest. Spiritualius sic intelligi potest: Si quis legis dei ueritatẽ fuerit assequutus, continuo & fideli exercitio & in ea digne conuersatus, is ea tantum loquitur, quæ fidei sunt & ueritatis ac iustitiæ. Non enim sancta consuetudo sinet cum à scopo deficere uel errare: insyncero autẽ spiritu & doloso incumbens scripturæ, impletusq; ad summum uanitate sæcularium doctrinarũ, non facile puram assequetur ueritatem uel testabitur, sed falsitatibus & erroribus erit addictior.

18 Est qui promittit, & quasi gladio pungitur conscientia: lingua autem sapientiũ, sanitas est,

Hebræi sic: Est qui lubrice uel inconsyderate loquitur, ueluti perfossuræ gladij: lingua autem sapientium sanat. Vult dicere, Qui incircumspecte & temere effutit, quicquid buccam inciderit, audientium corda uelut gladio uulnerat & trãsfodit. Leuiter enim dicitur quod indigne ac grauiter auditur. Salubris autem prudens, sensatus & eruditus est sermo sapientis, & ipsißima sanitas. Dulciter, mansuete, synceriter & fideliter alloquendus est proximus, mitigandus, instruendus, cõmonendus, sanandus, consolandus, & conciliandus. Nihil uenenata lingua perniciosius. Lingua incauta.

19 Labium ueritatis firmũ erit in perpetuũ: qui autem testis est repẽtinus, cõcinnat linguam mendacij.

Hebræi alijs uerbis idem. Labium ueritatis parabitur in perpetuum, sed usq; ad horam lingua mendacij. Qui, inquit, uere loquitur, & bona fide, is subsistet firmiter, periculis omnibus cuadet superior, non confundetur, ueritas enim liberabit eũ. Qui uero mẽdacijs fallit, ad horam quidẽ fallit, sed deprehẽdetur & confundetur: non constabit uerbis, subinde noua cõminisci cogetur, subito inuertet sententias. Summatim, Hypocrisis omnis sub sistere diu nõ potest: ueritas manet, mendaciũ euanescet: nihil opertum quod non reuelet ur. Fallax sermo.

20 Dolus, in corde cogitantiũ mala: qui aũt pacis ineunt consilia, sequitur eos gaudiũ.

Dolus, damnũ & deceptio eos manet, qui malũ cogitant proximo, sibijpsis quammaxime incõmodant, qui machinantur incommoda proximis, non proficiunt pro uoto suæ malignitatis. Qui insidiatur ut noceat, carbones congerit capiti suo, gladius ipsius penetrabit cor eius: propensis autem ad pacem, & promouentibus consilijs suis salutem proximorum, obueniet gaudium & lætitia. Beati pacifici, quoniã filij dei uocabũtur: qui uero gladiũ acceperit, gladio peribit. Tristitia fructus est maligni cordis, gaudiũ uero fructus pacis & beneficentiæ.

21 Non contristabit iustum, quicquid ei acciderit: impij autem replebuntur malo.

Vere iusto in fide non occurret subito & quocunque in casu tota iniquitas. Non asserit iustum esse sine iniquitate, sed sine perfecta iniquitate uel damno, hoc est peccato ad mortem. Omnia enim fideli seruiunt & cooperantur ad bonum, quod sese dei prouidentiæ totum resignet & commendet. Dominus igitur manum supponit dum cadunt, Impij uero pleni sunt malo, peccant in omnibus, in impietate proficiunt, ut nec sibi boni & uti-

les esse posint nec proximis. Contemptores enim Dei sunt, omnibus abutũtur creaturis ad iniuriam creatoris, quibus ob id omnia cedunt in perniciem.

22 Abominatio est domino labia mendacia, qui autem fideliter agunt, placent ei.

Veritas & mendacium

Docemur uel timore uel amore dei, qui ueritas est & author ueritatis, osor autem & uindex mendacij, odire falsum, loqui ueritatẽ: ut sit simpliciter sermo noster, est est, non non: & ut uerba dei credamus, amemus, uersemus, prædicemus, inculcemus, non humanas traditiones uel mendacia. Veraces autem & qui in fide operantur & agũt fideliter & syncere, hi deo placent. Peccatum est ergo omne mendacium, quo abutimur labijs & lingua, ad mutuam salutem conceßis. Si quis uero mendacio simpliciter prolato prosit alicui, hoc Dei misericordia perficitur, charitasq; excusat quod alioqui peccatũ sit, & ex malo subortum. Idem uero Hebræis est, Verum et Fides: ut quod non est ex fide peccatum sit.

23 Homo uersutus cælat scientiam, & cor insipientium prouocat stultitiam.

Prudentia spiritus & eruditio in uerbo dei nõ fert ambitionem, uel iactantiam, ut scientia sæcularis. Agit enim ut de se homo humiliter sentiat & loquatur, proprio se pede metiatur, omnia deo, nihil sibi tribuendo, aliorum potius acquiescendo sanioribus consilijs. Stultus uero & insipiens, uel uane doctus, iactator est sui, præfert se reliquis, nec latere se patitur, nec cõtemni sustinet, prodit non iussus, reliquos præ se nauci facit.

24 Manus fortiũ dominabitur: quæ autem remissa est, tributis seruiet.

Labor.

Sedulus labor & sancta occupatio ac utilis commendatur, præponiturq; otio et studio fraudulento. Nisi strenue insistamus bono, superabimur facile à malo. Dominabimur autẽ, si uim regno dei fecerimus, si fidei uiribus cõprimamus naturæ malitiã, & importunam infestationem fomitis, cui si desides cesserimus, paßionibus seruientes, illecebris carnis dediti, regno satanæ tributa pendemus. Simpliciter dici potest, strenuos uiros esse aptos imperio & regimini aliorũ: ignauos & cessatores subijci oportet, & uel inuitos parere.

25 Mœror in corde uiri humiliabit illum, & sermone bono lætificabitur.

Solicitudo.

Nimia solicitudo humiliat & affligit uirum, deijcit animum, extenuat corporis uires. Nolite ergo, ait dominus, soliciti esse, iactate cogitatum uestrum in dominum, quia ipse enutriet. Sedulo quidem rebus nostris incumbamus, ut sumus admoniti, pro otio uitando, & deo obediendo: qui laborem imperat: euentus autem operis, & fructuum solicitudo dño commendetur. Verbum autem bonum lætificabit eum, scilicet cor iucundum, gratum, utile, honestum, sanctum, & uerum uerbum sit gaudiũ cordis nostri, de nulla enim re turpi & inhonesta gaudendum. Aliter. Solicitudo de malis occultis conscientiam nostram terret & humiliat, uerbum autem promissionis & gratiæ dei, id est Euangelium, bonum uerbum exhilarat conscientiam & sustentat, offensa dei discruciat, gratia consolatur.

26 Qui negligit damnum propter amicum, iustus est: iter autem impiorũ decipiet eos.

Iudæi sic reddunt, Iustus abundat, scilicet diuitijs magis quàm proximus suus, qui scilicet non sit iustus. Omnia enim quæcunq; faciet prosperabuntur, in prosperis & aduersis semper gaudet, bene habet & felix est, habitis contentatur, non plura optat, omnia animo posßidet, totus illi mundus diuitiarum est, eidem seruit & in bonum cedit. Studia autem impiorum perducunt eos ad interitum: superueniet enim illis repentinus interitus: dum sibi maxime fidunt uelociter disperibunt, in omnibus rebus & actibus decipientur.

27 Non inueniet fraudulẽtus lucrũ, & substantia hominis erit auri pretium.

Fraudulentus quis.

Translatio nostra sensum probe assequuta est, quem Iudæi difficile expediunt. Est autem sensus: Non proficiet in opere quod instituit, qui non diligenter incũbit. Fraudulentus dicitur hoc loco cessator in opere negligens, et minime sedulus laborator uel curator rerum suarum, & operis. Iudæi reddũt, Non inuret dolus aucupium suum: quod Rabi Ioseph Kimbi sic exponit, Pennas uolucris captæ non amburit, & ustulat uel eripit, ne turpitudine plumarum uenalis contemnatur, sed potius summas pennulas amburit, ne manibus auolet. Vir autẽ dolosus non tantopere prosperabitur, ut tandiu auis capta teneatur in manibus, quo posit inuri uel præscindi, aut notam imponere, sed antea auolabit ex manibus stulti aucupis & infelicis. Substantia autem hominis pretium auri est. Si aurum fuerit quispiam assequutus uel argentum, cætera necessaria facile obtinebit. Si probitatis pretium obtinuerit, satis diues erit. Si dexter sedulus et strenuus quisquam fuerit, rerum necessariarũ suppetentia nõ carebit.

28 In semita iustitiæ, uita: iter autem deuium ducit ad mortem.

Hebræi sic reddunt, Per uiam iustitiæ uita acceditur: & uia semitæ, scilicet eius, non est mors. Vel, Semita iustitiæ non perducit ad mortẽ, sed præstat diuturnam uitam in hoc sæculo & in futuro. Varie circa has ultimas parabolas sunt sententiæ Rabinorum.

¶ CAPVT XIII.

1 Filius sapiẽs, doctrina patris: qui autem illusor est, nõ audit cum arguitur.

Filius est uel fit sapiens per disciplinam patris sapientis, non suapte natura, cui ex fomite alligata est stultitia, fit sapiens. Summopere curandum patri, ut filium erudiat, quo fiat sensatior, pius, iustus & sapiens: alioqui præstaret non habere filium, quàm stultum, impium uel inhonestum, quo perpetuo confundendus sit in filio. Filius quoque uicißim meminerit debere se honorare parentes, acquiescere eorum consilijs, & monitus, sponte suscipere disciplinam, necessitatibus inseruire. Nec dubium quin dei patris nostri disciplinã & correptionem abijcere, uel impatienter ferre, impium sit et indignum, extremæq; dementiæ: cuius uoluntati nemo resistere queat. Cuiusque beneficijs subsistit necessario omnis creatura.

De

2 De fructu oris homo satiabitur bonis: anima autem præuaricatorum iniqua.

Nihil salubrius doctrina & eruditione uiri sapientis. Non enim tantũ prodest loquẽti sermo eruditus ac pius, sed etiam auditoribus ingerit fructum pietatis & ueritatis, cibum spiritualem animabus, sicut uiuit pane homo exterior. Cedit ad honorem & commodum uiro bono si sancta loquatur. Anima autem præuaricatorum comedet iniquitatem, contumelioſi confundũtur à deo, & sibimetipsis contentiones excitant, sibi calumniam asciscunt, alijs derogãt bonam famam, et iniuriã irrogant.

3 Qui custodit os suum, custodit animam suam: qui autem inconsyderatus est ad loquendum, sentiet mala.

Moderamen linguæ docet uerbum dei, ex qua pendet magna ex parte salus uitæ et morum: in manibus linguæ uita & mors. Beatus uir qui non offendit in lingua. Qui uero loquitur insolenter, incidet pauorem, timebit deprehendi, accusari, damnari propter multiloquium, mendacium aut detractionem, periclitabitur non raro ex re familiari, fama & uita. Sermo autem circumspectus & prudens animã tuetur ac seruat, caracter est animi: præcipitantia autem inducit reatum culpæ et pœnæ. Vitam ergo & res ponit in tuto, qui linguam moderatur et domat. Multa sunt autem uitia linguæ, obscœnitas, blasphemia, criminatio, mendacium, &c.

4 Vult & non uult piger: anima autem operantium impinguabitur.

Hebræus habet, Desiderijs laborat & nihil anima pigri assequitur, anima autem sedulo operantium impinguabitur. Diuitias, honorem, sapientiam, sanctimoniam, piger desyderat sibi, & commoda omnia uitæ, sed detrectat studium, curas, laborem & cruces, sine quibus illa comparari non possunt. Hortatur igitur ad odium pigritiæ, laborem sedulum commendat, et præmia pollicetur, ut erigat ad studia uirtutum: imperat laborem, ut refrigerium sempiternum succedat. Pigro nihil deliciarum uerarum accedit, sed strenue laboranti. Cibus et somnus non tam dulcia sunt & delicata pigro, ut famelico & laboribus fatigato uel exhausto. Irascitur dominus socordibus & ignauis. Lasciuiam comparat quies diuturna. Pigritia nutrix est egestatis. Generosos animos labor nutrit, corrumpit otium & inertia.

5 Verbum mendax iustus detestabitur: impius autem confundit, & confundetur.

Iustus nemini conuitiatur, non falsum crimen imponit, potius uerum excusat si potest, cõpatitur si non potest. Impius autem fœtere facit proximi famam, derogat honori, mendaciter persequitur, infert opprobrium. Odium falsitatis fructus est iustitiæ: diffamationes & contumeliæ fructus impietatis. Iudæi iustum legunt quarto casu dicentes, Eatenus iustus odit mendacium ut cõfundat, & fœtore aspergat & confundat impium. Posset quoq; dici, Impius falso conatur diffamare iustum. At prior sententia planior, iuxta textum, Iustus odit mendacium, impius conuitiatur proximo.

6 Iustitia custodit innocentis uiam: impietas autem peccatorem supplantat.

Iustitia ex fide facit omnia munda mundis, omnia reddit integra & pura, præseruat à malo, ut fiat homo seipso semper melior & sanctior, in nullo ad mortem peccat: impietas autem excæcat, & ad malum urget continuo, ut unum peccatum pœna sit alterius. Adest continuo causa peccandi dum abest fides, et timor dei, iudiciorumq; eius. Iustitia conseruat ambulantẽ simpliciter, impietas autem solicitat maligne ad peccandum.

7 Est quasi diues, cũ nihil habeat: & est quasi pauper, cum in multis diuitijs sit.

Est quispiam opinione diues plurimum, qui tamen rebus omnibus destituitur, nempe is qui uel nõ utitur rebus possessis, uel non legitime utitur, qui plura desiderat, cui deus non benedicit: qui corpore male ualet, circumspectione prudenti non seruat, sed prodigit, qui plura debet creditoribus quàm possit præstare. Rursus pauper uidetur aliquis, cum sint tamen illi multæ diuitiæ, cui pauca sufficiũt, qui pauca cupit, frugaliter uiuit, corpore sano, tranquilla conscientia, nulli obnoxius creditori, cui fauens deus in omnibus benedicit, qui deum possidet, & fauore eius fruitur, cuius sunt omnia. Diuitiæ.

8 Redemptio animę uiri diuitię suæ: qui aũt pauper est, increpationem non sustinet.

Quietius uiuunt ac tutius pauperes quàm diuites. Facile enim diuites occasiones incidunt, quibus à tyrannis mulctentur, magna diuitiarũ iactura, dum sese pecunia redimere coguntur rei criminum acti. Huiusmodi periculo carent egeni. Exponunt alij: Diuitias in eleemosynas expensas, diuitem à peccatis redimere, dicente Domino: Date eleemosynam & omnia munda uobis erunt, facite uobis amicos de mammona iniquitatis. Sunt enim diuitiæ sanctis adiumẽta uirtutum: auari autem diuites districto iudicio Christi damnabuntur, pro neglectis miseri cordiæ operibus, egenus uero ab hac mala auditione nõ timebit, qui hic ut Lazarus mala recipit in uita sua, alibi consolabitur cum electis, et tremendo dei iudicio nõ increpabitur. Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum.

9 Lux iustorum lætificat: lucerna autem impiorum extinguetur.

Fides iustorum & prosperitas semper proficit, ut tuti in conscientia magis ac magis lætentur in domino, & super ipsos efflorescat sanctificatio dei: probitas piorum quotidie inclarescit, ut de ea multi gaudeant, uidebunt iusti & lætabuntur, & omnis iniquitas opilabit os suũ. Sic lucerna uel gloria impiorum, qui magna ambiunt et in mundo magni uidentur, euanescet, extinguetur, redigetur in nihilum per infamiam, uel dei iustum iudicium, per uerbum quoq; dei, quo uanitas impiorum traducitur & damnatur.

10 Inter superbos semper iurgia sũt: qui autẽ agunt omnia cum consilio, reguntur sapientia.

Superbi & arrogantes contentioſi quoque sunt, mutuumq; contemnunt, dum nolunt contemni, dum unus se præfert alteri, dum sensu suo abundat uterque, dum Iurgia superborum.

nullus alteri ferri uideri inferior. Sapiētia aūt manet cum illis, qui consulte agunt, consiliarios non spernunt, nihil temere agunt, non digladiantur ob diuersas sententias, mutuum potius cedunt & seruant pacem. Qui amb itiosi familiaritatē sortitur, illi & assimilabitur & corrixabitur: qui uero se consultis & expertis uiris iunxerit, proficiet sapientia.

11 Substantia festinata minuetur: quæ autē paulatim colligitur manu, multiplicabit.

Diuitiæ per uanitatem & iniquitatē collectæ uel fortuitu sine labore & cura multa, non durabūt, paulatim minuentur: cito partum, cito dispereit: leuiter acquisita, leuiter curantur, prodiguntur & inutiliter profunduntur. Hic uanitas dicitur, omne studium ditari cupientiū, uanitates enim multas incidunt & tentationes contra deum & conscientiam agunt. Vel מיתכ à uano, id est gratis & sine cura. Quæ autem proprio manuum labore conquiruntur, & iusto titulo, prosperabuntur, augebuntur & diu durabunt. Docet in summa diuitijs iuste partis uiuendum, si uelimus diu uiuere & abundare.

Diuitiæ impro bę.

12 Spes quæ differtur affligit animā: lignum uitæ desyderium ueniens.

Discrutiamur spe longa bonorum, donec fuerimus assequuti, siue ea corporalia fuerint siue spiritualia. Quum uero adepti ea fuerimus, oblectamur ueluti ex ligno uitæ fructus dulcißimos capientes, id est, magno gaudio, quasi nouam uitam incipientes. Exponitur de sanctorum patrum desiderio, pro Christi domini aduentu diutißime expectato à patriarchis ac Prophetis, qui est lignum uitæ, per dei gratiam restitutum sanctis, qui est uia, ueritas & uita.

13 Qui detrahit alicui rei, ipse se in futurum obligat: qui aūt timet pręceptū, in pace uersabitur (Filio doloso nihil erit boni: seruo autē sapienti, prosperi erunt actus, & dirigetur uia eius.)

Hebræi, Qui contemnit uerbum, nempe regis uel magistratus, male mulctabitur: qui uero timuerit mandatum principis, pace perfruetur. Si quis præcepta maiorū obmiserit spernendo, pœnam luet, implicat sese reatui, non aget impune. Vult deus obedientiam præstari maioribus, ut ipsi quoque interim deo obediant, ac contra domini dominorum uoluntatem nihil imperent, sed meminerint se quoque iudicium subituros diuinum. Pacifice habitant, qui obediunt magistratui, & humiliter uel patienter acquiescunt decretis maiorum, tyrannorum improbitatem ferendo redimunt pacem, ut pro tanto uiuant suauius.

Obedientia

14 Lex sapientis fons uitæ, ut declinet à ruina mortis.

Docet prædicatione uerbi dei & ex prudenti institutione uiri sapientis, tanquam è fonte uiuo hauriri doctrinam uitæ, declinare pericula animæ & corporis. Dei & hominum euadit iudicium & pœnam, qui doctrinæ sanæ acquiescit. Qui Christi domini, Mosis & cuiuslibet sancti ueri instituta perdiscit & conseruat, is dicitur bibere ex fonte uiuo, ut mortem periculaq; euadat & sit beatus.

15 Doctrina bona dabit gratiam: in itinere contemptorum uorago.

Hebræus dicit, Intellectus boni dabit gratiam, & uia contemnentium difficilis uel dura. Vult dicere: Qui uerbi dei sanctam doctrinam susceperint, eorum conscientia semper lætabitur, iucunda erit, gratiam merebuntur dei & bonorum hominum: qui uero contempserint huiusmodi, insolenter & iuxta carnis desyderia uitam instituendo, duram ingrediuntur uiam, incedent per uias difficiles, iram quoque domini post hanc uitam experientur, de peccato proruent in peccatum, de malo in peius, difficile quoq; corriguntur.

16 Astutus omnia agit cum consilio: qui aūt fatuus est, aperit stultitiam.

Qui prudentia uera spiritus discernere didicit pietatem ueram à falsa, is omnes actus suos exiget ad præscriptum legis diuinæ, nihil temere superstitiose & inconsulto dei uerbo tētabit: stultus autem uerbi dei contemptor, prostituet stultitiam sensus humani, pro sanctis impia & pernicioſa docebit & operabitur, infelicia; conatu coram sanctis confundetur.

17 Nuntius impij cadet in malum: legatus autem fidelis, sanitas.

Qui nuntius instituitur uel procurator ad opus nepharium, is in malum sese conijciet, & eum qui illum misit uel instituit: sic qui impia contra legē dei prædicauerit, perniciem inferet sibi & auditoribus. Qui uero legatus est fidelis, pro bono, & à bono destinatus, is felix, amabilis, gratus & alacer comparebit, ut est post grauem infirmitatem grata sanitas. Ad legationem deligendi sunt pij, & prudentes, fideles & ueridici. Aeque impietatis arguentur, qui ad impiam causam nuncium miserint, & qui sponte legationem obierint.

18 Egestas & ignominia ei qui deserit disciplinam: qui autem acquiescit arguenti, glorificabitur.

Male consulit rebus suis & famæ, qui seruit affectibus carnis, qui oblectamenta huius uitæ sectatur, qui nō se patitur admoneri à rerbo dei, uel sensatis hominibus. Qui uero æquanimiter, modeste & diligenter susceperit admonentem & emendantem, reportabit honorem, sensatus iudicabitur, euadet discrimina, & in sæculo quoq; animarum post hanc uitam à dño glorificabitur.

19 Desiderium si cōpleatur, delectat animā: detestantur stulti eos qui fugiunt mala.

Qui fide carent futurorum bonorum, capiuntur uoluptate præsentium. Sicut spes quæ differtur adfligit animum, sic qui quod cupit adsequitur animo oblectatur. Qui uero mala fugiunt, studentq; pietati & uirtutibus, derisui sunt impijs, & in similitudinē improperij habentur in hoc mundo, quos & persequuntur & odiunt. Abominatio est stultis hominibus omnis qui recedit à malo: cupiunt in malitia & stultitia sibi similes reliquos ne confundantur: persequuntur pios, quos possunt: despectui & ludibrio habent, quos cernunt fide proficientes & iustos.

20 Qui cum sapientibus graditur, sapiens erit

erit: amicus stultorum similis efficietur.

Consuetudo bonorum reddit meliores. Saul inter prophetas prophetat. Cum sancto sanctus eris. Optima uiuendi ratio est arripienda exemplo bonorum. Stultorum autem uel impiorum conuictus inficit, & in errore stultos retinet, ad ueritatis amorem, & intelligentiam pertingere non sinet, fascinatione polluet, nisi in tempore deseratur.

21 Peccatores persequetur malum: & iustis retribuentur bona.

Imminet uindicta dei dura & iusta impijs, quantumlibet diu tolerari uideantur, quam euadere nequaquã poterunt, nisi fide iustificentur & pœnitentia corrigantur. Ibunt hi in supplicium æternum: iusti uero in uitam æternam, quibus similiter bona sempiterna reddentur, manet eos digna merces, perdurantes in afflictionibus et sanctis studijs, non pro ratione condigni meriti, sed quia dona sua deus coronat in sanctis. Iudicium bonorum & malorum hic describitur, malos mala consequentur, iustis retributio continget æterna.

22 Bonus relinquet hæredes, filios & nepotes: & custodit iusto substantia peccatoris.

Diuitiæ iustorum perseuerabunt diu, ad filios ac nepotes subinde deuoluuntur. Sæpe quoque nepotes iniquorum hæreditatibus spoliantur, insolentia & prodigalitate destituuntur: ut discamus diuitias cũ dei timore conquirere, si eas ad posteros feliciter propagari cupiamus. Deus misericordiam præstat sanctis, iniquis iudicium.

23 Multi cibi in noualibus pauperũ, & alijs congregantur absq; iudicio.

Labor ac diues.

Prouidet gratia sua deus uictui necessaria pauperibus, & deum timentibus in abundantia. Non uidi iustum derelictum, nec semen eius quærens panem. Omnia bonis dei benedictione obtingunt. Laborant enim, & à terra saturantur. Sulci laborem significant agricolarum, & de omnibus quidem intelligitur, proprio sudore & iusto studio cibum acquirentibus. Iterũ agricultura præcunctis studijs honestis à sacris literis commendatur: eis enim ubertim necessaria largitur deus. Sunt autẽ qui colligunt diuitias oppreßione pauperum iniqua, & sine iudicio, ut de aliorum laboribus & sudoribus ipsi otiosi diteſcant, & licentius uiuant. Exponitur quoq; de pauperibus, qui nonnunquã ditãtur sine iudicio, hoc est sine litibus forensibus & strepitu iudiciali, quod neminem opprimant, nulli inferant iniuriam, iudicio non contendant, 24 *tanto feliciores & ditiores.*

Qui parcit uirgæ suæ, odit filium suum: qui autem diligit illum, instanter erudit.

Docet filios diligenter à parentibus instituendos esse moribus, non solum uerbis & amice, sed etiam si opus fuerit uerberibus & castigatione. Non nimis amanda proles est, et carnaliter, quo minus seuere etiã corripiantur peccatores. Sed & magistratus quoque, coërcere debet subditos, ut parentes suos filios. Mores, disciplina, dei timor & amor, solicite inculcanda sunt iunioribus. Et ad id mane assidueq; conetur, quod hic dicitur ante lucẽ surgere, quandoquidem sit in mora periculum, ne malo pestiferoq; odore recens testa in principio imbuatur.

25 Iustus comedit, & replet animam suam: uenter autem impiorum insaturabilis.

Procul absit pijs, omnis diffidentia de uictu & amictu necessario suppeditandis, prouisione dei patris cœlestis, à quo omne bonum, qui omnibus prospicit, & benefacere promptißimus est, pro infinita bonitate, tantũ colant iustitiam, deo suo fidant, laboremq; interim pro uirili, ac diligenter egentibus largiantur. Quod contra, impij omnibus anxijs curis suis nihil proficient, domino nõ donante: extrema paupertate conficientur, hic uel in futuro, non fortunabuntur studia, consilia, opera, solicitudines: uenter impiorum egebit. Diffidẽtia.

¶ CAPVT XIIII.

1 Sapiens mulier ędificauit domũ suam: insipiens extructam quoque manibus destruet.

Docet non contemnendas mulieres ob fragilitatem sexus, quas perinde ac uiros deus beneficijs suis & gratia nobilitat, sine acceptione personæ. Apud deum enim non est mas neq; fœmina, quin & sæpe prosuit toti domui, familiæ, regno, posteris, sapientia mulieris. Abraham iubetur audire Sarã in omnibus, Rebecca instrumentum fuit promißionis diuinæ explendæ sapientia sua. Similiter uxores Iacob: sic obstetrices Pharaonis, & Raab, Iahel, Abigail, Thamar, Iudith, Hester. Saluantur generatione filiorum, iras moderantur maritorũ, familiam instituunt castitate, prudentia, & sedulitate, in omni timore dei, domos ædificant & illustrant, quo nomine honoranda est sensata mulier, & ut proprium corpus excolẽda. Stultitia autem in manibus eius disperdet domum, omni bono familiam destituet improba mulier, prole scilicet honestate, fama, substãtia, honore et gratia. Mulieres non contemnendæ.

2 Ambulans recto itinere, & timens dominum, despicitur ab eo qui infami graditur uia.

Hebræi legunt, Ambulat in rectitudine sua qui timet deum, spernit aũt uias suas, qui eũ contemnit. Vt sit sensus, Qui timet deũ studet cõuersari innocẽter, et in rectitudine mandatorũ dei ambulare, nec ad dextrã declinat, nec ad sinistrã, sine offensa dei cõuersatur, & proximi, timor enim dei abstrahit à peccato. Qui uero despicit & abijcit timorẽ dei, is cõtemptibiliter incedit in oculis dei & hominum, nihil rectè agit, non est solicitus de honesta conuersatione, sed turpitudine quacunque pollui non ueretur, carnis libidines sectatur, pacem carnis æmulatur & quærit, tandem incidit in contemptum iudiciorũ dei & præceptorum, finaliter obduratur ac desperat. Recta autem uia dei est, fidere deo, amare proximum: despecta uero, est uiribus & rationi propriæ fidere, sensui proprio acquiescere, seipsum in omnibus quærere, dei beneplacitum non attendere.

3 In ore stulti uirga superbiæ, labia autem sapientum custodiunt eos.

Stultus sibi placet, omnes præter se iudicat, reprehendit, damnat, omnium aliorum sententijs præiudicat. Sensus carnis magna de se iactat, deo nõ credit, semper me-

liora molitur, non præstat. Sapientes autem sancta loquuntur, honesta & in tempore, ad utilitatẽ sine offensione sunt ad omnes, non offendunt in lingua, agnoscunt infirmum rationis & arbitrij, procliuitatem suam ad omne malum, ideo facile alijs condolent, ferunt, excusant, & docent.

4 Vbi non sunt boues, præsepe uacuum est: ubi autem plurimæ segetes, ibi manifesta est fortitudo bouis.

Labor manuum. Laborandum præcipitur ut comedamus & uiuamus. Non obueniunt naturales diuitiæ & prouentus terræ sine laboribus & ærumnis, homini à deo impositis et imperatis, ideoq; solæ sunt iustæ diuitiæ, quæ laboribus à deo præceptis obtinentur. Qui boum ministerio non laborat, frumenta non reponet in horrea. Hunc autem locum diffamant otiosi clerici, atque homines alij quidam otio & fastu tantũ nobiles, apud quos non pœnitet multa qui multum laborat, sed qui multum laborant sunt alijs pauperiores, nemoq; ditior quàm otiosi & libidinosi. Quanquam & agricolæ sudores suos male locent, dum sese ludo, ebrietate, otio, & uestium pretio, extenuant, & paupertati debitisq; per ignauiam contractis inuoluunt. Potest quoque dici, Vbi non est labor studij in lege, ibi non est cibus animæ: multus autem prouentus sacræ eruditionis & salutis, ubi est assiduum studium uerbi dei.

5 Testis fidelis non mentietur: profert autẽ mendacium dolosus testis.

Mendaciũ. Qui uult haberi testis fide dignus, ex perpetua ueritate sermonis & solida sibi comparet authoritatem, ne semel mendax fidem perdat. Qui autem assuescit mendacijs, non erit idoneus testis ueritatis, sicut nec fidelis prædicator, & testis uerbi dei est, humanis literis & uanitate sensus humani inflatus. Alij sic exponunt, Studiosus in uerbo dei, quod solum non est permixtum falsitatibus, quia omnis homo mendax, non poterit mentiri, non nisi uera, pura, sancta docebit, testabitur, non accomodabit scripturæ sensum ad impias prophanasq; sententias, humana diuinis non præponet.

6 Quærit derisor sapientiam, & non inuenit: doctrina prudentium facilis.

Derisores sunt perfidi homines, qui quæ dei sunt omnia rident, sine fide & spiritu, sancta si legant nõ intelligunt, præponunt enim sensum carnis, & iudicium rationis, sententias moribus suis contrarias oditunt, declinant, inuertunt, proficiuntq; in reprobũ sensum, ut malint negare tandem, quàm ueritate uinci & resipiscere.

Doctrina uera facilis. Cordato autem, crudito, & pio, facilis & aperta est ueritas. Simplicissimum est uerbum domini, longeq; clarius loquitur simplicibus, quàm eruditione sæculari tumentibus. Si tamen litera fideliter proponatur, et sensus nõ sit uanus interpretis uel audientis, carnaliumq; affectionũ spiritu prauo obsessus, fastu quoque quæstu & luxu deprauatus, huiusmodi enim deludere solent sensum hominis. Cum simplicibus autẽ sermocinatio eius, secretumq; eius cum rectis et innocentibus, reuelaturq; uerbi dei cognitio paruulis, auidis, humilibus, studiosis, credentibus.

7 Vade contra uirum stultum, & nescito labia prudentiæ.

Colloquiũ stulti. Si incideris colloquium stulti, non credentis uerbo dei, non deprehendes in eo quippiam sani certi uel synceri, redolent enim uerba eius opiniones hominum, commoda priuata uel fastum, nõ enim capit ea quæ dei sunt. Nihil ergo ab illis discendum, non acquiescendum, uitanda consuetudo repens ut cancer, imponunt enim simplicibus, loquuntur de auaritia, uoluptatibus, scurrilibus rebus, affectibus carnis indulgent, de malo thesauro cordis proferunt mala, sancta enim loqui non didicerunt. נגר præsentiam significat, מנגר longanimitatẽ uel aduersum, quasi dicat: Fuge stultum, non congrediaris, noli discere stultitiam à stulto.

8 Sapientia callidi est, intelligere uiam suã: & imprudentia stultorum errans.

Sapientia uera, est nosce seipsum, propriã uiam suam, mores & studia animaduertere. Sapiens studet omnibus modis dextrè agere ac fideliter. Impius omnia molitur per dolum. Sic sapientis est & pij spectare in omnibus domini uoluntatem, nil agere contra dei uerbum, præter uiam quam ostendit dominus, nihil sine fide audere. Stultus autem obseruat ne quid homines improbent, ne palàm improbus deprehendatur.

9 Stultus illudet peccatum, & inter iustos morabitur gratia.

Peccata agnoscere. Impij non agnoscunt, non expendunt nec damnant delicta propria, excusant potius, ueram non agunt pœnitentiam, monita uerbi dei rident, iustos se credunt, dei timore uacant, de peccato suo displicentiã habere nõ possunt. Qui uero sine hypocrisi sunt, & recte incedunt, fideles et pij, sponte se peccatores fatentur, agnoscunt dei iustum iudicium, crimina cuncta abhorrent, aduersa tolerant æquanimiter, interim bono animo fidunt bonitati diuinæ, placet eis quicquid deus de ipsis decreuerit, de peccatis suis ueraciter dolent, & emendantur. Iudei exponunt, Iniusti pro nihilo ducũt perniciose loqui & impie, recti autem sancta loquuntur & utilia.

10 Cor quod nouit amaritudinẽ animę suę, in gaudio eius non miscebitur extraneus.

Agnoscere homo debet peccatum cordis, quo sibi quisque cõscius est, quo nemo caret in hac uita, deq; eo conteratur ac doleat, crucis mortificationẽ apud semetipsum ferat, insuper per fidem uerbi dei & gratiæ consoletur in spiritu, credens uelle dominum parcere ingemiscenti peccatori: tandem illi gaudio spirituali nõ miscebitur externum, carnale, & momentaneum. Simplicius uero intelligitur, Cum fuerit cor hominis perturbatum, non poterit facilè externo gaudio consolari. Vel aliter, Cor hominis solum nosce potest proprias amaritudines, cui satisfacere non potest gaudium externum qualecunq;.

11 Domus impiorum delebitur, tabernacula iustorum germinabunt.

Etiam si increuerint & floruerint diuitiæ familiæ & possessiones impiorum, tamen non subsistent, non durabunt, domino enim iudicante citius delebuntur, ut patet de Chananæis, Aegyptijs, Babylonijs, regibus Israel,

Romanis

Romanis, &c. ne si impijs perpetuo succedat feliciter, pij scandalizentur. Tabernacula autem, id est casæ & tuguria piorum, agros colentium & pecora, bonis tam spiritualibus quàm temporalibus non carebunt, proficient autem prouidentia dei, superbos humiliante & humiles exaltante. Exemplo sunt sancti ueteris testamenti, qui continuo creuerunt multipliciter, donec felicitate
12 temporali cœperunt insolescere, et sancti esse cessarũt.

Est uia quæ uidetur homini iusta: nouissima autem eius deducunt ad mortem.

Multa præ se ferunt speciem honestatis, & sancta putantur, quæ impia deprehenduntur tandem, & male cedunt. Fallit sæpe iudicium carnis & amor sui. Impij ex prosperis labuntur in errores, quasi bene uiuant persuasi, tandem pœna erudiuntur. Sancti contra exercentur aduersis, & ad desperationem fermè perducuntur aliquandiu, donec domino mandante redeat tranquillitas. Finis in opere considerandus magis quàm initium, si iuxta rationis naturalis dictamen, contra uel nõ secundum dei uerbum uixerimus, tandem confundemur, tarde errorum pœnitebit.

13 **Risus dolore miscebitur, & extrema gaudij luctus occupabit.**

Solatia humana in carne non sunt syncera, mixtam habent calamitatem & tristitiam, ut in die bonorum memores simus malorum. Semper dulcia condiuntur amaris, ut nihil habeatur in hac uita stabile, præter uerbum domini, & fidem hominis iusti. Extrema mundani gaudij subsequitur mœstitia sempiterna.

14 **Viis suis replebitur stultus, & super eum erit uir bonus.**

Qui sordet sordescet magis. De fructu adinuentionum suarum comedet malus. Qui carni seruit, carnalia promeretur. Qui seminat in carne, de carne & metet corruptionem. Dimisi, ait, eos secundum desyderia cordis eorum, ibunt in adinuentionibus suis. Superabit autẽ improbum uir bonus. Veritas in æternum manet: Iustitia iusti manet in sæculũ sæculi. Non impune malus peccat. Videbunt eum iusti, & super eum ridebunt.

15 **Innocens credit omni uerbo: astutus considerat gressus suos** (Filio doloso nihil erit boni: serui autem sapientis prosperi erunt actus, & dirigetur uia eius.)

Paruulorum est circumferri omni uento doctrinæ. Omnibus & nulli credere uitium est. Qui non est exercitatus in lege domini, facile humanis traditionibus et mendacijs persuadebitur. Qui facile credit, leuis est corde. Probandi sunt spiritus, si ex deo sint. Sapiens prospicit sibi quò pergat, quid tẽtet, cui credat, quam respuat, uel probet doctrinam, omnem uitam suam expendit à domini uoluntate, uerbo dei cupit uiuere cõformiter, circumspectus in omnibus.

16 **Sapiens timet, & declinat à malo: stultus transilit & confidit.**

Sapiens lege cognita terretur, cauet insidias satanæ, à malo recedit, uirtutis amore: admonitus insuper terrore legis. Qui ergo non timet, sed temere defertur in uitia, quamlibet eruditus sit stultus deprehendetur. Timor enim dei initium est sapientiæ. Audacter autem & impia fidutia impius dei mandata transgreditur, pergit animose, carnis potentia armatus, contemnit dei iudicia, quæ uel nõ credit, uel ridet, excæcatus malitia. Nõ ergo bona est omnis fidutia, sed quæ in dei bonitatem et promissiones fertur. Maledictus qui spem suam ponit in hominem, & carnem ponit brachium suum. Soliti sunt impij transgredi audacter mandata dei, interim tamen confidere, quasi indulgentias empturi, & satisfacturi operibus, uel impunes euasuri.

17 **Impatiens operabitur stultitiã: & uir uersutus odiosus est.**

Hebræi iræ impotentem & sese cohibere non ualentem, uocant קְצַר אַפַּיִם, cito iratum: sicut longanimem, & non propensum ad iram אֶרֶךְ אַפַּיִם tarde iracundum nominant. Damnat sapiens omnem acerbitatem animi, docet non illico effundi ad uindicandum iniuriam, domino cedendam esse uindictam, sicut & laudem iustitiæ, dandum locũ iræ. Hoc autem fit leuius, dum fide sentitur prouidentia dei geri uniuersa, dum nõ tam creaturæ opus spectatur quàm dei. Vir uersutus, homo cogitationibus prauis impletus, reprehenditur & odibilis est, sed multo odiosior qui iram dissimulando prætendit mansuetudinem, intus tamen feruet odio, & desiderio ultionis, ira æstuat, & dolo sese ulcisci conatur ubi poterit.

18 **Possidebunt paruuli stultitiam: & expectabunt astuti scientiam.**

Facile rudes & indocti decipiuntur, nesciunt enim & non appretiantur, nec assequi desiderant fructus ueræ sapientiæ, immoriuntur autem stultitiæ, & eam ducunt partem suæ hæreditatis. Sapientes autem & circumspecti, habentes spiritum discernendi, & exercitati in tentationibus, scientia coronabuntur, clari erunt coram deo & hominibus. Iudæi dicunt, Coronabunt, hoc est instructione sua glorificabunt suos discipulos. Philippus dixit, Imperito nusquam quicquam iniustius. Indoctiinius ti.

19 **Iacebunt mali ante bonos: & impij ante portas iustorum.**

Mali pro suis peccatis & transgressionibus indigent gratia & indulgentia bonorum quos offenderunt, quam precibus & inclinatione promereri coguntur: iusti autẽ fidutia honestæ conuersationis apud homines, huiusmodi humiliatione nõ indigent. Quasi dicere uoluerit: Præstat bonum esse quàm malum, optabilius est præbere ueniam quàm petere, misereri alijs, quàm miserum inueniri, gratiam præstare, quàm indulgentiam impetrare. Portarum autem mentio non raro in scripturis significat fõrum iudicij & iustitiæ, quod olim publico portarum loco in frequentia testium deferebatur, ibidem enim condemnantur impij à iustis iudicibus.

20 **Etiam proximo suo pauper odiosus erit: amici uero diuitum multi.**

Vulgus amicitias utilitate probat, tanta est humani cordis uesania. Amicitia negatur magis ea indigenti. Vtilissima fugitur paupertas, quam Christus dominus uerbo

docuit & exemplo, de amicorum pauperie uerecundantur mundani, cuius operæpretium foret misereri. Licet uero diuitum multi dicantur amici, ueri tamen amici nõ sunt, qui potius simulant charitatẽ, suijpsius amatores, qui amici sunt mensæ, rerum, fauoris & honorũ, ad primum infortunium recessuri. Vtitur autem scriptura assueto hominibus more loquendi.

21 Qui despicit proximũ suum, peccat: qui autem miseretur pauperis, beatus erit (Qui credit in domino, misericordiam diligit.)

Odium in fratrem.

Vt finis legis dilectio est proximi, & qui domesticum non curat, infideli deterior pronũtiatur: sic peccator est, & in legem cõmittit, qui proximũ despicit, tanto peior, quanto est à charitate remotior. Qui fratrem odit, quando diliget inimicum? Beatus est autẽ felix & gratus deo, qui miseretur & comodat, qui pauperes colit, & eleemosynam indigentibus subministrat, de charitatis opere cõmendabitur in extremo iudicio. Beatius est dare quàm accipere. Laborandum ergo ut habeamus unde egenis benefacere poßimus. Beati misericordes, quia misericordiam assequentur. Sententia quæ sequitur de credente in domino, non est de textu Hebraico.

22 Errant qui operantur malum: misericordia & ueritas præparant bona.

Creauerat dñs ab initio hominem rectum, & fecerat omnia ualde bona. Errant igitur contra naturã à deo inditam, contra dei legem, contra charitatẽ, qui malũ proximo moliuntur, à dei quoq; bonitate excludemur et in malo peribunt. Qui uero bonum uult & præstat misericordiam, hoc est beneficentiam in opere, & ueritatem in uerbo, is dei quoq; misericordiam & ueritatem consequetur, qui misericordiam promisit misericordiã exhibentibus, et ueritatem reuelat eis qui sunt mundi corde.

23 In omni opere erit abũdantia: ubi autem uerba sunt plurima, ibi frequenter egestas.

Hebræus dubiam habet sententiam, In omni molestia erit abundantia, & uerbum labiorum etiã ad inopiam

Labor et otium.

erit. Quod sic potest intelligi, Vbi laboratur, & molestia toleratur, ibi satietas locũ inueniet: ubi negotiũ opere perficitur, ibi abundat fructus atq; augetur prouentus: sed ubi uerbis tamũ multis agitur, sequetur egestas. Vt interim discamus abundantiam sine laboribus omnibus et molestia, iniquã esse. Viuere de otio, mendicitate, usura, iniqua hæreditate, sine laboribus utilibus, cæteris paribus, domino non probatur. Alius sensus, In omni anxietate & ærumna nimietas est. Conquerentur enim miseri & ærumnosi ultra demeritũ suum se uexari, et ultra quàm ferre ualeant, non agnoscentes multiplices errores suos, pro quibus à domino puniuntur, augetur autẽ continuo dolor huiusmodi & angor, donec querela ad amicum perlata fidelem, refrigeretur & consolationem suscipiat. Vel sic: Si quid molestiũ à domino immissum modeste fertur, à dño abundanter compensatur beneficio, et multo plura dñs exhibet, quàm fidelibus suis ꝓmittat. Non ergo mirum si interpres quoque Græcus & uetustus suo sensu abundarit: fortaßis aliter legit, quàm hodie in Hebraicis legitur.

24 Corona sapientum, diuitię eorum: fatuitas stultorum, imprudentia.

Diuitiæ sapientibus & iustis sunt adiumenta uirtutis, sicut perditio sunt & scandalũ reprobis. Boni enim bene utuntur omnibus creaturis, ad gloriã dei proximiq; consolationem & usum, propriamq; necessitatẽ. Stulti autẽ abutuntur ad luxum diuitijs imprudenter in malũ suum, nec fortuna, nec infortunio resipiscũt, reprobati à domino, ut sint perpetuo imprudentes & impij.

25 Liberat animas testis fidelis: & profert mendacia uersipellis.

Qui ueritatem testatur in iudicio, qui dextre causas agit, qui uerbum dei pure & fideliter prædicat, liberat animas, id est homines ab errore pernicie & damnis, seruat uitã & conscientiã inculpatam. Fallax aũt testis, dolor perfidus, multorũ mendaciorũ, errorũ, damnorum, & bellorum occasionẽ præstat, dolum enim et loquitur & persuadere intendit. Pluraliter aũt animas dicit, quando uerax in iudicio testis causa est salutis plurimorũ, suæ in primis, & filiorum suorum, aduersæ partis, & iudicis, omniumq; qui interfunt iudicio.

26 In timore domini fiducia fortitudinis, & filijs eius erit spes.

Timentes dominum filiorum affectu, per fidem stabiliuntur in omnibus aduersis et prosperis. Omnia possunt in eo qui confortat suos amicos, semperq; assistit, sed & filij ac hæredes sanctorũ, eo confidentius agent, & erũt feliciores, eruditi à maioribus ad iustitiam. Sed et dici potest, Filijs eius, id est dei. Qui enim fiducia pura feruntur in dñm, per fidẽ filij dei nominantur, grati deo sunt cum opibus: placet enim deo quicqd egerint, qui ex fide agũt.

27 Timor domini fons uitę, ut declinet à ruinã mortis.

Qui secundum legem dei sapiens est, qui deum credit et timet, id est ueneratur, is deo quoq; uiuit, producit fructus iustitiæ, ut arbor bona, de eius uẽtre profluent aquæ uiuæ, ut supra quoq; dictum est. Lex sapientis fons uitæ ad recedendũ à laqueis mortis: ut intelligamus idem esse timorẽ dei, & sapientiæ legem, quibus occasiones & laquei peccatorum uitantur.

28 In multitudine populi dignitas regis: & in paucitate plebis ignominia principis.

Magistratus bonus.

Regium decus & uerè gloriosa maiestas est consensus multorum populorũ, si iustis uotis concordes obtemperent duci, si regem & pastorẽ suum diligant. Vbi aũt sola uiolentia reguntur imperia, ibi populus odit magistratum, auersatur, dilabitur, insidiatur, ut nunquã absit tyrannis pauor: nec enim effugiunt conscientiam criminum, nec odium publicũ. Meminerint ergo præsides, hoc loco admoniti, se nihil esse sine consentiente populo, & uiribus adiuuante gloriam, nec populum esse propter regem, sed regẽ propter populũ, cui prodesse cupiat, æque uel magis quàm præesse, multo minus tyrannicè immine re, & solũ pauori esse & timeri, nequaquã diligi. Cũ impij sumpserint principatũ gemet populus. Inexpugnabile aũt munimentũ est, amor ciuium, & fides non coacta.

29 Qui patiens est, multa gubernatur sapien tia:

tia: qui aũt impatiẽs est, exaltat stultitiã suã.

Insignem sapientis animi notam exhibet, qui non temere trascitur, qui non facile præcipitatur in odium, qui animo potest imperare, qui nõ se ulcisci subito parat, qui non prorumpit ad iniquam senectutiã, qui non obmurmurat contra dei iudicia & ordinem. Impatiens autẽ exaltat stultitiã, in contumelias fertur, subito uindictam tentat, & blasphemias non ueretur, palamq; profert stultitiam animi impotentis. Patientiam docet, ut paratior sit homo ad non resistendum malo, & ad uincendum in bono malum, sicut & Christus paßim, melior est enim patiens arrogante.

30 Vita carnium, sanitas cordis: putredo ossium, inuidia.

Docet gaudiũ cordis in bona conscientia, utq; sit mens sana, iucunda & gaudens in corpore sano. Animus enim gaudens ætatem floridam reddit, spiritus tristis exiccat ossa, id quod hic sequitur. Putredo autem oßium inuidia, quæ pestifero ardore depascit ossa, et tabescere facit, pectus exurit, mentẽ affligit. Inuidus alterius marcescit rebus opimis. Inuidi homines nihil agũt quàm propria tormenta, ut est apud poëtam.

31 Qui calumniatur egentem, exprobrat factori eius: honorat autem eum, qui miseretur pauperis.

Violentus ac durus in pauperem, deum calumniatur, qui pauperẽ facit & ditat, talemq; esse uoluit. Cuius oculi quoq; in pauperem respiciunt, cui derelictus est pauper, quem curat ut pupillam oculi, adiutor orphanorum ac uiduarum. Facile est autem domino subito cohonestare pauperẽ. Honorat autẽ deum, quisquis pauperis miseretur. Quod enim uni ex minimis meis fecistis, inquit, mihi fecistis. Ipsius est liberare pauperẽ ac ulcisci à potente. Deum ergo colit, qui pauperi succurrit.

32 In malitia sua repelletur impius: sperat autem iustus in morte sua.

Impius qui sine fide & timore dei uiuit leui molestia uexatus misere succumbit & desperat, ex malo propulsus in malum: iustus autem qui deo fidit, qui credit deum omnium gubernatorem & iudicem, qui se totũ deo commendat, qui totus pendet ex illius beneplacito, is in ipso etiam mortis articulo fidit deo, bonaq; uoluntate fert omne iudicium dei, non dubitat se totum deo credere, & post mortem etiam perfrui benignitate dei, máq; gaudia sempiterna transferri, bonis cœlestibus potiri, post hanc uitam repositã sibi esse conditionem longe beatißimam. Potest quoq; aliter dici, Malitia quam impius molitur iusto, recidet in impium: iustus autem tutabitur à domino,

33 & protegetur etiam in ipsa morte.

In corde prudentis requiescet sapientia, & indoctos quosque erudiet.

Sapientis est nolle scientiam suam latè famari, non esse iactabundum, ubiq; & semper conseruare modestiam, minuit ualde uirtutis cuiuscunq; præconiũ aßidue se iactare de proprijs successibus, & cum audientium irrisione imitari militem glorioſum. Stultus est, qui ambit inno tescere in medio stultorũ. Modicã licet sapientiæ particulam nõ patitur delitescere, quin inter indoctos haberi uult sciolus: cũ malint uerè sapientes tacere in tempore quàm loqui. Iudæi quidam nostrã sequũtur translationẽ.

34 Iustitia eleuat gentem: miseros autem facit populos peccatum.

Hic Iudæi exponunt גוים pro gente sua Iudaica, cum consueuerint alioqui Christianos Goim nominare, id est gentiles: dicuntq; iustitiã Iudæorum exaltandam, probitatem autem reliquarum nationum esse peccatum, id est deo execrabilem. Latinorũ more hic accipi potest חסר misericordia uel ꝓbitas, ꝓ miseria uel execratiõe. Quanquam & ר pro ך probitas uel beneficentia pro defectione uel egestate capi poßit. Vt sit sensus, Nõ exaltatur quæcunq; natio nisi cultu iustitiæ, iniquitas autẽ uel peccatum inducit populis egestatẽ, & omnium bonorũ defectum. Exponunt quidã spiritualius, Iustitia fidei gentem exaltat, nihil enim habent de quo gloriari corã deo posſine, nisi tantũ de iustitia fidei, accepta per Christũ, quæ à deo probãtur, et quæ imputatur credentibus à deo pro iustitia. Probitas aũt nationũ peccatũ est, omnis politica moralis ac naturalis honestas, uirtus ac sanctitas, sine fide in Christũ peccatum est corã deo, & ut pannus menstruatæ, ac iudicio dei damnabilis. Seipsos enim quærũt, non gloriam conditoris, quem ignorant sine uerbo dei. Iustitia fidei

35 Acceptus est regi minister intelligens: iracundiam eius inutilis sustinebit.

Nõ placet regi uel domino cuicunq; seruus nequã, stultus, piger, ac perfidus: sed syncerus, circumspectus, eruditus, sedulus, prudens, ac fidelis: multo minus deo placet, qui fideli seruo commendat familiã, ut det cibũ uerbi dei in tempore, creditũ talentum expendat in usurã domini, ut sit fidelis in modico, constituendus super multa: nequã autẽ seruus ac infidelis, qui absente domino iniuriatur, percutit, interficit familiã, uel sudario recõdit talentum acceptum ad usurã, iram domini sustinebit, audiet, Serue nequam, uapulabit multis, eijcietur in tenebras exteriores, partem habebit cum damnatis. Seruus improbus sentiet omnia scientis regis iram & iudicium.

CAPVT XV.

1 Responsio mollis frãgit iram: sermo durus suscitat furorem.

Lenis responsio conquiescere facit et sedat iram, sermo autem molestius & asper prouocat iracundiã. Exemplis ostenditur hæc parabola ex sacris historijs. Gedeon humili responsione & moderata restitit obiurgantibus Ephraimitis, & propè uim inferentes laudando compescuit, ut statim requiesceret spiritus eorum, quo tumebant contra eum. Contrariũ egit sapientißimi Salomonis stultißimus filius Roboam, dura responsione irritando & ablegando decem tribus, consilio imprudentum perdendo glorioſum regniũ, quod uno dulci sermone poterat seruasse. Responsio lenis.

2 Lingua sapientum ornat scientiam: os fatuorum ebullit stultitiam.

Eruditi in lege domini, & qui fide ac uera sapientia sunt imbuti creatorem agnoscunt, bene pronuntiant de quæstionibus religionem & mores concernentibus, aptè

prædicant uirtutes & uitia, pœnam & gloriam, sciunt de quibus affirment, ueritatẽq; certo persuadent auditoribus, et promouent ad meliora. Os aũt stultorum effutit stultitiã, qui sine spiritu sancto tractãt uerbũ dei, et illud magis cõfundunt, inuoluunt quæstionibus imperitis & uanis ac superuacaneis, eluduntur à uerbo dei. Os humanæ eruditionis & rationis, mendaciũ et error naturalis, non docet nisi stulta & impura, nõ consolatur erudit uel erigit afflictas conscientias, sed litigat, opinatur, seducit.

3 In omni loco, oculi domini contemplantur bonos & malos.

Prouidẽtia dei. Prouidentia dei adest omnibus creaturis ubiq; et semper, omnia moderatur & seruat, in ipso enim uiuimus mouemur & sumus, nihil ignotum illi, omnia operatur in omnibus. Velle eius fieri est in creaturis, suũ conseruare est omnibus creaturis subsistere, scire suum est nostrũ esse. Contemplantur enim oculi domini bonos & malos, sancta & impia, nec malum contingit domino nolente, non est in ciuitate malum quod non fecerit dominus: ipse facit pacem & bonum, & creat malum, quod non sibi malũ est, sed malis. In suo ordine optima sunt omnia quæ fiunt, malis autem cedunt in malum, sicut bonis omnia cooperantur in bonum. Quod autem oculi domini super iustos ferri dicuntur, statim clarius explicatur, cum dicitur, Et aures eius in preces eorum, ut eruat eos in fame, ut bonis eorum prospiciat, ut propitietur, benefaciat, ac saluet.

4 Lingua placabilis, lignum uitæ: quæ autem immoderata est, conteret spiritum.

Doctrina uera. Doctrina ueritatis, uerbi dei prædicatio, colloquium ueræ sapientiæ lignum est uitæ, hoc est optimum omniũ rerum concupiscibilium, nihil enim salubrius ad uiuaces operationes spiritus diuini in fidelibus, quàm uerbi et uoluntatis diuinæ meditatio: ea enim uiuificatur spiritus, et fructus propagantur honoris & gratiæ gaudij & uirtutum. Fallax autem lingua sophistica, infidelis & uana, conturbat spiritum, opinionibus confundit ac distrahit, erroribus seducit, falsa inculcat, conscientiã cauteriatam reddit & impiam, uerbum autem domini erigit & erudit animum, hortatur & monet, spem tribuit, fidem confirmat, & accendit charitatem.

5 Stultus irridet disciplinam patris sui: qui autem custodit increpationes, astutior fiet (In abundanti iustitia uirtus maxima est, cogitationes autem impiorum eradicabuntur.)

Sicut pater pius & sapiens filios erudit in lege domini, ut deum timeant, eius opera admirentur & reuerentur: sic impius filius est & stultus, qui pij parentis monita floccipendit, qui disciplinam in moribus non suscipit. Sapiens autem erit, qui de insipientia sua se patitur corrigi, qui errata monitus agnoscit, & ad meliora contendit, qui uerbo crucis eruditur, cui aduersitates proficiũt ad sanctimoniam, & ad fructum adauctæ fidei ac uirtutum. In abundanti iustitia, &c. non est de Hebraico textu, sed sensus est: Opera sancta de genere, per fidẽ facta meliora sunt, ex maxima fide optima: proficiunt enim insti in deo, per quem omnia possunt, nihil est enim credenti impossibile. Impius autem uiribus suis nitens nihil proficit, experitur quàm nihil possit, frustratur in conatu ad opera bona, sine dei gratia & auxilio.

6 Domus iusti plurima fortitudo, & in fructibus impij conturbatio.

Iustorũ suã scientia. Non uidi iustum derelictum, nec semen eius quærens panem: gloria & diuitiæ in domo eius: miseretur enim & cõmodat, tota die in benedictione erit. Multa bona habebimus, si timuerimus deum, dixit Tobias. Sanctis olim patribus et patriarchis benedixit in spiritualibus & corporalibus bonis. Nutrit seruos et filios suos dominus, necessaria illis abesse non patitur, superflua non prosunt. Impiorum autem prouentus & fructus sunt cõturbatio, id est cum multis molestijs, peccatis, curis, timoribus, tentationibus, inuidia, et mala cõscientia acquiruntur, conseruantur, defenduntur, augentur, dissipantur. Sunt insuper probis impedimenta bonorũ, & incitamenta ad peccandũ. Omnis enim diues iniquus est, aut hæres iniqui: nisi fide sit quasi nihil habens et omnia possidens, hoc est pie dispensans, quod proprium est piorum.

7 Labia sapientum disseminabunt scientiã: cor stultorum dissimile erit.

Scientia uera & sancta, creatoris scilicet & suiipsius legis & gratiæ, non discitur nisi ex uerbo domini, & à sapientibus, id est credentibus, qui soli sunt idonei seminatores uerbi ueritatis, quanquam uarie cadat & crescat ad fructum: cor autẽ stultorum huiusmodi scientiam non suscipiet, multo minus docebit, scilicet iustitiam & sapientiam dei, quam ignorat, quia caro est, & iuxta desideria carnis agitatur, sentit & loquitur.

8 Victimę impiorum abominabiles domino: uota iustorum placabilia.

Sacrificia impiorum. Quantumlibet multa & magna deo offerantur ab impijs, licet magnis et ad speciem religiosis operibus instent, quicquid sine fide attulerint abominatio deo erit, tam munus quàm offerẽs. Respexit deus ad Abel ipsum, & ad munera eius, ad Chain autem non aspexit, impius enim erat, indeuotus, sine fide et affectu sancto in deum, operibus sese commendare uolebat, non fide & spiritu. Abominatur deus impios cũ suis oblationibus. Quæstus autem qui in locum pietatis irrepsit, nouũ inuenit sacrificiũ, quo deus placatur scilicet, etiã ab impijssimo sacrificulo, quod illi missam nominauerunt, decernentes dudũ hæresim esse, si quis neget missam meliorẽ esse à bono q̃ à malo presbytero, cum hic dei uerbũ dicat, Victimã impiorum esse abominationem dei. Vota autem, id est orationes rectorũ (hic disce quid uota translator intellexerit) placabilia, nimirũ sacrificium laudis, fidei, deuotionis, sancti desiderij, orationis pro se et proximis. Pro dei gloria in spiritu & ueritate oblata, nimirũ deo placent.

9 Abominatio est domino uia impij: qui sequitur iustitiam, diligitur ab eo.

Absente fide nihil deo placere potest, qui uero fidem habere desiderat, qui cupit iustitiam & assequitur, is est quem amat deus, cuius omnia placent, qui non peccat ad mortem, qui unus est cum deo spiritus: perfectam autem iustitiam cons. qui nemo potest, annuti, orare, desiderare, &

& imperfectam, sed cum gratia dei sufficientem consequi potest & possidere.

10 Doctrina mala deserentium uiam: qui increpationes odit, morietur.

Via dei. Qui semitam uerbi dei & fidei in deum deserit, qui non timet deum, is nulla disciplina erudietur, nulla pœna emendabitur, duplo peior euadet. Induratur enim et blasphemat, fert impatienter manũ domini, sine fructu eruditur, ut Achas & similes, Iudæi quoq; Christũ deserentes & contemnentes, tot & tantis malis suis non corriguntur. Deniq; qui non patitur correptionem, periclitatur de morte. Non potest iuuari, qui non uult moneri. Seruanda itaq; est semita, ut eruditio prosit. Audienda correptio, ut mortis dispendium euitetur.

11 Infernus & perditio coram dño: quanto magis corda filiorum hominum.

Nihil mali potest homini contingere præter dei prouidentiam, domino nõ ordinante, qui omnia nouit, dispensat, moderatur. Ipse nouit abscondita cordiũ, eius potentiam nullus euadit: proinde nostrũ est obsequi, timere et amplecti in omnibus uoluntatẽ eius, quæ ut in se optima est, sic nobis fidelibus fructuosa, si bene utamur, & domino nos committamus. Ipse nouit finem uitæ nostræ, nouit sepulchrum, nouit iudiciũ, idq; ante constitutionẽ mundi, deniq; nouit omnia. Nostrum est audire uerbũ illius, facere uoluntatem agnitam dñi dei nostri, eidem fidere, prospera ac aduersa, præsentia & futura, corpus & animam illi cõmittere, pro prauis nostris cogitationibus, uerbis, operibus, desiderijs & occultis blasphemijs Dei iudicium pertimescere, omnium quæ in hoc mundo geruntur causam & moderatorẽ deum credere & uereri, & ut corda filiorum hominũ in uiã salutis & iustitiæ dirigat, per clementiã suam suppliciter exorare semper.

12 Non amat pestilens eum qui se corripit, nec ad sapientes graditur.

Qui uita & moribus, uerbo uel doctrina irridet timorem dñi, omnia sacra calumniatur, is non solum non amabit pium & fidelem monitorem uerbum domini afferentem, sed magis irascetur, odiet, calumniabitur, persequetur, nec instrui se patietur nec corrigi: cum sapientibus non ambulat, familiaritatem bonorũ auersatur & fugit, suo autem applaudet simili, suæ farinæ nebulonibus sociatur & delectatur, libidines præponit sapientiæ.

13 Cor gaudens exhilarat faciem: in mœrore animi deiicitur spiritus.

Docet ut conscium sibi cor de omni honestate dño fidat, de eius bonitate & beneuolentia lætetur, ac in spiritus iucũditate dño famuletur. Secura mens quasi iuge conuiuium, in anxietate aũt cordis contritio est spiritus. Sicut enim ex fiducia gaudium, sic ex infidelitate mẽtis anxietas & animi desperatio nascitur. Immoderata tristitia uitæ aduersatur, et omnibus honestis functionibus, obest mentis & corporis ualetudini: interim tamen inepta lætitia non laudatur neq; conceditur.

14 Cor sapiẽs quæret doctrinam: & os stultorum pascetur imperitia.

Quanto sapientior, tanto sapientiæ studiosior erit, ut eam diligentius inuestigare cogatur & delectet. Qui edunt me adhuc esurient. Qui eam propius nouerit ardentius amabit. Et os stultorum pascet stultitiam. Authoritate magnorum mouemur etiam ad stulta & impia. Dici quoq; potest, Os stultorum loquendo adauget proditq; stultitiam, nil nisi stulta docebit, delicias suas ducit stultescere, nugari, seducere, assequi sui similes, fallere tempus & homines.

15 Omnes dies pauperis mali: secura mens quasi iuge conuiuium.

Qui uel necessarijs indigent, uel habitis non sunt contenti, aut multa desiderant, qui terrena tantũ ambiunt, hi semper sunt miseri, spiritus enim & gratiæ consolatione destituuntur. Qui uero omnia boni consulere didicerunt, totos se dño committunt, temporalibus non astringuntur corde, prouidentiæ dei fidunt, hi semper gaudẽt. Vtcunq; negotia ceciderint, semper nomen dñi benedicunt, dei ordinationem agnoscunt, & cum gaudio amplectuntur. Iucunda mens & secura conscientia in deo, summæ sunt diuitiæ. Glossa ordinaria hoc modo: Omne tẽpus populi dei quãdiu est in præsenti uita pauper est, afflictionibus abundat, nondum enim peruenit ad ueras diuitias. Reprobi autem qui sine timore dei mundo fruuntur, quasi iugi delectantur conuiuio. Boni consulere.

16 Melius est parum cum timore dñi, quàm thesauri magni & insatiabiles.

Melius est ut seruato timore dei & gratia opibus egeas, etiam quotidiano uictu, q̃ ut desiderio plura acquirendi, dñi timorem postponas. Qui non desiderat anxie plura q̃ habeat, contentus uictu & quibus tegatur, is felicissime uiuit, & est ditissimus. Eum non potest deus deserere, quietus est à molestijs magnis diuitum, & auarorum. Facile assequimur necessaria, paucis natura opus habet & cõtenta est. Vbi multæ sunt opes, ibi multi qui absumunt. Quid prosunt possessori auaro diuitiæ, nisi quod cernat oculis? cum interim pauper & sufficiẽs habitis utitur cum lætitia & gratiarum actione. Melius est modicum iusto super diuitias peccatorum multas. Sufficientia.

17 Melius est uocari ad olera cum charitate quàm ad uitulum saginatum cum odio.

Gratior sit cibus paratus ex oleribus cũ cõsensu, pace & charitate conuiuarum, quàm prandium lautũ ex optimis carnibus, ad delicias gulæ nutritis, si adsit odium, zelus uel contentio, comm anducantibus. Vel sic, Longe est optabilius & beatius cũ bona conscientia, & confidẽtia fauoris diuini, minime fortunæ bonis potiri, quàm cum dei odio uel contemptu perfrui diuitijs & uoluptatibus huius uitæ. Potest intelligi generalius, Pluris habendum paruum munus, quod à charitate proficiscitur, quàm ingens donum illiberaliter præstitum.

18 Vir iracundus prouocat rixas: qui patiẽs est, mitigat suscitatas.

Contentiosorum societatem uitandam docet, uel mansuetudine superandos. Longanimes paci consulunt, iracundi causas discordiarum aucupãtur. Ira uiri iustitiam dei non operatur. Beati pacifici, quoniam filij dei uocabuntur. Ira grauius peccatũ est, quia infestius charitati: Contentio.

pietas & mansuetudo ualent ad omnia.

19 Iter pigrorum quasi sepes spinarum: uia iustorum absq; offendiculo.

Pigritia. Pigrum hic discimus opponi recto. Mali ergo sunt qui non laborant. Segniter & tarde incedit piger, rectus autem expedite procedit. Piger quoq; intelligitur, qui laborem seruandæ legis abominatur, difficultatem in opere uirtuoso subterfugit, qui fide caret in deum, abhorretq; à cruce, ubiq; profectuũ sanctorũ offendit obstacula. Iustus uero nihil pro deo fert grauiter, sentit onus dñi sua ue, charitate omnia suffert, cõplacet ei in præceptis domini, ex uera fide deo seruit non coactus, sponte legi obsequitur, & ex spiritus libertate.

20 Filius sapiens lætificat patrem: & stultus homo despicit matrem suam.

Parentum gaudia. Gaudium est patri fideli & probo, si uideat filium proficere in lege & timore domini, si intelligat se cum laude & gloria dei superuicturum in filio. Cupiunt enim patres industriosos & prudentes filios: matres autem de filijs sese amore naturali iactantes, turpiter confunduntur in stolidis filijs. Deniq; cœlestis pater gaudet de profectu fidelium, dolet super filios contemptores & degeneres apud Isaiam. Matrem intelligere quoq; possumus ecclesiam, quam confundunt impij, sese filios ecclesiæ & sponsos iactitantes, cum eam uita, doctrina & exemplo commaculent.

21 Stultitia gaudium stulto: & uir prudens dirigit gressus suos.

Gaudent impij cum malefecerint, & exultãt in rebus peßimis. Stultus non esset, qui ignorãtiæ suæ mala agnosceret. Placent autem rationi humanæ sua mendacia, falsitatis commenta magis quàm uerbi dei decreta. Vir aũt pius meditatur in lege dñi, pie uiuere conatur, adhibet legis dei lucernam pedibus, quam & supra aurũ appretiatur, et lapidem pretiosum multũ. Qui recta ingreditur, is fidit quibus fidendum, damnat ea quæ sunt damnãda.

22 Dissipantur cogitationes ubi nõ est consilium: ubi uero sunt plures consiliarij, confirmantur.

Consilium. Temerarij cogitatus & subitanea consilia non cadũt feliciter. Adhibendi sunt consiliarij ubi firmum aliquid decernendum instituitur. Astutus, id est, sapiens, omnia agit cum consilio. Ante omnem actionem consilium stabile. Diu deliberandum quicquid semel sit statuendum. Velox consilium sequitur pœnitentia. Consilio non impetu opus est. Iudæi dupliciter exponunt: Quicquid sine sapientum consilio cœperis, frustrabitur. Et sic, Causa quare regum & principum consilia non procedunt est, quia consiliarij eorum proditores sunt consiliorum. Vt sic legatur litera, Cogitationes frustrantur ubi nõ est secretum, & ubi perfidi consultores.

23 Lætatur homo in sententia oris sui: & sermo opportunus est optimus.

Gaudium contingit homini, quum id pro quo rogauerat obtinuerit, cum respõdetur uotis suis, cũ ad interrogata redditur digna responsio. Contumelia enim habetur, si rogatus quispiam non responderit. Anxij in consilijs cupiunt consolari à Deo & hominibus. Sermo opportunus quàm bonus est: quasi dicatur, Is demũ opportunus est sermo, quum uotis respondetur, cum exauditur precatio, uel cum opportune, circunspecte, rationabiliterq;, & ut tempus personæ negotia exegerint, respondetur. Non sunt enim semper omnibus eadẽ dicẽda.

24 Semita uitæ super eruditum, ut declinet de inferno nouissimo.

Iudæi sic Hebræa exponunt: Eruditus in scientia pietatis & uitæ semper proficit, et ad perfectiora contendit: non se autem temere inuolut mortis periculo, prospicit sibi, ne immatura ætate sua culpa mors irruat. Via uitæ est, contendere ad cœlestia, quæ sursum sunt sapere, desererе mundana quæ sunt super terram, ut impia iudicentur quæ agitat hic mundus. Ad uerbum sic litera habet, Semita uitæ est, sursum ferri, ad consequendam eruditionem, quatenus ab inferno inferiore declinet.

25 Domum superborum demolietur dominus: & firmos faciet terminos uiduæ.

Docet modestiam spiritus. Superbis enim resistit deus, humilibus autem dat gratiam. Deposuit potentes de sede, & exaltauit humiles. Quæ multos habebat filios infirmata est, facit autem habitare sterilem in domo matrẽ filiorum lætantem. Exponunt alij de hæreticis & ecclesia, quam in orbem terræ dilatabit, & cunctas hæreses eliminabit. Id autem laudis beatißimæ uirgini concinũt, quæ sola interemerit cunctas hæreses in uniuerso mundo, falsa ipsam laude, quam maxime abominatur quanto sanctior, commaculantes contra fidem experientiam et conscientiam. Nec uideo quare uiduam liceat nominare ecclesiam, nisi eam quæ uerbo dei caret congregationẽ, qualis non est ecclesia dei sponsa. Nec benedictio dei pu tabitur, si talis ecclesia uidua propagetur in orbem, sed scientia uerbi dei, fides immaculata, & ecclesia reformata, ab idolis & erroribus emundata. Simplex ergo intelligentia certior est huius loci, quam diximus. Laudes falsæ beatæ uirginis.

26 Abominatio domini cogitationes malæ: & purus sermo pulcherrimus (firmabitur ab eo.)

Quæ de corde hominis mala procedunt, abominatur dominus, adulteria, mendacia, ira, inuidia, superbia: non quæ in os intrant hominem coinquinant. Non solũ quæ foris sunt dominus iudicat, sed cordium quoq; scrutator est dominus. Qui uero pius est, iucunda conscientia & amabili effectu in ueritatem, illius etiã uerba grata sunt, pura, fructuosa, deo placida et hominibus. Quicquid mali homines cogitant domino displicet, placent autem piorum uerba & facta.

27 Conturbat domũ suam qui sectatur auaritiam: qui autẽ odit munera uiuet. (Per misericordiam & fidem purgantur peccata: per timorem autem domini declinat omnis à malo.)

Qui undiq; corradit diuitias, & auaritiam sectatur, semper conturbatur et est inquietus. Vult totã familiam suam esse solicitam, & auaritiæ suæ adiutorem, indignabundus, si per negligentiã uel modicũ quid perierit, uel rei familiari decrescat, quam dormiens & uigilans augeri

geri desyderat. Qui uero ob auaritiam non peccat, qui munera non accipit aduersus proximos suos, is uiuet deo gratus, habitabit in tabernaculo dei. Beatus est qui excutit manum suam ab omni munere. Versus qui hic sequitur in Latinis exemplaribus, exponetur inferius capite sequenti, cuius est sententia sexta.

28 Mens iusti meditabitur sapientiam, os impiorum redundat malis.

Iusti non loquuntur nisi interrogati, tardius & non sine præmeditatione respondebunt, disce ut possis respondere. Sic enim Hebræi exponunt, Cor iusti meditabitur ad respondendũ. Licet עבה etiam animi demissionẽ significet & obedientiam. Si bis interrogati fuerint sapientes non respõdebunt nisi præmeditati. Beatissima uirgo cogitabat qualis esset ista salutatio, quid ad insolitam salutationem respondendum foret. Impij autem ac insipientes omnia agũt & loquuntur temere, præcipitãter, inconsulto, sine spiritu consilij, ex passionibus, unde sibi & alijs sæpe redũdant discrimina, damna rerũ ac famæ.

29 Longe est dominus ab impijs: & orationes iustorum exaudiet.

Sicut impij contemnunt deum, detestantur & blasphemant, sic illos quoq; deus contẽnit & deserit, inq; diem malum dimittit & permittit suo arbitrio, malitiæ congenitæ, pravæ inclinationi, naturæ et proprijs uiribus: subinde etiã odit huiusmodi deus & damnat. Fideliũ autem orationes, sanctorum suorum piam fiduciã ardensq; desiderium repellere et dissimulare nõ potest. Nihil enim cupiunt nisi pertinens ad honorem dei, resignãt uoluntati carnis, in nomine Christi orant humiliter, ardenter, fideliter ac perseueranter, ideo exaudiuntur.

30 Lux oculorum lætificat animã, fama bona impinguat ossa.

Benignitas & alacritas uultus ad proximum familiaritatem ostendit & amicitiã, fidemq; & fiduciam præstat amoris & beneficentiæ, bonam famã & æstimationem de se præstat omnibus, quandoquidem tristes et turbulenti, facie duri & intractabiles inuenũtur, sæua proferunt, terrent & adimunt boni fiduciã. Auditio autem bona, id est fama honesta & clara, cuius habenda est nõ modica ratio, tranquillum exhibet animum, cum gaudio sanctis incumbit exercitijs, liber ab odio. Nisi spiritualiter intelligere uelimus, claritatem oculorum significare dei gratiam, qua conscientia exhilaratur, & euangeliũ gratiæ expeditum reddit ad opera pietatis.

31 Auris quæ audiuit increpationes uitę, in medio sapientum commorabitur.

Solius sapientis est propriam agnoscere fragilitatem, patienter audire prouocantem ad meliorẽ uitam amicũ, præsentis uitæ errores damnantem, ad spem uitæ beatæ in sæculo futuro erigentẽ salutaribus documentis, cõmonefacientẽ de sancta & deo digna conuersatione. Agnoscit enim charitatem proximi, prouocatur ad meliora, sustinet damnari falsitates & uitia, quæ sunt officia sapiẽtis. Stultus enim superbus est, perfidus & impatiens.

32 Qui abiicit disciplinam, despicit animam suam: qui autem acquiescit increpationibus, possessor est cordis.

Spernere disciplinam, abijcere crucem, nolle acquiescere sancta monenti, certa est animi pernicies: sicut uicissim audire monentem, & sequi Christũ, sapientia est summa. Docemur mortificationẽ carnis & spiritus, arguere conscientiam, ferreq; patienter aduersa. Non potest esse Christi discipulus, qui crucẽ ferre post Christum recusat. Cordatus autẽ & sapiens est, qui se patitur admoneri. Stultus irascitur, superbit, amicos spernit, fideles non sustinet. Disciplinã spernere.

33 Timor domini disciplina sapiẽtiæ: & gloriam præcedit humilitas.

Vera sapientia ipsissimus est dñi timor, & in fide dei pati aduersa, patiẽter agnoscere imperfectũ proprium, contra dei prouidentiã non murmurare. Neq; quisquã exaltatur, nisi prius humiliatus. Nemo iustificatur nisi agnoscens peccatũ. Omnes peccatores sumus, malis nostris humiliati. Christus per crucẽ ascendit in cœlũ, per passionem & mortem peruenit ad gloriam. Omnes sancti proficiũt ad regnum per humilitatem & angustias, à sepultura ad resurrectionem.

CAPVT XVI.

1 Hominis est animam præparare, & domini gubernare linguam.

Docet uerbum dei, incomprehensibilem intellectui humano rerum omnium administrationem per dei prouidẽtiam uniuersalem, ut nihil in hoc mundo temere fieri existimemus, omnia autẽ pendere ex dñi uoluntate, quãlibet minima, fœnũ scilicet agri, & passeres, quanto magis regimen hominum? Est autem sensus parabolæ: Quamlibet sibi homo multa proponat dicenda & agenda, omniaq; uelit ratione & uoluntate sua expendere, & pro commodo suo ordinare uerba & facta, frustra tamen totũ conabitur. Vana enim sunt omnia cordis humana consilia, eatenus, ut nec sermo, nec ipsa lingua sit in hominis potestate, sed dei. Non enim quæ nos decernimus & subornamus, fiunt necessario et semper, sed dñi dei nostri uoluntas completur. Non enim uos estis qui loquimini, sed spiritus patris uestri qui loquitur in uobis. Non est ergo sensus huius loci, hominem posse libero arbitrio præparare se ad bona, cum nec linguam habeat in potestate sua uel sermonem. Si enim cor regis in manu domini, multo magis serui, & priuati hominis cuiuscunq;, ut nõ quæ uelint faciant, sed quæ domino iuuante perficiunt. Ex deo omnia pẽdere.

2 Omnes uiæ hominũ patent oculis eius: spirituum ponderator est dominus.

Iudæi legunt, Omnes uiæ hominis mundæ in oculis eius. Vt sit sensus, Qui iuxta sensum carnis iudicãt, sibiipsis placent in proprijs actibus, difficile persuadentur se errasse alicubi, sed ad minus bona se intentione excusant. Dñs autem est qui de cogitationibus, uerbis & operibus uere & iuste solus iudicat. Non sunt exigenda bona opera nostra ad iudicium rationis nostræ, sed ad regulam scripturæ canonicæ & uoluntatis diuinæ. Aliter homines passim iudicant, quæ foris patent oculis, solius dei est probare & discutere quæ latent corde. Referunt alij

Pronomen Eius ad deum gubernatorem linguæ: quasi dicatur, Omne opus hominis mundum est in oculis dñi, si dñs comprobauerit spiritũ, fidem & intentionẽ. Sed & aliter dici potest, si mundus iungatur non oculis, sed uiro: ut sit sensus, Omnes uiæ uiri puri & iusti sunt in oculis uel dei uel suis: attendit enim & discutit diligenter, ne temere quicquam agat, sed & adhuc ea omnia opera diligentius, uerius & clarius deus iudicat.

3 Reuela domino opera tua, & dirigentur cogitationes tuę.

Resignationem perfectam docemur ad dei uolũtatem ut ipse opera nostra, cogitationes & instituta dirigat, et in suam gloriam ac nostrum profectũ fortunet, quòd hoc totum suum sit, non nostri arbitrij. Significat autem גלל idem quod גלגל inuoluere, & quasi colligatum præbere, & acceptũ referre: quasi dicatur, Quicquid per me actum est, tu accipe, tu iudica si malum: si bonum est, tu feciſti, totũ tibi resigno quod egi. Etiã cogitationes meæ nihil sunt, bonæ saltem nõ sunt, nisi tu emendaueris, boni consulueris, imperfectum in illis indulseris.

4 Vniuersa propter semetipsum operatus est dñs, impium quoq; ad diem malum.

Voluit dñs suam gloriam manifestari, & declarari in omnibus creaturis, ut ei ab omnibus misericordia cantetur & iudiciũ. Declarat autẽ in quibusdam amplitudinẽ suæ gratiæ & clementiæ, in alijs uim iræ suæ et iustitiæ. Vult enim deus amari à bonis, timeri à malis. Etiam impius non gratis uiuit in hoc mundo, aduersatur enim sanctis, & exercitat eos, cuius malitia abutitur deus ad ædificationem profectumq; bonorũ, ut omnia pariter seruiant gloriæ diuinæ, cui omnia bona sunt, etiam hominum & satanæ improbitates: eisdem enim utitur ad bonum, & ex eis glorificatur sapientia & bonitas dei. Nihil ergo non ferendum est fidelibus, si bona uidentur, & grata, gratiæ referendæ sunt omnium bonorum largitori: si aduersa & mala uidentur, certo sibi persuadeant esse futurorum bonorum occasiones, ordinatæ in gloriam Dei quãlibet nobis incõprehensibilia sint. De quibus deniq; mirandum nõ est, cum enim nostros ipsos cogitatus ignoremus, quid mirum si dei ordinationẽ non assequimur? Relinquenda deo est prædestinationis suæ ratio, nostrũ sit credere nos esse prædestinatos per gratiam, conari quoq; & orare, ut uoluntati suæ per omnia pareamus, ut digni habeamur promissionibus diuinis, & finem ad quem conditi sumus per dei clementiam assequamur.

Omnia propter deum fiunt.

5 Abominatio dñi est omnis arrogãs: etiã si manus ad manũ fuerit, nõ erit innocens.

(Initium uiæ bonæ, facere iustitiam: accepta est autẽ apud deum magis, quàm immolare hostias.)

Testatur tota scriptura sacra, q̃ deo displiceat omnis superbus, quamq; gratiose suscipiat de se nihil præsumentes & humiles: non patitur inultam superbiam, quæ contra dei prouidentiã nihil potest. Etiam si omnium superborum robur ac studium pariter conglomeretur, si manus conferant, pariter confundentur omnes qui sese opponunt uoluntati diuinæ. Iudæi dicũt יד ליד significare uelociter & cito, exponuntq; iram dñi non differendam contra superbos, cito de eis sumendam uindictam, qui superbe deo contradicere & aduersari præsumpserint. Initium uiæ bonæ, &c. non est de textu Hebraico. Iustitiam tamen nihil aliud accipiamus, q̃ fidem atq; misericordiam, quæ gratior deo est q̃ omne sacrificium pecudum, et quicquid corporale deo offerri posset. Sine qua nihil deo placet, in bono quoq; non proficimus.

6 Misericordia & ueritate redimitur iniquitas: & in timore dñi declinatur à malo.

Beneficentia per opera pietatis defertur ad proximũ, dum eleemosynæ largiũtur: fides quoq; conseruatur ad deũ. Quibus duobus mediis fit remissio peccatorũ quam & credere obligamur nos consequi, hoc quoq; loco admoniti ex uerbo dei, quod fallere non potest. Charitas enim operit multitudinem peccatorũ. Date eleemosynã, & omnia munda erunt. Dimittite & dimittetur uobis. Beati misericordes, quoniã misericordiã consequentur. Timor domini facit à malo recedere quod deus prohibuit, quod certissime uindicabit cõmissum. Testimoniũ quoq; fidei est & charitatis timor mali & culpæ. Remissio peccatorũ.

7 Cum placuerint domino uiæ hominis, inimicos quoq; eius conuertet ad pacem.

Curandum in primis de fide & charitate in deum & proximum, deinde de nullis nostris aduersarijs soliciti simus. Si deũ pro nobis habuerimus, quis cõtra nos? Quis accusabit aduersus electos dei? Quin facile in amicos conuertet si bonum fuerit: hoc est, si deus uoluerit. Mutat enim hostium corda, ut lædere nolint. Exemplum de Iacob & Laban, & de Esau, de Saul quoq; & Dauide, de Mose & Pharaone, Daniele, & Nabuchodonosor. Domino ergo committendi sunt aduersarij nostri, qui scitauit eos nobis, qui præcepit ut nos exerceant, ut Dauid de Semei aduertebat & confitebatur: qui & nouit quando & quomodo reconciliandi sint ac uincendi. Si moram fecerit expecta eum, quia ueniens ueniet. Locus est de prouidentia dei, sicut & priores parabolæ. Cordium mutatio.

8 Melius est parum cum iustitia, quàm multi fructus cum iniquitate.

Conuenit cum sextadecima parabola capitis quintidecimi. Satius est paululum possidere diuitiarum iuste acquisitarum, & cum pace conscientiæ, quàm possessiones multas cum iniuria & iniquitate.

9 Cor hominis disponit uiam suã, sed domini est dirigere gressus eius.

Eadem est sententia cum prima parabola huius capitis ut à prouidentia dei pendere uniuersa discamus, nihil promouebimus nostra diligentia domino nolente.

10 Diuinatio in labijs regis, in iudicio non errabit os eius.

Diuinationis instar sit ac indubiæ ueritatis habeatur, quicquid rex iustus loquitur, ordinat, præcipit. Nihil enim tentat uel proponit non consulto Deuteronomio legis diuinæ, nil contra domini uoluntatem, iuxta illud, Postquam sederit rex in solio regni sui, describet sibi Deuteronomion legis huius in uolumine, legetq; illud omnibus diebus uitæ, ut discat timere deum, Deuteronomij decimoseptimo. Qui ergo præest populo dei, præ- Authoritas regalis.

ſit in uerbo dei. Si quis loquitur, quaſi ſermones dei: ut diuinatio hic in bonam partem capiatur, pro afflatu diuini ſpiritus, & ut contra dei legem nihil doceatur uel mandetur, ſed in iudicio & ueritate regat, ad bonum ſubditorum.

11 Pondus & ſtatera iudicia domini ſunt: & opera eius omnes lapides ſacculi.

Qui tranſgreditur iuſtitiam ac iudicium ponderum et menſurarum publicarum à iuſto magiſtratu ordinatarũ, is dei uoluntatem tranſgreditur. Dominus eſt enim author principalis iuſtitiæ ac regiminis, qui & in huiuſmodi neceſſarijs ad pacem & concordiam ordinationibus reſpiciendus eſt. Pius enim magiſtratus à deo ordinatus credatur, ad Roma. 13. & 2. Paralipomenon decimonono, Non hominis exercetis iudicium, ſed dei. Vnde hic fundatur authoritas ordinationum & inſtitutionum ciuilium. Et regis uel conſulis nomine omnis iuſtus magiſtratus intelligitur.

12 Abominabiles regi qui agũt impie: quoniam iuſtitia firmatur ſolium.

Abominatio eſt magna & execrabilis coram deo & hominibus, ſi reges qui iuſtitiam ex officio & dei commiſſione tanquam miniſtri omnipotẽtis manutenere debent, & regere cum tranquillitate ſubditos, corrigere & emendare, ipſi ſint operibus impietatis & iniuſtitiæ cõtaminati, ſi præuaricatores legis diuinæ, ſi perfidi & ſine dei timore. Dedecet regem & quemlibet rectorem communitatis omne opus iniquum. Thronus regni paratur firmaturq; non aliter quàm per iuſtitiam. Impij reges & magiſtratus iniqui, non tam reges dicendi ſunt quàm tyrãni, nec diu ſubſiſtere poſſunt neq; debẽt. Non enim regimen & populus propter regem, ſed rex propter iuſtitiam populo adminiſtrandam à deo ordinatus eſt, & idipſum ſæpius cogitetur. Amota igitur iuſtitia, quid aliud ſunt regna, quàm magna latrocinia & tyrannides?

13 Voluntas regum labia iuſta: qui recta loquitur diligetur.

Pius & legitimus magiſtratus abominatur & auerſatur aſſentatores, qui propriam utilitatem uel regis præferunt publicæ iuſtitiæ. Infeliciter gubernabit rempublicam, qui ſe ſinit mendacijs ſuperari aulicorum & ſuſurronum, tantum placentia ſemper afferentium. Commune tamen uitium eſt & generale penes magiſtratus & magnos aſſentatorũ gratia, quo fit, ut rariſſime uel nunquam uerum audiant principes, ideo eoſdem tanto diligentius monet uerbum domini. Sicut abominatio eſt qui mendacijs decipit: ſic amatur qui ueritatem ſemper loquitur à deo, rege & populo.

14 Indignatio regis, nuntij mortis: & uir ſapiens placabit eam.

Cauendum mandat à contemptu regum, ab iniuria uel crimine læſæ maieſtatis, ab inobedientia: in ſumma, uenerandum potius regem docet, & metuendam illius authoritatem, quam à deo accepit in iniquos, ius utendi gladio à deo ſibi datum. Quod ſi ſemel iratus rex denuo irritetur, nuntios mortis miſiſſe uidebitur, ipſa ſua iracundia inſinuatos. Timẽdum ergo reo, ne præcedentem indignationem ſubſequatur iudicium mortis, uerum ſapientia prodeſt ad omnia, regis etiam iram demulcet uir bonus, & ad manſuetudinem reuocabit iracundiam ſuſcitatã, quales lateri ſuo iunctos ſemper rex habeat, qui in tempore mitigent irritatum, zelum moderentur, & animi tranquillitatem informent.

15 In hilaritate uultus regis, uita: & clemẽtia eius quaſi imber ſerotinus.

Si regi obedieris, ſi gratiam illius fueris aſſequutus, ſi tibi bene uoluerit, pacifice uiues, feliciter proficies, & tutus eris. Per dei quoq; clementiam anima iuſti uiuit, cuius beneficijs quaſi per æſtum conſolatur mens anxia, et in mediis miſerijs carnis à deo refrigerium conſequitur. Imber ſerotinus habetur, qui grandeſcentem ſegetem ab æſtu tuetur & matureſcere facit. Temporaneus autem dicitur, qui proſciſſum ſolum humectat, & prouocat ad ſeminis germinationem.

16 Poſſide ſapientiam, quia auro melior eſt: & acquire prudentiam, quia pretioſior eſt argento.

Sæpe tractata eſt hæc ſententia, & in libro ſapientiæ ad longum, & multa, capite ſexto, ſeptimo & octauo. Præſtat ſapientia omnibus quæ homines cupiunt, auro & argento, & cæteris: temporalia enim ſunt & corruptibilia, auferriq; poſſunt, tantum bona ſunt æſtimatione hominum. Sapientia autem uerbi dei, timor ſcilicet dei & cultus commendãt nos deo à quo dantur, perducunt ad uitam, uere bona ſunt, ſolãq; ſatiant piorum hominum deſyderia.

17 Semita iuſtorum declinat mala: cuſtos animæ ſuæ ſeruat uiam ſuam.

Studia iuſtorum.

Qui fide & meditatione uerbi dei iuſtificantur, ut recti ſint, omnibus modis ſtudent ut carnẽ peccati & cordis humani malitiam crucifigant, fomitem uincant et opprimant, perpetuum bellum gerunt cum uitijs & concupiſcentijs. Deniq; qui proprios quotidie mores, ſtudia & conſcientiam conſyderat, diſcutit, & ſeipſum cognoſcit, ſpirituq; renouari deſyderat, is ſuam animam ſaluat, innocenter uiuere ſtudet, contendit ſemper ad anteriora, de fragilitate peccandi dolet, & coram domino deprecatur.

18 ¶ Contritionẽ præcedit ſuperbia, & ante ruinam exaltabitur ſpiritus.

Docet modeſtiam deo gratam & hominibus. Non diu ſubſiſtunt, qui elato ſunt animo, qui nimium præſumunt, temere quæ ſupra uires ſunt aggrediuntur: dumq; nimis aſcendere cupiunt, grauiore lapſu ruunt. Superbis enim reſiſtit dominus. Satanam Chriſtus uidit de cœlis propter ſuperbiam ut fulgur cadẽtem, qui & rex eſt ſuper filios ſuperbiæ: ubi autem dominus eſt, ibi & famuli: tolluntur in altum, ut lapſu grauiori horribilius collidantur.

19 Melius eſt humiliari cum mitibus, quàm diuidere ſpolia cum ſuperbis.

Docet idem quod iam antea, ſed addit manſuetudinem & miſericordiam ad egentes, flere cum flentibus,

proximo bene uelle, mutuum onera portare, calamitosos non spernere, sed consolari. Docet consequenter diuitias superborum, & per iniuriam acquisitas spernere non participare, quas sequitur ruina, miseria, conscientia mali, mors & infernus.

20 **Eruditus in uerbo reperiet bona: & qui sperat in domino beatus est.**

Docemur prudentia & circũspectione negotia prosperari, ut nihil temere agatur, ne frustra rationem & intellectum susceperimus. Veruntamen profectus operum nostrorum domino cõmittendus. Dissipantur quidem cogitationes ubi non est consilium, id est fortiuntur finem infelicem, euanescunt & irritantur temere cœpta. Qui autem fiduciam habet in deum, deseri non potest. Beati omnes qui cõfidunt in dominum: beatus populus cuius dominus deus eius.

21 **Qui sapiens est corde, appellabitur prudens: & q̃ dulcis eloquio maiora reperiet.**

Delectus habendus est doctrinæ & doctoris, ut is sit eligendus præceptor, qui sit uere sapiẽs, qui timeat deũ, & uerba dei doceat, is pro doctrina inuocãdus erit. Stultus autem in quamcunq; doctrinam primum inciderit, illam mordicus asseuerabit ac tuebitur. Nec solũ sit corde sapiẽs, qui cæteros instruit, sed et luculẽter, gratiose ac fideliter doceat. Sermo enim opportunus proficit auditori, & ueritas apposite dicta facilius suscipitur, creditur & conseruatur. Non ergo prohibet uerbum domini eloquij dulcedinem, si cui natura uel eruditionis studium concesserit linguam stylúmue elegantem, sed suadet potius adhibendam doctrinis, si tamen sociatam habeat fidem, sapientiam, modestiam.

Delectus prudens.

22 **Fons uitæ eruditio possidentis: doctrina stultorum fatuitas.**

Agnouisse dñi uoluntatem, prudẽtem esse in bono, habere discrimen inter sacrũ & prophanũ, inter æquum & iniquũ, & in lege dñi meditãda uersari iugiter, fons est uitæ: ualet enim ut hic pie, honeste ac sobrie uiuatur & æterna uita sequatur. Stulto autem non proderit ulla castigatio, disciplinam dñi non feret, stultitiam arbitratur, quicquid sanctũ audierit. Quẽ enim deus semel pie cerit, ille nulla correctiõe reuocari poterit, uel emendari. Eruditio sacra uitã præstat: carnis sapientia mors est.

23 **Cor sapientis erudiet os eius, & labijs eius addet gratiam.**

Nihil præcipitanter & temere loquitur sapiens. Ex bono thesauro cordis homo profert bona, non dissentit lingua à corde, primo cogitat, deinde loquitur. Si cor præcõceperit longo studio sapientiam, tunc demum recte docebit. Nihil irrationabiliter loquetur sapiens corde, uerba eius resipient eruditionẽ utilem ac sanam doctrinam. Labia directa per prudentiam propagabunt doctrinam salubrem.

24 **Fauus mellis composita uerba, dulcedo animæ & sanitas ossium.**

Gratiosi sermones & uerba amica & iucunda instar faui sunt mellis, opportuna infirmitatibus animæ et corporis, multum solatij & delitiarũ adferunt amicis: sicut iurgia, contumeliæ, detractiones suscitant spiritui multa incommoda. Dici potest: Sermo dei & cõsolatio ex uerbo dei assimilatur fauo mellis: dulcorat enim animũ sensum, conscientiam, deiectumq; erigit & confirmat.

Comitas.

25 **Est uia quæ uidetur homini recta, & nouissima eius ducunt ad mortem.**

Intentio bona.

Fallit plerunq; humanum iudicium, ut quod sensu carnis bonũ iudicatur, à uerbo domini cõdemnetur. Odire inimicum sensus carnis probat, uincere in bono malũ docet sermo diuinus. Sic quoq; multa ordinata sunt ab hominibus, etiam sanctis intentione bona, & quæ ab initio ferri poterant, & nonnihil proficere uidebantur ad pietatem & mores quæ paulatim secundum tempus abusu degenerantia, extrema mala importasse uidentur. Nihil ergo in traditionibus humanis perpetuo bonum, æquum ac utile statuitur, fide tantum & charitate, secundũ uerbum dei omnia moderanda subsistent inconcussa & sacrosancta.

26 **Anima laborantis laborat sibi, quia compulit eum os suum.**

Non raro molestia intoleranda inciditur ex imprudenti sermone & stultiloquio. Os, inquit, stulti, contritio eius. Confundit se loquax proprijs uerbis suis. Vir linguosus non dirigetur in terra. Multiloquium nõ effugiet peccatum. Sit igitur omnis homo uelox ad audiendum, tardus autem ad loquendum.

27 **Vir infipiens fodit malum, & in labijs eius ignis ardescit.**

Homo nihili, sine iugo, inutilis: is otio stultitia & iniquitate sua accersit sibi malum & proximo. Cum enim nonnihil agat (quiescere enim non potest) bona autem agere nescit, necesse est malis artibus incumbat & pernicioſa moliatur, leue putabit hominibus negotium facescere, insidias struere, scandalũ ponere, simplices circũuenire. Labia quoq; eius erum ut ignis incendiũ, quemcunque contigerit improba lingua sua statim amburit, offendit, absumit, ut ignis nulli parcet, omnia deuorabit.

28 **Homo peruersus suscitat lites, & uerbosus separat principes.**

Vir peruersitatum, hoc est, insigniter prauus & peruersus est, qui doctrina uel moribus subuertit incautos. Qui contra ueritatis normam asserit bonum malum, et malum bonum, is author contentionũ fit, discordiarum & schismatum, quibus oblectatur. Susurro autem dicitur רגם uel assentator, qui detractionibus & mendacijs animum alienare conatur, uel mariti ab uxore, uel domini à seruis, prælati à subditis, ad ingens aliquod damnum alteri partium, uni inferendo miseriam & oppressionem, alteri errorem, insaniam furorémque, periculo utriusque. Susurro

29 **Vir iniquus lactat amicum suum, & ducit eum per uiam non bonam.**

Cauendum à familiaritate iniquorũ ne consuetudine et malignitate perfidi hominis decipi cõtingat, qui non contẽtus propria malitia, proximis quoq; nocere per iniuriam cupit & uiolentiã, uel per hypocrisim sub bona specie

ſpecie ſolicitat impellitq; ad incommoda.

30 Qui attonitis oculis cogitat praua, mordens labia ſua perficiet malum.

Nihil agendum unquam per dolum, fictionem, perfidiam, uerbis, oculis aut alijs modis: omnia aũt ſyncere, fideliter, integre, & pure, ſimpliciter ſentiendũ, loquendum, conuerſandum. Oculi & uerba inſignes animi ſunt proditores. Peruerſi enim cogitatus prodeunt in uerba pernicioſa & mala, & conſiliũ animi produnt oculi, & qui præmordet ac comprimit labia, cõſummatam prodit malitiam & iracundiam proteſtatur.

31 Corona dignitatis ſenectus quæ in uijs iuſtitiæ reperietur.

Canities uenerabilis eſt, cum eam gerit grauitatem & circumſpectionẽ quæ decet ſenectutẽ, cum in uijs iuſtitiæ continuata profecit, quæ ab adoleſcentia ſacris cohoneſtata eſt moribus. Quàm ſpecioſa eſt ueteranis ſapiẽtia, glorioſus quoq; intellectus & conſiliũ, quæ ſimul & ab ineunte ætate ſtatim ſunt cõparanda. Ipſa enim ætate fit doctior, uſu certior, proceſſu temporis ſapientior, et ueterum ſtudiorũ fructus dulciſſimos metit, ut ait Hieronymus ad Nepotianũ. Ambroſius quoq;, Beatus, ait, iuuenis qui bene uiuit, ſed beatus ſenex qui bene uixit. Nõ autem tam annorũ eſt laudanda canities quàm morũ. Senes quoq; eos ſacra ſcriptura uocare conſueuit, non eos qui ſola temporis quantitate, ſed qui morũ grauitate maturi ſunt. Senectus enim honorabilis eſt, non diuturna, neque annorũ numero computata. Cani enim ſunt ſenſus hominis, & ætas ſenectutis uita immaculata. Tunc itaq; canicies uenerabilis eſt, quando ea gerit quæ decent caniciẽ, quum uerò iuueniliter ſenex cõuerſatur, plus erit iuuenibus ridiculus. Nihil turpius quàm ſenex uiuere incipiens, ait Seneca, & puer centum annorum.

32 Melior eſt patiens uiro fortit & qui dominatur animo ſuo, expugnatore urbium.

Longanimitatẽ & animi fortitudinem uerbũ dei præfert corporis robori. Operoſius multo eſt ſeipſum quàm hoſtẽ ſuperaſſe. Si magnanimus fueris, nunquã iudicabis tibi fieri contumeliã de inimico, dices aũt et ſenties, Nonis mihi nocuit, ſed ſibi, uindictã glorioſam putabis uindicare potuiſſe: honeſtiſſimũ uindicandi genus eſt, ignoſcere. Beatus uir qui ſuffert tentationẽ, quoniã cum probatus fuerit accipiet coronam uitæ. Patientia probationem operatur, probatio autem ſpem, Iuuenile uitium eſt non poſſe regere impetum.

33 Sortes mittuntur in ſinum, ſed à domino temperantur.

Sortes mittere de ſe quidẽ malũ nõ eſt, nec impiũ, quod hoc loco probatur, & uſu ſanctorũ, & deo aſtipulatore in ſacris. Sortẽ miſerunt apoſtoli, ſortẽ temperauit Dñs, 1. Re. 14. cũ cecidit ſuper Ionathan, & in facto Achor: ut interim taceamus nautas apud Ionã. Hodie quoq; ſortibus uti liceret, ſi fieret in fide generalis prouidentiæ dei, pro grauibus rebus, ad honorẽ dei ſpectantibus, pro charitate & pace, quæ uerbo dei claro alioqui diſcerni & abſolui non poſſent, præuia etiam oratione, ut id non fato & cœli influẽtijs uel dæmoni cõmittatur, ſed deo, qui ſi facto profitentes falſum eſſe quod dicebant, Circa cardines cœli perambulat, nec noſtra conſiderat, ſed prouidentiã dei reuera omnia moderantẽ parua & grandia.

CAPVT XVII.

1 Melior eſt buccella ficca cum gaudio, quàm domus plena uictimis cum iurgio. Tẽperãtia.

Facilis ſententia eſt & plana, Iucũdius & expetibilius eſſe hominẽ ueſci ſicca buccella panis cũ pace & gaudio, quàm potiri lautitijs menſarũ cum rixa & odio. Iudæi à noſtris edocti, dicunt melius eſt hominẽ pauca ſcire clare & diſtincte, quàm multa ſuperficietenus & obſcure. Aliter dicunt, Melius eſt ſcire ſimplicia, cõmunia ac uera, quàm ſubtilia & falſa, uel cũ opinione. Item dicunt, Melius eſt modicũ didiciſſe de rebus diuinis, quàm multa de creaturis. Sic illi de litera diſſerunt, & externa cõminiſcũtur, ut plura dixiſſe uideantur. Domus autẽ plena ſacrificijs rixæ, ſimpliciter dicũtur prandia opipara ac plena lautitijs & pinguibus, qualia fiebant in ſacrificijs ſalutaribus. Non enim ſemper tranſigitur ſolenne conuiuiũ ſine contentionibus & rixa inſipientiũ. Auocamur in ſumma à rebus tẽporalibus ad amorem uolũtatis diuinæ, à fortunis ſæculi ad timorem dei: ibi enim pax eſt, qua pius omnia boni conſulit, quẽcunq; etiam ſtatum rerum. Impij non habent pacem, ſed contentionem cum ſeipſis & cum alijs.

2 Seruus ſapiens dominabitur filijs ſtultis, & inter fratres hæreditatem diuidet. Seruus prudens.

Regimen & magiſtratus non tam generoſo & diuiti debetur, quàm pio, prudenti & circumſpecto, & in operę uirtutũ exercitato. Optabilius eſt enim habere ſeruum prudentem domi, domus curã gerentem, & gubernantem gerenda, ut erat Ioſeph in Aegypto, quàm filiũ ſtultũ, nebulonẽ uel furioſum. Non rarum eſt ſeruos eſſe prudentiores filijs, & parare hæreditates, filios autem ignauos eſſe & decoctores hæreditatis. Mauult ergo pater ſapiens hæreditatẽ partiri in fratres, id eſt proximos conſanguineos, quàm in ſtultos filios. Vbi docemur filios impios & degeneres exhæreditari poſſe. Iudæi exponunt, ſeruum ſapientem poſt mortem heri poſſe diuidere filijs hæreditatem.

3 Sicut igne probatur argentum, & aurum camino, ita corda probat dominus. Iudicare proximos.

Temerarium eſt hominẽ iudicare corda filiorũ hominũ, quæ ſolus deus intuetur et iudicat, omnẽ externã hypocriſim abominatur, et in bonis opibus fidẽ cordis exigit, amorem legis, et operũ ſanctorũ. Martha calũniabatur otiũ Mariæ, & Michol filia Saul Dauidẽ ſaltantẽ ante arcã, ſed indigne & falſò. Nec ſolũ probat deus corda hominũ, ſed & exercet, & aliquando quoq; confundit. Probaſti me dñe & cognouiſti me, aiebat Dauid ſanctus.

4 Malus obedit linguæ iniquæ: & fallax obtemperat labijs mendacibus.

Nota eſt hominis mali, non ſolum pernicioſis loquelis attendere & auſcultare, ſed & loqui impia, cum potius auertere aures, & durius increpare detractores conueniat, & compeſcere iniurioſos. Idem eſt autem quod

sequitur. Mendax auscultat ad linguam pestilentem. Plus non dat occasionem, nec fert loquentem mendacia, calumnias, & turpia, sed magis auertendo aures, & rigidius increpando & inuadendo auersatur & impedit inepte aut pernicioſe loquentes.

5 Qui despicit pauperem, exprobrat factori eius: & qui in ruina lætatur alterius: non erit impunitus.

Non uult deus pauperes sperni à diuitibus, sed iuuari: quandoquidem eos pauperes fecit dominus, & esse uoluit, ad utriusq; profectum et bonum ordinauit utrunq;, unus ut patientia, alius beneficentia saluetur & deo seruiat, de quo superius. Sibi autem acceptum refert deus, quicquid uni ex minimis suis confertur, maleuolentiam prohibet, cõpaßionem suadet, ut uno membro patiente cætera compatiantur. Alter alterius onera portet. Nemo alterius infortunio gratuletur, nescius quid crastina dies sit paritura, hodie illi, cras mihi. Gaudendum cum gaudentibus, flendum cum flentibus.

6 Corona senum filij filiorum: & gloria filiorum, patres eorum.

Senum felicitas.

Decus inclytum, deo gratum, & speciale dei donum est, si filij parentibus sint honori, si utriq; sint fideles, sancti deumq; timentes, ut de iustis parentibus pij filij lætentur, & patres de filijs morigeris. Confusio est utrisque iniquitas ac stultitia. Iudæi suo more carnales, dicunt patribus gaudium esse si in filijs filiorum cernant non defuturam illis posteritatem, nomen, decus, & gloriam: filijs gaudium esse de superstitibus parentibus, à quibus reguntur, & à solicitudine rerum temporalium supportantur, quas post ipsorum obitum sufferre coguntur.

7 Non decent stultum uerba composita, nec principem labium mentiens.

Verbositatem sic detestatur uerbum dei, ut nec stultos sinat loquaces esse, sine insigni nota, quanto magis aliorum moderator & rector uerbis sit parcus oportet, maxime quoq; uerax. Sunt enim mendaces admodum pernicioſi in publicis negotijs. Et non potest deesse peccatum in multiloquio.

8 Gemma gratissima expectatio præstolantis: quocunq; se uertit, prudẽter intelligit.

Munerum corruptela.

Sugillatio est pernicioſißimi uitij inter homines, quod est corruptela iudicum per munera: quasi dicatur, Facile omnia consequetur, iuxta corruptum usum hominum, ad quæcunque se uerterit prosperabitur, & facile persuadebit causam iudici, si illum muneribus placare tentauerit. Omnes enim diligunt munera, ac longe aliud iudicant ex muneris concupiscentia quàm sine ea: iuxta illud, Non accipies personam nec munera, quia munera excæcant oculos sapientum, & mutant uerba iustorum. Esaias contra dicit, Væ qui iustificatis impium pro muneribus, & iustitiam iusti auertis ab eo. Beatus autem est qui excutit manus suas ab omni munere, nempe à manu, à lingua, ab obsequio: quæ sunt pecunia, fauor, seruitus, uel adulatio.

9 Qui cælat delictum, quærit amicitias: qui

altero sermone repetit, separat fœderatos.

Bene loqui

Amicitia dignus est, qui boni solet omnia consulere, fauorabiliter interpretari, excusare, cælare, ne cui noceat circumspicere. Qui uerò prodit mysterium, qui delictum latere non patitur, pluribusq; reuelat, altero sermone aut frequentius repetit, is iam principem cõcitat, iam gladium porrigit, iam capitis periculum accersit, perpetua securitate fraudat, quantum in se est occidit, saltem timoris pœnæ subdit. Magis seruanda sunt sermonum quàm rerum depoſita. Eximia est uirtus præstare rebus silentia, at cõtra grauis est culpa tacenda loqui.

10 Plus proficit correctio apud prudentem, quàm centum plagæ apud stultum.

Correctio.

Plus proficit lenis correctio, quæ à prudente profiscitur, quàm percussuræ centum à stulto. Vel aliter, Si quis cordatũ uerbo obiurgauerit, magis proficiet quàm centum si plagis stultum afficiat. Non enim afflictio præfractos corrigit, sed irritat magis, & peiores constituit. Non est populus reuersus ad percutiẽtem se. Incredulos tribulatio nõ emendat, proficit autem in pijs et mitibus.

11 Semper iurgia quærit malus: angelus autem crudelis mittetur contra eum.

Morositas.

Amarulentus, morosus uel intractabilis malum rependit ei qui se arguebat ac monuit, cui gratiam obligabatur. Sunt ergo huiusmodi dimittendi proprio sensui, iudicio quoque dei, & angelo mortis, ministris ultionis diuinæ. Incidet qui huiusmodi est aliquando in crudelem nuntium, hoc est ab aduersarijs mala semiet, qui amici beneficium sprecuit & monita. Per sui similem crudeliter & importune punietur piæ exhortationis contemptor.

12 Expedit magis ursæ occurrere raptis fœtibus, quàm fatuo confidenti sibi in stultitia sua.

Stultorũ intractabilitas

Vtcunque ferri potest euinci uel declinari occursus ursi, qui ob raptos catulos furit sæuißime: sed non sic occursus stulti, cum sua stultitia, periculosius est enim stulto congredi fortunato, & in sua stultitia cõfidenti. Nihil intractabilius stulto principe, irritato, & ad uindictam propenso, cum deceat clementia principes & prudentia. Stultus nemini parcit, sensu captus, stolidior bestia, sæuit etiam in amicos. Habet bestia quæcunque, dum crudelißime sæuit, naturalem prudentiam ac callidita-tem, qua non nimium urget, sed sibi diligenter cauet, & nisi inedia prouocata non nocet, nisi irritata: stultus nemini parcit, sensu alienatus.

13 Qui reddit mala pro bonis, non recedet malum de domo eius.

Ingratitudo.

Ingratitudinem damnans commendat officium. Estq; horrendũ dictum in ingratos, quòd non sint carituri morte ſtia, tam ipsi quàm ipsorum domus & familia. Nihil æque cõcordiam humani generis dissociat ac distrahit, ut ingratitudo. Dandi enim & accipiendi beneficij commertium tollit, sine quo uita hominũ mors est. Quisquis bene merito parem referre gratiam negligit, dolio perfo-rato comparatur, in quod omnes immittens gratias in uanum

lium effudisti. Officiorum meminisse debet, in quem collata sunt, non commemorare is qui contulit. Ingratitudo autem turpissima est filiorum in parentes, discipulorum ad præceptores, quibus par rependi non potest.

14 Qui dimittit aquam, caput est iurgiorũ: & antequam patiatur contumeliam, iudicium deserit.

Vt alueus cum eruperit importune, maxima difficultate restringi uix potest uel minime: sic contentiones semel suscitatæ difficile finiuntur. Et ex leui causa oborta simultas, incidentibus subinde uerbis, inimicitiæ propaganatur, contentiones & prælia. Est ergo initijs prospiciendum, ac mali præuenienda occasio, mutuo condonandum, ab improperijs abstinendum, idipsum potius omnes sapiamus in domino.

15 Qui iustificat impium, & qui condemnat iustum, abominabilis est uterq; apud deũ.

Idem dicitur Isaiæ 5. Væ qui dicunt malum bonum, & bonum malum, sed iustum iudicium iudicate: sic qui damnat agnitam ueritatem, quia obest suo luxui, & abusus potius approbat, quibus assueuerat contra conscientiam & uerbum domini, & communem sensum, uel qui supprimi sinunt iustitiam cum possint resistere, abominabiles sunt domino.

16 Quid prodest stulto habere diuitias, cum sapientiam emere non possit? (Qui altam facit domum suam, quærit ruinam: & qui euitat discere, incidet in mala.)

Sensus est, Nisi cor dederit dominus, hoc est, nisi per gratiam inclinet, erudiat, & sensatum faciat hominem, nihil ei proderunt omnia reliqua naturæ dona uel fortunæ. In primis ergo orandum pro bono corde, pro sensu spiritus, pro fide & sapientia, ut prosint cætera, orandum, Cor mundum crea in me deus, & spiritum rectum, &c. Dominus enim solus dat sapientiam, ipse scrutatur cor, & in manu habet ut flectat quò uelit.

17 Omni tempore diligit qui amicus est, & frater in angustijs comprobatur.

Verus amicus sic adest in prosperitatibus, ut nec relinquat in tribulationibus, ne sit tantum socius mensæ, et diebus bonorũ. Fraternus enim animus & affectus integer in necessitatibus elucescit. Ea siquidem ratione uult deus nasci fratres multos, & consanguineos aut uicinos, ut mutuum adiuuent, consolentur, & succurrant in aduersis, continuo irruentibus.

18 Stultus homo plaudet manibus, cũ sponderit pro amico suo.

Iterum monetur humana præsumptio, ne de futuris aliquid certò promittant, quòd à solo deo pendeat esse nostrum & agere. Constanter quidem agendũ est, quicquid boni in manus peruenerit, præsentibus ad manum sedulo incumbendum, futura domino reseruantur. Charitas quidem ad proximum iuuãdi sancta est, & præcepta à domino, sed in timore fiat, nec differatur. Qui hodie non potest, uel nõ uult, quomodo polliceri potest de crastino sibi dubia? Non libenter dat qui in crastinũ differt, cum possit hodie. Non spondeas pro amico tuo, hoc est, ne statuas tecum talem hunc esse, qui non fallat. Inaniter munimus nos amicis aduersus fortunam. Non confidendum in filijs hominum.

19 Qui meditatur discordias, diligit rixas: & qui exaltat ostiũ suũ (os suum) quærit ruinã.

Amat transgressionem qui amat contentionem. Exaltans ostium suum, quærit contritionem. Finis legis est dilectio, & transgressionis fomentum est contentio, mater hæreseos, odij, detractionum, mendaciorum, & latrociniorum. Exaltare ostium, est superba loqui, magnalia iactare, præferre se cæteris, præ se contemnere alios, talis proximus est ruinæ & contritioni. Ante ruinam exaltabitur superbus, & quanto ascensus altior tanto casus grauior.

20 Qui peruersi cordis est, non inueniet bonum: & qui uertit linguã, incidet in malũ.

Sicut qui ambulat in lege domini simpliciter, proficit in bonum: sic præfractus prauus & infidelis, proficiet in malum. Quomodo enim bonum inueniet, qui bonitatis fontem ignorat uel contemnit? Peruersus autem in lingua est, qui mentitur, detrahit, criminatur, impia suadet aut docet, falsumq; pro uero defendit: is odiosus erit deo & hominibus, & cadet in malum.

21 Natus est stultus in ignominiam suam, sed nec pater in fatuo lætabitur.

Similem sibi filium stultus generat, de quo dolebit perpetuò: sic impius doctor impios post se creat discipulos, sophistæ sophistas, suis subinde & iugiter præceptoribus contradicentes. Sic hodie quoque cernimus differenti spiritu sapere doctores, & qui sacra interpretantur, uarie siquidem animati, & suo sensu abundantes sine humilitate ac oratione. Stulti patres dicuntur & sunt, qui deum ignorant, & alia præter uerbum dei præcipiunt atq; docent.

22 Animus gaudens ætatem floridam facit: spiritus tristis exiccat ossa.

A tristitia, odio & inuidia dehortatur, ut semper simus animo fidentes, alacres, sereni & tranquilli: sic & perturbata conscientia sine fidutia fauoris diuini impedit in operibus fidei & uirtutum. Sed & qui corde sunt libero & alacri, etiam de facie tardius senescunt, & uiuaciores apparent, ac saniores consistunt quàm animo deiecti, tristes ac turbulenti. Moses mitissimus iam centũ & uiginti annorum, non caligauit oculis, nec genarum uigorẽ amiserat iam obiturus. Syncera conscientia uiuacem agit ad omnia opera charitatis.

23 Munera de sinu impius accipit, ut peruertat semitas iudicij.

Impius est, qui munus accipit, ostendit eo ipso se proditorẽ iustitiæ atq; ueritatis, adeoq; ipsius dei. Familiare uitium est magistratus, & pacis publicæ exterminium, ideo sæpe de hoc monet Salomon, rex pacificus et iustus.

24 In facie prudentis lucet sapiẽtia: oculi stulto rum in finibus terræ.

Homo sensatus & pius, solum agit, cogitat, & loquitur per sapientiam quam reposuit in thesauros cordis, unde semper profert sancta. Sed & sapientia cordis ex

facie matura, composita, & simplici, internosci potest, licet nõ sit tamum secundum faciem iudicandum, quòd fallax de se præbet iudicium. Oculi autem stulti sunt in finibus terræ, uagi enim & inuerecundi instabilesque sunt, & facie & toto habitu corporis indisciplinati, omnia circumspicientes, admirantes, ridentes, iuxtaq; suam stultitiam iudicantes.

25 Ira patris filius stultus, & dolor matris quæ genuit eum.

Posteri stulti. Non potest non dolere pius pater & sensatus, si uideat degenerare filium ab auita probitate ad impietatem & inconditos mores. Quin & insolentiores parentes optant sibi succedere filios meliores. Nihil in omnibus rerum damnis sic excruciare merito debet parentum corda fidelium & prudentum, sicut hæredes & posteri, stulti, id est dominum non timentes. Pater testatur iram in filios uerbis & factis: mater uero filij stultitiam animo plangit, & amaro corde altum dolorem comprimit, ne patri occasionem præstet acrioris doloris & iræ, in impium filium. Ideo dicitur amaritudo genitricis esse filius stultus, patri autem indignatio.

26 Non est bonum damnum inferre iusto, nec percutere principem qui recta iudicat.

Iniuria cauenda. Docet cauendum ab iniuria iustis inferenda, quòd oculi domini sunt super eos, & qui tangit eos, tangit pupillam oculi. Ideo non euadet uindictam, qui iustum persequitur, etiam si princeps fuerit. Fortior enim deus est & dominus dominantium. Veruntamen principes qui iustitiam & iudicium promouent & faciunt, qui iuste præsunt non sunt percutiendi, non impediendi in regimine iusto, sed religiose colendi, sedulo obsequendum. Qui enim eorum potestati resistit, dei ordinationi resistit. Tyranni uero, uiolenti, lupi, prædones, cõmuni consensu iustis medijs iure gentium abijciendi sunt, ut pax, salus & tranquillitas habeatur, quæ sunt scopus iusti principatus.

27 Qui moderatur sermones suos, doctus et prudẽs est: et pretiosi spiritus, uir eruditus.

Qui ueram scientiam ex uerbo dei assecutus est, propria humanaq; commenta non loquetur. Et pretiosus est spiritus uiri, qui rerum diuinarum intelligentiam habet. Iudæi dicunt, Sapiens est qui pauca loquitur, nobilis uero qui prudenter.

28 Stultus quoq; si tacuerit, sapiens reputabitur: & si cõpresserit labia sua, intelligens.

Non caret insigni sapientia, posse dissimulare insipientiam, saltem parcitate loquẽdi, quæ à periculis multis præseruat, & sapientem ostendit. Multa in his locis citari possent ex literis sæcularibus, nisi breuitatis studium elegissemus.

CAPVT XVIII.

1 OCcasiones quærit, qui uult recedere ab amico, omni tempore erit exprobrabilis.

Hebræi sic reddunt: Pro libidine quæretur discessio, in omni re quæ subsistit calumnia inuenietur. Ad hũc sensum, Pro leuicula uoluptate, & ad quam

libet modicam libidinem uel occasionem quæretur separatio amicitiæ & societatis: facile captatur occasio discedendi ab amico. Et in omni eo quod ad manum acciderit, in quacunque re uel modica, ratio contemptus & ansa calumniandi ab inimico inuenietur. Nemo tam bene uiuit, uel tam uere docet, quin malitiosi uel ad obloquendum promptuli, causam inueniant derogandi. Sic autem uicissim qui boni sunt & simplices semper quærunt & inueniunt causas excusandi malum, proficiendiq; in bono, & promouendi iustum. Non est ergo ad sensum inepta nostra translatio. Leui occasione quæritur discordia, & in omni re inuenitur. Accusare et defendere.

2 Non recipit stultus uerba prudentiæ, nisi ea dixeris quæ uersantur in corde eius.

Hebræus sic: Non habet complacentiam stultus in intelligentia, sed in explicationibus cordis sui. Ad hunc sensum: Non sufficit stulto, si intelligentiam fuerit assequutus alicuius rei, nisi idipsum statim iactet, superbiat inde, & sapiens cupiat uideri. Sapiens autem intelligentiam quidem magnificat & appretiatur, sed gaudet potius latere, non est promptulus ad loquendum, sed ad audiendum potius. Vel aliter, Non magnopere desyderat stultus discere sapientiam, ut sancta & utilia sciat, sed in propriis suis cogitationibus, & in his quæ secum reuoluit animo magis oblectatur. Non tam uerbum ueritatis illi placet, quam quæ sibijpsi uera bonaq; uidemur, iactat ac defendit.

3 Impius cum in profundum uenerit peccatorum, cõtemnit: sed sequitur eum ignominia & opprobrium.

Aliter legunt Hebræi, Cum uenerit impius uenit etiã contemptus, & cum ignominia opprobrium. Sensus uidetur, Impius non est sine contemptu: aut enim ipse contemnit omnia sacra, honesta ac utilia, & habet pro nihilo: aut à deo contemnitur, & reprobatur per uerbum dei. Qui enim caro sunt, carnaliter sapiunt, & à spiritu reprobamur & confunduntur. Et qui conuitiatur alteri, etiam improperium reportabit. Non enim tam alium aspergit ignominia, quàm seipsum. Vel aliter, Postquam semel admissam uel ingressam impietatẽ, subinde sequitur contumelia & opprobrium. Non temperant sibi impij à contumelia & blasphemia in deum, & à conuitijs in sanctos, donec diuina ultione opprimantur & pereant in æternum.

4 Aqua profunda uerba ex ore uiri: & torrens redundans fons sapientiæ.

Consilia dei & hominũ. Sententiæ hominum prudentum sunt profundæ, & difficiles quidem, tamen inuestigari possunt, quia cõsilia & humana quæcunq; fallibilia sunt, & incerta: sapientia autem, id est uerbi dei cognitio, uel ipsa lex domini, exuberans scaturigo est omnis ueritatis, quæ exhauriri, perscrutari & fallere non potest. Consilia enim dei deprehendi, iudicari uel coargui à carne non possunt. Exponitur aliâs, Verba sapientum sunt duplicia, quædam instar aquarum profundarum, de quibus bibere homines facile nequeant, ut sunt reconditiores parabolæ & ænigmata: alia sunt ut flumina ubertim manantia, omnibus exposita ad

ta ad potum, qualia ſunt ſcripturæ diuinæ manifeſtiora & clariora dogmata. Poſſet & his addi, Aquas profundas ſignificare ſcripturas ueteris inſtrumenti, quod eſt in figuris tradit & uelaminibus inuolutum: fontem uerò uberem lateq; patentem nouũ teſtamentũ, clarius omnia diſſerens & prædicans omnibus gentibus.

5 Accipere perſonam impij nõ eſt bonum, ut declines à ueritate iudicij.

Non eſt bonum, hoc eſt uehementer deo diſplicet, in gratiam impij iniuriam inferre bono uiro. Eſt enim iuſtũ iudicium decernedum, ſine perſonarum acceptatione quacunq;. Non conſideres perſonam pauperis, nec honores uultum potentis. Iuſte iudica proximo tuo. Non ſuſpiciet perſonam cuiuſcunq; deus, nec uerebitur magnitudinem cuiuſcunq;, quoniam puſillum & magnum ipſe fecit, & æqualiter eſt illi cura de omnibus, Sapientiæ 6.

6 Labia ſtulti miſcent ſe rixis, & os eius iurgia prouocat.

Rixas ſtulti prouocant imprudentibus incautisq; ſermonibus, ſtultis quoque quæſtionibus. Iſti rationabiliter ſunt declinandi, uel ad ſanam mentem reuocandi, uel ferendi. Et temeritas oris eorũ, ac inepta locutio ſæpe miniſtrat materiam litis, ut uapulare mereatur, uel ad uerbera prouocat aut pugnas.

7 Os ſtulti contritio eius, & labia ipſius ruina animæ eius.

Stultus proprio ſibi ore malum accerſit, terrorem et anxietatem non raro inducit, ſuo ſe gladio iugulat, denicq; commeſſationibus & ebrietatibus malam ſibi ualetudinem conciliat, nempe perditionem ac damna animæ & corporis. Plures necat lingua & uoracitas, quàm gladius. Et labia ſtulti laqueus ſunt animæ ſuæ. Irretitur uerbis: uolat irreuocabile uerbum. Vita & mors in manibus linguæ.

8 Verba bilinguis quaſi ſimplicia, & ipſa perueniunt uſq; ad interiora uentris. (Pigrũ deijcit timor: animæ autem effœminatorum eſurient.)

Suſurro, delator & bilinguis pernicioſe lædit, quia ſubdole agens præcaueri & præueniri non poteſt, auditores grauat incauta credulitate, ſeipſum perfidia, diffamatos iniuria. Et ipſa uerba penetrãt ad interiora uentris, ut medicinæ non ſit locus, niſi malo maiori, & ut læſus neſciat ſe læſum, donec quaſi mortifero ueneno intexerit, neſciens ſe tueri. Huiuſmodi ſuſurrones alienum reddunt principem, totum confundunt populum, & tranquillitatem diſperdunt. Habent hic Latini parabolam, quæ in Hebraicis non legitur.

9 Qui mollis & diſſolutus eſt in opere ſuo, frater eſt ſua opera diſſipantis.

Ceſſator ac otioſus in ſuo opere, frater eſt, id eſt ſimilis uel aſſimilatur ei, qui author eſt diſſipationis, qui omnia diſperdere conſueuit. Qui non uigilanter & ſedulo incumbit operi à deo ſibi iniuncto ad bonum priuatum uel publicum, reum ſe ſtatuet diſſipationis. Qui enim non colligit diſpergit. Qui opus dei obmittit, ſatanæ negotium promouet: ſeruus infidelis, & nequam, tenebris à domino damnatus in Euangelio, qui laborem præcipit & ſedulitatem commendat. Hactenus diſperſionẽ ſenſimus, quia operũ præfectos multos, otioſos autem ac deſides in ſpiritualibus paſſi ſumus. Quiq; ſuper gregem ſuum cuſtodiam ſuam obſeruaſſe debuerant, altum ſomnum dormierunt. Dabit profecto rationem ſeruus de credito talento, de commendato opere, de neglecta uſura.

10 ¶Turris fortiſſima nomen domini: ad ipſam currit iuſtus, & exaltabitur.

Tutiſſimum in tribulationibus fidelium aſylum eſt nominis diuini inuocatio, imploratio bonitatis & miſericordiæ diuinæ, fiducia in auxilium dei opportunum atque promiſſum, ſeſe totum deo committere, promiſſionum dei meminiſſe & credere. Hæc eſt uera iuſtitia & uerus dei cultus. Contra hanc firmiſſimam arcem, animam ſic fidelem, non præualebit omnis fortitudo ſatanæ & impiorum. Hanc ſoli iuſti credunt, ſperant, inquirũt: impij cõfugiunt ad opera manuum ſuarum, ponunt carnem brachium ſuum.

11 Subſtantia diuitis urbs roboris eius, & quaſi murus ualidus circundans eum.

Non ſic deum ponunt fortitudinem ſuam diuites, qui gloriantur & confidunt in ſuis diuitijs: ibi enim theſaurus eſt & cor eorum, tales deum ignorant, idola ſua colunt, ad quæ & confugiunt, circum ſe componunt humana creataq; ſubſidia, nõ inuocant nomen domini. Exponitur contrariè de diuite, qui eleemoſynis ſibi ædificat munitionem, & opponit murum operibus miſericordiæ, ſeueritati diuini iudicij.

12 Antequam conteratur, exaltatur cor hominis: et antequã glorificetur, humiliatur.

Timeant ſibi quotquot eleuati ſunt, & in ſublimibus agunt, tam corporalibus quàm ſpiritualibus, proxima eſt enim illis contritio, dum minime putant humiliabuntur. Potentes enim deponit de ſedibus, ut exaltet humiles. Exemplum de Nabuchodonoſor ſuperbiente, deiecto ad beſtias de regno, & poſt humiliationem eius iterum reſtituto ad monarchiam. Abominatur deus ſuperbiam, humilibus dat gratiam. Diſcite à me quia mitis ſum, & humilis corde. Non uenit miniſtrari ſed miniſtrare. Gaudeant deiecti, quia imminet exaltatio: timeant euecti, quia appropinquat eorum humiliatio, tolluntur in altum, ut horribilius ruant. Superbia et humilitas.

13 Qui prius reſpondet quàm audiat, ſtultũ ſe eſſe demonſtrat, & confuſione dignum.

Morale eſt, ut non præcipitanter & inconſulte reſpondeatur: ut ad audiendum promptus ſit homo, magis quàm ad loquendum: non decernendam eſſe cauſam, antequam tota diligenter diſcutiatur, alioqui confuſio imminebit utriſque: non feſtinandum ad uerbi dei prædicationem, niſi diligenter auſcultauerit, & ſeſe exercitauerit in uerbo dei, de communi lege, ne doctrinæ & morum confuſio ſubſequatur.

14 Spiritus uiri ſuſtentat imbecillitatem ſuã: ſpiritum uero ad iraſcendum facilem quis poterit ſuſtinere?

Spiritus gaudens ac hilaris promouet uires, depellit ægritudinem: animus autem turbulentus & deiectus auget debilitatem, diuturnam reddit & importabilem. Cor fide & gratia pacificatũ uincit omnia aduersa, ac ipsam mortem: conscientiam autem conturbatam nulla poterit creatura consolari.

15 Cor prudẽtis possidebit scientiam, & auris sapientium quærit doctrinam.

Scientia ferè semper capitur pro discretione boni ac mali, pro cogitatione sensata, & scientia politica utili, est enim commune nomen ad omnem cognitionem. Sæpe inculcat sapiens amorẽ scientiæ, ut diligentiores reddat ad uerbum dei, & ut legem domini studiose meditemur, ut discamus ac doceamus utilia. Prudens nouit loqui in tempore & personis. Auris autem sapientum nõ fastidit audire scientiam, semper cupit proficere, sibijpsi nunquam satisfacit: etiam Moses non horruit audire et sequi consilium Ethnici soceri.

16 Donum hominis dilatat uiam eius, & ante principes spatium ei facit.

Recitatur non tam quid sit agendum, quàm quid fiat à filijs huius sæculi, nempe, ut muneribus promoueantur etiam iniusti & indigni, et ad magnos procedere principes adiuuant & inducunt. Exponitur tamen de eleemosyna, quæ fidutiam præstat suo modo comparendi in iudicio diuino, & ad omnia ualet pietas, ut gratiã pro gratia accipiant. Iudæi exponunt de liberalitate, quæ homines conciliat, & promeretur honores, uiam præbet ad magistratus & ad curias principum.

17 Iustus prior est accusator suus: uenit amicus eius, & inuestigabit eum.

Qui contra proximum suum primus litem orditur & contestatur apud iudicem, iustus sibi uidetur, id est iustã se putat habere causam: sed cum reus proditur & accusatus, tunc causa diligentius discussa deprehendetur longe aliud quàm accusans putauerat. In causa propria facile iudicando fallimur. Imponit amor sui. Audienda est altera pars, & inuenietur toruum quod uidebatur rectum. Alius sensus est: Pij damnant seipsos primùm, postea de alijs iudicant: impij autem trabem in oculis suis non conspiciunt, eximere autem studem festucam in oculis aliorum.

18 Contradictiones comprimit sors, & inter potentes quoq; diiudicat.

Sortes. Non est sors illicita, si fide prouidentiæ dei suscipiatur, si non sit alioqui manifesta iustitia partium ex infallibili & certo uerbo dei, si pro componendis litibus & concilianda pace fiat, si præuia oratione, &c. ut supra dictum est. Hic uerò additur, solitos principes acquiescere sorti, in rerum diuisione, dum alijs medijs conciliari nõ possunt. Melius deniq; est sorte aliquid obtinere principem, quàm cum multorum iactura & iniuria uincere ui & uiolentia, aut bello quantumlibet æquo.

19 Frater qui adiuuatur à fratre quasi ciuitas firma, & iudicia quasi uectes urbium.

Varia est translatio huius parabolæ apud Hebræos propter amphibologiam uerbi נִבְשָׁע, quod recedere, peccare, & adiuuare, & consentire significat, ut fic dicatur à Syro interprete: Frater qui iniuria afficitur à fratre, quomodo ciuitas fortis, & unitas sicut obstructio robusta. Philippus, Præstat habere coniunctum fratrem quàm urbem munitam, & litigãtes sicut repagulum palatij. Aliter, Frater qui consentit, uel simul incedit, aut comitatur, aut similiter afficitur cum fratre, & syncero amore cohærẽs, fit instar munitæ urbis: mutuum enim se se tuentur, iuuant, consolantur, adsistunt, & fiunt insuperabiles: interueniente uero discordia, uel odio æque grauiter toleratur. Nec cuiquam tutũ erit sese inserere implacabiliter corrixantibus fratribus. Iudæi quidam referunt ad præcedentem parabolam, de sorte, quæ controuersiam fratrum amolietur, quod enim existimauerat suum, sorte à domino moderanda, æquanimiter auferri sinet. Alij dicunt, Disceptationes fratrum graniores esse & duriores quàm repagulum aulæ regiæ munitissimæ, quod facile infringi non potest, sorte tamen concordati conquiescunt. Aliter dicunt, Grauior est controuersia fratrum, quàm hominum aliorũ, quanto minus hoc frater expectabat à fratre, quos extraneorum periculo difficile sit conciliare. Eligat Lector ex istis sententijs, uel cogitet meliora.

20 De fructu oris uiri replebitur uẽter eius, & genimina labiorũ ipsius saturabũtur eum.

Modestia loquendi docetur. Ex doctrina, inquit, uiri augebitur eruditio, quamoq; diligentius docebit, tanto copiosius erudietur. Si quis consulte loquitur fructũ sentiet gratum: si autem leuiter uel temere, non euadet perniciem. Honor & gloria in sermone sensati: lingua uerò imprudentis subuersio eius est. Quæ prudẽtia corde concepit, ea sensu digno exprimat oratio.

21 Mors & uita in manibus linguæ: qui diligunt eam: comedent fructus eius.

Perniciosa res est lingua mendax, effrenis, detractoria uel blasphema, mortem operatur corporis et animæ: sic saluberrima res est, erudita, syncera, uerax, fidelis, & gratiosa lingua. Lingua enim placabilis, lignum uitæ. Qui ipsam bene instituit, uel moderatur, & refrenat à maledicentia, qui rationem ueritatis habet & iustitiæ dum loquitur, comedet fructus eius, profectum augebit auditorum & loquentium.

22 Qui inuenit mulierem (bonam) inuenit bonum, & hauriet iucunditatem à domino. (Qui expellit mulierem bonam, expellit bonum: qui autem tenet adulteram, stultus est & insipiens.)

Contra iudicium carnis & humanam prudentiam gentilium philosophorum & idololatrarũ, qualis Theophrastus erat, hic iterum docetur utilitas & honestas sacri matrimonij, à uerbo dei, qui illud ab initio instituit, mandauit, cui nihil præferri potest, nisi uerbum Euangelicum, ab his qui capere possunt prædicandum, quod ab exordio ecclesiæ etiam mariti fructuosissime prædicarunt, quibus tamen cœlibatus legitimus conceditur, non mandatur. Non ergo tam uxoris bonitas spectanda est, quàm dei uoluntas, prouidentis necessarium remedium connaturalis incontinentiæ, & prædestinatorũ filiorum propa-

Matrimonij honestas

propagationem. Est autem huiusmodi status, omniũ uere bonorum operum exercitio sanctificatus, et saluberrimæ patientiæ dulci occasione fœcundus. Rabi Salomon exponit de sacra scriptura, quod ea inuenta sit uxor bona, & à deo detur eius notitia.

23 Cum obsecrationibus loquetur pauper, & diues effabitur rigide.

Paupertas rerum et spiritus, humiliat moribus & sermonibus. Qui enim corde humilis est, & in conscientia miser, dei misericordiam supplex implorat, dicens, Deus esto mihi peccatori propitius. Et oratio humiliãtis se nubes penetrat, in humilitate nostra memor fit nostri. Diues autem contemptim respondet ac rigide: diuitiæ adduntanimos: & propria iustitia superbiens, magnifica loquitur de meritis, Ieiuno, ait, bis in sabbatho, decimas do, &c. Quia dicis, Diues sum & ditatus, nullius egeo, nescisq; quod tu es miser ac miserabilis, pauper, cæcus et nudus, Apocal. 3.

24 Vir amicabilis ad societatem magis amicus erit, quàm frater.

Homo candidus, syncerus, suauis, qui amat ex animo & fide, uel uir amicitiarum uel amicorum, qui non tam suus est, quàm amicorum, is non quærit quæ sua sunt, sed amici. Eius consuetudo gratior est, suauior ac solidior, quàm fratris iuxta carnẽ. Amico fideli nulla est comparatio, Ecclesiastici 6. Beatus qui inuenit amicum uerum, Ecclesiastici 25. Solatium huius uitæ est, ut habeas cui pectus tuum aperias, cui arcana communices, ut colloces tibi fidelem uirum, qui in prosperis gratuletur, compatiatur in tristibus, quem non utilitas rei familiaris, non subdola & palpans adulatio, sed dei timor, Christi glutinũ, & diuinarum scripturarum studia tibi conciliant. Hæc Hieronymus.

CAPVT XIX.

1 Melior est pauper qui ambulat in simplicitate sua, quàm torquens labia sua, & insipiens.

Honestas uitæ & morum præfertur diuitijs. Præstat enim immaculatum esse & integra fama, quàm locupletem. Simplex quoq; & elinguis melior est quàm præfractus, ueterator aut mendax. Deniq; melior est doctrina simplex cum fide & castis moribus, quàm sophistica & mundana eruditio, quæ stultitia est coram deo. Ambulare in simplicitate, est credere uerbo dei, & secundum illud uiuere, peruersa labia dicuntur, quæ simplicitatem fidei deprauant ac irrident.

2 Vbi non est scientia animæ, nõ est bonũ, & qui festinus est pedibus, offendet.

Vult dicere, Incircunspectus in agendis & indiscretus, de anima, id est, de uita sua sæpe periclitabitur, nõ bene uiuet. Qui incedit festinus impinget pedibus. Præcipitanter agens, & sine consilio, offendiculum sentiet & incommodum. Aliter, Qui caret scientia dei, misere & damnabiliter uiuit, deo mortuus. Et qui uerbo dei nõ obsequitur, sensu carnis aberrat: in operibus à se electis, sibijpsi placentibus curret, peccabit, & de salute periclitabitur, sine iustitia fidei & scientia legis diuinæ.

3 Stultitia hominis supplãtat gressus eius, & contra dominum feruet animo suo.

Stultitia hominis parit insolentiam uitæ, & subinde damna infert ac incommoda aduersitatum et pœnarum. Si enim circunspecte ageret, si scientiam diuinæ legis haberet, cautius & innocentius uiueret. Veruntamen cautam malorũ impius non reijcit in propriam ignauiã, sed et in deũ, cuius iusta iudicia calumniatur, et cum propria malitia peccet, & ex infidelitate, prorũpit tamen in dei blasphemiã, quasi ipse occasionem peccandi præbuerit, quia hominẽ fragilem cõdiderit: sicut Adam increpatus dixit, Mulier quam dedisti, &c. Hic quoq; contra dominũ feruet animo, qui diuina imperio per suam inertiam contemnens ipsum dñm authorem mali calumniatur, qui malum prohibet. Fructus enim impietatis est fremere aduersus iudicia dei, & uoluntatẽ, in aduersitatibus, quas propria malitia sibi induxerũt. Pij aũt homines resignati stant ad dñi prouidentiã, dicentes, Iustus es dñe & rectum iudicium tuũ, Fiat uolũtas tua. Si dixeris, Non placet, præsto sum, ferenda est patienter crux domini. Malà à malis.

4 Diuitiæ adduntamicos plurimos: à paupere autem & hi quos habuit separantur.

Eadem est sententia, quæ supra cap. 14. parabola 20. Diuitibus iunguntur amici assentatores, auari & socij mensæ, statim ut fortuna abscesserit recessuri, sui potius amatores quàm diuitis. Pauperes autẽ destituuntur amicis, cũ maxime indigent. Beatus autẽ qui intelligit super egenum & pauperem, ut uel hoc signo intelligamus malitiam cordis humani. Diuites etiam impij coluntur, pauperes etiam iusti contemnuntur.

5 Testis falsus non erit impunitus: & qui mendacia loquitur, non effugiet.

Eandem sententiam uerbis non eisdem sæpe inculcat, ut tanto fortius ueritatem persuadeat in uerbo & opere. Non sunt diuturnæ felicitates, mendacijs comparatæ. Sic qui infideliter docuerunt, hodie iudicantur à fidelibus, & mercedem erroris quem oportuit reportant. Admonet ergo ueritas, ut mendacia, id est traditiones humanas, quas caro suasit fugiamus, saltem timore pœnarum, si non iuuat monitio de ueritatis amore. Nihil enim opertum quod non reueletur, &c. Non perpetuo regnabunt mendacia, nec impune. Perfidi semper imponent fidelibus. Veritas ad tempus supprimi potest, sed nõ semper, fortior est enim mendacio. Falsa doctrina.

6 Multi colunt personam potentis, & amici sunt dona tribuentis.

Cum fide & charitate in deum homines niti debeant, qui omnia moderatur, à quo omne bonum, per quem regnant principes, ipsi potius ex potẽtum amicitia ac munificentia pendent, quibus adulantur, quos suspiciunt, & nemo non est amicus eius qui dat munera. Sua semper quærit humana perfidia, cum beatius sit dare quàm accipere. Sæpe monet ueritas & uerbum dei, ut à munerum acceptione abhorreamus, quæ etiam sapientes excæcant & subuertunt iustitiam.

7 Fratres omnes pauperis oderunt eum, insuper & amici procul recesserũt ab eo. Qui

tantum uerba sectatur, nihil habebit.

Quotidiano usu nota est sententia. Dicit autem: Omnes, id est plurimi: & ut plurimum, fratres nominantur propinqui, omnibus modis, maxime autem iuxta carnis necessitudinẽ, & affinitatem. Odire est auersari, negligere, fugere, nõ benefacere, nõ exaudire. Nec odiunt solum pauperem, sed & fugiunt, nempe miseros iuuare nolentes. Et qui uerba sectantur nihil erunt, uerbosa nõ proficiunt, faciendum est & docendum. Qui fecerit & docuerit, &c. Potest sententiæ priori connecti, Quia diuites lactant pauperes multis pollicitationibus, inaniter ac mendaciter: sic iactatores doctrinæ uirtutum & sanctimoniæ ludunt homines, & illuduntur à domino. Non enim omnes qui dicunt, Domine domine, intrant in regnum, sed qui faciunt uoluntatem dei.

8 qui autem possessor est mentis, diligit animam suam, & custos prudentiæ inueniet bona.

Possessor cordis amat animam suam. Circunspectus et cordatus uitam suam bene instituit, curat ut quàm beate diu & sancte uiuat, temere nihil aggreditur, prudens ad omnia inuigilat, sensualitati non obsequitur. Qui uero prouidus est bonum inueniet. Licet prouidentia diuina omnia gerantur, ut nemo uolũtati eius possit obsistere: uult tamen nos quoq; circunspectos esse, & minime desides uel stertentes. Vtitur enim deus ceu instrumentis suis humanis uiribus, quas dedit in opera uirtutum, quibus suum in nobis agit negotium & opus, non tamen sine nobis, licet non pro uoluntate nostra, sed sicut sibi placet. Interim uult nos agere quæ præcepisse cum nouimus, & conari bona, etiam si minus possumus. Dedit enim intellectum, ut sciamus quid bonum: & uerbo suo, quod nobis prædicandum est, & credi debet præcepit, quæ uelle debemus, & per gratiam implorandã orationibus, adiuuat, quæ facere nostris uiribus non possumus, & insuper iuste punit, quæ agere scienter obmisimus. Miseretur autem eorum, quæ uiribus nostris conantes non potuimus, & propter quæ indulgentiam dei fiducialiter deprecamur.

Humanæ uires.

9 Falsus testis non erit impunitus: & qui loquitur mendacia peribit.

Eadem est parabola cum quinta priore, ultimo tantum uerbo differens, pro quo nunc additur quidpiam iuxta morem scripturæ, Maius est enim perire quàm non euadere. Estq; uehementius ad terrendum à mendacio & doctrina falsitatis: significat enim perire, peccatum ad mortem. Est enim scienter docere falsum, peccare in spiritum sanctum, & proximo nimis pestiferum.

10 Non decent stultum deliciæ, nec seruum dominari principibus.

Destitutus uera sapientia, ueras non percipit delicias, iuxta sensum carnis omnia iudicat, non utitur ad sobrietatem, non refert in uera bona, sed nimium permittit carni & sanguini. Non expedit stultum foueri teneriter. Si stulto nimium permiseris, tumultuabitur. Nec decet seruum dominari in dominos, quorum est subesse & obsequi, patienter ferre conditionem suam, in quam dominus seruos cõstituit, usque in suum tempus. Serui subditi estote, &c. Quicunq; sub iugo sunt serui, &c. Verum inter Christianos conditio seruilis esse nõ deberet, quandoquidem etiam principes se dei & populi seruos agnoscere deberent. Colos. quarto capite, Domini quod iustum est & æquum seruis præstate, scientes quoniam & uos dominum habetis in cœlo. Seruus uocatus es, ne sit tibi curæ, quin etiam si potes liber fieri potius utere, nempe licitis ac honestis medijs. Non ergo prohibetur ne liber fiat seruus, sed ne seruus manens insolescat in dominum, & imperium sumat, qui obedire tenetur.

11 Doctrina uiri per patientiam noscitur, & gloria eius est iniqua prætergredi.

Prudens homo tarde irascitur, & honorificum est ei dissimulare, & prætergredi offensam. Gloriosum est homini sensato tardius irasci. Doctrina uiri per patientiam operatur. Non enim utiliter bona docere potest, qui nescit æquanimiter aduersa tolerare. Generosi animi est, cedere furori stultorum, non facile irritari. Superbiæ est cito excandescere, & ad leuem iniuriam. Christus docuit mala compensare bonis, hostes amicitia superare, diligere inimicos.

12 Sicut fremitus leonis, ita & regis ira: & sicut ros super herbã, ita & hilaritas eius.

Feliciter proficit & tuto consistit, qui obsequitur magistratui, caret timore pœnæ. Contrà uero, durũ est contra stimulum calcitrare, regis indignationem incidere, obedientiam negare principibus, qui à domino dati sunt mundo, ad nocentium uindictam, laudemúe bonorum. Et sicut ros terram fœcundam reddit, & facit florere, sic regis fauor & gratia obedienti succurrit, promouet humilem & exaltat, honorificat & tutatur: quanto magis timẽdus est & amãdus rex regũ, & illi obediendũ?

13 Dolor patris filius stultus: & tecta iugiter perstillantia litigiosa mulier.

Eadem sententia sæpius prædicta, sed cum additamento, non inutiliter replicanda. Alterum enim malum post stultam prolem est contentiosa uxor, assiduo stillicidio comparata. Sicut enim domui uehementer incommodat stillans per tectum frequens pluuia: sic rei familiari consulitur pessime, si uxor marito ægrè consentiat, nec quietum patiatur. Dilapidabit equidem, profundetq; prodigaliter & inconsulte, quæ magno labore maritus conquisierit, damnum & onus toti familiæ ingerit, quum continua intractabilitate perturbat.

14 Domus & diuitiæ dãtur à patribus, à domino autem proprie uxor prudens.

Nobilitas sanguinis, genus inclytum & diuitiæ, contingunt hæreditate maiorum, & prouidentia naturali. Non sic autem ad arbitrium eligitur sensata uxor, sed datur, ut insignissimum donũ cœlitus à domino. Ideo cum gratiarumactione acceptanda, patienter ferenda, amice tractanda, ut donum domini, ex illius beneplacito admanda. Quicquid per occasionem uxoris triste uel aduersum acciderit, tanquam à domino proficiscens, cum gratia-

gratiarum actione amplectendũ & æquanimiter. Etiam si contentiosa fuerit, ut tectum perstillans, utilis tamen est, & à deo prouisa: fiatq; molestia huiusmodi per eam incidens uirtutis materia, & ex necessitate profectus.

15 Pigredo immittit soporem, & anima dissoluta esuriet.

Labor. Sedulitatem in labore commendat, quem deus præcepit: damnum autem animæ & corporis exotio & pigritia proueniet. Sicut enim moderatus labor uiuatiorem reddit, & hilariorem, sanum ac diuitem: sic piger dissoluitur corpore & uiribus, ad omne uirtutum opus fit ineptior, peior quoque & pauperior, & formica insipientior, quæ in opportunum tempus reponit. Fit homo piger instar dormientis & stertentis, in omne opus bonum ineptior, quanto pigrior tanto stolidior, infirmo & morienti similior. Obest enim ingenio inersotium.

16 Qui custodit mandatũ, custodit animam suam: qui autem negligit uiam suã, mortificabitur.

Mandatorum dei obseruantiam commendat, unde proficiscitur animæ uita: sed & hominũ non sunt iusta mandata negligenda, quorum transgressores pœna manet & iudicium. Quisquis enim potestati resistit, dei ordinationi resistit, et sibi iudicium accipiet. Si feceris quod malum est, time. Non enim frustra gladium gestat, nam dei minister est, ultor ad iram, ei qui quod malum est fecerit, Rom. 13.

17 Fœneratur domino, qui miseretur pauperis, & uicissitudinem suam reddet ei.

Æternorũ. Hortatur ad succurrendum pauperum necessitatibus. Id sibi dominus acceptum ferre dignatur: cuius munere accepimus, ut proximis nostris seruiamus: quin & multa pollicetur & magna, si in paucis & modicis dispensandis fuerimus diligentes. Commodandum autem uult, non diuitibus, otiosis & libidinosis, sed egenis & necessitatem patientibus: nec à deo illis retribuitur, qui sua dant ad gratiam, uel fauorem tantum, nõ egentibus.

18 Erudi filium tuum, ne desperes: ad interfectionem autem eius ne ponas animã tuã:

Non obmittas nec cesses filium castigare, quum adhuc iuuenis est, & disciplinæ capax: idq; sæpe tenta, si quo modo uel iteratis correptionibus per ætatis profectum disciplinæ acquiescat tandem & asuescat. Pro genij enim uarietate, in uno citius coalescit morum maturitas, sicut & acumen ingenij, quàm in alio. Quod si ludas operam, ut nihil proficias, non tamen in eum sæuias, ut occidas, sed iuxta legis mandatum magistratui corrigendum commenda. Aliter, Non crudeliter sic sæuias ut sub uirga moriatur. Quidam exponunt, Non parcas illi nec miserearis.

19 qui enim impatiens est, sustinebit dãnũ: & cum rapuerit, aliud apponet.

Magnitudo iræ fert detrimentum, quod si liberum dimittes adhuc addet. Non est nostrum ira uacare, sed ut frena iracundiæ non laxentur sapiens monet, non solum contra filium, de quo prior Parabola, sed nec contra seruum uel quemlibet aliorum. Ira enim uiri iustitiam dei non operatur. Damnum enim ex damno indies per iracundiam augebitur, & in immensum excrescet, tandem importabile malum. Est ergo mitijs obsistendũ: uel si filium à morte seruaueris, poterit cum tempore emendari.

20 Audi consilium, et suscipe disciplinam, ut fis sapiens in nouissimis tuis.

Sermo est patris ad filium, mansuete ac sedulo monentis ad uirtutem & disciplinam, ut euadat prudentior, prouectiore ætate, & ut habeatur spei bonæ. Nouissimũ tempus pro posteriore sumitur, scripturarum more Hebraico & prophetico.

21 Multę cogitationes in corde uiri: uoluntas autem domini in æternũ permanebit.

Plures, uariæ ac instabiles sunt hominum cogitationes, & consilia, fallunt etiam & falluntur, & sunt ad malum semper pronæ. Cogitationes autem dei euerti non possunt. Cogitationibus tuis non est qui similis sit tibi. In summa, Non eueniunt quæ instituimus, sed quæ decreuit deus. Ipse nouit cogitationes hominũ, quoniã uanæ sunt. Non est uolentis neq; currentis, sed miserentis dei.

22 Homo indigens misericors est: & melior est pauper, quàm uir mendax.

Ingens ornatus est hominis benignitas & probitas, misericordia & beneficentia, quæ omnia significantur per חסד. Deliciæ propriæ conscientiæ sunt, si quis cõscius sibi sit fidei & bonorum operum. Habet probitas annexam sibi animi perpetuam serenitatem, ut sit quasi iuge conuiuium quieta conscientia: dum interim qui insolenter uiuit, timere cogitur magistratum, secum confunditur. Quandoquidem non est pax impijs. Deniq; melior est pauper iustus ac uerax, quàm mendax & locuples. Maximæ & sacerrimæ diuitiæ sunt, probitas, agnitio ueritatis, & amor eiuus. Probitas serena.

23 Timor domini ad uitam: & in plenitudine cõmorabitur, absq; uisitatione pessimi.

Qui timorẽ domini ac ueram in deum fidem assequitur, certò perducetur ad uitam animæ & spiritus, hic & in futuro. Morte autem plectuntur, & coram deo non sunt, qui ipsum ignorant aut contemnunt, uiuunt autem in omnium bonorũ abundantia, ac de uirtute in uirtutem proficiunt, quotquot Deo credunt ac obediunt. Ab auditione mala non timebunt, quorum cor paratum est sperare in dominum. Non est inopia timentibus eum, non deficient omni bono.

24 Abscõdit piger manun suam sub ascella, nec ad os suum applicat eam.

Iudæi Ollam dicunt pro Ascella, & mire se torquent circa huius parabolæ intelligentiam. Translatio nostra uerior uidetur, & Septuaginta interpretum Græca magis probatur, ח pro ע, quarum est frequens commutatio. Piger, inquit, sub ascellas manus transuersim reponit, pertæsus laborum, & oppressus accidia, & iuxta uulgare dictum, Tam laborando quàm comedendo tardus ac piger deprehenditur, hoc est in actionibus omni-

bus. Verbum dei otiosos ubiq; traducit & pigros, quos & hodie sapientes persequuntur ut onus terræ.

25 Pestilente flagellato stultus sapiētior erit: si autem corripueris sapientem, intelliget sapientiam.

Non sinit deus semper ridere impium sacra, sed punit, & percutit in malum suum, & ad usum insipientis, qui alterius malo se patitur erudiri. Qui enim sapiens est, suapte prudentia emendatur, non tantum uexatione alterius uel periculo. Sola monitione corrigitur, non est illi necessaria percussio, duci mauult quàm trahi. Simplicius uero, Derisores percutiendi sunt, & flagellis eruditi, insipientes uero & per ignorantiam offendentes, docendi & admonendi cum patientia & familiariter, non seuerius percutiendi, quod non ex malitia peccent.

26 Qui affligit patrem, & fugit matrē, ignominiosus erit & infelix.

Vastator patris dicitur, qui per insolentiam uastat ac decoctor est paternæ hæreditatis, quam pater laboriose collegit. Matrem autem spoliat & grauat ære alieno, necessarijsq; exuit subsidijs, quam colere & nutrire debuerat. Is diffamiam inter suos feret, ignominiam infert familiæ, non erit longæuus, abominatio erit deo & hominibus. Matrem suā pro paupertatis iniuria coget in exilium aufugere, uel domi confusam residere & clausam uectibus, non ausam procedere in publicum, ob filium confusionis. Vtrunq; significare potest uerbū דברית secundum Hebræos.

27 Non cesses audire fili doctrinam, ne ignores sermones scientiæ.

Obmitte fili mi auscultare uel incumbere ei disciplinæ quæ seducit à uerbis ueræ scientiæ. Vbi dehortatur iuuentutem, & absterret à curiosis periculosis & impijs doctrinis uel artibus inhonestis, ab illectamentis ingeniorum, à pernitiosis gentilium dogmatibus. Discant autem ante omnia sancta, utilia, diuina, quibus à puero assuescant, et in tenera adhuc ætate sacram domini legem imbibant.

28 Testis iniquus deridet iudicium, & os impiorum deuorat iniquitatem.

Pronuntiat esse iniquum testem, qui dei iudicium non uereturq, qui falsum testimoniū dicit cōtemptor iustitiæ. Qui se ostendit non credere deum uindicem iniquitatis, mendacij pernicioſi, & iniuriæ, is Belial dicitur apostata, & homo nihili sine iugo, & impius. Et os impiorum deuorabit iniquitatem, ardenter exquirit, ut uerbis suis falsis obsit, & damnum inferat innoxio: sine timore dei & hominum quasi auide glutit, ut famelicus cibum, non expendit proximi damnum, reatum conscientiæ, timorem dei.

29 Parata sunt derisoribus iudicia: & mallei percutientes stultorum corporibus.

Non impune perpetuò ridebunt impia iudicia dei, quæ aliquandiu quidem differuntur, donec peccata compleantur, ac magis indurentur, ut seuerius uindictæ atrocitate compensetur dei longanimitas. Deniq; male audiunt apud homines, & à domino puniuntur publicæ pacis & iustitiæ subuersores.

CAPVT XX.

1 Vxuriosa res uinum, & tumultuosa ebrietas: quicunq; his delectatur, non erit sapiens.

Vinum immodice sumptum exponit derisui, prouocat libidinem, mentem euertit, ad iudicium ueri & boni reddit ineptum, obdurat ingenium, crudum ac fœdum reddit, omnis sapientiæ & ipsius quoq; uerbi dei & honestatis humanæ contemptores constituit. Cauendum ergo ne crapula & ebrietate corda grauentur. Interim tamen bona creatura uinum est, ac utilis uehementer temperate potum, quando & Christus uinū bibit, & bibendum parauit in nuptijs primo miraculo; & sanguinis sui sacramentum instituit. A postolusq; suadet medicinam stomacho infirmo adhibendam non ad luxū. Nolite, ait ad Ephes. inebriari uino, in quo est luxuria. Cito spumat in libidinem uenter mero æstuans, dicit Hieronymus. Ebrietas.

2 Sicut rugitus leonis, ita & terror regis: qui prouocat eum, peccat in animā suam.

Docet cum reuerentia metuendos esse magistratus, Obedientia & non per inobedientiam uel contemptum irritandos, propter effugiendam pœnam in corpore & rebus, facile enim se uindicare possunt, nec se ferunt contemni. Sed & propter conscientiam suspiciendi sunt. Qui enim potestati resistit, dei ordinationi resistit. Interim tamen sibi reges prospiciant, ut in iustitia regnent, regem regum reuereantur, tormenta grādia potenter se passuros non dubitent, nisi priuatum commodū publicæ utilitati, paci & tranquillitati postposuerint. Deponit dominus potentes de sede, & exaltat humiles. Exemplis improborum regum plenæ sunt sacræ literæ & prophanæ.

3 Honor est homini qui separat se à contētionibus: omnes autem stulti miscētur contumelijs.

Concordiam docet ac tranquillitatem, probatur enim deo & hominibus homo tractabilis, mitis & mansuetus. Beati pacifici, quoniam filij dei uocabuntur, qua gloria nulla maior. Stultus autem contumelijs & disceptationibus se miscet, conuitijs se tuetur, impetū stultæ mentis, & impotentis iræ cohibere non potest. Seruum Dei non oportet litigare, sed mansuetum esse ad omnes. Noli contendere uerbis, ad nihilū enim utile est, nisi ad subuersionem audientium, 2. Tim. 2. Paulus dicit.

4 Propter frigus piger arare noluit, mendicabit ergo æstate, & non dabitur illi.

Laborem quidem ubique præcipit dominus, sed prohibet solicitudinem, qui ergo laborando deo obsequitur, Labor. eius curam ac prouidentiam deus agit, & ex labore prouentum facit, ut nihil desit timentibus eum, qui uero laborem refugit, & crucem reijcit, egestatis tempore destituetur. Qui non laborat non manducet. Quæ semina uerit homo hæc & metet. Et in Epistola 2. ad Thessalo. totum tertium caput commendat laborem, exemplo & præcepto, & interminatione anathematis.

Sicut

5 Sicut aqua profunda, sic cõsilium in corde uiri: sed homo sapiens exhauriet illud.

Ingenium uiri sicut aqua profundissima est, quæ exhauriri non potest. Ierem. 17. Profundum est cor hominis & imperscrutabile, & quis cognoscet illud? Et supra, Aqua profunda ex ore uiri. Callida est & uafra humana prudentia, incerta et multiplex, nemini perfecta contingit. Nescit homo quid ratio possit humana, donec sapiẽs quispiam occasionem præstiterit exercitio quæstionum. Da occasionem sapienti & erit sapientior: quapropter ueteres, ut Iob & Plato, dialogis & disputationibus sapientiam inuestigarunt & scripserunt.

Humana prudentia.

6 Multi homines misericordes uocãtur, uirum autem fidelem quis inueniet?

Multa probantur hominibus ob beneficentiam suam, quam durantibus secundis rebus exhibere possunt. Laudantur honoris tempore & gaudij. Solet uulgus temere iactare famam: sed qui reuera deo probetur, qui fidei integritate & dexteritate se cõmendet, cui tuto te possis committere, rarus inuenitur: qui scilicet in aduersis succurrat, onere depressum sustentet, pro amico se exponat periculis. Multi dicuntur sancti, fideles sunt pauci. Filius hominis ueniens, putas inueniet fidem in terra? Fallunt hominum plurimi, & falluntur, Omnis homo mendax.

7 Iustus q ambulat in simplicitate sua, beatos post se filios derelinquit.

Ambulare in simplicitate, est non esse præfractum, callidum, malitiosum, hypocritam, sed syncerum, fidelem, dextrũ, qui nemini male uelit, sine querela conuersatur ad omnes, etiam si interim peccator sit coram deo, ut sunt omnes homines. Huiusmodi pij hominis summum sit studium, ut post se relinquat fideles, & sibi similes filios, fide & moribus religiose institutos, qui et sine ignominia & egestate uiuent. Impiorum autem filij disperdentur, si fuerint paternorum scelerum sectatores, ut fit non raro.

8 Rex qui sedet in solio iudicij, dissipat omne malum intuitu suo.

Principis officium est, iuste iudicare subiectos, dirimere lites, oppressis succurrere, pacem fouere reipublicæ, subditis prodesse, sapientia & authoritate promouere pios, opprimere impios: non fastu & luxu dissolui, non quæstum ambire, sed prospicere communibus rebus. Is oculis suis dissipat omne malum, uigilantia sua circunspicit omnia quæ geruntur, publicis negotijs adest præsens inspector & moderator: iuxta nomẽ suum episcopi non iam nummorum uel equorum, sed plebis et subditorum, non arces tyrannorum more habitare munitas, sed præesse ecclesijs uerbo & exemplo.

Principis officium.

9 Quis potest dicere, Mũdum est cor meũ, purus sum à peccato?

Non dicit neminem esse sine querela, uel irreprehensibilem coram hominibus, tales enim plures sunt sancti, sed corde & conscientia coram deo nemo iustus. Si enim dixerimus, quia peccatum non habemus, nosipsos seducimus, & ueritas in nobis non est. Non intres in iudicium cum seruo tuo domine, ait Dauid, quia nõ iustificabitur in conspectu tuo omnis uiuens. Etiam bona iustorum opera sunt imperfecta, peccatumq; dici merentur, ut pannus menstruatæ. Non sunt talia qualia deberent produci in conspectu diuinæ maiestatis, hoc autem propter legem carnis repugnantem legi mentis. Terra enim maledicta profert spinas & tribulos. Cogitatio cordis humani propensa est ad malum omni tempore. Non est homo qui faciat bonum & nõ peccet. Sed nulla condemnatio est his qui insiti sunt Christo, per quem à peccati iure liberi facti sumus, si secundum spiritum ambulamus. Sanguis Christi mundat nos à peccato, & oratio in fide non potest non exaudiri cum humili proposito.

Peccatores sunt omnes homines.

10 Pondus & pondus, mensura & mensura, utrunq; abominabile est apud dominum.

Mandat uerbum dei, conseruandum esse ius publicum & æquitas, ut proximo exhibeamus, quæ nobis fieri optamus: non circunueniendum fratrem in quocunq; negotio: non care uendẽdum quod uili emitur, iuxta illud, Leuitici decimonono capite: Nolite facere iniquum aliquid in iudicio, in regula, in pondere & mensura: & Deuteronom. 25. Non habebis in sacculo diuersa pondera, maius & minus: nec erit in domo tua modius maior quo inferas, & minor quo exponas. Pondus habebis iustum & uerum, & modius iustus & uerus erit tibi, ut multo uiuas tempore super terram, &c. Abominatur enim dominus eum qui facit hæc, & omnem qui facit iniquitatem. Et infra eodem capite, Abominatio domini est lapis & lapis, & statera dolosa non bona, &c.

Iniquitas contractuũ.

11 Ex studijs suis intelligitur puer, si munda & recta sint opera eius.

Docet diuinare adolescentum futuram uitæ institutionem, ex iuuenilibus desyderijs, sic quoque ex operibus animum, ex pueritia senectutem, ut infra uicesimosecundo capite. Adolescens iuxta uiam suam, etiam quum senuerit non recedet ab ea, &c. Significant ergo iuuenilia studia uitæ totius consuetudinem futuram. Apparet enim facile ætate ista quid delectet, & quid offendat. Esau exhibebat moribus uenationis studium, Iacob domi parentibus obsequebatur, abhorrebat à consortium consuetudine, & à studijs corruptæ illius gentis. Sic Absalon tyrannicorum morum significationem adolescens exhibuit, quum satellites conducit uiuente patre, & multitudini blanditur. Omnia diuersa in Samuele & Timotheo.

Diuinatio circa pueros.

12 Aurem audientem & oculum uidentem, dominus fecit utrunq;.

Officia sensuum nostrorum ex Deo pendent, à quo dantur. Intimior nobis est creator noster, quàm nos nobismetipsis. De abusu ergo membrorum rationem deo dabimus, sicut & de omni uerbo otioso, & oculo uidente fœminam ad concupiscendum. Non etiam superbiendum de sensuum uiuacitate, sed grati agnoscamus datorem, & in illius obsequium expendamus uires omnium membrorum, diffisi de omnibus nostris operibus. Nec uidere enim nec audire sine illo possumus. Oculi illorum tenebantur, ne Christum agnoscerent. Asina uidit, quæ

Membrorũ usus honestus.

Balaam uidens & propheta, uidere non poterat. A domino dirigitur sermo & iter. Sic nec alieno arbitrio læ di possumus, nec perire, domino non iubente & efficiente, ut cum fiducia ex ipso pendeamus.

13 Noli diligere somnũ, ne te egestas opprimat. Aperi oculos tuos & saturare panib⁹.

Otium. Somni nomine damnat otium ac pigritiam, iubétque insistere utilibus negotijs, labore manuum comparare uictum, non mendicitate sordida otiosum uictitare, dum laborare possis, sed potius habere unde dare possis et uelis necessitatem habenti, & laborare non potenti. Non dormias æstate, ne egeas hyeme. Somnum necessarium & naturalem non prohibet, sed superfluum: prouidentiam docet humanam, torporem damnat. Inuigilandum subindicat lectioni legis dei, ne fames uerbi dei ingruat & moriamur, ne occæcati ad lumen ueritatis erroribus inuoluamur.

14 Malum est, malũ est, dicit omnis emptor: & cum recesserit, tunc gloriabitur.

Sorte sua nemo contentus est. Non placet hominibus præsens conditio. Improbare solemus res quas assequi cupimus secreto. Non tam habita placet sanitas, quàm desyderata. Ingrati deo de præsentibus, cum fortuna litigamus. Mala quæ nos hic premunt, ad deum ire compellunt. Pœnitentia si hic non displiceat, quum hinc emigraverimus de ea gaudebimus. Non sunt condignæ passiones huius temporis, ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis.

15 Est aurum, & multitudo gemmarum: uas autem pretiosum labia scientiæ.

Æstimatione hominum magna sunt aurum & gemmæ, periculis arduis, & laboriosis sudoribus obtinẽtur, solicite custodiuntur: sed longe pretiosior est doctor sapientiæ uerborum Dei, timoris diuini, fidei Christianæ, spei & charitatis, quæ deo pretiosa sunt, spiritualia, æterna & uere bona, quibus omne aurum comparari nõ potest.

16 Tolle uestimẽtum eius, qui fideiussor extitit alieni, & pro extraneis aufer pignus ab eo.

Spondens pro alio. Obnoxius fit pœnæ, & reus peccati, qui spondet pro alio quod suum non est præstare, qui ponit carnem brachium suũ, qui sic charitate uacat, ut præsenti necessitati malit occurrere pignoris locatione, quàm liberali donatione, et de futuris decernit quæ in solius dei dispensatione consistunt, non nostro arbitrio. Non est differendum munus proximo necessarium. Bis dat qui cito dat. Non dicas crastina reuertere, cum hodie possis dare,

17 Suauis est homini panis mendacij, & postea implebitur os eius calculo.

Homo cum sit ab adolescentia propensus ad malum et mendax, longe promptius mendacijs acquiescit quàm ueritati, uitijs quàm uirtuti. Arripit & sectatur quod carni placet & sanguini, non quod deo & rationi. Humanæ literæ præferuntur diuinis, traditiones hominum dei mandatis, sed implebitur os hominis arena uel silice, tarde resipiscit humana temeritas, difficile persuadetur à sensu spiritus, finis studiorum deprehenditur sterilis & inanis. Mendacium pœnitentiam affert in ultimis et amaritudinem.

18 Cogitationes consilijs roborantur, & gubernaculis tractanda sunt bella.

Consilium Consilijs maturis gerenda sunt omnia, non temeritate, uiribus & uiolentia. Nil agendum inconsulto uerbo dei, non præcipitanda sententia, proprio sensui non inseruiendum, in bellis quàm maxime, ubi de multorum periculo agitur extremo, de irrecuperabili uita. Sunt enim omnia tentanda, prius quàm belli atrocitas incertaq; uictoria tentetur. Sed & prælia contra carnem, mundum ac diabolum, quæ imminent, uerbi dei consolatione consilioq; agenda sunt.

19 Ei qui reuelat mysteria, & ambulat fraudulenter, & dilatat labia sua, ne commiscearis.

Dehortatur à triplici periculo. Primo, eorum qui secreta nõ seruant, qui deposita in fide uerba profundunt, infideles ac perfidi. Secundo, eorum qui fraudulenter incedunt, qui amicos se fingunt ut incautos decipiant atq; prodant. Tertio, ab ineptientibus lingua stulta, incircunspecta loquentibus, sine iudicio & prudentia, unde solent innoxij colloquutores & auditores plerunque periclitari.

20 Qui maledicit patri suo & matri, extinguetur lumen eius in medijs tenebris.

Ad literam iubet lex dei interficiendum filium, qui patri suo maledicit & matri. Summa enim indignitas est, post tot amores & beneficia, contra naturæ iura, & sensum humanum, malignari in parentes, odium pro dilectione rependere, contemptum execrabilem pro tot officijs pietatis. Lucernam extingui in medijs tenebris, est inexplicabilibus angustijs irretiri, perdere ductorem in deuijs, destitui auxilio in maximis calamitatibus, parentum solatia perdere, cum maxime cupiat frui, quum ferret molestissime, media ætate morte præueniri, gratiã perdere dei & hominum.

21 Hæreditas ad quam festinatur in principio, in nouissimo benedictione carebit.

Mutatio rerum. Temporalia bona plausibili successu obtenta, sine difficultate & laboribus: parum solicite custodiuntur, minus appretiantur, citius amittuntur. Tempore felicitatis recordemur mutationis rerum subitaneæ ac futuræ miseriæ, quæ imminere consuecuit incautis. Denicq; felicius fuit regnum Dauidis, multis partum laboribus & periculis, quàm Saulis subito electi & uncti. Hæreditas duarum tribuum & dimidiæ ultra Iordanem primum impetrata, fuit etiam primo amissa. Damnatur festinantia in omni opere cœpto: periculosius enim proficitur, & facilius impeditur. Docemur nõ nimium anniti in cœptis, et ut felicitatis tempore recordemur, mutationis rerum futuræq; mutationis.

22 Ne dicas, Reddam malum: expecta dominum & liberabit te.

Vindicta

Vindicta. Vindicta prohibetur & ultio, Non reddentes malum pro malo, nec maledictum pro maledicto: sed econtrario benedicētes, diligite inimicos uestros. Non oderis quoq; fratrem tuum in corde tuo. Non quæras ultionē, nec memor eris iniuriæ ciuium tuorum. Mea est ultio, & ego retribuam. Præstat iuxta Apostolū uincere in bono malum, iniuriam pati quàm inferre. Consolatur denique dei uerbum imbecilles, ut à domino consolationem expectent, cui commissus est pauper, qui non deserit sperantes, si moram fecerit longanimiter expectandus.

23 Abominatio est apud dominum pondus & pondus, statera dolosa non est bona.

Eadē est cū priore capite undecimo & decimosexto. Quibus omnibus docetur publica iustitia in contractibus emptionis & uenditionis, non labefactanda. Quod uitium perfidiæ quanto latius & tenacius serpit, tanto frequentius inculcanda doctrina dei, de iustitia, quā uocant distributiuam & commutatiuam. Quandoquidem domino deo abominatio est, & peccatum ad mortem, contra charitatem fraternam.

24 A domino dirigūtur gressus uiri: quis autem hominū intelligere potest uiam suam?

Prouidentia dei reguntur humana, ut non quod omnino uolumus faciamus, sed operatur in nobis deus uelle & perficere, de quo capite 16. Ideo in ipsum solum sperandum, & sabbathum iuge in spiritu celebrandum. Sed quis hominum intelliget uiam eius? Incertus est nobis modus quo deus promissa cōplebit, de quo non oportet nos esse solicitos: sed quæ præcepit nobis deus iugiter nobis sunt meditanda, ut obsequamur, oremusq; ut sanctificetur nomen suū, & sua uoluntas fiat per omnia.

25 Ruina est homini deuorare sanctum: & post uota retractare.

Sanctificia & uota. Hebræus legit, Ruina est homini deuorare sanctum, & postea uota inquirere. In hunc sensum, Pernicioſum & iniquum est, quempiam uelle expiare uotis & sacrificijs, sacrilegium quod in sacra commisit. Olim comedebantur sacrificia in honorem dei, in atrijs templi, cum reuerentia & gratiarumactione, data sua parte secundum legem sacrificiorum sacerdotibus & Leuitis. Peccabant autem qui id agebant insolenter & indisciplinate uel infideliter, non secundū legis edictum. Quod peccatū subinde alijs uotis expiare tentabant, quod hic prohibetur. Non enim uotorum & sacrificiorum multitudine seruitur deo, sed fide, deuotione, religione, animi pietate. Nec indignitatē obsequij numero uelimus compensare, ut hactenus clerici Canonicas horas indeuotissime locatas prolixitate murmuris uel cantionū, & repetitionibus auxerunt, donec in totum disperijt fides, amor, deuotio, & omnis pietatis fructus: quem prorsus nullum ostendere possunt ex illis cantionibus & lectionibus minime intellectis uel ruminatis. Deniq; offendiculum est, dehonestare ac negligere uere sancta quæ deus præcepit, & pro eis insistere operibus à nobis electis sine dei uerbo. Hoc loco de uotis nostri multa ut reddantur uere dicunt, sed curandum ut sint legitima, & Deo non ingrata uota, scilicet de bonis, possibilibus, præsentibus, pensatis cum circunspectione, non impedientibus à melioribus, uel necessarijs, promouentibus ad bonum & deo placidum.

Vere Canonicæ horæ.

26 Dissipat impios rex sapiens, & incuruat super eos fornicem.

Rex iustus & sapiens diligenter prospicit commodis reipublicæ, ac dissoluit colligationes, coniurationes & conuenticula improborum, ne mutuum sese in malo & seditionibus iuuare uelint, debeant & possint contra magistratū & obedientiam. Vertet autem super eos rotam אופן quod arcum significat ædificiorum, fornicem, uel arcum triumphalem, hic rotam significare dicitur à Iudæis, ut seditioſos deprehenſos opprimat iusto iudicio, inuoluat digna pœna, gladium enim habet in uindictam malorum, laudem uero bonorum, ad commune bonum potius quàm priuatum suum, ad tranquillitatem subditorum: hoc est enim præcipuum regis officiū, compescere impios, iuuare ac defendere pios. Impij uero sunt, qui perfidi & defectores, sine deo agunt, docent, uiuunt uel etiam præsunt. Imperiū ad quid.

27 Lucerna domini spiraculū hominis, quæ inuestigat omnia secreta uentris.

Mens & spiritus hominis sine legis diuinæ splendore totaliter cæcutit, uersatur in tenebris suijpsius ignara: uerbum autem domini illuminat omnem hominem attendentem. Illuminatio diuini afflatus conscientiam iudicat, redarguit, instruit & consolatur, credentem nempe & humilem. Sine uerbo dei prospicere sibi non potest humana ratio, & sensus carnis ad salutem: cum eo autem ostendit eam sibimetipsi, quæ prius cogitationes prauas ferre poterat, sed pensare nesciebat, nunc luce, spiritu & uerbo dei discutiuntur & iudicari possunt. Lex & Iustitia.

28 Misericordia & ueritas custodiūt regem, & roboratur clementia thronus eius.

Clementia & munificentia, uel benignitas ac ueritas regem conseruant in honore, in potentia, in regimine, in fama & uita. Faciunt hæc populum obsequentem ad mandata, promptū ad pericula, & ad onera patientem: sicut duritia & austeritas animos subditorum exulcerant & ablegāt. Vnde Seneca, Clementia regis in subditos, gladius est in hostes. In iudicio ueritas & æquitas necessaria est regi, ut sciat, loquatur, doceat, & defendat, sine fuco, mendacio & instabilitate: amicus sit ueracium & ueritatis, abominetur autē assentatores & falsiloquos, & omne mendacium. Clementia regum.

29 Exaltatio iuuenum fortitudo eorum, & dignitas senum canicies.

Gloria iuuenum fortitudo eorum est. Iuuentutem decet & commendat corporis robur, quod laborum exercitio seruatur & proficit: luxu uero & otio, comessationibus & libidine eneruatur. Fortes autem sint iuuenes non tam ad bella quàm ad opera sancta, quod longè satius, quia utilia & in usum proximi atque reipublicæ. Qui uero natura & complexione teneriores sunt & debiliores, fortitudine saltem uirilis animi Fortitudo.

& prudentia ualeant, et sint potentes, disciplinis incumbant, & rerum experientia sint instructi & utiles. Senum maiestas canicies est, si cani sint sensus hominis, & ætas senectutis. Vita immaculata, circunspecta, pacifica ac uirtuosa conuersatio ætatem commendat ac prorogat. Impij dies suos non dimidiant, luxu & improbitate absumuntur. Sic ergo iuuenile robur senum authoritati subijciatur. Non omnes omnia possunt. Circunspectio fortitudinem æquat.

30 Liuor uulneris absterget mala, & plagæ in secretioribus uentris.

Non sine acri & molesta medicina sanantur inueterata uulnera, liuore & fœtore corrupta. Malum enim malo expellitur. Sic mundo pax constare non potest & sanitas, nisi impij dispereant, uel cruce & aduersitatibus emendentur. Etiam plagæ in intestinis, secreti quoq; & interni languores ex malo remedium sumunt, austera scilicet amara potione & purgatione. Crux & disciplina domini prodest malis animæ & corporis. Is parabolæ sensus uidetur, utcunque litera Hebraica difficile reddatur & ambigue à Latinis & Græcis.

CAPVT XXI.

1 Sicut diuisiones aquarũ, ita cor regis in manu domini: quocunque uoluerit inclinabit illud.

Prouidẽtia dei circa reges.

Sicut flumina non sibijpsis & suo arbitrio meatus eligunt, sed quo prouidentia dei, & locorũ ualliculæ promouent, ut ad salutem hominum deriuentur: sic regum consilia non pro suo arbitrio cadunt uel procedunt, quantumlibet sint potẽtißimi hominum, sed ad nutum, regimen & beneplacitum dei omnia gubernantis. In cuius manu sunt omnes fines terræ. Omnia enim pendent ex dei prouidentia, nihil proficitur solo humano consilio, domino non uolente. Nec cor regis tantum, sed omnium sanctorum suis replet donis omnipotens, & dirigit ad meliora. Locus iterũ est de dei prouidentia, & contra liberum arbitrium.

2 Omnis uia uiri recta sibi uidetur: appendit autem corda dominus.

Iudiciũ carnis.

Non secundum iudiciacarnis iudicandi sumus, sed dei infallibili sententia & iudicio. Nihil quidem ut nobis conscij simus, non tamen in hoc iustificati sumus. Est uia & conuersatio quæ homini recta uidetur & iusta, sed ad perniciem tandem ducit. Facilis nobis sensus noster illudit. Hypocrisis imponit hominibus, & rectũ putat quod inuenitur obliquum. Non potest sensus humanus non sibi placere, iudicio proprio superbire & falli, sed iudicabitur olim dei uero iudicio. Nec iustũ uel probatum quiddam reperitur in homine, nisi dei tantum gratia & bonitate acceptatum.

3 Facere iustitiam & iudicium magis placet domino quàm uictimæ.

Credere se totum deo, & ex fide huiusmodi operari quæ deus præcepit, proximoq; seruire ad bonum, & sine querela conuersari apud deum & homines, est facere iustitiam. Iudicium facere, est improbare & persequi malum, contradicere falsitati, uindicare gloriã dei, impios impedire à malo modis congruis. Hæc deo longe magis placent quàm offerre pecudes, litare ouium sanguinem, operibus insistere electis à nobis, uel pro nostro arbitrio uiuere, uota offerre deo, de rebus uel nihil proficientibus, uel fieri non posßibilibus, uel à domino non institutis.

4 Exaltatio oculorum & dilatatio cordis, lucerna impiorum peccatum.

Impij peccant superbia mentis, fastidiendo humilia, latitudine cordis, curiosi rerum sæcularium & insatiabiles, præsumendo de proprijs uiribus, quorum omne studium peccatum est. Sicut contrà, pij per fidem oculos eleuant in solum deum, cordis latitudine dei prouidentiã complectuntur in omnibus, quorum lucerna est uerbum domini, ideo non peccant ad mortem.

5 Cogitationes robusti semper in abundantia: omnis autem piger (festinus) in egestate est.

Festinatio

Cum nimium festinatur in omnibus agendis, nihil proficitur, sed inuoluitur opus & impeditius procedit. Ideo festinus & piger hic pro eodem capitur. Docetur autem omni operi sedulo quidem insistendum, sed non festinandum plus æquo: sic in prophanis & religiosis studijs diligenter adnitendum, ne quid fiat tepide & per ignauiam, sed sedulo ac instanter, uerum cum discretione & sine tumultuosa festinantia. Non subito omnia subruenda, urgenda, sed cum modestia agendum in omnibus, maxime in emendandis moribus, ut diu continuari posßit studium boni: alioqui hæreditas ad quam festinatur à principio, in fine benedictione carebit.

6 Qui congregat thesauros lingua mendacij, uanus & excors est, & impingetur ad laqueos mortis.

Qui mendacio & imposturis ditari tentauerit, frustrabitur instituto suo, pericula mortis incidet, magistratuum iudicio obijcietur. Sic qui gentiliũ errores & scientiam animalem imbibunt, decipient semetipsos & alios, à uia uitæ & ueritatis errabũt, iudicabuntur à uerbo dei iudicio mortis ut impij, & dæmonum illusioni patebunt.

7 Rapinæ impiorum detrahent eos, quia noluerunt facere iudicium.

Impij nihil proficiunt iniquitate, iniuria & uastationibus suorum proximorum, sed decipulam sibi præparant qua illaqueabuntur, iniquitates enim suæ capient impium, & funibus peccatorum suorum quisque constringitur. Væ qui prædaris, nónne & ipse prædaberis? Qui enim dominum non uerentur, in suam perniciem insolescent, dum minime putant à domino disperduntur, quandoquidem iustum iudicium cum proximo, quod ilis dominus præceperat non fecerunt, sic patiemur ut egerant: noluerunt bonum, & elongabitur ab eis.

8 Peruersa uia uiri, aliena est: qui autẽ mundus est, rectum opus eius.

Hebræi uolunt peruersum hic hominem describi & iustum. Ille quidem nunc est quemadmodum uidetur hominibus

minibus uir probus ac iustus, nunc uero mutatur & fit alienus atq; desertor, sibijpsi dissimilis: hic uero semper & in omnibus operibus suis iustus perseuerat ac rectus. Alienus quoq; à deo peruersa operatur & uaria: pius uero semper iusta & recta. Ex fructibus autem arbor cognoscitur.

9 Melius est sedere in angulo domatis, q̃ cum muliere litigiosa, et in domo cõmuni.

Melior lite pax.

Satius est & felicius solitarium quempiam uel extra domum sub diuo habitare, quàm habitare in latissima domo & in multorum frequentia cum muliere litigiosa, morosa, imperiosa, cum quantalibet rerum abundantia. Docentur ex hoc uxores pacificæ ut sint, et cum suis maritis minime morosæ cohabitent. Simplicitas quoque fidei & uerbi dei præferenda est eruditioni sæculari & sensui carnis. Pietas cum quieta conscientia melior est hypocrisi cum cauteriata.

10 Anima impij desiderat malum, non miserebitur proximo suo.

Impius uacat charitate, sicut & fide, sine dei timore fertur ad iniqua, eius omnes cogitationes sunt pernicioſæ & impiæ, negligit proximum, soli sibi uiuit & seruit, cum unicuique deus curam mandauerit de proximo, & finem legis posuerit charitatem & scopum, deque sola proximi charitate iudex disquiret, pro quo & mortuus est Christus, exemplum seipsum præbens, ut mutuum diligamus. Sine fide autem nulla est sancta cogitatio, nec charitas.

11 Mulctato pestilente, sapientior erit paruulus: & si sectetur sapientem, sumet scientiam.

Exemplum

Eadem est in sententia cum uigesimaquinta parabola capitis deciminoni, derisore percusso. Si uiderimus improbos flagellari, contremiscamus ad iudicium Dei, & dei circa nos clementiam agnoscamus, aliorum malo erudiamur ad bonum, gratias habeamus ei, qui non permisit similia nos mala uel demereri uel incidere, non id nostris uel meritis uel uiribus tribuamus. Quod si nos deus corripuerit, pij patris disciplinam saluberrimam interpretemur, & humiliter amplectamur ac grati, quibus omnia bene cadunt, ut certi sint quoque de profectu suo & clementia dei, gaudentes & gratias agentes pro conformitate ad Christi domini passiones.

12 Excogitat iustus de domo impij, ut detrahat impios à malo.

Iudæi sic reddunt, Erudit iustus domum impij: deflectio impiorum ad malum. Iusti zelant ubique dum possunt pietatem & docent: contumax autem & infidelis quantumlibet iustum ac fidelem doctorem fuerit assequutus, non erudietur, quod fide & pietatis amore uacet, porcus potius margaritas calcat, non trahitur à patre, spiritu intus non docetur, quin duplo deterior fit. Quem enim deus despexerit, nemo hominum emendabit. Semen in petra non fructificat, etiam dei uerbũ optimum malis cedet in malum.

13 Qui obturat aurem suam ad clamorem pauperis, & ipse clamabit, & nõ exaudiet.

Clara sententia est ex parabola diuitis epulonis, qui quum Lazaro famelico & ægro micas negasset, iusto dei iudicio aquæ guttam impetrare non potuit. Qui etiam alienis peccatis affectu misericordiæ cõdolere non nouit, sed seuerius iudicare, is se ostendit nondum uitiorum fecibus carere, neq; auditu diuinæ misericordiæ dignum. Iudicium sine misericordia fiet illi, qui non facit misericordiam, Iacobi tertio. Relinque proximo tuo nocenti te, & tunc deprecanti tibi peccata soluentur. Ecclesiastici 28. Estote misericordes, &c. Remittite & remittetur uobis. Misericordia negata.

14 Munus absconditũ extinguit iras: & donum in sinu indignationem maximam.

Tam deo displicet acceptio munerum, quàm placet iustitia, ueritas & charitas, quarũ est exitiale uenenum. Ideo sæpe in scripturis reprehenditur & uellicatur ex obliquo & ex proposito, ut iusti regiminis exterminiũ. Intelligi tamen potest de eleemosyna, qua iram domini placare possumus, & uelut ignem extinguere aquas: quam Christus quoque uult fieri in abscondito, ut pater cœlestis reddat in abscondito, Matthæi sexto. Concludit, ait sapiens, eleemosynam in sinu pauperis, & hæc pro te exorabit, Ecclesiastici uigesimonono. Simplicius tamen indicat, ut is qui corrumpi se muneribus patitur, ea clam accipit, famam, gloriam, opes & obsequia aucupando, ut deserat ueritatem. Munera accipere.

15 Gaudium iusto est facere iudicium: & pauor operantibus iniquitatem.

Iustus hilariter, sponte & ex fide proximo cupit quod sibi uult fieri, unicuiq; quod suum est tribuit, nemini iniuriatur, quod est iudicium facere. Iniqui uero ægre ferunt æquitatem, & persequuntur: pius autem gaudium habet in spiritu sancto. Cum sit timida nequitia, dat testimonium in condemnationem. Semper enim præsumit sæua perturbata conscientia, Sapientiæ decimoseptimo.

16 Vir qui errauerit à uia doctrinæ, in cœtu gigantium commorabitur.

Qui aberrat à uera sapientia, qui uerbo dei non obediunt, habebunt partem criminis & pœnarum cum hominibus dissolutis, incompositis, impostoribus, cum dæmonibus & damnatis, cum filijs terræ. Dicit Syrus, Non pertinent ad beatos, id quod nomine רפאים explicari solet in sacris.

17 Qui diligit epulas in egestate erit: qui amat uinum & pinguia non ditabitur.

Gaudium non raro transfertur pro epulis à Hieronymo in prophetis & hic quoq;. Sic enim Hebræus habet, Vir indigens est qui diligit gaudium, & cætera similiter. Et est sensus, Redigitur sensim ad inopiam, qui in otio libidinatur, & sectatur delitias & gaudia uitæ carnalis, experietur miserias egestatis. Lautitijs incũbens depauperabitur. Iudæorum quidam contrarie exponunt. Vir, inquiunt, qui continet se & delitijs abstinet, qui non sectatur libidines, is uera gaudia assequetur: qui agit contra, comessator, ebriosus uel gluto, non ditabitur. Summa est, temporalibus esse ad necessitatem utendum. Epulæ insolentes.

18 ¶Pro iusto datur impius: & pro recto iniquus.

Vicissitudo

Dabit dominus impium redemptionem, commutationem, pretium atq; donum pro iusto. Quantumlibet enim iustum persequatur, & ipsum comprehensurus uideatur & superaturus, non tamen obtinebit, sed incidet in foueam & periculum quod parauit. Amon & Mardochæus exemplo sunt, Saul & Dauid, Pharao & Israël. Idem autem bis dicitur, explicandi gratia: sicut & supra 11. Iustus de angustia liberatus est, & tradetur impius pro eo: oculi enim domini super iustos.

19 Melius est habitare in terra deserta, quàm cum muliere rixosa & iracunda.

Cauendam docet morosam mulierem, & non temere ineunda cõnubia: quod si morosa contigerit, pro deo ferenda est, à quo datur, & in bono uincenda, exercitij causa sustinenda, dum interim dei prouidentia supportatur à malis grauioribus. Denique absterret mulieres ab iracundiæ uitio, ne sint intractabiles. Dicũt rixosam mulierem significare synagogam, uel actiuam uitam.

20 Thesaurus desiderabilis, & oleum in habitaculo iusti: et imprudens homo dissipabit illud.

Copia rerũ

Copia rerum utilium artificialium & naturalium est in habitaculo iusti, iuxta timorem dei, & sapienter uientis: dominus enim illi benedicit in omnibus: non est enim otiosus, non seruit uentri, non profundit substantiam suam ad uitæ lasciuiam. Stultus autem glutit & deuorat omnia, ebriosus, commessator & libidinosus, uastat & concoquit quicquid maiores collegerant. Exponunt Iudæi, Sapiens cogitat de oleo lucernarum noctu, ut lectioni instet sacræ: stultus cogitat de uino, uentris cura distringitur.

21 Qui sequitur iustitiam & misericordiam, inueniet uitam, iustitiam & gloriam.

Iustitia siue fides in deum, & beneficentia in proximum, probum faciunt, deo gratũ, & uere sanctum. Habent promissionẽ qui huiusmodi sunt de uita beata, præsenti & futura. Iusti enim habentur & sunt, digniq; uera gloria, quæ est seruire creatori. Fructus enim fidei & charitatis sunt uita beata, gloria uera, opes uirtutum. Vel sic, Qui à deo petit fidem & charitatem, ueram accipiet sapientiam: exemplo Salomonis, qui sapientiam postulãs eam accepit, & insuper uitam, gratiam & gloriam, famam & fortitudinem, & omnia assequutus est à domino.

22 Ciuitatem fortium ascendit sapiens, destruxitq; robur fiduciæ eius.

Nihil difficile est habenti fiduciam, nihil impossibile credenti, nulla fortitudo præualet sapienti. In bello sapientia plus ualet quàm uires. Humiliabit enim dominus quotquot in suis uiribus habuerint fiduciam. In summa: Damnatur audacia, sapientia commendatur. Exponitur ab alijs de Christo & mundo, de idolis, sapientia mundi, & cultu legalium.

23 Qui custodit os suum & linguam suam, custodit ab angustijs animam suam.

Cauendum docet à superfluo cibo & potu, colloquio quoque, quibus imminent mala multa & magna. Qui custodit os suum, custodit animam suam, supra capite decimotertio. Deniq; doctrina falsa & detractio honoris, atque temerarium iudicium, criminatio falsa, animam onerant & damnant: prohibe igitur linguã tuam à malo, & labia &c. Multa nimirum linguæ uitia & pernitiosa, lege Linguam Erasmi.

24 Superbus et arrogans uocatur indoctus, qui in ira operatur superbiam.

In ira superbiam facere, est impatientem esse, uelle uindicari de aduersario, iudicio dei resistere. Superbi sunt, qui perseuerãt in sua sententia, Temerarij qui per gunt ulcisci se modis omnibus, Contemptores, qui uerbo dei aduersantur, non credunt & contemnunt. Hæc autem secundum uim Hebraicam.

25 Desideria occidunt pigrum: noluerunt enim quicquam manus eius operari.

Nunc ista, nunc illa piger cupit. In desiderijs est omnis otiosus, optat multa, sed fugit laborem ut mortem, circa ardua segniter instando periclitatur. In periculis corporalibus piger non euadit interitum: & qui uocationi suæ non respondent, operi commendato non incumbunt, sedulo periclitantur.

26 Tota die concupiscit & desiderat: qui autem iustus est, tribuet, & non cessabit.

Continuat sermonem de pigro & iniquo, dicens eum Piger & perpetua concupiscentia laborare, saturari non posse, iniquus. uel satisfacere concupiscentiæ, ut aliena rapiat per impostu ras & malas artes. Iustus autem tantum abest, ut uelit rapere aliena, ut etiam liberaliter propria largiri desideret, & sine tristitia dare eleemosynam. Beatius est enim dare quàm accipere. Beatus homo qui miseretur & commodat, tota die in benedictione erit: tutò sua profundit, certus se non egestatem passurum.

27 Hostiæ impiorũ abominabiles, quæ offeruntur ex scelere.

Fructus bonus non est ex arbore mala. Non placet do- Oblatio iumino munus ab indigno. Respexit Abel & ad munera gratta. eius, ad Cain uero non respexit. Vade prius reconciliare fratri, & postea ueniens offer munus tuum. Misericordiam, id est, beneficentiã uolo, non sacrificium. Abominatur deus orationes fornicariorum, auarorum, otiosorum, infidelium, contemptorum uerbi dei: sic & eorum qui de rapina & male partis deo offerunt: nempe lachrymas pupillorum & oppressorum: tantum abest ut gazophylacio ecclesiastico inferri debeant furta, rapinæ, & pretium sanguinis. Qui enim offert sacrificium ex substantia pauperum, quasi qui uictimat filium in conspectu patris sui, Ecclesiastici 34. Immolantis ex iniquo, oblatio est maculata.

28 Testis mendax peribit: uir obediẽs loquetur uictoriam.

Qui in iudicio falsum testatur, à iudice & deo damnabitur. Qui uero solum audita loquitur, & ex aliorũ ore se loqui

se loqui testatur, is non poterit conuinci nec conuincere: sic Iudæi. Sed Philippus melius, Mendacium aliquando deprehendetur & coarguetur, sed qui prius auscultat quàm iudicet, eius sermo consistet, improbari non poterit: secus de illis, qui ignorata damnãt, audire nolẽtes.

29 **Vir impius procaciter obfirmat uultum suum: qui autem rectus est, corrigit uiam suam.**

Impius qui & dei uerbi contemptor, induratur in omne flagitium, ænea fronte pios inuadit, uiã iustitiæ persequitur totis uiribus: iustus autem & rectus formatur à deo in uijs suis, non uincitur ab impijs, proficit feliciter, bene collocat mores & studia sua. Exemplum impiorum procacium, Cain & Iudas, Saul & Iudæi, de quibus Isaias, Durus es tu, & neruus ferreus ceruix tua, & frons tua ærea.

30 **Non est sapientia, nõ est prudentia, non est consilium contra dominum.**

Regimen diuinæ prrouidentiæ nulla hominum circunspectione, consilijs, prudentia, uiribus uel consilijs potest impediri. Cum enim maxime annittuntur, ut impediant, tum maxime promouisse deprehenduntur, ut fratres Iosephum, Saul Dauidem, Iudæi Christum. Vnde se mali erigunt contra dei dispensationem, inde uoluntatem dei felicius promouent. Iob quinto, Qui apprehendit sapientes in astutia eorum, & consilium prauorum dissipat. Dici potest aliter, Sapientia huius mundi inimica est deo, & stultia apud deum, nullius æstimationis uel pretij, nihil potest contra uoluntatem dei, cui omnia parent.

31 **Equus paratur ad diem belli: dominus autem salutem tribuit.**

Vult dicere, Equus paratur ad prælium, humana quoque circunspectio disponit necessaria ad uictoriam: sed nec quicquam obmittendum est eorum per quæ uincere potest exercitus iuste bellum tentans, ne dominum tentare uideatur, sed successus belli & victoria domino est committenda. Non enim in fortitudine equi uoluntatem habebit, neq; in tibijs uiri beneplacitum erit ei. Benedictus dominus deus meus, qui docet manus meas ad prælium, & digitos meos ad bellum. Fallax equus ad salutem, in abundantia uirtutis suæ non saluabitur. Dominus refugium meum & liberator meus, &c. In deo meo transgrediar murum, ait uir sanctus, & homo secundum cor dei.

CAPVT XXII.

1 **Melius est nomen bonum, quàm diuitiæ multæ: super argentum enim & aurum gratia bona.**

Fama bona

Magnis opibus præferenda est fama bona, nomen laudabile, testimonium honestatis, & exemplum uirtutis. Fauor quoque hominum utilior est diuitijs. Commendat studiũ famæ & fauoris ex honesta conuersatione, beneficentia, uirtuosa uita, inculpatis moribus. Non propter famam & gratiam res proculdubio friuolas, sed propter innocentiã à deo nobis præceptam deo & hominibus, non beluis amabilem, propter charitatem proximi, qua lex uniuersa completur, & propter exemplum sanctimoniæ in gloriã dei. Eccl. 14. Curam habe de bono nomine, hoc enim magis pmanebit tibi quàm mille thesauri magni & pretiosi. 2. Cor. 2. Christi bonus odor sumus deo in his qui salui fiunt, & in his qui pereunt. Scruptura docet famam, opes, & gratiam hominum dona dei esse, ideo ordinanda in gloriam dei, non nostram. Hoc fiet, si nõ tam bonus haberi uelis, quàm ut bonum te exhibeas omnibus quibus potes.

2 **Dives & pauper obuiauerunt sibi: utriusque operator est dominus.**

Neq; diuitem honora propter diuitias, neq; pro inopia pauperem despice, quandoquidem utriusque creator & prouisor est dominus, à quo simul diuitiæ sunt & paupertas. Ipse est enim qui replet esurientes bonis, & diuites dimittit inanes: ideo cum fide & gratia suscipienda utraq;, simulq; dives & pauper amandus: utraque conditio boni cõsulenda, dives dispensando, pauper obsequendo.

3 **Callidus uidit malum, & abscondit se: insons pertransijt, & afflictus est damno.**

Prudentia humana.

Circunspectionem & prudentiam docet, quam donat dominus animantibus etiam irrationabilibus, qua nihil temere et tumultuarie agatur, sed iuxta uerbum dei, cuius licet prouidẽtia omnia disponantur, creaturarum tamen organis utitur, quas ad sui beneplaciti executionem ordinat uerbo suo, quod trãsgredi nemo debet. Stulti autem & inertes ac pueriles ignorantia stolidi, temere feruntur in omnia, pericula non aduertunt, uerbo dei non credunt, sine timore transgrediuntur præcepta naturæ & dei, ideo iuste pœnas incidunt insipientiæ, & præsumptionis damna reportant, ut sint inexcusabiles. Iudæi exponunt de scientia astrorum, qua præmuniuntur docti à futuris malis, superstitiosi, ut dudum & impij.

4 **Finis modestiæ timor domini, diuitiæ & gloria & uita.**

Propter humilitatem uel afflictionem datur timor dei. Anxia enim conscientia, & suijpsius uera cognitio timorem in homine pio excitat filialem, quem sequitur triplex præmium hic & in futuro. Donantur enim humiles & timentes deum rerum temporalium sufficientia, ut habeant quantum uolunt, quod impijs & superbis non contingit: gloria quoque uera, ut grati sint Deo & iustis hominibus: uitæ etiam iusta periodo, quum in dimidio dierum suorum impij auferantur, deo mortui & tremendo iudicio destinati. Significat עקב retributionem, eo quod, propterea, & in idem redit. Supplantationem quoque hoc loco quidam dicunt, quasi diuitiæ, gloria & uita supplantatio sint humilitatis & timoris diuini. Vera quidem sententia, sed non ex hoc loco desumenda.

5 **Arma & gladij in uia peruersi: custos autem animæ suæ longe recedit ab eis.**

Peruersus est, proximusq; periculo & damnationi, qui ad arma inferenda innoxijs propensus est, & ad in-

iuriam ac oppreßionem proximi. Qui gladium accipit, gladio perit. Viri ſanguinum & doloſi non dimidiabunt dies ſuos. Impij & peruerſi pios confodiunt, & illaqueant opinionibus, doctrinis, cõſilijs, traditionibus iuſtos: qui autem ſe muniunt uerbo dei, & doctrina pietatis, fugiunt & elongantur ab illis, ut ſint extra periculum.

6 (Prouerbium eſt:) Adoleſcẽs iuxta uiã ſuam, etiam cum ſenuerit, non recedet ab ea.

Eadem ſententia cum illa Horatij in Epiſtolis, Quo ſe mel imbuta recens ſeruabit odorem Teſta diu. A teneris adeo aſueſcere multum eſt. Educatio & diſciplina mores faciunt: & id ſapit unuſquiſq; quod didicit. Adoleſcentes igitur diligenter inſtituendi ſunt in ſanctis, & cor pueri uerbo dei præmuniendum eſt contra errores in fide & moribus. Educatio.

7 Diues pauperibus imperat: & qui accipit mutuum, ſeruus eſt fœnerantis.

Taxat uerbum dei tam diuites quàm pauperes. Diuites quidem, eo quod contemnant eos quibus largiuntur quos opprimunt poteſtate & uiribus. Exigunt quantũ extorquere poſſunt, eis quibus potius benefacere charitatis lege deberent & ſuccurrere. Pauperes autem diuitum placitis ſeſe inſyncere coaptant, adulantur, & tantiſper diligunt, donec munificentiam & dona experiri poſſunt, nõ charitate qua alter alteri gratis ſeruire debet. Ad Rom. 12. Qui impartit in ſimplicitate, qui præeſt in diligentia, qui miſeretur in humilitate. Et Deute. decimoquinto præceptum domini eſt, ut diuites pauperum inopiã ſubleuent, & ne quid ſubdole fiat ab utriſq;.

8 Qui ſeminat iniquitatem, metet mala, & uirga iræ ſuæ conſummabitur.

Qui præſtat occaſionem malo, ſentiet damna mali, qui docet iniquitatem uerbo & exemplo, is iudicium domini ſuſtinebit. Quæ ſeminat homo, hæc & metet. Iob 4. Vidi eos qui operantur iniquitatem, & ſeminant dolores, & metũt eos, flante deo periiſſe, et ſpiritu iræ fuiſſe conſumptos. Et uirga iracundiæ ſuæ conſummabitur, uel tranſgreßionis flagello, quo alios caſtigat conteretur & uapulabit. Generaliter dicit: Qui in contractibus per cupiditatem & auaritiam decipit proximum, ſuo tempore inſperato damno uindicabitur. Exemplum de Elimelech, Aegyptijs & Saule. Occaſio mali.

9 Qui pronus eſt ad miſericordiã, benedicẽtur: de panibus enim ſuis dedit pauperi.

(Victoriam & honorem acquiret qui dat munera: animam autem aufert accipientium.)

Gratioſus oculus, id eſt, liberalis & munificus animus uel homo benedicetur à deo & hominibus, ſicut duri & intractabiles paßim omnibus ſunt inuiſi. Dare de cibo ſuo pauperi, eſt proximi neceßitatibus occurrere, de ſuperfluo largiri egentibus, non otioſis, diuitibus, parаſitis, ſed pauperibus dicit. Victoriam & honorẽ, &c. Is uerſus non eſt in Hebræo. Senſus eſt autem, Obſequio & muneribus amici parantur, officijs quoq; obnoxij fiunt & deuincuntur, qui ſibi benefieri patiuntur.

10 Eĳce deriſorem, & exibit cum eo iurgiũ, ceſſabuntq; cauſæ & contumeliæ.

Contemptores uerbi dei & contentioſi ab eccleſia arceantur. Societas impiorum uitanda. Incorrigibilem docet negligendum, qui omnia ridet, à quo citius conuitia & ignominiam reportes & damna, quàm emendationis fructum. Ceſſante autem contemptu ceſſabit contentio, ſi ſcilicet impiũ deriſorem à te ablegaueris. Non enim capit in eo amor honeſtatis, qui peſtilens eſt & diſciplinæ contemptor.

11 Qui dilĭgit cordis munditiã, propter grãtiam labiorũ ſuorũ habebit amicũ regem.

Ad literam, Viri dextri, fideles, ſynceri, candidi, qui omnibus bene uolunt, uera loquuntur & ſentiunt, ſimiliter qui eloquentes, diſerti & ueraces ſunt, diliguntur à regibus, ut idonei cooperatores in regimine reipublicæ. Ornamentum ingens regni & reipublicæ eſt uir eloquens, ſapiens & bonus. Sapientia ſine eloquentia manca eſt: eloquentia autem ſine ſapientia nimium obeſt plerunq;, prodeſt nunquam. Nemo autem uere ſapiens, niſi qui etiam uir bonus eſt & iuſtus. Tales adeſſe regibus debent & amari. Non autem hypocritæ, ſimulatores, et proprij commodi ſectatores, & honorum affectatores. Et qui proprijs profeßionibus non ſatisfaciunt, quomodo regem in regni adminiſtratione commode iuuabunt? Vt ſunt epiſcopi nomine, et monachi uani in curijs principum. Senſus etiam eſſe poteſt, Non omnis eloquens regi placet, ſed qui fidus eſt, & corde candido. Eloquẽtia.

12 Oculi domini cuſtodiunt ſcientiã, & ſupplantantur uerba iniqui.

Approbat dominus ſi quis uera ſcientia uerborum dei doceat eccleſiam, huiuſmodi doctrinam promouet, confirmat, & fructuoſam facit, tanquam ſemen bonũ in bona terra à perito agricola ſparſum. Nihil enim ſine certo dei uerbo docent, ſtatuunt uel præſumunt: contemptores autem uerborum dei, & omnes impia docentes uel dubia ſubuertit & confundit, et ueluti zizania eradicanda igni adiudicat. Spiritus dei ſenſum carnis iudicat. Doctrina eccleſiaſtica.

13 Dicit piger, Leo eſt foris, in medio platearum occidendus ſum.

Refertur ad omnes qui uocationi ſuæ non reſpondent, non ſatisfaciunt officijs, qui labores utiles pro fratribus fugiunt, qui perſecutiones timent, pro ueritate & iuſtitia fidei & morum. Placet hic Gloſſa ordinaria, quæ habet, Timidus ad confitendum fidem quam corde tenet dicit, Non audeo fidem uel euangelium profiteri, ne me perſecutor puniat uel perimat. Timeo ad exercenda uirtutum opera prodire in publicum, ne forte me uel antiqui hoſtis aduerſitas grauior tentet, uel quilibet aduerſarius derideat, cõuitijs cõfundat, iniurijs afficiat, aut ſicut alios iuſtos tormentis cõſumat. Piger ait, leo foris eſt, in platea interficiar. Ad idem, Piger immodice timet labores & pericula, fides autem & charitas contendit magnifice. Contra pigritiam.

14 Fouea profunda os alienæ: cui iratus eſt dominus incidet in eam.

Scortationem interdicit, ut periculoſam corpori, uitæ & animæ, affert enim ſecum excæcationem intellectus, indurationem affectus, contemptum dei & iram,

Transumitur etiam ad omnem impiam doctrinam, & ad sensum carnis, unde anima periclitatur, ne fornicetur à fide. Os quoque alienæ dici potest, eloquentia sæcularis, iuncta rationi carnis, quæ præcipitant in errores, & spiritui sancto resistunt.

15 Stultitia colligata est in corde pueri, et uirga disciplinæ fugabit eam.

Docet naturam humanam ab adolescentia propensam ad uitia & concupiscentiam, affectam ignorantia, insolentia, deprauatã fomite, rerum inexperientia, libidine, stultitia, superbia, inertia, lasciuia: ppter quæ omnia castiganda docetur uerbo dei, ne praua insuper consuetudine insolescat amplius. Sicut enim libertas est ubi regnat spiritus & charitas, sic uirga disciplinæ necessaria est sensualitati carnis qua coerceatur. Simpliciter uero monet, pueros disciplinis & præceptionibus maturè instituendos.

16 Qui calumniatur pauperem, ut augeat diuitias suas, dabit ipse ditiori, & egebit.

Qui de pauperum rapina thesauros sibi reponit & auget, is à se ditioribus olim spoliabitur, ut quod non collegit Christus, auferat fiscus. Eadem mensura remetietur crudelibus & auaris: sicut fecerunt alijs, sic eis fiet.

17 (Fili mi) inclina aurem tuam, & audi uerba sapientium. Appone autẽ cor ad doctrinam meam,

Aliqui nostrorum nouum modum docendi hic Salomonem aiunt incipere, uel collectorem parabolarum, quod non uideo. Cui nostra translatio antiqua occasionẽ præstitit, abundans ex uerbo, Fili mi: quod & Syra translatio, quæ nostram sequitur, habet, cum nõ sit in Hebræo. Vtcunq; hoc sit, elegans est doctrina, quæ docet in hunc sensum, Diligenter quidem audias sapientum dogmata, sed solicite ea exige ad gnomonem scientiæ meæ, ne aliud tibi persuadeant, quàm quod à me didiceris, ne præferas hominum traditiones meis præceptis, ne obliuiscaris eorum quæ docco, utilium & ueræ sacrorum, sed sint fundata in lege mea quæcunque præceperis. Quæ sola scire, uenerari & seruare est esse à deo doctum. Qui uerba dei audit humiliter, & in obsequium fidei, humiliat sensum carnis, quæ soli sapientes intelligunt, magnificiunt, credunt, laudant & docent. Nec solum auribus percipiantur uerba dei, sed corde quoq; amplectamur: quando quidem ea sola scientia est, nosse deum, uenerari, colere, credere & sperare in eum.

18 quæ pulchra erit tibi cum seruaueris eam in uentre tuo, & redundabit in labijs tuis:

Si enim uerba mea ac sapientum grato affectu deuotaq; fide susceperis, & ut pretiosum thesaurum reposueris eloquia dei, apte etiam prodibunt ex labijs, & ad profectum audientium pertingent, magisterio spiritus sancti, qui disertas facit linguas infantium. Processus ergo sanctæ eruditionis est, ut primo inclinetur auris, id est, præparetur fides, & humilietur sensus carnis, deinde audiantur uerba ueritatis, tertio cordi inscribantur, quarto placeant & amentur, quinto seruentur memoriter, sexto apposite duce spiritus proponantur.

19 ut sit in domino fiducia tua, unde et ostendi eam tibi hodie.

Summa & scopus totius scripturæ, cuius assidue te commonefacio, est, ut fiduciam tuam totam reponas in domunum, credens te domino, & ea fide iustificeris, placeas domino, et sis gratus ut habearis sanctus. Etiam tu, truncata sententia subintelligendum, nihil aliud scias, cogites, obserues, non innitaris prudentiæ uirium tuarũ, sed uerbo dei & gratiæ, quibus tu totus impendeas.

20 Ecce descripsi eam tibi tripliciter, in cogitationibus & scientia,

21 ut ostenderem tibi firmitatem & eloquia ueritatis, respondere ex his illis qui miserunt te.

22 Non facias uiolentiam pauperi, quia pauper est: neque conteras egenum in porta:

Author scripturæ deus tripliciter eam scripsit, in lege, prophetis, & hagiographis. Salomonis etiam habemus quæ extant tria opuscula, Prouerbia, Ecclesiasten, & Cantica. Verum tripliciter accipi quoque potest pro multipliciter. Multipharium enim nobis deus reuelauit uerbum suum, & ab initio creaturæ indita est homini lex æquitatis, & reuelata fides qua saluaretur, deinde literis commendata per Mosen & per prophetas, donec uerbo suo misso in carnem, de omni ueritate & iustitia uera fideles edocuit. In his sit omne consiliũ piorum & scientia, ut præter hæc nihil proponant uel agendum uel discendum, sed omnis uoluntas, consilium et eruditio sit in sacris scripturis. In quibus solis discere licet certitudinem uerborum ueritatis, quæ sola sunt ueritas. Omnis enim homo mendax, qui & fallere potest, & falli. Ex his solis responsiones produci possunt quæremibus necessaria, utilia & certa: extra quas quicquid attuleris dubium erit, falsum & inutile ad salutem, nec firma fide credendum hominibus fidelibus. Ad eas enim exigi debet omnis humana eruditio uelut ad Lydium lapidem, ut sit doctrina certa & fidei stabilis.

Tripliciter data scriptura.

23 quia iudicabit dominus causam eius, & configet eos qui confixerũt animam eius.

Verbum Hebraicum קבע uarie exponitur, pro concutere scilicet, supplantare, rapere, uim facere, abripere. Dicerem ego indigne tractare aliquem, unde & prostibulum זונה commutata in ה. Commendat autem æquitatem, iustum iudicium, amorem proximi: damnat respectum personarum, uiolentiam & rapinas in pauperes, quos ut sibi relictos deus uindicat: oppressores autem & uim eis inferentes, uel indigne tractantes, ipse quoque opprimit & discerpit ob Christum pauperem, pro quibus animam dedit, quos familiares habet & filios regni ordinauit. Perdet igitur eos, qui uim illis intulerint.

24 Noli esse amicus homini iracundo, neq; ambules cum uiro furioso:

25 ne forte discas semitas eius, & sumas scandalum animæ tuæ:

Capite duodecimo stultus dicitur iracundus, & quintodecimo rixas prouocat uir iracundus, & decimooctauo dicitur, non posse sustineri. Ideo hic dicitur uitandus, ne eidem assimileris, ne pericliteris cum eo. Ira enim non operatur iustitiam, sæpe innocentes adducit ad crimen, quia dum plus iusto irascimur, & uolumus aliena coercere peccata, grauiora incidimus. Ideo Apostolus ait: Non uos uindicantes charissimi, sed date locum iræ. Resiste iræ si potes, cede si non potes, si præoccupauerit mentem iracundia, & ascenderit in te, non relinquas locum tuum, id est, patientiam: mitiga affectum tuum, ut non irascaris: aut certe iratus, ne peccaueris. Alia tamen ira est, quam patientia excitat: alia ad quam zelus imitat: illa ex uitio, hæc ex uirtute generatur. Si nobis & proximis peccantibus irascimur, non peccamus. Non commoueri malum est, sed irrationabiliter & nulla causa irasci peius. Contra iram.

26 Noli esse cũ his qui defigunt manus suas, & qui uades se offerunt pro debitis:

27 si enim non habes unde restituas, quid causæ est ut tollat operimentum de cubili tuo?

Noli temere te periculo exponere, fideiubendo, alioqui imprudentiæ tuæ damna tua culpa senties, ut scilicet indigeas tibi necessarijs, qui alteri ea spopondisti, ne alterius perfidia inconsulte graueris. Si uero tibi ad manum sint quæ proximo largiri uelis, & quibus potes carere, nõ spondeas de futuro, sed in promptu consulas fratri. Alioqui solius dei proprium est, futurorum dispensatio, quam qui hominibus tribuunt, ut præsidio hominis sese in futurum muniant aduersus fortunæ insidias, qui audent niti fidutiæ alienæ liberalitatis, hi peccant in dominum. Dandã non spondendũ.

28 Ne transgrediaris terminos antiquos, quos posuerunt patres tui.

Non occupes possessionem uicini tui uiolenter uel per insidias: noli augere rem tuam alterius iniuria. Glossa ordinaria, Non transgrediaris terminos catholicæ fidei, quos ab initio statuere ecclesiæ doctores, quos ego intelligo apostolos & prophetas. Quod quidem non obseruatum testantur hodierna studia, quum expenduntur et comparantur ueteres regulæ catholicæ fidei ad scholasticorum & uniuersitatum dogmata, & articulos Parisiensium, antiquorum quoque patrum Canones cum nouis Decretalibus. Transgredi terminos.

29 Vidisti uirum uelocem in opere suo: coram regibus stabit, nec erit ante ignobiles.

Qui solicite, fideliter et strenue agit negotia, nihil opportunum obmittens, is regum obsequijs adaptabitur, proficiet honore, fama & rebus. Loquitur de uelocitate non temeritatis & incogitantiæ sed strenuitatis & diligentiæ. De qua Ecclesiastici trigesimo primo, In omnibus operibus tuis esto uelox, & omnis infirmitas non tibi occurret. Segnities carnis ad bona damnatur. De apostolis regibus nihil hic dicitur, ut uoluerunt alij.

CAPVT XXIII.

1 Quando sederis ut comedas cum principe, diligenter attende quę posita sunt ante faciem tuam,

2 & statue cultrum in gutture tuo, si tamen habes in potestate animam tuam.

3 Ne desideres de cibis eius, in quo est panis mendacij.

In consessu magnatorum obserua disciplinam & modestiam, maxime uero in mensa, ne tunc gulæ indulgeas, ne in delicatiora te effundas, & ganeorum more eligas ex melioribus. Pauca loquaris & circumspecte, ubi periculum imminet ex accumbentibus ab ebrietate: si tamen uitæ tuæ habeas rationem & famæ, quæ illic maxime periclitari consueuit, ubi & assiduus cibus est, non nisi mendacia, detractiones, turpiloquia, derisiones, &c. quibus interfuisse periculum est. Eadem sententia legitur Ecclesiastici 31. Supra mensam magnam &c. Nec humilis hic literæ sensus contemnendus est, cum & Christus similia docuerit Pharisæos, de consessu conuiuij honorabiliore nõ eligẽdo. Potest tamẽ exponi paulò altius, ut sedere apud principem in mensa, sit conuersari cum primoribus regni, communicare consilia, periclitari de uerbo, uita & opere, ibi necessaria est fides in agendis & summa dexteritas, ueritas quoq; in opere & sermone, quod omnia sint illic plena periculis, ambitione, inuidia, simultatibus & derogationibus. Gulæ non indulgendũ.

4 Noli laborare ut diteris: sed prudẽtiæ tuæ pone modum.

5 Ne erigas oculos tuos ad opes quas non potes habere: quia facient sibi pẽnas quasi aquilæ, & uolabunt in cœlum.

Finis laboris à deo præcepti constituatur non cupiditas diuitiarum, sed fides & obedientia in domini uoluntatem, ut labor ille benedicatur ab eo qui præcepit, in quem iacta cogitatum tuum. Modus quoq; ponendus est intelligentiæ, ut ad sobrietatem sapias, & ad obsequium fidei humilietur sensus carnis. Noli subleuare eatenus oculos tuos, ut insatiabiliter cupias quæ desunt. Non cogita quãta non habeas, sed quibus carere possis. Non est uirium tuarum, ut ea cõsequaris quæ cupis, omnia enim diuina cunctis dispensatione obuenium: quæras potius regnum dei, adimplens domini uoluntatem, & hæc omnia adijcientur tibi. Non facias tibi pennas ut aquilæ: noli ad altiora contendere quàm consequi possis, nihil enim uiribus tuis efficies. In cœlũ euolabit: etiam si consequutus fueris diuitias elabentur, disperibunt, euanescent: quanto magis desyderabis & insequeris, tanto minus assequeris. Deo potius omnia sunt committenda, fides exercenda, euentus omnes læti & tristes æquanimiter ferendi. Possunt hæc omnia de spiritualibus diuitijs intelligi, ut altiores sciẽtias nõ supra uires inquiramus. Inscrutabilia dei iudicia & arcana non inuestigemus, sed ad sobrietatem sapiamus. Altitudinem diuitiarum sapiẽtiæ & scientiæ dei reuereamur, potius quàm assequi maniter pertentemus & frustra. Modus ponendus in omnibus.

Ne

6 Ne comedas cũ homine inuido, & ne de
sideres cibos eius:
7 quoniam in similitudinem arioli & con-
iectoris æstimat quod ignorat. Comede &
bibe dicet tibi: & mens eius non est tecum.
8 Cibos quos comederas euomes, & per-
des pulchros sermones tuos.

Contra inuidiam.

Inuidia hominis maxime relucet ex oculis. Cauendum omne commertium inuidi. Habet enim mentem obsessam quasi fatidico dæmone, qui horripilationem inducere possit, soletq; ex animo odire te, licet uerbis te ad conuictum inuitet. Cura igitur ne blanditijs eius uelut hamo capiaris, & opprimaris incautus ad periculum uitæ & rerum, si cœperit calumniari insidiator & inuidus, quicquid à te est simplicissime dictum uel factum. Statum inuidi hominis lege elegantissime apud Mantuanum Baptistam. Glossa habet, Ne de scripturis cum hæretico loquaris, qui mauult decipere quàm corrigi, æstimat quæ ignorat, ut libet interpretatur quæ non intelligit in scripturis. Securus, inquit, disce & age quæ doceo, sciens se finxisse quæ docet. Sensus, ait, peruersos quos didiceras recanta, ne pro his post mortem pœnas sustineas.

9 In auribus insipiẽtium ne loquaris: quia
despicient doctrinam eloquij tui.

Vbi non est auditus, ibi ne effundas sermonem, Ecclesiastici trigesimosecundo. Nolite sanctum dare canibus. Immundis hominibus arcana ueritatis non ingeras. Cum dormiente loquitur qui narrat stulto sapientiam, et in fine narratiõis dicet, Quis est hic? Ecclesiastici uigesimosecundo. Admonet ne amore uanæ gloriæ seductus, immundis hominibus passim arcana ingeras ueritatis.

10 Ne attingas paruulorum terminos, & a-
grum pupillorum ne introeas:
11 propinquus enim illorũ fortis est, & ipse
iudicabit contra te causam illorum.

His uerbis eandem sententiam replicat quam supra uigesimosecundo capite, Para. 24. pro prima parte, cui tamen alia hic quoq; adnectuntur. Vult autem agros nõ extendendos cum proximorum damo uel iniuria, maxime imbecillium pupillorum & uiduarum, quorum dominus tutor est fidelis, & uindex fortis: quorum ad maxillam lachrymæ descendunt, & exclamatio eorum usque ad cœlum pertingit, & dominus exauditor est, Ecclesiastici trigesimoquinto, Esaiæ quinto & decimo, Deuteronomij decimo, Psalmo nono, sexagesimoseptimo, centesimo quadragesimoquinto.

12 Ingrediatur ad doctrinam cor tuum, &
aures tuæ ad uerba scientiæ.

Disciplinam domini, admonitionem per uerbum Dei uel flagella corde percipias. Animaduerte quid tibi faciendum, quæ dei uoluntas, quomodo priora mala cuadas, & ad anteriora conuertaris. Auribus percipe uerba scientiæ, doctrinam sacram obedienter amplectere, aures ad audiendum uerbum dei humilientur, disciplinæ subdatur nostra sensualitas.

13 Noli subtrahere à puero disciplinam: si e-
nim percusseris eum uirga, non morietur:
14 tu uirga percuties eum, & animã eius de
inferno liberabis.

Iuuentutis institutio.

Necessaria est iuuentuti educatio & institutio, ut naturæ malitia cohibeatur freno disciplinæ. Sit aũt rationabilis & moderata cũ debita mãsuetudine, ut magis ducatur ingeniũ q̃ trahatur: nisi improbitas aliud suadeat et contumax indoles. De hoc supra cap. secundo, tertio, decimotertio, decimoquarto, uigesimosexto. Qui diligit filium suum, assiduat illi flagella, ut lætetur in nouissimo suo, & non palpet proximorum ostia. Qui docet filium suum, laudabitur in illo, & in medio domesticorum in illo gloriabitur. Ecclesiastici trigesimo, multa ad idem legis.

15 Fili mi, si sapiens fuerit animus tuus, gau-
debit tecum cor meum:
16 & exultabunt renes mei, cum locuta fue-
rint rectum labia tua.

Loqui recta.

Specimen sapientiæ & modestiæ in filio maximeexhilarat patrem & oblectat, qui in filio quasi superuiuere uidebitur in gloria & honore. Rectitudines loqui, est utiliter utilia proponere, & prudenter uerbis rationabilibus consequi, & quæ ad dei gloriam pertinent & Reipub. commoda posse persuadere. Interim hortatur filios, ut uirtutes & sapientiam maiorum æmulentur.

17 Non æmuletur cor tuum peccatores, sed
in timore domini esto tota die:
18 quia habebis spem in nouissimo, & præ-
stolatio tua non auferetur:

Exemplum malum.

Noli peccatorum multorum exemplo conuerti ad malum, sed perseuera in timore dei semper, certum tenens post hanc uitam te manere retributionem bonorum & malorum: non enim anima mortalis est ut pecudum. Ideo omnem fidutiam in deum reijciens, non falleris, non confunderis. Beatus uir qui sperat in dominum. Beati omnes qui confidunt in eum.

19 audi fili mi, & esto sapiẽs, & dirige in uia
animum tuum.

Tam frequens agnominatio filiationis, dei bonitatem commendat, amorem & beneficentiam, promissam hæreditatem, beneficiorum memoriam: augere debet nobis fidutiam, obedientiam, studium diuinæ legis, profectum in uera sapientia, que est beatitudo uiri sancti, de qua Psalmo primo.

20 Noli esse in conuiuijs potatorum, nec in
comessationibus eorũ qui carnes ad uescen
dum conferunt:
21 quia uacantes potibus, & dantes sym-
bola, consumentur, & uestietur pannis dor-
mitatio.

Ebrietas damnatur.

Absterret ab ebrietate & crapula, quibus res familiaris periclitatur & minuitur, honestatis fama euanescit & succedit probrosa egestas, digna contumelia, contemptoribus disciplinæ & uirtutis. Cauenda docet animalia uentris, quæ dominus iudicabit egestate & contumelia. Ebrietatem enim sequitur otium iners, somnus, insania & cædes, uel inepta lætitia.

22 Audi patrem tuũ qui genuit te: & ne contemnas cum senuerit mater tua.

Pietas in parentes.

Obedientiam & obsequium iniungit filio respectu utriusque parentis, iuxta carnem & spiritum. Et quanto mater ob senectutem deficiente forma & uiribus, marito fortassis fit ingratior, tanto filius eam propensius ac syncerius honorare & consolari debet: tantum abest ut contra naturam contemnat & exosam habeat, uel aliquantulum morosam pro senectute ferre nolit, quæ tot molestijs & amoribus nutriuit & educauit, beneficijs obruit, quibus comparari non potest aliquod officium uel obsequium filiorum. Hugo hoc loco dicit, Ecclesiam edentulam, uel putridis dentibus & confractis, scilicet doctoribus, qui cibum corporis male masticant. Item rugosam, in simulatoribus & hypocritis. Sterilem quoq; quia spadones patitur maritos, ad libidinem tantum aptos, non ad generationem. Hæc Cardinalis ille de sua ecclesia.

23 Veritatem eme, & noli uendere sapientiã, & doctrinam, & intelligentiam.

Quæ docenda.

Temporalia liberaliter repende ei, qui impartitur spiritualia. Ad Galatas sexto, Communicet autem, &c. Et non uende. Doce quos potes liberaliter & fideliter: primo sapientiam, ueram pietatem & uerbi dei intellectum ac amorem: secundo loco disciplinam & bonos mores, carnis mortificationem, & sensuum reformationem. Auerte, inquit, oculos meos ne uideant uanitatem. Sepi aures tuas spinis, linguam prohibe à malo. Tertio, eruditionem & intelligentiam: non sunt negligenda bona studia, liberales disciplinæ, scientia rerum naturalium, miracula naturarum & opera dei gloriosa. Ea enim post priora prosunt & ornant, si ad sobrietatem discantur.

24 Exultat gaudio pater iusti: & qui sapientem genuit lætabitur in eo.

Matrimonij sancti finis.

Finis sancti & à deo instituti matrimonij est proles naturaliter generanda, nutrienda, in sanctis moribus & dei cultu diligenter instituenda, de qua pater corã deo & hominibus gloriari potius possit, quàm de diuitijs, fortitudine aut pulchritudine. Duplex interim notatur paternitas, morum & eruditionis, cum sanctitate uitæ, & scientia uerbi dei: uel si quis naturaliter iuxta corpus genuerit. Ad Galatas quarto: Filioli mei quos iterum parturio, donec formetur Christus in uobis.

25 Gaudeat pater tuus, & mater tua, & exultet quæ genuit te.

Ad filium sermo fertur, ut honestatem discat & sapientiam, ne molestiam ingerat parentibus insolentia uel stultitia sua: sed magis gaudeant de profectu pater & mater. Gaudeat de laude digna, unde spem concipiant uitæ melioris, & famæ honestæ post fata.

26 Præbe fili mi cor tuum mihi, & oculi tui uias meas custodiant.

Cor præbere.

Præbere cor, est syncere diligere, acquiescere monitis, ex corde gratificari, affectu & obseruantia. Vias approbare, est iustæ conuersationis æmulari exempla. Vnde & summum studium sit parentibus, uirtuose uiuere, ut filios sibi similes aspicere non erubescant. Factis igitur & moribus magis quàm uerbis instituendi sunt filij. Spiritualius dici potest de patre deo, qui fidem cordis & amorem exigit, ac spiritualem cultum, non opera & uerba sine fide & corde, & ut prouidentiæ suæ nos totos committamus, non murmuremus contra Dei iudicia, sed ut uera, iusta & sancta suspiciamus, diligamus & approbemus.

27 Fouea enim profunda est meretrix, & puteus angustus aliena.

28 Insidiatur in uia quasi latro, & quos incautos inuenerit interficiet.

Scortatio cauenda.

Primum & perniciosum periculum in primis cauendum filio suadet, Scortationem: dicens scortum esse instar profundæ foueæ, in quam facile iuuenis cadat imprudens & insolens, sed emergat difficile uel cuadat, funibus cupidinum & insani amoris constrictus. Sed & angustus puteus est, quo non liceat secedere uel explicare sese, donec ipsa permiserit. Denique agglutinare sibi studet animos adulterorum, ut uxores deserant, & per lenocinium uerborum & libidinum prædatur incautos, & insidijs rapit & prouocat. Per meretricem intelligunt eruditionem sæcularem, sapientiam carnis, philosophiam, & gentilium literas, pernicioſe allicientes ingenia curiosorum, & abstrahentes à sapientia dei, à sacris literis & necessarijs studijs, per eloquentiam authorum, & uerborum floseculos. Cum simplicitas styli familiaris sit spiritui sancto & synceræ ueritati, quæ sermonis elegantia non eget ut falsitas.

Sapientia sæcularis.

29 Cui uæ, cuius patri uæ, cui rixæ, cui foueæ, cui sine causa uulnera, cui suffossio oculorum?

30 nónne his qui commorantur in uino, & student calicibus epotandis?

Cõtra ebrios tacetur.

Inquirit Salomon, quibus sceleribus pœna corporis maxima debeatur: & respondet, His qui ebrietatem sectantur, qui certant epotandis calicibus, qui exhauriunt quicquid infunditur. Incidunt enim dolorem corporis, insaniam mentis, rixas temant, cædes committũt, ac sentiunt uulnera. Foueas quoque dum incauti palpitando præ uertigine capitis incidunt. Deficit uisus exterior ac interior. Rubescunt præ uini potu oculi, & quasi prominent, stoliditatem temulenti capitis protestantes. De quibus Isaias quinto capite, Væ qui potentes estis ad bibendum uinum, & uiri fortes ad miscendam ebrietatem. Qui electiora uina passim exquirunt, & si ne mensura pro ingluuie potant.

31 Ne intuearis uinum, quando flaueſcit, cũ splenduerit in uitro color eius: ingreditur blande,

32 sed in nouissimo mordebit ut coluber, & sicut regulus uenena diffundet.

Noli irritare gulam, ut præter necessitatem & utilitatem bibas, quod non faciunt bestiæ. Solus homo sine siti

sitibibit & ex libidine. Speciem & uires uini non desideres, sed sitim tantum extinctam cupias. Non colorem, saporem uel odorem uini perquiras, ne ab eo uincaris. Quem enim Sodoma non uicit, uinum uicit. Vinum & mulieres apostatare faciunt etiam sapientes. Ideo & Rechabitæ uinum non biberunt. Ne inebriemini uino, ait Apostolus. Hinc enim leuitas cordis sequitur & stultiloquium, ineptiæ, turpitudo, luxuria, blasphemiæ, complexionis naturalis iactura, & graues ægritudines.

Vini petulãtia.

33 Oculi tui uidebũt extraneas, & cor tuum loquetur peuersa.

Quandoquidem euaporatio uini confundit phantasmata capitis, ut extranea se ebrius uidere putet, cor quoque aduersa loquitur, sine ratione & ueritate. Si de alienis mulieribus loquitur, æque uera est & clara sententia. Penè enim naturale est uitium, post ebrietatem peruenire primum ad concupiscentiam mulierum & libidinis. Venter enim mero æstuans cito despumat in libidinẽ. Libido comes est ingluuiei: sed & ebriosus ex stultitia cordis peuersa loquitur, secreta prodet. Sicut sobrietas mater est uirtutum: sic ebriositas uitiorum.

Vinum & concupiscentia.

34 Et eris sicut dormiens in medio mari, & quasi sopitus gubernator amisso clauo, (& dices,)

35 Verberauerunt me, sed non dolui: traxerunt me, & ego non sensi: quãdo euigilabo & rursus uina reperiam?

Pergit ebrietatis incommoda ac probra describere, dicens, Eris nutabundus ex omni parte, non ualens subsistere, casum semper minitans, deque submersione anxius, ueluti qui inter fluctus marinos nauigat inquietus, undique impellitur à fluctibus, & sicut dormiens in suprema parte nauis ubi funes conueniunt, & ideo חבל malum dicitur: uel in antemna transuersali ligno, ex quo uelum pendet, sine omni quiete & tranquillitate iactatur ad flatum uenti. Percusserunt me, dicere poterit ebriosus huiusmodi, sed totus factus uino insensibilis ut lapis & stipes, sine ratione & sensu: ut nihil cupiat, loquatur & faciat, quàm ingurgitare uinum, nihil quoq; somniat præter uinum & ebrietatem. Allegoriam huius loci à uigesimonono uersu alijs permitto. Mihi utilis uidetur literalis hæc doctrina, de ebrietate fugienda, quam sequuntur uitia multa & crimina, ut ira, luxuria, cæcitas, stoliditas, turpitudo, consuetudo pestilens, stulti loquium, scurrilitas: & quid non?

Ebrietatis incommoda.

CAPVT XXIIII.

1 NE emuleris uiros malos, nec desideres esse cum eis:

2 quia rapinas meditatur mens eorum, & fraudes labia eorum loquuntur.

Noli sectari mores ac studia eorum hominum, qui malis incumbunt artibus, qui uacant luxui, ebrietati, lusibus & otio: familiaritates eorum abomineris, Corrumpunt enim bonos mores colloquia praua. Et qui tangit picem, inquinabitur ab illa. Qui superbis communicauerit induet superbiã. Infirmis præcipue uitanda sunt contubernia prauorum, ne mala quæ frequenter aspiciunt & corrigere non possunt, imitari incipiant. Quum enim propria bona per luxum prodegerint, aliena sibi rapere meditantur, quo libidini satisfaciant, cui assueuerunt. Turpia solum colloquuntur, qui nihil nisi spurca didicerunt. Cauẽdi sunt itaq; impij, nec eorum exemplo utendum, neq; res ipsorum secundæ sectandæ.

Societas pernicio sa.

3 Sapientia ædificabitur domus, & prudentia roborabitur.

4 In doctrina replebuntur cellaria, uniuersa substantia pretiosa & pulcherrima.

Pij proficiunt spiritualiter & tẽporaliter per donum sapientiæ, intelligentiæ & discretionis. Solidæ opes & fortunatæ, non parantur ex rapinis & fraudibus, promouetur cognatio & familia uirtutibus, & morum præcipua nobilitate, fama honestatis, & iustis diuitijs, confirmantur bono regimine, & augentur. Quarum usus pertinet non solum ad necessitatem, sed etiam ad honestatem ac temperatam uoluptatem. Omnibus enim bene utuntur, temperate, sine solicitudine molesta uel nimia, sineq; abusu superfluo. Benedictio enim domini diuites facit, nec patitur necessarijs indigere.

Solidæ opes.

5 Vir sapiens fortis est: uir doctus, robustus & ualidus:

6 quia cum dispositione initur bellum, & erit salus ubi multa consilia sunt.

Vir fortis est & robustus qui sapientiam iunxit fortitudini, qui autem inconsulte fertur ad omnia, infeliciter aget. Et uir discretus & circunspectus efficacior est in opere quàm robustus: plus enim in arduis discretio ualet quàm corporis fortitudo. Sic quoque qui sapiens quidem est, & domini uoluntatem cognouit, nisi is insuper strenue incumbat & fortiter agat, infidelis habebitur seruus domino suo, à quo habet quicquid potest. Quod ergo per sapientiam nouit, fortitudine exequatur. Denique dominus consilia hominum moderatur & prælia, ad suum beneplacitum. Vult tamen & præcipit ut nihil temere tentetur, sed prudenter & iuxta Dei legem omnia ordinentur, consilia hominum & opera, pace & bello. Quandoquidem consilio & uiribus humanis deus suũ opus perficit, tanquam proprijs instrumentis, quæ orationibus nihilominus uult impetrari deus, et à se solo, sine quo nihil possumus.

Fortitudo animi.

7 Excelsa stulto sapientia, in porta non aperiet os suum.

Longe excelsius & præstantius est totum sapientiæ negotium, quàm ut stultus illud capiat. Imò sapientiæ præcepta assequi non potest stultus. Inscrutabilia quoq; sunt humano sensui, qui iudicat ab externis, & improbat quæ carni aduersantur, cui desipit spiritus. Non uult nec audet sapientiam inquirere stultus. Inter sapientes ut mutus residet, quod est in porta non aperire os suum.

Sapientia ubi inquirenda.

In maliuolam animam non intrat sapientia. Consilia aũt sapientum quoq; recta non sunt, nisi iuxta uerbũ domini dirigantur. Potest tamen dici de stulto, Aperiet scilicet tantum os suum, & audietur quidem, sed nihil docebit, quod nihil sapiat, stultitiam magis prodat sine eruditione loquens. Allicit ergo ad amorem sapientiæ, ut scire possimus quæ bona sunt, & docere ignaros.

8 Qui cogitat mala facere, stultus uocabitur.

Qui non ex ignorantia uel casu, sed data opera et præmeditatus proximo aduersatur, digne sceleroſus uocabitur, non abhorrebit ab ullo crimine. Aliter dici potest, Non solum malus est qui peccat ex opere, sed qui malũ cogitat, peccareq; porponit, sceleroſus uocabitur. Sibi machinatur malum, qui author est sceleris.

9 Cogitatio stulti peccatũ est: & abominatio hominum detractor.

Quicquid sine uerbo dei agitur uel cogitatur, peccatum est. Qui sine timore dei est & fide, semper peccat. Omne quod non est ex fide, peccatum est. Qui præcepta dei contemnit, magistratui inobediens, abominatio est, non ferendus in republica.

10 Si desperaueris lapsus in die angustiæ: imminuetur fortitudo tua.

Fortitudo in aduersis.

Nihili reputabitur animæ fortitudo, si in aduersis parũ firmus perstiteris. Parum est in prosperis deo gratias agere, seruire, proficereq; in bonis: sed in persequutionibus mũdi, damonis, conscientiæ & mortis, sperare tunc & confidere, persistere in bono, hoc opus, hic labor est. In silentio & spe erit fortitudo uestra. Impij quum lædunter, furere incipiunt, uindictam meditantur: fideles autem in patientia possident animas suas, sustinent magnanimiter manum dei, cuius est ultio.

11 Erue eos qui ducũtur ad mortem, & qui trahuntur ad interitum liberare ne cesses.

12 Si dixeris, Vires non suppetunt: qui inspector est cordis, ipse intelligit: & seruatorem animæ tuæ nihil fallit, reddetq; homini iuxta opera sua.

Cura proximorum.

Primo docet habendam de proximo curam, quem ut seipsum diligat fidelis, à periculis seruet si possit, imò ut possit annitatur, liberet à uiolentia & iniustitia improborum, à periculo mortis: quanto minus occidere licet uel opprimere aut persequi? Non intelligitur de damnatis iusto iudicio, quos & aliquando lapidari præcipit à populo lex diuina. Sed de eis qui uiolentiam patiuntur ab impijs in rebus, fama & uita. Nemo æquanimiter ferat oppressionem quæ fit iusto, ne consentire uideatur: ideo sequitur, Si dixeris mentiendo uel dissimulando, non nouimus, hominum fortassis falles iudicium: commentitiam causam prætexere poteris, sed nõ latebis cordium omnium inspectorem, iustum iudicem, qui probat corda ac renes. Secundo docet crassam ignorantiam non sufficere ad excusationem. Tertio, deum esse cordium inspectorem, prouidentiam dei omnibus præsentem. Quarto, animæ nostræ & uitæ custodem deum esse, nunquam dormientem. Quinto, retributorem operum, ut uideamus opera necessaria saluandis. Exigit enim tam deus quam fides uera, opera uere bona, quæ scilicet deus præcepit. Nõ igitur excusatio manet eos, qui sinunt oppressionem ueritatem ac pietatem, quum uerbo possint ac facto occurrere, prædicatores uidelicet & gladij ministri, à deo instituti. Idem Ecclesiastici quarto, Libera eũ qui iniuriam patitur de manu superbi. Isaiæ primo, Quærite iudicium, subuenite oppresso, iudicate pupillo, defendite uiduam. Prima Ioannis tertio, Qui habuerit substantiam huius mundi, &c.

13 Comede fili mi mel, quia bonum est, & fauum dulcissimum gutturi tuo:

14 sic & doctrina sapientiæ, animæ tuæ: quã cum inueneris, habebis in nouissimis spẽ, & spes tua non peribit.

Comparat dulcissimo cibo melli & fauo doctrinam ueræ sapientiæ, qua deus cognoscitur & amatur, quã qui gustauerit magis amat. Oderunt autem qui ignorant. Ecclesiastici uigesimo quarto. Ex ea autem hauritur spes futurorum bonorum, & certa expectatio beatitudinis, spes autem non confundit: fidelis est enim & ipsa ueritas, qui promittit.

15 Ne insidieris, et quæras impietatẽ in domo iusti, neq; uastes requiem eius:

16 septies enim cadet iustus, & resurget: impij autem corruent in malum,

Cum sis impius, sine timore dei obsequens per omnia fomiti, sufficiat uel hæc tibi tua impietas, noli tecum pariter inuoluere iustum, ne illi ponas offendicula, non perquiras ansam calumniandi uel perturbandi requiẽ eius, noli contra te concitare irã dei, qui iustos diligit, & erigit elisos: de casu iusti non gaudeas, cadit enim sæpe circundatus carnis infirmitate. Non enim est iustus in terra qui faciat bonum & non peccet, etiam aliquãdo grauiter, ut humiliatus feruentior postea diligat, & cautior fiat, proximo peccanti clementior. Fidẽ autem non perdit, agnoscit cito reatum, ilico respiscit, toties resurgit quoties ceciderit: nõ cadit enim ad mortem, dño supponente manum. Cadere finit, iacere non permittit. Impij autem impingunt in suum malum. Casus illis non seruit in bonum, non respiscunt, non conuertuntur, nõ dolẽt, sine fiducia perseuerant in malo, quibus nihil cedit in bonum, etiam alioqui bonum.

Impios non promouere.

17 Cũ ceciderit inimicus tuus ne gaudeas, & in ruina eius ne exultet cor tuum:

18 ne forte uideat dominus, & displiceat ei, & auferat ab eo iram suam.

Condolendũ miseris.

De inimici quoque tui peccato, damno, miserijs ne læteris: ne forte si miserante deo, ut solet, ad pœnitentiam redeat & concilietur, erubescas ac confundaris. Condoleas magis & adiuua, ut commodius habeat, ne forte dominus in te uindicet, & te cadente periculosius, ille resipiscens sanetur. Micheæ septimo, Ne læteris inimica mea, &c. Ecclesiastici septimo, Non irrideas hominem in

in amaritudine animæ. Est enim qui humiliat & exaltat circumspector deus. Et eiusdem 27. laqueo peribunt qui oblectantur casu iustorum.

19 Ne contendas cum pessimis, nec æmuleris impios,

20 quoniam non habent futurorum spem mali, & lucerna impiorum extinguetur.

Societate, exemplis, improbitate malignorum, qui proximo dum possunt malefaciunt, & impiorum, id est infidelium nemo permoueatur, diuino sunt committendi iudicio. Cedat magis eorũ malignitas pijs in profectum, propter quod & à deo tolerantur ad tempus, donec compleatur iniquitatis eorũ mensura, & euanescat malitia, iudiciumq; dei durũ obruat imparatos & incorrigibiles.

21 Time dominum fili mi, & regem: & cum detractoribus non commiscearis.

22 Quoniam repente consurget perditio eorum: & ruinam utriusque quis nouit?

Timendus deus & mandatus. Ante omnia timendus deus, uerbo eius credendum, & obediendum mandatis. Deinde rex quoq; formidandus, ut dei minister, ad uindictam malorum, laudem uerò bonorum. Qui ipsum potius amare debent, ut protectorẽ, conseruatorem, pastorem & patrem, quo agente euadere possunt impiorum iniurias. Ad Romanos decimoterтio capite, Principes nõ sunt terrori bene agentibus, sed male, &c. Vide ibidem ad longum. Cauendi autem sunt magnopere seditiosi, rebelles, & perfidi contra magistratus & principes, quos deus ipse punit subitanea pœna, oppressione, ruina, uel cæde. Refertur שניהם utriusque, ad contemptores dei & hominum, qui fidem deo non seruant, nec iuramentum principibus.

23 Hæc quoq; sapientibus: Cognoscere personam in iudicio, non est bonum.

Personã accipere. Dupliciter accipi potest. Primò ut parabolæ duodecim quæ sequuntur, post priores à sapientibus inuentæ sint & comprobatæ, & in hunc locum compositæ. Secundò, parabolæ quæ sequuntur, maxime notandæ sunt sapientibus & iudicibus populi, ut iuste, sapienter & fideliter iudicent. Quarum prima est, Spectare personam in iudicio non esse bonum. Quotiescunque enim ueritas inquirenda fuerit, & æquitas in rebus agendis, non sunt spectandæ personæ, scilicet multitudo, consuetudo, sanctitas, felicitas, potentia, humana sapientia, sed uerbum dei, & ipsa iustitia ac æquitas, in cuius obsequium ratio naturalis subiuganda est, ut uerum, iustum, & æquum intelligatur, non fauor aut odium, donum uel damnum.

24 Qui dicunt impio, Iustus es: maledicent eis populi, & detestabuntur eos tribus.

Seditiosi qui sint. Seditionum causas præstant populo, qui palàm decernunt iniqua iudicia, qui tyrannico more ac uiolenter, contra sensum communem æquitatis, & contra fidẽ uerborum dei, inuertunt iudicium, persequuntur iustitiam & ueritatem, qui priuatum lucrum præponunt reipublicæ, honori uel utilitati, qui depeculantur fiscum, qui personas accipiunt, & largitionibus munerum excæcantur, ac discordias seminãt inter ciues, fautoribus tantum suis officia prouidendo.

25 Qui arguunt eum, laudabuntur, & super ipsos ueniet benedictio.

Libertas loquẽdi uera. Sicut odibilis est assentator, & peruersor ueritatis & iusti iudicij: sic amabiles sunt, qui libere, fideliter & amanter arguunt, corripiunt, cõmonefaciunt. Iac. 5. Qui conuerti fecerit peccatorem ab errore uiæ suæ, saluabit animam eius à morte, &c. Et 2. Tim. 4. Argue, obsecra, increpa, cum omni patientia & doctrina. Argue sapientem, & diliget te. Et qui corripit hominem, gratiam post ea inueniet apud eum, magis quàm ille, qui per blandimentum linguæ decipit. Corripiet me iustus & increpabit me, oleum autem, &c.

26 Labia deosculabitur, qui recta uerba respondet.

Gratiosus erit, qui humaniter, pacifice & commode respondet, malignitatẽ odiose quærentis euincet, qui pacifice ueritatem respondet, irritatum compescet, qui opportune occurrit. Decorũ est, si quis loquatur in tẽpore.

27 Prępara foris opus tuũ, & diligenter exerce agrũ tuũ, & postea ædifices domũ tuam.

Opera oportune fiãt. Opportune quæ sub diu facienda sunt peragas dum licet per temperiem aëris. Deinde quæ domi parãda sunt semper agere poteris. Eadẽ sententia qua Plinius dixit, Pessimũ patremfamiliâs, qui sereno die sub tecto potius operaretur quàm in agro, & qui interdiu faceret, quod noctu posset, lib. 18. cap. 6. Vbi quoq; cõmemorat, nequã agricolam esse, quisquis emeret, quod ei fundus præstare posset: peiorem qui festis diebus ageret, quod feriatis deberet. Sic dei præceptum & naturæ lex consentiunt, ut assidue laboretur, & labor unus alium non impediat, utq; otiũ uitetur, & prudenter opera ordinẽtur.

28 Ne sis testis frustra cõtra proximum tuũ, nec lactes quenquam labijs tuis.

Non te ingeras hostem ultroneum, contra proximum tuum. Nõ sis ꝓpensus in damnũ proximi: cupias prodesse multis, obesse nemini: cohibe linguã ne lactet, aduletur, decipiat, detrahat, conscientiam conturbet.

29 Ne dicas, Quomodo fecit mihi, sic faciã ei: reddam unicuiq; secundum opus suũ.

Non reddendum malum pro malo, non una impostura pro altera, uincendum potius in bono malum, quod longe est leuius & fructuosius. Vindicta de iniuria deo est permittenda, quam sibi quoque seruauit. Potest referri ad superiora de falso testimonio, de deceptione, ne uicem in huiusmodi rependamus.

30 Per agrum hominis pigri transiui, & per uineam uiri stulti:

31 & ecce totum repleuerant urticæ, operuerant superficiem eius spinæ, & maceria lapidum destructa erat:

32 quod cum uidissem, posui in corde meo, & exemplo didici disciplinam. (Vsquequo piger dormies, usquequo de somno consurges?) Parum inquam dormies, modicũ dormitabis pauxillum manus conseres, ut quiescas:

Pollicetur quidem deus se benedicturum terræ, & daturum nobis necessaria, & sine nostra solicitudine, sed

simul quoque sæpe laborem commendat, otiosos ubique damnat. Agriculturam autem præcipue imperat, tanquã probatissimã occupationem, ut Romanis quoque Rustica tribus nobilior fuerit, apud quos dona amplissima imperatorum ac fortium ciuium erant, quantum quis uno die circumarauisset. Agrum male colere censorium probrum iudicabatur. Et quem uirum, bonum colonum dixissent, amplissime laudasse existimabantur. Hinc locupletes, id est agri plenos dicebant. Vide Plinii libro deci mooctauo. Spiritualiter, Stultus qui uerbo dei caret, nihil fructificat, sine dei gratia mens nostra nõ fert nisi peccata, succumbit tentationibus, uastatur à feris, et fit, ut sola uexatio tribuat intellectum. Quod sequitur in nostris exemplaribus, Vsquequo piger, non est in Hebræo hoc loco, sed supra capite sexto habetur cum his quæ hic sequuntur.

Agricultura commendatur.

33 & ueniet tibi quasi cursor egestas tua, & mendicitas quasi uir armatus.

Docemur uerbo dei, id quod philosophi non tacuerunt, paululum somni, quietis, & recreationis uel solatij necessarium homini: ut somnolentiam, otium, pigritiam, & curam corporis non sectemur, alioqui paupertas subito ingruet & improuisa egestas. Vult nos esse spiritu feruentes, & sedulos in labore, docetq; male succedere studia illis, qui tractant ignauiter negotia.

Contra desidiam.

CAPVT XXV.

1 HAe quoq; parabolæ Salomonis, quas transtulerunt uiri Ezechiæ regis Iuda.

2 Gloria dei est celare uerbum, & gloria regum inuestigare sermonem.

Traditio est Hebræorum, sapientes regni Salomonis præmissas parabolas à principio libri collegisse in librũ, ex ore Salomonis excerptas: eas autem quæ nũc sequuntur, à sapientibus Ezechiæ fidelissimi regis conseruatas, ad illud tẽpus, & uulgo tritas adiunctas huic libro, æquales authoritate præcedentibus, quarum & maior sit difficultas, sensus obscurior, & secretiora forsan mysteria. Prouidentiæ diuinæ ratio eatenus incomprehẽsibilis est & incognita homini, ut eam admirari potius oporteat ac uenerari, quàm iudicare uel discutere: ut humilietur sensus carnis, & captiuetur in obsequium fidei. Gloriam dei uel ignorando cognoscat, et sciat se solum scire quod nescit. Vnica autem & præcipua regum gloria, firmaq; maiestas sit, inuestigare legem dei, à cuius manibus non absit Deuteronomion diuinæ legis, quam assidue meditetur, quid scilicet rex regum dominus uniuersorum præcipiat cui seruit. Quomodo iuxta dei uerbum, sic commendatis à deo sibi subditis præsit, ut maxime prosit in gloriam dei, non propriam. Non glorietur in diuitijs, exercitu, & gloria temporali, sed in pace & tranquillitate suorum gaudeat, in obseruantia mandatorum dei, in sancta ad deum conscientia: regulam iustitiæ teneant, & sequantur uerbum domini, quod & ipsimet inserere debent, & non pendere toti ex doctrina eorum quos deus nõ præfecit, & qui sua potius quærunt quàm regni, subditorum, & dei.

Libri diuisio.

Regum maiestas præcipua.

3 Cœlum sursum, & terra deorsum, & cor regum inscrutabile.

Sicut cœlorum altitudo terræq; profunditas uulgari modo loquendi, quem seruat scriptura, inuestigari non potest: sic nec cor regis, quando dei prouidentia mouetur & moderetur, ut nec reges ipsi in potestate sua habeant cor suum. Ducuntur enim ad exigentiam negotiorum communium, quæ cum in horas noua emergant, quotidie difficile quicquam certò proponant. Non sunt eorum secreta consilia inuestiganda, qui ut multis præsunt, sic multis quoque subsunt & obnoxij periculis, patentq; multorum inuidiæ, iudicio temerario & stulto. Non enim negotiorum suorum ratio paßim exponi debet, neque potest.

Regum cor filia.

4 Auser rubiginem de argento, & egredietur uas purissimum:

5 auser impietatem de uultu regis, & firmabitur iustitia thronus eius.

Docet reges & regna prosperari non posse, si ipsis aßistant impij, fastuosi, & auari consiliarij, pulchre uerò nitet & floret imperium, si pij, iusti, deumq; timentes regibus à consilijs sint & à secretis, in quibus sit ueritatis & uirtutis amor ac zelus, qui oderint auaritiam. Sicut enim rubigo ferrum absumit & argentum deprauat, sic mali regum assessores, diffamant ac fœdant subuertuntq; regnum. Ideo Dauid solicitus de stabiliendo regno filij Salomonis, abstulit uiros sanguinum. Filius uerò Salomonis, adhibuit sibi iuuenes & stultos coætaneos, quorum consilijs acquiescens perdidit regnum.

Regum consules.

6 Ne glorioßus appareas coram rege, & in loco magnorum ne steteris.

7 Melius est enim ut dicatur tibi, Ascende huc: quàm ut humilieris coram principe. Quæ uiderunt oculi tui,

Docet reuerentiam & obedientiam ad maiores, ne quis regi se præferat, æquet uel arroganter ingerat coram rege, ad loca honestiora non festinet nisi uocatus. Vtilis sententia, & non spernenda, quam & dominus pharisæis non erubuit uel dedignatus est obijcere, uidens certantes pharisæos de loco honorabiliore, ut similes sententias morales nos quoque & in alijs locis non spernamus. Denique coram deo nostro rege nemo se iactet de operibus & iustitia. Ecclesiasticos honores nemo ambiat. Tutius est humiliari quàm honorari. Periculosum est aßistere aulis principum, ubi regnat ambitio, odium, inuidia, &c.

Obedientia ad maiores.

8 ne proferas in iurgio cito: ne postea emendare non possis, cum dehonestaueris amicum tuum.

Noli certare ac litigare cum amico tuo, ne effluas incautus in iurgia, ne contumelia aspergas uel confundas. Non irrites amicum, ne experiaris inimicum. Facile lites oboriuntur, difficile finiuntur. Sic amico dissentias, ut redintegrandi amicitiam locũ relinquas, nempe sine contumelijs et contemptu, posteriorum memineris, quæ prodire solent ex rixa & animo concitato.

Cau-

9 Cauſam tuam tracta cum amico tuo, & ſecretum extraneo ne reueles:

10 ne forte inſultet tibi cum audierit, & exprobrare nō ceſſet. (*Gratia & amicitia liberant, quas tibi ſerua, ne exprobrabilis fias.*)

Componen de cauſæ.

Noli pro tuo iure contendere coram extraneis, incle mentibus iudicibus uel impijs, ſed nec omnino palàm li tiges & in foro, ſed magis priuatim cum ſynceris arbi tris cauſam compone cum proximo, quod & Chriſtus docuit, Matth. 5. Eſto conſentiens, &c. Vel aliter, Ne ſe cretas cauſas tuas pluribus committas. Noli in quaslibet aures exonerare quod te urit. Et quod ab amico ſecretū accepiſti, ſecretū ſerua. Sequitur, Ne forte probro te af ficiat, quem probitas commendare oportebat. Verbum enim חסר *quod germane probe agere ſignificat, in con trarium diffamare uel probro afficere hic ſonat: ſicut be nedicere uſurpatur alicubi pro maledicere, ut ſupra ca pite 14.* חסר *ſanctitas, pro execratione accipitur. Et dif famia tua non reuocetur. Vult dicere: Ne forte amicè te audire ſe fingens, auxilium & conſilium promittens, ma gis interim te tacitus ut improbū execretur, diffamiam tuam comminiſcatur & diſſeminet, quam nequeas reuo care. Volat enim irreuocabile uerbū. Similes ſententias plures legimus, Eccleſiaſtici capitibus. 6. 8. & 19.*

11 Mala aurea in lectis argenteis, qui loquitur uerbum in tempore ſuo.

Verbum in tempore.

Sicut poma pulcherrima & quaſi aureo colore ſpen denda duplo placent, ſi repoſita præbeantur in ſportula argentea, ſubtiliter & ingenioſe compacta, picta uel ſculpta, quod indicatur per uerbū Hebraicū מְשִׁבְּרוֹת: *ſic uerbum prudentiæ elegantius dicitur, prodit, & affi cit fortius, ſi opportunū ſit tempori, loco, rebus, & per ſonis, ſi ſcilicet eleganter opportuneq; proferatur, ſi ſu per rotam artificis idonei apte fingatur & quadret pro poſito.*

12 Inauris aurea, & margaritum fulgēs, qui arguit ſapientem & aurem obedientem.

Arguere ſa pientem.

Qui ſapientem & obſequentem arguit uel hortatur, is quaſi margaritam & nobile ornamentum collocat in ipſius faciem. Senſati hominis ſignum eſt, ferre monentē, ſicut præfracti ſunt & effrontes, diſciplinæ & cōmoni tionis impatientes. Deniq; nedum oneroſus non eſt, ſed perplacet uehementer, & auditur gratioſe, qui oppor tune, ſapienter, amicè, & ſynceriter arguit hominem ſa pientem. Et eccleſiæ nobile ornamentum eſt, prædicator & doctor ſapiens, qui unicuique loquitur ut decet & expedit. Prodeſt tam doctori quàm auditori populo ſer mo fidelis & circumſpectus, ſine affectibus iræ uel odij prolatus.

13 Sicut frigus niuis in die meſſis, ita legatus fidelis ei qui miſerit eum, animam ipſius requieſcere facit.

Vult dicere: Sicut nihil gratius æſtuantibus ex calore ſolis meſſoribus eſt, quàm refrigerium intenſi frigoris: ſic qui fideliter & ſedulo commiſſa peragit, qui quod ab homine expectatur diligenter & magnopere exequi tur & abſoluit, gratiſſimus eſt: quo contra, legatus pi ger tædiū affert his qui miſerant. Sedulitatem docemur in operibus charitatis & obedientiæ, & in negotijs rei publicæ. Non omnes parabolæ quadrant ad unguem.

14 Nubes & uentus & pluuiæ non ſequentes, uir glorioſus, & promiſſa nō cōplens.

Veritas in rebus.

Docetur ueritas in uerbo, fides in promiſſis, parcitas in ſponſione, ſedulitas in obſequio. Eſt enim qui pollice tur & non præſtat ſicut uentus ſine pluuia deſyderata, quam portendebat, & flos arboris ſine fructu promiſſo. Hypocriſis hic damnatur in opere, cultu et uerbis. Sicut Iudas Apoſtolus nominat prædicatores falſos nubes ſine aqua circumactos à uentis, arbores nudas abſq; fructu, ſine fide, charitate & timore dei, ſpeciem tantum ha bentes, & promittentes opera meritoria, cum ſint impij impoſtores, nihil niſi ſua quærentes.

15 Patiētia lenietur princeps: & lingua mollis confringet duritiam.

Lingua pla cabilis.

Princeps quamuis offenſus intolerabilia machinetur, non eſt reprimendus uiolentia uel contumelijs, ſed ſuaui tate ſermonis & patientia prudenti ad manſuetudinem reducendus, & iniuria potius ferenda, quàm per inobe dientiam peccandum: quandoquidem etiam diſcolis D. Petrus obſequi docet regibus. Mollis autem lingua cuin cet duritiam cordis, ad omnia ualet manſuetudo & pie tas. Molliſimum licet ſit lingua omnium membrorum, duriſſima tamen frangit ac uincit. Nihil eſt prudenti ſer mone potentius. Sermo ueſter ſemper in gratia ſit ſale conditus.

16 Mel inueniſti, comede quod ſufficit tibi: ne forte ſatiatus euomas illud.

Ne quid nimis.

Parabola eſt ad docendum ſobrietatem in omnibus obſeruandam, & ne quid nimis. Cibus quantumlibet ſua uis & amabilis, ſi præter menſuram ſumitur, obeſt. Etiā uinum optimum ſi immodice bibitur caput obturbat: ſic & ſpiritualis cibus doctrinarum ad ſobrietatem capte tur, & mente non niſi famelica. Simplici fide & pio ſtu dio cum timore uerbo dei eſt inſiſtendū. Non eſt ad curio ſitatem ſenſus trahendus quò libet, ſed humiliter ſequen da litera quò duxerit, tanto certè tutius quanto ſimpli cius. Quantum Chriſtianis obfuerit immodicus amor ſæ cularium literarum & philoſophiæ gentiliū, hodie ſen timus in dogmatibus Chriſtianis, ad noſtra uſq; tempo ra perſuaſis impie, uſque ad contemptum philoſophiæ diuinæ & ſacrarum literarum: ſicut & per nimiam ce remoniarum ſuperſtitionem profecimus uſque ad oblite rationem fidei, & uere bonorum operum donec ad im pietates peruenimus, ut pietas uertatur in quæſtum.

17 Subtrahe pedem tuum de domo proximi tui, ne quando ſatiatus oderit te.

Familiaris tas nimia.

Aſſidua familiaritate uileſcit etiam amicus, faſtidium tur noti, diligūtur abſentes. Nemo propheta acceptus eſt in patria ſua. Etiam uocatus tardior accedas ad honores, ad potentiam. Eccleſiaſtici 13. Ne ſis oneroſus amico, ca ue ab implorando importunius officio. Noli inueſtigare ſecreta proximi: nec temere te alteri credas uel inſinues familiarius.

18 Iaculum, & gladius, & ſagitta acuta, ho-

mo qui loquitur contra proximum suum falsum testimonium.

Nihil perniciosius & crudelius mendaci lingua, de industria fallente, contra agnitam ueritatem docente, de fide requisita respondente mendacium.

19 Dens putridus, & pes lassus qui sperat su per infideli in die angustiæ.

Fidendū nō omnibus.

Si quis habuerit fidem homini contemptori, spernenti scilicet necessitates fratrum, & incurio, qui tantum uiuit sibi ipsi: is assimilabitur denti putrido uel contrito, mandenti cibum duriorem, aut pedi lacero uel ægroto ambulantis. Cum enim eis uti uoluerit, non auxilium sed dolorem sentiet intolerabilem. Inquirendus est igitur amicus fidelis & benevolus, cui possis inniti tempore ad uersitatis, maxime autem Christo domino, non brachio carnis. Vana est enim salus hominis.

20 & amittit pallium in die frigoris. Acetum in nitro, qui cãtat carmina cordi pessimo.

(Sicut tinea uestimento & uermis ligno, ita tristitia uiri nocet cordi.)

Immūdis nihil mundū.

Idem est, auferre quempiam alicuius uestitum, & amittere, pro tanto eadem dicit translatio nostra & Hebraicum: ut uideatur esse sensus, Sicut acetum damnum infert nitro, & auferens uestem frigora patienti: sic cantans cantica non prodest ei qui malo est animo. Nihil enim prodest impio lectio legis diuinæ. Porcis nihil prosunt margaritæ, nec placent. Non est sermo effundendus ubi deest auditus. Nisi pater traxerit corda, frustra prædicabitur uerbum dei, cedit potius in malum, ut Iudæis. Nitrum nobis ignotæ naturæ, circa quod & philosophi lapsi sunt, teste Plinio, lib. 31. cap. 10. acrimoniam habet & iunctum aceto facit acerbius. In aquam positum qua si calx uiua crepitat & deperit, aquam autem habilē facit lotioni. Nitrum putant cretam esse. Difficilis est parabola, quam defero aptius exponenti.

21 Si esurierit inimicus tuus, ciba illum: si sitierit, da ei aquam biberet

22 prunas enim congregabis super caput eius, & dominus reddet tibi.

Vincere malum.

Docet apostolicum, uincere in bono malum, necessaria non negare etiam ingratis, non expectare extremam necessitatem. Non dicitur, Si fame moritur, si siti. Nec dicit, Quem tu odis, sed qui te odit: ut inimicorum quoque dilectio commendetur in opere. De cordis affectione lex nō præscribit Iudæis duræ ceruicis, sed de opere: nō uult aūt permittere uindictam uel gaudiū de inimici calamitate. Cumulare carbones in caput, est seipsum damnare, de propria iniquitate confundi, resipiscere de cordis duritia, quod beneficentia emollitur: sic de spirituali cibo uerbi dei gratis dando egentibus.

23 Ventus aquilo dissipat pluuias, & facies tristis linguam detrahentem.

Seueritas in malos.

Aquilonaris uentus terram siccat, & dissipat uentos pluuiales, sicut australis terram fœcundat, florere facit, & pluuias concitat. Lingua occulta, id est detractoria, quæ ueretur publicum. Qui malefacit odit lucem. Veritas autē prædicatur in tectis. Si hilari uultu audieris detractorē, tu illi ausum præbes detrahendi, & allicies. Ex benevolentia enim tua putabit gratificari se tibi, et reus peccati eris, uideberis consentire, putat te posse decipi, & eo magis audebit: si uerò uultu eum severo aspicias, obtendens dissplicentiam ex habitu faciei, resiliet detractor, discet non libenter dicere quod grauiter auditur. Ecclesiastici 28. Sepi aures tuas spinis, & noli audire linguam nequam. Cum detractoribus ne commiscearis, etc.

24 Melius est sedere in angulo domatis, quàm cum muliere litigiosa, et in domo cõmuni.

Compilatores libri.

Eadem est parabola, quæ capite uigesimoprimo fuit nona. Ex quo apparet has posteriores parabolas fuisse à principio in libello descriptas ex ordine, qui postea fuerit additus præcedentibus, tanta religione & fide, ut maluerit congestor Esdras uel alius sanctus, aliquas parabolas bis haberi in libro, quàm abbreuiare libellum, uel parabolam non suo loco seruari. Alioqui poterat à Iudæis dudum hoc loco obmitti, ne idem bis inutiliter repetitum uideretur: sed non licuit per fidem Iudæorum in libris & uerbis dei seruandis, quo magis nobis commendarentur.

25 Aqua frigida animæ sitienti, & nuntius bonus de terra longinqua.

Aqua frigida quæ sitienti ardorem sitis restinguit, & nuntius qui de longe noua expectata gaudia affert, assimilantur. Bona enim omnes desyderant, saltem audire gestiunt, si consequi nequeant. Sed Euangelium id magis probat, quod auditum conscientiam recreat anxiatam, gratia quoq; solatur animā: consolatio deniq; est ex uerbis dei petenda, non ex huius mundi fortunis & delitijs.

26 Fons turbatus pede, & uena corrupta, iustus cadens coram impio.

Fontis cura

Intolerabile ut est prouinciæ damnum si fontes destruantur uel deturbẽtur, quibus homines & pecora carere non possunt, unde recreantur in siti, unde conseruantur in uita: sic fuerit grande malum, sanctum uirum incidere in furorem & persequutionem hominum impiorum, patet de Elia, Mose, Dauide, prophetis, Christo, apostolis, & apostolicis uiris, etiam nostro tempore, quibus mundus non erat dignus, qui pro fide & charitate summa reportant indignam gratiam, & probrosissimam coram impijs mortem, quæ tamen pretiosa fuit semper, & est in conspectu domini. Si sal infatuatum fuerit mundi, in quo salietur? Si oculus nequam, totum corpus tenebrosum erit. Sunt enim sancti lux mundi, & sal terræ.

27 Sicut qui mel multum comedit, non est ei bonum: sic qui scrutator est maiestatis, opprimetur à gloria.

Verbi dei maiestas.

Qui nimium mellis comederit euomet illud, qui quæ supra captum hominis sunt, diuina inuestigare tentauerit, opprimetur à gloria dei. Qui humana ratione explorare conantur quæ sola fide capiuntur, incidunt in errores. Grauior est maiestas uerbi dei, quàm ut à carnalibus deprehendatur, & ualeat inuestigari sine humilitate fidei: fide sola deus, & quæ dei sunt suscipienda. Ad sobrietatem sapiendum in rebus diuinis & sanctis. Non est carnali sensu & concupiscentia uerbum domini gloriosum & nobile inuestigandum. Ecclesiastici 3. Altiora te ne

te ne quæsieris, & fortiora te ne scrutatus fueris.

28 Sicut urbs patens & absq; murorum ambitu, ita uir qui non potest in loquendo cohibere spiritum suum.

Loquacis & pernicios. Nihil in ciuitate tutum ac integrum fuerit uel relinquetur, muro carente, dum ingredi passim omnibus liceat: sic qui loquacitate prodit omnem spiritum suum, qui secretum non retinet, qui ex abundantia cordis temere effutit omnia, periculis maleuolentium inuoluetur. Non additur in Hebræo, In loquendo: sed generalius dicit, esse urbem sine muro qui se non potest cohibere. Munimentum non habens uerbi dei & fidei, sensum carnis cohibere non potest.

CAPVT XXVI.

1 Vomodo nix in æstate, & pluuię in messe, sic indecens est stulto gloria.

Honor stulto. Vtilis quidem est nix & pluuia, sed si in tempore eueniat. Corrumpuntur autem niuibus fruges tam adolescentes, & pluuiæ messem impediunt obsuntq; frumentis: sic honor & prælatura sapienti & probo conueniunt, non autem stulto & impio, qui delato honore inflatur, præsumitq; impossibilia, infert iniurias, pestis fit patriæ, ad docendum ordinatus decipit, dementat ac subuertit. Tales nullo honore digni, priuatim sua peragant, publicis functionibus inepti & pernicioſi. Officium docendi non committatur indoctis et insynceris, lædunt enim ecclesiam.

2 Sicut auis ad alia transuolans, & passer quò libet uadens: sic maledictum frustra prolatum in quempiam superueniet.

Maledicta simulãda. Vt nemo attendit uolatus auium temerarios, qui siue omni causa sese transferunt, & quo non putabantur residunt, nec nocent ut plurimum, si laqueis insident, nisi sibijpsis: sic maledictum inane cõfictum uel ementitum, non lædit nisi dicentem. Ideo negligendum, non uindicandum, non anxie inquirendum, fide potius in deum huiusmodi toleranda sunt, cui soli uindicta cedenda est. Benedictionum loco habeatur à pijs, si ab impijs maledicantur, in quos maledicta recidunt. Addit Sine causa. Quia Petrus Apostolus, iusta causa maledicens Ananiam occidit, & Paulus excommunicauit, sed peccatores, 1. ad Corinth. 5.

3 Flagellum equo, & camus asino, & uirga dorso imprudentium.

Stulto & uecordi qui seipsum uel non potest corrigere uel non uult, necessaria est disciplina flagelli, sicut supra dicitur, Virga in dorso eius qui indiget corde. Carnalis legibus coërcendus est. Libido frenanda abstinentijs & laboribus, populus & turba legibus indiget, ut omnes qui spiritu dei non aguntur, & non sunt filij, sed serui tantum.

4 Ne respõdeas stulto iuxta stultitiam suã, ne efficiaris ei similis.

Si te stultus opprobrio affecerit, cogita tu non quid illum sed quid te deceat. Caue ne tu quoque similiter stultescas, ne illius insaniam uincere tua uelis stultitia. Sapiens non est, qui insipientem ferre non potest. Si sapientia tua euincere illius stultitiam nequeas, nihil ei respondeas, ne pariter cum illo opprobrium feras. Aliter tamen agendum est cum indisciplinatis & errantibus, quàm cum incorrigibilibus.

5 Respõde stulto iuxta stultitiam suam, ne sibi sapiens esse uideatur.

Scripturæ quomodo exponẽdæ. Apparens hoc loco discordia literæ, prudenter monet & subindicat, scripturæ interpretationi circumspecte insistendum, quatenus de ipsius ueritate certi, sensum legitimum assequamur. Qui hic talis est: Si uoueris respondere stulto, ante omnia necesse est, ut suæ stultitiæ eum apertis rationibus commonefacias. Summa hic prudentia opus erit, nec id tentatur absque periculo, uerum deo placet, si cõmode insipientior ad saniorem mentem reduci tentetur, ut uel sero se desipuisse agnoscat. Sed cũ pertinacibus, rixosis & incorrigibilibus, ne perdas operam. Hæreticum post unam & alteram correctionem deuita. Noli alere rixas. Cum stultis ne disputes, ne ueritatem potius amittas quàm eruas.

6 Claudus pedibus, et iniquitatem bibens, qui mittit uerba per nuntium stultum.

Consilium stultum. Claudus pedibus uel obtruncatis dicitur, qui ad propria negotia bona sese reddit impotentem uel ineptum. Iniuriam ponere, est occasionem damni præstare, quod postmodum euadere non liceat. Vult dicere, Perniciem incidet & iniuriæ locum præbet, qui internuntio stulto utitur in negotijs, qui stultorum consilio acquiescit, qui præficit populo impios magistratus, uel qui indoctos doctores ecclesiæ præponit, qui officia committit indignis: Qui autem sancta docet, iniqua operatur, claudus est in conuersatione, scandalum ponens exemplo, ut iniuriam afferat ueritatis uerbo.

7 Quomodo pulchras frustra habet claudus tibias: sic indecens est in ore stultorum parabola.

Parabola stultorum. Eleuatiores plus iusto tibiæ claudi, & parabola in ore stultorum: huiusmodi sensum habere uidetur. Vt eleuantur à claudo tibiæ, uel quia incedere nititur, dum non uult, uel una altera prolixiore inepte ac difficulter ambulat: sic sententia digna alioqui uiro sapienti, fit ingrata & contemptibilis, si proferatur ex ore stulti. Qui enim non loquitur in tempore, qui applicat ad sensum carnis, ad priuatam utilitatem, sine fide, & sine modestia, similis est his qui scripturas quidem sacras in promptu habent, crebro tamen & impertinenter allegant.

8 Sicut qui mittit lapidem in aceruum (Mercurij) ita qui tribuit insipienti honorem.

Insipientis honor. Sicut compositio lapidis ad aceruum, sic qui dat stulto gloriã uel honorẽ. Ad hunc sensum ut uidetur, Sicut rem indignam agit, qui gemmã auro & argento includi consuetam abijciat in aceruum lapidum, ubi lapidari consueuerunt ante urbes malefici, in loco caluariæ, & communelioso: sic perperam agit & stultè, qui gloriam & honorem impẽdit ei, qui stultus est, qui abutitur eo, facitq; fœtere gloriam, imò facit ut gloria non sit gloria. Vel sic, Qui aceruo lapides addit, facit elatiorem: sic qui

ſtultum honorat, reddit ſuperbiorem & inſolentiorem. Additus Mercurius huic loco, erroris anſam intulit gloſſatoribus, qui hic templum Mercurio conſtruunt, ut Lyranus, ſecutus Gloſſam ordinariã interlinearem, dicẽtes, Qui deos gentiũ cultu ueneratur inani. Quod plixa expoſitione & amplificatione ſequitur Carreñ. Iudæi fundã opinantur, cũ tamen nõ dicatur מרגמה ſed סלע.

9 Quomodo ſi ſpina naſcatur in manu temulenti: ſic parabola in ore ſtultorum.

Sicut ebrioſus manu geſtans ſpinas, uel è cuius manu porriguntur aculei, ſeipſum lædit & alios: ſic ſtultus ſententijs ueritatis atq; parabolis abutetur in damnum ſuum, uel ad ſuam ignominiam: uel unam tantũ edoctus, eam ſemper omnibus & ubiq; inculcat uſq; ad tædium. Iudæorum quidam ſpinæ genus commemorant, quod ab ebrioſo manu receptum diſcutere dicunt ebrietatẽ, eatenus ut prorſus non intelligatur à ſobrijs eſſe temulentus. Figmentum uidetur, quanquam de braſſica quidẽ & Græca nuce tale quippiam Plinius ſcripſerit.

10 Iudicium determinat cauſas: & qui imponit ſtulto ſilentium, iras mitigat.

Hebræi ſic reddunt, Magiſter & conditor rerum omnium creauit impios & iuſtos, ſtultos & ſapientes, omnibus autem rependit mercedes dignas, æquè nutrit & ſuſtentat pios & impios, ratione & modo nobis incogniti. Ambiguam admodum parabolam, emendare adincertum non potui. Quanquam non intelligam, qua ratione ſic tranſtulerit Græcus, & Hieronymus, cum Hebræus habeat, Magiſter qui formauit omnia, & mercedem dat ſtulti, & mercedem dat tranſgreſſoribus.

11 Sicut canis qui reuertitur ad uomitũ ſuũ, ſic imprudens qui iterat ſtultitiam ſuam.

Peccata nõ iteranda.

Senſerat canis pernicioſum grauamen ſtomachi ex cibo ſuperfluo, ideo exonerauit ſe, ſed uoracitatis ſtudio & obliuione tam importuni exactoris, non confunditur redire ad turpitudinem: ſic ſtultus poſt agnitã ſtultiam, & obtentam indulgentiam, dimiſſumq; peccatum, libidine peccandi denuo incitatur, & dei bonitatem contemnens, redit & relabitur ad priores ſpurcitias, facitq; nouiſſima peiora prioribus. Cum tamen audiendus eſſet is qui dicit, Peccaſti, quieſce. De huiuſmodi dicitur 2. Petri 2. Melius erat illis non cognouiſſe uiam iuſtitiæ, quàm poſt agnitionem retrorſum conuerti, ab eo quod illis eſt traditum ſancto mandato. Contingit enim eis illud Prouerbij, Canis reuerſus, &c. Intelligitur autem non de omni peccato, ſed de blaſphemia in ſpiritum ſanctum. etc.

12 Vidiſti hominem ſapientẽ ſibi uiderit magis illo ſpem habebit inſipiens.

Inſipiẽtiam propriã agnoſcere.

Spes certior eſt de ſtulto docendo, qui inſipientiam propriã agnoſcit, & ſe patitur erudiri & moneri, quàm de eo qui ſe ſapientem putat, iuſtitiã ſibi arrogat, ut phariſæi, qui ſe iactant deum noſce & colere, ſpirituales & religioſos, ſanctos & ſanctorum filios, qui ſe filios Abraham & dei populum teſtabantur, cum nihil minus eſſent, ſed ex patre diabolo, &c. Vnde 2. Cor. 3. Si quis uidetur inter uos ſapiens eſſe in hoc ſæculo, ſtultus fiat ut ſit ſapiens.

13 Dicit piger, Leo eſt in uia, & leæna in iteneribus.

Pigritia.

Piger eſt qui laboris moleſtiam fugit, aduerſitates & crucem aduerſatur, qui tantum imaginatur difficultates in bono opere, qui aßiſtentem dei gratiã & præſens auxilium dei non cogitat, qui uocationi ſuæ non ſatisfacit, pro deo uel proximo nihil arduum ſubire dignatur uel audet, tantum otio ſeruit & uentri ſuo.

14 Sicut oſtium uertitur in cardine ſuo, ita piger in lectulo ſuo.

Somnolentiam damnat & inertiam, docet mane ſurgendum è ſomno, non libidinari in ſtratis, non nimium indulgere corpori, tempus laboribus opportunum non præterire, ortum ſolis uigilia præuenire, operi inſiſtere fructuoſo, in propria actione & conſcientia non requieſcere, proprio ſenſu non abundare.

15 Abſcondit piger manus ſub aſcella ſua, & laborat ſi ad os ſuum eas conuerterit.

Eadẽ parabola, quæ & habita fuit 24. decimononi cap. Tam ſolicite ſpiritus ſanctus & uerbum ueritatis nos auocant ab otio. Hactenus autem tam ſurda aure auditum eſt ab omnibus ſacrificulis, otio perditis, & ſuo exemplo uulgus perdentibus.

16 Sapientior ſibi piger uidetur ſeptem uiris loquentibus ſententias.

Pigritia fouet inertiam, inertia præſumptionem, præſumptio iactantiam, iactantia contemptũ aliorũ. Quanto quis indoctior, tanto temerarior ad docendum, audet docere quod neſciat. Ad pauca reſpiciens facile decipitur, & decipit. Septem reſpondentes ſententiam, omnes per ſpiritum eruditos deſignat, qui non niſi humiliter interrogati pro charitate reſpondent, paratiores diſcere quàm docere.

17 Sicut qui apprehẽdit auribus canem, ſic qui tranſit impatiens, & commiſcetur rixę alterius.

Impatiẽtia.

Qui auribus canem apprehendendo irritat, otioſe indit proprio ſuo incommodo, deq; manu periclitatur: ſic qui pro re nihili, pro cauſa non ſua iraſcitur, qui miſcet ſe ſponte aliorum rixis, digne ridebitur, ſi damna reportet moleſtiaq; inciderit temeritate ſua. Ardeliones dicũtur, qui cum ſibi non ſufficiant aliorum tamen negotia tractare præſumunt.

18 Sicut noxius eſt qui mittit ſagittas, & lanceas, & mortem

19 ita uir qui fraudulenter nocet amico ſuo, & cũ fuerit deprehẽſus, dicit, Ludens feci.

Fraudulẽlentia.

Docet cauendum in periculoſo opere, ne per negligentiam amico damnum inferatur uel proximo. Ne incautas ſagittas iaciens reus mortis ſecundum legem conſtituatur. Multo uero intolerabilius, ſi fraudulenter obſit cuipiam, ſed reijcere uelit in luſum. Deus enim non irridetur, & ut ſupra cap. 10. quaſi per riſum ſtultus operatur ſcelus, &c. Integritatem diſcamus & candorem ad proximum, fictionem & hypocriſim uel perfidiam abominemur.

20 Cum defecerint ligna, extinguetur ignis: &

& ſuſurrone ſubtracto, iurgia cõquieſcũt.

Seditioſus & ſuſurro ubi fuerit propulſus, pax & tranquillitas ſubſequens introibit: ſic qui cauſas contra dicendi & diffamandi perquirunt, ſemper inuenient. Sunt igitur diligenter declinandi & expellendi ſuſurrones. Detrahentem ſecreto proximo ſuo, hunc perſequebar, ait Dauid Pſalmo centeſimo. Suſurro.

21 Sicut carbones ad prunas, & ligna ad ignem, ſic homo iracundus ſuſcitat rixas.

Ad idē ferè, contentioſos uitandos docet, ut pacis perturbatores. Sicut, inquit, mortui carbones compoſiti ardentibus prunis & uiuis facilè inardeſcunt: ſic natura iracundi & contentioſi uitandi ſunt, anſam enim arripiunt rixandi faciliter. Stipula adiũcta igni ſtatim comprehenſa abſumitur: ſic iracundus facilè irritatur. Rixoſus.

22 Verba ſuſurronis quaſi ſimplicia, & ipſa perueniunt ad intima cordis.

Eadem ſententia, ſupra 18. capite eiſdem uerbis adnumerata. Ratio autē replicationis prædicta iam eſt, quia totius libri partes ſeu ſacroſanctas reliquias ſapiētiæ Salomonis immutare uel truncare auſi non fuerunt, ſed ut erant relatæ in libellos, ſic eodem numero hoc libro incluſerunt & compoſuerunt.

23 Quomodo ſi argento ſordido ornare uelis uas fictile, ſic labia tumentia cũ peſſimo corde ſociata.

Fucus & impoſtura, ſi quis teſteũ uas & fictile argenti ſcoria obducat, & uenditet pro argenteo: ſic ſi quis de malo theſauro cordis & uenenato pectore proferat amica uerba, perq; inſidias decipiat incautum. Vel aliter, Sicut uilis teſta ac fragilis non ornatur argento, ſed tantum ſcoria, æque uili, ut digna materies ornatu ſimili uel pari commendetur, ut ſit dignum patella operculum: ſic impio & maligno cordi labia uenenata & mendoſa iunguntur. Impius enim non niſi impia loquitur. Qualis quiſq; eſt, talia loquitur, operatur et propugnat. Labijs ſuis intelligitur inimicus, cum in corde tractauerit dolos, Labijs.

24 Facile malignus & hoſtis ex uerbis deprehenditur, quod inuidiam ex toto diſſimulare difficile. Si quēpiam inimicum expertus es, ne te illi temere credas uerbis reconciliato, alit in corde dolum licet blanda loquatur. Et eſt ſuperioris ſententiæ quædā declaratio. De malo theſauro cordis non expectes niſi mala. Doloſus.

25 quando ſubmiſerit uocem ſuam, ne credideris ei, quoniam ſeptem nequitiæ ſunt in corde illius.

Pijs non ſolum commendatur & iniungitur ſimplicitas columbina, ſed etiam ſerpentina prudentia, ut uafricies & dolus deprehendatur ex loquela & uultu. Docemur, ut cum aduerſarijs caute conuerſemur. Deniq; morem Hebraicum diſcimus, quo ſeptenario numero uniuerſitas deſignatur.

26 Qui operit odium fraudulenter, reuelabitur malitia eius in concilio.

Palàm innoteſcit impoſtura eorum qui proximo inſidiantur. Nihil opertum quod non reueletur. Non potest impietas cordis cælari perpetuo. Omnia producentur ad ſolem. Veritas et innocētia ad tempus obrui poſſunt, ſed tandem emergent. Docetur integritas animi, beneficentia ex corde, ut nihil ficte agatur.

27 Qui fodit foueam, incidet in eã: et qui uoluit lapidem, reuertetur ad eum.

Prouidentia dei & iuſto iudicio capitur in malo, qui nocere uult proximo. Qui laqueos tendit amico culpæ uel damni, primus capietur in illis. Et qui in altum mittit lapidem, ſuper caput ipſius recidet, Eccleſ. 27. Qui conatur impoßibile conteretur difficultate operis. Malum conſilium conſultori peßimum.

28 Lingua fallax non amat ueritatem: & os lubricum operatur ruinas.

Mendax non fert monitorem reuincentē uel arguentem mendacij, quin tanto contendit fortius tueri per nephas falſitatem. Amicus ueritatis etiam ſi erret, gaudet tamen doceri & corrigi, diligit admonentē: qui uero blandus eſt & aſſentator, nec arguit facinoroſos prò prij compendij gratia, is cauſa erit magnæ cladis.

CAPVT XXVII.

1 NE glorieris in craſtinum, ignorãs quid ſuperuētura pariat dies.

Contra libertatem arbitrij hæc ſententia militat, ut nedum non libera ſit noſtra uoluntas & actio, ut de craſtina re ordinare poßit, ſed nec de hodierno opere quicquam certi diſponere. Omnia ergo domino commendanda, interim tamen nunquam ceſſandum à bono opere, ſemper ad manum occurrunt agenda ex domini uoluntate & iuſſu in præſentia, de futuris ſolicitudo domino commendetur. Securitas damnatur in noſtris operibus, ſoli autem deo nitendum & ſeruiendum. Beatus homo qui ſemper eſt pauidus, & Iacobus apoſtolus cap. 4. docet, Nihil in craſtinum proponendum ſine auxilio dei præſuppoſito & uoluntate, à qua omnia noſtra pendent & noſipſi. Arbitrij defectus.

2 Laudet te alienus, & non os tuum: extraneus et non labia tua.

Iactantiam damnat, modeſtiam ueram docet, humiliter ſentiendum de ſeipſo, de alijs melius, proprij affectus agnoſcendi, ſpiritus pius acutius peccata uidet quàm merita. Paulus quoq; in carne ſua bonum non inueniebat, ſed malum quod nollet. De bonis ſpiritualibus minime gloriandum. Non amici, cognati & proximi te laudent, ſed peregrini & alieni, apud quos charitatis officijs cõmendatus eſſe debes. Laus propria perdit authoritatem. Deforme eſt imitari militem glorioſum. Iactantia.

3 Graue eſt ſaxum, & onerosa arena: ſed ira ſtulti utroque grauior.

Iram ſtulti dicit impij hominis furorem, qui ſine fide uerborum dei per tumultum & pertinaciter pergit facere quod libet, quantumlibet indignum facinus, cui ſi uires acceſſerint nihil intolerabilius. Idem dicitur Eccl. 22. Non abſolute iram ſaxo & arenæ grauiorē dicit, ſed iram ſtulti. Sapientes enim actus ſuos & ſermones mentis quoq; motus examinant & caſtigant. Iracundia.

4 Ira non habet miſericordiam, nec erum-

pens furor: & impetum cõcitati ferre quis poterit?

Ira cohibenda.

Crudelitatis mater est ira, ideo maxime fugienda principibus, quos decet clementia & circunspectio, ne per impetum ferantur ad pœnas, & uindictam, sed pro meritis rationabiliter iudicent & clementer. Furor comparatur diluuio, quod nemo prohibere possit, sed late diffluens inuoluat omnia: præcipitat enim furor mentem, excludit charitatem ac modestiã. Spiritum autem ad irascendum facilẽ, quis potest continere? Supra cap. 18. Iratus enim, facinus consiliũ putat. Ideo qui iracundiã uincit, hostem maximũ superauit. Ira aũt dilata languescit.

5 Melior est manifesta correptio, quàm amor absconditus.

Corrigere amicorum.

Melius est publice arguere quàm occulte amare. Correctio enim prodest ad morum institutionem, & ab amico animo proficiscitur. Amor aũt absconditus uel illicitus carnalis est & fœdus, saltem inutilis. Probatio autẽ dilectionis est exhibitio operis. Qui igitur proximi peccatum dißimulat, cũ liceat monere, is odium testatur & exhibet, malens fratrem perditum quàm emendatum. Interim quoq; docemur, amanter ferre correctiones amici, & charitatem monstrare fidis operibus.

6 Meliora sunt uulnera diligentis, quàm fraudulenta oscula odientis.

Correctiones amicorum fidelium candide, syncereq; adhibitæ, tanquam salubres, grato sunt animo suscipiendæ, quod ex fide & charitate proficiscantur. Palpatoria autem et fraudulenta sunt oscula, blanda scilicet uerba inimicorum, obsuntq; magis quàm prosint, Psal. 141. Corripiet me iustus in misericordia, &c.

7 Anima saturata calcabit fauum: & anima esuriens etiam amarum pro dulci sumet.

Famis condimentum.

Homo cibis saturatus & repletus uentre, delicatiora non multum appetet. Famelicus autem appretiabitur omnem cibum. Condimentum suauißimum est fames. Sic qui mundi delicijs perfruuntur, cœlestia non quærũt. Qui propriæ iustitiæ conscij sunt, & operum sanctimonia diuites se putant, dei gratiam & bonitatem non feruenter desiderant. Siliquis sæcularium literarum distenti uerbum dei non esuriunt. Vbi uasa uacua sunt, necesse est oleum fluere cesset: ubi uero esuries est, & sitis iustitiæ, Euangelium crucis & mors ipsa pro dulci ducitur, & magnanimiter sustinetur.

8 Sicut auis transmigrans de nido suo, sic uir qui derelinquit locum suum.

Ditari non possunt, sed quotidie diuitijs exhausti decrescunt, qui domicilia subinde mutant, & possessiones commutant, locũ suum deserunt: sic qui sine aliquo certo instituto uitæ & studiorum uagantur, non proficiũt, qui uocationi suæ non strenuæ insistunt, quouis uento doctrinæ circunferuntur, & distrahuntur, ac temere errant & nunquam proficiunt.

9 Vnguento & uarijs odoribus delectatur cor, et bonis amici cõsilijs anima dulcorat

Amicitia.

Confert fidelem amicum, & dulcem candidumq; monitorem, rebus maxime odoriferis, quibus refrigeratur

spiritus et uita hilarescit. Nihil enim suauius amico fideliq; consiliario: Monet enim, docet, cõsulit, solatur, communicatq;, quicquid habet boni, qualis esse debet quilibet frater Christianus, exemplo Christi domini. Consuetudine solidat ac fidelis amici nihil iucundius. Consilium autem non aliunde captandum, quàm à timore dei, & uerbo ueritatis, ut conscientia quieta consistat.

10 Amicum tuum, & amicum patris tui ne dimiseris: & domum fratris tui ne ingrediaris in die afflictionis tuæ. Melior est uicinus iuxta, quàm frater procul.

Amicitiæ ueteres.

Veteres amici colendi, non nimis præsumendum de consanguineis, non onerandi precibus tempore calamitatum, ægre ad eos confugiendum extra necessitatem, expirat enim in aduersitatibus carnalis amicitia. Optabilior est siquidem uicinus fidelis, quàm frater iuxta carnem, qui in remotis agit. Simile Ecclesiastici nono, Non relinques amicum, &c. Acerbum quiddam est in amicis nouis, suauiora in ueteribus: nouos enim necesse est promereri officijs, longa consuetudine probandi sunt, non facile suscipiendi, ferendi suis moribus, dißimulandi in morositatibus, humiliterq; tractandi. Veteres iam probati tuto seruantur, perspecti moribus non offendunt, officia iam non tam exigunt quàm liberaliter ingerunt. De qua amicitia multa in humanis literis, etiam apud Augustinum de amicitia.

11 Stude sapiẽtiæ fili mi, & lætifica cor meũ, ut possim exprobrãti respõdere sermonẽ.

Sapientiæ sacrorum.

Cognosce & cole deum, ama illius beneplacitum, incumbe sacris literis. Is finis est tot laborum meorum, ad id te nutritum memineris, nihil mihi gratius continget, quàm ut per te deus sanctificetur, & ut sapiẽtem te certum, ut habeam quod uere respondeam ei, qui uel tuam famam & conuersationem, uel meam in te complacentiam & educationis diligentiam improbare uoluerit. Sapientia & uirtus tua fili mi defendat te à calumniatoribus tam tuis quàm meis, alioqui redundabit in caput meum tua stultitia.

12 Astutus uidens malum, absconditus est, paruuli transeuntes sustinuerũt dispẽdia.

Prudentia uera.

Temeritatem prohibet, circunspectionem commendat. Qui uere sapiunt, uerbo dei credunt, ut saluẽtur ab omni uia mala, prohibent pedes suos, de longe aspiciunt damna animæ & corporis, acute discernunt inter bonũ & malũ, laqueos diaboli aduertunt & fugiunt: stulti autem & paruuli sensu, imbecilles in conscientia, aut uerbi dei contemptores temere & importune perrumpũt, dei iudicia non metuunt, peruicaciter transgrediuntur mandata, ac perditionem incidunt.

13 Tolle uestimentũ eius qui spopõdit pro extraneo, & pro alienis aufer ei pignus.

Sponsor.

Iterum & toties docet nullam fidutiam reponendam in homines, potius libere dandum uel commodandum, quàm fideiubere in futurum. Pro alieno autem spondet, qui alterius fidei nititur, qui incumbit iustitiæ, eruditioni uel opinioni alterius, qui potest mentiri & fallere, seret igitur insipientiæ suæ damnum.

Qui

14 Qui benedicit proximo suo uoce grādi, de nocte cōsurgēs, maledicēti similis erit.

Immodice laudando authoritatem perdimus, suspectas facimus ueras laudes, quasi id non syncero corde agamus, sed quæstus causa. Docet igitur temperare à laudibus nimijs uel magnis, q̄ nemo ex omni parte perfectus sit. Omnis homo mendax. In multis offendimus oēs. Aliter: Qui clamosus noctu excitat dormiētes, et obstrepit quiescentibus, odio habetur, et irritat ueluti maledicēs.

15 Tecta perstillantia in die frigoris, & litigiosa mulier comparantur,

16 qui retinet eam: quasi qui uētum teneat, & oleum dextræ suæ uocat.

Onus molestißimum est ferre importune rixosum hominem, maxime autem uxorem intractabilem, loquacē, mutabilem, cum qua aßiduo te cōmorari oporteat, cuius omnes affectus spernere non expedit, sexus fragilitatem ferre necesse fuerit, & sic odire uitia, ut personam te amare multis testeris. Facilius est cohibere uentum, quàm illius demutare mores. Si bona est, urgeri non debet: si insolens, impediri non potest, sed si una parte meatum occluseris, erumpet per aliam. Oleum odoriferum quamlibet manu claudas, imò quanto magis clauseris, tanto fusius effluet, ut uel odore prodatur: sic mulier latere non potest, occultari se non patitur.

17 Ferrum ferro exacuitur, & homo exacuit faciem amici sui.

Vt ferrum ferro limatur, sic unusquisque à proximo exercitatur, corripitur, cōfirmatur, iuuatur, mutua opera commendatur. Proximi gratia multa sunt ferēda. Alter alterius onera portare studeat. Mores proximi ferendi sunt. Amicitia crescit ex familiaritate. Virtus solitarij non sic effulget, ut eius qui quotidie exercitatur ab & inter multos.

18 Qui seruat ficum, comedet fructus eius: & qui custos est domini sui, glorificabit.

Qui ficum, uineā, agros studiose ac perite colit, is fructus olei & uini abundantius percipiet, & qui domino suo fideliter & sedulo obsequitur, digna mercede honorabitur: sic qui in benedictione seminat, de benedictionibus & metet, qui diuinis mandatis obedierit, obedientiæ suæ præmia consequetur. Serui fideles libertate donantur. Obsequium amicos parit. Arbores non proferūt fructum dulcem ac utilem, nisi legitime excolantur.

19 Quo modo in aquis resplendent uultus prospicientium, sic corda hominum manifesta sunt prudentibus:

Sicut aquarum facies ad facies per eas repræsentatas: sic cor hominis ad hominem. Ambigua sententia. Sicut aquæ repræsentant facierum imagines: sic exterior corporis habitus ut plurimum repræsentat animū hominis, ore scilicet, uultu, ac uerbis. Non potest dißimulari diu hypocrisis. Ex fructibus arbor cognoscitur. Eccles. 13. Cor hominis immutat faciē eius. Alij exponunt, Imperfecte & instabiliter cognoscitur cor hominis ex facie. Non omnino secundum faciem homines sunt iudicandi. Verum impudicus oculus impudici cordis nuntius est.

20 Infernus & perditio nunquā implentur, similiter & oculi hominum insatiabiles.

Sepulchrum recipit subinde mortuorum corpora, ut dum unum absumitur aliud eidem infertur, uel ad mortem disponitur. Perditionem sentient omnia naturaliter generata. Sic oculi hominis nō satiantur, hoc est, cordis concupiscentia cuius sunt nuntij. Voluptas quoq;, famē non satietatem parit. Crescit amor nummi quātum ipsa pecunia crescit. Soli qui esuriunt iustitiam & sitiunt saturabuntur.

21 Quo modo probatur in cōflatorio argētum, et in fornace aurū: sic probatur homo ore laudantis. (Cor iniqui inquirit mala, cor autem rectum inquirit scientiam.)

Sicut aurum ac argentum uasis proprijs probantur, substantia integra purioreq; remanente, consumpta interim scoria: sic homo iustus nec laudibus extollitur nec uituperio frāgitur, propriæ cōscientiæ stimulis humiliatur, fide & charitate purgatur, dū interim stulti laudibus lactati gestiunt, insolentiores redduntur. Quæ sequitur in exemplaribus Latinis Parabola non est in Hebræo.

22 Si contuderis stultum in pila, quasi ptisanas feriente desuper pilo, non auferetur ab eo stultitia eius.

Quantumlibet stultum flagellis contriueris, nō reuertetur ad sanam mentem. Difficile est asueta relinquere. Cōsuetudo est altera natura. Si mutare potest Aethiops pellem suam, aut pardus, &c. Iere. 13. Naturam licet ex pellas furca, tamen usque recurrit, &c. Ptisana dicitur pulmentum ex granis ordei uel ipsa grana, Hebraice חֲרִיפוֹת. Iudæi dicunt farinam ex tritico & hordeo contuso. Pilum autē instrumentum est, quo conteritur aliquid in mortario.

23 Diligenter agnosce uultum pecoris tui, tuosq; greges considera:

Simplex & utilis est institutio de bene curandis pecoribus & iumentis. Fuerunt enim diuitiæ patriarcharum & prophetarū et usq; hodie innocētißimus uiuendi modus, & census sunt simpliciores. Quasi dicere uoluerit Salomon, Noli totū cōmittere famulis. Oculus dñi impinguat equum & agrum. Ne cesses laborare, alioqui cito decrescent diuitiæ. Facile perdes acquisita, nisi de acquirendis moderate curaueris. Opum gloria cito euanescet. Si pastor ecclesiæ es, agnosce diligenter statum illius ac profectū, in fide et moribus, argue, obsecra, increpa in omni patientia & doctrina, non enim semper præeris, sed rationem reddes uillicationis, & fidelis serui gloriā introibis, si fideliter commißis insteteris, non excusabit te seruorum tuorum negligentia. Nihil tamen hic de confessione facienda presbytero præcipitur, sed de familia & re peculiari prudenter curanda.

Opes quomodo curandæ.

24 nō enim habebis iugiter potestatem, sed corona tribuetur in generatione & generationem.

Non possunt durare diuitiæ, quotidiano usu absumuntur: necesse est surrogari alia labore aßiduo, si tamen

nolis confundi, uel egere, sed cum honore uelis uiuere, & non tandem mendicitate erubescere, dum plura absumpsisse uideberis quàm laboribus comparasti, dum in æstate dormiens hyeme mendicare cogeris & erubescere. Cura potius, ut quandiu honestis laboribus honorifice uiuere possis.

25 Aperta sunt prata, & apparuerunt herbę uirētes, & collecta sunt fœna de montibus.

26 Agni ad uestimentum tuum: & hœdi, agri pretium.

27 Sufficiat tibi lac caprarum in cibos tuos, & in necessaria domus tuæ, & ad uictū ancillis tuis.

Obmissis aliorum mysticis expositionibus, de quibus in glossa, quæ dicitur ordinaria, simplex, certus ac utilis sensus est, ut prioribus copuletur. Quasi dicere uelit, Honestas diuitias ad uictum & uestitū oportunas acquire. Rara, pretiosa, laboriosa, superflua non quæras. Occupatio tua sanctorum more sit, ut prata tua proferant primo fœnum, deinde gramina & herbas, quas pro tuo uictu & animalium in opportunum tempus reponas ac serues. De ouium uelleribus induaris, de hircorum pretio reliqua necessaria ad agriculturam consequaris. Cibus tuus & familiæ sit lac caprarum, ut sic sine periculo & grandi impendio transigas feliciter uitam tuam, sine iniuria proximi. Paucis enim natura contēta est. Habentes alimenta & quibus tegamur, his contenti simus. Initium uitæ hominis aqua & panis, & uestimentum, & domus protegens turpitudinem. Ecclesiastici uigesimonono. Digna sententia sanctis est, Carnales curiosa sectantur.

Diuitiæ honestæ.

CAPVT XXVIII.

1 FVgit impius nemine persequente: iustus autem quasi leo confidens absque terrore erit.

Mutatio numeri frequens est Hebræis, & sententia truncata, maxime autem in parabolis. Impij sine fide in deū, & tyranni in proximos semper trepidant etiam si desit persequutor. Omni enim iniquitati est annexa timiditas, Iob 15. Cunctis diebus suis impius superbit, sonitus terroris semper in auribus eius, & cum pax sit, ille semper insidias suspicatur. Et Sap. 17. Cum sit timida nequitia, dat testimoniū in condemnationem: semper enim præsumit sæua perturbata conscientia. Fugiūt ergo impij, territi uoce fólij defluētis, Leui. 26. Conscientia quoque rea mordentur, damnantur, & sibi onerosi sunt, ac infernus. Iusti ut leo confident in medijs angustijs, in deum sperabunt. Non contristabit iustum quicquid acciderit ei, supra 12. Et Eccles. 34. Qui timet deū nihil trepidabit, et nō pauebit, quoniā ipse est spes eius, Non timebo mala, quoniā tu mecum es, Psal. 22. Iudæi incongruitatem numerorum uolentes euadere, sic exponunt: Si plures homines uideris fugientes, cū desit persequutor qui urgeat, iudicabis singulos illorū impios esse: si uero loco suo subsistūt, iustos habeas, quod sibi nil mali conscij sint, uel dei prouidentiæ se committant, ut fidei & impietati fortiter resistant, ut leo.

Fidutia piorum.

2 Propter peccata terrę multi principes eius: & propter hominis sapientiā & horū scientiā quæ dicunt, uita ducis lōgior erit.

Eadem sententia habetur Iob 34. Qui facit regnare hypocritam hominē propter peccata populorum. Et Isa. 3. populo iniquo minatur, Dabo pueros principes eorum, & effœminati dominabuntur eis, & corruet populus. Sed per fidem & circunspectionem hominis sapientis & cordati, terra diu durabit in tranquillitate ac pace. Exemplis patet parabola. Propter impietatem enim domus & regni Israel, sæpe mutabuntur reges. Sic & ante captiuitatem Babyloniçam in regno Iuda, post occisum Iosiam, multi succeßiue reges perierunt captiui & occisi.

Principatus impij.

3 Vir pauper calumniās pauperes, similis est imbri uehemēti, in quo paratur fames.

Sensus est. Sicut intempestiua pluuia, repentina uel uehemens obest frugibus, & non tam terram fœcundat quàm corrumpit, & diluuio distrahit seminaq; alluuione sua opprimit: sic non prosperantur diuitiæ per pauperum iniuriam collectæ & auctæ. Reuera autem pauperiores & miseriores sunt qui plura desyderant, quàm qui pauca possidēt. Dici potest magis ad literam: Homo pauper, qui ex præda pauperū quærit ditescere, non solum non prosperabitur, sed sicut importuna pluuia, pariter semen cum fructu disperdet eritq; pauperior. Vel aliter: Pauper qui uolens diuitias sectari, pauperes fraudat, magis nocet quàm diues, sicut pulices minuti mordent acrius & intolerabilius: ut & uehemens imber et repentinus, magis nocet quàm sensim labens pluuia.

Iniuria pauperum.

4 Qui derelinquunt legē, laudāt impium: qui custodiunt, succenduntur contra eū.

Transgressores diuinæ legis gaudent habere complices, applaudent sibi similibus, persequuntur iustos: pij uero potius prouocantur ad dei uindicandum iniuriam. Qui enim æquo animo dei contemptum ferre possunt, pij non sunt. Exempla sunt Phinees, Mathatias, & non nulli nostrorum temporum heroes, & sancti. Non solum enim non laudant impios uere pij, sed potius prouocantur ad uindictam iniquitatis.

5 Viri mali nō cogitant iudicium: qui autē inquirunt dñm, animaduertunt omnia.

Homines timore dei destituti, & pro damnata libidine uiuentes, quorum omnis sensus & cogitatio est ad malum, odiunt iudicium & iustitiam: sicut contrario, Cogitationes iustorum iudicia sunt, supra capite 12. Denique uiri mali sunt qui dei iudicium non cogitant, qui creatorem iudicem non uerentur, qui non quod deceat uolunt ac faciunt, sed quod libet & delectat. Hi euertūt sensum suum, & declinant oculos suos ne cœlum intueantur, neque recordentur iudiciorum iustorum, Danielis 13. Qui uero dei beneplacitum inquirunt, uerbum domini credentes & discentes, omnia ad salutem necessaria intelligent & percipient, docente eos spiritus unctione de omnibus, quomodo præterita corrigant, præsentia disponant, futura caueant, bona eligant, mala euitent. Inquirunt autem studiose ueluti ægroti medicum, capti-

Odium iniquitatis.

captiui pretiũ, peregrini uiaticũ, deuij ducẽ, laßi requiẽ.

6 ¶ Melior eſt pauper ambulans in ſimplicitate ſua, quàm diues in prauis itinerib⁹.

Eadem ſupra cap. 11. 19. & Eccleſ. 19. Melior eſt homo qui minuitur ſapientia & deficit ſenſu in timore, quàm qui abundat ſenſu, & tranſgreditur legem altißimi. Melior eſt pauper ſpiritu quàm præſumptuoſus.

7 Qui cuſtodit legem, filius ſapiens eſt: qui aũt comeſſatores paſcit, confundit patrem ſuum.

Obedientia. Qui modeſte pacifice & liberaliter obſequitur maiorum non iniuſto imperio, & iuſto magiſtratui, maxime autem uerbo dei, is uere ſapiens dicetur, ac ſenſatus, nobili quoque ingenio præditus intelligetur: de quo ſupra cap. 3. 4. 6. 7. Qui uero fuerit legũ contemptor, & ſocius comeſſatorum, helluonum, & lenonum, cui non ſufficit propriæ uitæ inſolentia, niſi & ſodales ſibi paret ebrietatum, otij ac libidinum, qui committere audent furta, latrocinia, adulteria, cædes, & periuria, eius inobedientia redundat in confuſionẽ parentum & familiæ ſuæ, ſi non totius urbis & regionis.

8 Qui coaceruat diuitias uſuris, & fœnore liberali, in pauperes congregat eas.

Vſura. Vſura dicitur, quod ſupra ſortem datur ex pacto. Fœnus quod libere datur ſupra ſortẽ ſine pacto. Senſus eſt, Diuitiæ uſurariorũ, & per iniquitatem repoſitæ in thęſauros, paulatim dei prouidentia deuoluuntur ad miſericordes et pios, qui eas digne profundant in pauperes. Habet deus curam ſanctorum, non patitur indigere neceſſarijs. Eſurientes impleuit bonis, diuites dimiſit inanes. Diuitiæ congregatæ & repoſitæ putreſcunt, diſtributæ uero fructificant. Diſputantur hoc loco multa de fœnore liberali, ſed uane.

9 Qui declinat aures ſuas ne audiat legem, oratio eius erit execrabilis.

Oratio impiorum. Contemnit deus orationem eius qui ſua ſpernit mandata. Oratio impij & nolentis acquieſcere uoluntati dei uinæ peccatum erit, & abominatio coram deo. Auertere aurem, eſt contẽnere obedientiã, uelle ignorare quæ dei ſunt, ueritatem non credere, uerbũ dei abijcere. Hieremias prohibetur orare pro Iudæis, legem dñi & prophetarum admonitiones contemnentibus. Iuſtorum autem, id eſt, credentium orationes exaudiet dominus, etiam peccata committentium.

10 Qui decipit iuſtos in uia mala, in interitu ſuo corruet, & ſimplices poſſidebũt bona.

Doctrina falſa. Diligendus eſt proximus ſicut nos diligit deus: ideo qui damnum infert ei, is ſibijpſi foueam, qua perdatur præparat. Maxime autem, ſi falſa doctrina ſeducitur grauiſſime perditur. Aliter. Qui malis moribus ſcandalizat quos docet, is perditionis ſibi foueam ſtruit. Non tamen permittit dominus ut fideles & deum timentes perniciose ac damnabiliter errent, etiã ſuis falſis doctrinis & exemplis. Denique deceptores huiuſmodi perdit dominus Iere. 23. Et in tẽplo Baal interfecti ſunt de uoluntate domini 450. prophetæ Baal ab Helia 3. Reg. 18. Probi autem hæreditãt, id eſt perſeueranter poßident bonum. Nihil deeſt timentibus deum.

11 Sapiẽs ſibi uidetur uir diues: pauper aũt prudens ſcrutabitur eum.

Cõparatio diuitis & pauperis. Diuitiæ ſuperbiam generant, præſumptionem, iactantiam ſuiq; ipſius ignorantiam, & errorem iudicij. Excæcat enim auaros auaritia & amor ſui. Bonum enim iudicant quicquid ipſis eſt utile. Non poſſunt credere uerbo ueritatis, quo commendat paupertatem ſpiritus, & ſufficientiam in paucis. Exempla Chriſti & apoſtolorum riſui habent, temporalia tantum quærunt & appretiantur. Pauper autẽ fidelis intelligens ueras eſſe diuitias pietatem, & ſufficientiam eſſe maximum quæſtum, qui ſcit abundare & pati penuriam, qui uictu & amictu contentus eſt, qui moleſtijs curarum liberatus, ridet ſtudia auarorum: is inquirere uel ſcrutari dicitur diuitẽ, id eſt, de eo multo ſanius iudicare: quandoquidem iudiciũ certius habet pauper quàm diues, ſi tamẽ fuerit intelligens & non ſtultus. Sunt enim & ſtulti pauperes, qui multa cupiant, ſenſu pariter & rebus deſtituti, quorum omnes dies mali, atq; bis miſeri in hoc mundo.

12 In exultatiõe iuſtorum multa gloria eſt: regnantibus impijs ruinæ hominum.

Gloria bona & mala. Gloria, laus et felicitas eſt regno & terræ, ſi iuſti confidenter & libere quæ iuſta ſunt agere permittuntur, ſi quiete uiuant, abſentibus tyrannis & perſecutoribus, licet & in anguſtijs gaudere didicerint, & dignitatem putent pati ignominiam pro pietate ab impijs. Cedit tamen hoc in confuſionem terræ. Vbi autem impij ſumpſerint principatum, ibi iuſtis nulla erit pax & tranquillitas. Iuſtitiæ enim cum impietate nulla eſt conuentio. Ibi enim trepidant omnia, maximo incommodo. Perſecutiones impiorũ tolerare cogũtur iuſti, quin et inquiritur de eis, fugãtur de loco ad locũ, eijciũtur, omniũ peripſima.

13 Qui abſcondit ſcelera ſua, non dirigetur: qui autem confeſſus fuerit, & reliquerit ea, miſericordiam conſequetur.

Confeſſio peccatorũ. Qui peccata ſua clam & diu auxerit, & fiducia ſecreti fateri noluerit legitime inquiſitus, non diu proſperabitur, non fallet iudicem omnium. Nihil enim occultum quod non reueletur, & abſconditũ quod non ſciatur. Qui uero cõfeſſus fuerit, & uitã emendando legitimum dolorẽ de crimine teſtabitur, miſericordiã conſequetur. Quin & deus latere nõ patitur, ſed mũdo manifeſtat crimina diuturna, niſi humili cõfeßione ſupplicater exoretur. Excmpla ſunt Cain & Dauid. Nihil hic de ſacramẽtali quã uocant cõfeßione, et auriculari quotanis faciẽda dicitur: quæ in ueteri teſtamẽto quo ad ſingula peccata confitẽda ſacerdoti in uſu non fuit, ſed nec in nouo teſtamẽto præcipitur. Generaliter tamẽ fateri peccatum deo, & humiliter ſupplicare pro uenia eũ, in quẽ eſt peccatũ commiſſum, ſiue deus ſit, ſiue homo, ſiue eccleſia, ſemper ad remißionẽ & ueram indulgentiam neceſſarium fuit. Quod ſi urgere uoluerint confeßionem ex litera, urgeant & emendationẽ, & recidere in peccata deſiſtant, ſi uelint miſericordiã conſequi & abſolutionem: ſuperbiæ aũt eſt, nolle fateri errorẽ uel peccatũ.

14 Beatus homo qui ſemper eſt pauid⁹: qui

uero mentis est duræ, corruet in malum.

Dolor de peccatis. Dolentes de peccatis præteritis, & ad omnẽ occasionem peccandi expauescentes, deũq; offendere abhorrentes, beati sunt, Iob 9. Verebar omnia opera mea. Ecclesiastici 27. Nisi tenueris te instanter in timore domini cito subuertetur domus tua. Non ut de dñi bonitate diffidendũ sit, sed de nostra imbecillitate et prauitate dolendum. Qui uero duri sunt corde, dei timore abiecto ruent in oĩa mala, peccatis peccata accumulabũt, & non prosperabũtur. Paulò simplicius dici potest, Circũspecte agendũ in omnibus, nihil temere. Negligens enim & præsumptuosus facile periclitabitur.

15 Leo rugiens & ursus esuriens, princeps impius super populum pauperem.

Tyrannis. Tyranni oppressores pauperum ferocißimis animalibus comparantur, quorum est pro fide & ratione uoluntas, de quibus Isaiæ tertio, & Micheæ tertio. Leone rugiente contremiscunt omnia animalia, quibus terrori tantum sunt, nullius utilitatis. Nihil sæuius ursa, si cibo egeat, uel si catuli ablati: sic impij principes in populũ pauperem, nihil prosunt, non diliguntur, tantum timentur, odiunturq; ab hominibus & deo.

16 Dux indigens prudentia, multos opprimet per calumniam: qui autem odit auaritiam, longi fient dies eius.

Pendet ex priore parabola. Comparantur enim iumentis insipientibus, uentri tantũ studentes, & libidini calumniarum authores, quas propellere consilio & potestate deberent. Odiens auaritiam prolongabit uitam, pericula declimabit, rerum, famæ & uitæ, non patebit inuidiæ. Qui odit munera uiuet, supra 15.

17 Hominem qui calũniatur animæ sanguinem, si usq; ad lacũ fugerit, nemo sustinet.

Occisor hominis, malitiosus & improbus, uindictam dei & hominum non euadet. Gen. 9. De manu uiri, etc. Quicunq; effuderit humanũ sanguinem, fundetur sanguis illius. Qui etiam si fugerit in lacum, si sub terra sese occultare uoluerit, etiam in sepulchro, non expiabitur peccatum illius, nõ euadet. Docet omnibus modis ab effusione innocentis sanguinis abstinere.

18 Qui ambulat simpliciter saluus erit: qui peruersis graditur uijs, concidet semel.

Qui in uia dei ambulat, & unum uerbum dei sequitur, feliciter et saluus proficiet et subsistet: qui uero præter illud hominum studia, per multas hominum traditiones uel iniquitates transierit & sæpe peccauerit, is in uno tandem peccatorum peribit: ut impune unũ & alterum flagitium euadat, non id sibi perpetuo futurũ polliceatur, pœnas semel pendet.

19 Qui operatur terrã suam satiabitur panibus: qui aũt sectatur otiũ, replebit egestate.

Labor mactuum. Iterum atq; iterum labor commendatur, & in primis agriculturæ, quæ ex fide prouidentiæ dei pendet. Scriptura sacra eadem replicans, prædicatores eos arguit, qui etiam utilia & necessaria erubescunt frequentius inculcare, ne uideantur indoctiores: & sæculariter doctorum uanitatẽ ridet spiritus ueritatis. Quanto doctrina salubrior tanto frequentius inculcanda. Non est ut famem timeat qui labori iusto incumbit.

20 Vir fidelis multum laudabitur: qui autẽ festinat ditari, non erit innocens.

Verax in promißis, syncerus in conuersatione, integer moribus, à bonis laudabitur paßim, quanquam odiatur à malis, quorũ nihili faciendum est iudiciũ. Vel, Qui deo firmißime fidunt, omnem fiduciam in deum reijciũt, diuinis charismatibus replebuntur, deseri non possunt. Laudantur fideles, Eccles. 44. Qui uero diuitijs augendis incumbunt non erunt innocentes, Eccles. 11. Si diues fueris, non eris immunis à peccato. Difficile diuites intrabunt in regnum cœlorum.

21 Qui cognoscit in iudicio faciẽ, nõ benefacit, iste & pro buccella panis deserit ueritatem.

Personarũ acceptio. Iterum prohibetur acceptio personarũ, qua subuertitur ueritas & iudiciũ, fundamenta orbis, tranquillitatis & pacis. Tyranni uero qui in robore fidunt, robusti uenatores, quorũ est pro lege uoluntas & potentia, pro re minima calumniantur pauperes, proq; frusto panis peruertunt æquitatem, sua tantum quærunt, arripiunt occasionem opprimendi impotentes, pro re nihili, nulla habita ratione iustitiæ.

22 Vir qui festinat ditari, & alijs inuidet, ignorat quod egestas superueniet ei.

Auaritia. Auari inuident auaris, soli cupiunt abundare. Figulus quoq; odit figulũ. Interim tamẽ manet eos iactura rerũ, quam præuenire non possunt. Cũ minime putarint fortunæ corũ decrescunt, fraudes sentiuntur, paupertate obruuntur. חסר habent libri Hebræorũ, cũ Syrus interpres & glossæ, nostraq; translatio חסד legendum significent, nisi sit amphrasis uel metathesis.

23 Qui corripit hominẽ, gratiã postea inuenietapud eum magis: quàm ille qui per linguæ blandimenta decipit.

Adulatio. Non potest sensus carnis gaudere de correptione, sed uult laudari magis: q, si homo euadat sensatior, sesq; recolligat super defectibus naturæ, gratiã habebit admonenti & arguenti, multo ampliorẽ q̃ blandienti cassa fide. Meliora sunt uulnera diligentis, &c. Etiã cũs, quos diligit corripit. Pater non blanditur filijs insolenter uiuentibus. Blanditiæ decipiunt, ueritas probatur & uincit. Plus persequtur lingua adulatoris, quam manus persequẽtis. Populeus, qui beatũ te dicũt, ipsi te decipiũt.

24 Qui subtrahit aliquid à patre suo, & à matre, & dicit hoc non esse peccatum, particeps homicidæ est.

Parentũ inobedientia. Simpliciter docet reuerentiam et obedientiã ad parentes, à quorum ordinatione pendere debet filius, ut hæreditatis administrationẽ sibi sciat nõ cõpetere inuitis parentibus. Declaraturq; spolium habere apud deũ. si filij inuitis parentibus paterna bona diripiant uel suffurentur: indiciũ est enim mali ingenij, et prodigæ dißipationis subsequturæ, affectatio hæreditatis superstitũ parentũ. Saluator etiã Matth. 19. uidetur respexisse ad hanc sententiam, cũ Iudæorũ sacerdotes arguit falsæ & improbæ tradi-

traditionis, de sacrificando deo ad quæstum Corbanan, neglecta interim necessitate parentum.

25 Qui se iactat & dilatat, iurgia cõcitat: qui uero sperat in domino, sanabitur.

Latitudo animæ propensum animum notat ad satisfaciendum libidini, uel iactantiã cordis, qua præ alijs quis uult haberi insignior: talis prouocat, ruminat, adornat rixas, amicitiam præstat nemini. Inter superbos semper sunt iurgia. Credulus autem diuinis promissionibus auarus non erit, non rapiet aliena, fouebit concordiam, paratior ad dandum proximo erit quàm ad rapiendũ, sine solicitudine laborabit, omnibus bonis replebitur, gloria & diuitiæ erũt in domo eius. Sufficiet illi quicquid deus dederit, paucis quoque contentabitur.

26 Qui confidit in corde suo, stultus est: qui autem graditur sapienter, ipse saluabitur.

Proprijs nimium consilijs fidere, sibijpsi placere, agere quod sibi bonum uidetur contra dei uerbum, de proprijs uiribus præsumere stultitia est, ut supra cap. 26. Vidisti hominẽ sibi placentem, &c. Qui uero uerbũ dei sequitur, attentus ad timorẽ dei, qui est uera sapientia, qui agenda circumspectus prægocitat, euadet pericula, tutus consistet. Nunc pro saluabitur, transtulit, laudabitur: supra pro impinguabitur, legimus saluabitur, ne nimiũ scrupulosi esse uelimus dum sensui nihil decedit authoris.

27 Qui dat pauperi, non indigebit: qui despicit deprecantem, sustinebit penuriam.

Pauperes docet consolandos esse uerbo, & muneribus. Date & dabitur uobis. Pietas ualet ad omnia, promissiones habens uitæ quæ nunc est, & futuræ. Fœneratur domino qui mutuatur pauperi. Sic scientia & amor distributa magis augẽtur: inuidos autẽ egestas inuoluet, ut epulonẽ aquæ gutta destituit, qui crudelis in uita fuit.

28 Cũ surrexerint impij, abscõdentur homines: cũ illi perierint, multiplicabũtur iusti.

Impiorum potestas & principatus pestis est perniciosissima pijs, sicut Achab, Iesabel, et Manasses erãt pphetis. Cũ uero tyrannides cessarint fidutialiter agent iusti. ut Iudæorũ, Romanorũ, nostrisq; uidere licet tẽporibus.

CAPVT XXIX.

1 VIro qui corripientem dura cerui ce contemnit, repentinus ei superueniet interitus, & eum sanitas non sequetur.

Qui indurat ceruicem suam, ne acquiescat monitis, qui impatiens est disciplinæ, insolens, incorrigibilis, dei uerbo repugnans, non poterit emendari, subito conteretur ac peribit: sic qui pertinaciter tuetur errores suos.

2 In multiplicatione iustorũ lætabitur uulgus: cum impij sumpserint principatum, gemet populus.

Iustis orationibus deus amicus nihil negat, exemplo uitæ & uerbo doctrinæ prosunt multis, cõsilio & auxilio subseruiunt omnibus, nemini sunt molesti. Cum uero impij sumpserint principatum, omnia replentur iniuria, querelis, luctibus, tyrannide, oppressione uirtutis & ueritatis. Iubebit & audebit omnia pro ratione uoluntas. Erunt uires lex iustitiæ. Ibi felicior tunc est, qui fastuosior, ditior, uel crudelior. Viderint ergo, qui suis promouent suffragijs impios magistratus, qui sibi solis regnant, populus autem interim laborũ suorũ fructu destituitur.

3 Vir qui amat sapientiam, lętificat patrem suũ: qui aũt nutrit scorta, perdet substãtiã.

Studiosus ueræ sapientiæ laudabiliter uiuet, libidini uacans depauperabitur. Digne deo seruit, qui uerbo dei ardenter incumbit. Qui sæcularibus literis ætatem luserit, fidem & quæ fidei sunt perdet, uirtutum ueras diuitias non assequetur, quin habitas quoq; perdet. Optimi ingenij specimen est, amare sapientiã, unde parentes lætificantur. Prodigus autẽ dissipat substantiam suam cum meretricibus luxuriose, & ad extremam paupertatem redigitur, siliquis porcorum miserè tandem inescandus. Sapientiæ studium.

4 Rex iustus erigit terram, uir auarus destruit eam.

Rex instituitur ut prosit regno, ut pax habitet in terra, ut reprobi reprimantur, ut fiat iudiciũ & iustitia in terra. Abominabiles enim sunt pio regi, qui impie agũt. Iustitia firmabitur solium. Dissipat rex omne malum intuitu suo. Amatores autem munerum, exactores nouorũ grauaminum, auaritiæ mancipia disperdent imperia. Aurum perdit omnia.

5 Homo qui blãdis fictisq; sermonibus loquit amico suo, rete expãdit gressibus suis.

Præstat dura ucrè loqui, quàm blandia falso. Oleum peccatoris nõ impinguet caput meum: simulia Isaiæ 3. & Ierem. 5. Amicorum errores corrigi debent, non assentatione deludi. Inuenti sunt in populo meo impij, insidiantes quasi aucupes, laqueos ponentes & pedicas ad capiendos uiros, sicut decipula plena auibus, sic domus eorum plenæ dolo: ideo magnificati sunt, ditati, & impinguati, præterierunt sermones meos pessime.

6 Peccantem uirum iniquum inuoluet laqueus, & iustus laudabit atq; gaudebit.

Idem dicitur quod supra cap. 5. Iniquitates suæ capiunt impiũ & funiculus suis constringitur. Iucundissimus uero status est deo fidentium, & proximos amantiũ bonis studijs incumbentium, à dei prouidentia pendentiũ, qui nullius criminis sibi conscij, à nulla timeant ueritate, qui sic de labore manuum uiuunt, ut habeant quoq; unde tribuant egentibus.

7 Nouit iustus causam pauperum, impius ignorat scientiam.

Non sunt idonei iudices pauperũ, diuites & impij, uerbum dñi non audientes, regulã nimirũ iustitiæ & æquitatis. Iudicabũt enim alios iuxta propriam iniquitatẽ, cæci & amatores sui. Iusti aũt causam quã ignorant diligentissime inuestigant, Iob 29. Quando pauperes proprias suas causas & iustitiam exprimere non sufficiunt.

8 Homines pestilentes dissipant ciuitatem, sapientes uero auertunt furorem.

Pestilentes dicuntur, qui omnem timorem dei & disciplinam morum irrident, quorum est pro ratione libido: per huismodi ciuitas ad seditionem concitatur, pax & concordia dissipatur, turba implacabiliter permouetur. Pestilentes.

Sapientes autẽ domino dirigente animos tumultuantiũ conciliãt, fide enim in dei timore inſtituti ſunt. Tales ad hibendi ſunt periculoſis negotijs, non tyranni præfracti, ſtulti impij, Geneſis 18. & 2. Regum uigeſimo.

9 Vir ſapiens ſi cum ſtulto cõtenderit, ſiue iraſcatur, ſiue rideat, nõ inueniet requiem.

Sapiẽtis ira

Sapiens etiam ſiue iraſcatur ſiue rideat, placare ſtultum non poterit. Sapientis quoq; eſt malle pati incõmodum quàm cum ſtulto cõtendere, tollenti pallium etiam tunicam permittere, de accepto incommodo non multũ triſtari. Sic doctor ſapiens & fidelis, cũ infideli non contendat, nihil enim proficiet ſiue dulciter alloquatur ſiue durius. Chriſtus Iudæis improperat pueros in foro canentes, Matth. 11. Cecinimus uobis & non ſaltaſtis, &c.

10 Viri ſanguinum oderunt ſimplicem: iuſti autem quærunt animam eius.

Sãguinarij.

Non ſerunt ſanguinarij probos, graues eis ſunt audendum: non enim uotis concordant, nec loquũtur placentia. Iuſti autem quærẽt animam ſuam, ſcilicet probi, zelant ſalutem animarum, peccata abominantur, ſuſpirant emendationem, optant omnibus conſultum, tuentur uitam & res proximorũ etiam inimicorum, tantũ abeſt ut odiant. Cum eſſem liber ex omnibus omnium me ſeruum feci 1. Cor. 9.

11 Totum ſpiritum ſuum profert ſtultus: ſapiens differt & reſeruat in poſterum.

Cõtumacia

Stultus ſeipſum ignorat, ſibi placet, ſuo ſenſu abundat, totum omnibus placere credit quod agit, uult ab omnibus prædicari. Ideo nihil occultat, totum ſuum effundit ſpiritum, periculorum rationem non habet, modeſtia caret, nimium uel amat uel odit. Sapiens autem ueretur omnia opera ſua, aduertit pericula, temere nihil tentat, ſpiritum ſuum comprimit ſemper pauidus, tacet ad tempus. Gloſſa. Stultus ad ultionem ſuam iræ perturbatione ſuccenditur, ſapiens autẽ paulatim eam maturitate conſilij extenuat & repellit.

12 Princeps qui libenter audit uerba mendacij, omnes miniſtros habet impios.

Principis neceſſaria conditio eſt, ueritatem amet & iuſtitiam, aſſentatores mendaces ac diffamatores miniſtros minime patiatur, ut ad longum Dauid recitat Pſalmo 100. Alioqui optimi uiri quiq; periclitabuntur, peſſimiq; regnabunt, cum poteſtas eius ſit ad uindictam malorum & laudem bonorum.

13 Pauper & creditor obuiauerũt ſibi: utriuſque illuminator eſt dominus.

Varia & pugnans conditio pauperis eſt cum paupertum oppreſſore uſurario uel creditore fraudulento. Ille enim omnibus modis opprimere nititur, & totum exhaurire, Iſte uero non poteſt quantum ille cupit reddere. Et ſi quid reddit, inuoluntarie dat, coactus & inuidus. Verum non poteſt tantũ fœnerator ſæuire in pauperem quantũ uult, ſed quantũ deus permittit, qui utriuſq; eſt dñs. Vel aliter: Variè dicũtur à domino illuminari, unus inſpiratur ad beneficentiã, alius ad patientiã & gratitudinem: prouidentia dei ordinantur utriuſq; ſortes, quem utriq; uereri debent, & colere. Diues miſericordiam faciat, pauper ac miſer humiliter dei ordinem ferat.

14 Rex qui iudicat in ueritate pauperes, thronus eius in æternum firmabitur.

Reges paſtores.

Reges ex uerbo dei, & ſæcularibus literis paſtores nominantur, ut legẽ dei nouerint, doceant, ſeruent & uindicent, populũ in timore dei & cõcordia regant. Id ſi fideliter egerint, proſperabuntur in regno, carebũt aduerſarijs, defenſores aderunt ſubiectis. Tyranni uero omnibus odioſi, & ceu publica pernicies, ſemper & ubique periclitabuntur, de uita & rebus. Chriſtus uerus rex iuſtitiæ iudicat in iuſtitia pauperes: ſuper ſolium Dauid, et regnum eius ſedebit, ut confirmet illud, &c.

15 Virga atque correctio tribuit ſapientiam: puer autem qui dimittitur uoluntati ſuæ, confundit matrem ſuam.

Diſciplina.

Virga diſciplinæ fugabit ſtultitiam colligatam in corde pueri. Prona enim eſt natura humana ad malum ab adoleſcẽtia. Nemo ſine peccato, ne infans quidẽ unius diei. Neceſſe eſt ergo caſtigari pueros inſolentes, laſciuos ac ſtultos, ut erudiantur, & ſapientes fiant. Vexatio enim dat intellectum, Eſa. 28. Per omne flagellum & dolorem erudieris Ieruſalem, Ier. 6. Equus indomitus euadet durus, et filius remiſſus euadet præceps, Eccleſ. 30. Super filiam luxurioſam conſtitue cuſtodiam, ne quando faciat te uenire in opprobrium inimicis tuis, Eccleſ. 42.

16 In multiplicatione impiorum multiplicabunt ſcelera, & iuſti ruinas eorũ uidebunt.

Cum uerbi dei cõtemptores & impij multiplicati fuerint, ut uotorum ſuorũ pluralitate quicquid libet proſequantur, omnia inuoluentur crimimibus, fides nuſpiã inuenietur, charitas peribit, impune regnabit malitia, innocentia nuſquã tuta erit: iuſti autem ſtabunt in magna conſtantia aduerſus eos qui ſe anguſtiauerunt, Sapien. 5. Lætabitur iuſtus cum uiderit uindictã, &c. Pſal. 57. Alij exponunt, Caue ne mala educatione iuuentutis multiplicentur impij, qui ſuo tẽpore ſint caſuri. Vel ſic, Iuſti proſpicient ſibijpſis, ne cadant in multitudine impiorum.

17 Erudi filiũ tuum, & refrigerabit te, & dabit delitias animæ tuæ.

Prolis multiplicatio.

Prolis multiplicatio, fidelium benedictio eſt, ideo ſæpe inculcatur ſtudiũ ſanctæ educationis. Hodie pueri in delitijs tantum habentur à parentibus, rudimẽta uirtutum exteris permittunt, qui negligunt, & inſoleſcere per omnia flagitia ſinunt. Ideo fit ut parentũ canicies cum dolore perducatur plerunque ad inferos, cum uiderint ſua culpa degeneres filios poſt ſe relinqui, in ſui nominis perpetuam contumeliam & opprobriũ poſt fata, ſuperbos, libidinoſos, bellaces, auaros, & ſtolidos. Eccleſiaſtici 30. Qui diligit filium ſuum, aſſiduat illi flagella, ut lætetur in nouiſſimo ſuo.

18 Cũ prophetia defecerit, diſſipabitur populus, qui uero cuſtodit legem, beatus eſt.

Cum prophetica uiſio, id eſt doctrina ſana, & uerbi dei prædicatio ceſſauerit, fides et uerè bona opera diſpereant, poſthabito uerbo dei, & traditionibus humanis in earum locum repoſitis, ſuccreuerunt execrabiles abuſus in omnibus ſtatibus. Cuſtodia autem legis & meditatio

beati-

beatitudinem operatur. Beati qui ſcrutantur teſtimonia eius. Senſerunt Iudæi ueritatẽ huius parabolæ, qui diſſipati ſunt, cũ uiſio prophetica diſparuit et unctio Danielis 9. Septuaginta hebdomades abbreuiatæ ſunt, &c.

19 Seruus uerbis nõ poteſt erudiri: qa quod dicis intelligit, & reſpondere contemnit.

Homo ſeruilis conditionis, qui niſi coactus non benefacit, inuitus trahitur ad omne bonum, ad oculum tantum ſeruiens, rudis & pertinax, uerbo ſolo nõ emendabitur, ſed uerberibus, quia non ex ignorantia peccat, ſed contemptu. Ideo dicitur Intelligit, ſed non reſpondet: id eſt, mera malitia obedire recuſat. Qui uerbo dei non eruditur, ſerui ſunt, ſentient uerbera, uapulabunt multis, A contrario docetur clementer tractandos ſeruos uoluntarios & obſequentes.

20 Vidiſti hominẽ uelocem ad loquẽdum: ſtultitia magis ſperãda eſt, q̃ illi⁹ correctio.

Melius de ſtulto ſperes, quàm de homine præcipite & uerboſo, qui non aduertit aliorum dicta, uult ſolus & ſemper audiri, ſupra 18. Qui reſpondet priuſquam audiat. Eccleſiaſtici 11. Priuſquam audias non reſpondeas uerbũ. Sit omnis homo uelox ad audiendum, Iac. 1. Alij ſic: Si uideris hominem in ſermone feſtinum, tandem deprehendes eum eſſe ſtultum.

21 Qui delicate à pueritia ſua nutrit ſeruum ſuum, poſtea ſentiet eum contumacem.

Aliter Hebræi, Qui delicate nutrit à pueritia ſeruum ſuum, poſtea erit filius familiãs. Stultos homines & illiberales, res ſecundæ dementant, nõ ferunt fortunas ſuas. Non ergo ſimili ſtudio ſerui nutriendi ſunt & filij. Melius eſt uiro, ſi portet iugum ab adoleſcentia ſua, Ier. 3. & Eccleſiaſtici 33. Seruo maleuolo tortura, &c. Contra uero, Eccleſiaſtici 7. Seruus ſenſatus, &c. Si eſt tibi ſeruus fidelis, &c. Diſciplina eſt neceſſaria homini carnali, ceremoniæ uero indoctis, & timor nondum ſecundum ſpiritum filiationis uiuenti.

22 Vir iracundus prouocat rixas: & qui ad indignandũ facilis eſt, erit ad peccata procliuior.

Similia ſupra 27. 28. 29. 26. & Iacobi 1. Ira uiri iuſtitiam dei non operatur. Habens furorem, id eſt furibundus, ſicut uir iræ, id eſt, deditus iracundiæ iniurias inferens uerbis aut factis, irritat & prouocat rixas, omnibus oneroſus. Manſuetudo docetur contra iracundiam, ut ſupra. Graue eſt ſaxum, oneroſa arena, ira ſtulti utriq; grauior. Spiritum ad iraſcendum facilem quis poterit ſuſtinere? &c. Ira uiri iuſtitiam dei non operatur.

23 Superbum ſequitur humilitas, & humilem ſpiritu ſuſcipiet gloria.

Simpliciter uult, Qui ſe exaltat humiliabitur, & qui ſe humiliat exaltabitur. Et cum ſuperiore ſententia docet idem quod Chriſtus, Diſcite à me quia humilis, &c. Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam. Et ſupra, Contritionem præcedit ſuperbia, & ante ruinam exaltabitur ſpiritus.

24 Qui cum fure partitur, odit animã ſuam, adiurantem audit, & non indicat.

Odire animam, eſt de ſalute propria periclitari, dignum damnatione committere, quod fit non ſolum peccando, ſed et conſentiendo, præcipiendo, cõſulendo, adulando, non impediendo, in furto participando, tacendo, ſi loquens poterat impedire, & ſi quis adiuratus non indicat pro quo queritur. Similiter animã perdit uel odit, qui dei blaſphemiam audiens, non prodit ad emendationem uel pœnam. Odire animam.

25 Qui timet hominẽ, cito corruet: qui ſperat in domino, ſubleuabitur.

Timorem nimium & imertem ac puſillanimitatem arguit. Impellit enim ad caſum timor ferè in rebus omnibus. Quod iuſtũ eſt magnanimiter ac cum fiducia agendum. Non ſunt in cauſa dei homines timendi. Deo magis obedire oportet quàm hominibus. Fiduciam habens in domino ſuſtentabitur ac proſperabitur. Ad Rom. 5. gradus leguntur, quibus deus fidentem ſubleuat.

26 Multi requirunt faciem principis, & iudicium à domino egreditur ſingulorum.

Inutiliter quæritur fauor & auxilium magnatorum & principis, niſi dominus adeſſe dignetur, qui habet in manu cor principis, & prouidentia ſua cuncta diſponit, cui omnes fortunæ noſtræ committendæ, qui credentibus adeſt. Maledictus qui ſpem ſuam ponit in hominem. Deo enim pro nobis ſolicito, principes uelint nolint nos amare cogentur, & nequeunt obeſſe.

27 Abominantur iuſti uirũ impium: & abominantur impij eos qui in recta ſunt uia.

(Verbum cuſtodiens filius, extra perditionem erit.)

Simile applaudat ſimili. Nulla conuentio Chriſti ad Belial. Excommunicandi eſſent notabiliter iniqui in eccleſia, reſumendus eſſet ritus eccleſiæ uetuſtus, ſicut uerbum dei gratia reſumpſimus, ut & mores redirent ſanctiores. Quæ ſequitur in uulgata æditione parabola, Verbum cuſtodiens, non eſt de textu.

CAPVT XXX.

1 VErba cõgregantis filij uomẽtis. Viſio quam locutus eſt uir, cum quo eſt deus, & qui deo ſecum morante confortatus (ait)

2 Stultiſſimus ſum uirorũ, & ſapientia hominum non eſt mecum,

3 non didici ſapientiam, & noui ſcientiam ſanctorum.

Nondum cõuenit ctiã inter Iudæorũ Rabinos de huius tituli ſenſu, apud quos duplex eſt ſententia. Prima, quam et Lyranus ſequitur, iuxta uulgatã translationẽ edoctus à Iudæis: quam ibidem legas ad longum, et in Ordinaria gloſſa, quam uocant, ex Beda deſumpta. Alia autem magis placet, etiam quibuſdam Iudæorũ conſentientibus, uirorum eſſe nomina quinq;, in hanc ſententiam. Verba, id eſt ſententiæ ac utiles parabolæ ſequuntur, cuiuſdam ſapientis uiri, cuius nomen erat Agur, qui & filius Iake, æque docti & ſapientis prophetæ. Quæ ſummatim conſcripta dudum, ſunt quoddam dogma, onus uel præceptio ardua, ad quendã Itielem. Nec ad ſolum Itielem, ſed ad alium, cui nomen Vchal. Ne ſcilicet putentur Salo Opiniones uariæ.

monis esse, ut aliæ huius libri iam tractatæ parabolæ, solidæ apud ueteres authoritatis, ideo nunc insertæ sunt dictis Salomonis. Habent autem hæc propria nomina interpretationes ferè tales, quales exprimit uulgata æditio, Agur pro Oger, Iake pro Iokia, congregans & uomens. Primum igitur propheticum onus aut dogma est, Vt more sanctorum pius quicunque in initio accusator sit sui, agnoscat suos defectus, sicut Abraham fatetur & scit se puluerem esse & cinerem. Dauid omnes homines mendaces pronuntiat, Isaias confitetur sua immunda labia, Paulus minimum se apostolorũ & indignũ: sic uir iste nihil certius nouit, quantũlibet doctus, quàm se nihil scire iuxta hominem, qui stultitiam putat seipsum contemnere, sola fide niti, pendere ex inuisibilibus. Ideo infert, Non est intelligẽtia hominis mecũ. Quasi dicat, Si quid certo & infallibiliter scio, non humanum est, sed per uerbum dei, cui magis credo quàm ut humano sensu inuestigare præsumam. Non didici sapientiam, id est, studio & industria humana non acquisiui quæ didici, sed uerbo dei & spiritu sancto diuinitus sum edoctus. Et cognoui scientiã sanctorũ, cuius initium est timor domini, & scientia sanctorum prudentia, cap. 9. Potest tamen dici iuxta translationem Syriacam, & grammaticam Iudæorum, Et non cognoui scientiam sanctorum, ut negatio præcedens ad utrunque sensum referatur, ut sit is sensus, Nihil de meo polliceri possum, nondum rerum diuinarum mysteria omnia noui, sicut nec humanarum scientiã rerum omnem consequutus sum. Talis est piorum cogitatio, & uerè doctorum, nihil præsumere de proprijs uiribus, de se humiliter sentire. Quin & reuera nihil est, quod sine uerbo dei scimus, nisi error & inscitia: quod multa etiam in naturalibus ignorentur quàm sciantur, ideo subditur.

4 Quis ascendit in cœlum, atq; descendit? Quis cõtinuit spiritũ in manib⁹ suis? Quis colligauit aquas quasi in ueste mẽto? Quis suscitauit omnes terminos terræ? Quod nomẽ est eius, et quod nomẽ filij eius, si nosti?

Scientia naturalium.

De cœlestibus naturis corporalibus & spiritualibus nihil certi iudicare potest humana eruditio, quod illuc nemo ea perscrutaturus ascenderit, nec descendẽs de cœlo Christus, & uerbũ dei de cœlestibus, huiusmodi quicquam docuerit, ut superuacaneum studium intelligamus earundem rerum hominibus, quandoquidem, utilia nobis deus omnia reuelasse non dubium est. Ventorum ortum docere nemo potuit, quos licet spirare sentiamus, nescimus tamen unde ueniant aut quo uadãt. Qua ratione aquæ contineantur et effluant, nec fines transgrediantur suos à deo constitutos: quomodo in nubes ascendant, imbribus relapsuræ aquæ, & irrigaturæ terras, solius diuinæ est sapientiæ ad perfectum scire, nisi quantum ex sacris literis pro fide & charitate hominibus prodest, omnia scilicet hæc esse dei creaturas, in ministerium electis conditas, qui nomen suum, id est agnitionem bonitatis & gratiæ suæ, electis fidelibus reuelauit patriarchis Mosi & prophetis. Cuius filius, uerbum dei increatum, locutus est per eos, ac postea in terris uisus est, & cum hominibus conuersatus, solusq; credentibus pater ac saluator innotuit. Nomen itaq; dei ineffabile est, & generatio filij æterna etiam credentibus, multo minus philosophis, qui dicunt causam primam esse supra omne nomen, deum esse suum nomen. Nemo nouit patrem nisi filius, et cui uoluerit filius reuelare. Docemur ergo ignorantiam nostram in rebus tam diuinis quàm humanis, nisi quantum uerbo dei erudimur & credimus.

5 Omnis sermo dei ignitus, clypeus est sperantibus in se.

Scientia sanctorum.

Doctrinæ philosophorum ueritatem quidem habent multis respersam & permixtam erroribus ac quæstionibus, uerbum autem dei lucidum illuminans oculos, purgatum septempliciter. Cœlum & terram facilius est perire ac transire, quàm ut iota unum aut apex prætereat, & uerum non doceat, cui & tuto credimus, nec fallere potenti nec falli. Præter quam scripturam nullum est fundamentum fidei. Clypeus est sermo dei contra tentationes, quo & Christus uti nos docuit suo exemplo. Si enim libido nos tentauerit & fornicatio, habemus uerbũ dei, Fornicatores & adulteros iudicabit deus, Hebræorum ultimo. Omnis fornicator & immundus non habet hæreditatem, &c. Si auaritia, legimus, Væ uobis diuitibus, &c. Sic de alijs omnibus uitijs, ex ueteri & nouo testamento. Credentibus autem in deum nihil nocere potest. Protector est omniũ sperantiũ in se. Qui confidit in dño sicut mons Sion, &c. Beati omnes qui confidunt in eo.

6 Ne addas quicquã uerbis illius, & arguaris, inueniarisq; mendax.

Deut. 4. Non addetis ad uerbum quod uobis præcipio, nec auferetis, &c. In fidei articulis & conscientiarum negotio, nihil præsumendum, nihil docendum, nisi uerbum dei, ut euadamus mẽdacium, ne legem dei quasi incompletam præsumptuosi redarguamus, quasi cæcam traditione nostra illustrare solem ueritatis uelimus, et improba nostra iustitia reformare dei leges præsumamus, stulti & superstitiosi meritoq; damnandi, & à dño redarguendi mendacij. Locus est contra traditiones humanas.

7 ¶Duo rogaui te, ne deneges mihi antequam moriar,

8 Vanitatem, & uerba mendacij lõge fac à me. Mendicitatẽ, & diuitias ne dederis mihi: tribue tantum uictui meo necessaria,

9 ne forte satiatus illiciar ad negandum, & dicã, Quis est dominus? aut egestate compulsus furer, & periurem nomen dei mei.

Verba bona & mala.

Si tueri se posset à peccatis etiam sapiens, suo libero arbitrio, non tam serio dei gratiam imploraret. Coniungit autem uerbum uanum & mendosum, id est pernicio sam locutionem, et diuitias ceu fontes & occasiones multorum malorum. Corrumpunt enim bonos mores mala colloquia. Et qui diuites fieri uolunt, incidunt in tentationes. Sicut & Salomoni imposuerunt diuitiæ, promouent enim superbiam, auaritiam, libidinem, rapinas, cædes. Paupertas uero mundana mater est impatientiæ, murmurationum, blasphemiæ, furtorum, mendaciorum, susurrationum, adulationum, latrociniorum, hypocrisis. Habentes autem uictum & quibus tegamur conteti simus

mus: laboremus ut superſit ad dandum egentibus, nõ demus ut accipiamus.

10 Ne accuſes ſeruum ad dominũ ſuum, ne forte maledicat tibi, & corruas.

Seruitus. Seruorum genus uel miſerum eſt uel malignum, utraque ratione non eſt traducendum dominis ſuis. Non eſt addenda afflicto afflictio. Nec dominorum ferocia exacuenda magis, Leuit. 25. & ad Coloſ. 4. Nec ſi malignus eſt ſeruus & intractabilis, magis erit irritandus: alioqui flagris & uerberibus ad iram & impatientiam nutriti à puero, parati ad nocendum erunt ubi poterunt: quòd ſi tibi nocuerint imputabis tibi, qui miſerum nimiũ afflixiſti, & irritaſti iracundum. Dici etiam poteſt, Ne dominus ſeruo conciliatus in te moliatur malum delatorẽ, qui pacis & clementiæ ſequeſter eſſe debueras: multo minus filij, uxores, amici ueniunt accuſandi.

11 Generatio quæ patri ſuo maledicit, et quę matri ſuæ non benedicit.

12 Generatio quæ ſibi munda uidetur, & tamen non eſt lota à ſordibus ſuis.

13 Generatio cuius excelſi ſunt oculi, & palpebræ eius in alta ſurrectæ.

14 Generatio quæ pro dentibus gladios habet, et cõmandit molarib⁹ ſuis, ut comedat inopes de terra, & pauperes ex hominib⁹.

Crimina notantur. Quatuor hic genera criminum notantur. Primum, impietas & ingratitudo filiorum in parentes, de quo Leuitici 20. Qui maledixerit patri, &c. & Tobiæ 4. Honorem habebis matri tuæ omnibus diebus uitæ eius, memor enim eſſe debes, quæ & quanta pericula paſſa ſit propter te in utero ſuo. Et Eccle. 3. Secundum eſt, Hypocriſis, de qua multa ualde, Matthæi 6. 7. 15. 22. Eſt enim duplex iniquitas ſimulata ſanctitas. Tertium eſt, Arrogantia & ſupercilium, ſuperbia oculorum, contemptus aliorum, quibus nihil proprium diſplicere poteſt, qui alta ſectantur, & quæ ſupra ſe ſunt. Quartum, Sæuitia, crudelitas, pauperũ oppreſſio, tyrannis, quæ intelligitur per dentes & gladios molares deuoratores, qui machinantur damnum famæ uitæ rerum & animæ, maxime autem principum, qui perdunt quos tueri & fouere debuerant.

15 Sanguiſugæ duæ ſunt filiæ (dicentes) Affer affer. Tria ſunt inſaturabilia, & quartum quod nunquam dicit Sufficit,

16 Infernus, & os uuluæ, & terra quæ nõ ſatiatur aqua: ignis uero nunq̃ dicit Sufficit.

Vni duplicitas. Vni matri philautiæ duæ ſunt filiæ inſatiabiles, Auaritia et Luxuria. Prima ſemper cupit argentum, aurum, diuitias: nunquam impletur anima auari, Eccleſ. 5. Luxuria uero uoluptates ſectatur, quibus nutritur & augetur. Eccleſiaſtici 23 Fornicario homini omnis panis dulcis, non fatigabitur tranſgrediens uſque ad finem. Sunt autem hæc duo uicia unius matris filiæ Amoris ſui, qui ædificat ciuitatem diaboli. Præter quas duas filias, mundanis hominibus deſponſatas, etiam ſi ſpirituales nominentur, ſunt alia tria inſatiabilia, cui quartum quoque iungitur æque uorax, ſcilicet ſepulchrum, quod corpora depoſita abſumit continuo, Clauſtra uentris muliebris, quæ libidine non ſatiantur, Terra quæ imbribus ſemper eget, & non ſatiatur aliquando, Ignis denique tanto magis feruet ac creſcit, quanto lignorum fomentis magis nutritur. Et ſignificat alia quatuor ſpiritualiora, præ fidem inferorum diabolum animas ſeducentem, concupiſcentiam carnis, concupiſcentiam oculorum, & ſuperbiam uitæ. Interimq; monemur hac parabola, ut mortis neceſſitatem ineuitabilem meditemur, libidinem fugiamus, irriguũ gratiæ diuinæ deſideremus, ne ſteriles ſemper maneamus, ac in amore cœleſtium bonorum toti ferueamus, & gratiarum actionibus in deum eleuemur.

17 Oculũ qui ſubſannat patrẽ, & qui deſpicit partũ matris ſuæ, ſuffodiant eũ corui de torrentibus, & comedant eũ filiæ aquilæ.

Impietas in parentes. Impij in parentes, & tot laborum ingrati contemptores, non ſolum immatura morte merito præueniũtur, ſed & turpiter occiduntur & crudeliter, ut inſepulti quoq; beſtijs deuorandi abijciantur, qui beſtias uicerunt crudelitatis crimine. Exponitur etiã de contemptoribus patris cœleſtis, & irriſoribus eccleſiaſticæ diſciplinæ, quorum oculos & intentionẽ effodiũt ſancti prædicatores, ſanctis ſcripturis, quæ fluenta dicuntur, & filij aquilæ, id eſt Chriſto renati filij, qui in carne ad cœlum euolant.

18 Tria ſunt difficilia mihi, & quartum penitus ignoro.

19 Viam aquilæ in cœlo, uiam colubri ſuper petram, uiam nauis in medio mari, & uiam uiri in adoleſcentula.

20 Talis eſt uia mulieris adulteræ, quæ comedit, & tergens os ſuum, dicit, Non ſum operata malum.

Curioſitas humana. Modus loquendi per correctionem ſermonis: quaſi diceret, Tria quidẽ difficilia ſunt, ſed æque difficile quartum occurrit, cui nihilominus tandem quintũ quoq; addit, Adulteræ mulieris procacitatẽ, & malignã uafriciẽ. Exponuntur multipliciter à Beda & Lyrano ac Iudæis. Videtur ſimpliciter hæc parabola monere, de non perueſtigandis rebus imperſcrutabilibus & ſuperuacaneis, ſuo curſu naturaliter ac temere ſine ratione agentibus. Maxime autem mulierum ingenia maligna cauenda docet, & de ſecrete ſeruandis uitijs uxorum, ac prudenter cauendis. Sunt enim imperueſtigabiles uiæ non ſolum aquilæ, quæ in altiſſimis uolat, ut uideri uix ualeat, nullũ poſt ſe relinquens uolatus ueſtigium, ſed & aliarum auium. Cœlũ aũt pro aëre capitur in ſcripturis. Sic uia ſerpẽtis ſuper petrã, quandoquidẽ ſine pedibus eſt, & nullo certo pergit itinere: cauet enim ne ex ueſtigijs deprehendatur ab hominibus ſuis hoſtibus, corporis autem mobilitate delet, ſi quæ ueſtigia remanerent. Via deniq; nauis euaneſcit citiſſime. Via quoque uiri, id eſt cogitationes, quibus agitatur iuuenis circa adoleſcentulam, quam deamat. Studia quibus ambit procus ſponſam, pro uiribus abſcondit ab alijs. Sic tandem adultera mulier, conſtanter negat nephas.

21 Per tria mouetur terra, & quartum non poteſt ſuſtinere,

22 Per seruum cum regnauerit, per stultum cum saturatus fuerit cibo,

23 & per odiosam mulierem cum in matrimonium fuerit assumpta, & per ancillam cum fuerit hæres dominæ suæ.

Pacis impedimenta.

Placet sententia circa literam præ alijs, Publicum malum & non sustinenda pernicies est, quodlibet illorum quatuor, propter quæ labefactatur pax in mũdo et tranquillitas. Primum est, Seruilis conditionis homo, si liberis cœperit imperare, exemplum de Ieroboam. Asperius nihil est humili cum surgit in altũ, cuncta ferit cum cuncta timẽt, desœuit in omnes, ut se posse putat. Nec belua tetrior ulla est, quàm serui rabies in libera colla furentis. Secundum est, Stultus delicate nutritus, & insperato ditatus, nescit diuitijs uti, insolẽtior redditur q̃ ut ferri possit. Tertium est, Morosa & improba mulier, ejcit enim de domo uirũ, ut fumus et stillicidiũ. Vide Mantuani Aeloga m. Quartum, Si cœperit ancilla dominari in domo, si præ uxore uel domina magis amẽtur uel honoretur. Potest æque dici moraliter, Intolerabilia esse, si subditi nolint obedire, si impij ditentur, si inter coniuges odiũ semi netur, si sensu prauo præditi fortunentur insolentius. Hodie quatuor cernuntur mala his similia. Serui seruorum qui dicuntur, sibi usurpant imperia, inutilissimi mundo & indoctissimi affluentissime uiuunt. Rixosa prophetia desponsata est theologis, & quæstus pietatem oppressit, filia matrem uel ancilla dominam.

24 ¶ Quatuor sunt minima terræ, & ipsa sunt sapientiora sapientibus:

25 formicæ populus infirmus, qui præparat in messe cibum suum:

26 lepusculus plebs inualida, qui collocat in petra cubile suum:

27 regem locusta nõ habet, & egreditur uniuersa per turmas suas:

28 stellio manibus nititur, & moratur in ædibus regis.

Mores discendi ab animalibus.

Monet ex animalibus minutissimis mores discendos, Formica docet prouisionẽ necessariorũ ex laboribus oportuno tẽpore, nõ obstante corporis imbecillitate. Pro lepusculo alij dicũt, uel herinacium, uel cuniculum, uel echinum terrestrem, qui in petris sibi cubilia prouident, fragilitatis suæ conscij. Docẽtq; infirmos de prospicien do refugio oportuno, & qui peccatorum morbo se debiles agnoscunt ad petram Christum confugiant. Locusta infinitæ multitudinis sine rege uolans ad opera sua, de qua Plinius lib. 11. cap. 29. Docet concordia res paruas crescere, bonũ Reip. pariter promouere, ac magistratibus obtemperare. Stellionem Hebræi Araneum dicunt manibus miro ingenio semper laborantem, docens laborari semper instandum, sed magis conari ad utilia & duratura, ne quis sese sine profectu exhauriat. Alij Simiam dicunt in delitijs regibus. Nomen habet à uastando, quicquid tandem id sit. Variãt enim Iudæi significationes nominum, animaliũ, lignorũ, lapidum, & rerum naturaliũ ferè omnium.

29 Tria sunt quæ bene gradiuntur, & quartum quod incedit feliciter:

30 leo fortissimus bestiarum, ad nullius pauebit occursum:

31 gallus succinctus lumbos suos: & aries, nec est rex qui resistat ei.

Magnanima animalia.

Quatuor esse animalia magna, quæ fortiter & animose agunt sua opera, quibus resistere stultitia sit, Leo qui non nouit trepidare uel fugere, uel uinci à cæteris, Gallus uel canis uenatitius, adoriri solet animalia multo se fortiora, Aries greges antecedit, ducit, defendit cornibus in eum usum acceptis. Intelligũt aliqui regna Iudæis contraria. Glossa Hebraica, uult subesse mysterium quod ignoretur. Ego malim fateri ignorantiam.

32 Et qui stultus apparuerit, postquã eleuatus est in sublime: si enim intellexisset, ori suo imposuisset manum.

Stultitiã insignem docet sese efferre, nimis præsumere, ad altiora conari. Cui simile sit malũ moliri, dolose agere, hypocritã referre, quæ utraq; sequitur confusio, dum stultitia & dolus diu latere nõ possunt. Manũ ori imponere, est confundi coram hominibus. Noli altum sapere sed time. Non plus sapias quàm oportet sapere, &c.

33 Qui autem fortiter premit ubera ad eliciendum lac, exprimit butyrum: & qui uehementer emungit, elicit sanguinẽ: & qui prouocat iras, producit discordias.

Ne quid nimis.

Ne quid nimis in omnibus rebus. Non opprimendus est nimiũ populus, nec libertati nimiæ permittendus. Nõ nimis quoq; mulgenda est sacra scriptura, ne sicut Origenes pissimus alioqui & eruditissimus Christianorum doctor, et ferè tota Alexandrina schola, mysticis & anagogicis expositionibus eludamur. Ad sobrietatem hortatur Paulus. Iracundi quoq; non sunt irritandi.

CAPVT XXXI.

1 VErba Lamuelis, uisio qua erudiuit eum mater sua.

Additio est fragmenti probabiliter à Salomone conscripti, ad suipsius commonitionem, ac regum omnium, de fugiendo luxu & ebrietate, ut iuxta legẽ dei regnaret religiosius. Quæ licet iam senex non seruauerit, ac uitæ portionem transegerit in peccatis, uerisimile tamen est domini gratia præuenum in fine uitæ sicut in principio, & hanc matris suæ exhortationem, quasi peccati sui confessionẽ resipiscendo descripsisse. Lamuel לְמוּאֵל *enim potest interpretatum dici, Cum quo deus. Vnde discant reges suspectas sibi habere diuitias, potentiam, & licentiam regiam, maxime uero crapulam, ebrietatem, & incontinentiam cum mulieribus, inde solitam nasci, quamq; nihil sint & possint sine deo & iustitia. Discant quoque etiam à mulieribus moneri in bonum, non esse contemnendum.*

2 Quid dilecte mi, quid dilecte uteri mei, quid dilecte uotorum meorum?

3 Ne dederis mulieribus substantiã tuam, & uias tuas ad delendos reges.

Quasi dicat, orando magis quàm imperando, ut facilius impetretur: Moneo te fidelis mater, charissimũ pignus uteri

admonitio regis. uteri mei, obsequere oro uotis his meis æquissimis, quem cupio regnare felicissime, pro quo orationum & laudum uota quotidie deo offero, quo per omnia diuino beneplacito te coaptes. Caueas diligenter de stulto ac periculoso amore mulierum, à crudelitate et effusione sanguinis in regum debellatione, & ab ebrietate, quam comitantur insolentia, stultitia, iniustitia, seditio & bella. Libido enim dissoluit mores, minuit authoritatẽ, aufert opes, sanitatem & uitam. Qui nutrit scortũ, perdet substantiam. Ne des mulieri potestatẽ animæ tuæ. &c. Non studeas amplificationi regni tui, sed quod deo dante contigit, iuxta uerbum domini gubernes. Non uelis tam magnum quàm iustum imperium: non ut alios deleas, sed ut tuum regas contende.

4 Noli regibus, ô Lamuel, noli regibus dare uinum: quia nullum secretum est, ubi regnat ebrietas:

5 ne forte bibant & obliuiscantur iudiciorum, & mutent causam filiorũ pauperis.

Non expedit reges indulgere uino, studere ebrietati, dandũ. gulæ & libidini uiuere, quæ auferunt cor, submouent sanam mentem, Oseæ 4. Isaiæ, 28. Eorum autem est prudenter expendere regni pacem ac tranquillitatem, manu tenere iustas leges, prodesse per omnia reipublicæ, subuenire oppressis, iudicare pupillo, defendere uiduam, ut luxui desit otium & occasio.

6 Date siceram mœrentibus, & uinum his qui amaro sunt animo.

7 Bibant & obliuiscantur egestatis suæ, & doloris sui non recordentur amplius.

Quasi dicat, Non oportet regibus alioqui delicate uiuentibus maioris insolentiæ fomenta præstare, ut uino in ebriati intolerabilius insaniant, abutendo potestate sua: sed afflictis & anxijs, uini solatium præbeatur, quo iucundiores leuius ferant calamitates & dolores mortis. Hodie uinum bibitur à principibus, cum uini iniuria, & blasphemia eius qui condidit uinum, & cum contumelia bibentium, contra dei præceptum, ad ebrietatem sine gratiarumactione, ad solam malitiosam libidinem.

8 Aperi os tuum muto, & causis omnium filiorum qui pertranseunt.

9 Aperi os tuum, decerne quod iustum est, & uindica inopem & pauperem.

Officium iusti regis est, diligenter ac liberaliter tueri egenos, & oppressos à potentioribus, patricinio & gladio, eos scilicet, qui pro se loqui non audent, uel nesciũt, cum sint innocentes, qui à filijs huius seculi prudentioribus in sua generatione, inuersione & deprauatione iudicij per fas et nefas, uel à procuratoribus astutis & iniquis, qui dicuntur hic filij cõmutationis uel duplicitatis, minime simplices in malo, opprimuntur & iniuriã sustinent. Hos tu ex officio, ô rex iuste, uindica & defende, egenos et pauperes, sine respectu personarũ et munerũ.

ALEPH. א

10 Mulierem fortem quis inueniet? procul, & de ultimis finibus pretium eius.

Carmen ultimo adiectum exponitur à nostris mystice de ecclesia quæ spirituales filios generat, & de cuiuslibet fidelis hominis anima deo desponsata. Rabi Salomon sacram scripturam intelligit hãc mulierem, quem Lyranus sequitur. Nobis placeat certissimus & utilissimus literalis sensus, ut sit formula quædã & regula, uel institutio probæ, honestæ, prudentis & fidelis mulieris, & matrisfamiliæ, idq; sub carminis figura decantandũ à uirginibus & fœminis, quo admoneantur cõditionis & officij sui, ut discant mores, studia & probitatẽ, quibus ornent seipsas, maritos suos, filios, cognationẽ totam, & familiã suam nobilitent. Vt cũ tot ac tanta de uirorũ sapientia & laudibus bonorũ filiorũ descripta legerimus in hoc uolumine, de insolentia quoq;, petulantia, ac stultitia malarum mulierum, non pauca inspersa sint, nunc quoq; honestissimæ laudatissimæq; mulieris typus, cum dignis laudibus, ad probarũ gratiã ac improbarũ emendationem & exemplũ stilo amœnissimo, & alphabetario ordine describatur. Opiniones

Dicitur autẽ mulier fortis, id est uxor fidelis, proba, sapiens, honesta, firma fide ac stabilis ad maritũ. Quam & difficile sit inuenire, & non nisi insigni dei gratia contingere uxorẽ uiro bono. A dño proprie uxor prudens, supra 19. Non ait diuitem, formosam, nobilẽ genere, sed fortẽ, sanam, strenuem in bono, quæ marito perseueranter adhæreat officio & amore, parata ferre omnem fortunam cum uiro, non molli aëre instabiliorem mulierem, quæ leuiter irritata mutetur ad odium inexpiabile, quæ petulantia sua & incuria conquere uelit assiduè, uictu & amictu insolentiore quicquid maritus domũ laborioſe intulerit, et sudoribus partum assiduis: quæ filiorum curã gerere detrectet, uix dignata lactare et alere prolẽ, sed otiosa fallere tẽpus garrulitate sua & ineptijs, ne quid dicatur turpius. Huiusmodi autem sensatã & honestam consortẽ, à marito ut propriam animã & corpus diligendã docet uerbũ dei, talis omnibus margaritis charior ac pretiosior in honore habeatur, ametur, feratur & laudetur. Vnde hic locus cõmunis tractãdus de laudibus fœminarũ sanctarũ, quarũ inestimabile sit pretiũ, & thesaurus pretiosissimus, optimis margaritis eligibilior ex remotissimis prouincijs inquirẽdus, inuentu aũt difficilis inter homines. Mulierum laudes honestatum.

BETH. ב

11 Confidit in ea cor uiri sui, & spolijs non indigebit.

Eatenus se uxor honesta fidelem, ueracem & amabilem exhibet marito suo, ut illi tuto fidere possit, aliã adamare non libeat: non appetit uel exigit uictũ et amictũ pretiosum, quo maritus malis artibus quæstũ parare cogatur uxoris insolentijs gratificaturus. Nihil uirtuosa uxor expendit inutiliter, prouidentia sua necessariã suppellectilẽ manuũ suarũ labore procurabit: quæ nomine spolij tropo Hebraico designatur, eo q; pateat deprædationibus militũ in bellis, & hostiũ. Nihil domui necessariũ abesse patietur sensata materfamiliãs, suo oĩa tempore disponit & ordinat, nõ est intẽta libidini, sed curæ domesticæ. Verax uxor.

GIMEL. ג

12 Reddet ei bonum, & non malum, omnibus diebus uitę suæ.

Officiosa uxor.

Offenso marito quacunq; ex causa, non dure respondet, non uerbum uerbo rependit, maledictũ maledicto nõ retaliat, sed uerbo bono uincit malũ, modestia sua ac prudentia superat morositatẽ uiri, placat iracundiã, fert sæuientem, mitigat irritatũ: quin et amat ac benefacit, nec solũ à uiri dedecore abstinebit & murmure donec uir uixerit, sed donec ipsa quoq; uiuat: etiam si ad secundas transierit nuptias, à prioris tamẽ mariti detractiõe prorsus abstinebit. DALETH. ד

13 Quæsiuit lanam & linum, & operata est consilio manuum suarum.

Operosa.

Necessarij operis materiã sine molestia uiri acquirit, instat alacriter ac solicite operi, pro uestitu suo & familiæ, pprijs manibus, utilitatis gratia et exempli laborat, non fert otiũ in se uel in familia aut liberis. Lanam & linũ pro suo uestitu & familiæ acquirit, utq; habeat quod insuper uendat. Solent mulieres studiosius hæc curare, & uelut admonet Salomon hoc cantico, ut incumbant fœminæ huiusmodi curis. HE. ה

14 Facta est quasi nauis institoris delõge portans panem suum.

Prouida.

Naues de remotis aduectæ, res pretiosas necessarias ac utiles copiose adferunt, ut amplius lucrentur: sic studiosa mulier, curat abundare domum rebus necessarijs, ut sine suæ domus damno indigẽtibus ualeat largiri, nec expectat necessitatis articulum, sed præuenire summopere studet indigentiã & defectum domus. Panis nomine Hebræus intelligit omnem cibum, & quicquid necessarium est uictui & potui. VAV. ו

15 De nocte surrexit, deditq; prædam domesticis suis, & cibaria ancillis suis.

Sedula.

Præoccupat sedula materfamiliãs auroraã, nõ ut ignaua atq; otiosa dormit in diem, domesticis procurat cibũ in tempore, ancillis cõmendat utiles operas diurnas, subornat negotia ancillarum, ut omnia in tempore fiant, cũ utilitate & sedulo. Expedit occupatissimas esse in familiaribus negotijs, non otiosas, curiosas, loquaces, uagabundas, libidini seruiẽtes, ac dissipatrices rei familiaris.

ZAIN. ז

16 Consyderauit agrum & emit eum, de fructu manuum suarum plantauit uineam.

Solicita.

Solicite secum cogitando pensat commodum rei domesticæ, & si prosit habere agrũ uel uineã, operas compensat & fructũ, laboribus non parcit, etiã proprijs manibus instat ut opportune foris colantur, nõ solũ domi sedula. Contra matronas hæc scribuntur, et sunt canenda, quæ domi & foris otiosæ uacant uerbis otiosis uel libidini, totos expendunt dies compturis, & uestium curæ, ut placeant ad luxum, non tantum maritis.

HETH. ח

17 Accinxit fortitudine lumbos suos, & roborauit brachium suum.

Proba & fortis.

Proba mulier tantum cogitat de bene regenda domo & familia, de filijs religiose & honeste instituendis, uti liter rebus administrandis, quæ marito curante obueniunt. Ideo incumbit strenue semper & indies confirmatur, uiresq; laborando impendit, non sectatur delitias, et

cuticulæ teneritudinem nõ ambit. Merito fortis dicitur mulier, quæ fragilitatẽ sexus sapientia et probitate compensat ac superat. TETH. ט

18 Gustauit quoniam bona est negotiatio eius, nõ extinguetur in nocte lucerna eius.

Vtilis.

Sentit diligentiæ & circunspectionis suæ fructum, & laboris assidui, qui redit illi ex utilibus studijs, ditescitq; eatenus, ut de prouentu uinearum & agrorũ copia uendere quædam possit. Noctu non cessat laborare ad lucernam cum domesticis, uel non patitur abesse ignem noctu domui, uel consolabitur tẽpore aduersitatis, cum alij anxiantur & turbantur. IOD. י

19 Manũ suam misit ad fortia, & digiti eius apprehenderunt fusum.

Intenta.

Intenta est parandis uestibus lineis & laneis, operi apto fœminis, quod & facile queat pro alijs necessarijs rebus interrumpi, ut est fila trahere, nere, texere. Relin quo allegorias suis authoribus, qui hic exponunt fortia, id est perfecta opera, & fusum cũ colo mystice tractãt.

CAPH. כ

20 Manum suam aperuit inopi, & palmas suas extendit ad pauperem.

Benifica.

Misericors & benefica est ad pauperes, quibus ad omnes necessitates sedula occurrit, iuuando infirmos, debiles, idq; proprijs dignatur manibus, non ancillarũ: repetitur quasi eadem sententia, more poetico & cantionum, de eleemosyna pauperibus largienda, non otiosis uel diuitibus carnalibus. Improbæ aũt iudicantur & degeneres, quæ sine misericordia sum & inclementes fœminæ uel crudeles, audent enim tales quicquid libet. Exponunt nostri de eleemosynis quas facit ecclesia, quæ hodie magis recipit & exigit sibi quàm faciat: & per palmas intelligunt prædicatores, quos mittit pro uerbo dei, & prædicandis indulgentijs, nimirum Papalibus, en pulchram ecclesiam & expositionem.

LAMED. ל

21 Non timebit domui suæ à frigoribus niuis, omnes enim domestici eius uestiti sunt duplicibus.

Prouida.

Prouidentia sua amefertur ad procurandum uestitum familiæ, & eum duplicem, pro frigore & æstate, ne uel inutiliter atterantur, uel necessaria desint. Semper lætabitur, certa de parata prouisione necessariorum domus suæ. Tales esse debent matresfamiliæ, talia prædicari debent ad literam. Hæc regula scripta est matronis, longe utilior quàm monacharum otiosarũ & garrularum, de quibus Paulus sub nomine uiduarum iuuencularũ, quòd nihil minus sint istæ quàm castæ corde, & uirgines corpore. Duplicibus dicitur, non ad luxum mutãdis, ut nũc fit à fœminis, quæ domorum dilapidatrices alicubi pretiosiores uestes asseruant, quàm sit tota suppellex domus residua: hæc uerbo dei emendari deberent.

MEM. מ

22 Stragulatam uestẽ fecit sibi, byssus & purpura indumentum eius.

Decora.

Non indecens est mulieres ornari, sed moderate ac honeste, extra cœtum ecclesiasticũ, quem iuxta Apostolicã doctrinam

doctrinam tectæ ingrediantur. Duplo autem ornabitur, si ornatum suum proprijs manibus parauerit, & à mariti exactione temperauerit, specimen honesti ingenij & minime otiosi. Byssо candido & purpura sanguinei coloris, ad decorẽ induitur proba mulier, non auro textis & gẽmatis uestibus, sed castitate, amore, et fide ornata.

NVN. נ

23 Nobilis in portis uir eius, quãdo sederit cum senatoribus terrę.

Honorata. Maritus talis fœminæ, tuto foris residet ad publicas functiones & honoratus, qui domi habere se nouit sedulam & pudicam matremfamiliãs & uxorẽ, ut nihil de rebus domesticis interim negligatur, ipse nulla cura torquetur, sed uacare posit regimini reipublicæ, & consilijs. Senes olim moribus & experientia residebant cum authoritate in portis.

SAMECH. ס

24 Sindonem fecit & uẽdidit, & cingulum tradidit Chananæo.

Laboriosa. Ex lino suo, fœmineo opificio suo tam sedulo domui suæ prouidet linteamina, cingulos & reliqua necessaria, ut habeatur residuũ, quod pro pecunia distrahatur. Nec quicquam patitur in domo relinqui inutile, uendit potius superflua ad cõmoditatem domus. Satis hæc ædificare possunt ecclesiam, si doceantur matronæ laborare utiliter, & prouidẽtiam sedulam circa regimen domus, ut Paulus quoq; docet.

AIN. ע

25 Fortitudo et decor indumentum eius, & ridebit in die nouissimo.

Decora. Mente spectabilis est & moribus, non tantum uestium cultura decora, sed prudentia insuper & honestate celebris. Diebus senectutis suæ lætabitur de fructu laborum & probitatis, de domesticis suis sua ipsius opera bene institutis, de prole post se relinquenda sine diffamia & egestate uictura. Deniq; risus et gaudiũ tutiora sunt uetulis quàm iuuenculis, quas ornat uerecundia, pudor, timor ac taciturnitas. Non decet publicus risus & leuitas, paueant omnia, & nemini satis fidant uirgines.

PHE. פ

26 Os suum aperuit sapientiæ, & lex clemẽtiæ in lingua eius.

Loquens. Euincit proba huiusmodi mulier, fœmineam loquacitatem, ut raro, prudenter & uera tantum loquatur, & honesta ac pudica omnibus modis, multo minus amatoria cantillabit carmina, minime omniũ impudica, instruit familiam de timore dei et de morũ disciplina. Lex quoq; probitatis in lingua eius, inepte ac turpiter nihil loquitur, sed quæ prosint, & ad legis diuinæ obseruantiã spectene, studiosa semper ac religiosa meditatur ac loquitur, tempus sibi suffuratur quo sacra legat & audiat.

SADE. צ

27 Consyderat semitas domus suæ, & panẽ otiosa non comedit.

Occupata. Occupatur studiosc circa curam domesticam, prospicit diligenter in omnia, negligentiæ & confusioni occurrit, non ferens quempiam in domo sua otiosum, quin & ipsamet panem otiosa non sumit, alijs omnibus mulieribus ad exemplum, sciens æquum haberi, ut qui non laborat non manducet. Iam autem prædictum est, quid operetur, non uana sed utilia, non curiosa sed necessaria, non ad superbiam sed ad honestatem. Non ergo mulieres se iactent non oportere eas incumbere nisi ad gratificandũ maritis & nutriendum filios: hoc carmine docentur de omnibus, maximè ne sint otiosæ, unde propendeant ad crimina.

COPH. ק

28 Surrexerũt filij eius, & beatissimã prædicauerunt: uir eius, & laudauit eam.

Laudata. Sapiens mulier generabit non degeneres filios, quos in super nutriet in timore dei, in omni honestate, qui & semper iactare se digne poterunt, de prudentia suæ matris, quæ hæc uel dixerit aut egerit: sicq; honestatis exempla & morum ad suos quoq; posteros propagabunt. Id maxime curandum parentibus, ut prolem neutiquam scandalizent uerbis aut factis. Maritus quoq; huiusmodi uxorem amabit, ut seipsum, in cœtu uirorum suam in primis laudabit, aliasq; ad exẽpla eius prouocabit: ut Christus ecclesiã, sic suam amat, et Abraam audit, Quicquid tibi Sara loquitur facias, probat consiliũ et opus uxoris.

RES. ר

29 Multæ filiæ congregauerunt diuitias: tu supergressa es uniuersas.

Diues. Iudæi exponunt multæ filiæ fortiter agent, dicuntq; eam esse laudem quam talis mulier promeretur à filijs et marito, ut dicant ei applaudentes, Nulla inuenietur similis matri nostræ fœmina, quæ tam prudenter & honeste egerit omne opus bonum, ipsa superat alias cunctas etiã bonas. Sic enim non iniquum est rependere tot uirtutibus dignam gratiam filios matri, quam cum opere non possint, parẽ saltem uerbis testentur gratiam. Nec hic timendum ne excedant filij, excusabit enim pietas & deuotio. Nec mulier tam fortis & prudens in superbiã elabitur, sed gratulabitur sibi de suorum gratitudine filiorum, & quod non confunditur ex filiorum dedecore, sed magis glorificatur de eorum uirtute. Non sunt contemnendæ mulieres cæteræ, multæ quidem optimæ repertæ sunt, habent sanctæ suas in scripturis laudes, & apud Ethnicos. Sed liceat filijs suam matrem præ alijs omnibus amare & laudare. Sic & marito conuenit, ut nullã magnificiat ex animo fœminam, nisi suam honestam ac probam, quantumlibet in alijs bona aduertat.

SIN. ש

30 Fallax gratia, & uana est pulchritudo: mulier timens dominum ipsa laudabitur.

Timẽs deũ. Non commendat uxorem uultus gratiosus, & fucus membrorum, quæ fallunt animos procorum, & in perniciem ducunt, si desit probitas, & fortitudo animi. Difficile enim custoditur quod à multis amatur, cito perit forma, nec iratum conciliat, quã tunc uix libet intueri. Placet autem animus candidus, uirtuosus & constans, nec dignior ornatus, quàm dei timor & honestas morum, ab omni malo & turpi abhorrens, qua ratione laudetur & ametur à marito & filijs, quam cæteræ uirtutes comitantur.

THAV. ת

31 Date ei de fructu manuum suarũ, & laudent eam in portis opera eius.

Honorata. Talis materfamiliâs beneficijs & officijs filiorum & mariti, donec uixerit honoretur, dum cœperit iam anus uiribus destitui studiose iuuetur, sicut eidem cura fuerat de omnibus, sic ab omnibus insolidum uicißim colatur religiosißime. Si decedat prior maritus & genitor, ipsa in hæreditatis distributione sua digna portione minime fraudetur, factis honoretur & uerbis, laudetur quoq; in publico ad exemplum mulieribus, quod studeant æmulari, & ad ignominiam inhonestarum & morosarum fœminarum. Virtus enim laudata crescit. Literalem sensum inquisiui studiosius, quem si inuenerim iudicent pij Lectores, quo habito uel ædificetur ecclesia, uel si libet altiora requirere uideant ne periclitentur. Moralis est totus liber, docetq; deibeneplacitum, cui obsequentes & deo digne placeamus & hominibus, Amen.

FINIS.

SVMMA VERSVVM D.CCCC.XV.

COMMENTARIVM IN ECCLESIASTEN, QVI HEbræis Koheleth dicitur.

CAPVT PRIMVM.

1 VERBA ECclesiastę filij Dauid regis Ierusalem.

Ecclesiastes hic libellus q dicitur, nõ dissimili traditionis filo descriptus est ei qui in parabolarũ libro habetur. Sunt enim magna ex parte collectæ quædam sententiæ sapientißimi Salomonis, sine diligentia ex quisiti ordinis, cõgestæ, ut uidetur simplicioribus. Ideoq; difficile se explicare ualuerunt tractatores huius libri, superstitiosius intendentes continuationi sententiarum & cõnexioni, sæpeq; coacti sunt trahere reclamãtia uerba in sensum absonum, ac minime genuinũ. Omnium aũt quæ dicuntur in hoc libro & disputantur, expositionis suæ lineam trahunt, & scopum unicum ex initio huius libri de uanitate rerum, & ex eiusdẽ fine de timore dei & obedientia præceptorum, omnibus studijs præponendis & occupationibus mundanis quibuscunq;, ut uiuentibus præter timorem dei religiosum & castũ, obedientiamq; mandatorum eius, omnia sint ipsißima uanitas, quæ in hoc mundo fiunt. Quicquid sine pietate & charitate homines conantur, non aliud habeatur & sit, q̃ inanis afflictio spiritus, qui sine prouidentia dei & gratia nihil proficit, à quo se sciat homo totũ pendere, cuius

Sententiæ collectæ.

prouidentia omnia reguntur, cui omnia nostra committenda sint cui ratio tandẽ reddenda de omnibus quæ geruntur ab hominibus, ut in omnibus actionibus deũ cogitemus, & quæ nobis præceperit instanter implere contendamus. Euentũ uero operũ nostrorũ dño commendemus, qui omnia agit in omnibus. Creaturis dei minime abutamur, sed ad ipsius creatoris beneplacitũ. Inde enim bonis omnia bona erunt, sicut destitutis timore dei & obedientia omnia sunt uanitas. Indicat aũt titulus collectas esse hoc libro exhortationes quasdã, ad ecclesiam fidelium pertinentes, protempore dictas à Salomone rege filiorum Israel felicißimo, filio Dauid uiri dei. Qui rex Israel hoc loco se concionatorẽ nominans, sub fœminina forma uirum significando קֹהֶלֶת. Qui & Salomon similis formæ fœmininæ שְׁלֹמִית dictus est, & יְדִידְיָה Idida, dilectus dei uel amabilis, fortassis quia pacificus et delicatus uel à mulierum amore superatus extiterit. Significat aũt cœtũ uel ecclesiam congregantẽ uel congregationis præpositũ, aut cõmunitatis curã gerentẽ, quod regis est officium & functio legitima. Inde discimus regium esse munus, non solũ defendere & regere populos, sed etiam docere, & exhortari diligenter uerbo & scriptis, ad obseruandam legis dei, ad contemnendas mundi huius uanitates: & sic Deuteronomium legis habere in manibus, ut & discat domini uoluntatem, et doceat per seipsum, & ubi licet per idoneos uiros & præpositos, sacerdotes & prophetas. Quia uero pacificus erat, Christum multis nominibus repræsentabat, ideo in ea urbe metropoli regnabat, ubi Christus pacẽ creauit inter deũ et homines, ubi de inferno crucifixus triũphauit, ubi lex dei, ubi sacrificium, cui succeßit euangelium promulgatum de monte Sion & mysterium crucis. Antiqui coditores olim habebant Israel pro Ierusalem, ut refert Hieronymus. Hodie dei munere quæstionum huiusmodi expirauit neceßitas, cum plenus hodie sit Christianus orbis lingua rum sacrarum studiosis uiris & mulieribus.

Vsus creaturarum.

Regium munus.

2 Vanitas uanitatum: dixit Ecclesiastes: uanitas uanitatum (&) omnia uanitas.

Vt est initium sapientiæ timor domini, & à malo recedere, sic absq; dei timore & respectu, totus ipse mundus, & quicquid in mundo est, uanitas est, & ad salutem ueram & perpetuam homini prorsus inutile: non quod non optima sint quæ creauit deus, cũ uiderit à principio cũ creasset omnia, esse ualde bonas creaturas omnes, sed quod uani sint omniũ hominũ labores et studia, proprijs uiribus nitentium, & non secundũ præscriptũ diuinæ legis instituentiũ uitã suam. Vanitas sunt diuitiæ, honores, opera etiam bona de genere, scientiæ, sanitas, potentia, uita, artes. Omnia nihil sunt, id est nihil proficiunt, si nõ ad dñi uoluntatẽ ordinentur, si finem legitimũ non assequuntur. Omnia enim ꝓpter semetipsum creauit et agit altißimus, & propter hominem creauit omnia, ut homo dominũ reuereatur ac colat, præ oculis habeat, obediat, & sanctificet nomen eius. Vnde satis liquet, frustra uideri creata esse omnia, si non seruiunt fidelibus, si non credentibus proficiunt ad gloriam conditoris. Ea quoq; ratione uana dici possunt, quæ agimus omnia, quia nõ sunt in no-

Vanitas quid dicatur.

in nostra potestate, sed à prouidentia dei pendēt, cui nihil uanum, sed omnia sunt optima, utilia ualde, & necessaria, quia à deo ordinata.

3 Quid habet amplius hòmo de uniuerso labore suo quo laborat sub sole?

Quid assequitur utilitatis homo, quid illi prodest omne studium & labores, si præter dei fidem fiant? quando quidem quādiu durat in hac uita homo, subiectus est corruptioni, et mutabilitati, et omnia molestia quædā sunt, nisi de dei respectu & gratia circa nos ex fide syncera in dñm consolemur. Sub sole laborare, est in hoc mundo temporaliter occupari in corporalibus, more philosophorū & omniū gentiliter uiuentium quantumlibet doctorum, agi pro ratione tantū humana, sine timore dei, & uera pietate ad deum, ex amore suijpsius agitari in actionibus huius uitæ uel in rebus à domino non mandatus. Sic omnia Salomonis opera uana erant, nisi quæ dño imperante fidelis pfecerat. Explanat hæc sententia prior rem, ut uanitas accipiatur pro operibus nō ꝓ substātijs.

Laborare sub sole.

4 Generatio præterit, & generatio aduenit, terra autem in æternum stat.

Quicquid in tempore generatur cum tempore poscit & corrūpitur. Omnia prætereūt præter uerbū dei, qđ solū permanet in æternū. Sed et terra ipsa nobis notior, omnibus substat generalibus & corruptibilibus, mater ipsarum, & materiæ non modica portio, quæ iuxta ordinem diuinū creaturas de se producit, ut fidelibus seruiāt. Sic sol, dies et nox, uentus, mare & flumina, fontes, non cessant unquam ab opere dei, pro hominibus electis: sic quoq; nos cessare non conuenit ab obseruātia diuinæ uoluntatis & legis præscriptæ. Vel sic. Alijs morientibus hominibus nascuntur alij, & quos uideras, nunc non uides, incipis uidere quos non uideras. Terra autem stat semper, licet secundum formas ac partes mutetur.

Transitoria humana.

5 Oritur sol, & occidit sol, & ad locū suū reuertitur, ibiq; oriens,

Idem sol oritur in lucem mortalibus secundum loca & horas, citius uni gēti quàm alteri, ut quilibet gradus longitudinis proprīū ortum solis habeat respondentē, ut omni momento sol quibusdam oriatur gentibus: & secundum latitudinē quoq; regionū quibusdā tandiu, alijs diutius cernitur eodem die, ut nonnullis toto mense & diutius uel non oriatur uel non occidat iubar solis. De quibus tamen subtilitatibus & experimentis scriptura nihil docet, licet certissima sint quod ad hominis quidem eruditionem & usum non quidē inutilia sint, sed nihil faciant ad pietatem, & hæc cuncta sciuisse sine pietate & timore dei, nihil prosit ad salutē, ad quam hominem creauit altissimus. Vult hic sapiēs docere, mutationibus tēporū ex ortu et occasu astrorū, humanā ætatē labi ac interire dum nesciat: & ut rerum huiusmodi uicissitudo naturalium, admoneat instabilitatis humanæ et corporalium rerū, ut anima ipsa immortalis potioribus bonis imbuenda intelligatur, fide scilicet in deum, & amore legis quæ afferunt felicitatē æternam, ad quam homo est conditus. Deniq; immobiliter sol perficit à deo sibi iniunctā obedientiam, secundum aspectum hominum sese demergendo in mare, & denuo emergere uelut nouus, sic homo quoq;, dei sui præceptis acquiescat sedulo, propter quod sit etiam post hanc uitam assequuturus repositam à deo sibi gloriam & felicitatem.

Sol.

6 pergit per meridiem, & circuit ad aquilonem. In circumitu pergit spiritus, & in circulos suos reuertitur spiritus.

Dubiū uideri potest, si de sole loquatur uel uento: uideri quoq; potest primam sententiæ particulā de sole sentire quod naturali motu suo ab ortu ad meridianū circulum cōscendat, deinde per occasum ad angulū noctis, plagam borealem, unde rursum oritur. Et insuper de uentis loquitur pluribus sub nomine singulari, qui sine omni uanitate ad mandatū creatoris & electorū utilitatē uenit & redit, de origine suo, nunc australi, nunc aquilonari: uicissimq; peruadit et perflat omnia, uegetat, mobilitat, uiuificat, suo quoq; tēpore explet domini dei sui uoluntatem & opus. Putat Hieronymus, solem dici posse & intelligi nomine spiritus, qui mouetur in zodiaco, nunc ad austrum hyeme, nunc ad aquilonem æstate: nostra id quoq; uidetur innuere uetus translatio.

Ventorum conditio.

7 Omnia flumina intrant in mare, & mare nō redundat. Ad locum quo abeūt flumina, ibi ipsa reuertuntur, ut iterum fluant.

Nunc quomodo creatori obediant omnium fluminum aquæ, & non solū maris, quod certū est iuxta dei mandatum fluere & refluere, secundum motum lunæ. Seruant enim & flumina creatoris mandatum, ut suis locis scaturiant, cōfluant, in torrentes exonerentur & lacus, unde per flumina pergunt, quò iusserit conditor, sine impedimento, ut tandē exonerentur in mare, quod tamen ex ipsis minime redundat, sed nec salsedo minuitur, sed & per occultos meatus iuxta ordinē conditoris iterum scaturit ut erūpat æque in montibus ut in uallibus, ut denuo fluat, ut de matrice abyssi in sua semper ebulliāt suo tempore principia. Sunt ex Iudæis qui per metaphoram torrentium, homines intelligunt qui in terram redeant, unde sumūtur ipsorum corpora, quæ tamen mortuorum multitudine non impletur: sed non quadrat per omnia.

Fluminum natura.

8 Cuncte res difficiles: non potest (eas) homo explicare sermone. Non saturatur oculus uisu, nec auris auditu impletur.

Rerum imperfectio, curiositas & defectus sensuum, admonent in hac uita desyderia hominis satiari non posse, sed in solo deo quies perfecta obtinenda sit, si solus ametur & obseruetur, & si ex eius prouidentia resignati pendeamus. Quamlibet enim uidendi studio homo singula perscrutetur, & petat doceri, non tamen satiabitur animus, semper plura ignorabit quàm sciat, & semper plura perscrutari tētabit, discensq; tanto magis iuxta dictamen rationis errabit. Intellectus enim ad manifestissima naturæ se habet, sicut oculus noctuæ ad solem, donec uerbum dñi crediderit & facere desideraverit, ibi satiabitur oculus hominis, appetitus sciēdi plura conquiescet magis, summā tunc intelliget scientiā esse scire deū & quem misit filium suū pro hominū reconciliatione crucifixum, ut Paulus. Hieronymus exponit, grauia

Animi insatiabilitas.

esse uerba dei, & magno labore discenda, cõtra eos qui putant otiosis sibi & uota facientibus uenire notitiam scripturarum.

9 Quid (est) quod fuit? ipsum quod futurũ est. Quid (est) quod factum est? ipsum quod faciendum est. Nihil sub sole nouum,

Non potest intelligi de creaturis mundi, à deo dudum de nihilo creatis, ut scilicet in futurum iterum fiant: nec de hominibus qui olim fuerunt, ut denuo post Platonis annum & reuolutionem augis communis signorum cœlestium in sphæra nona, idem futuri sint qui hodie: sed de occupationibus hominum, quæ semper in uanitate sunt similes & eædem. Nihil nouum secundũ speciem, omnia tamẽ semper noua secundũ indiuidua. Semper æque nihil possunt homines à seipsis, semper dei prouidentia reguntur omnia quæ fiunt in mundo, ut sit uulgaris loquutio & simplex, qua dicere solemus, Olim erant elementa & operationes eorũ in mundo, sic & nũc. Olim pij & impij suis utrinq; uiuebant moribus, sic uiuũt hodie quoq;, & sic sunt uicturi. Olim in fide & moribus schismata tentabantur, & inualescebant ut modo. Casus noui antiquos obliterant, & semper miseria succedit miseriæ, unius quotidie infelicitas promouet alterius honorem & cõmodum, etiam si utriq; sint infideles. Olim clades populorum, bella, uictoriæ, urbium ædificia, & diruptiones cernebantur, ut nunc fiunt. Succedent nobis quoq; subinde mutationes rerũ huiusmodi nouæ, donec deus uoluerit: & quæ post nostra tempora noua sequentur, antiquabuntur ipsa quoq; cum tempore, sicq; humanus sensus non aliter cogitat, quàm ut mundi terminus nullus expectetur. Nec de huiusmodi rebus certo iudicabit ratio erronea hominis, sine uerbo dei, qd palàm diẽ extremi iudicij docet, & pronuntiat, docetq; nihil stabile in rebus humanis, nisi ueritatẽ & misericordiam dei, quæ semper manet fidelibus deũ timentibus, & illi obsequentibus. Ideo de rebus mundanis nõ simus soliciti, committamus illa ei qui omnia moderatur, interim eidẽ fide & operibus mandatorum eius seruire annitamur.

Noua nulla

Iudiciũ humanum.

10 nec ualet quisquã dicere, ecce hoc recens est. Iam (enim) præcessit in sæculis, quæ fuerunt ante nos.

Declaratio est iam dictæ sententiæ, ut dicatur, Quanquam dici possit ab aliquo demonstratis nouis arborum fructibus, uel ædificijs, uitijs uel moribus hominum, Ecce hoc nunc nouum est, & antea non fuit: uerum quidẽ dicetur de singulis specierum rebus, sed non de generibus singulorum, iam enim res huiuscemodi præcesserunt in mundo, dudum ante aliquot sæcula. Admiramur nostris sæculis noua multa, quorum simillima non uidit prior ætas. Sed quis nosse potest quid ante mille annos, quid ante tria millia annorũ in terris fuerit actitatum ab hominibus? quid ante diluuium uniuersale homines machinati fuerint? Et priuata diluuia non pauca olim fuerũt, per quæ non parum mutata fuit facies terrarum, & hominum mores, sicut & ob bella nimia & depopulationes regnorum ante multa tempora.

Admiratio hominum.

11 Non est priorum memoria: sed nec eorũ

quidem quæ postea futura sunt, erit recordatio apud eos q futuri sunt in nouissimo.

Tametsi prioris sæculi gesta non omnia obliterata sint quorũ memoria seruatur in literis, sed non semper literæ fuerunt, nõ omnia annotata sunt, intercederunt quoque commentaria utilissima. Et quis nouit quãdiu duratura sit ars artificiosissima libros imprimẽdi, cũ papiri quoq; duratio diuturna esse non possit. Quæ licet impressoria ars noua sit nostraq; ætate propagata, & nunquã antea in usu, quod sciatur, eius tamen loco scriptorũ artificium semper fuit in magno pretio, maxime apud religiosos et monachos omniũ sæculorũ, de quorum laudibus Gerson tractatũ scripsit, longe augustiora scripturus de impressoriæ artis inuentoribus, excultoribus studijs & laboribus. Quæ ars ut apud ingeniosissimos Germanos cœpit, sic immensum etiam inuentionis illius fructum parturit hodie, et peperit apud eosdẽ. Cuius quidẽ beneficio nũc ubiq; legimus & discimus mores, studia, eruditionẽ priscorum sæculorũ omniũ: cum quid sancti doctores, ante mille annos & duo millia scripserint, hodie passim ab omnibus, & in omni fermè lingua legatur. Vnde non est mirandũ ætatis nostræ bellũ, de dogmatibus nuper exortis, et dudum ante multa sæcula nõ habitis uel ignoratis, ut qd nuper nouũ apud multos uidebatur & habitũ sit, nobis nunc uideatur uetustis minime ignoratum: & ubi olim audissime legebatur unũ exemplar & alterũ, nunc in multa millia disseminatũ omnibus studiosorũ teratur in manibus. Vt mundus semper studet nouitatibus, et ut omnia mutari conspiciuntur in mundo, sic sua quoq; studia manent sæculum diu post nos futurũ, quæ hodie ignorantur, tandem ipsa quoq; obliuionem habitura.

Impressoria ars noua ab anno M. CCCC. XL.

Vnde dogmatũ differentia.

12 ¶ Ego Ecclesiastes fui rex Israel in Ierusalẽ

Regis nomen officium sonat & consulẽ, qui omnibus consulere uelit & ualeat prudentia & uiribus, ut prosit, subiectos dirigendo ad bonum publicũ, quo priuatim bene sit omnibus. Cui functioni arduũ est quenquã inueniri et esse parẽ. Et qui non dissoluatur humana sapientia, amore sui nimio, honoribus, diuitijs, uoluptate rarissimus est, si tamen quisquã fuerit unq;, quandoquidẽ Dauidem sanctissimum & Salomonẽ sapientissimũ constat hac in re nõ parum aliquando defecisse. Videtur nomen קהלת ut propriũ sibi nomen imposuisse, quia cõmune adiũgit, regẽ se cõmemorans, q priscis in usu fuerit nomen propriorũ multiplicatio, ob plurimos nonnunquã euentus. Dicens autem, Fui, & non sum, arguit hæc dixisse prope finem uitæ suæ, & pœnitentẽ, & peccata confitentem, ut scribunt Iudæi. Super totum Israelem solus ipse semper rex fuit, omniũ scilicet tribuũ duodecim populi Israelitici, post cuius mortẽ filius Roboam duabus tantũ præfuit, cæteris omnibus præfuit & dñm assecutus est Ieroboam, de tribu Ephraim. In Hierosolyma sedem regni iam ante Dauid posuerat, quã ut religionis et regni metropolim etiam deus elegerat dudum.

Regis nomẽ

13 & proposui in animo meo quærere & inuestigare sapiẽter de omnibus quæ fiũt sub sole. Hanc occupationẽ malam dedit deus filijs hominum, ut occuparentur in ea.

Non

Non dixit, Mandauit ad me dominus: uel, Factum est ad me uerbum domini, uel inspirauit dei spiritus huiusmodi cogitatiũ mihi: sed dixit, Ego cor meum dedi, quod ex se nihil q̃ uanum agere solet. Quasi dicat, Proprio studio & humano spiritu meo implicaui me sæcularibus studijs, cum longe meliora iuxta timorem dei & instituta legis diuinæ, & pro functione regni mihi commendati, cogitasse præstitisset. Quæsiui curiosius quæ fierem sub sole, superflue occupatus in rebus superuacaneis, non totus fui regno, salutaribus exercitijs, & meditationi legis dicatus. Si deniq; mundanarum rerum cognitio uanitas dicitur, sine uerbi dei fide & studio, quanto magis miseria & afflictio dici merebitur studium uoluptatis, honoris, ambitionis, & diuitiarũ supra modum? Dignum autem est, ut qui legem domini meditari nõ dignatur, ut is mendaciorum fabulis distrahatur. Qui dei timorem nõ suscipit, is mundanis occupationibus diuexetur. Qui de deo non digne sentiunt, & ex creaturis glorificare deũ non discunt, iuste in reprobum sensum dati incurrant errores, immunditias, ignominiam & damnationem, ut affligantur terrenis euentibus, humilientur & euanescant, ut creaturæ tandem potius seruiant & subijciantur quàm creatori.

14 Vidi quæ fiunt cuncta sub sole, & ecce uniuersa uanitas, & afflictio spiritus.

Consideraui ratione naturali & humano sensu, omnia quæ fiunt in hoc mundo subsolari, super terram, inter homines, nihilq; aliud deprehendi quàm malitiam, id est, miseriã, incommoditates, difficiles occupationes, & peccata deniq; hominum. Omne quod est in mundo ueluti concupiscentia est carnis, & concupiscentia oculorum, & superbia uitæ, quæ non sunt ex patre, sed ex mundo, qui transit & concupiscentia eius, qui & totus positus est in maligno. Refertus est enim mundus uitijs & calamitatibus, quod tanto magis sentiunt & dolere cogũtur, quanto se quiq; mundi negotijs magis implicant, & quæ mũdi sunt diligunt. Nulla creatura consolari potest & quietari humanus spiritus, de una semper labitur ad aliam, semper succrescunt mala noua, ut præsentia nobis atrociora uideamur quàm præterita, quæ simul ter suo tempore ferebantur molestissima. Quorum malorum pars millesima describi non potuit, sicut nec nostro æuo excipiuntur minime ad sufficientiam, ne dicamus ad perfectum uniuersa mala quæ fiunt & sciuntur. Solus qui deum timet, reueretur, & expectat, ab eius uoluntate pendens, uniuersa mala tutus euadit, ei omnia seruiunt ad bonum, manetq; perpetuò gaudens in domino, quem nec omnia mundi tentamenta superare possunt.

15 Peruersum difficile corrigitur, & defectus non potest numerari.

Quis tot malis emendandis, & rerum difficultatibus euincendis, ac infortunijs sustinendis sufficere possit? Longe plura ac maiora sunt omnium sæculorum mala, quàm ut humana sapientia consulere possit rebus fessis. Tanta peruersitas hominum, tanta peccandi promptitas & licentia, nec numerari potest nec corrigi, nisi solius dei optimi maximi clementia & uirtute, ut quæ nobis uidentur peruersa, mundóque perniciosa, aptissime conducant ac proficiant ex ordine diuinæ prouidentiæ eatenus, ut mala omnia deo seruiant ad bonum & electis suis. Opus ergo dei in omnibus considerandum, & quid cuiq; mandauerit cogitandum. Pro eo quod hactenus lectum fuit, Stultorũ infinitus est numerus, Hebræa habent, Defectus non poterit numerari. Tot sunt errores, delicta, offensiones, ut sint immumerabiles. Delicta quis intelligit? Quis omnium malorum casus dinumerare ualeat? Quis non peccat in uerbis, factis, intentionibus, concupiscentijs?

16 Locutus sum ego in corde meo, dicens, Ecce magnus effectus sum, & præcessi omnes sapientia qui fuerunt ante me in Ierusalem, & mens mea contemplata est multa sapienter, & didicit

Scientia humana sibi relicta & timore dei destituta, inflat, iactabundum facit, admonita autem uerbo dei & eruditione sacra humiliatur. Sic confitetur hic Salomon errorem spiritus sui, quo se uehementer magnum, ut erat, cordis aliqua uanitate cogitabat, non enim mendacium loquitur, quia de sapientia mundana sentit, & de notitia rerum temporalium, quam & scientiam nominat, dicens se omnium fuisse sapientissimum. Non hic loquitur de sacrosancta & prophetica sapientia, quæ illi spiritus sancti afflatu cõtigit, non de mysteriorum reuelatione qua non caruit, non de fide promissionum diuinarum ad patres. Quæ omnia tamen longe excellentiora fuerũt in Dauide patre suo, qui ante eum rex fuerat in Ierusalem, qui omnium prophetarum sanctior fortassis fuit & doctior, ut Psalmi testantur. Sed dicta sunt hæc de sapientia abusiue dicta, & de notitia rerum naturalium, & naturali, quam nominat scientiam & sapientiam, quam studio & inquisitione auxit, munime otiosus, domino largiente, à quo datur omne bonum, qui & ei sapientiam dedisse scribitur, licet nunc eam Salomon comportasse & collegisse dicatur. Simul enim & Dei donũ, & nostrum studiũ dici potest, si quid in quocunq; bono naturali proficimus. Vanitas est autem iactare se de bonis dei, & non ei soli omne bonum referre acceptum. Cor meum, ait, uidit multam sapientiam & scientiam, id est, diligentem operam nauaui pro istis obtinendis, licet insuper infusa scribatur.

Scientia humana uanitas.

17 dediq; cor meum, ut scirem prudentiam atq; doctrinã, errores q; et stultitiã: & agnoui quòd in his quoq; esset afflictio spiritus.

Humano quoq; studio didici rerum naturalium causas, dante deo mihi intellectum, & discretione per spiritum, ut non solũ uera & bona scirem, sed etiam falsa & mala, errores & insaniã hominũ, ut et declinare possem & refellere, quorũ utrunq; sapientem scire oportet. Est enim error falsum præferre uero, insania aũt malũ præferre bono. Differenter aũt intelligi possunt, sapiẽtia de rebus intelligibilibus et diuinis, sciẽtia de agibilib. et humanis uel naturabilibus. Hæc omnia legi humano quidẽ

ſpiritu, ſed prouidentia dei, non ſemper cum timore dei & ſtudio legis, alioqui non tam turpiter offendiſſem in legem naturæ & dei: ideo ad afflictionem ſpiritus mihi ceſſit hoc ſtudium, & ad uanitatem: non enim aſſequutus ſum finem debitum, qui eſt timor dei & obſeruantia mandatorum.

18 **eo quod in multa ſapientia multa ſit indignatio: & qui addit ſcientiam, addit & dolores.**

Quanto quis experientia rerum & ſapientia fit doctior, tanto ſtultitiam magis deteſtatur, pluraq; ſentit aduerſa, plura ſe ignorare animaduertit, ac diſcit quotidie, malitiam quoq; & inſtabilitatem mundanarum rerum clarius intuetur, & dolet grauius atq; de pluribus, ut fit in diuitijs & honoribus. Quanto plura acquiruntur, tanto minus ſufficiunt auaro: ſic quanto quis doctior, tanto plura ſe neſcire intelligit. Habet enim & ſtudium literarum auaritiam ſuam, & pernicioſam curioſitatem, & mentis tandem perturbationem, & nonnunquam in ſtultitiam finitur. Et ſemper ambitio ex ambitione naſcitur, & ſititur honor amplior poſt aſſequutum minorem. Quanto autem aliquis fide magis proficit & ſanctitate, tanto infirmum ſuum & conſcientiæ ſuæ peccata lucidius aduertit. Lex enim lux eſt, et ſimul terret: hoc eſt autem quod dicitur, Qui addit ſcientiam, addit & dolorem. Scit ſe miſerũ, nihil poſſe, multa obligari, multis egere, multos uidet inſoleſcere, quos non audet uel poteſt cohibere, ſeſeq; in multis offendere iugiter ſentit, quæ ſuis nequit uiribus emendare.

Auaritia ſtudioſorũ.

CAPVT II.

1 **DIxi ego in corde meo, Vadam & affluam delitijs, & fruar bonis. Et hoc quoq; erat uanitas.**

Deſtitutus timore dei aliquantiſper, & humanam ſapientiam ob ſui imperfectionem & annexam moleſtiam non magnificiens, perquirit ſtudioſius ineptam lætitiam, quomodo ſine timore & circumſpectione per oblectamenta omnium ſenſuum, inter quos uiſus præeminet, quàm ſuauiter uiuat, & delitijs affluat, concupiſcentiæ frena laxentur: nihil enim quærit niſi ſe ipſum & bonum delectabile, indeq; bonum honeſtum diſplicere incipit, & bonum utile nullum ſufficit. Vide, inquit, in bono: hoc eſt, cura ut quàm ſuauiter uiuas, proſpice ne quid moleſtiæ incidat, tantum ſentias iucunda ac ſuauia, ut aduerſa omnia procul abſint, quocunque aſpexeris grata uideas & amœna. Sed ut tentaui talia, moleſtiſſimum & hoc ſenſi: non enim ſine grandi ſolicitudine & occupatione affluere quiſquam poteſt delitijs, ſatisfacere concupiſcentijs, magno enim nimium labore conquirenda erunt delectabilia guſtui, auditui, uiſui, tactui, cibi, ueſtes, lecticæ, balnea, Veneres, ædificia, &c. ut patebit ex ſequentibus. Longe enim operoſiorem moleſtiam expetunt, donec obtineãtur, quàm mereatur oblectamentum quod ex his ſentitur. Præterita quoque uoluptas præſentem non iuuat, & exhauſta non ſatiat. Sola autem uera uoluptas eſt, amare deum, ipſum inueſtigare, & inuenire in omnibus creaturis, meditari illius beneplacitum, diligere mandata eius ſuper aurum ac topazion.

Delitiæ cum moleſtijs.

2 **Riſum reputaui errorem, & gaudio dixi, Quid hoc facis?**

Riſus immoderatus teſtatur ſtultitiam, eleuat authoritatem, prodit animi leuitatẽ, cõuertitur facile in luctũ, impedit ſtudium rerum utilium, & abſtrahit à timore dei, & à ſui conſideratione, & pœnitentia commiſſorum cũ tam de inepta lætitia, quàm de omni uerbo otioſo reddenda ſit ratio. Væ, inquit Chriſtus, qui ridetis nunc, quia lugebitis. Syncera autem conſcientia eſt uelut iuge conuiuium. In rebus autem præſentibus quanto plura attendimus & experimur, tanto magis moleſtamur, intelligimusq; rebus longe utilioribus incumbendum nobis eſſe, quàm ut diſſoluamur uanitatibus, quæ non placeant creatori.

Riſus illaudabilis.

3 **Cogitaui in corde meo protrahere in uino carnem meam, ut animum meũ transferrem ad ſapientiã, deuitaremq; (apprehendere) ſtultitiã, donec uiderem quid eſſet utile filijs hominũ, quod facto opus eſt ſub (cœlo) ſole numero dierum uitæ ſuæ.**

Deliberaui & mecum decreui, incumbere delitijs ebrietatis, in tabernis uini, uel apud uinum aſſidue demorari, delitias gulæ ſectari diſpoſui. Et, ut addit Rabi Salomon, nihilominus ſapienter agam omnia, tantæ ſapientiæ exiſtens, ut delitijs reſolui nõ poſſim, conaborq; ſcire quid profuturum & utile ſit mihi & alijs, quæ ſint exercitia opportuniora hominibus. Sed ratio naturalis quam etiam peccatoribus deus author inſeuit, retraxit me ad calcandam ſtultitiam. Reuera autem uanitas erat, uelle duobus dominis ſeruire, ſapientiæ & cupidini, uel le humano ſenſu metiri beatitudinem, & non ex lege domini, uelle niti traditionibus carnis & ſanguinis, cum deus Deuteronomiũ legis diſcendum & ſeruandũ commendauerit. Ideo permittitur agere quod uult, ut incidat in quæ non uult. Hæc Hieronymus tranſtulit, Volui uitam meam tradere delitijs, & carnem meam ab omnibus curis liberare: idq; nimis libere ad ſenſum.

Seruire deus bus dñis.

4 **Magnificaui opera mea, (&) ædificaui mihi domos, plantaui mihi uineas,**

Sapientia mea ſuffecit mihi ad ardua ac multa, non ſum ſectatus humilia & communia: ſic ſuperbit humanus ſenſus, cũ ſit cinis & fumus: ſic finit defluere ad inania deus, temporalibus deditũ, & ſpiritualia contemnentem: ſic ſibi excidunt nimium curioſi ſectatores artium & poëtarum. Nonnunquam etiam liberalium diſciplinarum nimius ardor à ſanctis impedit, & ad prohibita perducit. Semper ergo curãdum ne quid nimis, ſicut & ne quid minus ac deceat. Non unã ſed multas & ſuperfluas ad luxum ædificat domos, non patriarcharum ſanctorum more tabernacula, paſtoris filius, non enim tunc ſe peregrinum cogitauit. Addit quoque, Mihi, non tamen famulis & regno, ut uideas uanitatem in opere & ſermone. Viſitandũ potius regnũ fuerat, & continuo pertranſeundũ et contemplandũ, tam immenſum ſuũ populũ, ſuo regimini à deo cõmendatũ: non otioſus domi expectare

Ne quid nimis.

ctare debuit populum aduentantem pro causis tam pauperum quàm diuitum. Sed sic iuxta carnem & sanguinem regibus agendum uidetur, ne uilescat authoritas. Non sic Moses, Samuel, nunquam otiosi nec in palatijs amplis. Dauid ex palatio otiosus commisit adulterium. Plantare quoq; uineas occupatio est ad luxum pertinens paucorum, ac breuem, plurimo & prolixo sudore multorum. Vini potus interdictus, ipso Salomone teste, regibus, ferè semper in damnum scribitur cessisse bibentibus. Addit, mihi, hoc est, ad priuatum meum luxum ambiui optima uina, non unam sed plurimas uineas, ut multi laborarent, ad delitias fouendas otiosorum aulicorũ & libidinantium. Dicit autem in summa, Omnia quæ putantur in sæculo bona, ego rex & potens habere uolui, ædificaui mihi in excelsum palatia, uitibus montes collesq; conseui: & ne quid deesset ad luxum, hortos mihi pomariaq; plantaui, diuersas arbores instituens, quæ collectæ in unum piscinæ aquæ desuper irrigarent, ut longius uiror humore perpetuo nutriretur. Ideo dicitur.

5 feci mihi hortos & pomaria, & conseui ea cuncti generis arboribus:

Horti secundum Hebræos pro herbis aromaticis in usum lautitiorum, & pro sensibus demulcendis ac recreandis. Quicquid pretiosum, rarum & delicatum ex longinquis regionibus afferebatur, ex arte quam nouerant plantaui. Paradisus uero non est Hebraicum, sed Syrum potius, locus delitiarum augendarum conuiuijs, lusibus, & fructuum uarijs generibus, qualia olim regibus præcipuis curæ erant, ut de Cyro legimus in libro Hester & Xenophontis.

6 extruxi mihi piscinas aquarum, ut irrigarem syluam lignorum germinantium.

Etiam non frugiferas arbores ad luxum plantauit, uisui tantum & ex umbra delitias afferẽtes, tanta diligentia, ut etiam piscinas, ut dictum est, ad illarum irrigationes multo labore parauerit. Nihil hic dicitur de piscibus, nondum uoluptas fortassis profecerat ad genera piscium in cibo perquirenda. Exercitia hæc omnia uanitatis erant, & insatiabilium delitiarum irritamenta, quæ humana ratio ad uoluptatem excogitauit, neglecto interim timore dei, & meditatione iustitiæ ex dei legibus, cum non modico grauamine subditorum, non sine inuidia & murmure: ideo postea Roboam filio querebantur, se fuisse sub Salomone grauatos, 3. Reg. 12.

7 Possedi seruos & ancillas, multamq; familiam habui: armenta quoq; boum & magnas ouium greges ultra omnes qui fuerunt ante me in Ierusalem.

Non iam exprimitur fructus tantorum laborum, sed onera miserorum. Vbi multæ diuitiæ, ibi multi absumptores: ubi multæ delitiæ, ibi laboratores multi. Ex alienigenis seruos habebat uel emerat. Nullus enim de filijs Israël seruire permittebatur, sed tamen laborabant omnes ad honestatis regulam. Serui & ancillæ hic dicuntur proprie capti, et ad duros labores destinati, ad ligna cedenda ac lapides, aquarum baiulatores, & ad cætera officia grauiora & impuriora. Quorum filij hic uernaculi dicũtur, & domi geniti ex seruis. Fortassis hic quoque præfecti per singulas menses serui dicuntur, generali nomine, qui cibaria ministrabant, ad quæ habebat boũ et ouiũ armenta multa millia: de quibus habetur 3. Reg. quarto. Vltra omnes qui fuerunt ante me in Ierusalem, ubi per excessum uanitas subolet, cum longe felicius & tutius sit mediocriter abundare, iuxta illud docuit, Diuitias & paupertatem ne dederis mihi. Affuit procul dubio superbia & luxus, ac semper aucta cupiditas, qua tandem auersus est ab amore dei, & à rectitudine ueræ fidei & pietatis, omnibus diuitibus & regibus ad exemplum.

8 Coaceruaui quoq; mihi argentum & aurum, & peculium regum & prouinciarũ. Feci mihi cantores & cantatrices, & delicias filiorum hominum scyphos, & urceos (in ministerio ad uina fundenda.)

Quid sit שרות & שרות non constat certo Iudæorum Rabinis iuxta Hebraismum, confine quippiam habet cum uastatione: quasi dicere uoluerit, Non peperci impensis, sed socios & socias asciui mihi ad concoctionem & dissipationem diuitiarũ, & quæq; pretiosa comparaui magno. More sæcularium hominum loquebatur tunc & agebat, quanto ditior tanto auidior. Et hæc omnia non dei iussu, sed quia uanitatem sectabatur. Longe prudentius & felicius est, naturalia bona congerere, frumentum, oleum, uinum, &c. quàm argentum & aurum. Pondus autem auri quod adferebatur per annos singulos, erat sexcentorum & sexagintasex talentorũ, 2. Paralip. 9. Argentum in diebus illis pro nihilo habebatur, ibidem. Substantias, thesauros, uel eximia quæque regum & prouinciarum, non mirum unde acceperit, quandoquidem omnes habuit tributarios, & magnificatus est rex Salomon super omnes reges, &c. 3. Reg. 10. Pater illius Dauid religiosior, domino deo cantores ordinauerat, hic sibi pro delitijs augendis, ad ineptam lætitiam sibi & suis cantatrices ordinauit, quanquam & Dauidi non omnino defuerint, qui natus musicus ex suis studijs fuisse conspicitur à sua iuuentute, ut patet ex dictis Berzellai iuxta Iordanem, 2. Reg. 17.

Vanitas regum.

9 & supergressus sum opibus omnes qui ante me fuerunt in Ierusalẽ. Sapientia quoque perseuerauit (stetit) mecum.

Iactat prosperitatem & profectum in honoribus, diuitijs, delitijs, quibus superauit omnes, & quàm diligenter exquisierit oblectamenta huius uitæ. Debuit potius magnus fieri fide, charitate, spiritu dei, sapientia diuinæ legis, qui rex Israël in Ierusalem institutus à deo fuerat. Sed experimẽto quoq; discere debuit quàm uana essent hæc omnia corporalia & inuoluta multis molestijs, nec dare felicitatem ea possidenti sine timore dei & obedientia legis. Sapientia quoq; non cum destituit, etiam in istis delitijs, & rerum naturalium cognitio. Videri potest Salomonem omnia gustasse delectabilia, sed pro sapientia quoque humana non infatuatum & absorptum delitijs, more stultorum. Verum, quia maximis in rebus deprauatus fuit, qa ædificare præsumpsit uxoribus de-

Magnificentia regalis.

lubra idolorum, contra dei legem, etiam in minoribus peccasse grauiter dici potest.

10 & omnia quæ desiderauerunt oculi mei, non negaui eis: nec prohibui cor meũ ab omni lætitia, quia cor meum lætatum est de omni labore meo. Et hanc habui partem meam de omni labore meo.

Delicias uanitas sequitur.

Diuitias & gloriam sequuntur deliciæ, & mentis uanitatem libido sensuum, post quã sequitur ordine inepta lætitia, & uita tota sæcularis, & luxuriosa, sine timore dei, quem necessario excludunt, ideo cauenda maxime. Quasi dicat Salomon, Omnium occupationum mearum finem aliquem instituí, delitias huius uitæ, ut suauiter uiuerem iuxta carnem, uel hoc tamẽ nomine felicior, quòd non ut auari intenderem thesaurizationi, ut solent bis stulti. Interim tamen discimus quanto periculo diuitiæ possidentur, quàm difficile intratur regnum dei, difficile assequuntur studium diuinæ legis, obseruantiam mandatorum: quàm felicius autẽ habeat temperatus sua sorte contentus, qui curat tantum utilia, et media acquirendi honesta & facilia, qui raras delicias suauius sentit, & læta semper est conscientia, sine molesta solicitudine diuitiarum hilariter uiuit.

11 Cumq; me conuertissem ad uniuersa opera quæ fecerant manus meæ, & ad labores in quibus sudaueram, uidi in omnibus uanitatem & afflictionem animi, & nihil permanere (eximium) sub sole.

Cõcupiscẽtia inexplebilis.

Cum diligenter animaduertissem ad omnia, in quibus felicitatem inquirebam in omnibus, semper irritabar concupiscentijs ad plura & maiora. Nihil enim in orbe sufficit hominis stulti cõcupiscentijs. Sensi tandem hæc omnia uanitatem esse & mala, sine timore dei & obseruantia legis, quæ duo temperare possunt & debẽt omnia hæc mala. Nihil est in hominis arbitrio syncerum & felix, uiribus suis tantum operatur mala, intellectu uel errores apprehendit, uel si fuerit sapientior, uanitatem sentiet & afflictionem. Si uero non nostræ manus, sed opus dei in nobis egerit, omnia sancta erunt & probata deo, & conscientiam non inquietantia uel perturbantia, uere iucunda, ac æterna tandem gloria compensanda.

12 Transiui ad cõtemplandam sapientiã, errores q; & stultitiã. Quid est (inquam) homo ut sequi possit regem factorem suum?

13 Et uidi ego quòd tantum præcederet sapientia stultitiam, quantum differt lux à tenebris.

Deliciæ spirituales.

Postquam uanitatem sensi omnium quæ iuxta sensum carnis bona habentur, deliciasq; corporis damnare propter molestias complurimas coactus sum, redij ad oblectamenta spiritualia perquirenda, nempe rerum naturalium cognitionem, in qua deprehendi multo plures esse errores, stultitias, opiniones, & hæreses, quàm certas ueritates et utiles doctrinas. Solius enim creatoris est, creaturarum suarum habere certam perfectamq; notitiam. Interim tamen expendi quicquid id est, quod studio discimus humano de rerum naturis & uiribus, de politicis uirtutibus, sic esse huiusmodi studium excellentius insscitia, & stultitiam inimicam esse naturæ, ut lux ipsa diurna & sol excedit tenebrarum naturam. Quin & scientia dei differt ab humana similiter, quæ est penes deum stultitia, quantumlibet laudata apud homines huius sæculi. Nulla est enim comparatio cuiuscunque sapientiæ creatæ, ad eam increatam omnipotentis dei, qui in sapientia sua creauit mundum, & ordinauit omnia sapientissime, in cuius nutu & uoto sunt omnia imperia, quæ uersat & ordinat ad suum arbitrium: nec est quicunque monarcha nec fuit, qui diceret deo, Cur ita facis? nolo obsequi uel subesse præceptis tuis.

14 Sapientis oculi in capite eius: stultus in tenebris ambulat. Et didici quod unus utriusque esset interitus (occursus,)

Discrimẽ sapientis & stulti.

Cum itaque tantum discrimen deprehenderem inter sapientem & stultum, ut alter diei, alter tenebris comparetur, quodq; ille principio sui operis solicite & circumspecte cuncta expendat & præmeditetur, iste uero temerario conatu uelut impingens periclitetur in tenebris: subito mihi cogitatus subrepsit, quare uterque uno rapiatur interitu, cur pares angustiæ premant ambos: sic enim ratio scandalizatur humana, uerbo dei non instructa, uel directa fide prouidentiæ diuinæ circa actus humanos. Quis enim naturaliter tantum sapiens non arbitrabitur æque infelicem esse sapientem ut stultum? Sapiens equidem tanto plura aduersa sentit in corpore & anima, quanto se & sua luculentius & diligentius perpendit. Stultus licet aduersa patiatur, animo tamen liberior est, nesciens quibus bonis egeat, ignarus felicitatis ueræ, tantoq; felicior, uterq; tamen miser & uanus, sine timore dei.

15 & dixi in corde meo, Si unus & stulti & meus occasus erit: qd mihi prodest quòd maiorem sapientię dedi operã? Locutusq; cum mente mea (animaduerti) quòd hoc quoque esset uanitas.

Sapientis deliciæ.

Cœpi cogitare mecum, similem euentum esse stulti & meum, si non minus iucunde uiuit, si forte sua contentus est, uel in hoc tantum sapiens, uel qui pauca nouit quàm ille qui doctissimus est. Sapientia enim mundana sicut & diuitiæ non beat: sicut nec stultitia & paupertas infelices constituunt, utrique enim cupiunt quæ consequi nequeunt. Sapiens quidem delicatius uiuit, non tamen semper, cum & stultus suauiter uiuat, & pauper ipse non caret suis saltem delicijs, mortem utriq; timent & patiuntur. Semper autem hic loquitur de humana sapientia, & politica stultitia eorum, qui nulli eruditioni intendunt. Si, inquio, sic se res habent, quid mihi prodest si ero sapiẽtior? Malo enim potius sine molestia esse indoctus & stultus, quàm tot laboribus sapere. Deprehendi autem mecum, & hunc esse uanum cogitatum, odisse scilicet sapientiam, & spernere intelligentiã, quæ rere otiũ & ignauiã, et uitã pecudum præferre humanæ eruditioni & sapientiæ. Beatũ potius est, de utroq; gratias agere, et prouidentiæ dei opera cum gratiarũactione sentire,

sentire, deum timere, & eius obtemperare mandatis.

16 Non enim erit memoria sapientis similiter ut stulti in perpetuum: & futura tempora obliuione cuncta pariter operient. Moritur doctus similiter ut indoctus:

Durabile nihil.

Sub cœlo nihil durat in hominum memoria, cum ipsi quoque non maneant, sed obliuione omnia sepeliuntur: non recordabũtur sæcula olim futura eorũ quæ iam nũc sunt. Omnia enim prætereunt & instabilia sunt, præter timere deum, & obedire illi. Pariter deo indigni sunt sapiens & indoctus, si fides desit. Quid aũt prodest mortuo absq; pietate & fide, si memoria eius aliquandiu apud homines celebretur? & quid damni capit stultus, si nemo eius recordetur? Optimũ est aũt inscribi libro uitæ, deo cõmendatũ esse, beati sunt qui in dño moriuntur.

17 & idcirco tæduit me uitæ meæ uidentem mala uniuersa esse sub sole, & cuncta uanitatem & afflictionem spiritus.

Vita omnis tedium.

Tædium ergo est & afflictio omnis uita hominis, si sine uerbi dei consolatione sit, si spe futurorum bonorum fraudatur, & si non præparauerint homines in cœlestibus uel crediderint stabilẽ sortem & mansionẽ, felicem ac æternam, ubi futura sit satietas omniũ bonorũ. Quandoquidem iuxta humanam sapientiã omnia quæ sunt in mundo ægre feruntur, semper quoq; aliquid desideratur, nec cupiditas satiatur humana, & spiritus sua non careat afflictione.

18 Rursus detestatus sum omnem industriã meam, qua sub sole studiosissime laborauí, habiturus hæredem post me,

19 quem ignoro utrum sapiens an stultus futurus sit, & dominabitur in omnibus laboribus meis quibus desudaui & solicitus fui sub sole: & hoc quoq; uanitas.

Hæredũ infelicitas.

Infelicitas alia est filiorum Adam, qua discruciantur in hac uita, destituti fide prouidentiæ dei, ut anxij laborantes per omnem uitam, sudoribus suis partas sibi diuitias relinquere cogantur incerto, otioso ac ingrato hæredi. Qualis Salomoni quoq; contigit imprudens & stultus Roboam filius felicissimo & sapientissimo patri regi. Qui uero deũ timuerit, & mandatis illius fuerit obsequutus, hilariter aget bona opera quæcunq; poterit, & grata deo nouerit: futurorũ autem omnium cuẽtum, felici resignatione uotorum, prouidentiæ diuinæ omnia gubernanti sanctissime fideliter & syncere committet: instituetq; hæredem, si licebit, per uitam, ac docebit, hortaturq; ut ipse non otiosus & iners uiuat, sed utatur diuitijs, sapienter, circunspecte & iuste acquisitis, cũ dei timore, ne pro ignauia illi cedant infeliciter. Hilariter ergo & alacriter agendum est bonum quod possumus & debemus opportuno in tempore, & sine dilatione: euentũ autem operis dño commendemus, à quo pendet. Sine hac sapiẽtia uera, quæ ex timore dei proficiscitur, omnia uanitas sunt, & molestia spiritus quæ geruntur & habentur in hoc mundo.

In tempore agendum.

20 Vnde cessaui, renuntiauitq; cor meum ut trà laborare sub sole,

Sapiens iuxta carnem magnopere fugere conatur aduersitates huius uitæ, sed non potest. Dolet itaq; frustra conari se, sed non cessat, proponit agere quæ libent, & non potest: uult obmittere quæ displicent, sed non est in sua potestate, patet de auaro, superbo, adultero uel iracundo. Sapiens autem iuxta dei timorem ea tantum agere conabitur, quæ certus est dño placere. Nihil prodest potentia & sapientia hominum sine uerbo dei & fide.

21 Nam cum alius laboret in sapientia & doctrina & solicitudine, homini otioso quæsita dimittit: & hoc quoq; uanitas & magnum malum.

Euentus infelix, & misera rerum indignitas uidetur, iuxta iudiciũ rationis, si quis sapienter & legitime magno labore diuitias colligat, & augeat patrimoniũ iustis etiam contractibus. Id autem totum relinquere tandẽ cogatur hæredi stulto, inerti & otioso, qui eisdem abutatur ad luxũ cum damno proximorũ, ingratus deniq; maioribus. Sic multis laboribus discere, quæ profundantur ad ingratos discipulos uel desides, magna est miseria. Verũtamen si iuxta timorẽ dei ditetur, & parta dispenset iuxta dei beneplacitũ, is curabit ut suo tempore, sancte eis utatur, hæredes pie & sedulo instituat ad similem timorem dei, & ad legitimum usum diuitiarũ, quæ uero deinde futura sint post mortem, dei prouidẽtiæ commendet. Sic qui in doctrinis deum intendit, & eius gloriam tantum, ad quam se cogitet creatum, non est solicitus cui cõmunicet ingrato, sed quàm diligenter, sedulo & in fide dispenset dona domini dei sui.

22 Quid enim proderit homini de uniuerso labore suo, & afflictione cordis sui, qua sub sole cruciatus est?

23 Cuncti enim dies eius doloribus & ærumnis pleni sunt, nec per noctem mente requiescit: & hoc nónne uanitas est?

Vita hominis q̃nis afflictio.

Deniq; tota hominis uita afflictio est, labor & anxietas, dum longe aliter cadunt omnes solicitudines eius quàm intenderat, ut sæpe prodesse cupiens obsit, prouidentia dei omnia ordinante: ideo sibi omnia permittenda, qui si ignoretur uel irascatur, omnia fiunt pernicies. Præterea manent hominem dolores corporis multi, & infirmitates multis ex causis, animi quoq; perturbationibus uicissim molestatur, & curis superfluis die noctuq; distrahitur, nihil tamen proficiẽs, sed infelicitatẽ augẽs, dum se deo patri non credit, dum solicitatur de crastino, dum à deo non pendet solo, dum non cogitat semper, omnia disponi hominum opera & passiones ex prouidentia dei.

24 Nónne melius est homini comedere, & bibere, & ostendere animæ suæ bona de laboribꝰ suis? & hoc ut uidi de manu dei est.

Iudicat ergo sapiens, & agnoscit non minimam esse felicitatis portionem, si quis ex laboribus suis comode uiuere possit, si liberaliter & ad satietatem acquisitis fruatur diuitijs, id quod auaris infeliciter omnia in thesauros reponentibus non datur à deo, sed sanctis speciali dono dei conceditur, ut agnoscant cuius munere uitæ necessa-

via laborantes acceperint, illis sine parcitate utuntur, et eleemosynas facere delicias computāt, dispensare res ad solatium plurimorū, pluribus benefeciſſe: sic enim cum gratiarumactione utuntur, non ad libidinem ac superfluitatem: hoc enim uanitas est & peccatum, non felicitas, si experto creditur Salomoni, imò uerbo domini. Qui iudicio dei in abusu rerū positus est in exemplum cæteris regibus, qui delicijs affluens & libidine dissolutus, legem dei unice sibi commendatam posthabuit ac contempsit.

25 **Quis ita uorabit & delicijs affluet ut ego?**

Si tam bonum est comedere & bibere, certe optime ego habui, qui in huiusmodi cibo & potu usq; ad delicias nimias exceßi: nihil enim negaui desiderijs, esuriem & sitim non expectaui. Et si felicitas est & donum dei, frui diuitijs, nemo mihi unquam felicior: si tamen id fiat cum gratiarumactione, cum timore dei, iuxta beneplacitum eius sobrie & temperate.

26 **Homini autem bono in conspectu suo dedit** (deus) **sapientiam & scientiam & lætitiam: peccatori autem dedit afflictionem & curam superfluam, ut addat & congreget & tradat ei qui placuit deo: sed & hoc uanitas est & cassa solicitudo mentis.**

Si quis deo probatur & gratus est, non suis tantum meritis, sed acceptatione boni quod agit, eidē dabit deus notitiam de diuinis & humanis, insuper gaudium puræ conscientiæ. Nemo uere gaudet, nisi qui deo bonus, qui fidit eius promißis, cui deus fidem reputat ad iustitiam, qui nihil ob scelerum conscientiam timens, & omne bonum in deo poßidet. Peccatori autem deus dat anxias & perpetuas curas, pro diuitijs congregandis, uel delicijs perfruendis fugacibus. Qui uero deo more uolucrū se credunt, quibus maior est solicitudo ad dandum liberaliter & fideliter, quàm auare recipiendum, is tota die miseretur & commodat, & semen eius in benedictione erit, æque ut ipsi non indigebunt probi filij & hæredes. Non ergo nostrarum est uirium uel carnalis sapientiæ felix usus et dispensatio temporalium bonorum, sed proprium est dei donum, in eos tantum collocandum, ut dictum est, qui domino grati sunt, & proximum iuuasse computant diuitias & abundasse sanctis operibus pro omni uirili.

Gaudiū uerum quod.

CAPVT III.

1 OMnia tempus habent, & suis spatijs transeunt uniuersa instituta sub cœlo.

Constituit sapientia dei quibuslibet negotijs atq; rebus uel institutis, quæ hoc in libro peculiari modo חפץ dicuntur, proprium tempus: nihil enim temere & casu uel fato geritur, nisi dei opus & uoluntatem fatum nominare libeat abusu loquendi. Omni quoque tempore ad manū aliquod occurrit negotium, quod iuxta timorem domini operetur, ne sit unquā otiosus à bono, sed præsenti semper occupatione exerceatur, nec molestiam ferat de præteritis, nec sit de futuris solicitus, unicuiq; dici delegata sua cura ac solicitudine. De præsenti inseruiat sibijpsi & proximo pro uirili, omnia agat bona fide, quæ certo nouit esse grata deo, & utilia proximo. Deniq; nihil stabile sub cœlo subsistit, sed suo quodq; tēpore trāsmutatur: ut sunt sibi semper contraria generabilia & corruptibilia in hoc mundo inferiori.

Tempus omnibus constitutū.

2 **Tempus nascendi, & tempus moriendi. Tempus plantandi, & tempus euellendi quod plantatum est.**

Non hominum quorumcunq; arbitrio homines generantur, sed pro dei tantum nutu & ordine suo tempore. Hominis tamen est opportune se in talibus gerere, instituto ad id legitimo & sacrato matrimonio, non uaga libidine, sed ad naturam propagandam in individuis, ad laudem creatoris, cum eius timore, & iuxta illius mandatum, Crescite & multiplicamini. Ad quod uiro adiutorium fecit ipsi simile, ut essent duo in carne una, pro quo homo relinqueret patrem & matrem: quos à Deo coniunctos, homo non separet, in tantum, ut adulteram occidendā mandauerit. Tempus quidem generandi deus sibi seruauit, quod sanctis olim patribus tardum fuit sexagenarijs & trigenarijs, sed felicius, nam longæuos quoq; pepererūt. Nunc pro libidine pueri congredientes, ac sine timore dei, satiandæ tantum libidinis gratia, infeliciter proficiunt ad prolem. Tempus quoq; morien di à domino ordinatum est, qui periodū uitæ cuiuscunq; constituit, quem prætergredi nō liceat, de qua non sit homo solicitus, cum nō sit in hominis, sed dei arbitrio. Nostrū autem sit, omne tempus uitæ sanctis dedicare exercitijs, obedire mandatis dei, uitam instituere uirtuose, horam mortis & quæ morti succedunt deo committere, qui omnia benefacit, cui omnia seruiunt, cui mortuorum etiam corpora non pereunt, sed mutantur in melius, ideoq; mors minime timenda deum timentibus et colentibus, sed peccatū et indignatio dei, sine quibus mors est felicitas, & omnium miseriarum exoneratio, initium beatæ uitæ in deo, redemptio animæ de corpore mortis huius, ut cupere debeamus dissolui & esse cum Christo in paradiso, si tamen in carne nostra simul quoq; confixi fuerimus cruci Christi, & eidem cōsepulti per fidem in deo. Tempus quoq; est plantandi & euellendi quod est plantatū. Voluit quoq; deus exercitari homines utili studio ac liberali excolendi terram. Plantationi incumbere iußit, ad quam ingenium dedit & instinctum, non otiosis, sed agricolis, unde sapientiæ diuinæ opera & naturæ miracula cognoscantur, & dei ad nos charitas, qui in usum nostrum hæc cuncta disposuit, uim indidit sese augmentandi per sui corruptionem, & propria se morte rediuiuum cum maximo fœnore generandum, uitæ quandam humanæ et resurrectionis immortalitatem testando. Alio quoq; tempore semina, alio radices, alio frutices, alio flores ac fructus carpenda natura mirabiliter docet, & experientia ingeniosa, ad quæ omnia ordinauit influentias cœlestes, stellarum, lunæ & solis, quas homines non ignorare uoluit, & familiariter reuelauit amicis suis, non otiosis, sed omnium honoratioribus cultoribus terræ, agricolis & animantium pastoribus, deoq; seruientibus in opere suo. Quorundam radices coelescunt,

Generandi tempus.

Tempus moriendi.

Plantandi.

scunt breui, aliorum tardius, quædam triennio maturescunt. De quibus Plinius author, quālibet impius, tamen eruditione insignis, qui utinam totis ingeniosorum studijs excoleretur & emendaretur. Cum igitur suo quæq; tempore agēda sint, semper negotiosi erumus, nunquam otiosi, gloriāq; dei & bonitatem assiduis experimentis agnoscemus, & deuote magnificabimus.

3 Tempus occidendi, & tempus sanandi. Tempus destruendi, & tempus ædificādi.

Domino tempus est puniendi impios dum uolet, dum peccatorum mensuræ fuerint adimpletæ, liberandiq; fideles: medicinæ quoq; suo tempore adhibitæ pro mutata complexione corporis, & cœlorum influentijs, uel obsunt ægrotis uel prosunt. Tempus legis erat Mosaicæ & ceremoniarum, nunc tempus est gratiæ & spiritus, sic tamen ut gratia non abutamur in libertatem carnis & peccati. Tempus erat occidendi Aegyptios, Amalechitas, Iudæos, Babylonios, Græcos, Romanos, prouidentia dei diu antea huiusmodi strages præordinauerat atq; prædixerat iusto suo iudicio. Tempus quoq; fuit suscipiendi omnes ad gratiam per Euangelium Christi, & pro præuaricationibus denuo abijciendi. Tempus quoq; est destruendi, & iterū ædificandi. Bona enim ædificari nō possunt, nisi prius mala destruātur. Procliui omnes sunt & faciles ad dissipandum, desides & difficiles & ignaui plurimi ad ædificandum. Olim pietatis ardor ædificabat templa, altaria, monasteria, interim quæstus pietatem æmulatus, omnia deprauauit, corrupit & euanescere facit. Nihil stabile quod sine uerbo fidei & timore Dei præsumitur. Christus cultum dei in spiritu commendauit.

Dissipandi tempus.

4 Tempus flendi, & tempus ridendi. Tempus plangendi, & tempus saltandi.

Deflendæ sunt impietates, tyrannides, miseriæ proximorum, scandala, damnationes, ruinæ corporum & animarum, flendum cum flentibus: non hoc uel illo die, sed pro hac uel illa causa flendum. Ridendi autem tempus, id est, gaudendi post hanc uitam, uel in meditatione diuinæ gratiæ & clementiæ, in profectu bonorum, conuersione malorum, euasione periculorum, incremento tranquillitatis ac pacis, sapiētia iustorum principum, impiorum & tyrannorum morte, & perseuerantia hominum iustorum. Plangendi tempus Ieremiæ fuit captiuitas fidelium, desolatio sanctæ urbis, & cultus diuini, occubitus religiosi principis Iosiæ, oppressio innocētium, tyrannis impiorum. Synceri & legitimi gaudij exultatio peccatum non est. Non deo displicet gaudium moderatum, sed annexas habens uanitates, peccata & insolentias. Vtitur autem communi modo loquendi & populari. Nec curiosius hic inquiram differentiā fletus & lamenti, risus & gaudij, docet in summa præsentibus rebus uti, de præteritis & futuris solicitudinem domino uniuersorum committere.

Gaudium moderatum

5 Tempus spargēdi lapides, & tempus colligendi. Tempus amplexādi, & tempus lōge fieri ab amplexibus.

Non displicet Philonis uel alterius explanatio, quanquam eam Hieronymus dicat ridiculam, tempus esse colligendi lapides, id est ædificandi urbes & palatia, pacis nimirum tempore & abundantiæ, imò aliquando temporibus famis & caristiæ. Erat tempus ædificandi templum Salomoni, & diruendi tēporibus Sedechiæ. Alius suo tempore horrea ædificabat, urbium mœnia Ezdras erigebat. Sepes & maceriæ suo tempore eriguntur & dissipantur. Nec multum probo expositionem huius loci, de filijs Israel ex lapidibus gentilibus uere suscitandis quidem, sed non ex hac sententia. Probabile magis, Mosaicæ legis seueriori tempore lapidatos adulteros et reos alios: tempore autem charitatis & gratiæ ad pœnitentiam prouocari criminosos, ut resipiscant & sanentur. De tempore amplexandi et longe fiendi ab amplexibus, eadem docet Apostolus 1. Cor. 7. Nolite fraudare inuicē, nisi fortè ex consensu ad tempus, ut uacetis orationi, liberis operam dando, & rursum continentiæ tempore, quod in angusto est, ut qui habent uxores, sic sint quasi non habeant, quum scilicet tempus accidat cum persecutionibus prædicandi Euangelium, sicut & suo tempore incumbendum est sapientiæ uel relaxandus animus ad opera charitatis.

Expositio aliorum.

6 Tempus acquirēdi, & tempus perdendi. Tempus custodiendi, & tempus abijciēdi.

Acquirere uel quærere hic significat pro beneficio præstando quenquam accedere. Perdere uero, est persequi et uelle nocere. Sic hoc loco proijcere distinctū contra custodire, est negligere, non appretiari, cōtemnere. Vt sit sensus, Pecuniam aliquando custodimus, aliquādo profundimus. Superius distinguebatur contra collectionem lapidum, & compositionem in ædificationibus urbium. Vult igitur dicere, Aliquando expedit beneficio afficere quempiam, aliquando præstat disperdere & ad mortem persequi.

7 Tempus scindendi, & tempus cōsuendi. Tempus tacendi & tempus loquendi.

Accidunt causæ pro quibus sit scindendum, ut apud uteres, uestimentum, amicitia, fœdus, decretum, constitutio, promissio, &c. & pro contrarijs occasionibus redintegrandi. Vt enim timor dei & obedientia suaserint proximi salus, & cōmodum animarū, sic est agendum. Non semper in uno sisti potest, cum & deum ferre debemus nunc ædificantē synagogam, nunc destruentē, nunc uelum templo appendentem nunc scindentem, nunc aduanantem regna fidelium nunc dissuentem, nunc cōcordantem reges nunc diuidentem. Tempus est schismatum, & tempus concordiæ. Tempus, ait, tacendi & loquendi. Silentium primo discendum, more Pithagorico, ut postea ad loquendum liceat paratiores progredi. Primo in ecclesia tacendo discendū, postea docendum. Vbi adsunt derisores uerbi, insanientes porci uel canes, ibi obmittendus sermo doctrinæ. Credentibus, humilibus, attentis, mundi contemptoribus uerbū dānī est fideliter prædicandum. De dogmatibus fidei, suo loco, suis tēporibus, personis & causis differendū est non temere. Christus non semper respondit ad interrogata. Conqueritur hoc loco Hieronymus, sæculo suo uitia in peius prolabi, quando

Scindendi tempus.

Tempora D. Hiero.

in ecclesia docerentur, quæ nesciuntur, & ad plausum populi instinctu diaboli, qui est fautor errorum. Omnes, inquit, artes absq; doctore non discimus, sola hæc tam uilis est, scientia scilicet sacrarum scripturarum, ut præceptore non indigeat.

8 Tempus dilectionis, & tẽpus odij. Tempus belli & tempus pacis.

Amanda quę & quando.

Bonum obiectum est amoris, ideo quanto aliquid melius tanto amabilius. Amandi sunt iusti, uirtuosi, pij, ueraces, uxor, cognati, filij, in deo omnia: odiendi autem si obstent gloriæ dei, illius præceptis implendis. Vita propria aliquando odienda erit, quo ueritas & iustitia propugnentur: etiã parentes, uxorem & filios nisi quis oderit in casu, Christi non erit discipulus. Amanda est disciplina magistri suo tempore, odienda est stulta obedientia. Corpus odiendum per abstinentias, & crucifigendũ cum uitijs: amandũ quoq; necessario uictu, & medicinis consolidandũ. Tempus ingrediendi cœnobium pro disciplina ad tempus discenda, donec pro usu ecclesiæ & uocatione dei appetat tempus egrediendi. Tempus quoq;

Bellum. Pax.

belli et pacis. Dũ uiuimus in carne bella gerẽda sunt perpetua cum aduersario ad deuorandũ circumeunte, cum mundo & concupiscentijs carnis. Militia est uita hominis super terram. In cœlo erit pacis locus & tempus: hic apostolica arma tractanda, ut tandem uictores requiescamus in pace. Hæc omnia Iudæi exponunt de statu Israelis, nunc electi enim fuerunt nunc occisi, nunc ædificato templo nunc subruto, nunc captiui nunc liberati, nũc prophetis tacentibus nunc loquentibus, &c. Addamus illis, tẽpus esse Israelis amati pro obseruãtia legis et fide, & tempus quo sint exosi ob mortem Christi & perfidiam, quia non cognouerũt tẽpus uisitationis suæ. Tempus quoq; deiectiõis per bella plurima, et pacis futuræ, quando intrante plenitudine gentium, omnis Israel tunc saluus erit, omnes qui in fide Abrahæ & spiritualis Israelis durarint.

9 Quid habet amplius homo de labore suo?

In tempore agendum.

Sensus est. Quis fructus hominẽ expectat, quid prodest homini, si non suo tempore & contrario ordine naturæ conetur & sudet, uelut euincere uolens opus prouidentiæ dei? Agat potius pro ratione temporũ & causarum, quodlibet opus suo tempore, sine molesta solicitudine præteriti uel futuri, uerbũ domini sequens & charitatem, quæ cum acciderint manui fideliter ac instãter aggrediatur, si tamen agnouerit id placere deo, non obesse proximo, sed prodesse.

10 Vidi afflictionem quã dedit deus filijs hominum, ut distendantur inea.

Nihil sine causa.

Videmus nihil sine causa fieri, quæ est prouidentia diuina, qua permouemur ad occupationes bonas, per timorem dei & mandata quæ dedit: uel ad mala, sensualitate nostra, quam tamen deus quoque moderatur ad gloriam suam, & ad profectum electorum. Deus est qui dat hominibus occupationes suas, quibus uult eos erudiri, se intelligi ac laudari, nõ diabolus, nõ fata nescio quæ, non influentiæ sine deo. Ipsi uero sua uanitate abutuntur creaturis ad suam occupationem, & ad afflictionem uanam spiritus, qui seipsum quærit in omnibus, & ideo errat per omnia, uaneq; affligitur non indigne.

11 Cuncta fecit bona (*pulchra*) in tempore suo, & mundũ tradidit disputationi (*in cor*) eorum, ut nõ inueniat homo opus quod operatus est deus ab initio usq; ad finem.

Bona omnia.

Suo loco, tempore, causa, bona sunt omnia, dei prouidentia ad bonum aliquod dispensata, licet non semper hominibus nota: ut etiam omnium malorum maximum malum, nempe bellum & mors ipsa non sint deo mala, neq; electis quibuslibet. Deniq; intelligentiam omnium rerum quæ sunt in mundo dedit passim hominibus, etiã pijs ac fidelibus, ut Abrahæ, Mosi, Dauid: non ut unusquisq; illorum omnia nouerit, sed singuli multa. Nullus tamen plene assequutus est creaturarum perfectam scientiam, quin multo plura nesciuntur, quàm ab hominibus sciantur. Datũ nobis est ut mundo legitime utamur, causas omnium rerum uelle inuestigare otiosum est & uanum. Homini quoq; dedit deus ignorantiam mali, ne mortis propinquitas cognita nimio tædio afficeret homines, absterreretq; ab operibus honestis & necessarijs: ideo עלם *defectiue scribi dicitur à Iudæis.*

12 Cognoui quòd non esset melius nisi lætari, & facere bene in uita sua.

13 Omnis enim homo qui comedit & bibit & uidet bonũ de toto labore suo, hoc donum dei est.

Homo in mundo hospes.

Propterea colonus & hospes mundi datus est homo, ut breui uita sua fruatur bonis huius sæculi, ad creatoris sui arbitrium, & abscissa spe prolixioris ætatis, cuncta quæ possidet quasi ad alia profecturus aspiciat, et quod potest in uita sua benefaciat. Nec frustra pro congregandis opibus cogitationibus torqueatur, nec se putet plus de labore suo posse lucrari, quàm cibum & potum non ad luxuriam & delicias, sed ut secundum Apostolum, Habentes uictum & quibus tegamur, his simus contenti, & donum domini agnoscamus, & ad illius beneplacitum erogemus egentibus, quod superest: non ut hactenus clerici, reponamus pro augmento beneficiorum & censuum, proq; otiosis. Et consequenter hic dicit Hieronymus, Porrò quia caro domini uerus est cibus, & sanguis eius uere est potus, iuxta anagogen: hoc solum habemus in præsenti sæculo bonum, si uescamur carne eius cruoreq; potemur, non solũ in mysterio, sed etiã in scripturarũ lectione. Verus enim cibus & potus qui ex uerbo dei sumitur, scientia scripturarum est. Hæc Hieronymus. Cibus enim corporalis ad caducã uitam, & ad imaginem uitæ ueræ nutrit: uerbum autem domini animam uegetat, reficit et satiat in uitam æternam, quæ uera est in deo felix & suauis. Vesci autem & frui in mysterio, intelligo dici mysterialiter, symbolice & sacramentaliter, ubi etiam uerum corpus sumimus, & uerum sanguinem bibimus, non carnalia & substantialia, sed multo uerius in spiritu & fidei cõtemplatione, toti inebriati consolatione spiritus, ex contemplato & credito mysterio mortis Christi pro nostris peccatis, & ex amore patris cœlestis, filium suum tradẽtis in mortem pro nobis,

De carne et sanguine Christi ex Hieronymo

bis, & ad satisfactionem eum susceptis pro peccato totius mundi, quæ tollere uenerat saluator. Quo peracto ascendit in cœlum, non rediturus corporaliter usque ad iudicium, testibus angelis: nunquam tamen defuturus electis, eo modo quo ab illis poterit desiderari, capi ac frui in hac uita. Hæc propter Hieronymi uerba.

14 Didici quòd omnia opera quæ fecit deus perseuerent in perpetuum: nõ possumus eis quicquã addere, nec auferre quæ fecit deus ut timeatur

pendent ex eo omnia. Per hominum uirtutẽ non stat ut aliquid de nouo creetur uel conseruetur, sed pendent omnia ex dei uerbo & beneplacito, cuius prouidentia regunt & agunt, culpa quidem nostra si illis abutamur, bono autem nostro si in timore dei cuncta, & in illius gloriam cum gratiarumactione referimus. Hieronymus in præterito legit, in eũdem tamen sensum. Nihil, inquit, est in mundo qd̃ nouum sit, solis cursus & lunæ uices, et terræ arborũq; siccitas uel uiror, cum ipso mundo nata sunt atq; concreta: & idcirco deus certa ratione cuncta moderatus est, & iussit humanis usibus elementa seruire, ut homines hæc uidentes intelligant esse prouidentiam, & timeant à facie eius, dum ex rerum æqualitate, cursu, ordine atq; constantia intelligunt creatorem, &c. Ideo subditur, Et deus fecit ut timeant à facie eius: pro omnibus creaturis in obsequium hominis conditis nihil à nobis deus exigit, nisi ut ipsum timeamus, hoc est, habeamus pro Deo nostro, ipsum solum reuereamur, & suspiciamus per obedientiam mandatorum dei, non deos alienos.

15 Quod factum est ipsum permanet. Quæ futura sunt iam fuerunt: & deus instaurat quod abijt.

Hic quærere accipitur ut supra, pro inquirere quenquam ad præstandum illi beneficium. Omnia quæ cernimus olim fuerunt, & post nos erunt, quædam numero eadem, ut cœlum & terra, quædam specie ut ex elementis composita, quæ licet mortis cõditione perire uideantur, renascuntur tamen, & quasi eum quodam fœnore reuiuiscũt. De homine eodem numero resuscitando per dei potentiam, testatur ueritas Iob decimonono, Scio q, redemptor meus, &c. Et deus quæret eum qui persecutionẽ patitur. Vtamur hoc testimonio, ait Hieronymus, pro illis consolandis qui pro ueritate patiuntur, quales sunt omnes pie uiuere uolentes: deus enim requiret sanguinem interfecti, quæret quod perierat, corona decoris & beatitudinis præmiabit pro creatoris gloria decertantem.

quærere ad beneficium.

16 Vidi adhuc sub sole in loco iudicij impietatem, & in loco iustitiæ iniquitatem:

In toto hoc mundo & inter humana negotia diligẽter exquisiui & circunlustraui, ut inuenirem iudicium & iustitiam. Et uidi etiam inter iudicum subsellia non ueritatem ualere, sed munera: pium non pro meritis præmia recipere, sed supplicium ac multa mala pati: impium autem regnare pro scelere, nihilq; geri iuste in præsenti sæculo.

17 & dixi in corde meo, Iustum & impium iudicabit dñs, & tempus omni rei instituto tunc erit, & de oñi opere ibi (erit iudiciũ)

Tacitus mecum reputaui hæc cernens, quum inter homines sit tanta rerum confusio, ut dominetur iniquitas, & innocentia opprimatur, nec sit in hoc mũdo qui recogitet peremptem, nec potest in deo esse aliqua iniustitia: necessario sequitur eum iudicaturum in futurum tempus, & iustũ cuiq; seruare iudiciũ, ut omnes pariter iudicentur, & secundũ impiã uoluntatẽ & nefaria opera mercedẽ iniqui recipiant. Hoc est enim quod ait, Quia tempus est omni uoluntati, & tempus omnis rei tunc erit: in iudicio scilicet dei, tunc futura est ueritas, tunc iustitia superabit & claresset, nunc iniustitia dominatur in mundo. Tale quid in Ecclesiast. 39. Ne dixeris, Quid est hoc? aut, Quid est istud? Omnia enim tempore suo requirentur, nullum malum impunitum erit, quin & iustus uix saluabitur, impius igitur ubi parebit?

18 Dixi in corde meo de filijs hominum, ut probaret eo deus, & ostenderet similes esse bestijs.

Quum uiderem tantam iniuriam inter homines exerceri, ut qui humiliores sunt, à potentioribus opprimantur, unus alium fraudat, persequitur, interficit, ceu animalia, quorum fortiora deuorant infirmiora: et quæ maxime innocua sunt, ea tractantur seuerius, & crudelius diripiuntur: subijt ergo cogitatio humano sensui meo, ut similiter agat Deus causam hominum & bestiarum, ut uideri possit carnali iudicio, non esse melioris conditionis humanũ genus quàm bruta animalia, imò multis nominibus miserabilius uideri, quod & fragilius à primæua ætate & fragilitate corporea.

19 Idcirco unus euentus est hominis & iumentorum, & æqua utriusq; cõditio: sicut moritur homo, sic & illa moriuntur: similiter spirant omnia, & nihil habet homo iumento amplius. Cuncta enim subiacẽt uanitati,

Etiam secundum corporis qualitatem pecus nihil differre uidetur ab homine, cum sit eadem utrisque nascendi conditio, fors una moriendi, similiter procedimus ad lucem, æque uidemur dissolui in puluerem, uniformis in omnibus flatus est, & respiratio similis, & aëre isto alimur pariter, et amplius homini à pecore nihil est. Quod ne putaremus dici etiam de anima, infert.

20 & omnia pergunt ad unum locũ. De terra facta sunt, & in terrã pariter reuertũtur.

Omnia, id est, tam homines quàm iumenta uel bestiæ de terra fiunt, & reuertuntur in terram: de terra autẽ corpus tantum producitur, non anima. Vnde autem anima sit sensus carnis non potest non dubitare sine uerbo dei, cuius quæstionis difficultas indicatur consequenter quum dicitur.

21 Quis nouit si spiritus filiorum Adam ascẽdat sursum, & si spiritus iumentorũ descendat deorsum?

22 Et deprehendi nihil esse melius, quàm lætari hominem in opere suo, & hãc esse par

tem illius. Quis enim eum adducet, ut post se futura cognoscat?

Homo non otiosus.

Quis scit si anima humana redeat sursum ad Deum qui illam dedit, & anima iumentorum cum carne dissoluatur in terram? Quæ cum uiderem sensu humano sciri non posse, saltem hoc deprehendi bonum hominu in hac uita, ut sit minime otiosus, sed quæ deus mandauit opera exequatur assiduè, & inter operandum lætetur de præsenti bono à deo sibi dato, nihil solicitus de futuro euentu, quem siue prosper fuerit siue aduersus, domino commendandum cognoscit, cuius sunt omnia, qui omnia agit in omnibus. De substantia autem animæ & persistentia uel immortalitate, sicut & de ortu multa philosophi tractauerunt, scholasticis superfluum studium sit de talibus anxie digladiari, cum nullus fidelis hæc ignoret: nemo nisi fidelis nouit, qui uerbo dei credit, qui deum timet, qui præceptis dei obedire contendit, qui spiritu dei imbuitur, qui est ex electis, qui trahitur à patre, qui accipit à deo, ut credat quod oculus non assequitur.

CAPVT IIII.

1 VErti me (ad alia) & uidi omnes calumnias quę sub sole geruntur, & ecce lachrymas innocẽtium & neminem consolatorem, nec posse resistere eorum uiolentiæ cunctorũ auxilio destitutos.

Omnia male fieri.

Non aliud iudicare potest carnalis homo, quàm nihil iuste fieri inter homines, quorum qui ferociores sunt et potentiores, cæteros opprimunt ui & uiolentia contra ius & fas, & calumniam patiuntur & miserias quotquot pie uiuere uolunt, prodesse omnibus, nemini nocere. Vnde uidetur homini non instructo uerbo dei & fide, deum non esse malorum uindicem, tutoremq; bonorum. Reuera autem dominus est qui eripit inopẽ de manu fortium, egenum & pauperem à diripientibus eum, Psalmo 34. Isaiæ 59. Ieremiæ 12. Abacuc 1. Psalmo 72. ferè per totum.

2 Et laudaui magis mortuos qui iam mortui sunt, q̃ uiuentes qui adhuc uiuunt:

3 & feliciorem utroq; iudicaui qui necdũ (natus) est, nec uidit mala quæ sub sole uiuunt.

Comparatione quidem malorum quibus in hoc sæculo mortales premuntur feliciores putaui mortuos quàm uiuentes. Euaserunt enim iam tot pericula & calamitates quibus obruuntur uiui, sicut & Iob tertio disputans de inferis dicit, Ibi requieuerunt lassi corpore, cum his qui uincti fuerunt, iam securi non audiunt uocem exactoris. De uita sæculari hic loquitur & morte corporis, nõ de uiuentium meritis uel peccatis morientium. Alioqui siue boni sint homines siue impij, melius fuerit mortuis quàm uiuis. Iusti enim cupiunt dissolui & esse cum Christo. Impiorum autem morte pij liberãtur, & ipsi deniq; à peccatis accumulandis cessare uel inuiti cogũtur, & subesse iustitiæ iudicij diuini. Porrò qui necdum natus felicior est utroq;, nondum tot mundi miserijs expositus. Loquitur autem Ecclesiastes humano more & iudicio, quo dicitur, Melius non esse quàm tam infeliciter uiuere: sicut & dñs de Iuda proditore loquebatur, Melius erat non nasci hominem. Non philosophice loquitur nec theologice, sed politice, alioqui philosophus diceret, Nihil esse peius, q̃ non esse, quod tollit omne bonum. Et philosophorum quorundam opinio fuit, animas creatas in regione spirituum, & inde descendere ad uiuificãda corpora, ut illic sint infeliciores, quia extra suã patriã. Omnibus autẽ his melior ille est qui didicit, Non esse in mundo malum quod non fecerit dominus, Amos 3. Et Ecclesiastici 11. Bona & mala, mors & uita, paupertas & honestas à deo sunt, qui est fons bonitatis. Et Isa. 45. Absq; me non est deus, formans lucem & creans tenebras, faciens pacem & creans malũ. Ego dominus faciens hæc. Quo modo loquendi Salomon hic non loquitur sed tropo politico, & iuxta mundi sapientiam & carnis.

Non esse peius.

4 Rursum contemplat⁹ sum omnes labores (hominũ) & industrias animaduerti patere inuidię proximi: & in hoc ergo uanitas, & cura superflua est.

Ingratitudo

Alia quoq; mala perpendens in orbe, uidi occupationes gloriosas, utiles ac optimas pluriũ patere inuidiæ, dũ inuidus de alienis bonis affligitur, & quasi de solis radijs excæcatur, studiumq; benemerendi uirtuoso homini cedit in odium & periculum, cum homines non tam proprias miserias & malitias lugere & plangere studeant, quàm de alterius profectu & sanctis studijs contristari, detrahere & quamum poßint impedire. Magna hoc est uanitas, cum labores & industria heroicorũ uirorum ꝓdesse deberent multis, potius per occasionẽ malitiæ humanæ obsunt, et dolore afficiunt improbos, quæ pro utilitate cõmuni oĩm ædita sunt facinora ꝓbitatis.

5 Stultus complicat manus suas, & comedit carnes suas, (dicens,)

Carnes edere.

Rabi Salomon exponit, Stultus non laborat, sed otiosus implicat manuum digitos, proximum deuorat, de rapina illius uiuendo. Hiero. Ob nimiam famem hyperbolicos deuorat suas carnes. Qui uult otiosus uiuere opprimetur inopia, quæ magis fugienda est quàm inuidia malignorum. Aliter, Qui alienæ felicitati inuidet, furisq; spiritu raptatur, is liuore digno tabescet & deperibit. Aliter, Stultus non comedit laborem manuũ suarum, sed uiuit ac pascitur sapientia carnis & illius operibus Otiosus carebit uictu, attenuabitur corpore. Auarus non extendet manus ad eleemosynam præstandam. Superbus quærit gloriam de proprijs laboribus. Stultus otiatur æstate & hyeme carebit tegumento.

6 Melior est pugillus cũ requie, quàm plena utraque manus cum labore & afflictione animi.

Eadem sentẽtia habetur Prouer. 15. & 16. Melius est iusto modicum habere cum pace conscientiæ & quiete corporis, q̃ superfluas diuitias, & plenas utraq; manus donarijs cum afflictione spiritus. Quasi diceret Salomon, Non expedit complicare manus & uiuere otiose, quantumlibet inuideant alij, sed labore uictus acquirendus est, sine inquieta solicitudine, ne dum corporis dulgemus

gemus, ſpiritum attenuemus. Quanto enim plures diuitiæ reponuntur, tanto animus inquietior moleſtatur. Afflictione enim ſpiritus diuitiæ acquiruntur, conſeruantur, & augentur.

7 Conſiderans reperi & (aliam) uanitatem ſub ſole:

Stultum quidem eſt otioſum egere neceſſarijs, & cum angoribus poſſidere diuitias: inſania tamen eſt maior, nõ habentem hæredes filios, multo labore, perq; fas & nefas congregare diuitias, illis incumbere & incubare, & alteri uel ingrato & extraneo aſſeruare per luxum dilapidandas. Pſal. 38. Et Luc. 12. Stulte hac nocte repetent à te animã tuam, quæ autem congregaſti cuius erunt?

8 unus eſt, & ſecundum non habet, non filium, non fratrem, & tamen laborare non ceſſat, nec ſatiantur oculi eius diuitijs: (nec recogitat, dicẽs,) Cui laboro, & fraudo animã meam bonis? & in hoc quoq; uanitas eſt, & afflictio peſſima.

Qui deo non fidit, & laborum ſuorum fructum non percipit, ſemper ueritus egeſtatem, nec rationem habẽs charitatis, ſed tantum ut theſauros augeat ſuos, quiete propria ſe fraudans, & contra dei præceptũ nemini beneſaciens, is ſine dubio uaniſſimus eſt & miſerrimus, ſibi durus, deo & hominibus abominabilis: quanto melius & felicius eſt ac religioſius, laborare ad exercitium parare ſibi & alijs neceſſaria, anxijs curis non diſtrahi, et habere unde petenti ſe pauperi tribuat.

9 Meli? eſt ergo duos eſſe (ſimul) quàm unũ: habent enim emolumentũ ſocietatis ſuæ:

10 ſi unus ceciderit, ab altero fulcietur. Væ ſoli: qa cũ ceciderit, non habet ſubleuantẽ ſe.

11 Et ſi dormierint duo, fouebũtur mutuo. Vnus quomodo calefiet?

12 Et ſi quiſpiã præualuerit cõtra unũ, duo reſiſtẽt ei. Funiculus triplex difficile rũpit.

Amicitiam & iucundam ſodalitatem commendat Salomon, quaſi dicturus, Multum utilitatis et ſolatij habet amicorum fidele & familiare contubernium, quando et alterius ruina alterius auxilio ſubleuatur, & domeſticas curas melius omni tempore exigit, qui fidum habuerit amicum, quàm qui ſolis opibus incubat acquiſitis. Voluit enim & ſic inſtituit deus res humanas, ut multa eſſet hominum indigentia ab infantia & partu ipſo, ut unus alteri ſuo obſequio adeſſet, ne quis ſoli ſibi uiuere uellet, & ſine ſocio quicquam oblectamẽti haberet. Vnde & uirũ cum muliere creauit, quo eſſet amicitiarum iucũdior ſodalitas, quã hic Salomon commendat. Quod ſi robuſtior quoq; hoſtis contra unum ſurrexerit, imbecillitatem unius poterit alterius auxilium ſuſtentare. Et duo conſentientes in labore, leuius moleſtiam ferunt operis: quibus trium quoq; ſociorum contubernium plus ualet, & ueluti triplex funiculus difficilius rumpetur, fortius colligabit. Etenim uera charitas nullo uiolata liuore, quanto augetur numero, tanto creſcet & robore. Hæc Hieronymus ſimpliciter & ſolide. Expoſitio autẽ uera quidẽ dicens de Chriſto uero cum anima habitante feliciter & adiuuãte, deq; patre, filio & ſpiritu ſancto, triplici ſecundum eum funiculo, non placet pro litera deducenda.

Societatis bonum.

13 Melior eſt puer pauper & ſapiens, rege ſene & ſtulto, q neſcit prẽuidere in poſterũ.

14 Quod & de carcere (cateniſq; interdum quis) egrediatur ad regnum: & alius natus in regno inopia conſumatur.

15 Vidi cũctos uiuẽtes qui ambulant ſub ſole cum adoleſcente ſecũdo, qui conſurget pro eo.

16 Infinitus numerus eſt populi omniũ qui fuerũt ante eum, & qui poſtea futuri ſunt non lætabuntur in eo: ſed & hoc uanitas & afflictio ſpiritus.

Huius obſcurioris loci interpretationem triplicem Hieronymus adducit. Primum Barachiæ cuiuſdam Iudæi, primæ authoritatis, de interiori homine, qui poſt quartum decimum pubertatis annum in homine exoritur, ut ſit melior eo qui de aluo matris naſcitur uitioſus. Vidi, inquit, eos qui cum exteriori homine conuerſati primo, poſtea maluerunt cum interiori lætari & conſentire. R. Barachias.

Gregorij quoque epiſcopi Ponti, qui fuit auditor Origenis, quem nuper Latinum reddidit Ioannes Oecolampadius noſter, ſententia habet, Ego etiam magis probarim adoleſcẽtulum pauperem & ſapientem, quàm ſtolidum regem, licet ſenem, cui nunquam uenit in animũ, tantas fieri poſſe rerum innouationes, ut cõpetitorum aliquis olim præficiatur regno, & ipſe ex iniuſto principatu iuſte excidat. Nonnunquam enim contingit eos qui tyrannidem inſipientis principis antea tulerunt ſub moderamine prudentioris iuuenis reſpirare, & felicius agere: licet æquales ſui & iuniores, & qui præter illum nõ nouerunt alium, ſeducti opinione peruerſa & impetu contrarij ſpiritus, laudes ipſius neſciant prædicare. Laodicenus nimis breuiter expoſuit. Origenes & Victorinus de Chriſto & diabolo interpretantur. Gregorius Ponti. Oecolampadius.

Sufficit mihi & ſatis placet hoc loco Lyrani expoſitio, in hunc ſenſum, Non eſſe appetendum regnum & principis ſtatum, triplici ratione ſuadetur. Prima contingit plerunque uideri reges potentes, qui delicijs diſſoluuntur, & ſenio deſides, ac incircunſpecti quaſi inſipientiores fiunt, quibus ea ratione melior eſt iuuenis pauper & ſapiens. Solet enim paupertas nutrire ſapientiam. Secunda, uidemus feliciſſimos reges inuolui miſerijs, exui regno, poteſtate ac gloria, ſubito quoque regna finiri, & uiciſſim in ſolium exaltari hominem infimæ conditionis, ut uideatur quaſi caſui ſubiectus eſſe principatus, ut Ioſeph in Aegypto. Tertia, quia reges decrepiti aliquando contemnuntur à filijs & populo, & regno priuantur ambitione filij regis, qui dicitur puer uel infans ſecundus, qui regno hæres ſuccedere nititur, patre ſuperſtite, cui maxima pars populi fauet, ſpreto ſene. Qui tamen ut Abſolom pœnas feret contempti parentis, ut uel ante tempus moriatur, uel ſimilia futurus fortè ſenex experiatur, dũ populus quoq; nouitati ſtudens, nouo ſemper principatu ſperat grauamina minui, ut ſub Roboam, cum interim Lyranus. Regnũ non appetendũ.

magis opprimitur. Hæc autem omnia plena sunt uanitatis & afflictionis, ideo contemnenda.

17 Custodi pedem tuum ingrediẽs domum dei, & appropinqua ut audias: multo enim melior est obedientia, quàm stultorum uictimæ, qui nesciunt quid faciunt mali.

Ordo libri. Consequentiam sententiarum non uideo in hoc libro, sed collectionem doctrinarũ moralium, sine exacta ratione ordinis, sicut & in libro uidimus Parabolarum. Monet autem his uerbis diligenter prospiciendum esse, ut deo seruiturus non alio modo placere eidem contendas, quàm iuxta uerbum suum instituendo uitam, obediendo præceptis, legem domini audiendo, meditando, & diligendo. Id deo magis placet quàm sacrificiorum oblatio, uel uotorum ab homine excogitatorum præsumptio. Dicitur autem sacrificium stultorum, quod de libero defertur arbitrio & humano sensu, iuxta traditiones gentilium, quas spiritu erroris pluris facere homo consueuit quàm beneplacitum dei, iuxta legem ipsius, cum domino tantum placeat quod ipse instituit: quod autem ratio humana non potest aduertere uel probare, gratia dei destituta & fide.

CAPVT V.

1 NE temere quid loquaris, neq; cor tuum fit uelox ad proferendum sermonem corã deo. Deus enim in cœlo, & tu super terram, idcirco sint pauci sermones tui.

Noli temerè, præcipitanter & inconsyderate proferre uerba coram deo, orando uel uouendo, uel de diuinis iudicijs disputãdo: sed memineris præsentiæ diuinæ, qua rebus omnibus adest, creator omnium & gubernator et conseruator, qui licet in cœlo præsideat, & nos terram habitemus, audit tamen quæ loquimur, & insipientiam nostram arguit, iudicat & ad peccatum imputat dum illi placet. Cum ergo oraueritis nolite multum loqui, sicut faciunt ethnici: putant enim fore, ut in multiloquio suo exaudiantur. Et de uerbo quoq; otioso reddenda erit ratio in iudicio diuino. Sit omnis homo uelox ad audiendum, tardus autem ad loquendum. Maxime de rebus diuinis uerba sunt moderanda, & nostræ intelligentiæ imbecillitas consideranda, qui etiam ea quæ nos nosse arbitramur per speculum uidemus, & in ænigmate, & uelut per somnium comprehendimus quod tenere nos æstimamus. Sed nec sine consideratione uirium & uoluntatis dei aliquid uoueamus, quod uel explere non possumus, uel deo placere, uel idipsum ad minus consuluisse non noscamus.

Pauci sermones.

2 Multas curas sequũtur somnia, & in multis sermonibus (inuenietur) stultitia.

Sicut multas solicitudines sequũtur somnia de eisdem, ita qui plura uoluerit de diuinitate disserere, incidet in stultitiam. Vel sic, Verba nostra ideo pauca sint, quia promptula est lingua loquacium ad mendacia: & qui in lingua non offendit perfectus est. Ex multiloquio non effugiemus peccatum, Prouer. decimo. Sic contra curandum, ut in uigilia honesta meditemur & studeamus, ut & somnia nos nõ nisi uirtuosa occupent. Stultitiã scriptura pro peccato usurpat, & aliquando pro crimine.

3 Si quid uouisti deo, ne moreris reddere: displicet enĩ ei infidelis & stulta promissio: sed quodcunq; uoueris redde.

4 Multoq; melius est nõ uouere, quàm post uotum promissa non reddere.

Votum piũ quale sit. Duo in uotis attendenda, ut pium sit quod uouetur, & reddi possit nostris uiribus, uel per gratiam dei nobis promissam dum uolumus. Si enim sit aduersus pietatem uel malum, peccatum est uouere, & irrisio dei uelle deniq; implere. Tandemq; stultum uotum esse nemo ignorat, de rebus quas præstare nõ potes, uel non sine proximi tui damno potes, uel contrarium uoluntati diuinæ, uel unde impeditur id quod domino obligaris. Quod si putauerimus nos firmiter obseruaturos dei præcepta, si nos ad ea uoto obstrinxerimus, non iam gratiæ dei, sed nostris uiribus aliquid adscribemus. Hic autẽ doccmur, ut rationabile sit & præmeditatum quod uouemus, non temerarium aut stultũ. Rationabile uult esse obsequium nostrum, ut quæ serioſe præcepit, diligẽtius implcamus. Sin id minus possumus, uires gratiæ precibus imploremus: deniq; utilia, sancta & factu possibilia sine uotis tutius obseruantur. Displicet deo stulta promissio de impossibili, de inutili, de periculoso, de impio supra uiresq; de incerto. Nescimus si uirginitatis gratiam largiturus sit deus uouenti. Castitas omnibus necessaria est, quæ & maxima habetur in sacro matrimonio. Verum si uirginitatis donum det dominus, alicui ut rarissimũ dederit, arripiatur & seruetur, donec ipse dominus cõseruauerit. Sin minus det dominus, ut dare non cogitur, quia non promisit, id tum agatur quod dominus iussit, remedium incontinentiæ non spernatur. Quot hodie religiosorum sunt, qui uota minime reddunt, & tamen ad uouendum alios inducunt & solicitant?

Virginitas.

5 Ne dederis os tuum ut peccare facias carnem tuam: neq; dicas corã angelo, Nõ est prouidẽtia: ne forte iratus deus contra sermones tuos dissipet (cuncta) opera manuũ tuarum.

Vouere insipienter. Os suum dare ad peccatũ carnis, est uouere ore, quod opere non seruatur, proponere animo & promittere uerbis, quæ corpore non complentur, promittere & nõ statuere, dum in carne uotum stultum transgredimur, quæ sine uoto poterant non esse peccata. Nec dicas coram angelo, id est, in secreto cõscientiæ tuæ, Non est magnum, uotum transgredi per ignorantiam uel fragilitatem, deus hoc non requirit, non irascitur de uoto fracto: imò magis, quia uiribus tuis confisus uouisti, quod non præcepit, interim negligentior circa ea quæ mandauit, dum tibi sine uerbo dei præstituis opus, in quo deo placeas, quod dominus non habet gratum. Sufficiunt si ea statuamus, quæ deo iubente illi obligamur, id quod nemo hominum perfecte agit. Viderit hoc loco Hieronymus, dum uerba Pauli tractat, quomodo euadat, quod uerissime dixit Apostolus, Non quod uolo hoc ago, sed

Contra Hieronymum.

quod

quod nolo. Intellexit enim hoc non de sua tantum persona, sed omniũ fidelium, in quibus omnibus spiritus aduersatur carni, et caro militat aduersus spiritum, &c. Sed et patet quàm uerum sit omniũ in oculis quod sequitur, Disperdit deus opus manuum tuarũ. Non enim adest nobis deus auxiliator & promotor, dum iuxta uires nostras agimus, quæ deus non cõmendauit, dum quæ nobis bona uidentur eligimus, dum uouemus quod implere non possumus, dum legẽ dei propter traditiones humanas negligimus, & operibus à nobis electis deo placere sine suo uerbo proponimus.

6 Vbi multa sunt somnia, plurimæ sunt uanitates, & sermones innumeri. Tu uerò deum time.

Vanitas studiorum.

Conclusio quædam esse uidetur præcedentiũ dictorũ: quasi dicat, Oĩa hæc tẽporalia bona, de quibus tractauimus, uanitatẽ habent annexã sibi, & sunt instar somnij, ut subito euanescant, nusquam comparentia. Nec digna sunt ut prolixiore sermone de eis disputetur, unũ tamũ reliquum est, quod solum uanũ non sit, sed firmum, stabile ac beatum, Timere deum, ipsum habere præ oculis, in omnibus reuereri, deũ suum credere, qui solus et benefacere possit placatus, & inferre uindictam iratus, cuius beneplacito obsequi necesse sit & salutare. De hoc solo disputandum nobis fuerit, & sermo assiduus habendus, non de rerum curiosarum quæstionibus, multum uanitatis habentibus, commodi nihil.

7 Si uideris calumnias egenorũ & uiolenta iudicia, & subuerti iustitiam in prouincia, nõ mireris super hoc negotio: quia excelso excelsior est alius, & super hos quoq; eminentiores sunt alĳ,

8 & insuper uniuersæ terræ rex imperat seruienti.

Magistratus parendũ

Non solũ timendus deus docetur, sed insuper potestas regia, ac iusti magistratus & præsidũ. Et est sensus, Quisquis priuatim agis, & es amator iustitiæ, si uideris corruptum mundi statũ, dominari tyrannidẽ, uexari miseros, opprimi pauperes, subuerti iudicia, iustitiam conculcari in prouincia, non mireris, non temptes priuato studio & zelo intempestiuo te istis opponere malis, deũ potius time, cui commendes negotiũ, qui omnia disponit ac regit. Tuum pro te negotium omne iuste tractes, et serua mandata dei, quicquid alĳ faciãt. Tua enim nõ interest, quid passim in mũdo impij faciant, domino suo cadunt calumniatores & iniuriatores, habent præpositos sibi principes & præfectos, quorum interest corrigere iniquitatẽ, iniuriam propellere, iniustitiam uindicare in tempore, quod minime obmittetur: si moram fecerit expecta eum: ueniens enim ueniet, & reddet unicuiq; secundum opera sua. Super hos quoq; principes & præsides, si fuerint negligentes rex est constitutus à deo, cuius cor in manu domini, pro quo deum necesse est deprecaris assidue, cui obedias, publicam iustitiam moderanti, cui commissa est dispensatio prouinciæ, ut præsit terræ, ne quis insolenter uiuat, nemo alium opprimat iniquis exactionibus, spoliĳs, censibus, laboribus, nemo sit otiosus, ne terra uastetur, nemo rerum suarum prodigus decoctor, ne populus pereat luxu, otio, bellis, rapinis. Regibus & prouinciarum præsidibus hæc curare incumbit. Interim priuati homines quiescant, rebus suis intendant, inculpate uiuant, pro se quiq; aduersitates patienter ferant, à deo immissas propter peccata malorum, & exercitium fidelium: diuinæ prouidentiæ cuncta commendent, qui omnia nouit, sum me bonus est, & æquus omnibus optime regnãs. Cura regũ

9 Auarus non implebitur pecunia: & qui amat diuitias, fructum non capiet ex eis: & hoc ergo uanitas.

10 Vbi multæ sunt opes, multi qui comedunt eas. Et quid prodest possessori, nisi quòd cernit (diuitias) oculis suis?

Auarus

Auarus nunquam expletur opibus, semper eget, etiam egens. eorum quæ possidet. Auaritia neque inopia neq; copia minuitur. Et qui copiam diligit sine expensarum grauamine non erit. Non modica denique uanitas est, assidua commutatio expensarum cum impensis. Idq; quasi clarius exponens dicit, Vbi multæ diuitiæ conquiruntur, necesse est adesse multos familiares, qui absumant. Non possunt agricolarum opera perfici, sine expensis seruorum & animalium, de quibus loquitur scriptura principalius. Nihil autẽ prosunt diuitiæ possidenti amplius, quàm ut uisis fruatur, cum plus quàm unius hominis cibum capere non possit. Si itaque te uis diuitem facere, non diuitijs addendum, sed cupiditati detrahendum erit.

11 Dulcis est somnus operanti, siue parum, siue multum comedat: saturitas autem diuitis non sinit eum dormire.

De diuite & auaro prosequitur, comparatur autem operanti, & absque solicitudine suauiter dormienti post labores diurnos, qualemcunque cibum sumpserit. Dives uerò dapibus distentus redundante crapula, grauatur ex stomacho, interimq; cogitationibus in diuersa distractus, dulciter uel quiete dormire non sinitur. Simile Ecclesiastici 31. Somnus sanitatis in homine parco, dormiet usque mane, & anima ipsius delectabitur in ipso.

12 Est & alia infirmitas pessima, quam uidi sub sole: diuitiæ conseruatæ in malum domini suĳ:

13 Pereunt enim in afflictione pessima. Genauit filium qui in summa egestate erit:

14 sicut egressus est nudus de utero matris suæ, sic reuertetur, ut uadat sicut uenit, et nihil auferet secum de labore suo, quod ducet manu sua.

15 Miserabilis prorsus infirmitas: quomodo uenit, sic reuertetur. Quid ergo prodest ei quod laborauit in uentum?

16 Cunctis diebus uitæ suæ comedit in tenebris, & in curis multis, & in ærumna atq; tristitia.

Sensus obscuritatem horum uersuum tentemus clarius explicare. Est, inquit, uidere in hoc mundo, miseram adhuc ualde conditionem, scilicet diuitias conseruatas multa solicitudine & amore, in discrimen & necem domini

Infelicitas ex hæreditate.

sui, auarius eas possidenti. Quandoquidē plerunq; pereunt opes huiusmodi, magno incommodo eius qui multis eas acquisiuit molestijs: eatenus ut filius quoq; huiusmodi diuitis fraudetur hæreditate earū, et ingratis extraneis, uel etiā inimicis cedāt ac otiosis. Vterq; tamen pater scilicet & filius, hæres diuitis & dives, ut exiuit nudus ab utero matris, sic nudus redeat ex hac uita in terrā, unde iuxta corpus prodijt, nihil rerū suarum secū auferēs, sed regreditur in terrā miser & infelix. Certe miserabilis est hæc conditio prorsus, & odiosa fortuna huiusmodi diuitis, dū tot laboribus parta subito eripiuntur, cuanescitq; tanta occupatio & ingens labor, ut etiā ad corporis necessitates eis uti ausus non fuerit, sed multis iugiter indignationibus, discursibus, litibus, & fatigationibus implicitus fuerit et uexatus. Hortamur hac doctrina ad id apostoli, Habentes uictū & amictū, &c. Et ad id, Diuitias et paupertatē ne dederis mihi, &c. Et ut tanta fideles solicitudine æterna sectemur, quāta terrena diuites infelices.

17 **Hoc itaq; uisū est mihi bonū ut comedat quis & bibat, & fruat lætitia ex labore suo q̄ laborauit ipse sub sole numero dierū uitæ suę, quos dedit ei de⁹, et hęc est pars illi⁹.**

Filicitas in diuitijs.

Ad cōparationem eius qui opibus suis incubat, in tenebris tot curarū & solicitudinū, grandiq; tædio uitæ suæ diuitias cōportat, longe feliciorē pronuntiaui eū, qui ad cōmoditatem & honestū gaudium uitæ præsentis libere fruitur diuitijs, agnoscens donū dei esse, tam substantiam rei familiaris, quàm facultatē & uoluntatē fruendi. Nec hoc tantū in persona dicitur infirmorū, sed etiam sanctorum & perfectißimorū uirorum, qui diuitijs iuste utuntur, cum timore dei & gratiarū actione, comedunt, bibunt, & moderate delectantur creaturis dei, eleemosynas & hospitalitatē non obmittunt, hoc mundo utūtur, quasi non utantur, parati pro gloria dei & fratrū causa pati penuriam. Didicerunt enim abundare & pati penuriam. A quorū studijs longe absunt, qui paupertatis iactatores sunt, uoluptuosi monachi, qui in opere alieno deliciantur, ipsi otiosi, & subdoli raptores, ac nimium cauti: saltem pluribus dediti uoluptatibus, quàm illi, qui dei intuitu, uel coacti eos nutriunt censibus uel eleemosynis, prædicantes ieiunium & paupertatem, cum nunquam esuriant & abundent in omnibus.

18 **Et omni homini cui dedit deus diuitias, atq; substantiam, potestatemq; ei tribuit ut comedat ex eis, & fruatur parte sua, & lætetur de labore suo: hoc est donum dei.**

Diuitiæ unde parētur.

Discimus ex uerbo dei hic & alibi, diuitias non parari nostris studijs, sed à deo donari, minime tamen otiosis, non ad thesauros coaceruandos, sed ad legitimum usum pietatis & necessitatis: non ut uniuersa absumant, sed ut suam partem capiant sustentationi suæ accommodam: non ut sensus sopiantur crapula, libidine, uel lasciuia, sed ut ad omne opus bonum uiuatiores & iucundiores reddantur. Nihil iterum hoc pertinet ad otiosos quoscunq;, quibus prohibetur ne comedāt, qui abundare sciunt, penuriam pati non uolunt.

19 **Non enim satis recordabitur dierū uitæ**

suæ, eo quòd deus occupet delicijs cor ei⁹.

Vsus bonus diuitiarum.

Qui bene utuntur diuitijs agnoscunt earum datorem deum, & gratias agunt, soliciti quomodo in præsentia rum bene expendant, de præteritis & futuris nihil soliciti. Credentes plura daturū deum, si fuerint innocentiæ studiosi, et eleemosynas faciāt. Depelletq; diuina bonitas omnem miseriarum memoriam, & pura stabiliq; lætitia replebit. Iucundus enim homo qui miseretur & commodat, quia in æternum nō commouebitur. Omnia aūt sunt in deum referenda, tam donum diuitiarum, quàm usus legitimus & labor, uita & gaudium, facultas quoq; utendi. Deus hæc omnia agit, sanctis ad bonum, impijs in damnationem, qui deo ingrati diuinis abutuntur beneficijs.

CAPVT VI.

1 2 **EST & aliud malū quod uidi sub sole, & qdē frequēs apud hoiest uir cui dedit de⁹ diuitias & substantiā & honorem, & nihil deest animæ suæ ex omnibus quæ desyderat: nec tribuit ei potestatem deus ut comedat ex eo, sed homo extraneus uorabit illud: hoc uanitas, & miseria magna est.**

Mala in mū

Discimus mala non deesse unquam huic mundo, quæ à uere sapientibus ac deum timētibus solis uidentur, quæ do. & pœnæ quædam sunt humanæ malitiæ: quibus deus, ut malo nodo adhibet malum cuneum, auaro scilicet homini, cui deus etiam indigno dat diuitias, facultatem & honorem, sed usum non permittit, quin & fraudat hæredibus filijs & fratribus, transfertq; ad alienos quæ dederat ingrato temporalia bona. Didicimus igitur amorem diuitiarum, inordinatum usum, & parcitatem, arbitrij nostri libertatem in rerum nostrarum administratione.

3 **Si genuerit quispiā centū (liberos) & uixerit multos annos, et plures dies ętatis habuerit, & anima illius non utaī bonis substantiæ suę, sepulturaq; careat: de hoc ego pronuntio quòd melior illo sit abortiuus,**

4 **fruſtra enim uenit & pergit ad tenebras, & obliuione delebitur nomen eius,**

5 **non uidit solem neq; cognouit distantiā boni & mali,**

6 **etiam si duobus milibus annis uixerit, & non fuerit perfruitus bonis. Nónne ad unum locum properant omnia?**

Hyperbolicos dicit, Etiam si quis centum procreauerit filios, magno certe argumento felicitatis, sicut opprobrium habetur sterilitas ac infelicitas: & si quis, ut primus Adam, multis annis uixerit, quod homines uehementer desyderant, sit autem anima huiusmodi felicis auaritia & cupiditate contabescens, exors omni uirtute et sapientia, ut nihil agat gloria sancta quacunq; dignū, unde memoria uirtutis eius transmittatur cū honore ad po- Posteritas honorata. *steros, sed uitā pecudum uiuere malit, obmissa occasione bonorū operū. Huiusmodi hominis nec prolis numerositatem optarim, nec annositatē, sed aio melioris esse cōditionis intempestiuū fœtum, ex utero matris abortientis elapsum, quàm uirū huiusce modi: ut enim abortiuū uane uixit.*

ceit, statimq; ut natũ est interijt, & uelut in tenebris, nec mala uidit nec bona, sed absq; omni fama & fructu clanculo se subducit è mundo, requiẽ tamen magis habet de omnibus malis, quæ passim mortales inuoluunt, nescit di stantiam malorũ & bonorũ huius uitæ, quæ nunquã experta est, uel sensit. Tale nimirũ abortiuum felicius est homine diuite auaro, otioso, et stolido. Docemur interim fruſtra nos diu uiuere, nisi studeamus bene uiuere, utq; mortis horrorẽ ponamus ob oculos, ne præueniatur iudicio dei, antequam sanctis operibus abundare nos contingat ex fide. Enimuero melioris cõditionis est abortiuus, qui damnari non potest, quàm dies qui quæ facere debuit obmisit, inobediens legi dei. De abortiuorũ damnatione nihil scriptura pronuntiat, & nos libenter ignoramus quæ nõ docet scriptura. Cõmittendus est fœtus iam cõceptus diuinæ misericordiæ deuotis orationibus, à parentibus: quod reliquũ est domino deo curandũ relinquatur, qui orantes pro salute propria, & ad dei gloriam, et pro animarum salute, nõ potest non exaudire, qui dixit, Quicquid in nomine meo patrem petieritis dabit uobis, cuius misericordiæ non est numerus, neq; modus.

Viuere diu & bene.

7 Omnis labor hominis in ore eius: sed anima eius non implebitur.

Non quidẽ displicet Hieronymi sententia. Verũ quia לפיו significat etiã Propter uel Secundũ rationẽ, sensus erit manifestior si dicatur, Omnis labor hominis secũdũ eũ. Vt sit sensus, Labores hominũ ordinãdi sũt ad exigentiã uitæ præsentis, ut sint utiles, et seruiãt homini, uel laborãti uel alijs egẽtibus. Auari aũt labores, nulli sunt utiles, & insup inhumani, sine gratia & liberalitate, cuius etiã ipsius anima nõ impletur. Quibus, pficere uellet auarus & utilis esse, qui sibijpsi nõ fauet quietẽ et felicitatem? Exponit Hieronymus, Omne quod laborant hoĩes in hoc mundo, ore cõsumitur, & attritũ dentibus, uentri traditur digerendũ. Et tãdiu gulã delectat, quandiu gutture cõtinetur. Cũ uerò aluum transierit desinit inter cibos distantia. Et post hæc oĩa non impletur anima comedentis, non satiatur appetitus, uel non reficitur anima cibo corporali. Alius dicit, insipienti hic positam esse legem, ne concupiscentijs indulgeat.

Auari labores.

8 Quid habet amplius sapiens à stulto? & quid pauper, nisi ut pgat illuc, ubi est uita?

Dubia sententia sic potest explicari, In quo magis excellit sapiens quàm stultus? in hoc, ut uidetur, si bene utatur fructu laborũ suorũ, si operas suas bene collocet. Sed et pauperi seruatur suus quoq; honor, si non sit ignauus, sed rebus tantum pauper sit, nõ etiam sensu: intelligat ad quid sibi paupertas prosit, ut sit tanto felicior, solicitudine minore grauatus, sorte sua possit & sciat esse contentus, & hac ratione liber animo, inter uiuentes ambulet hilaris, & felix inter felices, animo & opinione diues, quia tamũ habens quantum concupiscit: cum interim dies auarus, tam eo caret quod habet, quàm quod non habet, destitutus usu iucundo rerum & spiritus libertate.

Paupertas duplex.

9 Melius est uidere quod cupias, quàm desyderare quod nescias: sed & hoc uanitas est, & præsumptio spiritus.

Interpretatur Hieronymus, Melior est aspectus oculorũ, quàm ambulans anima: etiã hoc uanitas & afflictio spiritus. Id est, Melius est prouidere quàm ambulare ut libet, id est, melius est iuxta sensum cuncta agere, qui animæ est oculus, quàm uolũtatẽ cordis sequi. Hoc est enim ambulare in anima sicut Ezechiel, Qui ambulant in uoluntate cordis sui. Vel certe superbũ & sibi placentẽ arguit, meliorẽ dicens esse eũ, qui cuncta prouideat, quàm illũ cui nihil placet nisi quod ipse fecerit, quo nihil est deterius, & omni uento inanius. Dici potest, Melius est ad aspectum oculorum intendere, id est circũspecte et prouide omnia agere, quàm ambulare in anima, id est temere niti, & ut libet agere. Melior sensatus, q̃ temerarius.

10 Qui futur⁹ est, iam uocatũ est nomẽ eius: & scitur quòd homo sit, & non possit contra fortiorem se in iudicio contendere.

11 Verba sunt plurima., multamq; in disputando habentia uanitatem. Quid necesse est homini maiora se quærere.

Donec certiora uel meliora didicerimus ex his locis difficilimis, sic hanc sententiã intelligemus, Quicqd nũc est, antea fuit, iam antequã subsisteret in rerũ natura, in prædestinatione diuina obtinuit nomẽ suũ. Nec potest homo respondere contra artificẽ suum, quare sic factus sit: quanto enim plus quæsierimus, tanto magis ostendemus uanitatem nostrã & uerba superflua, uolentes scire causas propter quas res singulæ ad hunc uel hunc modum creatæ sint, cum sufficere debeat, si legitimum usum rerum sciamus, & omnia ad bonum nostrum, & dei gloriam referamus, ubi nihil patiemur incommodi uel erroris. Sed contraria inueniuntur hominũ studia, ut ad suam omnia uoluptatem referant, ad delicias & uanitatem, nihil de creatoris sapientia & bonitate cogitantes.

Locus difficilis.

CAPVT VII.

1 Vm ignorat quid cõducat sibi in uita sua numero dierũ peregrinationis suæ, & tẽpore quod uelut umbra præterit? Aut quis ei poterit indicare, qd post eũ futurũ sub sole sit?

Pro stultitia naturali sensus humani, peiora melioribus præponuntur. Tota enim uita subiecta est uanitati, alijsq; & alijs remedijs sanandæ sunt passiones cupiditatum iuuenũ & senum. Vtraq; enim ætas ut umbra pertransit, semper mutata ad incertũ finem, cum de futuris incerti sint homines. Ideo præsentia diligenter attendenda, et utiliter expendenda, futura dño sunt cõmendanda, ut si omnem uanitatẽ homo uitare non possit, studeat tamen, ut quàm minimũ uanitatis ppetiatur, instituat iuste uitam & honeste, deq; futuro fato suo non sit solicitus, nisi quod probitatis famam ad posteros non negligat. In præsenti autem uita prudenter agat, ne se inuoluat grauioribus negotijs, quàm ferat sua facultas & uirtus, semper recordetur breuitatem huius uitæ, ne nimium temporalibus implicetur, & molestias huius uitæ perpetuas experiatur, sine gratia reportanda à suis hæredibus.

Vanitas quatenus uitanda.

2 Melius est nomen bonũ, quàm unguenta pretiosa, & dies mortis die natiuitatis,

Olei & fa mæ cõpara tio.

Hebræi omne unguentum olcum nuncupant. Vultq; Ecclesiastes, ut quomodo unguentum nares odore delectat, sic ad honestæ uitæ famam cuncta posteritas delectetur: iuxta illud Ecclesiastici 41. Curã habe de bono nomine, &c. id est de notitia bonæ uitæ apud posteros & præsentes secundũ illud 2. Corinth. 2. Odorẽ notiæ Christus manifestat per nos in omni loco, quia Christi bonus odor sumus deo. Melius quoq; est exire de sæculo, carcere, tenebris, & incerto statu uitæ per mortẽ, quàm ingredientẽ in mundũ per natiuitatẽ, hæc omnia sustinere. De niq; in morte quales simus sciri potest: in exordio nascendi, qui futuri simus & quales ignoratur. Et animæ libertas ad bona corpore alligatur, quæ morte resoluitur. Est

Mortis bona multa.

enim mors hominis, exitus à carcere, finis exilij, laboris consummatio, appulsio ad portũ, peregrinationis meta, depositio grauissimi oneris, descensus ab equo furioso, euasio de ruinosa domo, malorũ consummatio, uinculorum diruptio, debiti grauis & magni solutio, reditus ad patriam, ingressus ad gloriã. Natiuitas autẽ omniũ malorum ingressus est, ideo dixit Hieronymus ad Tirasiũ, Doluit Dominus Lazarum, non dormientem, sed potius resurgentem, & flebat, quẽ cogebatur propter saluandos alios reuocare. Hanc uitam dans dominus ingemiscebat, quam tu doles esse sublatam, &c.

3 Melius est ire ad domũ luctus, quàm ad domum conuiuij: in illa enim finis cunctorum admonetur hominum, & uiuens cogitat quid futurum sit.

Vtilius est ire ad exequias funeris, quàm ad domum conuiuij, quia ibi recordatione cõditionis nostræ & fragilitatis humanæ ex præsenti cadauere commonemur, in lætitia aũt cõuiuij, etiã si quid timoris diuini habere uidebamur, amittimus. Exequiæ quidẽ non damnandæ, sed

Exequiæ pro mortuis.

superstitiones, impensæ inutiles, sacrificia, parẽtalia gentilitia, comessationes, adulationes, pompæ uanitates sunt uiuorũ. Alioqui ultimũ officiũ impendere amicis, testari amicitiã ad propinquos, rememorari mortis conditionẽ, admoneri ad uitæ emẽdationẽ, et ut domui quoq; suæ disponat, crastino forsitã moriturus, nõ caret fructu et laude. Symachus ultimum illud sic transtulit, Et qui uiuit respiciat ad mentẽ, id est recordetur se quoq; moriturũ, sesecq; examinet, si ea conscientia uiuat, in qua se non timeret reperiendum à morte & iudicio dei.

4 Melior est ira risu: quia per tristitiam uultus, corrigitur animus (delinquentis.)

Irascamur nobisipsis, si quando carne ad peccandũ su-

Quatenus irascendũ.

peramur, irascamur & aliys peccantibus, parentes filijs insolentibus, superiores subditis. Melior est aspera & seuera correctio, quàm remissio blandiẽtis. Ecclesiast. 30. Lacta filiũ tuum, & pauentem te faciet: lude cum illo, et cõtristabit te. Si detrahentẽ uel impie agentẽ seuero uultu aspexeris, deterrebitur à malo, & admonebitur emendationis: si arriseris, ad peiora prouocabis. Patet hunc librum contextum ex moralibus doctrinis, sine exacta consequentia uel ordine sententiarum.

5 Cor sapientium ubi tristitia est, & cor stultorum ubi lætitia.

Sapientes mundi calamitates aduertunt, pericula diuinando præuident, conscientiã defectuum sentiunt in se & alijs, multi sustinent proximorũ insolẽtias, admonent & hortantur ad meliora quos possunt, semper habẽt materiã lugendi. Stulti sectantur oblectamenta uitæ præsentis, irrũpunt ad quæcunq; pericula, temere seruiũt carni & sanguini, peccata nõ dolent, nõ se patiuntur corrigi, præsentibus abutuntur, futura uel non cogitant, uel sola curant.

Sapientiæ mundi.

6 Melius est à sapiẽtiore corripi, quàm stultorum adulatione decipi:

7 quia sicut sonitus spinarum ardentium sub olla, sic risus stulti: sed & hoc uanitas.

Correctionẽ ferre unius sapientis utilius est, quàm esse auditorem uniuersitatis improborũ, infeliciumq; hominum, sola quæ carnis sunt cogitantium & loquentiũ. Insipientiũ quoq; risus incõpositus, adsimilatur crepitui plurimarum spinarum, lato igne ardentium, quorum omnis uita est uanitas, quorum & magnus est numerus.

Correctio sapientis.

8 Calumnia cõturbat sapientem, & perdet robur cordis illius.

Perfecte quidem sapiens non conturbatur propter calumnias stultorũ cõscius suæ integritatis, expertus stulti-

Calumnia stultorum.

tiam ac mendacia improborũ, quibus non facile creditur à bonis uiris: malorum aũt iudicia & maleuolentiã non moratur, sciens à nemine se posse lædi, si se prior non læserit. Imperfectus aũt tueri famam suam pergit, & instat mordicus, indigniss ime se fert proscindi mẽdacijs. Perdit aũt cor roboris eius & liberale. Mansuetis enim & innocentibus irrogata calũnia conturbat cor pium, & cunctabundũ reddit sensum carnis, ut dicat cũ ꝓpheta, Penẽ effusi sunt gressus mei, pacẽ peccatorũ uidens. Dici etiã potest, Cor muneris, quod excæcatur muneribus, ꝑditur.

9 Melior est finis orationis, quàm principium. Melior est patiens arrogante.

Melius est finem considerare negotij assumendi quàm principium, essecq; longanimem ac patientẽ quàm impa-

Finis melior principio.

tientiæ furore raptari. Meliores epilogi quàm exordia, & audire extrema doctrinæ & discere quàm exordia atq; elementa doctrinarũ. Melior est patiens arrogante, eo scilicet qui cõtra furiosum litigat tempore furiæ suæ. Discimus sapientiã humanam nõ esse in nostro arbitrio, qui sæpe loqui incipientes ignorãt, quid sint dicturi, trepidanteq; super dicẽdis. In fine uero negotij uidetur quid actum sit uel dictum, si cesserit pro uoto, & quid deo omnia moderanti dicendum placuerit.

10 Ne sis uelox ad irascendum: quia ira in sinu stulti requiescit.

Vitijs alienis perniciose irascimur, furor & primus indignationis impetus cohibendus est, ne præceps quis in iram feratur, cui seruiunt & obnoxij sunt stulti. Cum enim dilata fuerit ira recens, facilius dilata auferri potest. Quãuis sapiens quispiã existimetur & potens, si fuerit iracũdus, insipientiæ arguetur, & impotentis animi.

Iracũdiæ uitium.

11 (Ne) dicas, Quid putas cause est, quòd priora tẽpora meliora fuére quàm nũc sunt? stulta est huiusce modi interrogatio.

Virtutum

Virtutum exercitia aßidua faciunt bonos dies hominibus uiuentibus, uitia autem & improbitates malos. Venus eſt omnium ſæculorum diſpenator & gubernator dominus. Semper plures fuerunt incredduli, quàm fideles, ſemper mundus immundus fuit, & in maligno poſitus. Semper pij perſequutiones paßi ſunt. Deus uult hunc mundum eſſe calamitoſum, ut minus diligatur, ſpinoſum ne tangatur, ruinoſum ne eidem innitantur homines.

12 Vtilior eſt ſapiẽtia cum diuitijs, & magis prodeſt uidentibus ſolem.

13 Sicut enim protegit ſapientia, ſic protegit pecunia. Hoc autẽ plus habet eruditio & ſapientia, quòd uitã tribuunt poſſeſſori ſuo.

Sapiens & diues. *Qui ſapiens eſt & pauper docere quidem bonum poteſt, ſed non poteſt præſtare ſemper quod exigitur. Pulchrum autem & glorioſum eſt ſapientem & diuitem eſſe, ut multos iuuare poßit & uelit, conſulere rebus periclitantibus conſilio & auxilio. In rebus igitur huius mundi, uiuentibus ſub hoc ſole, diuitiæ proſunt cum ſapientia, ſtultis obſunt, qui abutuntur eis ad illicitas uoluptates, pro quibus periculis ſe exponũt. Quod autem legitur apud Hieronymum & Symmachum. Quomodo umbra ſapientiæ, uel quomodo ꝓtegit ſapientia, ſic protegit pecunia, ſuſpicionem facit ueteres hic ſcripſiſſe ב & non ב, nec id tamen à ludæis quod uiderim eſſe annotatum, quanquam id non rarum ſit promiſcue ב & ב ſcribi. Putant fortaßis indignum ludæi ſapientiam comparari argento, & quaſi ſubijci, cum tamen etiam parua ſoleant comparari maioribus & contra: cum ſit comparatio relatio æquiparantiæ, ſecundum Logicos: & tamen ſtatim infertur, Hoc autem plus habet eruditio & ſapientia, quòd uitam tribuit habenti ſe. Quaſi dicatur, In eo maior eſt ſapientia diuitijs, quia abſque ullis opibus uiuificat ſapientem, diuitiæ uero deſtituunt morientes.*

14 Conſydera opera dei, quòd nemo poſſit corrigere, quem ille deſpexerit.

Opus dei non iudicandum. *Opus dei uidendum docetur, ſed non dijudicandum, qua ratione unum corrigat, aliũ induret: ſed magis cum Paulo exclamandum, O homo tu quis es qui ex aduerſo reſpondes deo? Num dicet figmentum, &c. Rom. 9. & undecimo, O altitudo diuitiarum, &c. Dicitur autem opus dei non opera, ex unica enim uoluntate & immutabili cũcta fiunt, & iuſte omnia, licet nobis incognita ratione. Nec id quiſquam miretur, cum nec noſtras uoluntates & opera probe cognoſcere, & certò dijudicare poßimus, quomodo ergo diuinæ uoluntatis cauſas inueſtigare conemur? quare hunc gratia ſua non præueniat, quare iſtum induret, quare ludam dederit in reprobum ſenſum, Petrum clementer aſpiciendo conuerterit, Latroni uni paradiſum ꝓmiſerit, fidẽ gratis largitus, altero obmiſſo. Certum eſt corrigi neminẽ poſſe, niſi præueniente dei gratia: peruerti autem hominem iudicio dei contingit, non ſine mala uoluntate peccatoris, & bona uoluntate dei, bene omnia ordinantis, nulli uerò iniuſtitiã faciẽtis, qui dominus eſt omniũ optimus maximus.*

15 In die bona fruere bonis, & malã diẽ præcaue: ſicut enim hãc, ſic & illam fecit deus, ut non inueniat homo contra eum iuſtas querimonias.

Bona & mala prout tibi euenerint, ſuſtine æquanimiter, et ſapienter ordina. Nihil enim ex omni parte malũ, Fata ferre. *ſed uel in ſe bonum uel ad aliud bonum cõducibile & ordinatum, ut pro tanto ſit bonum, quantũlibet alicui malum ſit & pernicioſum. Siquidẽ unum e regione alterius fecit deus, ut bonum cõparatum malo fiat relatione melius, malum ordinatur per bonũ, ut ſit ipſius occaſio, ut exercitiũ uirtutis & obedientiæ maneat apud hominẽ, & interim adempta ſit illi excuſationis digna ratio ac prætextus, ut de ſua conditione infeliciſſima cõqueri non poßit, qui quæ eſſem facienda nouerat, & ſua ſponte, quod nouerit, & nõ coactus, quæ facienda non erant admiſit, nec gratiæ diuinæ aßiſtentiam implorare curauit.*

16 Hæc quoq; uidi in diebus uanitatis meę. Iuſtus perit in iuſtitia ſua, & impius multo uiuit tempore in malitia ſua.

Cum per uanitatẽ carnalis ſenſus mei expenderẽ, quæ fiunt in hoc mundo, & ſine timore uel ſcientia ſpiritus, apparuit mihi quaſi præſtaret eſſe impiũ quàm iuſtũ. Vidi enim iuſtũ perire ob ſuam iuſtitiã, ſicut patet de Abel primo iuſto, et de multis alijs prophetis, apoſtolis et martyribus, impios uerò prolongare dies ſuos in malitia, ut Cain, Manaſſe, Herodes, Romanos. Verũ hæc uana fuit Perire iuſtũ in ſua iuſtitia. *cogitatio. Reuera enim pit iuſtus in ſua iuſtitia, ſed alio ſenſu. Non enim ceſſat à ſua iuſtitia, etiã ſi ſit ſibi pereundum & moriendũ, aßiſtente dei gratia, qua euincit glorioſa morte tyrannos. Impius uerò interim prolongat impietatẽ ſuam, & irã theſaurizat ſibi in diem iræ. Durat enim in obſtinata malitia ſua uſq; ad infelicẽ mortẽ ſuã. Nec ei à deo conceditur uotũ pœnitentiæ, qui deũ contempſit ſemper, & legẽ eius, qui ſi diutius impius eſſe potuiſſet, utiq; uoluiſſet, & feciſſet, quin & non alia ratione mori timet, quàm q, malis ſtudijs ſuis imuto finis imponitur. Mauult enim mori quàm renuntiare libidini, ſi eam aſſequi diutius poſſet.*

17 Noli eſſe iuſtus multũ: neq; plus ſapias, quàm neceſſe eſt, ne obſtupeſcas.

Noli plus iuſtus eſſe quàm iuſtum ſit, ut ſeuere audeas peccantem iudicare, qui te noſti non eſſe abſque peccato, pondus habet apud deum iuſtitia hominum & iniuſtitia. Virtus in medio poſita eſt, ut omne nimium repu Virtus in medio. *tetur in uitio. Noli nimium ſapere, ne turberis, non poteſt mens humana comprehendere perfectam ſapientiã. Menſurari noſtræ fragilitatis & fortitudinis noſce iubemur. Non omne donum dei omnibus prodeſt ad omnia uel omnibus. Age quod deo placet, etiam ſi rationi diſpliceat. Non plus ſapias quàm oportet ſapere, ſed ad ſobrietatem, qui enim perſcrutator eſt maieſtatis opprimetur à gloria. Sæpe ſumma iuſtitia dum prætẽditur fit ſummamuria.*

18 Ne impie agas multum: & noli eſſe ſtultus, ne moriaris in tempore non tuo.

Noli peccatis tuis addere peccata, & indies augere Augere malitiam. *malitiam & contemptũ, ſufficit indulgentia adepta præteritorum criminũ: peccaſti, quieſce, ſufficiat uel ſemel*

peccasse, ne iram domini amplius prouoces, unde ante diem interficiaris iudicio dei: arripe pœnitentiam, non tentes dei clementiam, agnosce illius iustitiam & animæ tuæ damnum: noli esse ut equus & mulus, quibus non est intellectus. Non dimidiabunt impij dies suos, iudicium domini urget ad mortem obstinatos.

19 Bonum est te sustentare in isto, sed & ab illo ne subtrahas manum tuam: quia qui timet deum (egredietur omnia) nihil negligit.

Eleemosyna. Sanctum est iustis benefacere, domesticos fidei sustentare, bonorum quoq; familiaritate proficere. Adhærere enim sanctis occasionem præstat sanctimoniæ. Ab eodem ne quiescere sinas manum tuam, non cesses ei benefacere, sicut Sunamitis Eliseo, & fideles Paulo. Quia qui timet deum ad omnia egreditur, nihil quod deo placitum intelligit intermittit, ad omne bonum est diligens, sine respectu personarum gratificare deo nititur, in uarijs euentibus animo parato sustinet dei misericordiam, nec prosperis extollitur, nec aduersis opprimitur, ad omnia resignatus. Dici aliter potest: Sustine iustũ te arguentẽ, non obmittas rependere auxilium, sed sis ad omne opus bonum diligens.

20 Sapientia confortauit sapientem, super decem principes ciuitatis.

Melior est sapientia fortitudine, & principatu multorum insipientium. Plus potest in angustia constituto præstare sapientia & fides in deum, quàm potestas maxima

Denarius numerus. sæcularis. Denarius numerus uniuersitatem significat, sicut alibi septem, Et decies confudistis me. Exponunt Iudæi de Iosia, qui sapientia sua & timore dei superauit decem reges Iuda, qui fuerant ante eum.

21 Non est enim homo iustus in terra, qui faciat bonum, & non peccet.

Non iustificabitur in conspectu tuo omnis uiuens. O-

Sancti peccant. mnes iusti e nostræ ut pannus menstruatæ. Sancti quoq; & deum timentes donec corpore mortis huius circumdantur, non possunt esse absq; peccato. Quin etiam bonum si faciant opus, peccant tamen defectu multarũ circunstantiarum, dum uel non ex magna fide, non propter deum solum, non syncero affectu, nec diligentia, non sine proprij commodi consideratione, imperseueranter, non hilariter & omnino sponte. Quæ omnia deus iudicare potest iuste punienda, tanquam conditiones infidelis seruitij, & operis non boni. Si absolute dixisset, Non est homo in terra, mirabile non fuisset: nunc autem addit, Non est homo iustus in terra, qui etiam faciendo bonum non peccet. Quid igitur de operibus malis? Non ergo datur locus operibus indifferentibus. Grandis libra iustitiæ est, ut benefacias cui, quantum, quandiu, quali re uel cõsilio.

22 Sed & cunctis sermonibus qui dicuntur, ne accommodes cor tuum: ne forte audias seruum tuum maledicentem tibi:

23 scit enim cõscientia tua quia & tu crebro maledixisti alijs.

Contemnere uana uerba. Sapienter fac bona quæ debes & potes, uanos de te rumores contemne, ueros obserua, & anteuertere stude-

as. Noli curiose auscultare, ut audias quid serui de te murmurent, ne audiens ingrata, irriteris & iracundia prouoceris. Non nimium soliciteris quid de te loquantur homines. Nouit enim conscientia tua quòd tu quoque sæpe alijs indigne detraxeris, ut tu quoque alijs detrahentibus tibi ignoscere noueris. De proximi tui festuca non sis solicitus, trabem habens in oculo tuo.

24 Cuncta hæc tentaui in sapientia. Dixi, Sapiens efficiar: & ipsa longius recessit à me,

25 multo magis quàm erat: & alta profunditas, quis inueniet eam?

Sapientiam uane quærere. Studui per omnia proficere sapienter, nec cessaui ad simplicem iam assequutam rerum notitiam, nolui ignorare alijs cognitum: statui mecum firmiter & uiriũ mearum neruos extendi, nonnihil uanitatis passus humano sensu, quasi alijs præferri cupiens humano sensu, eruditione & scientia rerum difficilium. Verum quanto plus sapientiam quæsiui, tanto minus reperi, & in mediã demerso caliginem, apparuit mihi nihil comparatione rerum ignoratarum peruestigatum esse. Maxime enim fugit præsumptuosos intelligentia sacrarum rerum: suscipit autẽ humiles, studiosos, ac animo simplices, qualibus etiam Christus dominus suum commendauit Euãgelium prædicandum, non philosophis mundi huius, & oratoribus Latinis uel Græcis, sed piscatoribus & sutoribus. Tanta denique profunditas est scripturæ, ut sufficiat studiosis etiam omnium sæculorũ, ut cum iam putatur perfecte cognita, appareat adhuc nihil comparatione restantium esse inuestigatum. Interim tamen semper in ea pie studiosi proficiũt, maturos de se fructus semper profert, suisq; elucidatoribus uitam æternam largitur, & edentes se semper auidiores relinquit.

26 Lustraui uniuersa animo meo, ut scirem & cosyderarem, & quærerem sapientiam, & rationem, & ut cognoscerem impietatẽ stulti, & errorem imprudentium:

Regis stultã tia. Vult dicere: Diligenter perpendi omnia quæ fiunt in hoc mundo, inuestigabam subtiliter rationes & causas omnium rerum, scire desideraui ipsam impietatis rationem, ut fugerem, tanquam deo contrariam, & fidei pietatisq; perniciem. Stultitiæ dedecus indignum est homini, maxime autem regi, qui alios docere debet & regere. Deniq; stultitiam eorum qui per omnes libidines errant & corrumpuntur extrema insania, Gregorius Neoceseriẽ sic habet: Cuncta tentaui, mihi iam olim comperta, sapientiam enim à deo consequutus eram, sed eam heu quanto meo damno abieci, ad similem enim illi primæ amplius pertingere nõ possum. In tantum spacium tamq; immensum aufugit profundũ, ut ne ulla sit eandem reparandi facultas, &c.

27 & inueni amariorem morte mulierẽ, quæ laqueus uenatorum est, & sagena cor eius, uincula sunt manus illius: qui placet deo, effugiet illam: qui autem peccator est, capietur ab illa.

Periculũ ex muliere. Habet coniunctio & familiaritas mulieris insipientis annexas maximas ac duras molestias, dum uir bonus placere nititur mulieri instabili, molli, insipienti, mendaci,

daei, loquaci, libidinosæ, morosæ, uel amanti nimium uel nimium odienti. Non unus, sed multi laquei sunt tot mulierum affectus. Et sagena multiplex suis moribus insidiando fit paruis & magnis, sapientibus & stultis. Amplexibus ligant, constringunt, lenocinijs uerborum & operum insidiantur. Non est humanarum uirium effugere hos laqueos, sed diuini muneris. Non quod amici Dei uxores non habeant, sed gratia dei datur & contingit sensata uxor, & remedium præsentißimum his malis ordinatum est à deo sacrosanctũ matrimonium: uerũ istud cum timore dei, & non sinistris affectibus, nec secus ac præcepit dominus inchoetur & excolatur. Infelicior autem esse non potest quispiã, quàm cui contigerit improba uxor. Non autem putemus temere hanc de omni genere mulierum protulisse sententiam Salomonẽ hoc loco, sed quod ipse expertus est loquitur. Ideo quippe offendit deum, quia captus est mulieribus alienis. De quibus Prouerb. 23. Fouea profunda os alienæ, cui iratus est dominus, incidet in eam.

Mulier fagena.

Improba uxor.

28 Ecce hoc inueni, dixit Ecclesiastes, unum & alterum, ut inuenirem rationem,

Velut magnum aliquid dicturus Salomon præmittit, Ecce, uide. Hoc, inquit, inueni dicit Ecclesiastes, post multas huius sæculi uanitates & pericula animarũ & corporum, quod cuiuslibet rei est inuenire rationẽ & causam. Nihil gratis, casu uel fortuito fit, et sine causa, quantumlibet enim parua non fiunt sine prouidẽtia dei. Non cadit passer super terram, nec folium de arbore sine causa. Est enim inuenire omnium rerum causas, si non ab hominibus cognitas, saltem à deo, qui omnia moderatur. Iudæi exponunt, Sanctorum iusta opera, & impiorum peccata apud deum numerata sunt, donec utrorumq; opera ante magnum iudicium discutiantur, & probentur sicut aurum in fornace probatur. Hieronymus sic, Vniuersa diligenter uentilans, hoc reperi, quod paulatim peccando, & ad unum delictũ aliud apponendo, grandem nobis summam efficimus peccatorum.

Nihil sine causa.

29 quam adhuc quærit anima mea, & nõ inueni. Virum de mille unum reperi: mulierem ex omnibus non inueni.

Præter iam dictum mysterium, & uerißimum dogma, aliud diligenter quærens non inueni. Est enim mirabile ac stupendum in rebus huius sæculi. Cũ enim uix paucos de uiris bonos inuenerim, ita ut de mille unum inuenire uix potuerim, tamen mulierẽ bonam inuenire non potui. Omnes enim me ad luxuriam, & non ad uirtutẽ deduxerunt. Et quia appositum est cor hominum diligenter ad malitiam ab adolescentia, in hac ruina generis humani facilior ad casum est mulier, defectus suos habent plurimos in corpore & anima, in uerbis & moribus, amore & odio, agendo & obmittendo, ut non inueniri possit uel una, quæ ex omni parte sit irreprehensibilis.

Mulierum defectus.

30 Solũmodo hoc inueni, quòd fecerit deus hominẽ rectum, & ipse se infinitis miscuerit quæstionibus.

Ne uerò Salomon uideretur communẽ hominum damnare naturam, & deum authorem mali facere, dum talium conditor est, qui malum uitare non possunt, argute præcauit, & ait, Bonos nos à deo creatos, sed quia prauа uolũtate agere sinimur à domino, uitio nostro, quod primi parentis lapsu incidimus, ad peiora continuo prolabimur, dum maiora quærimus, et ultra uires nostras uaria cogitamus. Placet Lyranus, dicens, Postquam raram docuit uirtutem in hominibus, maxime autem in mulieribus, hic causam ostendit esse primam transgreßionem parentum. Potest dici, Hominem quidem bene à principio conditum, si tantum quæ conditoris sunt cogitaret, & non se nimium corporalibus uitijs & uanis cogitationibus deprauaret, si unum nobis necessarium cogitaret, & non circa multa esset nimium solicitus.

31 Quis talis ut sapiẽs est? & quis cognouit solutionẽ uerbi? Sapiẽtia hominis lucet in uultu eius, & potentißimus (pertinax) faciẽ illius commutabit.

Refertur, ut uidetur, ad præcedentium propositionũ difficultates, nam quæ statim sequuntur faciliores sunt, difficulter resolubiles etiã sapientißimis, propter quod & ego malim ab alijs discere meliora, quàm ea quæ dicta sunt pronuntiare ut certißima. Quis, inquit, ut sapiens est? & quis cognouit solutionẽ uerbi? hoc est uerborum quorundã, quæ præmißa sunt, itaque caput incipiet aliud. Sapientia, inquit, hominis, illuminabit uultũ suum, eodem semper habitu perseuerat, refert autẽ simplicitatem, maturitatem, uerecundiam, trãquillitatem, & gratiositatem. Qui uero facie est pertinaci, impudenti, & obfirmata fronte, odietur: est enim inhumanitatis indicium, quod sit immitis, intractabilis, durus & pertinax, Ecclesiastici 19. Amictus corporis, & risus dentium, & ingressus hominis enuntiant de eo. Et eiusdem 13. Cor hominis immutat eius faciem, & Prouer. 17. In facie prudentis lucet sapientia.

CAPVT VIII.

1 EGo os regis obseruo, & præcepta iuramenti dei.

Maiorum iußis parendum, & promißionibus diuinis credendum, regibus quidem & potestatibus obsequendũ, ita tamen ut meminerimus quoque deo optimo maximo quid iurauerimus, quid illi obligemur, quid ipse præceperit, cui rex quoque obediat. Duæ sunt partes iustitiæ, modeste sese gerere ad proximos, quod unice rex uerus curabit, Deo quoque fidem seruare, ut promißa bona & mala certa credantur. Nec tractemus quare deus unumquodq; præceperit, sed pia mente mandata implere festinemus.

Iustitiæ partes.

2 Ne festines recedere à facie eius, neq; permaneas in opere malo: quia omne quod uoluerit faciet,

Vel non contemnas subijci regi, uel non festines obsequi mandatis illius, donec integre certoq; intellexeris quod præcipitur ab eo, ne erres operando. Nec te putes posse effugere imperium & scientiam dei, ut tonas, nec regis ditionem: facile enim perquisitus arripieris ad pœnam proditoris & profugi. Non pertinaciter perseueres in malo, sed cito resipisce, errorẽ cognosce, age pœ-

Quomodõ obediendũ regibus.

uitentiam, quia quicquid libuerit faciet, tam dñs Deus ipse rex regum, quàm rex & princeps aut magistratus, ut insipientiæ sit, si quis pergat potentiores spernere, contra stimulum calcitrare. Displicet quod hic regẽ diabolum quidam interpretantur, qui perditionem operetur dum uolet.

3 & sermo illius potestate plenus est: nec dicere ei quisquam potest, Quare ita facis?

Magistratui resistere periculosum, qui à deo potestatem habet, ad uindictam malorum ac laudem bonorum. Imperium quidem regis non est contemnendum, nec segniter implendum, Multo magis autem de deo hæc capiuntur, cuius dicere est facere, cuius sermo omnipotẽs. Præcepta domini non sunt discutienda, sed implenda. Rectores hominum deos nominat uerbum Dei, ut qui eosdem spernit, deum spreuisse iudicetur. Ipsi quoq; sese deos præstent subiectis, iudicio & ueritate, iustitia et clementia.

Magistratui resistere.

4 Qui custodit præceptum, non experiet quicquam mali. Tempus & (iudicium) responsionem cor sapientis intelliget.

5 Omni negotio tempus est, & opportunitas (iudicium) & multa hominis afflictio:

Feliciter & pacifice uiuit, qui magistratui obedit simpliciter, qui non facile iniqua præcipiet. In populo sancto præsumũtur esse incorruptiores iudices, nec nisi propter peccata populi, deus regnare facit impios. Sapiens quoque in tempore loquitur, & nihil aget irrationabiliter. Modum, opportunitatem & iudicium aduertit & sectatur, ut ne quid nimis uel minus.

Vita felix.

6 quia ignorat præterita, & futura nullo scire potest nuntio.

Prouidentia dei sola omnia moderantur, eidem omnia sunt præsentia semper, rebus omnibus modum statuit antequam producerentur. Humana uita plena est ærũnis & calamitatibus innumeris, propter peccatũ primi parentis. Futura ignorantur ab homine, & nisi deo reuelante sciri non possunt, non enim profuisset, sed plurimũ obfuisset futurorum cognitio omnium. Ideo dei bonitati omnia committenda, & eidem fideliter seruiendum.

Prouidẽtia dei.

7 Non est in hominis potestate prohibere spiritũ & cohibere uentum, nec habet potestatẽ in die mortis, nec finitur quiescere ingruẽte bello, neque saluabit impietas impium.

Solus Christus potestatẽ habuit ponendi animã suam, & iterum sumendi eam, alioqui ineuincibilis est mortis necessitas, et incerta uitæ humanæ periodus. Sed nec bellatorem strenuum tueri fortitudo potest corporis, & industria artis, ut tutus euadat prælium, sed prouidentia sola dei, contra quam nihil quoque potest humana qualiscunque impietas. Non deo sed sibijpsi negotium facessere poterit, & tamen prædestinationis diuinæ ordinem non euertet, quin eadem uia promouebit quod instituit deus, qua uoluisset impedire.

8 Omnia hæc consyderaui, & dedi cor meum in cunctis operibus quæ fiũt sub sole.

Interdũ dominatur homo homini in malum suum.

Aduerti diligenter in mundo fieri, ut potestatem exerceant in homines aliqui suo malo, eorũ scilicet qui dominantur, Tyranni populum indigne tractantes, & crudeliter oprimentes non raro occiduntur, iudicium dei experiuntur, ut Babylonij in Iudæos, Pharao in Israelitas, Iudæi in Christum & apostolos. Malum autem quod incidunt, inique dominium exercentes in plebẽ, multiplex assignari potest: Superbia mẽtis in primis, quã detestantur omnes, & ipse deus inultã non finit, duriorisq; damnationis occasio, dum potentes potenter tormenta patientur, iudicium quoque durissimum his qui præsunt: obligatio quoq; seuerior, ex peccatis populorum, non ea impediendo dum potest: offensio quoq; maior in Remp. & plebis corruptio ad exemplum improbi iudicis. Tyrannorũ malitia.

9 Vidi impios sepultos: qui etiam cum adhuc uiuerent, in loco sancto erant, & laudabantur in ciuitate quasi iustorum operũ: sed & hoc uanitas est.

Hunc locũ sic explicat Hieronymus: Vidi impios cum tali opinione mortuos, & sic sepultos, ut sancti æstimarentur in terra, qui & quum uiuerent putabantur digni esse ecclesiæ principes & templo dei: et insuper ambulantes tumidi laudabantur in malis suis, sicut scriptum est, Laudatur enim peccator in desiderijs animæ suæ, et qui iniqua gerit benedicitur. Hoc autem propterea euenit, quia nemo peccantibus episcopis audet contradicere, nec statim deus scelus ulciscitur, sed differt pœnam, dum expectat pœnitentiam. Peccatores autem, quia nõ statim arguti atq; correpti sum, putantes nequaquam futurum esse iudiciũ, in scelere perseuerant. Possumus hoc testimonium accipere aduersus episcopos, qui acceperunt in ecclesia potestatem, & scandalisant eos magis, quos docere & ad meliora debuerant incitare. Hi frequenter post mortem laudantur in ecclesia, & beati in his, quæ non probabiliter fecerant, publice siue à successoribus siue à populis prædicantur. Et hoc itaqur uanum est, quia non ut egerunt sic audiunt, nec statim corripiuntur in peccato suo. Nemo quippe audet accusare maiorem, propterea quasi sancti & beati, & in præceptis domini ambulantes, augent peccata peccatis. Difficilis est accusatio in episcopum. Si enim peccauerit episcopus non creditur: & si cõuictus fuerit, non punitur. Hæc Hieronymus quidem, sed multo acerbiora & grauiora & nimium proh dolor uera dicere hodie posset in Abbates & monachos, ne dicam in eos qui solo nomine episcopi sunt. Hieronym. de episcopis et diuis.

10 Et enim quia nõ profertur cito contra malos sententia, absq; timore ullo filij hominum perpetrant mala.

Implere cor filiorum Adam, est propenso animo ferri in aliquod, & quasi pleno affectu intendere malũ. Quia enim tarde deus irascitur, ideo impij festinãt ad malum, sed tarditatem uindictæ pœnarum magnitudine compensare consueuit.

11 Attamen peccator ex eo quod cẽties facit malum

malum,& per patientiam ſuſtentatur,ego cognoui quod erit bonũ timẽtibus deum qui uerentur faciem eius.

Quandoquidem ſinit deus peccare impios,& in malo proficere diutiusq; ſuſtinet malitiam eorum, ideo fideles inde intelligunt deum ipſum benigne ſuſcepturũ eos qui ipſum timent & reuerentur,et ad uerbum illius contremiſcunt.

12 Non ſit bonum impio,nec prolongẽtur dies(*eius,ſed*)quaſi umbra trãſeant,qui non timet faciem domini.

Impius quis dicatur.

Impius hic eſſe dicitur omnis,qui à facie dei non timet, qui dei prouidentiam, potentiam, iuſtitiam & ueritatem non credit,qui mandata eius cõtemnit:talis uacabit omni bono, peccabit in omnibus operibus ſuis, quod ſit ſine fide impoßibile placere deo, abutetur omnibus bonis gratiæ,naturæ,fortunæ.Nec diu uiuet,quia impie uiuet,æternæ mortis mancipium,uelut umbra in hoc mundo, nunquam in eodem ſtatu permanet, donec in totum deficiat & euaneſcat.

13 Eſt & (*alia*)uanitas, quæ fit ſuper terram: ſunt iuſti quibus mala proueniunt, quaſi opera egerint impiorum:& ſunt impij (*qui ita ſecuri ſunt*) quaſi iuſtorum facta habeant, ſed & hoc uaniſſimum iudico.

Vanitates mundi.

Inter innumeras mũdi uanitates hanc quoq; deprehendi humano iudicio, quod iuſtis ea frequenter eueniunt uerbera & plagæ,quæ impijs euenire debuerant: impij quoque tam feliciter in hoc mundo uiuunt, ut putes eos iuſtißimos. Exemplis plenus eſt mundus ubiq; et ſemper. Omnes enim qui pie uiuere uolunt, iamdudum & ſemper interim perſequutiones pati coguntur. Subindicatur ergo reſtare tempus iuſti iudicij, quo iuſti à domino ſaluabuntur,impij in ſupplicium damnabuntur.

14 Laudaui igitur lætitiam, quod non eſſet homini bonum ſub ſole, niſi quod comederet, & biberet atq; gauderet: & hoc ſolũ ſecũ auferret de labore ſuo in diebus uitæ ſuæ quos dedit ei deus ſub ſole.

Moderata uoluptas.

Tot anguſtijs & calamitatibus huius mundi, licebit laudabiliter præferre moderatam uoluptatem,et licitam utendi rebus temporalibus, à deo ſibi miniſtro labore ac quiſitis. Non otioſe uel ad luxum, ſed ad honeſtũ ac ſyncerum gaudium, ad recreationem honeſtam corporis fatigati ex laboribus. Nec tamen ideo miſeros dicemus eſurientes iuſtitiam,lugentes peccata, prout hoc loco Hieronymus uertetur,ſed moderato uſu,cum gratiarũactione rebus utentes ad neceßitatem & commoditatem, domino placebimus: & ut in hac uita fieri poteſt, reuera beati & felices erimus.

15 Et apposui cor meum,ut ſcirem ſapientiam & intelligerem diſtentionem quæ verſatur in terra. Eſt homo qui diebus & noctibus ſomnum non capit oculis.

Studia ſuperflua.

Superfluam ſolicitudinem damnat,inquirendi ſapientiam huius mundi,& perquirendi uarietates ſtudiorum humanorum, quæ uana ſunt, & ſtultitia quædam, quæ nullam permittit requiem,dum ſine intermißione homo die noctuq; uane animo anxiatur, de rebus tẽporalibus, & diuinæ prouidentiæ fidem non addit,meditandæ diuinæ legi non incumbit,nec uitam piam uiuere curat.

16 Et intellexi quod omnium operũ dei nullam poſſit homo inuenire rationem eorum quæ fiunt ſub ſole:& quanto plus laborauerit ad quærendum, tanto minus inueniet: etiam ſi dixerit ſapiens ſe noſſe, non poterit reperire.

Opera dei admiranda.

Religioſum quidem eſt & dignum ſapiente homine, contemplari opera dei,& ex creaturis glorificare opificem deum. Quærere autem rationes rerum contingentium, quare mundus uarijs ſubdatur euentibus, & inæqualitatibus, nihil aliud eſt,quàm uane torqueri,& diſputatione uana inuolui,nec tamen inuenire quod quæritur. Si quis hac in re ſapiens putabitur, is ignorantiæ principium incidit, & in profundo errore uerſabitur. Extant quidem apud deum omnium rerum certißimæ et iuſtißimæ cauſæ,quandoquidem ſumma iuſtitia à deo omnia gubernantur,ſed latent & latere debent curioſos, & à uanis comprehendi non poſſunt,pij autem inueſtigare non præſumunt, quibus ſufficit ſimplex uerbũ dei.

CAPVT IX.

1 OMnia hęc tractaui in corde meo, ut curioſe intelligerẽ. Sunt iuſti, atq; ſapientes, & opera eorum in manu dei:& tamen neſcit homo utrum amore, an odio dignus ſit: ſed omnia in futurum ſeruantur incerta,

Opera ſanctorum.

Studioſe animaduerti,& inueſtigaui hæc omnia,quòd tam iuſti & ſapientes, quàm opera eorũ & ſerui quoq; quibus operas ſuas iniungunt,omnia pariter ſunt in manu & prouidentia gubernatoris omnium dei. Nemo enim iuſtus & ſapiens in bono opere proficiet, niſi per gratiã,à quo omne bonum. Nec cognoſcit homo uel amicitias uel inimicitias omnium, qui coram eo ſunt hominum. Quos enim amicos ſperauerat, plerunq; experitur inimicos. Hypocriſis enim uerborum,faciei & operum facile imponit. Inſtabilis eſt fauor: amicitia leuibus rebus periclitatur: nuſquam eſt tuta fides. Cæterũ quod ad ueterem translationem attinet, ſcimus nos odio Dei dignos propter peccata quibus non caremus. Ipſe uero dignus eſt, qui nos diligat ſuas creaturas, optimus maximus. Scimus quoque non minus indignos nos eſſe amore propter legis præuaricationem. Chriſtus autem iuſtitia noſtra eſt,bonitas, amor & reconciliatio:fruſtra ergo allegatur hic locus, pro incutienda diffidẽtia & conuincendo libero arbitrio.

2 (*eò quòd*) uniuerſa æque eueniãt iuſto & impio, bono & malo, mũdo & immũdo, immolãti uictimas & ſacrificia cõtemnenti (*obmittẽti.*)Sicut bonus,ſic & peccator:ut periurus,ita & ille qui uerum deierat (*qui iurat ſicut qui iuramentum timet.*)

3 Hoc eſt peſſimũ inter omnia,quę ſub ſole fiunt, quia eadem cunctis eueniũt:unde

& corda filiorum hominum implent malitia, & contemptu (*insania in corde ipsorum*) in uita sua, & post hæc ad inferos (*deducuntur.*)

In hoc mundo ante diem iudicij extremum, non est uidere sensu carnis distãtiam bonorum & malorum, quibus temporalia bona naturæ & fortunæ, plerunq; similiter & æque eueniunt, ne pij ob temporalia tantum bona deo seruire cupiant, & ut impij sint inexcusabiles, de sua ingratitudine, utq; iustitia dei agnoscatur, & credatur uerbo dei, commendanti & promitenti futurum iudicium de hominum uerbis & operibus, utq; fidei meritum augeatur. Deniq; ueræ uirtutes foris non patent, soli deo notæ, & per passiones probantur: ideo carnalis homo totum hoc sæculum malum iudicat & infelicissimum. Præterea tot errores in corde hominum sunt, tot concupiscentiæ, tanta ad malum propensitas, tam improbus fomes, excarnificans spiritum usque ad mortem, quo tandem pariter descendunt boni & mali. Dei autem iudicio subiacent omnes mortui recipiuntq; mercedẽ pro uita quam gesserunt. Loquitur autem Ecclesiastes communi modo loquendi, cum reuera nihil mali est, quod dei ordinatione constitit. Omnia deo bona sunt, ordinata in ipsius gloriam & ad salutem electorum.

Promiscui boni et mali

Errores cordium.

4 Nemo est qui semper uiuat, & qui huius rei habeat fiduciã. Melior est canis uiuus leone mortuo:

Quid alij senserint circa hanc difficilem sententiam facile sciri potest, extantibus libris multorum. Nobis sic reddendus uidetur hic locus & sic intelligendus, Quia quis scilicet est qui eligetur: quasi dicatur, Quis ergo è duobus eligendus est, de quibus iam dictum est, iustus uel iniustus, pius uel impius, cum melior multis uideatur conditio iniquorum quàm bonorum? Et respõdetur statim, Ad omnes uiuentes est spes. Quasi dicat, Donec uiuunt homines possunt iusti fieri, post mortem nulla restat occasio boni operis uel iustificationis, ideo eligenda est iustitia, munditia, religio, gratiarumactio, dum uiuitur, post mortem enim non uacabit, & in hac uita mortali contraria uirtuti uitia fugienda sunt, ne semper miseri perseueremus in hac uita & post mortem. Ea igitur ratione præstat uiuere quàm mortuum esse. Melius est enim posse quempiam bene operari, quàm nihil boni. Melior est ergo peccator uiuus quàm mortuus, si spes adsit proficiendi in melius. Leo nobile animal dum uiuit, spernitur ut alia animalia mortuus. Canis uile animal, utile est & amatur, seruitq; fideliter dum uiuit. Præstat ergo esse uiuus uiuere quàm mortuum esse. Potest quoq; sic dici: Melior est pauper iustus potente iniquo. Melior est peccator humilis q̃ iustus superbus. Melior iniquitas uiri, quàm benefaciens mulier. Melior subditus zelosus, quàm prælatus remissus. Simpliciter, Mors aufert facultatem proficiendi: ideo perficiendum bonum dum uiuimus.

Melior nemo post mortem.

5 uiuentes enim sciunt se esse morituros, mortui uerò nihil nouerunt quicquã, nec habent ultrà mercedẽ: quia obliuioni tradita est memoria eorum.

6 Amor quoque & odium, & inuidiæ eorum simul perierunt, nec habent partẽ in sæculo: in omni opere quod sub sole geritur.

Quandiu uiuunt peccatores sciunt se morituros, possuntq; conuerti à malis & agere pœnitentiam, non ergo de eis desperandum. Videri enim potest deum illis ad hoc uitam protẽdere ut resipiscant. Non uult enim mortem peccatoris, sed ut conuertatur & uiuat, ac felicius tandem moriatur & melior, si est ex electis. Mortui autem nesciunt quicquam. Iam enim anima separata à corpore, de rebus huius mundi nihil nouit, translata in sæculum animarum, ad contemplationem rerum diuinarum. Corpus uero resoluẽdum in puluerem, nullius capax est notitiæ. Sic itaq; desinit homo secundum utrunque mereri uel demereri quicquam: ideo nulla quoque operum merces restat promerenda, sed in obliuionem hominum cadit eorum memoria, quamumlibet celebris, cum tempore, studiorumq; suorum. Nemo eos post obliteratam memoriam uel amabit uel odiet, nemo zelabit pro ipsorum uindicanda iniuria, fauorem ipsorum ambiet nemo, quod præsentium temporum nullum commertium habeant. Totũ enim intercidit sub mortis occasum & perijt, nec habent aliquam partem cum uiuentibus. Non ergo tanta ipsorum apud superstites interim cura adhibeatur, ut multis impensis, & hæredum grauamine uel iniuria, anniuersariæ ipsis dies decernantur, & illis nostra merita communicentur. Viuorum nobis curam dominus commisit uiuentibus. Pro se quisque rationem redditurus est, de eo quod egit in uita, non pro mortuis, qui sunt in manu dei, in requie animarum. Nõ utuntur enim hoc sole uel mundo corporeo, Deo notæ & commissæ sunt sanctorum animæ. Nos uiuentes cogitemus, ut coram domino deo nostro digne conuersemur.

Animã nihil scire.

Viuorũ cura nobis cõmendata.

7 Vade (ergo) & comede in lætitia panẽ tuũ & bibe cum gaudio uinum tuũ: quia deo placent opera tua.

Quum didiceris studia uirtutum morte finiri, & apud inferos non esse locum pœnitentiæ, & quæ hic bona nõ seminaueris, alibi metere non possis. Ideo dum adhuc uitus incumbe uirtutibus, sine crimine uiuas. Honestis oblectamentis modeste utaris, rationabiliter uiuas, cum timore dei fruaris creaturis illius. Siue enim manduces siue bibas, siue aliud quid facias, si id in gloriam dei feceris, & in fide, prout cõgruit, scito id deo placere, qui ad legitimum usum tibi suas creaturas commodauit, non ad libidinem, superfluitatem & luxum. Cibo sustentes uitam, & uino non obruas mentem, sed ad bonum opus hilariorem reddas, ut domino tuo placeas.

8 Omni tempore sint uestimenta tua cãdida, & oleum de capite tuo non deficiat.

Conuersatione honesta ornetur omnis habitus corporis tui. Caue ne sordidus & pollutus incedas, non ut corporalis & ex labore utili proueniens necessario immunditia prohibeatur, ornat enim agricolam uestis non belle curata, sed sedulitatem testantem in opere: sed hortatur

Honestas exterior.

tur, ut turpe nihil committatur, & ut corpus operi honesto sufficiat, moderate illud cures, unctionibus ad morem regionis, ad aëris temperiem adaptatis, non ad odorum libidinem, sed uirium fortitudinem diutius conseruandam. Habent prouinciæ terrarum suos mores et corporum curas, pro uarietate complexionum differentes. Oleum autem membra recreat ac confortat, fessorumq; labores resoluit & redintegrat uires.

Mores prouinciarum.

9 Perfruere uita cum uxore quam diligis, cunctis diebus uitæ instabilitatis tuæ, qui dati sunt tibi sub sole, omni tẽpore uanitatis tuæ: hæc est enim pars tua in uita, & in labore tuo quo laboras sub sole.

Suauiter cum uxrore uiuas quam tibi dedit dominus, quam diligas candide, cuius auxilio consoleris, cum qua patienter feras molestias mundi, non unquam dimittas, ipsa pars tua à deo tibi iuncta, ipsam unicam unice diligas, colas, foueas, feras, ærumnas uitæ præsentis euincas, honeste tractes semper: hæc enim præcepit dñs. Hæc est pars tua, hoc tibi incumbit, quicquid per ipsam & propter ipsam tibi agendum uel patiendum occurrerit, id suscipe tanquam oblatum tibi è manu domini. Nihil hic de multis dicitur mulieribus, nec de exercenda libidine, sed de amanda coniuge & ferenda. Sapientiam alij sequendam & elaborandam ex hoc loco docent, uere quidem dicentes, sed non appositè, quasi non placeat status coniugalis & amor uxoris integer & casus, quem natura sancte instituit.

Suauitas matrimonij.

10 Quodcunque facere potest manus tua (instanter) operare: quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos quò tu properas.

Non sis otiosus à bono opere, nec obmittas occasionẽ bene agendi, ne in uanum naturæ dona ex dei gratia susceperis, ne quod hodie potes bonum, differas in crastinum. Cum enim ad inferos descenderis, quum excesseris hanc uitam, cum fueris sepultus, bonorum operũ locus & facultas non erit. Operare igitur cum dies est, ne te tenebræ comprehendant. Virtus denique in nobis ad bonum, non nostra est, sed dei donum, qua utamur ad dei beneplacitum, post hanc uitam nihil merebimur.

Otium à bono opere.

11 Verti me (ad aliud) & uidi sub sole, nec uelocium esse cursum, nec fortium bellũ, nec sapiẽtium panem, nec doctorum diuitias, nec artificum (eruditorum) gratia: sed tempꝰ casumq; in omnibus.

Huic loco consonat illud Pauli dictum ad Romanos cap. nono: Quia non uolentis neque currentis, sed miserentis est dei, quicquid hominum studio tentatur, nihil possunt sine dei prouidentia uires humanæ, sapientia ac labor. Erat Azael uelocissimus, sed morte subito interceptus interijt. Abner fortissimus et Samson, ut taceam stultos Graios & Troianos, domino ordinante deuicti corruerunt. Sapientissimus Salomon domino deserente infatuatus est. Multos pane indigere uidimus & necessarijs. Nec doctis gratia redditur, quod sæpe fidelissimis præceptoribus ab ingratis maledicta redduntur. Vbi multum eruditionis est, ibi plerunque parum est huius temporis et mundi fortunæ. Omnia huiusmodi fiunt prouidentia dei. Nec in præsenti sæculo uirtutum retributio confertur, sed in futuro. Nunc tempus est seminandi postea metendi. Homines sæculi fatum nominant, quod nihil est aliud quàm dei uolũtas rectissima & potentissima, cui nulla possit sapientia uel fortitudo resistere, in cuius manu sunt omnia etiam corda regum.

Fortitudo debilis.

12 Nescit homo finem suum, sed sicut pisces capiũtur hamo, & sicut aues laqueo conprehenduntur, sic capiũtur homines tempore malo, cum eis extẽplo superuenerit.

Magna dei bonitate & clementia negata homini est futurorum notitia, quando interim suspenditur homo ad mortis memoriam & expectationem, ut eo statu uiuere nolit ac horreat, in quo nollet morte deprehendi, & iudici præsentari. Inopinato itaque homines moriuntur, ut pisces sagena, uel hamo, & aues laqueo capiuntur. Ideo uigilandum Christus docuit, quod nesciatur dies uel hora, quando dominus uenturus sit, uel nos uocaturus ad iudicium. Tempus autem malum uel mali, intelligitur infelicitatis tempus, quo ad corpus uel animã.

Notitia futurorum.

13 Hanc quoque sub sole uidi sapientiam, & probaui maximam:

14 ciuitas parua, & pauci in ea uiri. Venit cõtra eam rex magnus, & uallauit eam, extruxitq; munitiones magnas (*per gyrum, & perfecta est obsidio.*)

15 Inuentusq; est in ea uir pauper & sapiens & liberauit urbem per sapientiam suam, & nullus (deinceps) recordatus est hominis illius pauperis.

Sapientiæ est honorare & suspicere sapientiam etiam pauperis, eamq; præferre diuitijs & fortitudini, quæ à periculis liberat, istæ uero inuoluunt maximis. Interim tamen quia ingens est stultorum numerus, sapiens negligitur, illius beneficia contemnuntur ab ingratis. Docet hoc sapiens exemplariter per uirum, qui sua liberauit sapientia ciuitatem ab hostibus fortissimis obsessam, & ilico capiendam, cui tamen nihil gratitudinis reperditur. Denique discimus id quod & Ecclesiastici trigesimoseptimo capite, Anima uiri sancti enuntiat aliquando uera, quàm septem circunspectores sedentes in excelso ad speculandum. Sapientia præstat reliquis bonis naturalibus. Paupertas contemnitur ab iniquis. Potentes huius mundi nouissimi credunt Euangelio Christi. Expositionem eandem quam ex Hebræis Hieronymus noster adducit, inuenimus ad uerbum in glossa Rabi Salomonis, incertum an à Hieronymo recentiores didicerint Iudæi, an per traditionem tandiu eã seruauerint, nempe de homine minore mundo, cum membris multis & diabolo inimico infestante, quem uincit interior sensus, cui exterior sit ingratus. Quæ tamen expositio pla

Sapientia pauperum.

cere non poteſt. Alij eccleſiam urbem faciunt, Chriſtũ uero uirum ſapientem, qui eam à dæmonis obſidione ingratam liberarit.

16 Et dicebam ego, meliorem eſſe ſapientiã fortitudine. Quomodo ergo ſapientia pauperis contempta eſt, & uerba eius nõ ſunt audita?

Aſſerit ſapientiam præſtare fortitudini, quæ ſine ea in præceps agit. Decertare enim uiribus beluinum eſt, ratione humanum. Deinde corrigendo dicit, Sapiẽtia pauperis deſpecta eſt, ſicut & paupertas. Eccleſiaſtici decimotertio cap. Nequiſſima paupertas in ore impij. Et ibidem, Diues loquutus eſt, & omnes tacuerunt, & uerbum illius uſque ad nubes perducent: & pauper loquutus eſt, & dicunt, Quis eſt hic? Magnæ ſapientiæ eſt libenter audire ſapientem, paupertate non offendi uel humilitate loquentis, ueritatem quibuſcunque uerbis prolatam reuereri, à quocunque dicatur.

17 Verba ſapientium audiuntur in ſilentio, plus quàm clamor principis inter ſtultos.

Sapiens modeſtus.

Sapiens ſine arrogantia & tumultu loquitur & docet, cuius doctrina magis afficit cordatos auditores, & perſuadet, qui & expectant orationis finem, & diligenter attendunt. Stulti non audient, niſi ualenter clamaueris, etiam ſi primatum inter illos habueris. Exponunt de Chriſto, ſtultis prædicante Iudæis & ſine fructu. Docuit enim humilitatem, abſtinentiam, manſuetudinem, paupertatem, hoſtium dilectionem, ideo non mirum ſi exoſus fuerit amatoribus huius mundi, ſuperbis, auaris, libidinoſis, contentioſis, &c.

18 Melior eſt ſapiẽtia quàm arma bellica: & qui in uno peccauerit, multa bona perdet.

Idem legitur Sapientiæ ſexto capite, Melior eſt ſapientia quàm uires, & uir prudens quàm fortis. Sæpe per unius inſipientis ſtultitiam contigit opes magnas diuitiasq; ſubuerti. Poteſt etiam legi ad hunc ſenſum, Qui peccat in uno, perdet bonitatem multam. Ezech. 18. cap. Si auerterit ſe iuſtus à ſua iuſtitia, &c. Et Iacobi 2. Quicunque totam legem ſeruauerit, offendat autem in uno, factus eſt omnium reus.

CAPVT X.

1 MVſcæ morientes (ut) perdunt ſuauitatem unguenti (ſic) pretioſiorem ſapientiam & gloriam, parua (& ad tempus) ſtultitia.

Capitum diſtinctio nõ placet, quòd hæc ſimilitudo pertineat ad præcedentem doctrinam. Sicut enim muſcæ inſidentes unguento, morientesq; illud contaminant, & inficiunt fœtereq; faciunt: ſic ſtultus unus ſapientibus mixtus, eos confuſioni exponit, & extenuat famam uir

Humilis ſapientia.

tutis. Quod autẽ ſequitur, Stultitia parua pretioſior eſt ſapientia & gloria, hunc habet ſenſum: Laudabilior eſt mediocris & humilis ſapientia, parum uel nihil præſumens, improbitates aliorum ſentiens, & diſſimulans tacensq; in medio ſuperborũ, ut ſtultus putetur, quàm ſit alius quiſpiam plurimum de ſapientia ſua confiſus, et honoris ſui magnam habens curam, nolens alijs alius haberi, quàm ipſe ſibi uideatur. Satius, inquit, eſt eſſe mediocriter ſtultum uel ſimplicem, quàm ſuperbe prudentem.

2 Cor ſapientis in dextera eius, & cor ſtulti in ſiniſtra illius.

Studia ſapientis tendunt ad uirtutem, ſtulti quæ ſtulta ſunt cogitant, temporalia præferunt æternis, ad ſiniſtrã uitiorum deflectunt. Sapiens fortior eſt, propenſior & alacrior ad opera bona quàm mala, ſtultus uero contra.

3 Sed & in uia ſtultus ambulans, cum ipſe inſipiens ſit, omnes ſtultos æſtimat.

Stultus ſoli ſibi uendicat ſapientiam, reliquos præſe omnes ſtultitiæ arguens, quos à ſuis uiderit ſtudijs diſſentire. Septuaginta habent, Omnia quæ inſipiens cogitat eſſe uaniſſima. Ex quo patet uulgatam ædition ẽ nec Hieronymi eſſe nec Septuaginta interpretũ. Sic & alij quidem libri canonici ferũtur translati à Hieronymo, cuius conſtat contrarium.

4 Si ſpiritus poteſtatem habentis aſcenderit ſuper te, locum tuum ne dimiſeris: quia curatio faciet ceſſare peccata maxima.

Si graue odium magnatorum incideris ob ueritatem & iuſtitiam, ne loco cedas, non deſeras ueritatem, quã dei munere didiciſti. Non acquieſcas indignis conditionibus tyrannorum. Sana autem mens & à paßionibus tranquilla liberabit ab offẽnſis grauioribus. Sapientia uincit malitiam. Gregorius, Si aduerſarius ſpiritus bellũ tibi moueat, reſiſtas ualde, certus deum propitium etiam multitudini peccatorum, ueniam poſſe dare & uelle pœnitentibus.

Odium magnatorum.

5 Eſt malum, quod uidi ſub ſole, quaſi per errorem egrediens à facie principis:

6 poſitum ſtultum in dignitate ſublimi, & diuites ſedere deorſum.

Magnum aliud malum in ſæculo proſpicitur. Principes indocti, inſipientes iniqui, rerum ſacrarum ac utilium ignari de quibus, Si ſal infatuatum fuerit, &c. Si rectores aliorum ipſi inſaniunt, ſi iniuſte iudicãt qui præſunt, ſi populus melior ſit ſacerdote, & ſtulti uel impij dominentur, quantum malum hoc erit?

7 Vidi ſeruos in equis: & principes ambulantes ſuper terram quaſi ſeruos.

Abuſum mundi docet, ſi ſerui relicta conditione ſua præficiantur liberis, & ſi princeps contemnatur à ſubditis, ſi magiſtratus à plebe, ſi ſerui ſeruorũ (qui ſeſe falſo nominant) ambiant imperium in reges. Præficiuntur mali bonis, ut illis ſeruiant ac proſint, ſicut ferrum auro, flagellum grano, lima ferro. Locus eſt contra prælatos etiam ſpirituales.

8 Qui fodit foueam incidet in eã: & qui diſſipat ſepem, mordebit eum coluber.

Qui iuſto parat laqueum capietur in eo. Incidet in foueam quam fecit. Qui Eccleſiaſtica dogmata, ab apoſtolis prophetisq; fundata diſſoluerit, à ſerpente mordebitur, de quo Amos 9. & Iſaiæ ultimo, Qui ſenſibus incautus eſt periclitabitur de cõſcientia cordis. Sepes dicitur uerbũ dei, ſacra ſcriptura, timor dei, uerecũdia, paupertas, humilitas, qbus à trãſgreßionibus plurib. prohibemur

mur. Simpliciter, Qui custodiã suam dissoluerit circum se constructam, infestabitur ab hostibus.

9 Qui transfert lapides affligetur in eis: & qui scindit ligna, uulnerabitur ab eis.

Cui negotium est cum duris & incorrigibilibus, is incommoda sentiet & persecutiones, tandem exitium. Qui se exponit peccatorum occasionibus, periclitabitur. Qui picem tangit inquinabitur ab ea. Exempla in promptu sunt plurima.

10 Si retusum fuerit ferrum, & hoc non ut prius, sed hebetatum (politum) fuerit, multo labore exacuetur, & post industriam sequetur sapientia.

Rude ingenium otioq; neglectum, ueluti ferrum obtusum exacui quidem poterit, sed non sine magnis laboribus, quod tamen sapientiam tandem consequi poterit: sic in arduis sita uirtus sudoribus attingitur. Regnum cœlorum uim patitur. Aurum ex imis improbo labore effoditur.

11 Si mordeat serpens in silẽtio, nihil eo minus habet qui occulte detrahit.

Serpens & detractor uel susurro adferunt æqualem perniciem. Sicut occulte mordendo serpens uenenum inserit: sic clam detrahens, pectoris sui uirus fratri infundit. Habere linguam, est esse linguacem & malum. Serpens cui non est incantatio, qui omne contemnit remedium, qui præsentissimam mortem secum adfert, detractor dicitur.

12 Verba oris sapientis gratia: & labia insipientis præcipitabunt eum.

Sapiens loquitur uerba gratiæ & scientiæ, ad fructum auditoribus. Stulti uero inuoluunt sententias, uerba inuertunt, perniciem comminiscuntur. Præcipitatur autem uir sapiens, qui stulto in aurem loquitur: à quo traducitur, qui committit secretum inuidis & perfidis hominibus.

13 Initium uerborum oris eius stultitia, & nouissimum oris illius error pessimus.

De malo thesauro cordis proferuntur mala. Multiloquium stulti exit in blasphemiam dei, & oppressionem ueritatis. Quid aliud expectaretur ex ore impij, quàm pernicios⁹ error? Cogitatio stulti peccatum est, defendit errorem, iactat stultitiam, persuadere nititur quæ sibi placuerint, contradicit sapientiæ uerbi dei: tam principium quàm finis sermonis mala sunt, peior autem finis, exit enim in dei blasphemiam.

14 Stultus uerba multiplicat. Ignorat homo quid (ante se) fuerit: & quid post se futurum sit quis ei poterit indicare?

Propria stultis est inconstantia uerborum, dum non persistunt in eadem sententia, sed per tumultum ingenij de uno uagantur ad aliud, dictorum non reminiscuntur, nec dicendorũ. Sapiẽs uero paucis uerbis multas & amplas complectitur sententias, sciens multiloquio non abesse peccatum uel egestatem.

15 Labor stultorum affliget eos qui nesciũt in urbem pergere.

Impij quidem sapientiam, inquirere possunt sensu suo carnali, sed umbras tantum & imagines assequuntur uanis laboribus, sed sine certo itinere uerborum dei errant, uelut in deserto & inaquoso, uiam ciuitatis habitaculi non inueniunt. Initium enim sapientiæ est timor domini, quo carent impij.

16 Væ tibi terra cuius rex puer est, & cuius principes mane comedunt.

17 Beata terra cuius rex nobilis est, & cuius principes uescuntur in tempore suo ad reficiendum, & non ad luxuriam.

Damnatur principatus eorum qui sensu sunt iuuenes & moribus, qui luxum sectantur & fastum, qui uel rerum inexperientia, uel inconstantia mentis uel deliciis eneruati, confusionem inferunt negotijs publicis & priuatis, iniqua decernunt iudicia in perniciem subditorum. Probat autẽ nobiles & uirtuosos, liberaliter à maioribus institutos, quorum monita & exempla sequi dicerunt, qui non præferunt uoluptatem negotijs ciuiũ, sed uix cibi necessitate compulsi, auelli possunt à publicis functionibus. Hieronymus exponit de negligentibus mandata dei, & traditiones humanas statuentibus. De quibus Isaias capite octauo, qui & dum grauissimam genti pœnam describeret dixit, Dabo pueros principes eorum, & effœminati dominabuntur eis. Principatus bonus & malus.

18 In pigritijs humiliabitur contignatio, & in infirmitate manuũ perstillabit domus.

Generalis est doctrina, ut cogitationibus & manibus curetur res domestica in tempore suo, ut prospiciatur de necessarijs domus, ne paruo damno per incuriam neglecto, irruat grauior: ut modesta solicitudine domus & familia gubernetur. Vtilis sanè doctrina ad literam, & neutiquam negligenda. Verum Hieronymus de tota ecclesia interpretatur, quod per negligentiam principum, hoc est, episcoporũ de quibus loquitur, omnis eius corruat altitudo: & ut ibi uitiorũ illecebræ sint ubi tegmen putatur esse uirtutum.

19 In risu faciunt panem & uinum, ut epulentur bibentes (uiuentes.) Et pecuniæ obedi unt omnia.

Expostulatio contra mundi principes, uanitatũ amatores, molliter uiuentes, in otio parãtes cibum, qui in labore hominum non sunt, & cum hominibus non flagellabuntur, quorum omnis cura deliciæ. Hieronymus notat ecclesiæ doctores, qui dulcibus sermonibus sibi diuitias conquirunt, & per adulationem ditati, regnum exercent in populum, quod facile uulgus credat ac cedat compositioni uerborum. Denique pecuniæ & opes dominantur omnibus, humiliant sibi potentes, sapientes, sanctos, episcopos, ac reges.

20 In cogitatione tua regi ne detrahas, & in secreto cubiculi tui nõ maledixeris diuiti: quia & aues cœli portabũt uocem (tuam) & qui habẽt pennas annũtiabunt sententiã.

Simplex sententia ædificat. Ne quis ira uel furore superatus prorumpat in detractionem uel maledictum contra regẽ & principes, quod insperato rescire illos con-

tingat, & per linguæ immoderantiam periculum incidat capitis. Est autem hyperbole: quasi dicatur, Ipsos etiam parietes quibus conscijs loquimur, non cælaturos quæ audierint, sicut et campum oculos habere dicimus, & syluam aures, &c. sic dicuntur uolucres cœli auferre uocem detrahentium etiam in secreto magistratibus.

CAPVT XI.

1 Mitte panem tuum super transeuntes aquas: quia post tempora multa inuenies illum.

Panis eleemosyna.

Nomine panis intelligitur omnis eleemosyna, & omne beneficium, quod non solũ proximis, uicinis & notis tribuendum docetur, sed etiam peregrinis: ignotis nunc abscessuris, & omnibus egenis tribuatur, reddendum in sinum tuum in futuro sæculo cum uita æterna. Aquarum superficies fluxu suo recedens, & ad locum suum reditura post multos dies, significat indigentes beneficium compensare non potentes, quibus tamen dei respectu benefaciendum sit, qui omnia intuetur & agit. Idem docet Christus Lucæ 14.

2 Da partem, septem, necnon & octo: quia ignoras quid futurũ sit mali super terram.

Hieronymus, Erudiaris primo in lege, deinde in euangelio. Iudæi de sabbatho seruando intelligunt, & de circumcisione, ob numerum septimum & octauum. Videtur simplicius posse dici de eleemosyna reddẽda, Da septuplum, id est, copiose & abundanter, satis affluenter. Et octo, id est, secundum interpretationem dictionis שמונה, *pinguia uel meliora ac hilariter, non parce uel de peioribus, ut tu quoq; aliquãdo recipias simuliter, si te egere cõtigerit. Date & dabitur uobis. Hilarem datorem diligit deus. Carrensis hic egregie ludit de quatuordecim uirtutibus & humilitate, comminiscituŕq; fere sextuplicem expositionem.*

3 Si repletæ fuerint nubes, imbrem super terram effundent. Si ceciderit lignum ad austrum aut ad aquilonem, in quocunq; loco ceciderit, ibi erit.

Nubes qui dicantur.

Nubes ea ratione aquas hauriunt, ut terræ refundant, & fructuosam reddant, non sibijpsis asseruent. Sic qui plura à deo accepisti dona, multa etiã impartiaris egentibus, ut mutuatam tibi à deo pecuniam cum usura domino reponas. Propheta & omnis uir sanctus, si plures in corde suo congregauerit disciplinas, tunc ualebit præcepta pluere doctrinarũ, & dicere, Expectetur sicut pluuia sermo meus, & effundat super terrã imbrem. Consequenter Hieronymus, Lignum quod in hac uita corruerit, & conditione mortalitatis fuerit abscissum, aut peccauit ante dum staret, & in Boreæ parte postea ponitur, aut si dignos Austro fructus attulit, in plaga iacèbit Australi: nec est aliquod lignum quod aut ad Aquilonem non sit, aut ad Austrum. Non igitur medius status, quem quæstus & gentiliũ fabulæ statuerunt, ut purgentur pœnis post hanc uitam animæ peccatorum, si suis in hac uita non satisfecerunt operibus, uel non habent pecunias unde redimant indulgẽtias plenarias, uel ter tertias partes pœnarum, si cucullas monachorum morituri uel mortui superinduant, ridiculum certe.

4 Qui obseruat uentum nõ seminat: & qui considerat nubes, nunquam metet.

Non ex quolibet leui timore à bono opere esse cessandum. Absque consideratione nubium, & sine timore uentorum in medijs tempestatibus seminandũ est uerbum dei. Non tam timor futuri mali à bono impediat, quàm opportunitas præsens oblata benefaciendi arripienda est. Non consideres cui benefacias, sed omni petenti te tribue.

5 Quomodo ignoras quæ sit uia spiritus, & qua ratione compingantur ossa in uentre prægnantis: sic nescis opera dei, qui fabricator est omnium.

Ignorantia humana.

Sicut nescis uiam spiritus & animæ ingredientis in paruulum, & ignoras ossium & uenarum uarietates in uentre prægnantis, quomodo ex uilissima materia & elemento corpus hominis in diuersas effigies artuśq; uarietur, & de eodem semine aliud mollescat in carnibus, aliud durescat in ossibus, aliud in uenis palpitet, aliud ligetur in neruis: ita dei opera scire non poteris. Ex quo docet aduersa non timenda, nec temere de uentis & nubibus, ut supra diximus, iudicandum, cum suo tempore & cursu debeat sator pergere, & euentum sui operis diuinæ prouidentiæ reseruare. Ideo sequitur.

6 Mane semina sementem tuam, & uespere ne cesset manus tua: quia nescis quid magis oriatur, hoc an illud: & si utrunque simul, melius erit.

7 Dulce lumen, & delectabile est oculis uidere solem.

Sicut horribilia sunt nox, tenebræ, ignorantia, error, infidelitas, peccatum, & infernus: sic dulcia sunt dies, lumen, sapientia, ueritas, fides, iustitia, beatitudo, gaudiũ cum quiete conscientiæ. Sunt enim iustitia & charitas fructus lucis, iuxta Apostolum.

8 Si annis multis uixerit homo, & in his omnibus lætus fuerit, meminisse debet tenebrosi temporis, & dierum multorum: qui cum uenerint, uanitatis arguẽtur (præterita.)

Timendus deus.

Docet prosperitatis tempore timendum esse dei iudicium, & diem mortis, et futuros dies post hanc uitam momentaneam, semper suspectam habere fortunam. In diebus bonorum memores simus malorum. Ecclesiastici undecimo, Memento iræ in die consummationis, & tempus retributionis in conuersatione facies. Memento paupertatis in tempore abundantiæ, & necessitatem paupertatis in die diuitiarum.

9 Lætare (ergo) iuuenis in adolescentia tua, & in bono sit cor tuũ in diebus iuuentutis tuæ, & ambula in uijs cordis tui, & in intuitu oculorum tuorum: & scito quòd pro omnibus his adducet te deus in iudicium.

Hieronymus in hoc capitulo dicit diuersas fuisse explanationes, & tot ferè sententias quot fuerunt homines. Simpliciter uidetur loqui in hunc sensum. Sic, inquit,

quit, utere rebus huius mundi, ut scias te ultimo iudicandum à dei iustitia. Nec aliquam putemus ueram syncerámq; lætitiam, nisi honestati & uirtuti coniunctam. Secura deniq; mens quasi iuge conuiuiũ. Non docet ambulandum in omnibus uijs cordis, nec inepte uanéq; gaudendum: sed suadet honesta studia, syncerum gaudium, alacritatem ad omne bonũ: moderata oblectamenta non damnat. Admonet autem serioſe de timore domini conseruando, & de tribunali iudicij diuini, cui omnes astare oportebit homines iustos & impios. Reuera autem non est grauanda iuuentus inutilibus & grauioribus laboribus, nõ uiolentis tristitijs, nec immoderata cura. Obest enim plurimum ingenijs liberalibus anxietas in agendis, terror nimius disciplinæ austerioris, à puero imbutus terror & timor, qui degenerat in stupiditatem. Non sunt adolescentiæ neganda honesta cõsortia, gaudia, oblectamenta, sed artibus & exercitijs honestis permittendi sunt iuuenes cum summa moderatione. Dauidi profuit sua musica, & Sauli. Exercitia honesta prosunt adolescentibus. Omnis autem scurrilitas, uaniloquium, impudicitia, temeritas, crimina omnia minime ferantur in eis. De quibus noster Zuinglius eleganter & sancte eo libello quem inscripsit Geroldo suo.

Lætitia uera.

Adolescentes quomodo continendi.

10 Auferiram à corde tuo, & amoue malitiam à carne tua. Adolescentia enim & uoluptas (aurora) uana sunt.

Iram à corde auferre, est omnibus animi perturbationibus uacare, bellum indicere improbis affectibus & passionibus. Carnis enim malitia uniuersas significat corporis uoluptates. Sic igitur, ô iuuenis, bonis huius sæculi fruere, ne aut desiderio aut carne delinquas. Iuuentus annexam tenet insipientiam, quantumlibet sibi & alijs astuta cernatur, ideoq; regenda est per disciplinam: tantum abest ut Salomon uere sapiens, uideatur Epicuri dogma (si ut improbum iudicatur) uoluptatis sectandæ uoluisse doctrinam astruere, ut ad contrarium sensum magis exponi debeat, & satis consequenter posit, & non aliter.

Frui sęculo.

CAPVT XII.

1 MEmento creatoris tui in diebus iuuentutis tuę, antequam ueniat tẽpus afflictionis (tuæ,) & appropinquẽt anni, de quibus dicas, Non mihi placent.

Iterum ostendit se iuuentutem instituisse ad bonos mores, & ad honestatem, non solum politicam, sed etiam religiosam. Multum enim refert eam ætatem instituisse laudabiliter, & ad pietatem uerã, & ad politicam quoque prudentiam. Non uult iuuenes obrui curarũ & maturitatis nimio pondere, sed adaptari conuenienter ad honestatem morũ & reipublicæ utilitatem, ut fiant fortes animo & membris, hilares, animosi, sapientes, mansueti, liberales, sani corpore, tractabiles, pacifici & constantes: interim tamen ante omnia pietatem colant, meminerintq; se habere creatorem, ex quo habeant suum esse, uiuere, operari, & sapere, imò & uelle bonum, sine cuius nutu nihil sit omnis creatura, cuius uoluntati & mandatis obsequi homines debeant, cuius iusto iudicio sisti oportebit omnes homines, cui nihil opertum uel incognitum, cui rationem reddituri sumus de omnibus actis & uerbis, cui obligamur quicquid sumus, uolumus & possumus. Huius ergo creatoris meminisse iubetur adolescẽs, à quo de nihilo sic est creatus, & de terra formatus, ut & in illam sit denuo resoluendus post hanc uitam. Puluis enim es, ait omnipotens, & in puluerem reuerteris. Eiusmodi autem timorem dei, qui pietas est, & uera religio ac sanctitas, non differas in senectutem, sed à iuuentute imbibas, ac ad patientiam ingruentium calamitatum te præpares, ut leuius feras aduersa post prospera, dura post grata. Non tibi soli aduersa accidunt, non solus infeliciter habes, ne oderis senectutem, quam semper desiderasti, propter te non poterit ordo naturæ & uniuersi mutari, maiores tui omnes similia pertulerunt. Ea est domini dei tui uolũtas, huiusmodi est tua conditio, ut senectus cum afflictionibus sustineatur, ne semper uiuere in hoc mũdo delectet, sed cœlestia potius quæramus, & quæ sursum sunt, ubi Christus est in dextera dei sedens.

Vereri deũ.

Adolescentes quomodo instituendi.

2 antequam tenebrescat sol & lumen, & stellæ, & luna, & reuertantur nubes post pluuiam:

Metaphoricõs tota sequens sententia exponitur, de incommoditatibus senectutis, ut discat iuuenis in tempore præuenire senectutis grauamina multa, idq; honestis exercitijs. Quæ enim prima ætate neglecta uirtus fuerit & disciplina, senio comparari difficile poterit: nisi fuerit recens testa sanctis imbuta odoribus, inueterata non capiet. Dicitur ergo, ut timore dei animus præoccupetur, & ueris ornamentis adornetur. Antequam appellat tempus afflictionis, & anni laborum atque dolorum, de quibus Psalmo octogesimonono, Anni uestri sicut aranea meditabuntur, dies annorum nostrorum &c. amplius eorum labor & dolor. Solem obtenebrescere, lunam & stellas, est ea non posse uideri à caligantibus oculis senectutis, cæcutientibus oculis lumina uideri non possunt, ut legitur de Eli & Isaac. Reuerti nubes post pluuiam, est sic anxiari senem pro multis tribulationibus, ut post lachrymas oculi patiantur caliginem, quod fletus uisui noceat. Vel, quod pro ætate senibus oculi distillent humores, & defluant ex debilitate. Præuenienda itaq; est talis molestia ætatis, timore dei & sapientia uera, cum memoria bonorum operum, quæ in iuuentute se exercuisse gaudeat iam senex.

Tẽpus præueniendum.

3 quando commouebuntur custodes domus, & nutabunt uiri fortissimi, & otiosæ erunt molentes in minuto numero, & tenebrescent uidentes per foramina.

Custodes domus quidam costas intelligunt, quibus intestina uallantur & conseruantur, & tota uentris molli tudo sustentatur, quæ dicuntur senibus cõtremiscere. Verum quia contremiscere magis manuũ est & cõmoueri, quæ & in senibus tremulæ sunt, quibus domus tota corporis custodienda erat, et defendẽda: ideo p domus custo

Custodes domus.

des potius manus intelligamus. Incuruari uiros fortitudinis, est scapulas inclinari, & humeros deflecti, dorsumq; incuruari præ imbecillitate senũ. Iudæi lũbos, Hieronymus crura intelligit. Molentes cessare & imminui, est dentes uacillare, elabi & masticatione atteri, & numero absumi, & magnitudine minui, ut cibus commode nequeat masticari. Per fenestras aspectum obtenebrescere, est cæcutiendo intueri externa: senio enim confectis oculorum acies & intuitus obscuratur. Alij exponunt, custodes domus astra & angelos mundo præsidentes, fortes uiros dæmones, molentes doctores ecclesiæ, quorum scientia in fine mundi tenebris inuoluetur. Siue autem hæc nostra scientia quam hoc libro conscripsimus, talis æstimanda sit, siue ea quam Parisienses iam aliquot sæculis docuerunt, ut est Scoti & similium, Lector iudicet, si tamen utranq; ad intellectum legerit.

Molentes.

4 & claudent ostia in platea, in humilitate uocis molentis, & consurgent ad uocem uolucris, & obsurdescent omnes filiæ carminis.

Claudi ianuas in platea, est pro decrepita ætate claudum non posse prodire in publicum, & infirmos gressus extra domum proferre non posse, sed ut claudum domi delitescere. Humilitas uocis molentis de mandibulis accipitur, quorum inferior cibum terere nequeat, ac uix tenui uoce loqui uel audiri. Consurgere ad uocem uolucris, est ad leuem sonitum noctu euigilare & expergefieri, gallicinia insomnem numerare. Surdescere filias carminis, est senum aures grauiter audire cantores & cantatrices, nolle delectari carminibus, ut Berzellai loquitur, secundo Regum decimonono. Nullius enim pretij uel momenti senex habet cantiones, quibus delectatur adolescentia.

Ianuã claudi.

5 excelsa quoque timebunt & formidabunt in uia, florebit amygdalus, impinguabitur (onerabitur) locusta, & dissipabitur capparis: quoniam ibit homo in domum æternitatis suæ, & circumibunt in platea plangentes,

Senes quoq; capitis uertigine onerantur, ut consistere difficile possint, nec tuto satis incedere, ubique casum timẽtes: hoc est, ab alto uel excelsa timere, uacillare gressum, non sine scipione incedere. Florere amygdalũ, est cano capite secundæ iuuentutis signa exhibere, & præmaturæ ætatis præbere indicium, & flores sapientiæ obtendere. Onerari locusta, est uix se à muscis posse defendere, ægreferre minima incommoda, omnibus quasi odiosum fieri creaturis, locustis scilicet, pulicibus & pediculis. Dissolui concupiscentiam, est destitui omni delectatione, cibi, potus, somni, Veneris, honorum & gaudij. Ire ad domum sui sæculi, est auspicari uitam futuram, expectare mortem, intelligere se non habere hic manentem ciuitatem, sed sæculum futurum cupere, ad quod à deo creatus est, ut hanc uitam in timore dei exigens, futuram in gaudio perpetuo assequatur. Circuire in platea plangentes, est exequias deferre defunctis, ultimum huius mundi obsequium cogitare, & præparare exuuias sepulturæ, condere testamentum, audire familiam proximam mortem lamentantem, planctum amicorum & piorum, donec sepulchro includatur ut quiescat.

Vertigo.

Locusta onerari.

Exequiæ.

6 antequam rumpatur funiculus argenteus, & recurrat uitta aurea, & cõteratur hydria super fontem, & confingatur rota super cisternam,

Antequam procul à te fiat auferatur uel abrumpatur funiculus argenteus, spiritus nempe uitalis, qui membra colligat & iungit, exornat colore: quo efflato putrescit corpus, & perditur forma ac proportio humorum, uel anima intellectualis, quæ illuc recurrit unde descenderat. Vittam auream Iudæi dicunt uenam uriniam, ut tertio Regum septimo duo funiculi. Et conteratur hydria super fontem. Quomodo hydria quæ conteritur cessat haurire de fonte aquas refrigerij: & rota putei si fuerit confracta, siue ut alij interpretes uoluerunt, in suo funiculo conuoluta, aquæ necessarius usus intercipitur: sic dum uitæ funiculus interruptus extiterit, & animæ riuus ad fontem recurrerit, interibit homo & moritur. Mortis ænigmata hæc sunt, & senectutis molestiæ eleganter poëticeq; descriptæ.

Argenteus funis.

Hydriã conteri.

7 & reuertatur puluis in terram suam unde erat, & spiritus redeat ad deum qui dedit illum.

Non ergo anima hominis in uisceribus maternis è parentum corporibus generatur, sed à deo creatur, qui est pater omnium spirituum, qui infundẽdo animam creat, & creando infundit. Sic igitur post grande hyperbaton reuertitur ad priora, ut memineris creatoris tui in diebus iuuentutis, antequam ingruat molesta senectus, & ærumnæ corporis inualescant, de proximo morituri & resoluendi in puluerem, unde desumptum est, & rationalis ac nobilis anima immortalis redeat ad suum creatorem unde prodijt.

8 Vanitas uanitatum, dixit Ecclesiastes, omnia uanitas.

Cum cunctus mortalium labor, de quo in toto uoluimine disputatum est morte flebili, quod ad hunc mũdum attinet finiatur, anima autem immortalis deo sit reddenda melior, sanctior atq; felicior, magnæ uanitatis indicium est, in hoc sæculo curis inutilibus nimium distringi, & prorsus nihil profutura requirere & sectari.

9 Cumq; esset sapientissimus Ecclesiastes, docuit populum, & enarrauit quę fecerat: & inuestigans composuit parabolas multas.

Peroratio ad conclusionem est, & uerba collectoris, commendantis sapientiam Salomonis. Ecclesiastes, inquit, Salomon fuit insigniter sapiẽs, inspirata sibi à deo sapientia, & humano nihilominus exercitio acquisita, ad quam ingenium acre susceptt à domino per naturam. Ea autem ad dei gloriam usus est, docendo populum, sapiẽter gubernando, & regendo à deo sibi commissum regnum, ab hostibus defendendo, & instituẽdo in scientijs & timore dei, idq; egit uiua uoce, dignis auditoribus, & capacibus, qui ea subinde subditis retulerunt, diligentissime

Peroratio Salomonis.

diligentißime auſcultata. Proprio enim ingenio, ſpiritu dei directo, perquiſiuit rerum naturas, & dictauit parabolas multas, quas excipientes retulerunt in ſcripta, ad utilitatem ſubiectorum, & ad gloriam dei. Solent enim parabolice propoſita uel dicta diligentius cogitari & diſcuti, & arctius memoriæ imprimi, quàm quæ recitantur ſimplicius: unde & priſcorum mos erat, & Chriſti domini, parabolis alloqui populum, ſi quando perſuadere citius magnum aliquod uoluiſſent.

10 Quæſiuit Eccleſiaſtes uerba utilia, & conſcripſit ſermones rectiſſimos, ac ueritate plenos.

Iudium auditoris.

Quamlibet fuerit Salomon deſuper acceptam ſapientiam aſſequutus, rerum tamen diligenti inquiſitioni ſemper inſtetit ſtudio ardenti, quod nõ ſine medio ſcientiam deus infundat: ſine labore nõ impartitur fidelibus, ſed laborantes adiuuat, legentes inſtruit, admonet cogitantes, inquirentes laborioſe cõſolatur, diſcentes docet, orantes exaudit, diſputantes illuminat, & efficit certiores. Id autem quàm maxime de utilibus rebus, ſacris, & ad animarum ſalutem deſeruientibus, & ad gloriã dei, eccleſiæq; profectum, ad regimen populi deo amabilis & fidelis. Dicitur autem recte ſcripſiſſe uerba ueritatis. Melius ad uerbum redditur, Scripturam rectam uerborum ueritatis. Inquiſiuit enim diligenter rectitudinem fidei & uerba ueritatis, id eſt, legis Moſaicæ. Id quod & nobis fidelibus agẽdum eſt, ſi promiſſum nobis ſpiritum ſanctum precibus inuocatum ſuſceperimus.

11 Verba ſapientium, ſicut ſtimuli, & quaſi claui (*in altum*) defixi, quæ per magiſtrorum conſilium data ſunt à paſtore uno.

Verba ſapientum.

Hieronymus exponit uerba ſapientum, prophetarum & apoſtolorum, qui nobis mandante deo ueram ſapientiam tradiderunt, uaſa ſpiritus ſancti, quorum uerba & ſcripta ceu ſtimuli corrigunt & admonent delinquentes, & pigros mortalium greſſus promouent, uelut aculeo promouẽte. Non palpant molliter, ſed inſolentes doloribus pœnitentiæ afficiunt, uulnuſq; auſteræ medicinæ infigunt. Deniq; uerba ipſa non proprie docent, ſed incitant ac ſtimulant, occaſionem adhibent cogitandi quod uerum eſt, quod ſpiritus dei docet in corde excitati auditoris. Dicuntur autem claui infixi, ſolidæ iſtæ doctrinæ catholicæ. Quod additur, In altum, non eſt de litera Hebraica. Ex illis clauis piorum conſcientiæ tutißime pendent. Magiſtri autem & rectores uulgi eccleſiarum prælati ſunt, qui nihil aliud docere debẽt, niſi quod ab uno paſtore ſancto ſpiritu didicerunt in ſanctis ſcripturis, ſimplici ſtylo, quo gaudet ueritas, loquente electis ad ſalutem. Spiritus enim huius mundi alios inflat doctores, alia docet ſtylo curioſiori, & ad faſtum oſtentandum magis quàm ut doceant fidem & ueritatem, quæſtum intendentes magis quàm pietatem. Sufficit autem ad ſalutem uerbum dei, & ſacræ ſcripturæ fides. Nec adhibenda eſt neceſſario fides doctrinæ alicui, niſi ei quæ ab uno doctore eſt tradita, reliqua quidem non omnia contemnenda, ſed ad ſobrietatem inquirenda & ſelegenda ſunt ex ipſis utiliora, ſed comparatione huius eruditionis poſterius habenda. De quibus in prologo ſecundi tomi quædam ex Auguſtino.

Quid docẽdum.

12 His amplius fili mi ne requiras. Faciendi plures libros nullus eſt finis: frequensq; meditatio carnis afflictio eſt.

Solicite mi fili proſpicias tibi, ne plus ſapere uelis q̃ oporteat ſapere. Ne alterius doctrinam quàm unius illius paſtoris arripere uelis, ne humanis traditionibus, ut diuinis fidem præbeas, & exigas authoritatem. Hieronymus, Exceptis his uerbis, quæ ab uno paſtore ſunt data, & à concilio & à conſenſu magiſtrorum omnium prolata, nihil facias, nihil tibi uendices. Maiorum illorũ ſequere ueſtigia, ſicut & ipſi doctorem uel paſtorem ſuum unicum ſequuntur, à quorum authoritate non diſcrepes: alioqui quærenti plura infinitus librorum numerus occurret, de quibus dicitur, Faciẽdi libros plures non eſt finis. Si circa plurima homo uoluerit eſſe ſolicitus, turbabitur: ſi uero circa unum, inueniet optimam partem. Simpliciter ſacræ ſcripturæ operam dare, eidem humiliter credere, ac toto corde adhærere, quietã reddit conſcientiam, ad fidem ueram in deum & proximi charitatem feliciter breui ſemita perducet, dulciſſimamq; reddet uitam hominis credentis. Si uero diſceptatorum philoſophorum ac ſcholaſticorum labyrinthum ſemel ingreßi fuerimus, in aſſertionum & opinionum ſuarũ uarietatem abducemur, & uanis ſtudijs fruſtra ſemper laborabimus. Plures autem libri dicuntur, qui cum uno ſacro canonico uolumine ueteris & noui inſtrumenti diſſentiunt. Qui enim ad idem ſcribentes inſtitutum inter ſe non diſcrepant, unum uolumen ſunt & dicuntur. Si quidem Euangelium & lex domini immaculata conuertens animas, ſingulariter appellantur. Quicquid igitur dixeris, ſi ad eum referatur qui in principio erat uerbũ apud deum, unũ uolumen eſt: quod ſi diuerſa & diſcrepantia diſputaueris, & nimia curioſitate huc & illuc animum deduxeris, per multa diſtractus, nullus eris. Quanto enim plura requiruntur, tanto maior continuo ſeries naſcitur diſcendorum. Cuiuſmodi ſtudium & meditatio labor eſt carnis, non ſpiritus, qui ſuum ipſe habet laborem, non ad uanitatem & curioſitatem, uel quemcunq; faſtum, ſed ad unius dei beneplacitum, & neceſſarium bonum, ad quod refert quicquid ubiq; inuenit, & diſcendo utiliter aſſequitur, etiam in bonis literis ac ſtudijs ſæcularibus, honeſtis & utilibus, dummodo finis pietas intendatur, & timor dei minime excidat, ſed adaugeatur & ſemper creſcat.

Quibus credẽdum ſcripturis.

Libri plures.

13 Finem (*uerbi uel negotij*) loquendi (*pariter*) omnes audiamus, DEVM TIME, ET MANDATA EIVS OBSERVA, hoc eſt enim omnis homo:

14 cuncta enim quæ fiunt adducet deus in iudicium pro omni errato, ſiue bonum, ſiue malum ſit.

Totius libri ſcopus, & omnium utilium ſtudiorum finis, & explicatio huius totius libelli hic ſcribitur, atq; uſus beatiſſimus & unicus, Deum timere, hoc eſt cre-

Scopus totius libri.

dere, sperare, & amare, eiusq; præceptis obsequi. In hoc unum totus homo incũbat, hæc sola creator noster exigit, in his toti simus, homo in hæc intendat, respiciat & conetur. Hæc quoque ad omnes & quoslibet pertinent, hoc est totum quod ab homine deus exigit, & quod obligatur & debet. Præter hæc duo, imò unicum pietatis studium, reliqua omina hominum studia uana sunt. Hæc sola à nobis exigit creator noster. Certi insuper sumus, de utroq; nos rationem reddituros illi conditori nostro & iudici, ad cuius tribunal astabimus omnes, cum sederit dominus filius hominis in sede maiestatis suæ, sententiam pronuntiaturus in bonos & malos. Nihil tunc non reuelabitur, quod à sæculis fuerat occultatũ: tunc erunt manifesta consilia cordium: tunc statuẽtur ad dexteram agni electi, ad sinistram hœdi & impij: illis sententia dicetur ad uitam æternam benedicẽdis, istis in supplicium æternum damnandis.

FINIS.

SVMMA VERSVVM CC. XXII.

COMMENTARIA IN CANTICA CANTICORVM, Hebraice dicta Sir hasirim.

CAPVT PRIMVM.

1 CANTICVM CANticorũ Salomonis.

Canitca multa.

Cantica paßim multa sacræ literæ cõtinent, Mosis scilicet, Deboræ, Iosue, Annæ, Dauidis, Abacuc, & aliorum: hic uero liber nõ est quidem unum canticum quod Salomon cecinit, sed multa cãtica sunt, in unum tamen libellum contracta, ad unum quoq; argumentum pertinentia. Quod quidem fidem, charitatem, amicitam, gaudium, delicias, beneficia multifariam explicat, non sine uehementibus affectibus, quibus clementißimus creator spiritus, omnipotentis dei bonitas electos prosequitur inexplicabili gratia sua, nullis meritis prouocatus, sed sola sua clementia reuelari dignatus: uicißimq; tam uniuersa fidelũ ecclesia quàm animi quiq; fidelium & electorum, tracti à spiritu sancto quodam ineffabili affectu charitatis diuinam admirantur, contemplantur, ac appretiantur gratiam & beneficentiam, seseq; insinuari cupiunt deuotißime & commendari, probari, magisq; ac magis eatenus amari, ut si etiã error aliquis & negligentia in moribus, aut neuus maculaq; inciderit in formam, non ideo repudientur aut negligantur, dum certa & amicißima fiducia in bonitatem non amittitur, sed post iras amantium subito incidentes, ex zelo, mutuum ueluti amanter irritante, statim redintegretur, & crescat magis, ac subinde perficiatur uera & inuiolabilis charitas. Talis huius libri scopus, tale Epithalamion sponsi dei ad fidelem animam & ad ecclesiam totam, tale soliloquium spiritus diuini & humani, gratiam impartientis dei & prædestinatæ animæ, nondum in amore dei totaliter & impeccabiliter perfectæ. Nec colloquij illius sancti ordo inuestigandus est, qui nusquã curatur in uere amantibus, ubi omnia utrinque placent, ubi error quoq; & ignorãtia, imò & casus grata sunt, ridentur ac placent, etiã aliquãdo querelæ & luctus: ira deniq; & uerbera perplacent, & amanter admittuntur. Eant alij & rideant, probroq; insimulent negotiosum hoc studium amoris, & cum fœdis tantum amoribus occupati sint, omnia fœda arbitrentur & interpretentur: & purißimam illi castitatem simulent, conspurcando hunc tractatum amantium, cum sint reuera ipsi ipsa spurcitia, quam & tanto magis contrahunt in conscientia, quanto magis se foris mundos fingentes, abhorrere se ostentant ab amantium colloquio, quasi castus amor et sacer turpitudini dãdus sit. Sacra scriptura nullum nouit amorem, nisi quem creauit dominus, unici mariti ad coniugem unicam, non breui carnis titillatione constantem, sed perpetua animorum concordia, uoluntatum consonantia, mutuum complacendi studio, pariterq; iucundißime uiuendi, colloquendi, collaborandi, condescendendi, congratulandi, condolendi ac commoriendi desiderium unicum, & institutum firmißimum. Nihil quoq; hoc in contractu curatur magis, quàm ut si quid erroris casu inciderit, ilico reformetur: ac sine intermißione utrinq; contendatur ad amicitiam tuendam, confirmandamq; ex toto animo. Talis est autem & animalculorum amor, talis inculpatæ naturæ sensus, talis ueri amoris ordo, ubi libidinis turpitudo locum non habet, quin si hæc ob naturæ bonũ, ac ad posteritatis propagationem interceßerit suo loco ac tẽpore, statim hic legitimus amor tepescit, & nonnihil patitur detrimenti, qui animorum tantum complacentia uegetatur & consistit. Abusus Salomon est hoc amore naturali, diuino instinctu, in hoc carmine ad contemplationem bonitatis dei ad fideles suos. Sicut enim ex creaturarum contemplatione potentia dei & sapientia discitur, sic ex illibato naturaliq; amore, sexui utriq; complantato, maxime sponsi ad sponsam, matris ad filiam, patris ad natos suos, perpendi potest fides & ratio bonitatis dei ad hominem, & fidelis animæ amor propagari perficiq; in deum. Hæc ergo Cantica sine ordine ac breuia scribuntur, ad commonefaciendum sapientes in spiritu, quid à domino deo suo fideles sperare debeant, & quid in eis domino placeat, quibusq; officijs illi uicißim oporteat respondeti. Hæc de titulo.

Scopus libri.

Ordo in amoribus negligitur.

Amor in scripturis sacris.

Benefic sponsũ.

Exhort fidanci

2 Osculetur me osculo oris sui: quia meliora sunt ubera tua uino.

Dicitur hæc prima sententia carminis in persona sponsæ, quam fidelium ecclesiam accipere possumus, & cuiuslibet electi hominis fidelem animam, æstuantis desiderio gratiæ dei per Christum dominum, & amoris sancti uulnere agitatæ, sic precantis, Omnia quidem plena uideo in toto mundo beneficijs & indicijs gratiæ & fauoris diuini, uelut osculis, quibus charitatem suam deus commendat

Osculũ ipsũ.

commendat pijs, & oblectat suauijs, ad ipsum summum nobis bonum syncerissime amandum instigans ac solicitans, quæ ut maxima quidem sunt, tamen uerbi sui intellectu ac sensu, Euangelijq; promissi per Christum, certa me fide & fidutia donari cupio, & ut non solum patribus promissorũ per prophetas bonorũ particeps sim, per auditũ & fidem, sed multo magis ipsa proprij uelut oris basio & alloquio cupio consolari. Est omnis creatura mihi data osculum diuini muneris, & omnis philosophorum scientia desuper datũ donum, sed sine uerbi dei scientia & fide non sufficiunt. Angelis, Patriarchis, prophetis, scripturis & triumphis, suam ad me charitatem ostendit, sed Christi domini exhita gratia & missa cupio in primis & maxime osculari. Multæ quidẽ consolationes, & iucundissimæ mihi offerũtur à domino, sed omnium maxima est pectoris tui clementissimi fauor, qua persuasa, sic abs te amari desidero ut diffidere de bonitate tua non possim. Vinum quidem lætificat cor hominis, sed multo magis Christi pectus lancea pro me patri reconciliando transfossum.

3 fragrantia unguentis optimis. Oleum effusum nomen tuum, ideo adolescentulę dilexerunt te.

Beneficia domini. Magnifica beneficia operum tuorum, in gratiam electorum tuorũ à sæculis exhibita, toto terrarũ orbe sparsa sunt tanta fragrantia, piosq; exhilarare solita, ueluti si succus aromaticus suaueolẽtissimus euacuetur & profundatur ex alabastro, ut nedum uicinia tota recreetur, sed in fines orbis terræ sentiatur odoris illius iucunditas per uerbum scilicet domini prædicatũ, ideoq; non sit mirandum, si non solum Iudaicæ gentis sancti, tam opere te amauerint, sed et adolescentulæ multarum ecclesiarum, infinitæq; multitudinis fideles animæ tui amorem præferant omnibus totius orbis delicijs.

4 Trahe me post te: curremus (in odore unguentorũ tuorũ.) Introduxit me rex in cellaria sua. Exultabimus & lętabimur in te, memores uberum tuorũ super uinũ. Recti diligũt te.

Exhortatio ad sancta. Clamat fidelium ecclesia, Per gratiam electionis tuæ ô deus, trahe me, ut post suauissimum hunc odorem semel hausti, uerbi tui ueritatẽ ac solatiũ, sic curramus pariter, mutua exhortatione ꝓficientes, ut introduci mereamur ad contemplationẽ iustissimorũ iudiciorũ tuorum, spiritu sancto reuelante hæc nobis de scripturarum sanctarum archiuis ac promptuarijs, ut non tam de iusto tuo iudicio terreamur, q̃ de abysso bonitatis clementiæq; tuæ per Christum nobis datæ exultare possimus in spiritu, & lætari. Erit enim sic, ut longe nobis iucundior fiat memoria dulcissimi pectoris tui, quo ad miserandum electis ꝓpẽsissimus sentiris, q̃ sit tota hilaritas optimi uini, qd' quantũlibet deiectũ animũ exhilarare potest copiose hausti. Quo fit ut iustitia & rectitudo non inueniatur, nisi ab his, q hoc pacto te diligũt, ut nihil tuæ bonitati præponãt, et de clemẽtia tua plena fide cõsolẽtur.

5 ¶Nigra sum, sed formosa filię Ierusalem, sicut tabernacula Cedar, sicut pelles Salomonis.

O uos electorum animæ, ciuesq; sanctorum, & domestici amici dei, non ignoro, neq; diffiteor multitudinem peccatorum, quibus à pueritia mea nunquam non sum commaculata: quis est enim uiuens, qui nõ peccet? quando ecclesia fuit sine peccatoribus? etiam dum à Mose & Dauide regeretur. Certa tamẽ fide mihi persuasum est, me domino deo meo acceptissimam, ut super me delectetur, dum mihi plangenti ac resipiscenti, nedum propitiatur, sed omnibus beneficijs donisq; accumulat. Non sunt propterea contemnenda tentoria Arabum, quia nigra sunt, quæ deprehendes plenissima esse optimo auro, omnigenisq; diuitijs naturæ & artis. Et Salomonis tentoria ac tapetia soli exposita, fusca sunt, sed illustrissimo regi, sapientia & diuitijs clarissimo, domiciliũ præstant. Peccata piorum.

6 Nolite me cõsiderare quod fusca sim, quia decolorauit me sol, filij matris meæ pugnauerunt contra me, posuerũt me custodem in uineis: uineam meam non custodiui.

Maculæ sanctorum. Nolite ô ignari consiliorum dei tantum intueri quæ foris patẽt, iudicio temerario scandalizari, de meis grauissimis peccatis, quia scilicet communis æstus uitiorum omnium, & generalis error idololatriæ conspurcauit mẽ, & denigratam destituit natiuo decore meo. Ex me prodierunt qui non erant ex me, falsi prophetæ, apostoli, doctores et adfectus deprauati: ut licet legem, euangelium, ueri iustiq; studium mihi commendauerint custodiendæ sancti dei homines, à deo missi, uineamq; locauerint colendam scripturæ sacræ, & uitæ innocentiæ conseruandæ, eam tamen nõ custodiui, uocationis meæ functionem non sum prosecuta, exemplum perfidiæ & negligentiæ præbui impijs, sola dei clementia restituenda in integrũ.

7 Indica mihi, quem diligit anima mea, ubi pascas, ubi cubes in meridie, ne uagari inciam post greges sodalium tuorum.

Spõsus quę rendus. Quandoquidem mihi minime desperandum est post tam crassam negligentiam, sed redeundum ad pastorem animarum, ideo ô tu, quem diligit anima mea, ô fili charitatis & ipsa charitas dei, indica mihi quibus uescaris delicijs, quibus meis studijs maxime delecteris, quid me uelis facere, ubi meridianus tibi dies illucescat, ubi clarissime doceas, quæ me scire conueniat, ubi nullæ errorum nebulæ iudicium meum fallant: sed ipsissima ueritas meridiana claritate illustret intellectum meum, ne quando cogar errabunda declinare ad errores & falsitates eorum sapientiæ professorum, qui doctrinam suam & morum præcepta de corde suo producta æquare præsumũt authoritati uerbi tui, qui præsumptiones suas in locum surrogare contendũt sanctissimarum legum tuarũ: quod mihi pro amore erga me tuo ferendum non est, tecum enim pasci malo, & lucis tuæ radio illustrari, tecumq; subsistere & inter tuos greges numerari.

8 Si ignoras te ô pulchra inter mulieres, egredere & abi post uestigia gregum (tuorũ) & pasce hœdos tuos iuxta tabernacula pastorum.

Dona spõsi Sponsus ad sponsam loquitur, nouo carmine, ut agnoscat quid donorũ acceperit à deo. Cum te formosissimã

mulierum elegerim, ô ecclesia fideliũ, ac anima deuota, nolo teipsam eatenus ignores, ut non agnoscas quæ bona à quo tuo sponso susceperis, ueluti parua reputans, quæ sine tuis meritis sola mea gratia accepisti, siue corpus tuũ spectes siue animã, siue gratiam creationis siue recreationis. Volo hæc memori mente reuoluas, & gratissima amplectaris mea tibi collata munera. Non parua sunt, quæ in tuũ sunt usum creata, cœlum, terra, & quicquid eorum ambitu continetur: immortali te anima & nobili corpore formaui, legem naturæ & tabularum, & insuper euangelium tibi proposui, scientiam boni solam, tu uero etiã mala cognoscere appetisti, ad imaginẽ meã te creaui, exempla uirtutũ ædidi per meos & meipsum, ab erroribus quibus te sponte immerseras reuocaui, uiã ueritatis & iustitiæ tibi monstraui, in qua & te direxi, ducatumq; præbui præeũdo. Hæc omnia et innumerabilia alia uolo te scire, adeoq; teipsam, quod te & tua à sponso data dona non agnoueris, nolueris q; pensare cui te tuaq; debeas: & si unicum conditorem et exornatorem posthabueris, tu quoq; post pecuina desyderia et animalem scientiam abibis, uiam ueritatis perdes, post pastores nõ hominum nec ouium rationales simplicesq; ac utiles doctrinas ibis, sed post hœdorum lasciuias, superbias, inquietudines abduceris, & nõ in loco pascuæ amenissimæ à me pasceris, sed in hœdorum grege fœtida, & in peccatorum tabernaculo, ac in dissimilitudinis regione non tam pasceris, quàm ieiunam conscientiã circumferes errabunda per falsitatum atq; opinionum scholas, atq; prauorum dogmatum pastores atq; mapalia.

Ingratitudinis malum.

9 ¶Equitatui meo in curribus Pharaonis assimilaui te amica mea.

Consydera ô sponsa qualis mihi habearis, & quo loco sis apud me. Maxime mihi desyderata es, è remotis adducta, multo auri pretio empta, magna solicitudine curata, ut in delicijs mihi fores, usui meo gratissima adesses, gloriam meam alioqui maximã illustrares, et propter me admirareris atq; benedicereris. Non secus atq; electissimi mihi equi sunt, quos ex Aegypto mihi Salomoni impensis maximis soleo procurare, & non minori cura curare quàm ipsum corpus meum (Nihil enim reges accuratius diligunt, quàm electissimos caballos) sic ecclesiã deus, suo quidem modo, comparatione abstracta, non sine eleganti applicatione. Quid enim elegantius, utilius, pretiosius, charius, generosius, obsequentius, fidelius, desydertaiusq; in animalibus equitatui regio?

Gloria sponsæ

10 Pulchræ sunt genæ tuę sicut turturis: collum tuum sicut monilia.

11 Murenulas aureas faciemus tibi, uermiculatas argento.

Perstat in equi regij comparatione ad fideles. Ornatissimo enim capistro maxillas format, & collum monilibus redimitum, ut uidetur in turturibus, splendet. Sacratissima æquissimaq; lege, fidelium obedientiam format, & exornat deus, electos suos ad iugum obedientiæ salutaris, sponte ac cum decoro gestandum in humeris asuefacit. Decus enim fidelium est, uita diuinis formata legibus, ornamenta uirtutum præferens, humeri ju- plices, & ad obedientiam præparati. Omnia autem hæc ornamenta legis, aurea quidem sunt, sed cũ puncturis argenteis exornata, quæ significant piam eruditionem, ac zelosam charitatem, quibus fideles & ecclesia adornãtur, ut gratissimum matestati diuinæ subiugale reddantur, in gloriam dei, & ædificationem electorum.

Fidelium decus.

12 Dũ esset rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum.

Quantumlibet rex regum dominus uniuersorum, sedeat in solio gloriæ suæ, & super cardines cœlorum ambulare dicatur, nostri tamen, hoc est electorum suorũ ea tenus prouidentiam gerit, & fauore non excludit, ut fidelium suorum orationes & suspiria, ueluti odor suauissimus cœlos penetrent, & facillime clementerq; exaudiantur. Ea fiditia credentes sint in deum, ut nunquam confundantur, nunquam periclitentur, sed talem experiantur qualem crediderint.

Fauor dei ad sponsam

13 Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur.

14 Botrus cypri dilectus meus mihi, in uineis Engaddi.

Fidutia plena cordis, ueluti aromaticus fasciculus ad ubera credentibus adiacet, cũ de dei fauore & misericordia dubitare nequeũt. Gaudiũ iuge posident, et euangelio gratiæ suæ consolantur suauissime per Christum. Idem significat sequenti sentẽtia, Sponsus meus mihi ueluti nobilissimæ uitis dulcissimus botrus est, ex eis uineis quæ Engaddi loco colitur, cui non est in orbe similis uinea. Superant enim consolationes diuini spiritus omnem terrenam iucunditatem, & hilaritatem, scire sibi deum fauorabilem, amorem omnipotentis possessum tenere semper intra conscientiam.

Gaudium sponsæ.

15 ¶Ecce tu pulchra es amica mea, ecce tu pulchra es, oculi tui columbarum.

Sponsus sponsæ loquitur carmen. Noli charissima quicquam dubitare de fauore meo, uehementer enim places, pulcherrima mihi haberis, quantumlibet tu tibi fusca uidearis, pulchra es mihi, quia in te cõplacuit mihi: non natura tua, sed mea gratia constat is amor: pulchra est, quæ sapientissimo placet. Non cupio ornatum coloris, auri & uestium, columbarum oculos cupio, simplicitatis, fidei, & castitatis perpetuæ, ut præter me nihil uel nemo tibi placeat, non tam tui compendij gratia à te me diligi, quàm ad meam gloriam. Intentionem exigo simplicem & integram, non toruos & astutos oculos, multo minus procaces & uagos.

Ornatus sponsæ.

16 Ecce tu pulcher es dilecte mi, & decorus. Lectulus noster floridus,

17 tigna domorum nostrarum cedrina, laquearia nostra cypressina.

Sponsa allicit sponsum. Te noui & habeo, thesaurum omnis boni et pulchri, quem solum depereo, in quo solo lætor, reficior, & felicem me scio. Conclaue cordis & conscientiæ meæ nihil habet aculeatum, rude, durum, molestum: omnis creatura te mihi commendat, intueor te pulcherrimum, in rebus à te mihi præstitis: intelligo oĩa quæ per te fiunt iusta, sancta, et optima esse: quie

Conscientia sponsæ.

quicquid uſpiam placet in hoc mũdo, propter te placet, cuius mihi uſum ad amoris & iucunditatis profectũ, & in tuam gloriam conceſiſti. Omnia pretioſa ſunt, et pulchra, quibus me uallaſti ex liberalitate tua, nihil meritã, ſed de poſt fœtantes uagantem in ſponſam electam, & in thalamum dilectionis introductam atq; complexam, ut ſolent regum ſponſæ non niſi exornatiſſimis conclauibus excipi & habitare cum ſponſo, quale eſt conſcientia pietatis ſibi in deum conſcia, & gratia diuina multifariam uirtutibus exornata.

CAPVT II.

1 EGo flos cãpi (&) liliũ conualliũ.

2 Sicut lilium inter ſpinas, ſic amica mea inter filias.

Fides & amor ſponſi.

Sponſus de ſe & de ſponſa ad ſodales loquitur, Ego me præbeo electis elegantiſſimũ florẽ in pratis, cuius pulchritudinẽ admirentur, & gratiam benignitatis & ſuauitatis ſentiant et odorẽt, quẽ et ſine labore & periculo ſpinarũ aſſequantur & colligant, cũ iucũditate mẽtis et corporis, ut ſine ſentibus carnalis libidinis, & ſpinis auaritiæ terreſtris, potiantur ſuauitate mea. Denique & ſum illis lilium conuallium, eadem ratione & quicquid elegans iucundum ſuaueq; cogitari poteſt, hoc ego ſum electis meis, tam hic in ſpe, quàm alibi in ſpecie. Ipſa autem mea ſponſa eccleſiaſtica anima, liliũ eſt inter ſpinas, obſeſſa quidem impijs, acra, dura, nociua, et pernicioſa comminantibus, ſed meo ſemper munere protectioneq; tuta proficiens, germinãs, ſemenq; relinquẽs donec mihi adducatur, & in horreum meum proficiat reponaturq;.

3 Sicut malus inter ligna ſyluarum, ſic dilectus meus inter filios. Sub umbra illi⁹ (quẽ) deſideraueram, & ſedi: & fructus eius dulcis gutturi meo.

Sponſus eccleſiæ.

Verbum ſponſæ de ſponſa. Arbores ſyluarum ſine fructu ſubſiſtunt, folia geſtant, & uictui humano non proſunt: ſic ſunt homines natura deprauati, non niſi labruſcas, & officientes guſtui hominum fructus exhibentes filij iræ, ab infantia corrupti, et ad uitia propenſi. Vnus eſt eccleſiæ ſponſus, Chriſtus dñs, arbor eſt pomifera, & lignum uitæ fructum uitæ æternæ, ueras uirtutes & ſancta opera proferens omnibus, qui ſub illa recumbentes, de plenitudine eius expectant, ut ſuſcipiant ſponte demiſſa poma beneficiorum ac gratiarum Dei, reficiantur ab illa, & uitæ felicis cibũ capiant & æternæ. Igitur ſub ſola hac arbore fidelibus quieſcendum eſt, cuius fructus optimi ſufficiunt electis omnibus.

4 Introduxit me (rex) in cellam uinariam, ordinauit (inſigniuit) in me charitatem.

Dolia uini ſponſi.

Non ſolum dilectus meus, arbor uitæ & felicitatis, refrigerium præſtat ab æſtu, ſolus abſq; peccato, & dulcedinem fructuum ſpiritus in eſu, qui ſolus eſt animarum uita: ſed & introducit me in cellam uinariam, ſecretorum ſuorum ſcientiam, ac infallibilis ueritatis notitiam per fidem, non enim fecit dominus taliter omni nationi, & iudicia ſua non manifeſtauit eis. Tot ſunt enim dolia uini, quot ſacræ eruditionis ſententiæ uel libelli. His tot mirificis donis inſigniter demonſtrauit & commendauit mihi ſuam charitatem, ut maioribus indicijs ampliorem dilectionem oſtendere non potuerit.

5 Fulcite me floribus (phialis) ſtipate me malis: quia amore langueo.

Velle ſine uiribus.

Tanta amoris impatientia feror in dilectum, cui quidem per omnia probari cupio, ſed uires per omnia obſequendi non inuenio. Velle quidem mihi adiacet, ſed perficere non poſſum. Cupio igitur confirmari, ſuffulciriq; aromatibus uel condito uino, ad fidei perfectionem & augmentum, pomisq; delicatiſſimis recreari lætitiæ ſpiritualis, ex promiſſionibus diuinis, ut ueterum beneficiorum exhibitione, & nouorum promiſſione promouear in uera pietate.

6 Leua eius ſub capite meo, & dextera illius amplaxabitur me.

Conſolatio ſponſæ.

Verbo dei in præſenti uita oro à ſponſo cõſolari, quo peccatorum conſcientia non deſperem, clara autem uiſione & fruitione bonitatis ſuæ, poſt hanc uallem miſeriarum, me complectatur, tutam iam ab omni peccato, deſperationisq; periculo. Hic mihi gratiam largiatur animarum ſponſus, alibi gloria cõfirmet, & perpetua charitate, ad ſuam gloriam.

7 Adiuro uos filię Ieruſalẽ per capreas, ceruosq; camporum, ne ſuſcitetis, neq; euigilare faciatis dilectionem, donec (ipſa) uelit.

Ordo rerũ ſponſi.

Per quicquid uobis gratum eſſe poteſt atque iucũdum, ô fideles animæ, ego uos obteſtor, & adiuro, ut ſponſi ueſtri charitatem ad electos omnes, minime dijudicando inquietetis, illius ſiue gratiam, ſiue iram ſentientes, diuinæq; prouidentiæ ordinem neutiquam improbetis, qui ad electorũ conſummationẽ certiſſime dirigitur: ſed totas uos illius bonitati reſignate, uoluntatem ueſtram illius beneplacito per omnia ſubmittite, ſemper orando, Fiat uoluntas tua, ſanctificetur nomen tuum.

8 ¶Vox dilecti mei, ecce iſte uenit ſaliens in montibus, tranſiliens colles.

Aduentus Meſſiæ.

Carmen aliud, Sponſa loquitur. Vocem ſponſi promiſſi mihi, audire me uideor. Diſpenſationem diuinitatis in carne uẽturam, ac inter homines propter homines conuerſaturam, iamdudum nuperq; per patriarchas ac prophetas prænuntiatã indies magis ac magis propinquantem, ueluti gratiam dei patris promittentem, audio per fidem ſcripturarum ſanctarum. Semper enim fideles deſiderauerunt uidere dies Meſſiæ, & uiderunt quidem nuper per fidem promiſſi, nunc teſtimonio experiẽtiaq; exhibiti, cum toto terrarum orbe ſolus ille & unicus uerus deus regnat, in Chriſto mundum reconciliatum amplectitur, & erroribus uel parcit uel medetur.

9 Similis eſt dilectus meus capreæ, hinnuloq; ceruorum. En ipſe ſtat poſt parietem noſtrum reſpiciens per feneſtras, proſpiciens per cancellos.

Qualis eccleſiæ ſponſus.

Sponſus fidelium Chriſtus, ſimilis eſt ei quod omnium pulchrorũ pulcherrimum, omnium bonorũ optimum, omnium quæ deſiderari, inueſtigari, capi & aſſequi poſſunt maximum, finis promiſſionum diuinarũ per totam

ſcripturam in lege & prophetis decantatus. Iſte bonorum ſumma Chriſtus, ad propria uenit, trabea mortalitatis uelut interpoſito pariete indutus, ne ab indignis et non dilectis, uel electis uideretur, medius ſtetit, & uerbum uitæ locutus eſt, partim credẽtibus, partim contemnentibus, & craſſe ignorare uolentibus. Veluti itaque per feneſtras perſpiciens & cancellos, uideri quidem aliquantulum potuit & audiri, agnoſci autem & ſuſcipi niſi à fidelibus & electis non potuit.

10 Reſpondet dilectus meus loquitur mihi, Surge, propera amica mea (*columba mea*) formoſa mea, & ueni,

11 iam enim hyems tranſijt, imber abijt, et receſſit.

12 Flores apparuerunt in terra (*noſtra*) tempus putationis aduenit: & uox turturis audita eſt in terra noſtra,

13 ficus protulit groſſos ſuos, uineæ florentes dederunt odorem (*ſuum.*) Surge amica mea, ſpecioſa mea, & ueni.

Adhortatio ſponſi ad ſponſam.

Sic ſponſus fidelium, ſpiritus Chriſti loquitur electis toto orbe terrarum diſperſis, Surge per fidem uerbi dei, quæ ſummopere mihi chara es, anima eccleſiaſtica, ueni & acquieſce uocanti, uetus error iam abijt, nubiloſum ac ſordidum tempus horridumq; iam finitum eſt et tranſactum, ubi omnia plena fuerant idololatria multiplici, et ignorantia bonitatis diuinæ ac incuria beneplaciti, beneficiorumq; eius. Appetijt nunc tempus melioris ſpei, cũ ſalubris & iucunda aura diuini fauoris, perflatu ſuo corda paſſim electorum imbuit per uerbum dei è cœlo miſſum, ad fidei ac fiduciæ in dei bonitatem ad totum humanum genus, floritionẽ, et ſpem ſaluberrimorũ fructuum. Iam nunc tempus pœnitentiæ & reſipiſcentiæ, qua conſcientiæ præparantur ad ſanctiora ſtudia, & ueræ pietatis opera producenda, ad reſecandas cõcupiſcentias ſenſuum carnalium, ad diſciplinas morum ſuſcipiendas. Iam uox turturis auditur in terra, ſigna felicißimæ æſtatis, ac omnium fructuũ exuberantiæ ſpiritalis, & pleni gaudij in conſcientia fidelium, reſonantia euangelici ſolatij conſolationisq; incumbit, & fructuum ſanctitatis tempus appropinquat. Ficus protrudit & affingere incipit groſſos ſuos, & uites florere incipiunt, ſigna omnia diuitis autumni conſpiciuntur, & affluentißimæ charitatis, & ueræ ſanctimoniæ ſuauitatis ac gratiæ eccleſiæq; profectuũ certa ſigna nunc conſtant, ut in unitatẽ eccleſiaſticam, & ad amoris diuini ad genus humanum agnitionem, accedat & ingrediatur tota uocatarũ gentium & electarum animarum multitudo.

14 ¶Columba mea in foraminibus petræ, in cauerna maceriæ, oſtende mihi faciem tuã, ſonet uox tua (*in auribus meis:*) uox enim tua dulcis, & facies tua decora.

Fiducia operum.

Aduocatur à ſponſo Chriſto eccleſia ſponſa, ut progrediatur de latibulis petrarum & tutioribus æditioribuſq; locis, quibus pro conſcientiæ ſuæ terrore uerecundiaq; ſeſe abſconderat ad uocationem ſponſi, non auſa progredi, & in iudicium ingredi, agnoſcens nigredinẽ ſuam, nihil enim fiduciæ reperit in operibus ſuis ac meritis, qua obuiare ſpõſo audeat, niſi benigniſſime per uerbum dei conſolata et aduocata. Eatenus ut non ſolum remiſſio peccatorum priſtinorũ promittatur, ſed à pulchritudinis & gratiæ laudibus cõmendatur, quo fiat audentior ad accedendum, & ſeſe ſponſo permittendũ ac iungendum. Agnoſcit enim dominus faciem ſponſæ, ueluti ſororis acceptiſſimam. Ad Chriſti enim imaginẽ ac ſimilitudinem ſponſa fidelis formata eſt & creata, quam nõ poßit ſponſus non uehementer amare, etiam ſi fuſca ſit, ob ſolis calorem facta, ſponſum tandiu expectando. Sed uox confeßionis dulciſſima eſt, ſiue peccatum agnoſcat ac fateatur anima, ſiue ſui amorẽ precetur, et ſponſi laudes ex animo celebret.

15 Capite nobis uulpes, uulpes paruulas quæ demoliuntur uineas, nam uinea noſtra floruit.

Vulpeculæ in eccleſia.

Statim ut uineam ſuam ſponſus fidelium eccleſiam floridam lætam ac feraciſſimam unquam parare cœpit cultura uerbi ſui, & prophetarũ, apoſtolorum, piorumq; uinitorum opera, ſemper uulpeculæ clanculo doloſeq; ſub intrant, uerſutia ſua hæretica & falſa doctrina demoliri incipientes: quas in initijs ſemper capere, ueluti per inſidias oportet, & conuincere manifeſtis ſcripturæ locis, illorum uafriciem confundendo, ne dum in flore ſit uinea & gracilis, faſcinetur & detrimentum patiatur, dum proficere debet, & fructum parare pietatis. Non enim hæ uulpes adoriuntur iam profectas in pietate eccleſias, ſed iam primum incipientes fœcundæ uindemiæ muſtũ ꝓmittere: nec nondũ florentes impetunt & ſqualidas, ſed iam fructui ferendo adaptatas ac ꝓpinquantes.

16 Dilectus meus mihi, & ego illi, qui paſcitur inter lilia,

17 donec aſpiret dies, & inclinentur umbræ. Reuertere: ſimilis eſto dilecte mi capreæ, hinnuloq; ceruorũ ſuper montes Bether.

Vicißitudo amoris.

Per uerbum domini uocata, & ſponſo iam coniuncta orat, ut ſicut ſibi ſponſus gratioſe coniunctus eſt, & ſe amplectitur, ſic ipſa uiciſſim illi digne commorari poſſit, & ſpiritus deuotione, uelut inter lilia & roſas conſolationum ſanctarũ, perpetuo perfrui: donec illuceſcat clariſſima dies, & meridianus fulgor beneplaciti diuini, ut fugiat omnis umbra & obſtaculum ueritatis, ut omnes uno humero dominum ſciant, à minimo uſq; ad maximum, ſine timore iniquitatis et errorũ repullulantiũ. Magnum quidem eſt quod petitur, & certo complendũ ſcitur, ueruntamen oratio interponitur ſponſæ, ut nulla ratione tãta illi felicitas auferatur, dicẽs: Redeas ô ſponſe amantiſſime, factoq; & opera te nobis præſta iucundiſſimam damulam acutiſſime aſpicientem noſtros defectus & caſus, ut noſtras miſerias clementer aſpicias: & inſuper uelut elegantiſſimus hinnulus ceruorum, antiquum nobis inſidiantem ſerpentem protrahas de loco inſidiarum, & ſpiritu oris tui occidas, & uincas hoſtẽ noſtrũ, amator hominũ, & fidelium animarũ, propter montes diuiſionis, non ob noſtra merita, ſed propter promiſſiones patribus factas, quos elegeras quidẽ ex gentibus,

& diuiseras lege & ceremonijs à cæteris, spe tamen certa iussisti expectare omnium salutem ac benedictionem, per Christum dominum promissum toti mundo.

¶ CAPVT III.

1 IN lectulo meo per noctes quęsiui quem diligit anima mea: quæsiui illum, & non inueni.

2 Surgam, & circumibo ciuitatẽ: per uicos & plateas quæram quem diligit anima mea: quæsiui illum, & non inueni.

Carmen aliud. Verba sponsæ. Consternata ego conscientia peccatorum, & nocte aduersitatum laborans, in proprio meo cubili & lectulo, fiducia propriarum uirium & meritorum, quæsiui sponsi mei amorem & gratiam: arbitrabar enim legis operibus mihi deuinxisse salutem, ac beatitudinis spem. Ibi cum illum sedulo quæsiuissem, non inueni. Non enim meritorius est amor suus, Amor liberalis. *& debitus operibus, cum sit liberalis & ex gratia. Surrexi ergo, adnisusq; sum quærere eum extra me, cœpiq; perlustrare sedulo urbem per uicos & plateas, saluatorem & sponsum meum scopum beatitudinis meæ quæsiui apud reliquas gentium religiones & ritus, in doctrinis philosophorum, inquisiui & discere tentaui, ex creaturarum operibus & exemplis, naturali ratione mea, fẽlicitatem animæ meæ & perfectum gaudium uel amorẽ: sæpe laboraui & multum hoc studio, sed inaniter, quia non inueni quod cupiebam.*

3 Inuenerũt me uigiles, qui custodiũt ciuitatẽ, Num quẽ diligit anima mea, uidistis?

Vigiles in ecclesia. *Vigiles interim incidi & excubitores, patrum traditiones, reuelationes, & studia humana consului, si clare alicubi & certò salutem ostenderent, & sponsi mei gratiosam præsentiam indicarent, ubi illum perfecte cõplecti, & syncere cõsolari possem: sed iussa sum præterire.*

4 Paululum cum pertransissem eos, inueni quem diligit anima mea. Tenui eũ, nec dimittam, donec introducã illum in domũ matris meę, & in cubiculũ genitricis meæ.

Sacrarum literarum sacrosanctum studium. *Cum illorum humana uerba & studia præteriissem, certiora quæsiturus salutis uestigia, & conscientiæ pacem, nondum repertam, pignusq; beatitudinis, omnibus neglectis creaturis ac doctoribus, adhuc perrexi inquirere anxius: inueniq; in ipsis sacris literis, & instinctu diuini spiritus, qui se nõ gratis quæri sinit, eũ quem unice diligo, sensum pietatis & solidæ ueritatis. Is enim solus diuinus spiritus est, qui auaritiam studiosæ mentis satiat, qui in omnem ueritatem inducit discipulos uerbi dei. Hic me contigit nedum intellectu erudiri, sed & inflammari affectum, sine omni cunctatione discernere nothum à legitimo dogmate, conscientiæ pacem sentire & capere. Quicquid enim uspiam est solatij & doctrinæ, fallax est, donec ad fontem uerbi dei, ad aquas uiuas diuini spiritus peruenitur. Sola uerbi dei fides & eruditio, spiritalis lectulus sunt, ubi sponsus recumbens inuenitur à sponso. Hic animæ sponsus arripiendus est auide, & minime negligenter tenendus, sed plena fide complectendus est, & inducendus in domum matris filiorum multorum lætantis. Non enim salutis pignus & doctrinam pietatis adeptus cessare debet, donec à sponso acceptã salutem, confratribus quoque & proxime sibi iunctis fidelibus ecclesijs impartiatur. Non uult enim solitudines sponsus, unus ut omnibus sufficit, sic uult omniũ amore constringi, fructum salutis & spiritualis gaudij, gratiarumq; exuberantiam uult participari ab omnibus. Introducitur autẽ sponsus ad genitricis cubiculum à sponsa, cum uel ecclesia gentium, prædicat conuertendis Israëlitis suum Messiam, ut denuo recipiant, quem olim cum tempore uisitationis uenisset non receperunt, sed ad gentes ire compulerunt. Vel anima fidelis & studiosi doctoris, sensum spiritus ex scripturis perceptum, ecclesiæ toti alicui proponit, & clare credendum persuadet.*

5 Adiuro uos filiæ Ierusalẽ per capreas, ceruosq; camporũ, ne suscitetis, neq; euigilare faciatis dilectã (amorem) donec (ipsa) uelit.

Gratia spõsi unde sit. *Iterum ostendit hanc gratiam inueniendæ salutis, & Christi domini salubriter agnoscendi & cõplectendi, nõ humano studio comparari, non dari semper & omnibus, sed dum & cui quantumq; ipse amator hominum uoluerit. Quandoquidẽ omnium hominũ quamũlibet sanctorum studia, hanc reuelandæ ueritatis & doctrinæ gratiã non assequuntur, nisi domino largiente, ipso uolente & ordinante, non humana libertate.*

6 Quæ est ista quæ ascẽdit per desertũ, sicut uirgula fumi ex aromatibus myrrhæ, & thuris (&) uniuersi pulueris pigmentarij?

Ascẽsus de Aegypto. *Carmen de ecclesia Israëlitica, quàm admirabili gratia & beneficio dei, fideles & electi patriarcharũ filij, duodecim tribus Israël, ab Aegyptiorũ seruitute miraculose liberati ascenderunt de desertis per quadraginta duas mansiones, ueluti fumus ad modum palmarũ eleuatus in altum, omnibus è longinquo spectabilis & admirandus, ueluti aromaticus suffitus è myrrha thureq; iucundissimo odore, uniuersas circũiacentiũ terrarũ gentes respergens, & fragrantia replens, diuinã tam omnipotentiam quàm ad Israëlẽ clementiam, tot miraculis ac beneficijs manifestans, ut clarior dei præsentia, & patrũ fides ac merita, nunquã apparuerint. Quàm uerè autem hoc de ecclesia ex gentibus cõgregata intelligi possit nemo non uidet, quæ uerbo dei declarata & collecta est, et sanctæ famæ odoribus celebrata est ad fines terræ.*

7 En lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt ex fortissimis Israel,

8 omnes tenẽtes gladios, & ad bella doctissimi: uniuscuiusq; ensis super femur suum propter timores nocturnos.

Ecclesia tũ tus & noua eadem. *Ad eandẽ sonat ecclesiam unicã, ueterem tamen ac nouam ecclesiã dei, in qua per fidẽ & dilectionẽ Christus quiescit, deliciatur, & amoris signa nunq; non ostentat, illã semper à dæmonibus impijs et mundanis infestatã, et insidias perferentẽ, infinitis bonorũ spirituũ legionibus protegit, uindicat, & cõfirmat, prophetisq; pro tẽpore missis instruit, commonefacit, & renouat, instructi omnigenis armis, & ad fidelium tutelam instructissimi, tam interdiu à meridiano dæmonio, quàm noctu à negotio in*

tenebris obambulante defendendo electos.

9 Ferculum fecit sibi rex Salomon de lignis Libani.

10 Columnas eius fecit argenteas, reclinatorium aureum, ascensum purpureũ media charitate constrauit ptopter filias Ierusalẽ.

Tam superior sententia quàm hæc de arca domini intelligi potest, quã sponsus ecclesiæ dominus sibi fieri iussit ex pretiosis lignis, et de templo à Salomone extructo.

Ecclesiæ ornatus. *Dignius aũt & certius de ecclesia uniuersa fideliũ, cuius tantus est ornatus, talis pretiositas apud deum, ut pretiosissimis materijs thalamorum præferatur. Cõstat enim altissimis arboribus Libani, insignibus ecclesiarũ præsidibus & doctoribus, argento claro doctrinæ illustribus, auro charitatis et zeli sancti coruscantibus, purpureo colore propter martyria spiritus & carnis ornatis, & multarum uirtutum pulchritudine redimitis, ut fidelium cæterorum animi tam admirentur, quàm glorificare cogantur gloriam dei in sanctis suis.*

11 Egredimini & uidete filiæ Sion, regẽ Salomonem in diademate: quo coronauit illum mater sua in die desponsationis illius, & in die lætitiæ cordis eius.

Coronatus sponsus. *O uos filiæ Zion, quotquot ex gentibus uerba uitæ per Christũ et apostolos suscepistis, speculandũ et credendũ, prodite de uanitatũ uestrarũ erroribus, contemplamini sacris edocti literis, & unctionibus, regẽ pacificũ, qui fecit utraq; unũ, inimicitias soluens in cruce, tam dei ad homines, quàm Iudæorũ ad gentes, uidete coronatum corona deitatis benedictã humanitatẽ. Quàm infinita dei ad homines charitas, qua filiũ suũ dedit in carnẽ, ut omnis qui credit in illũ non pereat, sed uitã æternam habeat, in die quo iudicaturus est uiuos & mortuos, uel quo humanitas ipsius clarificata est, tertia resurrectionis die, post triumphatũ hostem fideliũ omnium. Mater enim Christi præter beatissimã uirginẽ, quæ carnis trabea solem iustitiæ induit, & carne deũ uelauit, etiam charitas dici potest inæstimabilis dei: sic & spiritus sanctus ob adumbrationem pater dici similiter potest suo non incõmodo sensu: sicut & ecclesia Lectica dicitur & ferculum.*

¶ CAPVT IIII.

1 Vàm pulchra es amica mea, q̃ pulchra es. Oculi tui colũbarũ, absque eo quod intrinsecus latet (*præter comam tuam*) Capilli tui sicut greges caprarum, quæ ascenderunt (*detonsæ sunt*) de monte Galaad.

2 Dentes tui, sicut greges tonsarum, quæ ascenderunt de lauacro, omnes gemellis fœtibus, & sterilis non est inter eas.

3 Sicut uitta coccinea labia tua, & eloquiũ tuum dulce. Sicut fragmen mali punici, ita genæ tuæ, absq; eo quod intrinsecus latet.

4 Sicut turris Dauid collum tuum, quę ædificata est cum propugnaculis: mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium.

5 Duo ubera tua, sicut duo hinnuli capreæ gemelli, qui pascuntur in liliȝs.

Ecclesiæ ornatus. *Sponsus cõmendat dilectã, à membrorũ elegantia, per totũ corpus intra & extra, ab imo & superne, oia prædicat speciosa esse, quia scilicet sibi omnia placeãt: oculi simplices sint et ꝓspicabiles ut colũbarũ: capillitiũ copiosum, prolixum, et egregio colore redimitũ, ut caprarum est in cõmodissimo loco nutritarũ: dentes albi, æquales: labia rubicunda & disertæ: genæ gratiosæ per omnia: collum bene fundatũ, procerum & ornatum clinodijs: ubera succosa de optimo lacte, & pulchra. Istis sponsus utitur ad ecclesiæ fideliũ laudes, quibus fiduciam præstat, nihilo dubitandi de gratia sponsi ad se, quam tantopere illi placere non ignorat. Placet illi simplicitas oculorũ, syncerum & integrũ iudicium, clara uisio ac interpretatio uerbi dei, & operũ diuinorum, ad gloriam dei, & profectum fideliũ omnia intelligendo: innumerabilis multitudo fideliũ Christo capiti adhæremium, & gratia illius accipientiũ gratiã pro gratia, ornamentũ præstantia & decus, fiducia & fide pendentiũ ex ipso totaliter. Deinde mira fœcunditas est animarũ sanctarũ in ecclesia, ubi nulla est nedũ sterilis, sed quæ non gemellos fœtus producat, fidei et morum, non contenta sibi uiuere, sed & alijs ꝓficere, zelo charitatis. Sed & Labia duo gratissimo eloquio exornata, ad uerbũ ueritatis prædicandũ cum feruore zeli, & fide, nesciens mentiri, & mendaces conuincere potens & audens. Genas uerecundiæ gratiosæ, qua semper humiliter de se sensit, & ueretur sponsi indignationẽ per omnia et super oia, ut et foris nõ alia appareat unquam sponsa, quàm se nouit interius, in syncerę fidei conscientia. Collũ uelut optime fundata turris, iustæ altitudinis, ornata clypeis fortitudiniũ, quid aliud in sponsa est quàm cõstantia & fortitudo, fiduciaq; contra omnia aduersa? Exemplis fortissimorũ heroũ, indies semper ornata, quam aspicientes, nõ tantum laudent, sed & æque fortia tentent in eo qui confortat animas sanctas. Tandẽ nolens cingulũ transgredi, hac uice, ubera bina agnoscit & laudat, ueteris & noui testamenti doctrinã, uel Vrim atq; Thummim, sacram eruditionẽ, & integritatẽ perfectionemq; in uotis, amorẽ speciosæ & timorẽ testantia: quibus in rerũ omniũ natura nihil est dulcius, amabilius, utilius, quibus nutriuntur capellæ & agni, ueluti inter lilia pasti, ambrosia ac nectar inebriati & recreati.*

6 donec aspiret dies, & inclinentur umbrę, Vadã ad montẽ myrrhę, & ad collẽ thuris.

7 Tota pulchra es amica mea, & macula nõ est in te.

Oratio pro ecclesia. *Orat propheticus spiritus in Salomone, ut illi tam gratissimæ sponsæ dei, quæ tũc erat Israëlitarũ ecclesia, nunquã contingat malũ, de quo oẽs pij plurimũ solicite timebant, cessatio scilicet à legitimo cultu sacrificiorum, incensuum, oblationũ, holocaustorum, festorũ, secundum legẽ domini à Mose institutorũ. Sed utcunq; peccaretur in alijs, non tamen ueri dei Israël agnitio, fides, metus, honor, & cultus, aliquatenus intercideret, in templo domini, sito in monte Moria, donec adspiraret dies solis iustitiæ, lux Euangelicæ doctrinæ prodiret, exiertque de monte Sion uerbum domini, in omnem terram, & in fines or-*

nes orbis terræ, cõfluentibus ex toto mundo gentibus ad hauriendum de monte Sion aquas salutis & uitæ, de fonte saluatoris, cessarentq; præ lucis claritate maxima & meridiana tenebræ quæcunq; errorum & hæresum, & umbræ futurorum, antiquato ritu uetere carnali, carnalibus necessario dato, succedente uerò nouo spirituali & uero, semperq; duraturo. Tunc enim tota erit, & orbe toto aurea sponsa, admirabili decore illustranda uidebitur, tota amabilis & sine macula. Nihil enim ei adhærebit turpitudinis tantæ uel rugarum, ob quam unquã repudiãda sit, uel aliquatenus ab amore sponsi uel minimũ negligenda.

Tota pulchra ecclesia quando.

8 ¶Veni de Libano sponsa, ueni de Libano, ueni coronaberis de capite Amana, de uertice Sanir, & Hermon, de cubilibus leonum, de montibus pardorum.

Sponsus ad amicam. Aliud carmen. De quatuor orbis partibus signatis per quatuor montes terræ Israëlticæ, significatur hic uocatio ecclesiæ gentium ad Christum sponsum, ut nõ habitet ultra cum leonibus et parãs, sed ex illorum liberetur potentia, ut nec ferocitate tyrannorum discerpatur in corpore, nec uarietate errorũ et hæresum distrahatur in fide, sed ex omnibus nationibus linguis & regnis congregentur electi in unam ecclesiã catholicam electorum. Quasi uelit dicere: Hæc mea sponsa tota pulchra & grata, nõ sola est ueniens de monte Moria thuris, sed & de alijs, Libano scilicet & Antilibano, de Amana, Hermon, & Sanir: quin & de orientalibus et occidentalibus monarchiarũ tyrannis ad me colligetur ecclesia, amanda à sponso, non uulgari dilectione, sed ad moriendum impellente pro ea, ideo sequitur.

Ecclesiæ cõuocatio.

9 Vulnerasti cor meum soror mea sponsa, uulnerasti cor meum in uno oculorũ tuorum, & in uno crine colli tui.

10 Quàm pulchræ sunt mammæ tuæ soror mea sponsa: pulchriora sunt ubera tua uino, & odor unguentorum tuorum super omnia aromata.

Oculi sponsæ.

Deuinxisti tibi cor meum, ô ecclesia, ut non possim non te amare, propter unum ex oculis tuis, & unã torquem colli tui. Iudæi exponunt regnũ Iuda, & Eliam prophetam. Moses cõmodius & Dauid dici possent. Sed ut uidetur melius, fides et obedientia sunt ecclesiæ, quæ domino placent. Alter oculus ratio sine fide nõ placet. Incipit autem alio carmine laudare sponsam ex membris noïe amatæ fœminæ, ideo de uberibus post oculos canit, Quàm uenustæ sunt mammæ tuæ, ô soror mea ac sponsa, lex scilicet & gratia, uetus testamentum & nouum, unde ecclesiæ filijs proferũtur uetera ac noua, per Mosen & Christum, quorum uiuifico odore & succu, supra quàm dici potest reficiũtur electi, supra oĩa unguentorũ aromata.

11 Fauus distillãs labia tua sponsa, mel & lac sub lingua tua: & odor uestimentorũ tuorum, sicut odor thuris.

Doctrina pietatis.

De labijs cantat, quia confessio fidei, laudum, & peccatorum, in ecclesia stillant domino ueluti suauissimum fauum. Doctrinam deniq; pietatis & gratiæ sine intermissione eloquitur, consolationesq; conscientiæ quietæ in præsenti, & beatitudinis æternæ promissiones. Iterum cessans descẽdere, à nulla corporali libidine sponsam laudat, sed tantum ab honestate formæ dignissimæ, & pectoris fidissimi ad sponsum, & ad filios nutriendum. Pergit autem ad redolescentiam uestis, non ad pretium uel formam. Totus enim habitus & decor ecclesiæ, quid aliud est, & quid sponso magis placere potest, quàm odor ueri diuini cultus? qui aliud nõ est, quàm omnium uirtutũ decor & ornatus, quo tegitur naturæ humanæ fragilitas et peccatum, non quidẽ natura cõparatus, sed à sponso acceptus. Non enim domino placet nisi proprium opus, nulla uirtus, nisi spiritu sancto donata.

12 Hortus conclusus soror mea sponsa, hortus conclusus, fons signatus.

Fœcũditas ecclesiæ.

Sponsus alio carmine cõmendat sponsam similitudine horti, qui ut feliciter germinare pretiosas herbas, arbores, aromata possit, & fructus quoscunq;, qui & clauda tur sepi ut ferarum porcorum & perfidorum aditus cohibeatur, denique fonte saluberrimo irrigetur, cuius aquæ nulla uenenata admixtione polluantur & fascinentur, ideoq; sit diligẽter custoditus, sicut et fons Rebeccæ uel Eliezer in Haran: sic nec ecclesiæ fœcunditas quicq; profert, nisi prouidentiæ diuinæ custodia protegatur, & nisi uiuæ fontis irriguo fœcundetur, spiritu sancto obumbrata & fota.

13 Emissiones tuæ paradisus malorum punicorum cum pomorum fructibus. Cypri cum nardo,

14 nardus & crocus, fistula, & cinnamomũ cũ uniuersis lignis Libani, myrrha & aloe cum omnibus primis aromatibus.

Virtutes sponsæ.

Hic hortus irriguus & à sponso curatus, pretiosissima profert plantaria, ueluti paradisus deliciarũ dei, mala punica, poma dulcia, cyperos, nardũ, crocum, fistulã, cinnamomũ, & fructus uarios & optimos, ueluti arbores quæ sunt in Libano myrrham, aloes et præcipua aromata omnia. Quibus aliud non notatur, q̃ opera sancta omniũ uirtutum, quæ ductu diuini spiritus in ecclesia germinãt, & fructum de bona terra centuplum producunt.

15 Fons hortorum: puteus aquarum uiuentium, quæ fluunt impetu de Libano.

Videtur esse hæc sententia quasi exclamatio quædam sponsæ, laudes sponsi interrumpentis, & omne bonum suum quod germinare uidetur, non sibi, sed sponso acceptum referre, dicens: Tu es, ô dulcissime sponse, causa omnium bonorum meorum, tu fons uitæ perennis, tua irrigatione uiuifica horti omnes fœcundantur. Puteus es enim omnium gratiarum, à quo omne bonum desursum proficiscitur, unde profluunt aquæ salutares, ueluti de Libano, ad ecclesiæ uniuersæ pomaria paradisusq; fructificandas.

16 Surge aquilo, & ueni auster, perfla hortũ meum, & fluent aromata illius. Veniat dilectus meus in hortũ suum, & comedat fructum pomorum suorum.

Inuocat sponsa spiritum sanctum, cuius adflatu propi-

tio, tam in prosperis quàm aduersis, nouellæ plãtationes
Spiritus ecclesiæ. crescant, floreant et fructus proferant dignos spõso suo, quibus recreetur, uescatur, fruatur, ueluti colonus diligens de peculio suo. Deniq; uento hoc flante, defluant ab arboribus aromata, matureſcantq; delicatißimi fructus, digni quibus sponsus ecclesiæ uescatur & quos approbet. Cupit in summa se sponso suo fidei fructibus commendari, quos sine illius fauore producere non poßit. Inepta distinctio est, sunt enim adhuc uerba sponsæ ex deuotione promittentis sponso suum quoque hortum, suas delicias promittentis, ut dictum est, quantumlibet sponsi aquis irrigatum.

CAPVT V.

1 VEni in hortum meũ, soror mea sponsa, messui myrrham meam cũ aromatibus meis: comedi fauum meum cum melle meo, bibi uinum meũ cum lacte meo: comedite amici, & bibite, & inebriamini chariſſimi.

Sic nunc sponsus animarum Christus ad cœlos ascendens loquitur sponsæ ecclesiæ. Ingreßus sum iuxta carRegnum sponsi. nis dispensationem in meum hortum, in regnum patris, quod mihi dedit, & amicis meis: in quo cum electis ad mensam sedebo, & genimina uitis ambrosianæ & nectareæ edam ac bibã. Ibi collectam myrrham proponam tibi cum aromatibus meis, omnium bonorum meorũ participem te reddam, inæstimabilibus te bonis reficiã. Comedi quidem fauũ beatitudinis, pro felle acerbißimæ pro te passæ mortis, & melle delicatißimo nũc fruor gloriæ dei patris, ad cuius sedeo dexteram, illic bibo uinum iucunditatis infinitæ, & uescor adipe omnium deliciarũ. Venite ergo benedicti patris mei, in regnum paratum uobis, meis meritis, à patre meo, ibi in æternũ mecum felices eritis, beatitudini meæ congratulabimini, & ego uitam æternam dabo uobis, omnium bonorum copia perfectam. Eam dabo solis amicis meis, et omnibus chariſßimis meis ministris, quibus promisi futuros esse mecum, in regno assessores, & cohæredes omnũ bonorũ patris mei.

2 ¶ Ego dormio, & cor meũ uigilat: uox dilecti mei pulsantis, Aperi mihi soror mea, amica mea, colũba mea, immaculata mea, quia caput meum plenum est rore & cincinni mei guttis noctium.

Sponsæ uerba in nouo carmine. Contigit me ecclesiã luSomnus ecclesiæ & uigilia. dæorũ & gentiũ suo tempore dormire, hoc est uacare à uerbo dei, sponsi mei nõ meminiſci, curis tẽporalibus, uel sapientia mundana distractã. Nunquã tamẽ defuit mihi cœtus non paruus sed principalis pijßimorũ hominũ electorum & prædestinatorũ ad gratiam & gloriã, qui & cor meũ dicitur, dum minimus uideretur, tamen iudicio dei septẽ millia à diuina clementia numeratus est, hoc tali corde meo uigilaui semper, quantumlibet sopore tenerer. Non destitit ab ecclesia amor sponsi, sed stertentẽ felici uerbo suo aliquando pulsauit fores conscientiæ meæ, clamans, Aperi mihi, ô mea per spiritũ soror, per charitatem amica, per simplicitatẽ columba, per fidem perfecta mea. Vtq; serio me uocari intelligerẽ, & nihil cũctarer, sed ocyßime occurrerẽ, queritur me iam diu expectaſſe, nimiũ diu me dormiſſe, tardius exaudiſſe uocantẽ, donec ad ostium stans & pulsans, rore oppletũ sit caput illius. Longe enim prõptior deus est ad miserandũ fidelibus, q̃ sint ipſi ad petendũ. Extremitates & cincinnos capillorum guttis noctiũ plenos affirmat. Nimium diu sæpe dñs expectauit resipiscentiã Israëlitarũ & Christianorũ, cũ præter principale cordis, quod sunt pijßimi quiq;, omnis & tota reliqua ecclesia sopore grauata obdormiſſet.

3 Expoliaui mẽ tunica mea, quomodo induar illa? laui pedes meos, quomodo inquinabo illos?

Mecum hæc audiens statim cogitaui, nudata iacens omnibus ornamentis, nullorũ bonorum operũ mihi conscia, quo pacto uocata me potero ilico reuestire, iam abluta pedes lectulo dormitura, quomodo eos currens iterũ inquinabo, si occurrere illi & suscipere cogar? Reuera enim sine uerbo dei anima fidelis nudam se fatebitur, & ineptam sanctificationi necessariæ ad sponsi amplexum.

4 Dilectus meus misit manũ suam per foramen, & uẽter meus intremuit ad tactũ eius.

Dum de sua insufficentia & impuritate solicita anxiatur se indignam occursu, sponsus gratioſus & amore propensior, ad amicam manum inserit per foramen, & conscientiam tangit spiritus sancti instinctu, statimq; ad uentris contactum perturbatur, concutitur, & commouetur totus animus, amor inardescit sponsi, & impatienti amore flagrat ad sponsum. Nõ potest ecclesia sese conuertere ad amplexus sponsi, etiam desyderandos, donec à gratia præueniente contingitur.

5 Surrexi, ut aperirem dilecto meo: manus meę stillauerunt myrrhã, & digiti mei (pleni sunt) myrrha probatiſſima ad cardines peſſuli (ostij mei.)

6 Aperui ego dilecto meo: at ille declinauerat, atq; trãsierat. Anima mea liquefacta est, ut dilectus locutus est, quæsiui & nõ inueni illũ: uocaui eum, & non respondit mihi.

Surrexit sæpe ecclesia sub Samuele, sub Ioſaphat, sub Ecclesia ut & quando surgit. Ezechia, Ioſia, Esdra, Neemia, deniq; in Niceno consilio sub imperatoribus, reformationẽ fidei ac morum aggrediendo, de torpore neglecti cultus dei resipiscendo, sponsum redeuntem ac uocantem suscipiendo, nouas ordinationes & instituta multiplicia, sed sine uerbo dei assumendo. Sed quia manibus plenis ambabus myrrham arripiendo omnes ecclesiæ personæ sponsum ungere uolunt, & unguentis suorum bonorum operum ei occurrunt, à quo ipsi potius ungendi erant, quaſi proprijs se meritis sponso commendare uolentes, ideo occupati suis operibus, tardatiq; amittunt sponsum, interim abeuntem, nec dignos arbitratur à quibus ipse suscipiatur. Myrrha autem transiens dicitur, unguentum cõmuni æstimatione iudicatum bonum & dignum, tam ad uendendum quàm emendum, sic & pecunia transiens, dicitur numiſma probatũ. Ecclesia ergo sponso occurrens externis actionibus, neglecta uera eruditione spiritus, fide et studio uerbi dei, sponsum non meretur attingere, qui spiritus est, et spiritu sibi uult seruiri. Negligit autem & aspernatur, quicquid

quicquid præter suum uerbum tentatũ uiderit, ideo uertisse se sponsum & transisse conqueritur sponsa, dum ipsa illi manibus plenis myrrha occurrit, merita offerendo ei, cuius solius gratia electa erat atq; saluãda. Quod ubi comperit abiisse sponsum, & myrrham spreuisse, uel non acceptasse, attonita facta est sponsa, & ad uocationem sponsi non se uel nudam occurrisse, indoluit uehementer intempestiuam diligentiã suam, qua contigit amisisse sponsum. Cogitur ergo absentem quærere foras, externis demereri ceremonijs & traditionibus humanis, nunc hic nunc alibi illius gratiam, peregrinationibus scilicet & ieiunijs, ciborum, temporum, uestium, ordinumq; uariorum meritis quærere & assequi, sed inaniter omnia. Quin & uocaui, inquit, eum, sed non respondit mihi. An non toties sponsus uocatus uidetur, tot à Salomone, Ezechia, Neemia, subornatis cantoribus, sacrificulis, tot denique in ecclesiasticis ordinibus cantionibus, subinde nouis suffragijs, hymnis & festis institutis atque cantoribus, quando semper in deterius prolabebatur interim tam pietas quàm fides, & uera secundum uerbum dei deuotio sacrosanctáq; religio, de qua Iacobus apostolus. Non ergo respondit sponsus, sed secessit longius, donec & prophetæ cessarint, & uerbi dei seduli tractatores, sponsi amici cum spõso, ut ferè aufugisse sponsus & perditus ueluti crederetur, cõscientiarum solatio nusquã inuento, quæ solo uerbo dei paratur & spiritu sancto, in sola Christi gratia obtinetur.

Intempestiua sponsa.

7 Inuenerũt me custodes qui circũeunt ciuitatẽ: percusserũt me, & uulnerauerũt me, tulerunt palliũ meũ mihi custodes murorũ.

Dum sic ecclesia sponsum quærit, passim in externis anxia & fugientem, inuenĩt eam custodes urbis & murorum, qui noctu circumeunt speculatores, superintendentes, certe solo nomine episcopi & summi sacerdotes: hi tantum abest ut sponsum indicent, ut conscientiam anxiam uitæ uerbo consolentur, & sponsi gratiam prædicent, sed eam potius ecclesiæ sponsam percutiunt, ueluti serui improbi in absentia domini sui commendatã familiam importabilibus traditionibus adigendo ad desperationem, uulnerando conscientias mandatis grauissimis & innumeris hominum, ut & pallium detraxerint fragilitatis, ignominiæ, sordiumq; tegumentum. Viderunt ecclesiæ nuditatem ante Christum gentes, Israëlem propter peccata in exilium trahentes, & post Christum tot populi, regna & imperia ab ecclesia deficientes ob scandala ecclesiasticorum, ob dissidia, odia, excommunicationes, disputationes, honores, & exactiones miris modis, tot articulorũ minime probabiliũ obtrusiones, cõscientijs sanctorum, & ad scandalum externorum. Quis enim nesciat quantũ scandalum Iudæis et Turcis fuerint multa in ecclesia dogmata? de quibus nũc quoq; nos erubescimus, diuorum cultus, imaginum prostationes, indulgentiarum pro pecunia largitiones ad animas de purgatorio eruendas quantum pecunia adiuuisset, idq; totum à leuissimis personis, & mille talia, ut merito ecclesia ornatu suo & pallio honoris nudatam se queratur, à custodibus ciuitatis percussam ac sauciam.

Custodes ecclesiæ quales.

8 Adiuro uos filiæ Ierusalẽ, si inueneritis dilectũ meũ, ut nũtietis ei qa amore langueo.

Sponsa lapsa è manibus custodum, festinat ad filias Ierusalem, petens ut ipsæ sponsum quærant, & illi renuntient, nihil aliud q̃ q, præ amore sponsi langueſcat. Sic igitur nuda ecclesia ornatu suo, sacras nymphas Hierosolymitanas, hoc est, sacrosanctas scripturas, oracula non Delphica, sed Solima. De Sion enim exibit lex, & uerbum dñi de Ierusalẽ. Digne igitur ex scripturis percunctatur sponsi gratiam, & illic quærit solatiũ suum uera ecclesia, amorẽq; sponsi allegat solũ, pro merito et conciliando sponso, non externum aliquod, nõ pœnitentiæ dignæ myrrhã, sed fidutiã solã in spõsum, q̃ charitas est.

Nymphæ Sioniæ.

9 Qualis est dilectus tuus ex dilecto, ô pulcherrima mulierũ? Qualis est dilectus tuus ex dilecto, quia sic adiurasti nos?

Verba filiarum Ierusalem ad sponsum, cupientium plurimũ sponsam proficere in amore sponsi, ideoq; non ignorantes qualis sponsus sit, tamen quærunt ex ipsa audire testimonium perfectæ charitatis, ut laudes illius, & qualis spõsus sponsæ sit & habeatur clare testetur: quandoquidem tam opere illum desiderare uideatur, amatorem fidelium, à quibus uicißim quoq; uelit non uulgariter amari. Nihil est enim aliud uenustißimam esse sponsam, quàm maxime appretiari à sponso.

Profectus in amore Christi.

10 Dilectus meus candidus & rubicundus, electus (insignis) ex millibus.

11 Caput eius aurum optimũ. Comæ eius sicut elatæ palmarum, nigræ quasi coruus.

Verba sponsæ. Summatim dico qualis sponsus meus sit, Candidus est & rubicũdus, & ut dici consueuimus, lac & sanguis, id est, optima forma, colore, uigore, & eximius præ oĩbus filijs hominũ, electus ex infinitis millibus, non est qui illi ualeat comparari. Quod si sigillatim eius pulchritudinẽ audire uelitis, ô fideles filij prophetarum et sanctorũ progenies, Caput eius aurũ optimũ. Ecclesiæ caput Christus est, primogenitus omnis creaturæ, α & ω, finis legis & prophetarum, omni pretioso pretiosior. Cincinni capitis illius, patriarchæ, prophetæ, apostoli, & sancti dei homines, discriminati sunt, singuli singulis uirtutibus cõspicui, cõparatione aũt Christi capitis fusci et atri, sed tñ ex Christo pendent, ac illius gratia uirtuosi sunt, et oppositione colorũ tãto pulchriores.

Pulchritudo sponsi.

12 Oculi eius sicut columbæ super riuulos aquarum, quæ lacte sunt lotæ, & residentiuxta (fluenta) plenissima.

13 Genæ illius sicut areolæ aromatum consitæ à pigmentarijs. Labia eius lilia distillantia myrrham primam.

14 Manus illius tornatiles aureæ, plenę hiacinthis. Venter eius eburneus, distinctus sapphiris.

15 Crura illius columnæ marmoreæ, quæ fundatæ sunt super bases aureas. Species eius ut Libani, electus ut cedri.

Videntes, qui & prophetæ ac doctores, simplicitate columbina ornati sunt, & candore innocẽtiæ ueluti lac

Ecclesiæ membra.

conſpicui ſunt, nutrimenta ſimplicibus exhibentes. Genæ, hoc eſt, uerecundia & pudor pro infirmis, cum quibus infirmatur, optime fragrat & odore aromatico reficit bonitate dei & clementia. Labia, Chriſti doctrina, liliorũ inſtar fragrant iuſtitiã & ueritatẽ. Manus, Chriſti opera ſunt, ſalutis æternæ beneficia fidelibus præſtita omni tempore, gemmis uirtutũ & mirabiliũ operationũ ornatiſſimæ. Venter eius mũditia, caſtitas, ſanitas eſt & fomenta gratiarum. Crura ſunt fortitudo, perſeuerãtia, labor pro ſaluãdis. Baſes autem crurium pedes, ſunt infima membra Chriſti, etiam infantes. Omnia pariter in Chriſto aurea & pretioſiſſima in conſpectu dei, forma tota ſponſi mei, pulchritudinem præ ſe fert Libani ſpecioſiſſimi omnium montium, ſimulq; fructuoſi, & ueluti cedri altiſſimi rectiſſimiq; ſtatura eius: nihil enim tortum, nihil curuum & infructuoſum in Chriſto, ſed eminentiſſimæ ſanctitatis.

16 Guttur illius ſuauiſſimum, & totus deſiderabilis: talis eſt dilectus meus, & iſte eſt amicus meus filiæ Ieruſalem.

Correctio.

Quaſi inter enarrandum uirtutes ſponſi per correctionem ſupplet, quod oblita uidebatur Guttur ſponſi, quod nunc ſupplet, dicẽs, Guttur illius ſuauiſſimum atq; dulciſſimum: hoc eſt, non delectatur amaris, rigidis & acetoſis, non amat rixas, odia, rigorẽ, inuidiam, ſed amica, fidelia, uera, uirtuoſa. Et totus ipſe nihil aliud eſt q̃ deſideria, hoc eſt, ipſiſſima beatitudo, & quicquid deſiderari poteſt à fideli anima. Talis eſt ſponſus eccleſiæ unicæ unicus, talis eſt amicus ſponſæ, qui animam ſuam pro ſponſa poſuit, qui pro illius ſalute mortuus eſt, qui quos amauit in finem uſque dilexit, ô fideles animæ, & membra Chriſti electa.

17 Quò abiit dilectus tuus, ô pulcherrima mulierum? quò declinauit dilectus tuus, & quæremus eum tecum?

Continuatio eſt ad ſequens carmen, Quaſi amici ſponſi uel filiæ Ieruſalem: hoc eſt, inſigniter ſancti, & prophetali ſpiritu imbuti, zeloſiq; de optimo ſtatu ſponſi et ſponſæ, impenſe cupientes cõſolationem, profectum, pacem ac ſpirituale gaudiũ totius eccleſiæ, & gratiam dei copioſe effundi in mẽbra eccleſiæ: hi itaq; ſine intermiſſione orant, ut quicquid ob ſponſi non tam abſentiam q̃ diſſimulationẽ patitur eccleſia, deſertaq; uidetur, quantum ad cõmunem ſtatum, qui miſerabilis frequenter inuenitur & culpabilis, per gratiam dei citius reformetur, de integroq; concilietur ſponſus ſponſæ, ut mutuo gaudio beatificetur eccleſia, et dei omnipotentis gloria augeatur, quantum attinet ad beatos.

CAPVT VI.

1 DIlectus meus deſcendit in hortũ ſuum ad areolã aromatis, ut paſcatur in hortis, & lilia colligat.

Incarnatio ſponſi.

Verba ſponſæ, quaſi uolentis reſpondere quærentibus, ubi ſponſus ſit: ſed ad aliud reſpicit, curam ac inſtitutum ſponſi commendans, & dicit, Sponſus meus unigenitus dei filius, in unitatẽ perſonæ naturam humanam aſſumendo de cœlo deſcendit, de ſinu dei patris in hortũ ſuũ, in hunc mundũ, quẽ electis creauit, ornauit, cõmendauit, uelut paradiſum uoluptatis colendã, ut eradicatis ſpinis errorum & impietatum, areolas deformaret aratro uerbi ſui, in quibus inſerta aromata creſcerẽt, electi ac fideles proficerent ad fructum pietatis. Et ut colligeret roſas, filios dei diſperſos in mundo colligeret in unitatem fidei ac charitatis, tãdemq; in horrea beatitudinis transferret.

2 Ego dilecto meo, & dilectus meus mihi, qui paſcitur inter lilia.

Ibi quoque ego tota amplexabor ſponſum, uiciſſimq; tantopere amabor, ut ſuauitate maiori non poſſim frui, qua & beata ero. Nã ad hoc uenit ſponſus in hunc mundum, ut omnia trahat ad ſeipſum, ut inter electos redemptosq; ueluti in ſinu ſponſæ compleatur gaudium ſponſi, ueluti inter roſas ac lilia paſcentis.

3 Pulchra es amica mea, ſuauis & decora, ſicut Ieruſalem: terribilis ut caſtrorum acies ordinata.

Carmen aliud, ubi ſponſus loquitur cum ſponſa. Appellat ſuam eccleſiã Chriſtus pulchrã amicam ſuã ſecundum gratiã: quandoquidẽ non natura meretur hũc ſponſi amorem, ſed quia eam ſibi elegit, exornauit, amauit, & optimi conſulit quicquid in ea reperit. Deniq; Hieroſolyma Salomonis tempore omnium urbium erat ornatiſſima auro, argento, uiris fortibus, pace, gaudio, & affluentia omnium bonorum corporalium, ut eccleſiæ pulchritudo commendari magis nõ potuerit, quàm Hieroſolymæ comparata. Nec ſolum pulchra eſt ornatu uirtutum omniũ, & gratia dei in ea multipliciter reſplendente, ſed etiam terribilis eſt, imò potius auguſta magnificaq; interſignijs bellicis, ueluti inuincibilis, perpetua ſponſi pontentia & exercitibus, de toto mundo & impijs ſemper triumphans.

Ieruſalem pulchra.

4 Auerte oculos tuos à me, quia ipſi me auolare (inſoleſcere) fecerunt. Capilli tui ſicut grex caprarum, quæ apparuerunt (detonſæ ſunt) de Galaad.

Cum igitur talis ſit & tanta ex gratia ſponſi, nihil aliud ſpõſus exigit, quàm ut tota fidutia ipſum aſpiciat, de ipſius amore & beneficijs nihil dubitet: hoc enim omnium maximum ſit, in quo ipſa ſponſo placeat, & augeat gratiam: uult enim ſuam bonitatem credi à fidelibus ſponſus eccleſiæ. Pergitq; commendare laudareque ſponſam à multis cauſis. Non quidem caput illius, quod ipſemet ſponſus eſt, ne ſeipſum potius quàm ſponſam laudare uideatur: ſed capillos, qui nihil aliud ſunt quàm maiores in eccleſia, toti ex capite pendentes, influxus ſpirituales inde ſuſcipientes, in decus ſponſi, mutua concordia ueluti pulcherrimæ capreolæ commigrantes de nobiliſſimis paſcuis, quales ſunt in monte Galaad.

Laus ſponſæ.

5 Dentes tui ſicut greges ouium quæ aſcenderũt de lauacro: omnes gemellis fœtibus, & ſterilis non eſt in eis.

A multitudine quoq; gregis innocentiſſimorum agnorum laudantur, quia loti ſint pariter aquis ſpiritus ſancti filij eccleſiæ, animæ fidelium. Sed & ſterilis non ſit

inter

inter eas, cũ fides illorũ otiosa nõ sit, sed magna operetur

6 Sicut cortex mali punici, sic genę tuę absque occultis tuis.

Verecũdia sancta.

A genis uenustissimis cõmendantur uirgines uerecundæ timoratæq;, suũ pertimescẽtes ubiq; periculũ inter uiros, non putantes se speciosas, sed laudatæ uerentur: sic fideles semper timent, agnoscũt imperfectũ suum, tanto per modestiam meliores, deoq; probatiores in omnibus, ideoq; ab imo & intimo usque ad uerticẽ, & per totum pulchra dicitur, quia de nullis præsumit meritis, sed sola gratia agnoscit se electam ut sponsa sit.

7 Sexaginta sunt reginæ, & octoginta cõcubinæ, & adolescentularũ nõ est numerus.

8 Vna est columba mea, perfecta mea: una est matri suæ, electa genitrici suę. Viderunt eam filiæ, & beatissimã prædicauerunt: reginæ & concubinæ, & laudauerunt eam.

Religiosi amoris typus.

Sensum habet religiosissimum. Sponsus totius ecclesiæ tam ueteris quàm noui populi, quàm plurimas ualde animas sibi elegit, quas eximijs dotibus uelut reginas ornauit, & in tanto cœtu gloriosas effecit, per quas & glorificatus est plurimũ in hoc mundo: sed multo plures delegit inferioris gradus populos, quos ornauit minori gloria, quibus tamen familiarissime innotuit sua gratia, & ueluti concubinas tenere quidem dilexit, sed nõ tantis cohonestauit muneribus, ut reginæ uideantur ut priores. Tertio autẽ gradu sunt, uulgus fideliũ, per gratiã Christi ad beatitudinem electorũ sine numero. Has omnes Salomon rex pacificus, & animarũ amator, quas condidit, Christus dñs, secundũ gradus uarios elegit ad suã gloriã, piorũ animas, nõ angusto numero, sed perfecto: tã senarius enim q̃ octonarius perfecti numeri sunt, qui iuncto denario augentur ad gloriã ampliorẽ. Omnes aũt animæ

Gradus spõsorum.

per uerbũ dñi sponsæ fiũt sponso cœlesti, sed triplici gradu, sicut et fructũ triplicẽ terra bona, melior, & optima profert. Bonus enim fructus est, qui præstat sponsalitiũ, et consummatã gratiã unionis ad sponsum, uitãq; reportat æternã. Vna tamẽ sola est anima Christi dñi nostri, di uinitati nõ sola fruitione unita amore et honore exaltata, sineq; omni peccato, sed per personalẽ unitatẽ à uerbo dei sic assumpta est in Christo, ut displicere uerbo dei nequaquã potuerit unquã. Quæ sola innocentissima colũba est, nescia lædere, sed pro peccatis omniũ fideliũ gemitibus inenarrabilibus patri cœlesti satisfacere nouit. Ipsa perfecta sola est, et cõsummatæ gratiæ, de cuius plenitudine nõ ad mensurã acceptæ recipiũt uniuersæ. Vnica hæc anima est matri suæ. Aliam illibatã animã tota ecclesia unquã et usquam nõ habuit. Quantumlibet enim perfectæ fuerint animæ Abraæ, Dauidis, Ioſiæ, Petri & Pauli, sine tamen insigni imperfectione nulla fuit præter solã Christi animã, uerbo dei pfectissime unitã, ut ꝓpter unionẽ illã displicere & peccare omnino non potuerit, propter qđ & omniũ sanctarũ animarũ redemptio cõciliatrixq; fuit. Quã omniũ sanctissimã agnoscunt ac celebrãt reliquæ oẽs, et admirãtur in perpetuas æternitates.

9 Quæ est ista, quę progreditur quasi aurora (consurgens) pulchra ut luna, electa ut sol, terribilis ut castrorum acies ordinata?

Carmen aliud, Verba sponsi, indicãtis sponsæ suæ profectus & ecclesiæ dei claritatẽ, secundũ tempora ac personas, comparando eam ecclesiã electorũ quæ durauit à mundi exordio, usq; ad datã legẽ Mosaicã, auroræ latissime illustrantis mundũ, sed cũ imperfectione. Toto enim mundo benignitas dei et agnitio iusti et æqui patuit quidem ex naturali lumine intellectus humani, & dexteritate, sed cũ quodã quasi nubilo refulgẽte. Deinde toto cursu ueteris populi, legisq; Mosaicæ, nõ aliter splenduit ueritas et iustitia, q̃ ut luna satis quidẽ pulchra, sed cũ pallore, diminutione, mutatione, processu et decessu, nunc noua nũc uetus, iam plena ut Salomonis tamũ diebus, aliãs semp peregrino et incerto, mutuato scilicet lumine Christi illustris. Tandem Christi gratia & mysterio, qui sol iustitiæ iubare suo, euangelica illustratione ꝓdijt, toti mundo cõspicuus exortus est, et usq; ad mediũ cœli ptingens, uenit in hũc mundũ, ut oẽs saluos faceret, ut illuminaret omnẽ hominẽ uenientẽ in hunc mundũ, splendore fidei, & feruore charitatis inuincibilis aduersariæ potestati.

Ecclesiæ profectus.

10 Descendi in hortum nucum, ut uiderem poma conuallis, & inspicerem si floruisset uinea, & germinassent mala punica.

11 Nesciui: anima mea conturbauit me propter quadrigas Aminadab.

Sponsi uerba uidẽtur. Ad hortũ nucũ descendi, inquit, uisitaui, & è cœlo de sinu patris ueni, in hortũ ecclesiæ electorũ ad synagogã, ut fructus legis & prophetarum, ueram pietatẽ, ac dignas populo dei uirtutes, cõspicerẽ: si floruisset uineæ, si creuisset optima pomorũ genera ad legis fructũ carpendũ in ualle ecclesiæ. Quid mihi cueniť? Nihil inueni, opera laude digna nulla offendi, ex uinea tantopere culta nullũ reportaui fructũ. In uanũ uisus sum locasse oẽs operas meas, quantumlibet semper mane surrexerim. Refrigeriũ animæ nullum reportaui, sed stuporem, conturbationẽ, tædium & offensam, propterea quod nõ lectulum inueni, sed quadrigas, rebellionem, superbiam, contentiones, et bella: quibus imuisus sum à populo meo, quem non ob merita, sed gratia & mea sponte elegeram. Et quẽ mihi deuinctissimã obsequẽtissimamq; sperassem, quadrigis suis ex aduerso mihi rebellantem, contraq; me superbientem inueni.

Operũ imperfectio.

12 Reuertere, reuertere Sulamitis: reuertere reuertere ut intueamur te. Quid uidebitis in Sulamite, nisi choros castrorum?

Reuertere, redi ô mea sponsa, redi ab instituto tuo, contra me curribus superbe militando, noli sponsum negligere, noli pacificũ tuũ irritare, sis digna Salomonis pacifica Sulamitis. Et quæ in gratiã patris reducta es ecclesia Iudaica, ut Sulamitis (שולמית. id est pacata atq; pacifica) merito appelleris, noli perpetuo aduersari saluatori tuo. Redi in gratiã cũ eo, sine quo Sulamitis nõ eris, redi ad scripturas, redi ad promissũ tibi Messiã, ad gloriã generis tui, patrumq; tuorũ, ut admirationi sis, et supra modum spectabilis omnibus gentibus, quibus nunc obprobrium es et cõfusio. Quid ni uidenda es ab omnibus, tuũ regẽ nũc adorantibus, nõ iam rebellis, superba, seditiosa, & pugnax contra dñm tuum, sed ueluti chorus puellarũ elegantissimarũ, in quo sibi rex tuus complaceat, qui nõ

Reuocatur spõsa à spõso.

contra illum curribus ſuis militent, ſed caſtra ſua pro illo producant. CAPVT VII.

1 QVàm pulchri ſũt greſſus tui i calceamẽtis filia principis: Iunctur̃ fœminum tuorũ, ſicut monilia quæ fabricata ſũt manu artificis.

Cõmẽdatio ſponſæ.

Incipit, ut patet, commendatio ſponſæ & eccleſiæ, ſiue uerba ſponſi ſint ſiue amicorum uel ſodalium. A pedibus autem orditur aſcendendo ad caput uſq;, oſtendendo per ſingula membra, quid & quare in illis ſponſo probetur. Greſſus et calciamenta in primis placent, ſi ſponſi ſequatur ueſtigia præeuntis, ſi affectuũ pedes cõpriman tur, ſi incontaminatas ſeruet ab hoc ſæculo, ſi non coacte ſed ſponte ſequatur, tota feratur ad ſponſi exẽpla ſectanda. Vertebra fœmorũ uel genuũ potius aut lũborũ ornata monilibus ſunt, dũ ſic caſtitate ornatur, ut tamen prolis fœcunditate ſacra non deſtituatur, cũ pulchra oſtendi tur & caſta generatio cũ claritate. Non enim celibatus deo placet cũ ſpurcitia. Id uero nõ paratur, niſi manu artificis, niſi gratia creatoris. 2 Vmbilicus tuus crater tornatilis, nunq̃ indigẽs poculis. Venter tuus ſicut aceruus tritici, uallatus lilijs.

Doctrina pietatis.

Crater purus ac rotundus eſt umbilicus tuus. Doctrina pietatis et fidei, qua nutriuntur, quaſi modo geniti infantes, perfecta eſt, ſimplex et ſaluberrima, ut felicißime ſponſo parturias ſuã prolẽ, & fœcunditatis damna non ſentias unquã, ſed uiuaci humore gratiæ diuinæ recrees fœtum filiorũ dei. Venter tuus, ubi & cordis penetralia ſunt, et membra reliqua pabuli naturalis, fides ſcilicet et charitas in deũ, ueluti uallatus lilijs, et acerui tritici obtectant ſponſum, et ornant ſponſam. 3 Duo ubera tua, ſicut duo hinnuli gemelli capreæ.

Gemelli.

Scriptura ueteris & noui teſtamenti, prophetica & apoſtolica doctrina, nónne adſimilari poßũt duobus hinnulis elegantißimis gemellos ꝓgenerantibus, timorẽ quoque ac ſpem, opera & gratiam, obedientiã & charitatẽ? At in uetere populo Moſen & Heliam. Iudæi exponunt duos Meßias redemptores, filiũ Dauid, & filium Ioſeph, ueluti ſomniantes duplicem Chriſti aduentũ, uel primæ & ſecundæ captiuitatis ſaluatores, Iſraëlis & Iudæ.

4 Collum tuum ſicut turris eburnea. Oculi tui (*ſicut*) piſcinæ in Heſebõ, quæ ſunt in porta filiæ multitudinis. Naſus tuꝰ ſicut turris Libani, quæ reſpicit contra Damaſcum.

Longanimitas eccleſiæ.

Eccleſiæ ceruix & collum perſeuerantia & longanimitas dici poteſt, contra oẽs aduerſitates & prompta obedientia ferendi iugũ dñi ſuaue, & onus eius leue, ueluti turris non ſolũ fortißima, ſed etiã ornata elephantinis oßibus, & conſpicua multis clypeis plenaq; exẽplis uirtutũ. Oculi eccleſiæ perſpicui ſunt, ueluti piſcinæ pulcherrimæ obſcuritatis nihil habentes, nec turbulẽtiæ. Sacræ ſcripturæ fideliũ claræ ſunt et perſpicuæ, ſed ſimplicibus oculis piorum electorum. Naſus, id eſt iudicium et zelus eccleſiæ firmum eſt, & rigidum contra hoſtes ueritatis, contra regnum impietatis, diſcernẽdo diligenter & accurate inter odores doctrinæ ſacræ, et fœtores uanæ philoſophiæ & errorum.

5 Caput tuũ ut Carmelus, & comę capitis tui, ſicut purpura regis iuncta canalibus.

Sponſæ caput Chriſtus eſt, Sponſus iucũdus, excelſus, fructifer Carmelus, electorum ſtipatus cincinnis ex illo pendentibus, et radicẽ ſuæ proceritatis ſumẽtibus, uitæq; uigorẽ ad gloriã ac decorũ capitis Chriſti pertinẽtibus, per charitatis ardorẽ, & purpurei coloris iucunditatẽ, inter ſe et cũ Chriſto participando gratiã conſummatã, non ſine plexuris pulcherrime coadunatis, & ſeſe complectentibus, regio quodam ornatu caput ſuum exornantibus, & reuincientibus ambitione glorioſißima.

6 Quàm pulchra es, & quàm decora chariſſima in delicijs.

Carmen aliud ad idem. Quàm pulchra es, ô eccleſia fideliũ tota, ſponſo tuo amiciſſima, & in delicijs exulta, ut ſis uenuſtißima toto corpore, nõ tam natura tua q̃ gratia & charitate libera ſponſi. 7 Statura hæc tua aſſimilata eſt palmæ, & ubera tua botris.

Quanto magnitudine proficis tanto fructuum abundantia magis laudaris, in ſupremis copioſior quàm in infimis, per ætatẽ proficiens, et dulciſſimo fructu recreans ſub te habitantes, à ſolis ardoribus protegẽs æſtũ patientes, & großis ac dactilis ſuis nutriens filios ſuos. Vbera tua botris, unde filios tuos paſcis lacte puritatis & iuſtitiæ, fide & ſapientia.

8 Dixi, Aſcendam in palmam, & apprehendã fructus eiꝰ: & erũt ubera tua ſicut botri uineæ: & odor oris tui, ſicut (*odor*) malorũ.

Verba ſponſi. Sic apud me ſtatuo. Cacumina palmæ illius ſanctiores in eccleſia, concutiã flatu tentationũ: tentabo illorum fidem et charitatem multis aduerſitatibus, & confirmabo ad maturitatem perfectam, ut illis ueſci liceat, ut de pleno illorum profectu ueluti dulciſſimis botris recreari poſſim. Vbera tua, ô mea ſponſa, mihi dulciſſimum nectar præbent, & uinũ iucundißimum, omniumq; optimorũ fructuum ſaporem referunt, & odorem fragrantißimũ. Hæc uero omnia non tam ex ſponſæ meritis, quàm ſponſi liberalitate conferuntur.

9 Guttur tuũ, ſicut uinum optimũ: dignũ dilecto meo ad potandum, labijs q̃, & dentibus illius ad ruminandum.

Sententiæ ſacræ.

Humor gutturis tui, ô ſponſa, non aliter ſe habet, quàm uinũ optimũ digniſſimum q;, quo ſponſus inebrietur ſine omni admixtione peregrini liquoris, cuius potu incipiãt loqui illius labia probatißimas uetuſtatis ſententias, ut fide uerborũ dei, et fiducia plena ſponſæ eccleſiæ in ſponſum, ſic inebriet ſponſum, & ſacro amore ſolicitet, ut ueluti ebrius nihil illi negare poſſit, uſq; ad mortẽ pro ſponſa: ut nihil cœleſtiũ ſecretorum illi queat occultare, ſed quicquid à patre audiuit, hoc totum illi reuelet. Hoc eſt ebrium fieri ſponſum, & loqui uetera atq; magnifica.

10 Ego dilecto meo, & ad me cõuerſio eius.

Verbum ſponſæ. Dum ego me totã illi meo ſponſo præbuero, ſtudens magnopere placere illi, certißimum teneo ipſum quoq; totum ſe mihi præbiturũ, & ueluti ſyncerißimã ſponſam me amaturũ, iure matrimoniali, optimo ſanctißimoq;. Ad me enim conuerſio eius erit.

11 ¶ Veni dilecte mi, egrediamur in agrum, commoremur in uillis.

Verba

Verba ſponſæ. Eccleſia fideliũ ſic ſponſum alloquitur, Hactenus mi chariſſime ſponſe, intra Iſraëlitarũ genus et in domo Iacob, ueluti habitaſſe uideris, quaſi exteras nationes negligendo: oro aũt, ut mecũ aliquãdo exeas in agrũ gentilitatis, ut maneamus pariter in uillis, puintiarũ et regnorũ, ſine muro cuſtodiæ prouidẽtiæq; ſpecialis, ut uideri poterat habitantiũ, ut illis quoq; innoteſcas p gratiã & beneficia, quæ expectãt promiſſiones tuas p tuos prophetas illis factas tuo nomine in ſalutem totius orbis.

12 Mane ſurgam⁹ ad uineas, uideam⁹ ſi floruit uinea, ſi flores fructus parturiũt, ſi florue runt mala punica: ibi dabo tibi ubera mea.

Gẽtiũ ſalus & eccleſia. Noli obſecro differre ſalutẽ gentium, ſed cito maneq; ſurgamus ad uiſitandas uineas, ad reuocandum ab errori bus idololatriæ populos & nationes præordinatas ad uitam & gratiã. Videamus ſi ſpes aliqua ſuperſit, pdeatq; bonorũ operum, ſi uinea dñi ſabaoth electorũ eccleſia, flores & indicia certa inſtantis ſalutis protulerit, ſi folli culos ſuos aperuerit uitis, & ſeminaria fidei cœperint uel de longe ſuppullulare inter gentes, cõfeſſio ſcilicet et agnitio unius dei, quæ non parũ ſuccreuit per diſperſionem Iſraëlis in gentes, ubi dño deo ſuo diligentius & fortius adhæſerunt, quàm in propria ſua terra. Iam quoque ante Chriſti aduentũ ſacræ literæ in Græcã & Syriacã translatæ linguam, nõ ſine fructu legebantur, & ad unius ueri dei fidẽ permouebantur, ueluti ſigna quædã euuulgandi propediẽ euangelij, & Chriſti uenturi. Verè enim floruerũt in eo agro paſſim malogranata, uerarũ uirtutũ ſancti quiq; uiri, quales Cornelius, Abgarus, Socrates, Seneca, et tales innumeri fuerũt in orbe, ſicut et hodie ſunt ubiq; terrarũ, et in omnibus ſæculis: ibi dabo tibi amores uel ubera mea, ibi perfecto gaudio pariter lætabimur, cũ gratiã quã mihi feciſti hactenus, nũc quoq; omnibus gentibus largieris, ut nõ tantũ in Iudæa notus et glorificatus appareas, ſed toto orbe, ut tanto melius habituri ſimus, quãto gloria tua latius fuerit propagata. Vt nõ iam Hieroſolyma ciuitas dei ſola habeatur, ſed oĩa regna mundi, in quibus unius dei ueri fides & timor inuenietur.

13 Mandragoræ dederunt odorem in portis noſtris. Omnia poma noua & uetera dilecte mi ſeruaui tibi.

Sapientia ſanctorum. Electi ex omnibus gentibus iam incipiunt ſapere quæ dei ſunt, & errorũ cauſas damnaq; agnoſcere: iam ad fores noſtras, et ueluti ſine noſtro labore affertur doctrina uitæ ſalutis & gratiæ: iam noui teſtamenti gratia flores profert, et promittit uberrimũ fructũ, ut nõ ſolũ uetera, ſed et noua ſalutis dogmata pferantur ad gloriã dei, quæ à multis ſæculis iuſto dei iudicio abſcondita fuerunt, & hodie abſconduntur à ſapientibus & prudentibus, olim paruulis & diſcipulis ad hoc electis reuelanda.

CAPVT VIII.

1 QVis mihi det te (ut) fratrem meũ ſugentẽ ubera matris meæ, ut inueniã te foris, & deoſculer te, etiam me nemo deſpiciat?

Vox eccleſiæ ex gentibus congregandæ uidetur, ſicut ſuperiora uox eccleſiæ Iſraëliticæ ſunt Chriſti aduentũ præcedentis. Optat autẽ gentilitas ad gratiam electa, ut ſpõſus eccleſiæ, uerbũ dei patris frater ſuus eſſe incipiat, & non aſpernetur ſe, nõ minus quàm ſi eadem matre nati eſſent ſponſus & ipſa ſponſa. Ambit enim & eccleſia ex gentibus coniugiũ ſponſi cœleſtis, et ſe quoq; amari cupit, ut ſoror à fratre, ut populus peculiaris, uolẽs et ipſa inſeri oleæ, & nõ uelut abiectitia ſemper haberi & repudiata, quandoquidem ei quoq; promiſſa ſit & expectatio certa conceſſa ab Iſraëlitarũ ſanctiſſimis patriarchis atq; prophetis. Deſiderat hæc eccleſia aliquãdo inuenire hunc ſponſum foris Hieroſolymã, extra promiſſionis terrã, præter Iſraëliticã gentẽ, uniri ſponſo, creatoris gratiam experiri, & amplecti brachijs charitatis ſponſum dudũ promiſſum, ut illũ per fidẽ & obedientiã cõplecti & deoſculari poſſit, et iam nõ amplius à ſynagoga cõtemni, tanquã neglecta à creatore ſuo, reprobata à ſapientia ac bonitate dei: quandoquidẽ cupiat feruẽtius fortius & perſeuerantius fidẽ ſeruare uerbo dei, ſponſo ſuo, quàm Iudæi unquã fecerint, et ab illius ueri dei uero cultu nunquam deflectere, ſed ſemel agnitum ſponſum conſtringere brachijs charitatis, & nunquam deſerere.

Ambitio ſancta eccleſiæ ex gentibus.

2 Apprehendã te & ducam in domũ matris meæ (& in cubiculum genitricis meæ. ibi) me docebis, & dabo tibi poculũ ex uino condito, et muſtum malorum granatorum meorum.

Non inquam, dimittã te ſponſum meum, ſed apprehenſum ducã & introducã in domũ matris meæ, in eccleſiã uniuerſalẽ priſtinã, quæ & olim ab Adam & Noe uſq; ad Abraæ uocationẽ mater fuit fideliũ et electorũ. In qua ut olim docebis me de uoluntate tua, et uerã ſapientiam, legẽq; naturæ inditã reformabis ad leges tuas, iuxta tuũ beneplacitum complendas in ſpiritu et ueritate. Vt ſicut olim ſine tẽplo, aris, libaminibus, & ceremonijs leuiticis te mea mater coluit, & tuam gratiã perfectiſſime ſenſit: ſic poſt hac me induã ueluti dudum electam uiſitabis, & denuo amplecteris: ibi et eo tempore, de uino aromatico te potabo, fide, fidutia, charitate, et obediẽtia te inebriabo iterũ, ac ſic mihi charitate deuinciã, ut nihil tibi gratius offerri poſſit, dulciſſimis malis & pretioſiſſimis ex gentibus congregandis eccleſijs, ueluti granis ſunt poma illa refertiſſima ac odoratiſſima. Quid enim aliud grana ſunt in malis, quàm fideles in ſingulis eccleſijs, cibus ſuauiſſimus ſponſi, quem mundus non nouit?

Perſeuerantia eccleſiæ.

3 Leua eius ſub capite meo, & dextera illius amplexabitur me.

Exclamatio eſt eccleſiæ ex gentibus congregatæ, cupientis & orantis ſe ſponſi amoroſis complexibus conſtringi, tam in aduerſis quàm proſperis tueri, ſponſi gratia frui ſemper, ut & in ſuperioribus dictum eſt.

4 Adiuro uos filiæ Ieruſalẽ, ne ſuſcitetis, neq; euigilare faciatis dilectã, donec (ipſa) uelit.

Conſolatio eſt & aſſecuratio, ut æquanimiter tolerentur ſponſi abſentia, & expectetur uocationis gratia & uiſitationis, quandoquidem id non humanis meritis, ſed prouidentiæ diuinæ arbitrio ſit futurũ. Gratia eſt enim, & non ex operibus uocatio gentium, & ſanctificatio eccleſiæ ſponſiq; connubium.

5 ¶ Quæ eſt iſta quæ aſcẽdit de deſerto, delicijs affluẽs, innixa ſuper dilectum ſuum?

sub arbore malo suscitaui te: ibi corrupta est mater tua, ibi uiolata est genitrix tua.

Cõparatio ecclesiæ & synagogæ.

Carmen aliud. Verba prophetæ Salomonis ad ecclesiam apostolicã, ueluti admirantis profectũ illius, & defectum iudaicæ synagogæ, quæ nõ absurde dicitur mater ecclesiæ apostolicæ. Qui fieri potuit, ut de loco uastæ solitudinis de muto inaquoso et sterili populo gentili, ecclesia sancta ascenderit, prodierit, extructa fuerit, quæ tota innutatur super dilectum suũ, quæ plena fide & feruenti charitate contra omnium regnorũ & regũ uoluntatem ac instantiam prohibitionemq;, Christi domini gratiã ac salutem suscepit, per ignem, per aquã, illum tenuit mordicus, & seruauit, perq; excessum charitatis unita est, et sponsa facta dignissima. Sub malo excitaui te ô sponse. Ad crucis & crucifixionis mysteriũ, ego causa fui tanti amoris, ut pro me moriendo me gigneres. Cepit cor tuũ amor mei ut à synagoga matre tua maximo dolore me parturires, pro me iustificanda à Iudæis occidereris. Vbi & mater ipsa tua dolore mortifero occisa est, dum uitæ suæ authorẽ crucifixit, et eũ qui se genuit dereliquit. Salus enim et electio gentiũ, mors fuit et abiectio Iudæorũ.

6 Pone me ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachiũ tuum: quia fortis est ut mors, dilectio: dura sicut infernus æmulatio: lampades (*prunæ*) eius, lampades (*prunæ*) ignis, atq; flammarum.

7 Aquæ multæ nõ poterũt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam: si dederit homo omnem substantiã domus suę pro dilectione, quasi nihil despiciet eam.

Charitas perfecta ecclesiæ.

Vox ecclesiæ Christo desponsatæ, orantis, ut nunquã repudietur, uel in amore decrescat primario. Pone me, ô sponse & uelut sigillum imprime cordi tuo, ne unquam caracter tui amoris & gratiæ elabatur ex meo pectore, & multo minus è tuo corde unquam excidat amor mei, & ueluti signaculum super brachium tuum, ut nulla unquã te rapiat mei obliuio. Tanta enim dilectione imbuta sum, ut malim mille discrutiari mortibus, quàm à te deciderе: tanto zelo tui nũc corripior, ut inferna citius experiri uelim, quàm amore tui fraudari. Illius inquã amoris prunæ corripuerunt me, quæ sunt ueluti ardentissimæ flammæ inextinguibilis ignis, quã affluẽtissime aquarum gurgites extinguere nequeant, & calamitatum cataclismi minime inuoluent nec præuocabunt unquam. Huius tãti amoris specimen cõprobat ecclesia, uerbo dei puro quoties imbuitur, quoties catholica doctrina et ueritas sacræ scripturæ clarè proponitur: ut apostolorum temporibus, & martyrum uidere fuit, et nunquam cessauit in ecclesia talis fidei feruor, nisi ubi uerbum dei uiuum & efficax, admixtione sæcularis prudentiæ, & fuco humanarum traditionum obliterari cœptum est, & magna ex parte negligi, cum quisq; non sensum scripturæ, sed propria placita inuexit ecclesiasticæ doctrinæ: ubi maior fuit diligentia pulchrè loquendi, quàm probate ac fideliter explicandi beneplacitum diuini spiritus, & sensum pietatis ac fidei. Hic autem talis amor sponsi, non datur pro meritis quibuscunq;, non comparatur auro uel argento, non cogitatione humana, & studio sæcularium rerum, non emitur quacunq; substantia. Omnia enim hæc despicit amor sponsi cœlestis, & sponsus hæc non magnopere suscipit, neque curat, sed sola dei gratia donatur electis, qua et perseuerantia datur, nullis humanis uiribus. Spernit amor dei omnes, qui amore terrenorum detinentur, & unctionem spiritus non experiuntur: qui spiritu huius mundi inflantur, & uideri magis student quàm prodesse ecclesiæ.

8 Soror nostra parua, & ubera non habet: quid faciemus sorori nostræ in die quando alloquenda est?

Ecclesia cõ gentibus de trinã orat.

Vox est synagogæ, gaudentis de gratia dei diffusa in gentes. Dicitur nõ absurde soror gentilitas à synagoga, siue patrem utriusq; deum cogites, siue Noam, imò & Abrahæ fidem, cuius gentes quoque filij legitimi comprobantur. Hæc illa ex gentibus recens eligenda ecclesia, parυula quidem dicitur pro initijs, à quibus paulatim profecit in spiritu & ueritate. Et ubera non habet. Legis & prophetarum eruditio procul illi abfuit: fidei in deum & charitatis syncerè in proximum documenta uera non habuit: ueteris & noui testamenti spiritualem cibum filijs fidei de suo administrare non potuit. Quid ergo faciemus sorori nostræ? dicunt patriarchæ, prophetæ, Christus, apostoli. Quomodo ecclesiæ collectæ ex gẽtibus docebuntur? quomodo succrescent? quomodo educari poterunt & nutriri? quomodo sponso tam nobili ecclesiæ gratiæ dei per Christum iungentur? quomodo in die tantæ solennitatis hanc sponsam ornabimus? quid in illa sponso admirandum, amandum, gratum & ample ctendum curabimus? Quibus modis sponso poterit commendari quàm maxime, cum illi fuerit adducenda.

Si murus est, ædificemus super eum propugnacula argentea: si ostium est, compingamus illud tabulis cedrinis.

Murus ecclesiæ.

Si ecclesia fidelium stabili fide ueluti murũ sese præbuerit, ut non facile quoquã hostium impetu subuertatur, si firma authoritate scripturæ innixa fuerit, digna sancto spiritui & sponso suo sponsa, & sancti amoris cubiculum erit. Fide enim in Christum lapidem angularem tam ecclesia nititur, quàm sponsus delectatur. Sine fide placere sponso non poterit, nec proficere quibuscunque studijs uel moribus. Ipsa autẽ fide substrata, ueluti fundamentum est superstruendo sacro operi cuicunq;. Sine fide sponsa gratis iactabit ubera utriusq; testamenti, eruditionem tam sacram quàm sæcularem. Si uero ecclesia uel ecclesiastica anima, non fixus murus fuerit, sed

ianua ecclesiæ.

ianua uaga, nunc huc nunc illuc ad cuiusq; intrantis uel exeuntis arbitrium iactanda, ratione dubia humani sensus hinc inde impellenda, ut sunt ratiocinia dogmatũ philosophicorum incerta, instabilia, mutabilia, & dubia. Si inquit, hisce studijs capta fuerit, nihil sponso gratum offerre poterit, pretiosa in illius iudicio non erit, Cedrinis tignis compingenda & tabulis, non de alijs lignis uermibus obnoxijs, et cũ tempore putredine dissipandis, sic enim nihil durabile, probum, firmum, uerax, et certum tenebit. Non sustinebit uelut argentũ et aurum ignes tentationis

tationis & humanæ sapientiæ ratiocinia non euincet. Semper enim uincetur & improbabitur fides catholica uermiculosis illis innixa & contabulata rationibus scientiæ rationalis, eritq; ueluti lignum & stipula facile absumenda & conflagrationi subiecta.

10 Ego murus: & ubera mea, sicut turris ex quo facta sum corã eo quasi pacẽ reperiẽs.

Firmitas fidei in ecclesia.

Respondet ecclesia sancta. Non ianua sum instabilis, sed murus scripturæ fundamẽtis innixus, facile superabo argumenta rationis humanæ: & ubera mea doctrinæ sacræ reseruacula, quibus fidei infantes imbuo & nutrio, lignea non sunt, sed ucluti ppugnacula fortißima, nulla ratione humana concutienda, omnes errores contra doctrinam fidei militantes facilime superatura, id autẽ, non dubito, sponso quàm maxime probabitur, placebit, amabit. Eroq; in oculis illius tanquã pacem inueniens. Ecclesiæ enim dogmata firma non erunt, & circa illa quæstionum disceptationes minime finientur unquam, nisi fidei fundamento nitantur, tũc enim pax erit in ecclesia, tunc conformiter ecclesiæ docebuntur, & proficient in ueritate, si fide in uerbũ dñi simplici fulciantur, si non humanæ sapiẽtiæ uerbis pugnetur ad hæreticos, sed solida uirtute spiritus, ad amußim scripturæ canonicæ directi decertent. Vana est enim & fallax, falsaq; doctrina omnis, quæ canonicæ scripturæ simplici intellectui non adstipulatur. Quicquid ex canonicis scripturis nõ docetur, eadẽ facilitate contemnitur qua probatur.

11 Vinea fuit (*Salomoni*) pacifico, in ea quæ habet populos: tradidit eam custodibus, uir affert pro fructu eius mille argenteos.

12 Vinea mea corã me est: mille tui pacifice, & ducenti his qui custodiunt fructus eius.

Ecclesia uinea pacifici.

Carmen aliud Mysterium complectitur ecclesiæ dei, quod & Christus explicasse uidetur in parabola uineæ locatæ agricolis, quasi dicatur, Salomon, cuius nomine et persona intelligi potest deus omnipotens, uineã sibi plantauit, populosum regnũ Israẽlis, commendauitq; eam curatoribus multis, qui singuli inferrent prouentus copiosos fructuum, ualore mille argenteorũ. Regibus & prophetis commendata est ecclesia fidelium, regenda in moribus & fide, sicut & Christus apostolos, prophetas, ac doctores præfecit suæ ecclesiæ, ut dent illi annonam, & fructuum prouentum perfectum. Omne enim perfectum opus domino tribuendum, non fidelibus. Tibi enim, ait, ô Salomon, debeo mille, de uinea mihi commendata, tuum est quicquid lucror: quicquid uero imperfectum est, episcopis debetur & custodibus, qui etiam si uelint perfecta agere, cum homines sint, nõ possunt: ducenta tamen illis retribuuntur custodibus, quod duplici honore digni sunt, qui bene præsunt, & pro uirili satagunt, et seipsos tueri à crimine, & alios lucrari suo officio & promouere ad meliora.

13 Quæ habitas in hortis, amici auscultant ad uocem tuam, fac me audire (*uocem tuam.*)

Studium sacrum in ecclesia gentium.

Aliud carmen de sponsa. Habitantem te ecclesiam fidelium in hortis, pascentem & fruentem fructu scripturarum sacrarum, et sedulo rigantem plantas aquis uitæ, filios suos docentem uerba uitæ æternæ, de puteo aquarum uiuentium, amici & socij ecclesiæ ex gentibus conuersæ te auscultabunt diligenter, acquiescent, credent, & ædificabuntur: quam tuam uocẽ, qua uerba uitæ interpretaris & inculcas, fac etiam me audire, dicit ecclesia Iudaica electorum. Futurum est enim, ut uox ecclesiæ catholicæ diligenter curantis hortum & uineam illi commissam, cò profectura sit, ut sicut primitiua gentium ecclesia profecit ex apostolorum doctrina, sic posterior synagoga, reliquiæ scilicet saluationis ex Hebræis, audiant uocem ecclesiæ, scripturæ mysteria dextre clareq; tractantis.

14 Fuge dilecte mi, & assimilare capreæ hinnuloq; ceruorum super montes aromatũ.

Ecclesia à sponso non deserenda.

Vox ecclesiæ. Tametsi fugies ô charißime sponse, siue à Iudaici populi synagoga, siue à me, sinendo labi ecclesiam in uaria incommoda, tam morum quàm etiam errorum uariorum: oro tamen, ut non deseras eam, non abijcias prouidentia ac gratia tua, nõ destituas unquam, sed esto nihilominus ut caprea, quæ ut Hebræi hoc loco tradũt, accubitus sui tempore oculum unũ semper apertum tenet, altero clauso, hoc est, semper clemẽtiæ suæ oculo fideles in ecclesia aspiciens & conseruans, etiamsi aduersitatibus eam exerceat, & torpere in bonis operibus sinat. Esto etiam ut hinnulus ceruorũ, super montes aromatum, qui infectationis suæ tempore locum suũ intelligit, qui nulli nocet, sine armis uindictæ, amator hominum, tenere diligens suos fœtus, & non nisi nobilium aromatũ cibo fruens: sic tu amantißime sponse, in ecclesia tua, quæ mons dicitur, & est, aromatum, teipsum pascas, fide & uirtutum illius fructibus reficiaris, & serpentũ insidias insecteris, quo minus fideles tui in ecclesia ueneno inficiantur, & tibi pereant, qui omnium saluator es, amicus & sponsus gloriæ sempiternæ, Amẽ.

FINIS.

SVMMA VERSVVM C. XVII.

INDEX TERNIONVM.

Aaa. Bbb. Ccc. Ddd. Eee. Fff. Ggg. Hhh. Iii. Kkk. Lll. Mmm. Nnn. Ooo. Ppp. Qqq. Rrr. Sss. Ttt. Vuu. Xxx. Yyy. Zzz. AAa. BBb. CCc. DDd. EEe. FFf. GGg. HHh. Iii. KKk. Lll. MMm. NNn. OOo. PPp. QQq. RRr. SSs. TTt. VVu. XXx. YYy. *Omnes sunt terniones, præter* YYy. *quaternionem.*

TIGVRI *apud Christophorum Froschouer, anno* M. D. XL.

A 1397379

unam manducauem malū·

Quod aūt dicē bibencē ellū pacē vl repe
tit hc ut nō vltō ex ello ſpasū cuēre de
beāt metuēte q ex oī purgōe adueniat
ut aūt mal' peculiē · ſ ex manducōe q ex vlo
ello dictus · vēnte q ē peculiaꝛ · ſ qui ex er
manducōe ſungulat est ſpasū q' os tōi · me
ip' ſcē mirante · alias pacientiā ·C·

In immodata purgōe ſpasū
aut ſingultus imitatꝰ malum·

Spasū est mucōsū humoꝝ uolūtaria
opmuens locū · ſingultꝰ · ſpasū ſūi
in unico plē aut deficiens aut mordicatiōe
uacuans · Quāꝫ u immodata purgō mala · ſi
ul · x p repletiōz · repletiō nō spasmū ul ſingultū pūcē

Si uehemens ē repente ·C·
ſñi nocē fiat · spesime mutato mor
ſi nō ſe · accipit eū aut ad holeam
uenerē · ſ q' Epule ſoluūt locū fiūt

Hec spasū de uinoꝝ · pleniꝰ dicēdi · uīi u · illi
plēt uinos q calidꝫ · oē aūt q calidꝫ · acto p
fortat cor · maxīe ſi uīi nō ſit generōſi · uīi uim
q ualeāt · bibīti · t calidꝫ · t acto corpꝰ ꝑ uenas
t uenos implēt acto fit spasū · q nī alia ex pōt
fieꝝ · q uisūs fiunt fluxi · restringere · si aūt locus
cuius sit qui restringi nō possit · talis spasꝰ
acto mouētē uapoꝝ · hoc aūt uehemēs ꝑficit
hoī · ūbos · q repētē ſñi nocē diē · ſ u · q · ſ · t
mortuꝰ · ſuffocat · cor · t ſ actū · apoplīa · q' ſequit
uocare ꝑ · Oritur aūt uasis ex ūnoꝝ partiū
ſtīdarū · ſ impole · t u · cor · cor · ſpasmet · si nō
cēbrū · ſ paralisi · aūt ipē aut ex aliq' ūlgoſo
collegmate · Febricitātē aūt aliq' uccidit · ut
priꝰ · passū · ē · ſ · unū · uīi · ſoluatur · aūt · longa
grauī · crassicies · abuſe · a · crudo · t actū · deficiēs
nō · recipiat · uicē · ē · nō · q ad horā · mutat · uenēs · p · q
Epule ſoluūt · ep' · uredit · q nō · laū · e · u · oī · egrī · ſ
ſe · u · hoīes · d' ꝑ · o · die · ſoluūt · ab · ebrietate · d' · a · ead
nocte · alu · ſ · die · q' · oīa · quiēte · ſ · q · uīi · ſ · uiuōrū
t · ſ · ūi · bibēti · die · u · nō · oī · ab · digīt · egrī · calidē
t · uīi · bibēti · nō · egrī · a · sua · ebrietē · dissoluūt · uīi · q
uoꝝ · ep'cipiunt · logī · ebrietē · dissolui · ep' · si aūt · se · no
cāt · ſñi · uenīt · in · ebrietē · dissoluī · in · ille · locū · ſ

fuit · ſpasmo · mutato · mortuꝰ ·A·

Quinq; a chermo apphendunt
in quatuor diebꝫ · pcūt · si nō
hos effugiunt · salui fiunt ·

Thetanꝰ · t · mobꝫ · placet · ab · nec · spasmū · mobꝫ
fiūt · q · pōnt · uīi · uēte · t · fluē · uelocē · ēe · ſ · u · hūi
mobꝫ · potē · nō · p · pus · ſ · lāguidēꝫ · qui · ēe · ſ
mobꝫ · in · p · di · ēe · ꝑ · odꝫ · sm · aūt · mobꝫ · ē ·

Quibꝫ epilie · ſñi · uenientē · nasꝰ
mutatiōm · hūi · quibꝫ · nō · xxv · an
nox · fiūt · plūs · q · mutant ·B·

Mutatio · ūltimox · ētis · q · de · ūltīs · mutē · tuīs
alia · nō · abuſe · quēdā · alia · mobꝫ · di · mutꝰ · q · d
dūt · ſ · ēe · nō · mutatiōs · mobox · ſ · pot · aūtem · exp' · ſñi
u · epilie · ēe · ſ · t · aīs · plāne · ſ · ſñi · ēe · q · mutatiō
cōe · est · ut · de · hūtē · t · ſtentate · q · ēe · est · t · q · exīte
tiā · dictā · t · media · hūt · morbo · ſtra · ul · q · ēe ·
ꝑpo · nī · tolā · die · ꝑfecte · ſ · tm · tatiō · si · q · ſ · bīt
uel · ſ · q · aūm · ſñi · uīi · medicandi · ſ · ſ · ſ · uīi · ſ · q · p
tuēt · eū · q · p · illud · q · die · dic · melli · alia · hūt
morbo · ſtra · ē · ꝑ · m · tal' · loat · ſ · tal' · epilie · in
de · uenēt · q · mutatiōe · ēe · ſ · regnoꝝ · t · dierē ·
u · die · ſic · ꝑ · hūt · epilie · aūt · pubertatē · venīēt ·
tm · tatiōe · q · pubertē · si · nō · ꝑ · xxv · ānoꝝ · q · mox
ſcēt · hūt · aūt · uredit · q · ꝑ · pubescendi · ꝑ · q · a · xm ·
ānō · uscꝫ · t · u · xxv · ānꝰ · fiūt · Quinq; aūt · ānꝰ · pub
tatē · hūt · enadit · q · ꝑ · pubertatē · ſ · q · q · ꝑ · adueni
fiūt · Sic · aūt · q · ſ · u · alia · ēe · tatē · uel · t · q · ad
mutat · uolūt · ſalutat · ꝑ · ex · neglē · u · ſua · nō · ſi
natu · u · xxv · annoꝝ · ēe · ſ · q · tūc · die · q · ꝑ · xxv ·
ānoꝝ · ꝑ · q · mutatiōe · q · ūltīs · xxv · ānos · ſuscipīt · ſ
uredit · Epilia · q · aūt · pubertatē · venīēt · dissoluī
m · pubertate · si · aūt · ꝑ · pubertatē · a · xm · ānꝰ · usq
ad · xxv · uenit · potē · tuam · ſ · nō · neglexīt · q · ꝑ
xxv · ut · maꝫ · hūt · lubē · tuēm · potē · t · quōm · illud · u
ea · quo · mutatur · q · ꝑ · plūs · ·9·

Quinq; plenetica ſñi nō · ꝑ · tūt
aut · in · xm · diebꝫ · hū · u · empma

Cplenetīs · q · tatem · ſpūs · ee · tuscīt